BALDVINI

HIERONYMI BALDVINI
è Montearduo uiri doctissimi.

EXPOSITIO IN LIBELLVM PORPHYRII DE quinque uocibus, nunquam antea in lucem edita.

Eiusdem commentaria in libros Aristotelis de interpretatione absoluta; aliàs quidem vulgata, sed nuper multis erroribus repurgata.

Expositio item in primum posteriorum analyticorum Aristotelis, & magnam in eo Auerrois commentationem, cum noua aliquot contextuum interpretatione, cùm in eum primum, tùm in secundi initium nuper inuenta.

His accessere quaesita aliquot eiusdem authoris, & logica, & naturalia, nunc primùm in vnum congesta, & suo ordine collocata.


OMNIA NVNC RECENS SVMMA DILIGENTIA collecta, castigata, & summo nitori restituta.

Adiectus praeterea est index sententiarum, dubitationum, & diuisionum copiosissimus. Catalogum uerò librorum, & tractatuum sequens pagina indicabit.









Cum summi Pontifici, Gallorum Regis, Senatusq; Veneti decretis.
VENETIIS, M D LXXV.

INDEX LIBRORVM ET QVAESITORVM
seu tractatuum, qui hoc uolumine continentur.


IERONYMVS Balduinus uir in omni ſcientiarum genere præſtantiſsimus, dum in Salernitano gymnaſio ſumma cũ laude logicen, & philoſophiã profiteretur frequenti auditorum cœtu, multa in earum diſciplinarum genere, partim publice dictauit, partim domi collegit: quæ poſtmodum ita in aduerſum fatum incidere, ut alia quidem in imperitorum manus deuenerint, qui dum eius uiri ſcripta non intelligerent, infinitis erroribus inſperſa uulgarunt: alia uerò improbis atque arrogantibus occurrerint, qui, uel diſsimulato auctore, uel peruerſo ordine, ſtylo, ac ſcribendi dignitate, multis ex rudi eorum officina interpoſitis, quæ auctoris ſententiam & obſcurarent, & planè immutarent: ſe ipſos tandem earum rerum uel auctores, uel planè dilucidatores profeſsi ſunt, quas ipſi non intellexere, & doctiſsimus Balduinus laboribus multis inuenerat, & alijs multa pietate communicauerat. Huius nos auctoris ſcripta cum à doctiſsimis quibuſque ſumme optari & probari intelligeremus, multo noſtro ſtudio, & diligentia, quæſitis hinc inde, collatiſque exemplaribus, eò tandem, quæ ad logicen attinent, perduximus, infinitiſque ac fœdiſsimis erroribus expurgauimus, reſtitutis auctori ſuo ſuis, ut à ſtudioſis legi iam poſsint, & liberè per eruditorum manus uagari. Cum enim antea infinita inter legendum occurrerent, quæ nullo ſenſu ambagem ſolum turpiſsimam uerborum referrent (id quod eorum opera & temeritate acciderat, ad quos hæc primum peruenerant) illud ante omnia ſtrenuè enixi ſumus, ut clariora omnia redderentur, & ueram auctoris ſententiam exprimerent: id quod fieri non potuit, niſi conſultis auctoribus, à quibus ea deſumpta erant, & proprijs huius uiri placitis ad ſingula comparatis. Cum multa præterea eſſent, quæ aut mutila imperfectaque; aut nullo ſeruato ordine circumferrentur: & plura etiamnum in tenebris ſitu obducta iacerent ad abſoluenda alia maximè opportuna: inſignem & hic operam præſtitimus, ut illa quidem integra legerentur, & locum ſuum obtinerent, hæc uero ſtudioſorum commodo uulgarentur. in quibus ſanè omnibus præſtandis, dici non poſſet, quantum ſit laboratum, dum ex manuſcriptis paginis quibuſ-

 dam,

dam, corruptis quidem, & obſcuriſsimis, puram claramq́ue lectionem tradere: & quæ uulgata nunquam antea fuerant, in lucem edere contendimus: dum omnia tandem non niſi emendatiſsima & abſolutiſsima prodire uoluimus. Hæc igitur qualiacunque ſunt, noſtra induſtria comparata, ſuſcipient modo ſtudioſi æquo animo: dum interea nos, tum in alijs huius auctoris perquirendis ſcriptis; tum in parandis ijs, quæ de naturali ac diuina ſcientia propè diem ſumus edituri, totam noſtram operam collocabimus.

INDEX REFERTISSIMVS OMNIVM, QVAE in hoc uolumine continentur, cuius numerus paginam ex literis a primam paginæ faciem, b uerò ſecundam denunciant.

A

B

C

Ens

F

G

I

L

Q

R


S

T

V

Verbum

FINIS.



HIERONYMI BALDVINI LOGICI,

& philoſophi acutisſimi ſuper prædicabilia Porphyrij.

Expoſitio.

QVAM GOMETIVS PAGANVS Neapol. Franciſc. vulgauit.





T VOBIS gratum faciam, uolui ſuſcipere prouinciam hanc, ſ. libellum Porphyrij ex ponere. quo expoſito ad librum prædicamentorum, & Perther. (Dñs propitijs) accedemus. Et quoniam omnis doctrina fit ex præcognitis in diſcipulo primo poſter. primo ideo priuſquam ad Porphyrij tex. expoſitionem accedamus, ut mens ueſtra facilius dirigatur ad id, quod tractandum eſt in hoc libro, ordinem artis ſequentes, aliqua ex octo capitulis declarabimus, ſ. quod ſit ſubiectum ſeu intentio: quæ Via & Ordo doctrinæ; Nomen auctoris; Libri Proportio; Diuiſio, & Vtilitas ſeu neceſſitas. quæ Græci exponentes (quos, Auer. ſequitur) ante cuiuslibet libri expoſitionem proponebant primo phyſic. in procemio. Et primum de ſubiecto & intentione dicemus. Sed quæres, cur ſubiectum inter ea ſit quæ præcognoſcere oportet: Vt intelligatur quod quæritur. Notandum eſt quod ſubiectũ tripliciter ſumi poteſt. uno modo ut definitur primo prio. rum: primo pro eo de quo alterum dicitur ſeu prædicatur: ſecundo pro eo de quo in ſcientia & arte conſiderantur prædicata, paſſiones, accidentia propria, partes eius & principia ſubiecti. & de hoc agitur primo poſt. cap. 25 tertio pro omni eo quod in arte aliqua conceditur tanquam uerum, neque probari in ea poteſt. Subiectum primo modo ſumptum adhuc dupliciter ſumitur, uel prioriſticè pro eo quod ſupponitur prædicatis & paſſionibus quæ de eo dicuntur uel per ſe, uel per accidens. id eſt pro ſubiecto propoſitionis cuiuſcunque. aut poſterioriſticè, pro eo quod ſubiicitur prædicatis per ſe, & non per accidens; & hoc modo ſubiectum riſibilis eſt homo. Subiectum uero ſecundo modo, eſt id de quo conſideratur in ſcientia & arte, & hoc duabus de cauſis ſubiici & ſupponi ſolet in ſcientia cuius eſt, uel quia notum eſt ſenſui: & hoc modo res naturales in ſcientia naturali ſubiectum ſunt primo phyſic. 8. quia notæ ſunt ſenſui. uel quia declaratum eſt in alia arte, & hoc modo principia ſubſtantiæ & entia abſtracta. 12. metaph. ſumuntur ab Ariſtotel. pro ſubiecto, quia declarata ſunt in alia arte, uidelicet in 8. phyſic. ſubiectum uero tertio modo dicitur eſſe omne illud, quod in arte conceſſum eſt & notum, neque in ea demonſtrari oportet. demonſtratio enim ſecundo poſte. 33. dirigitur ad ignota, hæc autem nota ſunt; aut pro cognitis in arte ſumuntur. Subiectum hoc tertio modo ſumptum extenditur ad ſubiectum conſiderationis, quia & illud pro cognito & noto habetur, neque demonſtrari poteſt in arte cuius eſt, ſed extenditur etiam ad alia quæ non ſunt genus artis: ſunt tamen conceſſa in arte, & pro ueris habita: quia aut ſunt nota ſenſu, aut demonſtrata in alia arte. Talia ſunt, quæ Ariſt. primo phyſic. 21. pro ſubiectis in naturali ſcientia ſumit; quod entia plura ſint, & quod ſit motus: quia inductione, id eſt ſenſu manifeſta ſunt. His ergo reſpondetur ad id quod quæritur cur ſubiectũ inter ea ſit quæ præcognoſcere oportet. Dicimus enim, quia aut notum eſt ſenſu, aut demonſtratum in alia arte. ſed quare inter ea quæ præcognoſcere oportet ſubiectum primo loco debet pręcognoſci? Notandũ quod ſubiectum & intentio re ipſa ſunt una & eadem res, ſed diuerſa ratione, quia intentio eſt in mente artificis, & ſubiectum in arte. Quare cum ſubiectum & intentio idem ſit, & ideo ſubiectum ſit illud, quod primo in arte intenditur de illo prius tractandum eſt. Nunc ergo, quodnam eſt ſubiectum libri prædicabilium? Quidam moderni dicunt, uniuerſale eſſe ſubiectum: & dicunt uniuerſale eſſe ſubiectum, poſſe ſumi duobus modis: uno modo pro re, & pro uniuerſali natura in indiuiduis contenta, quo modo animal eſt res uniuerſalis & natura reperta in homine, & in leone, eſt extra animam in pluribus: alio modo, pro intentione intellectus, qui rebus applicatur, & ipſas denominat. Tunc uo-

lunt secundo modo, non primo modo uniuersale esse subiectum libri prædicabilium. Et probant. Illud est subiectum, cui competunt conditiones subiecti, primo poster. secundo: sed uniuersale habet conditiones subiecti, ergo uniuersale est subiectum. probant minorem, nam de subiecto primo poster. locis dictis supponitur si est in rerum natura, quæ præcognitio quia est dicitur & quid est idest quid significat nomen. nam cum quinque species uniuersales hic diffiniantur, & species non possunt diffiniri, nisi præsupposito quod genus ipsum sit, & quid significat nomen, sumitur, ut notum uniuersale ipsum esse, & quid significet. quodlibet enim uniuersale concipitur ex intellectu, & quid significet, accipitur ut nunc diximus. Ideo dicitur subiectum in hoc libro, quia supponitur, ut notum esse est, & quid significet. nam Arist. in pluribus locis dicit, quod prædicatur de pluribus primo cæli. t 5. et 69. quinto metaph. & primo top. Sed probant iterum eandem minorem. Illud est subiectum, quod habet conditiones & diffinitiones subiecti: uniuersale in lib. Porph. habet conditiones subiecti, ergo est subiectum. probatur primo poster. cap. 25. subiectum est, de quo demonstrantur passiones, uel principia, sed de uniuersali monstrantur passiones, quod patet quia de istis quinque uniuersalibus demonstratur prædicari de pluribus, hoc est enim passio communis uniuersalis uniuoce competens omnibus, & per rationem uniuersalis communem. Quod exemplo ostenditur. nam demonstratur de genere quod differt ab indiuiduo per rationem uniuersalis s. quod prædicatur de pluribus, & indiuiduum non nisi de uno solo; & sicut de genere, ita de aliis. Est ergo uerum de uniuersali demonstrari passiones. Probant alio modo minorem dictam, subiectum primo post. cap. 25. est, quod habet partes sicuti genus ad speciem, & est uniuocum uel analogum: sed uniuersale est genus ad quinque species uniuersales, in quas diuidit Por. uniuersale, & est uniuocum, uel analogum: ergo est subiectum ipsum uniuersale, ut est intentio, quæ rebus applicata ipsas denominat. Opinio istorum nec est uera, nec ad intentionem logicam. Quod probatur. Sed pro intellectu eorum, quæ dicenda sunt notanda sunt duo, primo quod subiectum in arte habet duas partes; una quæ dicitur subiectum materiale seu pars materialis subiecta: altera est uti forma, quæ modernis subiectum formale dicitur. prima apud Auer. dicitur res considerata: secunda modus considerandi primo poster. 179. Et sicuti res quælibet differt ab aliis per formam suam non per materiam, sic per modum considerandi differunt artes, & scientiæ, ut Auer. ibi dicit. Et præterea quod subiectum quoddam est totale, secundo poster. 33. & hoc est, & quod adæquat totam artem & adæquatur a tota arte. i. nihil est in arte, quod non referatur ad ipsum, & nihil est ipsius, quod non consideretur ab ipsa arte et a parte artis, aliud partiale quod uni artis parti respondet. Secundo uero notandum est, quod ea quæ sunt alia sunt extra animam, alia in anima. Extra animam sunt singularia: in anima sunt ea quæ intelligimus. Cum autem ea uere sint, quæ sunt extra animam, & singularia: ex his singularibus intellectus noster entia quædam facit, quæ intellecta dicuntur. Sunt autem hæc intellecta, alia primo intellecta, alia secundo intellecta. Primo intellecta sunt ea quæ ab anima nostra de rebus quæ sunt extra animam, & uere sunt, primo apprehenduntur: secundo uero intellecta quæ secundo loco de primis intellectis ab eadem anima concipiuntur. exempli gratia, inspecto Socrate & Plane & multis aliis hominibus, qui in una simili natura omnes conueniunt, et omnes eandem formam habent per quam ab aliis animalibus & aliis rebus discernuntur: intellectus ex hac forma quæ in pluribus hominibus est extra animam, concipit in seipso formam quandam communem & uniuersalem ab illis particularibus hominibus separatam, per quam offeruntur illi ea singularia quæ sunt extra animam. hæc dicuntur primo intellecta: quia primo loco intelliguntur & concipiuntur ab anima. Quod si anima rursum circa hæc primo intellecta agat, & cognoscens naturam & formam hanc hominis communem esse pluribus, ascribat illis hanc aliam conditionem, quod prædicantur de pluribus. s. quod natura hæc communis dicitur de pluribus hominibus & est species aut aliud tale, tunc dicuntur hæc esse secundo intellecta, non autem primo intellecta. Possunt autem hæc secundo intellecta quæ diximus tripliciter considerari. uno modo ut sunt entia quædam & fabra animæ ut dicit Themist. secundo de anima octauo, & sic considerantur a metaphysico, qui de ente considerat. secundo modo ut sunt quædam intellecta id est sub hac ratione formali quod ab intellectu sunt & illius effectus sunt: sic ad animasticum pertinent qui cum tractet de anima debet etiam tractare de animæ effectu, tertio ut sunt fabra animæ quibus ipsa cognoscit uerum et falsum: & hoc pacto quia sunt instrumenta sciendi, considerantur a logico. In primo enim topic. ubi quæritur ratio qua logicus diffiniat nomen, uerbum, orationem, & cætera id genus, dicit Auer. ea ratione diffinit qua sunt uoces significatiuæ conceptuum & rerum extra animam. Cum ergo secundo intellecta sint ea de quibus in logica tractatur: tractantur autem hæc ut sunt instrumenta notificandi uerum & falsum, & illud quod ignotum est. Tunc ut respondeamus ad rationes in oppositum ductas. Supposito uno, quod idem est modus considerandi in tota arte, & in eius parte. cum modus considerandi sit ratio & diffinitio substantialis sexto metaph. secundo: diffinitio autem sit prædicatum per se, & quod est per se, sit etiam de omni. & propterea insit omnibus partibus subiecti. Dicimus librum prædicabilium esse partem logicæ & ideo oportere ut ratio formalis subiecti totalis ipsius logicæ, huic quoque parti logicæ conueniat. Sed ratio considerandi in tota logica est, quatenus sunt instrumenta notificandi uerum & falsum. ergo falsum est quod libri prædicabilium subiectum sit uniuersale sub ratione qua applicabile est rebus: ut illi dicunt. Secundo errant, cum dicunt de hoc uniuersali accipi ab Aristo. quid significet & quid sit, cum supponat, & quod uniuersale prædicatur de pluribus, & quid nominis ipsius uniuersalis. Nam cum de subiecto præcognoscere oporteat non solum subiectũ ipsum, sed etiam rationem formalem & modum considerandi subiecti. (est enim hoc summe in arte necessarium) uniuersale ut est applicabile rebus non est subiectum habens rationem formalem qua logicus considerat uniuersale, cum logicus omnia consideret ut instrumenta cognoscendi & discernendi uerum falso primo topico. octauo in octauo in procemio, metaph. & primo perher. & Them. primo de anima. Ergo uniuersale ut applicabile rebus non est subiectum libri prædicabilium. Tertio falsum est quod dicunt uniuersale ut est intentio applicabilis rebus esse subiectũ in hoc libro. Nam uniuersale ut est intentio, est uniuersale ut effectus intellectus, & hoc pertinet ad eum artificem ad quem pertinet agere de anima, neque potest pertinere ad logicum. Aliud præterea falsum dicit, quod probantur passiones de speciebus uniuersalis, quia. s. prædicari de pluribus, per diffinitionem uniuersalis, probatur de genere, specie, & aliis prædicabilibus. Cum enim medium in demonstratione esse debeat conuertibile cum eo quod demonstratur. (est enim medium in demonstratione, uel diffinitio, sicut in demonstratione propter quid & simpliciter, uel propria passio, ut in demonstratione quia.) Quando monstratur passio de speciebus, monstratur per diffinitionem generis, scilicet uniuersalis. Sed sicut genus non conuertitur cum specie, (neque enim homo & animal conuertuntur, cum homo quidem animal sit, sed animal non sit homo) ita diffinitio generis non conuertitur cum speciebus, ergo si prædicari de pluribus monstratur

de quinque

de quinque prædicabilibus per diffinitionē uniuersalis: nō est demonstratio per conuertibilia. ergo falsum dicunt. Propterea dicamus nos aliam esse intentionem Porphyrij. pro quo est notandum, quod in qualibet arte (ut dicit Aristot. primo posterio. cap. 25.) quatuor sunt, quæ necessario considerantur, nec plura, nec pauciora; subiectum ipsum totale, partes, quæ sunt species supposita ipsi, {uerbi gratia subiectum in libro de animalibus habet species sub se, ut hominem, leonem, &c.} Principia eius, {uerbi gratia carnes & ossa, membra sua, ut materiam, & formam eius. s. animam sensitiuam.} Et passiones eius scilicet esse sensitiuum, esse generabile, esse mobile de loco ad locum. Quæ omnia quattuor habent unum modum cōsiderandi, scilicet materialem secundo physico. & primo de partibus animalium cap. primo, & cap. 5. Sic etiam logica cum sit ars, habet unum modum considerandi. scilicet ut est organum seruiens artibus, & scientiis ad notificandum. Habet subiectum totale. s. secūdo intellecta. Habet partes eius, & species sub se. s. demonstrationem, enthimema, & syllogismum. Habet passiones, scilicet aptitudines ad notificandum ignotum, aptitudines enim passiones sunt, ut dicemus (Deo duce) cap. de proprio. & habet principia prima, & immediata. principia prima & ultima pro nunc enunciatio, & omnium entium logicorum est enunciatio, & uerbum. Dices, liber prædicamentorum nonne est pars necessaria? Vt alibi dicemus, non est pars necessaria logices, quod supponatur pro nunc. Dices liber Por. nonne est pars? Dicas quod non est pars necessaria logices. nam Aristot. in libro topic. & 5. metaphysic. de eis tractauit. ideo non est pars necessaria omnia tamen illa quattuor habent unum modum considerandi nam omnia ista entia logica diffiniuntur, ut organa, ut seruiunt, & ut instrumentum sunt, cum autem liber Porph. sit pars logices, habet unum modum considerandi cum tota logica. s. ut organa sunt. Dices, quomodo diffiniuntur hæc organa? Pro nunc dicemus, genus esse naturam in pluribus extra animam communem, quæ prædicatur de pluribus differentibus specie in eo, quod quid. & sic de cæteris. Sunt ergo ista genera, & species fabra animi, (ut dicit Themistius) quibus intellectus manuductus cognoscit naturam extra animam, ut instrumētis. Debes etiam notare insuper, quod artes sunt distinctæ. quælibet enim ars differt essentialiter. Dices in quo differunt? Respondet Auer. in primo poster. 179. non per rem quæsitam differunt, idest rem materialem, quia (ut diximus supra) una & eadem res potest considerari a pluribus artibus. Verbi gratia substantia a philosopho naturali, & a metaphysico consideratur; de cœlo, & astris considerat philosophus naturalis, & astronomus; secundo intellecta considerantur a tribus artificibus, a metaphysico, ab animastico, & a logico. sed differunt in modo considerandi, quia eandem rem omnes sub diuersa ratione considerant, unde & diuersis modis eandem rem diffiniunt, quo modo etiam uniuersale a metaphysico animastico, & logico diffinitur. Dicet enim metaphysicus uniuersalia esse entia, animasticus quòd sunt effectus intellectus logicus autem primo topico. cap. 5. quòd sunt organa ad notificandum ignota, nam genus est, quo intellectus noster cognoscit naturam extra animam esse in particularibus specie diuersis, & sic de aliis, ut suo loco dicetur. unde & Porphyrius in suo prologo, dicit se uelle tractare de istis, ut antiqui, & maxime Peripatetici tractant: sed nullus antiquorum tractat nisi, ut sunt instrumenta. ut Aristot. primo topic. 8. primo metaph. in procemio, & primo de interpre. cap. primo. ergo sic Porphyr. considerat hæc uniuersalia, ut instrumenta. Ex quibus patet error eorum, qui dicebant uniuersale tractari, ut est intentio, cum ut est intentio, consideretur ab animastico, ad quem pertinet consideratio de eius causa, quæ est anima. Sed ambiges, nam hic etiam de singularibus consideratur, definit. n. Porph. c. de specie singulare, & tamen non est instrumentum. Dicas indiuiduum posse esse dupliciter; indiuiduum signatum, & sic de eo non loquimur: uel indiuiduum uagum: & indiuiduum uagum potest prædicari de pluribus, (ut dicit Auerro. in quæsito, quod facit de hoc proprio.) uerbi gratia aliquis homo est indiuiduum, possumus etiam dicere Sortes est indiuiduum hominis, & prima substantia, quæ nec genus, nec differentia, nec proprium, nec accidens, & ut sic, dicitur instrumentum sciendi, non autem est particulare: nam in libro prædicam. diffinitur prima substantia, quæ nec dicitur de alio, nec est in alio. Et quamuis in artibus prædicationes non sint singulares (artes enim in uniuersali considerant de rebus non in particulari) cum tamen dicitur, quòd prima substantia est, quæ nec dicitur de alio, neque est in alio, & cum dicimus, quòd Socrates est substantia prima, hæc dicitur esse prædicatio naturalis, ut dicit Porphyrius. Ex quo de mente Auer. possumus tenere hanc conclusionem. Prædicata uniuersalia esse sex, non quinque. nam indiuiduum uagum nullum istorum est, quæ hic diffiniuntur, nec illorum, quæ assignat Aristot. in primo topico. est tamen uniuersale. Dices, ergo Aristot. diminutus, qui complexus omnia? Dicas, quod non, quia Aristo. totam logicam ordinat ad artes, & scientias: modo prædicatio indiuidui uagi non est artificialis, licet sit naturalis. artes enim considerant ea, quæ sunt per se. 6. metaphy. t. 6. sed prædicatio talis est per accidens, nō per se, non ergo artificialis. Dices indiuiduum prædicatur de uno solo; ergo non est commune, ergo conclusio tua falsa. Dicimus pro nunc (quia in cap. de specie dicetur, ubi est locus proprius,) quòd cum uniuersale sit illud, quod prædicatur de pluribus, & est in pluribus, & extra animam: priuatio uniuersalitatis, quæ est esse, & dici de uno, est apud intellectum commune, est enim extra animam, quòd singulare sit priuatum uniuersalitate: & est commune omnibus singularibus esse priuatum communitate: dicimus enim, quòd Sortes est priuatus uniuersalitate, idest non est uniuersalis: & sic de quolibet potest dici ut hoc, ideo est commune uniuersale. ergo duobus modis dicitur. uno modo potissimum, & per se, & sunt quinque uniuersalia. alio modo ut est priuatum, negans naturam uniuersalis ab indiuiduo, quia hæc priuatio est uniuersalis, & in pluribus communis. Vnde indiuiduum uagum dicit Auer. quòd est uniuersale, secundum prius, & posterius. prius de uniuersali positiuo, posterius autem de uniuersali priuatiuo. Et sic conclusio nostra est uera, quod sex sunt uniuersalia apud Auerroem artificialia, & naturalia, & non quinque. Verum hoc intellexerit Porphyrius, an non, ibi dicetur Deo duce. Dices, quod ergo est subiectum in hoc libro? Dicas esse quinque illa uniuersalia, sed hoc non erit secundum Porphyrium, ut dicemus. Dicet aliquis, subiectum debet esse unum primo poster. cap. 29. Respondetur, quod in arte totali (ut dictum est supra) subiectum est unum, etiam in partibus suis; sed partes, & species eius, & principia non dicuntur uere subiectum simpliciter, & absolute in arte; quia subiectum totale est uere & absolute subiectum, suppositum, & concessum; sed dicuntur subiectum, quia principia sunt subiecti uel partes, uel passiones. Dices si sunt plura ista quinque, uel sex, quomodo uniuntur, & faciūt libellum unum, qui liber unus dicitur ab uno subiecto? Dicas unitatem non sumi ab unitate rei tractatæ, & declaratæ in libro, sed ab uno modo considerandi, a quo tota ars non solum totus liber sumit unitatem. Exemplum, liber physic. est unus totalis diuisi. in octo libros, et tamen est unus: et ibi subiectum secundum Auer. sunt principia, et accidentia rerum naturalium, quæ sunt plura: et tamen unus liber totalis est, non a re considerata actualiter ibi, quia plura sunt sed ab uno modo considerandi, qui est diffiniendi, secun-

do physic.34. & 50. Ideo iste liber est unus ab uno modo considerandi, quia sunt instrumenta & organa ad notificandum naturam rerum. Ergo subiectum in libro Porphyrii sunt quinque uniuersalia, ut sunt organa notificandi naturam rerum generis speciei extra animam, ut in locis suis dicetur Deo duce. Dices, subiectum in arte & in libro habent principia, passiones & partes; ergo & hoc subiectum habebit hæc omnia. Dicas, de subiecto totali esse uerum, quod habet principia, partes, & passiones, sed non de subiecto particulari. quod dicitur subiectū in parte artis: quo est passio, uel principium subiecti, uel pars. nam si subiectū partiale, haberet omnia illa, esset processus in infinitum, si principia haberent principia, tunc esset processus in infinitum: si passio. ut passio haberet passionem, esset etiam processus in infinitum. Dices, quæ sunt passiones horum uniuersalium? Dicas esse passiones ad notificandas naturas rerum, ad quas intellectus dirigit eas, & componit. Dices, si hæc uniuersalia non sunt subiectum totale adæquatum artis, non partes subiecti, nō passiones subiecti; quid nam erunt? Dicas, quoniam ista uniuersalia possunt sumi ut prædicata uniuersalia & sunt ut Arist. docet principia syllogismi topici, possunt etiam sumi, ut prædicata per se, & erunt principia syllogismi demonstratiui. s. genus, differentia, proprium; species possunt etiam sumi ut subiectum de quo aliqua prædicātur, uel in quid, uel in quale, & sunt principia diffinitionis. Vnde & Porphyrius in proœmio; nam ad librum de demonstratione, & diffinitione ordinauit tractatum suum, Subiectum ergo in hoc libro sunt quinque uniuersalia, ut sunt instrumenta notificandi, & sunt principia partes subiecti libri poster. uel topic. diuerso tamen modo ut dictum est, Et hæc de subiecto.

DE VTILITATE.

DIxit Egidius unā esse utilitatem, quæ sumitur ex cognitione eorum, quæ hic tractantur. Et quia cognitio hæc habetur ex cognitione libri, ideo dicitur Intrinseca. Alia utilitas est, quia ordinauit ad cognitionem librorum Arist. prædicamentorum, & demonstrationis, & definitionis, & hæc appellatur extrinseca. Tertia utilitas est communis totius logices: nam tota logica ordinatur ad scientias, & artes omnes. per logicam nanque facile noscimus, & intelligimus artes, & scientias; & sic hæc cognitio, quæ habetur ex libro Porphyrii, logicæ pars est, quod ut confessum habetur. Sed quod habeatur utilitas ex cognitione prædicabilium, hoc est falsum, nam ut dictum est supra, tota logica, & cognitio eius est organica: & cum sit organica, ordinatur necessario ad aliud. Et cum sit unus modus ordinandi totius & partes, ut dictum est, ergo hæc pars ordinatur ad aliud per se; Item est contra intentionem Porphyrii, qui in prologo ordinauit cognitionem horum prædicabilium ad libros Arist. ut Peripatetici faciunt; sed Peripatetici ordinant ad scientiam, ergo & ipse ordinat ad scientias. Ideo dicamus nos cum Auer. qui dicit esse utilem hāc cognitionem ad librum Aristotelis. Intentio ut diximus, est una res cum subiecto differens ratione. nam intentio est dicere nos hæc uniuersalia, quæ sunt instrumenta animi utilia, quæ dicet auctor de diffinitione, & demōstratione: & utilia ad eam intentionem, ad quam Peripatetici dicunt, scilicet ad sciētias, præcipue speculatiuas, quæ sunt finis, & nostra beatitudo.

DE ORDINE.

QVia hic liber est pars logices. Dices, quis inter libros Aristo. est primus in ordine? dico (& hæc est opinio mea contra omnes) librum Perihermenias esse primum in ordine. ut in libro prædicamentorum dicetur Deo approbante. Ergo iste non est legendus. Respondetur, non esse legendum de necessitate. sed quoniam omnis doctrina fit ex præcognitis primo poster. præcognita autem sunt subiectum in materia, & quid significat nomen. quæ præcognitiones faciles faciunt cognitionem librorum Arist. & artis, & adiuuant tyrones ad artes: ideo est utilis, ut dicit auctor in prologo, quia explicat quid hæc significent. Ergo hic liber est legendus.

DE DIVISIONE.

DIuisio libri ab Ammonio, fit in tres partes. prima est, in qua de ipsis uocibus considerat. Secunda in qua ipsas complicat. Tertia, in qua similitudinem, & differentiam tractat, sed hoc nō uidetur esse uerum, nec iuxta sententiam Aristo. 3. reth. cap. de proœmio. omnis enim narratio in proœmium, & tractatum diuiditur, prima sui diuisione, nec est ea dicenda tertia pars, in qua ipsa quinque prædicabilia compleat. Ideo dicamus librum hunc prima sui diuisione in proœmium, & tractatū diuidi. proœmium durat usque ad locum illum { uidetur autem neque genus, neque species simpliciter dici. } Tractatus autem primo diuiditur in duas partes. In prima parte tractat de istis quinque uniuersalibus. In secunda tractat de communitatibus, & differentiis eorum. Prima pars habet plures diuisiones, quæ suo loco dicentur. Sed dubium est, quare communitates & differentias istorum prædicabilium, non tractat in capitulis propriis. cum enim hæc sint passiones, seu propria prædicata uniuersalium ubi tractatur de re, ibi etiam de prædicatis, & de communitatibus, & de propriis debet tractari. Dicas artificialiter fecisse Porph. nam quando tractat de istis singulis, non omittit ista etiam quod non comparentur ad inuicem, nec differentiam inter ea ponit. Quoniam cognita singulorum natura facilè ad inuicem potest quis percipere similitudinem, & differentiam illorum. Qui enim uniuersaliter indicat differentiam, & conuenientiam aliquorum, oportet eum prænoscere illa, teste Arist. primo ethic. 4. Hæc de diuisione.

DE VIA DOCTRINAE.

SI quæras ab Ammonio, quæ est uia doctrinæ? respondet, esse facilem, & quæ pertinet ad introducendos adolescentes, quam dicit promitti apud eum, qui in prologo dicit se uelle abstinere a quæstionibus altis. Licet Ammo. dicat uerum, id tamen confuse profert. non distinguendo in speciali, quæ nam est illa uia: cum uiæ doctrinæ habeant nomina specialia, & terminata: nec etiam est ad propositum. nam non dicit uelle procedere Porphy. per illam uiam ueram facilem; sed res, de quibus uniuersaliter uult agere, faciles quo ad eius fieri potest, reddere uelle. Dicamus ergo uiam suam docendi in hoc libro esse, quæ introductorio seruari debet. hæc enim, (ut diximus) solum ostenditur uniuersaliter, & manifestatur quid nominis istorum quinque. modo licet quid nominis, & rationes sunt ferè notæ omnibus sine alia doctrina, sunt tamen definitiones nominis, principium omnis cognitionis, ut dicit Them. 1. poste. quia nescientes illud, quod quærimus, confusi nunquam reliqua intelligemus, quæ de eo, & circa ipsum dicuntur. Sed quia rerum diffinitiones intelligi non possunt ab iis, qui in hac arte nullo modo uersati sunt, ideo Porphyr. suum librum ad amicum suum scribit, & diffinitiones istorum quinque prædicabilium exemplis, & facili ratione manifestat. Hæc est uia, & modus, quo uniuersaliter docet Porphyr. quem pollicetur in prologo, dum. d. illas tractare uelut introductionis modo. & si quandoque non

utitur

utitur exemplo, ut infra patebit, erit tamen ratio facilis exemplo similis. Hæc de uia doctrinæ.

DE PROPORTIONE.

Proportio huius libri ad alias partes logices, si inter partes logicæ connumerandus est, se habet qualis ferus ad dominum. nam hic, ut auctor dicit, est factus ad introductionem logices, cui seruit, ut introductorium.

TITVLVS.

Titulus, seu nomen libri ab aliquibus, ut Alexandro liber quinque prædicabiliũ Porph. uocatur, Amm. autem inscribit eum librum ysagogicon .i. introductorium, eo quod sit uia ad philosophiam. Boethius dicit non tantum ad philosophiam, sed ad librum quoque prædicamentorum, quod maxime uerum est.

DE NOMINE AVCTORIS.

Patet insuper nomen auctoris, qui dicitur Porphyrius genere græcus magnus Arist. commentator: Hunc aiunt fuisse a diua Catherina disputando uictum. deinde quæ utilitas, & quis ordo, quę diuisio, & proportio, & uia doctrinæ: Ex his ergo patet quod sit subiectum huius libri, & quis insuper auctoris nomẽ & titulus libri. Et hęc de prælibationibus.

PROOEMIVM PORPHIRII.



VM sit necessarium, Chrysaori, & ad eam, quæ est apud Aristotelem, prædicamentorum doctrinam nosse quid sit Genus, & quid Differentia, quid Species, quid Proprium; & quid Accidens, & ad definitionum assignationem, & omnino ad ea, quæ in diuisione, uel demonstratione sunt utilia;

Sicut dixi, iste liber diuiditur in procemium & tractatum: in procemio loquitur ad Chrysaorium, & ostendit intentionem libri, ac utilitatem. Intentionem, dum d. in libro isto uelle dare cognitionem illarum quinque uocum. Vtilitatem uero, cum .d. non solum ad doctrinã prædicamentorum sed diuisionis, diffinitionis, & demonstrationis illorum cognitionem esse utilem. Hæc est intentio, & utilitas intentionis.

De istarum rerum speculatione compendiosam tibi traditionem faciens, tentabo breuiter, uelut introductionis modo, ea, quæ ab antiquis dicta sunt aggredi;

Dixit intentionem & causam intentionis, nunc uerò particulatim explicat quæ de iis quinque uocibus dicturus sit, & .d. de illis uelle considerare tantum quæ antiqui dixerunt. Deinde assignat modum, & uiam considerandi, quia uult compendiose, & sub breuitate tradere diffinitiones harum quinque uocum, quid nominis declarantes, & eas manifestare facili modo, ut exemplo & similibus: Hic enim est modus introducendi in arte aliqua; quem in libro suo pollicetur Porphy. Patent ergo intentio, utilitas, causa intentionis, & modus considerandi. Sed hic primo quæritur, quid intelligat per necessarium Porphy. De hoc etsi longius diximus in quæstione, dicemus tamen & nunc quantum sufficit pro huius loci sententia. Credo ego necessitatem a Porph. pro uero necessario sumi. Cognitio enim de his quinq; uocibus tradita a Porphyrio est quid nominis, quæ fons ẽ & origo omnis cognitionis, sine qua frustra additum ferimus ad scholas. Ideo ob necessitatem Porph. illam discipulo pollicetur. Quo stante ad quæ cognitio ista sit necessaria, est uidendũ breui sermone, cum clarum sit, & in claris non debent expositores tempus consumere. Primo quidem in prædicamentis necessaria est cum ibi genera subalterna sub generalissimis collocentur, unde quid nomen generis significet, oportet præcognoscere: sub his species est, a latere autem differentiæ, ubi diffinitiones eorum oportet præscire, & quòd tales propriæ sint, & non accidentales. Ad diuisionẽ uero: sæpe diuidimus genus in species per differẽtiam, & ideo istorum trium nominum diffinitiones scire oportet, & aliquando subiectum per accidentia, non communia, quia non cadunt ad diuisionem artificialem, sed propria. Per illa enim, ut per notiora loco differentiarum, quæ ignotæ sunt, fit aliquando diuisio. Ad diffinitionem uerò: nam quod definitur est species, diffinitur autem per genus & differentias, & per essentialia non per accidentalia. unde noscere oportet quid sit accidens, si enim de uera diffinitione loquamur, proprium non ponitur in diffinitione, sed aliquando, ut d. Auer. secundo poster. secundo quando differentiæ sunt ignotæ, loco earum propria apponimus. Si autem loquamur de diffinitione communiter, ut est descriptio; ibi loco differentiæ ponitur proprium, uel si ignoramus accidens proprium, ex aliis accidentibus uenamur aliquid quod sit rei magis propinquum quam fieri possit. Et quando per compositionem uel diuisionem uenatur diffinitio, quid sit proprium cognoscere modo dicto oportet, & diffinitionem etiam sub tali prædicato generis uel differentiæ esse, non nisi ex accidentibus propriis eorum cognoscimus. Ad demonstrationem quoque necessaria est hæc cognitio, quia id, quod demonstratur, est proprium secundo poste. quarto. hoc non nisi per definitionem rei propriũ demonstratur, ut in Analyticis patet, demonstratur autem de specie. Et cum medium in demonstratione sit diffinitio, in definitione quid sit genus, & differentia scire oportet, & præterea, quòd accidentia communia non sint prædicata per se, & prima, & quòd prædicata per se sunt genera, differẽtiæ & propria. Sunt & alii modi, quos omnes narrare non est utile, sed confusio. Sed hæc licet pateat quomodo quatuor illa uniuersalia genus, species, differentia, & accidens ad prædicamenta sunt necessaria, de proprio tamen dubium est. Boethus in prima editione asserit quòd oportet in prædicamentis scire differentias specierũ esse proprias; & ideo quid sit proprium. Sed hoc non uidetur uerum, nam similiter oportet scire quid sit incorporeum, quid corpus & reliqua, quæ ibi ponuntur, ut differentiæ. Ideo aliter dicẽdum, quod in libro prædicamẽtorum, ut ipse in secunda editione. d. propria prædicamentorum assignantur, & ideo quid proprium sit scire oportet. Vel dicas, quattuor tantum ad prædicamenta per se requiri genus, speciem, differentiam, & accidens: quinque autem ad alia utilia esse necessaria. Scire uero oportet Porphyrium utilitatem libri sui intendere non ad partem aliquam logices, sed ad totam logicam: quam per pauciores & magis intentas in arte logices designauit. Vt enim in lib. poster. diximus, quod magis intenditur a logico est diffinitio & demõstratio, alia uero propter ista; merito igitur cum utilitas libri Porph. ad hoc intendatur, erit quoq; ad totam logicam intenta. Sed dubitare contingit, quia breuius ista tractare pollicetur, quæ tamen longiori modo considerat, quàm Aristo. in topic. unde hæc ferè omnia sumpsit. Sed dicas, quod alius est modus Aristotelis, alius Porphyrii. Aristoteles, ut pertinet ad topic. breuiter & artificiose descripsit. Porphyrius diffinitiones quid nominis horum, modo introductionis per exẽpla et similia instru.

menta notificat, quod non potest fieri nisi longiori modo. Ergo longiorem istum sermonem breuius quam potest, conscribit. Secundo dubitatur, an diffinitiones horum, quas pollicetur Porphy, sunt declarantes esse rei, an descriptiones, an solum quid nominis. Illis enim tribus m. dis sumitur hoc nomen diffinitio a peripateticis secundo poster. & primo top. Respondent moderni quidam esse ueras diffinitiones, quia ex differentia essentiali & genere cōstant, quales sunt uerae deffinitiones. Boethius uero asserit esse descriptiones; quia cum definitiones sint conuertibiles, meritò non propria includunt, primo top, quarto ex quibus descriptio fit. Isti ambo errant, quoniam si essent descriptiones, uel diffinitiones, esset iste liber, pars necessaria logices & ante legendus. Cuius oppositum in quaestionibus diximus: quia tunc essent pertinentes, uel ad topicū, uel ad demonstratorem, & non esset ex se primo loco iste liber collocandus. Quare scire oportet quod diffinitiones siue descriptiones aliquādo summuntur nō ut tales sunt, sed ut diffinitiones, nobis significātes quid nomē eorum quorum sunt. Vt de definitionibus rerū mathematicarum datarum ab Euclide in initio libri sui dicit Auer. in primo poster, secundo, quae sunt uerae diffinitiones, tamen non assumuntur ut tales, sed ut significantes quid nomen significat: postea uero cum intelliguntur, redduntur uerae definitiones. Modo ergo siue istae definitiones, siue descriptiones sint, datae sunt a Porph. ut designantes quid nomen eorum, quorū sunt, ut. d. Auer. in ultima expositione huius libri. Sed postea cum intelligūtur a magistris perfecti in arte logices, ut 10 libro top. tunc illae sunt uel descriptiones. quod patet ex intentione Porphy. & ratione. Ex Porphy. intentione, nam solum intendit notificare Porph. discipulo quid significant illa nomina in demonstratione in praedicamentis definitione, & diuisione ratione. Ex quia ut diximus istae sūt precognitiones ad praedicamenta reliqua quatuor, modo praenotiones sunt definitiones quid nominum, non rei, nec descriptiones: & si sint rei ut quid nominis sumuntur. Et haec sunt uisa a me, nec ab alio prius quod ego sciam.

Altioribus quidem quaestionibus astinens, simpliciores uerò mediocriter coniectans.

Vult Amm. Porphyrium in hac parte ostendere in libro suo non esse profundas ac difficiles quaestiones. quod ostendit, dum dicit se ab altioribus quaestionibus abstinere. Et ut facilitatem ostenderet dicit simpliciores quaestiones se uelle considerare. Et ex quo dixit mediocriter se considerare, ostendit hoc totum egisse, ut auditorem a libro non repellat, sed facilitate, & breuitate sermonis ad illum alliciat. Quae dicit Ammonius, sunt superflua. nam facilitatem & breuitatem sui sermonis supra ostendit Porphyrius, cum pollicitus est de illis se uelle breuiter considerare sub modo introductionis. ideo uidetur mihi, uelle se excusare ab indebito modo aliorum. Non enim altiores quaestiones, quas infra dicet, uult pertractare (abstinere namq; ab illis se asserit,) sed solum uult mediocriter simpliciores quęstiones cōiectare in libro suo. Per altiores quaestiones (quicquid alij dicant) intendit eas, quae, ut dixit Auer. transcendunt negotium logicum: & non sunt quaesita logica. sed altiora .i. pertinentia ad altiores artes .s. ad metaph. ut infra ipse, & nos dicemus. Vniuersalia enim ista quinque an sint in anima, an extra animam. an a singularibus separata uel non, sunt altiores quaestiones, quam logicae. Et ideo tanquam ab altioribus & non pertinentibus ad logicum abstinere uult. Per simpliciores uero quaestiones intendit ea, quae de istis quinque ad logicum spectant, quae simplices nuncupantur respectu aliarum. Nam si in hoc libro ubi logicus est, quaestiones metaphysicas perscrutaretur, sic esset artifex non simplex, sed compositus. Esset enim logicus induens habitum metaphysicalem: & tunc illę quęstiones essent compositae, & non simplices. Vnde sequitur illas, quae ad unum artificem pertinent, esse simplices quęstiones & quaeq; accidunt de ipsis, ut ad logicum pertinent. Ab altioribus uero hic, per quas metaph. intendit. dicit se uelle abstinere, & mediocriter reliqua, ut dictum est, considerare possunt, autem haec mediocriter considerari dupliciter. uno modo artificialiter definiendo, uel describendo, quam poterit rationem de eis assignando, & soluendo. Et sic consideratio de eis est pars necessaria logices, qualem habemus ab Arist. in top. Alio modum solum notificando quid nominis eorum, & ordinem exemplis & similibus instrumētis declarando, & non artificialiter. Vult ergo mediocriter quaestiones istas considerare Porphy. non modo primo, sed secundo, eo modo, quo praeceptor discipulum introducit ad aliquem librum. & ideo dixit mediocriter, idest non eo modo, quo logicus artificaliter, & exquisite de illis considerat.

Mox de generibus, & speciebus, illud quidem siue subsistant, siue in solis nudis intellectibus posita sint; siue subsistentia corporalia sint, an incorporalia; & utrū separata a sensibilibus, an in sensibilibus posita, & circa ea consistentia, dicere recusabo.

Cum dixit ab altioribus quaestionibus se uelle abstinere, & simplices uelle considerare, declarat eas, a quibus abstinere uult, dicens non, uelle dicere quaestiones altiores, & ad metaph. pertinentes. Quae sunt istę, an genera & species subsistant .i. habeant uerum esse, an habeāt solum esse in intellectu nudo, & puro. Scire oportet, esse subsistens tantum conuenire primae substantiae, quae uere solum subsistit. nam caeterae praeter primam substantiam, ut dicit Arist. in praedicam. uel sunt secundae substantiae quae actu solum in intellectu sunt, uel accidentia, quae nō uere sunt, sed sunt in subiecto. Quaesitum ergo est an habeant esse uerum scilicet subsistens, an non habeant esse uerum, sed sint solum in intellectu, & pura figmenta. Haec est prima quaestio, quam dimittere uult. Secunda quaestio de eis est, an sint substantia, corporalia, uel incorporalia .i. an cum hoc quod habeant esse extra animā, habeant illud sicut corpora, an sicut entia, quae incorporea nuncupantur, omne enim ens extra animam aut incorporeum est aut corporeum. Et haec est secunda quęstio, a qua uult abstinere. Tertia quaestio est, nam cōcesso quod incorporalia sint, tunc cōtingit dubitare an sint iuncta secundum esse rebus sensibilibus, an separata sicut uoluit Plato. Hę sunt tres quaestiones, quas Por uelle se ommittere dicit, & omnia alia circa haec cōsistentia .i. omnia alia quae circa haec consistunt, quasi dicat consimilia istis. omnea enim dimittere uult tanquam altioris negotij, & ad metaphysicum pertinentes, & non ad logicum.

Altissimum enim est huiusmodi negocium.

Reddit causam, quare ab his uult abstinere: & dicit quia considerare & quęrere de his per has quęstiones sūt altioris negotij, id est pertinent ad metaph. Metaph. enim in septimo libro has questiones perscrutatur. metaphysicum autē negotium est altius logico negotio. altiora enim principia & nobiliora habet, per quae potest ista considerare, quam habeat logicus.

Et alterius maioris egens inquisitionis.

Aliquis posset, dicere, nonne ad perfectiorem cognitionem

fiem deberet o Por. saltem ut Metaph. de istis uniuersalibus illas quaestiones considerare? Respondet posse fieri, tamen ad hoc opus esse maiori inquisitione, quam sua intentio patitur. Intendit enim de ipsis, ut diximus, quid nomen significat crasso modo, & solum introductorio explicare. quod si illas inquireret, esset maior inquisitio quã intenta, & non utilis. Magis enim confunderet ingenia scholaris sui, quam facili modo ad artem logices introduceret. Et ideo, ut Boethius, praecepior dimisit illa tanquam ad rem non pertinentia. Et sicut scientis signum est posse docere, ut Arist. d. primo primae Philoso. ita inscientes uidentur moderni nostri temporis, qui perscrutantur illas et aliquas similes quaestiones ultra modum & opus considerandi, miscentes artes simul cum ignorantia. Nam dicit Arist. primo ethic. cap. 10. nos debere considerare, tanquam eius cognitio utilis est ad finem artis. nam alio modo factum erit extra opera.

Illud uerò quemadmodum de his, hac de propositis magis probabiliter antiqui tractauerunt, & horum maximè Peripatetici, tibi nunc tentabo monstrare.

Cum dedit modum, sub quo non uult ista considerare, nunc assignat modum proprium considerandi ab eo: & dicit se uelle monstrare & explanare discipulo suo tamẽ ea, quae antiqui philosophi & maxime peripatetici de illis tractauerunt, probabiliter, ubi scire oportet in graeco esse λογικώτερον per quod aliqui intellexerũt rationabiliter sed male ut Boethius dicit. Nam, ut diximus, istum modum abnegat Porph. non enim per rationes de his disputat, sed solo exemplo notificat crasso modo. praeterea sic exponendo non habetur modus proprius, sub quo de istis considerat. Ideo aliter Boethius per λογικώτερον intendit probabiliter. nam cum scholaribus loquamur, debemus loqui maxime per ea, quae uidentur uel omnibus, uel pluribus, uel sapientibus, probabilia. ista enim facilia sunt, ut credantur ab inchoantibus. Et ideo dicit, quae dicunt philosophi & peripatetici. isti enim sunt sapientes. Sed licet haec uersio apparens sit hoc modo, non tamen conuenit sententiae huius philosophi. Postquam enim renuit modum considerandi metaphysicum, debuit dare logicum & proprium. Nam Topicus, & probabilis non est proprius logico, sed cuilibet artifici communis & hoc cõcludit contra Boethium, si bene intelligas, ego solitus erã dicere, pro λογικώτερον intelligere probabiliter. non tamen eo modo quo dicit Boethius, sed quia sumit omnia fere ab Arist. in logicis, ubi de his considerat Arist. Sed fere (licet non tantum) ista expositio incidit in errorem Boethi & in alium, nam diximus quinque uniuersalia alio modo hic, & alio modo illic considerari. credo ergo melius dici, iuxta intentionem auctoris, pro λογικώτερον intelligi logice. i. rationabiliter. logica enim rationalis ars dicitur, quia docet modũ ratiocinandi; unde rationaliter. i. non metaphysico modo, sed tantum logico de illis uult considerare. sic enim modum proprium metaphysicum renuit. Et haec de tanto prooemio, &c.

DE GENERE CAP. I.

VIDETVR *autem neque genus, neque species simpliciter dici.*

CVm diximus hunc librum diuidi in duas partes primas, in prooemium & tractatum; hic incipit tractare ea, quae in prooemio pollicebatur. i. de illis quinque considerare & explanare definitiones: & primum de genere, quia (ut dicunt Ammonius & Boethus) est prius natura. nam diuiditur in species, diuisum autem est prius natura. Sed hoc falsum, nam sunt relatiua (ut infra dicet Por.) quae sunt simul natura, ut etiam in praedicamentis patet. Probat secundo Amm. nam prius genus intẽditur a natura quam species, a natura enim prius intenditur animal, quam homo: quare genus est prius natura specie. Dat tertiam causam quia genus est causa speciei, & omnis causa est prior secundum substantiam eo cuius est causa. Sed hoc non ualet, nam principia rei & priora secundum substantiam non sunt principia doctrinae. 5. metaph. Aliter Boethius: quia genus omnia alia in se continet, & non continetur ab aliis, ideo est prius. Sed neque is placet quia genus in eo quod continet uel continetur, nihil facit ad ordinem doctrinae: Dicamus ergo nos hoc modo. quod ordo doctrinae pluribus modis consideratur. uno modo secundum perfectius quando a perfectiori incipimus doctrinam. ut secundo de anima cum Arist inter alios sensus prius de uisu loquutus est, ut de perfectiori. Alio modo ut secundum necessarium consideratur quo ordine a facilioribus est inchoandum & uniuersalioribus primo phy. quarto. genus ergo non est perfectius aliis, quia priora natura posteriora sunt perfectione. 7. metaph. Quare non secundum primum modum genus praecedit, sed secundo modo scilicet ordine doctrinae necessario, nam uniuersalius omnibus est, specie, proprio, & accidente. Et licet differentia aliqua generalis sit, & communis, ut genus, primo topic. non tamen nisi ratione generis talem communitatem habet. Et haec est causa quare primo tractat de genere quam de aliis. Cum ergo uelit de isto considerare, primum dixit, quod nec genus nec species simpliciter dicitur, idest uno modo. Quasi dicat, quod genus & species non significant simpliciter unũ sed multa habent significata. Causa autem quare Porph. non considerauit de proprio significato nominis generis, sed diuisit illud nomen in sua significata est, quia Aristot. monet. 7. phy. & primo caeli & primo topic. & maxime uolentes introducere ad reliquam artem, quod nomina multiplicia debent distingui, ne decipiamur in altero significato. Sed dubitat Boethus, quare solum de genere & specie dixit quod dicantur multipliciter, cum reliqua quoque multis modis dicantur? Ad quod dicimus, quod reliqua per ipsa intellexit. memorauit uero speciem tanquã relatiuum generis, quae sicut genus multipliciter dicitur: nam ut dicit, Arist. primo prior. c 5. quot modis dicitur unum contrariorum tot dicitur & reliquum. Dubitant quare dicit. uidetur, quasi non affirmet hoc esse uerum. Quicquid dicant alii dicimus hoc modo loquutum fuisse, uel ut modestia utatur: uel quia ipse proposuit se dicturũ ab aliis sumpta, ideo dicit uidetur. quasi dicat uidetur Ar. & sequacibus: uel quia sequitur Aristotelem in rebus, in quibus certitudo est famosa, non autem firma.

Genus enim dicitur & aliquorum quodammodo se habentium ad unum aliquid, & ad semuicem collectio.

Cum dixit Porph. genus multipliciter dici, modo uult explanare modus eius. Et quia (ut dixi) Porphyr. pollicetur omnia, quę dicturus est, sumere ab antiquis, & maxime a peripateticis; ideo sumit nunc quae dixit Aristote. quinto metaph. uno modo dici genus id est significare nobis unam collectionem multorum ad unum principium, a quo sunt omnia: quae omnia non solum quodammodo se habent inter se, sed omnia ad illud unum quodammodo se habent. Collectio ergo multorum, quae inter se & ad unum aliquod habent respectum, dicitur genus primo modo.

Secundum quam significationem Romanorum dicitur genus, ab unius scilicet habitudine (dico autem Romu-

li) & multitudinis habentium aliquo modo adinuicem eam, quæ ab illo est, cognationem, secundum diuisionem ab alijs generibus dictum.

Cum dixit de primo modo quo genus dicitur, dat exemplum. Nam, ut diximus, uia docendi proposita ab eo est uia introductionis, quæ facilis debet esse, & exemplaris. Dicit ergo quòd isto modo genus est sicut (exempli gratia) collectio Romanorum omnium: nam ista important habitudinē eorum inuicem ad unum, scilicet Romulum totum ergo hoc genus dicitur secundum primum significatum. Et cum dicit, [dico aūt] declarat more introductionis quæ sunt illa multa, quorum collectio est genus & quod est illud unum, ad quod ista multa habent habitudinem, & dicit [intendo genus esse collectionē]. i. multitudinem multorum, quæ habent aliquam cognationem .i. similitudinem ad inuicem. i. inter se, quæ cognatio. i. similitudo, est ab aliquo uno principio cognationis, quem uoco Romulum: non autem simul, idest tempore. Sed dubitatur, an hic primus modus, sit idem cum primo Arist. in quinto metaph. uidetur quod non nam dicit fieri hoc genus per generationem continuam eorundem in specie id est hominum, quod non concordat dictis Porphyr, sed de his modis Arist. postea dicemus. Sed dubium est, quid est istud unum, ad quod omnia illa collecta habent attributionem. Respondet Albertus, esse semen Romuli diffusum tota generatione. Sed hoc non est ad mentem Porphyrii, nam dicit (se declarans) istud unum, cui collectio attributa est, ut genus aliquod, esse Romulum, semē uero est instrumentum, quo ista multitudo propagauit ab illo. Sed uidendum quam similitudinem habeat ad genus hic primus modus. oportet enim reperiri similitudinem inter significata nominis unius. cum impositor non moueatur propter aliud ad impositionem nominis, nisi ex similitudine inter significata. dici potest, quod sicut multitudo specierum ad unam primam generis substantiam comparata genus est, nam, genus non est nisi sermo communis & in potentia; ita quoque collectio ad aliud unū principium comparata genus dicit [secundum diuisionem ab alijs generibus dictum] quasi dicat, sic sumendo genus uti diximus, pro collectione: dictum est secundum diuisionem, idest diuiditur ab alio simili genere, secundum quod est diuersa habitudo, & unum ad quod est habitudo.

Dicitur autem & aliter rursus genus, quod est uniuscuiusque generationis principium; uel ab eo qui genuit, uel ab eo loco, in quo quis genitus est. Sic enim Orestem quidem dicimus à Tantalo habere genus, Hylum autem ab Hercule: & rursus Pindarum quidem Thebanum esse genere, Platonem uerò Atheniensem.

Ponit secundum generis significationem & secundum hanc genus est id quod est principium generationis. Declarat autem quæ sunt ista quæ possunt esse principiū generationis, & dicit esse duo. principium enim generationis potest esse pater qui genuit, & locus, in quo genitus est aliquis, & exemplo declarat, primo de eo qui genuit quia sic a Tantalo dicimus sumpsisse genus suum Orestē, & Hylum ab Hercule. postea de loco seu patria. nam dicitur Pindarum esse Thebanum genere. i. sumpsisse generationem suam a Thebis loco, in quo fuit genitus. Dicimus etiam Platonem Atheniensem, quia sumpsit generationem ab Athenis loco, in quo fuit genitus. Ex quo patet, locum esse principium generationis. Principia ergo generationis, quæ hoc modo dicuntur, duo sunt, genitor seu pater, & locus, in quo quis genitus est.

Etenim patria principium est uniuscuiusque generationis, quēadmodum & pater. Hæc autem uidetur promptissima esse significatio. Romani enim sunt, qui ex genere descendunt Romuli: & Cecropidæ, qui à Cecrope, & horum proximi.

Dicit Boethius, cum dixit secundū modum esse unum: postea in duas partes diuisit: ne uideatur duo numerasse, dicit locum esse genus sicut patriam, quasi dicat, licet duo ab aliquo modo simili sint principia, unus tamen consurget modus. Sed dubium est, si simili modo erit hoc. Dicunt aliqui ut Boethus & Scotus tractans quæstionē istā quod locus est causa per accidens, pater est per se efficiens sed hoc est contra Boethum. nam si unum est per se, alterum per accidens, nō sunt similia, nec cadunt sub uno modo. Ideo Scotus subdit, esse similia, quia ambo sunt agentia: & ideo Porphyr. dixit eodem modo pater & patria: quia tamen unum, scilicet pater, est causa per se, reliquum per accidens: ideo dissimilia uidentur. Sed non intellexit hoc modo Porph. ut dicit Scotus. nam quomodo per se & per accidens eodem modo sunt principia? Præterea locus pro superficie esset principium per accidens, non sumitur autem hoc modo apud Porphy. sed ut est principium per se. præterea locus seruans & coadiuuans non est solum superficies, quia quantitas nihil agit, sed plena uirtute cæli est agens per se. quare se ipsum confundit. Ideo aliter dicendum. nam cælum est agens per se uniuersale istorum inferiorum. Sol enim & homo generant hominem 2. Phy. 26. modo cælum non agit nisi motu & lumine: ut in libro cæli patet. & ideo uirtute eorum recepta in aere primum, postea agit in inferiora quod est locus: ergo sumitur non solum pro superficie, sed pro regione plena uirtute cælorum. & tunc tale est agens uniuersale, sicut homo est agens particulare. Vel dicamus quia solemus sumere genus a loco, sicut a patre; solum enim intendit afferre significata, quę uulgata sunt apud homines. Sed quæritur quæ differentia sit inter primū & ultimum significatum. Videtur enim prima significatio esse idem cum secunda. Boethus differre pluribus asserit, nam primum genus est multitudo diuersorum ab uno: secundum uerò est recta descensio ab uno sine multitudine. Secundo differunt: nam in primo solum multorum ad primum quidam reflexus requiritur; in secundo tota uis est ab uno primo. Tertio quia in primo modo includitur secundus: nam in Romanorum genere primo modo, includitur Scipiadum genus secundo modo. Sed quæ dicit Boethus nulla sunt. Primo enim errat quia Porph. d. principium generationis esse genus, non multitudinem, iam enim collocauit in primo modo. Præterea uel multitudo sit maior, uel minor, semper est congregatio multorum inter se ad unum: Nec etiam ualent eius differentiæ, non prima, quia in utroq; ab uno descensio est siue in multa, siue in pauciora; nec secunda, nec tertia propter dicta. Dicunt alii sic differre; quia prima est multorum ad unum, secunda unius in multa. Quare cum multitudo non sit ab uno, nisi unum causet multa; merito secundum erit causa primi. Sed hoc nihil est. non enim talem differentiam apponit Porphyrius, sed dicit primum genus esse multorum inter se ad unum collectionem, secundum uero modum, principium multitudinis. Præterea sic sunt idem sicut uia ab Athenis ad Thebas, & a Thebis ad Athenas. Propter hæc credo aliud, sicut nomen rei aliquando non de re, sed de principio rei dicitur, ut substantia de principio substantiæ dicitur, unde. 12. metaphy. primo, Aristoteles dicit se de substantia considerationes facere, quia de principio substantiæ dicit. Sic merito non solum collectionem multorum ab uno, genus dici solet, sed multorum principium, quomodo intendit Porphy. & differunt, ut uidetur. Quare

solet,

solet] an mater sit principium sicut pater. Albertus dicit non ; quia ab illo genere logico similitudo sumi non potest, ea ratione, quia femella est principium non ut forma, pater autem est ut forma: genus uero est principiū ut forma. Sed errat, nam quinto metaph. c. de genere, a femella genus tale dici potest, ut a. Pyrrha genus hominum licet potius a patre. Praeterea nihil prohibet a femina aliqua genus dici tali modo, ut a principio, ut a Partenope partenopaea gens. modo Porphy. loquitur de modis, qui dici solent, & uulgarea sunt. nec ratio eius ualet: nam quinto metaph. decimo genus, ut materia dicitur, quod contrahitur per differentia, praeterea pater ut agens, non ut forma concurrit; quare nec ista similitudo ualet. Quaeri quoque solet cur a tempore sicut a loco genus sumi non solet cum ambo per accidens sint genera. Dicit Albertus hoc esse, quia tempus est mensura rei, ut est in fieri & motu: cū non est completa: locus autem rei complet in esse: modo res denominatur a re, in qua est completa, nō a qua est in completa. Sed hoc nihil est; nam locus, ut mensura, non est principiū rerum sed est quātitas, a qua nullum fit principiatum. ideo est dicēdum, locum sumi posse pro eo corpore, in quo uirtus caeli generans est; sicut quando in nō habentibus quantitatem. 12. meta. c 3. supplet uicem eius tempus uerò nullo modo tali sumi potest, ut principium dicatur. Sed dubium est, an ab aliquo primo in arte multitudo genus dici debeat. Auicena asserit dici uocātur nāq; artificia genus. nam, ut d. Albertus, nauta primo a Calpsitea, qui fuit nauis Calpsitę auctor, genus dicitur, sicut a Pythagora primo musico omnes Pythagorę nominātur ego quoque dico posse fieri, nullo interueniente absurdo: nā ars imitatur naturā in operando, quare in nominibus potest hoc uariari, impositio nanq; nominum pendet ex uoluntate. (Haec autem uidetur esse &c.) Dicunt aliqui, ut Boethius. quia, quando unum nomen plura significat solet unum eis inconuenientius alio significari cum posuit. duo significata generis, nunc ostendit quid est illud in genere, quod ab ipso conuenientius significatur. dixit autem illa esse duo, scilicet patrem & locum: ideo declarat qui nam istorum modorum promptior sit ad gentes, uidelicet an genus sumptum a loco, an a patre. & dicit quod magis promptum est sumptum a patre, quam a loco. Et probat exemplo: quia istorum principiorum promptius apud gentes dicitur genus multitudo prouemens a patre. dicimus enim propriea Cecrope, & genus Cecropidarum, & a Pelope, genus Pelopidarum. proximi eorum, uel propinqui: idest illi qui similes ipsis se habent. quae sunt multitudo ab uno primo descendens prō prius dicitur. hoc uerum est, nam apud gentes in nostro idiomate uulgari peritas aptius dicitur genus de multitudine a patre, quam a loco ut, patebit usum nostri idiomatis consideranti.

Et prius quidem appellatum est genus uniuscuiusque generationis principium, dehinc etiam & multitudo eorum qui sunt ab uno principio, ut à Romulo. quam diuidentes, & ab alijs separantes, dicebamus omnem illam collectionem esse Romanorum genus.

Vult Boethius, cum dixerit in principio secundū suam sententiam, primo genus significare multitudinē ad unū, secundo multitudinem ab uno: nunc declarat secundum consuetudinem artis loquendi, quid primo significetur a genere. & dicit primo significari principium generationis, deinde accedente tempore ad multitudinem illorum qui sunt ab uno principio, generis nomen fuisse translatum. ut sicut diuersa multitudo dicitur a diuersō principio prouenire, ita quoque diuerso nomine diuersum genus dicatur ab alio, Quae (ut mihi uidetur) non sunt in uerbis Porphy, & etiam in assignando primum significatum dicit (dicitur) quasi ab alijs, non secundum suam intentionem sicut etiam hic dicit (prius appellatum fuisse) quasi ab alijs: loquitur enim secundum aliorum intentionem, non suam, ut in proemio dixit. Ideo nobis uidetur quòd cum dixit duo solita significari a genere scilicet multitudinem inter se ab uno, & principium generis multitudinis, nunc comparationem faciat inter ea, & dicat q(prius) .i. dignius nuncupatū fuit principium. & origo generū; postea uero, idest posterius & secundum genus nuncupatur multitudo, quae puenit ab illo principio seu Pelope, qua si dicat, licet genus illud duobus modis dicatur, prius tamē est, ut dicatur de genere in secunda significatione sumpto, quàm de prima significatione: cuius assignat rationē, eo quia totum aggregatum Pelopidarum separantes & segregantes ab aggregatis, non dicemus genus, nisi in quantum a Pelope est, quod primo dicitur genus, quasi arguatur (dicit Auicenna) q multitudo talis genus dicatur, non est nisi propter principium multitudinis, quae primo genus dicitur, Signū est, quia illud tale genus dicitur, per quòd separamus illud ab alijs generibus: sed separamus talem multitudinem ab alijs eo quia a tali principio est, ergo per illud tale genus erit. Sed cum aliquid dignius dicatur de causa, quam de causato, octauo metaph. 7. merito principium generationis multitudinis primum genus dicitur, deinde reliquum propter illud. & hoc, ut mihi & Auicennae uidetur, in breuibus sensit. Sed contradices: nam cum dignius significatum habeat secundus modus primo, quare posterius posuit illud: siquidem id, quod dicitur genus, anteponi debet. Sed dicas ordinem addiscendi & principium apud Arist. primo physic. 51. & quinto metaph. primo, illum esse, ut ea primum addiscantur, quae quis facilius addiscere potest: haec autem non sunt semper principia rei & causae, sed effectus: quare cum uulgatum, & magis notius sit dici genus, multitudinem ipsam, quam multitudinis principium, non inconueniens est, q ab illa inceperit: cum etiam quia manifestius hoc genus est sensui nostro, merito ab isto ut a notiori incepit nos docere, secutus etiam modum docendi ab Arist. traditum.

Aliter autem rursus genus dicitur cui supponitur species. Ad horum fortasse similitudinem dictum: etenim principium quoddam est huiusmodi genus, earum que sub ipso sunt specierum. Videtur etiam multitudinem continere omnem specierum, que sub eo sunt.

Cum posuit duas significationes generis, tertiam nunc addidit, & dicit, q dicitur etiam de ea natione, sub qua species esse comprehendimus. fortasse: cum dixit tertio modo genus dici, quomodo haec adinuicem se habeāt, declarat: an uidelicet haec a duobus primis significationibus sumpta sit, an ille ab hac. Et hoc merito; quia quando aliquod nomen a consilio impositionis imponitur pluribus, non pure aequiuoce aut casu, sed ex aliqua similitudine agnatorum inter ipsa ex uno ad aliud transfertur: sicut canis, si primo canem significet latrabilem, translatum est nomen canis ad celestem & marinum ex aliqua metaphora: Cum ergo genus dicatur de istis tribus modis, & non a casu, sed consilio; merito contingit dubitari de quo primo dictum sit, a quo ad reliqua ad aliqua similitudine sit translatum, & ideo soluit cum dubitatione hoc, non absolute. utitur enim uerbo (forsan) quòd, sicut cōditionalis dictio, nil affirmat, dicit ergo. q hoc nomen genus dicatur de notione, sub qua est species, translatum forsan fuisse ex duobus primis, propter similitudinem aliquam, quam habet cum illis. & dicit, fortasse, nō firmiter asserendo. modo autem declarat in quo sunt similia illa, & dicit genus esse principium quoddam specie

rum, quæ sub se sunt, sicut genus primo modo dictum, est principium multitudinis. Conuenit uerò cum secundo generis significato, quia sicut collectio multorum ad unum continet sub se multitudinem, quæ uenit ab illo uno, ita quoque genus continet sub se multitudinem earum specierum, quæ ab eo, & sub eo sunt. Quare meritò uidetur ab illis similitudinibus, quas genus habet cum duobus alijs modis, translatum fuisse nomen generis ad tertium significatum. Et quia polliciti sumus dicere, unde ab Aristot. sumpsit Porphyrius, ideo hoc faciemus, & ostendemus in quibus discrepat ab illo, & quæ dimittit. Aristoteles 5. metaphysic. 41. secundum Alexan. diuisionem, explicat significata nominis generis, & dicit primo significare generationem continuam eorum, quæ sunt sub eadem specie: quod comprobat ex assueto modo loquendi: nam dicimus quousque durat genus hominum, bella, uel aliud esse; ubi, per genus, intendimus continuam generationem, quæ hominum est. Secundo modo dicitur genus non continua generatio hominum, sed continua generatio, quæ fiunt ab homine uno primo. sicut a Pelope genus Pelopidarum dicitur, uel quia a Græco, Græcorum genus dicitur; quæ quoque aliquando a fœmina nuncupatur, ut a Pirrha genus hominum dicitur, a qua orti fuerunt post diluuium: sed tamen tale genus magis a mare sumitur, quam a fœmina. rationem assignat, nam formam mas præbet in generatione, femella materiam, ut ipse ostendit in libro de generatione animalium: modo a forma unumquoque magis denominatur, quàm a materia, & tale genus dicitur. Post has generis significationes subdit Arist. tertiam, & hoc est genus logicum. quod pluribus modis explicat: & primo, exemplo; quia tali significatione figura plana est genus planarum figurarum, & solida solidarum, hoc enim est genus logicum; secundo dicit: esse id, quod differentijs subijcitur: nam de natura generis erit (ut dicemus de differentijs) diuidi, ijsq; differentijs subijci. Tertio dicit esse principium, quod est in diffinitione: nam ut habet secundo poster. & septimo metaph. duo sunt in diffinitione, genus scilicet proximum, & differentia; quod primo ponitur est genus, deinde differentia. Quarto quod prædicatur in eo, quod quid est, in quo conuenit cum specie; differt tamen a specie per conditionem quandam, quam subdit, quia licet species prædicetur, & ipsa in quid, eius tamē qualitates non sunt differentiæ, ut in genere est. Per omnes istas conditiones notificauit Aristoteles nobis tertium modum generis, quod non facit in alijs modis; sed in isto tantum, eo quod iste tertius modus est magis ignotus, quàm alij: sunt enim uulgati apud omnes fere gentes; tertius uero solum sapientibus, & non inchoantibus notus est. ideo autem tot conditionibus notificauit illud; ut si non per unam intelligatur, intelligatur per aliam. Sed repetamus nos paulo diligentius hæc omnia. attulit primo exemplum de solidis, & planis, quia notæ erant hæ uoces omnibus. dicitur secundo, quòd subijcitur differentijs. hæc conditio est, quæ soli generi conuenit; & ex hoc genus cum materia habet similitudinem, quia sicut materia est subiectum formarum, ita genus differentiarum, præter hoc tamen conueniunt genera cum materia etiam in alijs multis, & differunt tamen etiam in multis. Conueniunt autem primo, quia sicut materia est in potentia ad formas, ita genus ad differentiam: & sicut receptis formis materia, ex quo uniuersalis, & indeterminata erat, redditur postea particularis, & ad hanc formam determinatam; ita genus ex quo uniuersalem, & indeterminatam naturam habet, aduenit differentiæ determinatæ ad talem particularem rerum speciem. & sicut materia de se nullam formā habet, ita quoque in sua absentia genus nullam speciem continet; & sicut accidunt forma materiei, ita species generi; sicut materia omnes formas materiales potentia cōtinet, octauo metaph. 6. ita quoque genus omnes eius species. & septimo metaph. 43. sicut materia non est actu species, ita nec genus; Differunt tamen etiam in multis, & primo, quia genus est forma uniuersalis, materia autem non est forma, neq; habens formam uniuersalem, aut particularem. Sed primo recipit formam uniuersalem, & postea alias usque ad indiuiduales mediante forma uniuersali. Secūdo genus est unum in multis secundum formam mediam inter actū & potentiam, sed materia est unum in multis non secundum formam, sed secundum esse potentiale. Tertio genus prædicatur de pluribus speciebus, & earum indiuiduis, materia autem non potest prædicari de speciebus ex ea generatis nisi in obliquo, uel cum aliqua alia dispositione, quæ remouebit ab ea prædicationem per se, ex Auer. primo metaph. 17. Cum ergo materia, & genus quanquā differunt inter se, tamen in tam multis conueniunt, sicuti diximus, ideo merito Arist. genus in loco citato materiam appellabat. Dicebat tertio loco Aristo. quòd hoc genus illud est, quod in rationibus ponitur primum. Pro hoc ergo scire oportet, ut in septimo metaph. 43. quòd primum, quod ponitur in diffinitione, est genus, secundum uerò differentia formalis. Quare primo genus reddi potest ratio ex illo loco, quam assignat Aristoteles, quia si multæ sint alicuius rei differentiæ, in diffinitione ultima tantum debet poni, ne nugatio fiat, & idem bis repetatur. ideo dico quòd si differētias præponeres generi, nugatio fieret; nam in differentia genus continetur, & sic inutiliter repeteretur. Præterea diffinitio est instrumentum notificans esse rei a natura, sed a natura res primo habet esse generis; prius enim homo animal est, quàm homo, secundo de generatione animalium cap. quarto, quare diffinitio debet explicare esse rei primum per genus, quàm per differentias: & in secundo poster. Aristoteles sumit gtā primo, & postea probat differentiam communem poni primo loco, quia stat cum genere. Idem commento. 40. dans differentiam inter diffinitionem, & demōstrationem positione differentem: dicit quòd in demonstratione primo differentia sumitur, & secundo genus in diffinitione autem primo genus, secundo differentia. quod ita persuadet: quia id, quod acquiritur primo per diuisionem, & alia instrumenta ad diffinitionem uenandam, sumitur ut per se notum; differentia uero est illa, quæ qualificat notiora, & primum inuentum; ergo genus in diffinitione debet præcedere ut uera causa, prius, natura, & per se, nota. Dicebat quarto loco Arist. quòd genus hoc modo sumptum prædicatur in quid. hoc infra declarabitur partim secundo poste. partim primo topico. diximus etiam, quod in hoc conuenit cum specie, & ideo, ut differat ab ea, subdit, quòd qualitates differentiæ sunt, sicut non est in specie, & dicit qualitates, quia ut dicit Alexander, Aristot. differentias inter unum modorum qualitatum ponit. Quod cuius modi sit, infra dicetur. Patent ergo in summa omnes conditiones, quibus Arist. notificauit tertium modum generis, qui ignotus erat. Scias tamen diuum Thom. aliud sentire. uult enim afferri ab Arist. loco citato unum quendam modum generis alium ab hoc tertio, cum dixit genus solidorum, & planorum. uult enim subiectum proprium accidentium, & specie differentium esse quodammodo genus. Nam cum superficies sit subiectum proprium omnium figurarum superficialium, & planum omnium planarum, quæ differunt specie inter se, merito ipsa dici potest genus, ea similitudine. Primo, quia sicut genus de speciebus, ita superficies de his prædicatur, ut hæc figura, idest triangulus, superficialis est, & hæc solida. Secundo, quia ponitur in diffinitione eorum, sed genus in diffinitione specierum. Tertio superficies determinatur suis accidentibus sicuti genus differentijs. nam sicut animal ratione determinatum dicitur per rationale; ita quoque contracta figura, hanc superficiē cōtractam dicimus,

sed

sed differre asserit, nam genus de essentia est specierum, subiectum uero non est de essentia illorum accidentium. Sed dicta diui Thomæ non sunt peripatetica, nec mentem Aristotelis sapiunt, primo quia nunquam apud Arist. subiectum proprium de accidente prædicatur per se. ut in primo poster. 32. declarauimus; est enim inutilis prædicatio. Secundo, illa prædicatio non est per se contractio generis. triangulus est figura superficialis, est enim denominatiua. præterea non est illa mens Arist. ut Alex. in illo loco asserit. primo quia ait hoc esse illud quod differentiis subiicitur quod est genus tertio modo, quod postea materia nuncupatur. præterea colligens modos dictos, tres tantum collegit, & non quatuor; & dimisit illum, quem iste uir addit, immo unum tantum generis modum fecit; dixit enim aliud esse, ut materiam: quis cui insunt qualitates & differentiæ, hoc materiam & subiectum nuncupatur, quod tamen dicit de genere solidorum. Dicamus ergo, ut diximus, quod unum est & idem genus, & quod unius, & eiusdem intellectus plures expositiones dedit, ut dicit Alexand. ut notius quid nominis reddat. Sed tunc dubium est, quare dimisit genus, quod a loco sumitur? Dicas quia non est ita uulgatum à loco, sicut a parte sumi genus. Dubitatur quomodo dimisit modum primum Aristotelis Porphyrius? ad quod dicemus, uel quia tempore suo non erat uulgatum, uel quia non habet tantam ad genus logicum similitudinem. Cur uero ab Arist. dimissus est modus quo principium multitudinis aliquod dicitur? Dicas quod pauci erat momenti, & quomodocunque hoc sit, nullum est peccatum de significationibus nominum. Solum enim explicantur ad æquiuocationem uitandam, ut sciatur, quod quæritur, ad quæ & omnia & quædam tantum diuersa aliquando enumerare sufficit, ut per simile de aliquo significato notitiam aliquam si non perfectam, tamen dirigentem habeamus de significato, de quo intendimus.

Tripliciter igitur genus cum dicatur, de tertio apud philosophos sermo est.

Cum distinxit significata generis, & dixit tria esse significata huius nominis genus: ne accideret error ob æquiuocationem, & etiam ut dirigamur ad notitiam quid nominis ad id quod quærimus; nunc ostendit simul, & diffinit id de quo apud philosophos est sermo. & dicit cum tribus modis dictis genus dicatur, quod duobus primis apud gentes uulgares sumitur: solum tertius modus est de quo est sermo apud philosophos, idest qui cadit in usum philosophorum, nam duobus aliis modis non utuntur philosophi, sed uulgares. Oratores uero sæpius de genere isto modo disputant, laudando genus aliquorum, quos commendant a principio, sed hæc non pertinent ad negotia philosophica, ad quæ librum suum ordinat Porphyrius. Sed quid intendat per philosophos Porphyrius nemo ostēdit. forsan aliqui dicent philosophos logicos intendere; est enim logica philosophiæ pars. Ego uero dicerem per philosophos intendi alios a logicis, quibus instrumenta docet logicus: ergo solum tertio modo generis utuntur philosophi, quem logicus docet.

Quod etiam describentes aßignauerunt; Genus esse dicentes quod de pluribus. & differentibus specie in eo quod quid est, prædicatur, ut animal.

Cum dixit usum solum tertium generis modum occurrere, nunc dicit, quod illud philosophi diffiniunt, esse illud, quod prædicatur de pluribus differentibus specie in eo quod quid est. Circa quod multi dubitant. primo an ista diffinitio sit an descriptio: & si definitio, qualis. tres enim sunt diffinitiones specierum, primo poster. 46. conclusio, demonstrationis principium, & sola positione differens: at ea nulla istarum est, sed sola nominis explicatio. Ad quod respondet Boethius non diffinitionem esse, sed descriptionem, ea ratione; quia definitio constat ex genere, quale generi, ut genus dari non potest: nam licet genera aliquando sint species, non tamen ut genus. modo si diffinitur genus ut genus, haberet ut genus diffinitionem, & sic in infinitum; non ergo est definitio, sed descriptio propria collecta ex proprietatibus ipsius generis, quæ omnia simul æquantur generi, & talis est descriptio. Contra arguunt moderni, primo quia dicit (describentes assignauerunt) secundo infra, cap. de specie, uocat istam assignationem generis, rationem: præterea ista assignatio conuertitur cum genere, ergo non est descriptio, probatur quia per se est ex rebus, quæ sunt eiusdem generis cum eo, sunt enim intentiones, sicut genus; quare erit definitio. præterea quæ componuntur in tali assignatione, in diffinitionem eorum non cadit subiectum diffinitum: ergo est diffinitio; quia si esset descriptio, esset ex iis in quorum diffinitionem cadit subiectum. Sed hæc omnia contra Boethium dicta non ualent. non enim primum, nam ut dixit Boethius, ideo addidit, (assignauerunt describentes) ut per illud non intelligamus diffinientes. ad aliud dicamus rationem æquiuocum nomen esse, & plura significare; sed aliquando descriptionem, ut hic. ad tertium, nullum est, nam ista assignatio quamuis sit intentio secunda, ut dicit, tamen non propter hoc est de essentia. Ad quartum dicit Boethius, ad totam illam assignationem significari unum proprium conuertibile cum genere. & tale si diffiniretur, in eius diffinitionem caderet diffinitum genus. Vnde dicimus hanc esse descriptionem ex accidente proprio, & tale diffiniri posse diffinitione explicante quid illa descriptio significat. & hic est unus modorum quos Aristotel. & Auer. primo topic. capit. de diffinitione assignant. Quare patet quæ Scotus contra Boethium habet nulla esse. Sed tamen uidetur Boethius errasse in hoc. nam siue istæ sint diffinitiones siue descriptiones, tamen hic nullo istorum modorum assignantur, id quod Auer. dicit; sed solum ut explicationes sunt nominis. & præterea diffinitio & descriptio faciunt res intelligere ex rebus antea intellectis. modo hæ uoces non ita intelliguntur in hoc libro, sed solum prout explicant quid nomen illarum significet. adde quod mos introducentium non est diffinitiones aut descriptiones assignare. sed explicationes solum nominum, quare non recte sensit Boethius. Post Boethium Scotus opinatur hanc ueram esse generis diffinitionem, eo quod genus prædicatur de pluribus differentibus specie in eo quod quid, multaque alia dicit quæ uideri in eo possunt. sed non est mirandum de hoc uiro, sed miserandum est potius ut dicit Aristot. secundo metaph. 16. flebilis enim est horum natura qui semper in relationibus, chimeris, & abstractionibus uersantur, nunquam autem ad rei quæsitæ ueritatem intendunt. Quærere hic an hæc diffinitio sit uel descriptio est prorsus inutile. & extra mentem authoris cum ipse nihil aliud uelit hoc in libro quam explicationem nominis assignare introducendi causa. Propterea ego credo aliter esse dicendum. & primo quod ut dicit Auer. in fine huius libri. hic dantur solum declarationes nominum istorum, quod persuademur ex eo, quod author profitetur se introductorem; introductorum autem mos est, solum quid significent nomina declarare non autem describere aut diffinire. secundo quod quædam sunt (siue diffinitiones siue descriptiones uere sint) talia, ut possint sumi in principio ab iis qui introducuntur solum tanquam explanationes nominis. quæ tamen processu temporis redduntur illis & cognoscuntur esse diffinitio-

nes uel descriptiones ut re uera sunt. huius autem rei causa est, quia sunt per se nota, non quidem per se nota simpliciter, sed per se nota in ea scientia. hæc tamen inchoantibus non sunt per se nota, sed illis studet præceptor ut nota faciat explicando, non quid rei, quia non intelligerent, sed tantum quid nominis. illi tamen ubi in scientia uersati fuerint, tunc post modum cognoscunt & quid per se notum sit in scientia, & quid ignotum. & intelligunt quæ sint diffinitiones & quæ descriptiones. & cognoscunt quid ipsæ res sint. Et isto modo ut dicit Auer. primo poster. fecit Euclides qui diffinitiones rerum de quibus erat tractaturus in initio libri sui posuit, ut inchoantes intelligerent quid nomina significarent, (nam quid nominis est origo omnis agnitionis) postea uero cum his intellectis etiam alia per cognitionem horum nominum intelligerent. Isto ergo modo Pophyrius, cum pollicetur dicturum se introductorio modo & declataturum quid nomina illa significarent, quæ ad prædicamenta Arist. intelligenda & demonstrationem seruiant, tanquam introductor quid nominis harum uocū colligit & explanat, quare siue hæ sint diffinitiones, seu descriptiones clare patet nullo horum modorum eas hic sumi, sed tantum ut declarationes nominis. Ex his ergo patet non esse quærendum an hæc diffinitio sit generis uel descriptio: tum quia clarè author dixit hanc esse descriptionem philosophorum, tum quia de talibus entibus intellectus, quæ minimæ sunt entitatis, non dantur illæ diffinitiones quas isti imaginantur, cum uix dentur de speciebus substantiarum quæ in re sunt. Sed dubitant contra hanc generis rationem. quia accidens per subiectum diffinitur, septimo metaph. t 7. hic tamen nullum subiectum ponitur. Ad hoc respondetur, ut ibi dicit Arist. accidens duobus modis considerari: uno modo ut copulatum & inseparabile subiectum habens, ut sunt propriæ passiones, ut risibile in homine. alio modo ut non copulatum, sed separabile. accidentia primo modo, per subiecta diffiniuntur, non secundo modo. Sed secundæ intentiones non sunt subiectum terminatum generis; cum omni prædicamento uniuocè attribuantur, & ideo non est necesse eas poni in diffinitione generis. Sed instabis, quia accidentia communia non diffiniuntur, septimo metaph. 18. ergo neque habent neque non habent in diffinitione subiectum. Dicimus, ista non ut accidentia diffiniri, sic enim in earum ratione subiectum requirerent, sed ut instrumenta sunt notificandi naturas rerum ipsi intellectui. & talia non indigent subiecto, sed eo cuius naturam habent notificare, & hoc, est ipsa species, quod ad genus spectat. Vel dicas diffiniri ut correlatiua, ad quorum diffinitionem requiritur alterū correlatiuum, ut in genere species ponitur. Vel dicas, in diffinitionibus hoc requiri; sed non in descriptionibus. Sed utcunque, hęc nobis nullo istorum modorum traduntur, sed solum ut rationes quid nomina explicantes, id quod facile fit per correlatiuum assignando, sed dubitatur adhuc quia in compositis per accidens non admittitur diffinitio, septimo metaph. secundo. tale est genus, ergo non proprie diffinitur. Ad hoc respondetur loqui philosophum de aggregatis uere per accidens, quale est homo albus. Vnde dicam unum forte a quibusdam non bene intellectum, quod aggregatū per se sciri & diffiniri potest. per accidens autem non potest. aggregatum nanque per se scibile est, quando unum est ratio sub qua alterum considerari & sciri potest, quia ut tale diffiniri potest, & ab eo ut passiones per se fluunt, quæ sciri de eo possunt. aggregatum uero per accidens, est quando alterum non est ratio sufficiens ut alterum diffiniri & sciri possit, neque ab eo fiunt passiones scibiles, ut album homini albo. & natura corpori naturali: ita ergo primum aggregatum quod est aggregatum per se, non potest diffiniri uera diffinitione, secundum tamen potest diffiniri. Ad argumentum ergo dicatis genera dupliciter esse aggregata, per se, ut sunt intellecta, & sic non possunt diffiniri; & per accidens ut sunt modi sciendi, & ut talia describi & sciri possunt. uobis tamen nunc debent hæc solum sciri ut significant quod sit nomen, & hoc debet nobis sufficere. Sed adhuc dubitant, quia, tertio topic. concreta non sunt in genere. genus est concretum, ergo non est in genere. ergo non est diffinibile, cum omne diffinibile sit in genere. Ad hoc respondent aliqui negando quod concreta non sint in genere. sumpto fundamento ab Aristotele in eodem loco. & est capite primo: remouet enim eo in loco Arist. a genere coloris hominem album non tamen a genere simpliciter. sed hæc responsio se ipsam ostendit esse falsam. Quis enim in genere coloris hominem ponat, nisi ratione partium? clarum est quod si in genere coloris ponatur, illud erit per accidens & per alterum, neque simpliciter dici poterit talis, sine additione. Ideo ego aliter dicerem, quod duobus modis intelligitur in genere esse, uel in genere prædicamentali. uel in alio superiori genere. in superiori genere sunt entia abstracta & simplicia, alia uero entia in prædicamentali. posteriora hæc habent illa priora tanquam superiora genera. concreta tamen, de quibus nos dicimus, non eo pacto habere superiora genera dicuntur. sed dicuntur esse in genere alio modo. pro quo sciendum est. quod concretum & compositum, si diffinibile & scibile est (dico autem hoc propter accidentale quod nullo modo scibile est) duas habet partes, & ex his una est quasi ratio & forma sub qua altera considerari debet. & tale est corpus naturale. in hoc enim naturale ea est pars sub qua corpus sciri et diffiniri debet a naturali philosopho. cum enim per rationem considerandi unaquæque res distinguatur & cognoscatur ab aliis artibus, quæ de ea tractare solent, corpus naturale, non per corpus, sed per naturalitatem reponitur in naturali scientia, & distinguitur ab aliis artibus. communicat tamen ea ratione qua corpus, cum mathematicis. & in eodem genere est corpus naturale in quo corpus ipsum. merito igitur cum genus a communi sumatur, differentia uero a forma, & a proprio, & cum ab una illarum partium sumatur genus compositi, & ab altera differentia, naturalis corporis genus est corpus, differentia uero, est naturalitas. Ex his ergo colligi potest quod concreta esse in genere uerum est, non quidem secundum totum, cum genus non dicat totam rei essentiam, sed secundum partem. & ideo quod per partem qua sunt in genere possunt diffiniri. Vnde (ut ad propositum redeamus) genus & cetera prædicabilia licet sint concreta, habent tamen aliquid loco generis ut describi possint. At Arist. dixit concreta non esse in genere, ut, secundum rectum, genus de illis prædicari possit. loquitur enim eo in loco de per accidens aggregatis, de quibus genus in recto non potest prædicari, neque enim album est color; corpus tamen naturale est corpus. & hæc est differentia inter aggregatum per se scibile & per accidens. Sed adhuc dubitatur, quia sola species diffinitur, septimo metaph. 13. sed genus non est species, ergo non diffinitur. Respondent aliqui genus esse speciem ipsius uniuersalis. & hoc certè uerum est, quamuis non nisi analogice uniuersale de his dicatur prædicabilibus. Vtcunque tamen. Aristo. ibi loquitur de diffinitione substantiarum perfecta. & hanc soli speciei conuenire dixit, quia diffinitio ex genere constat & differentia eiusdem naturæ; talis autem non reperitur nisi in substantiis. cum in accidentium diffinitione subiectum sit alterius generis & naturæ a diffinito. Dicamus ergo nos illam non esse ueram generis diffinitionem, sed descriptionem in se, nobis autem, notitiam quid nomen significet. Sed dubitatur adhuc, quia diffinitio datur innotescendi causa per priora & notiora, sexto topico. quarto. Sed hæc generis diffinitio non est talis, cum detur per speciem quæ est quid posterius & ignotius genere. Ad hoc responde-

tur

tur uerum esse de absolutis quòd per priora & notiora de clarantur, sed non de relatiuis ad aliud, hæc enim simul natura noscuntur & unum cum alio [& hoc proprium est illorum ut in capit. de relatiuis dixit Aristot. cum ergo genus ad speciem referatur, cum ea debet cognosci, ut dicit Porph. Sed de hoc tamen infra dicemus quomodo relatiua unum per alterum cognoscantur. sed nunc ad uerba in textu posita ueniamus. dicitur genus esse id quod (prædicatur de pluribus) hoc uerbum dicunt quidam esse positum, ut differat ab indiuiduo. quod de pluribus non prædicatur, sed ego dicerem tale uerbum apponi non loco differentiæ, sed loco generis, conuenit enim hoc omnibus fere prædicabilibus prædicari de pluribus, & est quasi genus. (differentibus specie.) Dicit Alexander in primo Topic. & hic Ammo. dictum esse hoc ut differat a specie & proprio. & species enim sub se solum singularia continet, quæ (ut docet Arist. primo Topic.) differunt numero. Proprium uero cōtrahibile cum specie de illis met indiuiduis solo numero non specie differentibus prædicatur. Notandum ut Alexan. asserit quasdam species esse, quæ alia ratione habita, fuut genera ut hinea facta a Porph. apparet. omnia enim prædicata media inter primum genus & ultimam speciem prædicantur de pluribus: hoc tamen illis conuenit non ut species sunt. sed prædicantur de speciebus ut genera. (In eo quod quid) pro hoc scire oportet, quod prædicari in eo quod quid est, tribus modis accipitur. uno modo ut prædicata dicunt substantiam rei per modum substantiæ. secundo modo ut dicunt substantiam per modum aduenientis qualitatis. tertio prout dicunt aliquid, quod licet non sit substantia uidetur tamen esse substantia quia consequitur substantiam. primo modo genus dicitur prædicari in quid de specie, quia dicit substantiam illius & per modum substantiæ, prædicatur enim essentialiter animal de homine, & animal est de substantia hominis. secundo modo differentia prędicatur de specie, cum enim differentia sit de substantia speciei. dicit eius substantiam. non tamen per modum substantiæ quis prædicatur de specie in eo quod quale quid. tertio autem modo proprium inseparabile dicitur prædicari in quid, quoniam quamuis risibile non dicat substantiam hominis dicit tamen id quod fluit de eius substantia, & ideo prædicatiua de homine habet uim prædicationis substantialis. vt ergo ostenderet author differentiam generis a differentia & proprio dixit prædicari in quid. Notandum si uelis scire ea quæ in quid prædicantur. quod ea traduntur ab Arist. primo Topic. nam quoties ad interrogationem de subiecto per quid respondetur per prædicatum conuenienter assignatum, illud prædicatum in quid dicitur Vt si uelis scire an animal in quid de homine prædicetur, interroges de homine quid sit, si conuenienter respondetur, animal, tunc animal de eo in quid prædicatur.

Eorum enim quæ prædicantur, alia quidem de uno dicuntur solo, sicut indiuidua, ut Socrates, & hic, & hoc: alia uerò de pluribus, quemadmodum genera, & species, & differentiæ, & propria, & accidentia communiter, sed non propriè alicui. Est autem genus quidem, ut animal: Species uerò, ut homo; Differentia autem ut rationale: Proprium, ut risibile: Accidens, ut album, nigrum, sedere.

Porphyrius posita diffinitione generis uult eam declarare, & ante declarationem, ut clarius ipsa fiat, diuisionē apponit eorum quæ prædicantur. Et est, quod quædam de uno solo prædicantur, quædam de pluribus. De uno solo, sunt indiuidua, ut Socrates, & Plato. quæ uero de pluribus prędicantur, sunt genus, species, differentia, ac cidentia non solum propria, sed communia etiam. Declarat autem hæc omnia exemplo, ut patet, quia introductorem agit, & ideo debeat sua dicta semper cum facilitate declarare. Vnum uobis pro ueritate dicam, quod uidetur mihi Porphyr. lapsus in errorem a quo excusari non potest. Indiuisione enim prædicatorum ponit indiuiduum, quod nullo modo est prædicatum. prædicata enim uel naturalia sunt uel artificialia, naturalia uoco quę secundum eorum naturam prædicantur de aliquo: prędicari autem est inesse subiecto, habere rationem formæ & simi'ia. artificialia uero sunt quæ ars docere potest. prædicata naturalia sunt species. indiuidua uero neque naturalia sunt, neque artificialia, quia hæc non habent sub se ipsis subiecta, neque etiam seipsa. ut putat Porph. (ipsum enim sibi ipsi inesse & esse sumptius formam, non est philosophi dicere, & prætetea Arist. in ante prędicamentis enumerans prædicata, indiuidua dixit, neque esse in subiecto neque dici de subiecto, unde indiuidua a ratione prædicari penitus excludit.) neque etiam indiuidua prædicata sunt artificialia, cum de singularibus artes non cu sent. Quare indiuidua non debent reponi inter prædicata, ut facit Porph.

Ab ijs uerò, quæ de uno solo prædicantur, differunt genera, eò quòd hæc de pluribus prædicantur. Ab ijs autem quæ de pluribus, à speciebus quidem: quoniam species & si de pluribus prædicatur, non tamen de differentibus specie, sed numero: homo enim cum sit species, de Socrate, & Platone prædicatur, qui non specie differunt, sed numero. animal uerò cum sit genus, de homine, & boue, & equo prædicatur, qui differunt à seinuicem specie, non numero solo.

Ex diuisione data uult Porph. diffinitionem generis declarare, & dicit, quod prædicatur de pluribus, positum est ut differat genus ab indiuiduis, quæ de uno solo prædicantur, genus autem de pluribus. Et licet genus conueniat in hoc cum quattuor aliis prædicatis, tamen differt ab eis. & primo a specie, quia hæc non prædicatur de differentibus specie sicut genus, sed de pluribus numero tantum differentibus. quod exemplo more boni introductoris ostendit. homo enim est species quæ non prædicatur nisi de Socrate Plat. & similibus, quæ numero & non specie differunt. similiter affert exemplum de genere, ut animal prędicatur de leone, homine, & reliquis quæ differunt specie, & non numero tantum.

A proprio uerò differt genus, quoniam proprium quidem de una sola specie, cuius est proprium prædicatur, & de ijs (quæ sub ipsa specie sunt) indiuiduis quemadmodum risibile de homine solo, & de particularibus hominibus: genus autem non de una specie prædicatur, sed de pluribus, & differentibus.

Hic declarat quod dixit, de pluribus differentibus specie. ut differat a proprio. Nam proprium de una specie prædicatur & eius singularibus tantū, cuius est proprium. at genus non solum de una specie & eius singularibus, sed etiam de omnibus quæ sunt sub genere ipso. quod exemplo declarat, quia risibile proprium est hominis, & hoc solum, de specie prædicatur, & de singularibus quæ sunt sub nomine. at animal quod est genus, non solum de homine, sed leone & reliquis speciebus & singularibus prædicatur. sed hac in re credo ego Porphyrium errare. primo cum dicit genus ab indiuiduo distingui per prædicari de pluribus. prædicari etenim de pluribus in generis diffinitione est loco generis (cum genus uniuersale sit, & uniuersale sit quod prædicatur de pluribus) & ideo non habet uim differentiæ. præterea, sed quid ponenda est differentia inter ea quæ non sunt eiusdem generis? constat

quod indiuiduum & genus non sunt eiusdem generis, cũ genus prædicatum sit, indiuiduum uero non possit esse prædicatum. Adde quod, cum dicit distingui genus a proprio per hoc quod genus prædicatur de pluribus differentibus specie, proprium uero non ita: errat, quia non, minus differt genus a proprio per hoc, quod genus prædicatur in quid, proprium autem in quale: quàm per id, quod unum prædicetur de differentibus specie, & alterum de differentibus numero.

A differentia uerò & ab ijs quæ communiter sunt accidentia, differt genus: quoniam etsi de pluribus, & differentibus specie prædicantur differentiæ, & communiter accidentia: non tamen in eo, quod quid est prædicantur: sed in eo, quod quale quid est. Interrogantibus enim aliquibus, quid est illud, de quo prædicantur hæc, genus respondebimus, differentias autem, & accidentia non respondebimus. non enim in eo, quod quid est, prædicantur de subiecto, sed magis in eo quod quale quid est.

Declarat cur in generis diffinitione dixerit (in eo quod quid) & dicit positum esse hoc ut differat a differentia & accidente communi. (a proprio enim per ipsum differre specie distinguitur eius opinione.) si enim differentiæ & accidentia communia cõueniunt cum genere in hoc quod de pluribus differentibus specie prædicantur, differunt tamen quia non in quid prædicantur, sicut genus, sed in quale. Sed dubitabit aliquis. Differentia est consequens speciem inseparabiliter sicut proprium. ergo de una tantum specie prædicabitur non autem de pluribus. Dicas quod uerum est differentiam specificã de una solum specie prædicari, non tamen de genetica. hæc enim sicuti genus, prædicatur et ipsa de pluribus speciebus, unde & homo & leo sunt sensitiui.

Interroganti enim, quale quid est homo, dicimus quoniam rationale: & in eo, quod quale quid est coruus, dicemus quoniam niger. Est autem rationale quidem differentia, nigrum uerò accidens. Quando autem quid est homo interrogamur, animal respondemus: est autem hominis genus, animal.

Confirmat id quod iam dicebat, differentiam & accidens prædicari in quale, & hoc facit per regulam Ar. quia ad interrogationem per quale, ut qualis sit homo, respondetur uel per differentiam uel per accidens commune, ꝙ scilicet est rationalis, uel ꝙ est albus. differt ergo per hoc genus differentia & communibus accidentibus, quia ad interrogationem per quid est homo respondemus per genus, quod est animal.

Quare de pluribus prædicari diuidit genus ab ijs, quæ de uno solo eorum quæ sunt indiuidua prædicantur: differentibus uerò specie, separat ab eis, quæ sicut species prædicantur, uel sicut propria: in eo autem quod quid est prædicari, diuidit genus à differentijs, à communiter accidentibus, quæ non in eo quod quid est, sed in eo quod quale quid est, uel quomodo se habet unumquodque, prædicantur de ijs de quibus prædicantur. Nihil igitur superfluum, neque minus continet, generis dicta descriptio notionis.

Nunc epilogat, & patent ea quæ dicit. (Nihil igitur superfluum.) Hic uero confirmat prædictam generis diffinitionem esse recte datam, quoniam illa est bona diffinitio, quæ adæquat essentiam diffiniti. Talis est diffinitio generis cum nihil aut deficiat aut supersit. & essentiam generis optime describat & manifestet, quare bona est diffinitio. Et hæc de genere sufficiant.

DE SPECIE. CAP. II.

Species autem dicitur quidem & de uniuscuiusque forma, secundum quam dictum est, primum quidem species digna est imperio.

Cum quid sit hoc nomen genus explicauerit, nunc idẽ de specie uult agere. Tractat autem post tractatum de genere, primo de specie, quam de alijs uniuersalibus, quia species & genus correlatiua sunt, & unum per alterum innotescit. Facit autem de specie id quod egit de genere, quia enim hoc nomen multiplex est, ideo prius ipsum distinguit. Dicit ergo speciem uno modo dici de forma, idest pulchritudine uniuscuiusque, quod confirmat per commune dictum, quo famose dici solebat speciem Priami, id est pulchritudinem esse dignam imperio.

Dicitur autem species & ea quæ est sub assignato genere. secundum quam solemus dicere hominem quidem speciem animalis cum sit genus animal, album autem coloris speciem, triangulum uerò figuræ speciem.

Assignat alium huius nominis significatum, quo dicitur illud, quod sub assignato genere ponitur. idest quæ est sub genere, non quidem omni, sed assignato & determinato. & secundum hunc sensum dicimus hominem esse speciẽ animalis, quod animal dicimus esse genus ad hominem. & hoc declarat triplici exemplo in tribus prędicamentis, in prædicamento substantiæ cum dicit hominem esse speciem animalis, in prędicamento qualitatis cum dicit albedinem esse coloris speciem, in quantitate, cum triangulum dixit esse figuræ speciem.

Quod si etiam genus assignantes speciei meminimus dicentes, quod de pluribus differentibus specie in eo, quod quid est, prædicatur: & speciem dicimus id, quod sub assignato genere est: Nosse oportet, quoniam & genus alicuius est genus, & species alicuius est species utrunque utriusq., iccirco necesse est in utrorumq; rationibus utriusque uti.

Soluit dubitationem quæ oritur ex secunda speciei iam assignata diffinitione. Posset enim quis admirari, cur in hac speciei diffinitione assignanda genus ponatur, cũ ecõuerso in generis diffinitione species posita sit. hoc n. modo res non per notius explicari uidetur. Respondet id ex arte & industria factum esse. propterea quod genus & species sunt relatiua, & species est alicuius generis species, & genus alicuius speciei est genus. Correlatiua autem simul unum cum alio notificatur. ideo merito in ratione unius alterum ponitur, et in ratione generis species & in ratione speciei genus positum est. Sed dubitabit aliquis. si unum per aliud diffinitur ut per notius, sequetur quod idem esse possit seipso notius, ꝙ est absurdum. declaratur aũt quõ id sequatur. Sit genus illud quod debet diffiniri. oportebit in eius diffinitione poni speciẽ. Sed cũ diffinitio rerum sit clarior diffinito. sit ut loco speciei in generis diffinitione, speciei diffinitio ponatur: sequetur, cum in diffinitione speciei sit genus, quod in diffinitione generis ponatur genus. Sed diffinitio est per ea quæ sunt notiora diffinito, ergo.

genus

genus in diffinitione generis positum erit notius genere, quod diffinitur. Et sic idem notius seipso. Secundo sequetur si unum per aliud diffiniatur, quòd unum erit altero notius. At ea, quæ sunt simul natura unum non potest esse notius altero, quare genus per speciem, & species per genus diffiniri non debent. Ad hæc respondent aliqui. Ad primum. quod non est inconueniens aliquid esse notius se ipso diuersa ratione. Sicut enim in demonstratione id, quod est principium demonstrandi est diffinitio formalis rei. quod autem concluditur est diffinitio materialis, quo pacto una diffinitio eiusdem rei, quæ principium est demonstrandi est notior diffinitione, quæ est cõclusio, ita & idem esse seipso notius non est inconueniens, cum eadem sit ratio de diffinito, quæ de diffinitione. & sic non habetur pro inconuenienti illud quod infertur per primam rationem Ad secundam uero, dicunt quòd relatiua dupliciter sumi possunt. uno modo ut simul natura sũt, idest pro forma, quam relationem nuncupant, quæ æqualis in ambobus est relatiuis solis tantum terminis differens. & hoc modo relatiua æque nota sunt, neq; unum altero notius. alio uerò modo sumi possunt, ut unum pendet ab alio, & hoc modo cum unũ sit causa alterius (pater enim est causa filij) non est inconueniens etiam unum esse notius altero. Sed isti omnia confundunt, ac perturbant. relatiuum enim per aliud nec diffinitur, nec describitur uere. ut Auer. primo poster. 32. diffinitio autem, quæ in demonstratione ponitur seu principium sit, seu conclusio, uera est diffinitio. Hæ uerò diffinitiones relatiuorum non sunt diffinitiones, sed explicationes nominis, quare absurda ea dictu sunt. Propterea dicimus nos ad eas rationes. quòd primo poster. trigesimo secundo, & septimo metaph. 17. diffinitiones uerè solummodo substantiarum sunt, accidẽtium autem non uere. & eo magis accidentium, quæ sunt minoris entitatis qualia sunt relatiua. idem autem per se ipsum diffiniri uera diffinitione est impossibile, & inconueniens, Sed aliquo modo innotescere non est absurdum. Si enim uera diffinitione idem per se ipsum diffiniretur, tunc cum diffinitio sit per causas, idem esset sui ipsius causa. Cum ergo dicis, quòd sequeretur idem esse se ipso notius, dico quòd non refert ad explicationem nominis idem per ipsum fieri notius. Et cum dicis, quòd unum esset notius altero, dico quòd non refert unum relatiuum explicari quo ad quid nominis per alterum. Sed dubium est, an aliæ speciei significationes sint præter has, quas Porphy. posuit. Boethius dicit præter illas duas enumeratas ab authore, esse etiam formam substãtialem rerum, hæc.n. species solet appellari ab Aristotele, sed dico ego Porphyriũ hoc membrum non reliquisse, sed cum dixit primo modo sumi speciem pro forma, intellexit tam de forma substantiali, quàm de accidentali. dedit tamen exemplum de accidentali solum, quia ea notior erat omnibus, & ne confunderet animum scholasticorum. Sed quæres adhuc cur inter prædicata ab Aristo. numerata in primo topic. non ponatur species. De hoc quæsito, & de numero istorũ alias satis diximus. Dicimus tamen pro nunc, quòd Arist. ilic numerat solum prædicata, quæ in artibus considerantur de substantiis. sed talis nõ est species, cum hæc subiectum sit in arte non autem prædicatum, (non enim dices animal est homo, rationale est homo, risibile est homo, prædicatione uera, & naturali, sed ecõuerso homo est animal, homo est rationalis, homo est risibilis.) Sed Porphyrius hic agit de specie, quia intendit declarare nomina prædicatorum, quæ aliquo modo prædicata sunt etiam si improprié, & maxime eorum, quibus in prædicamentis usus est Arist. & talis est species.

Assignant ergo, & sic speciem. Species est, quæ ponitur sub genere. Et de qua genus in eo quod quid est, prædicatur.

Amplius autem sic quoque. Species est, quæ de pluribus, & differentibus numero in eo, quod quid est, prædicatur.

Cum modos speciei posuit, nunc uult speciem secundo modo sumptam diffinire, quæ maximè ad logicos, & artifices spectat. Et pro hoc scire oportet, speciem ad duo referri, ad genus quod supra ipsam est, & ad indiuiduum, quod est sub ipsa. idem autem ad diuersa referri non potest una ratione, quare & species diuersa ratiõe ad ea duo referetur. Sed a ratione diffinitio sumitur, ideo merito cũ species duas rationes habeat, duabus diffinitionibus debet explicari, & manifestari, quarum altera respiciat genus, altera uero indiuidua. propterea Porphyr. affert hic duas diffinitiones, & prior est speciei, ut refertur ad genus, posterior autem ut refertur ad indiuidua. Primo ergo modo species est, quæ ponitur sub genere, idest quæ in linea prædicamentali est statim sub genere. & de qua genus in eo, quòd quid prædicatur, idest de qua genus, ut de subiecto prædicatur in quid, ut cum dicitur homo est animal. secundo uero modo, ut scilicet ad indiuidua species refertur, est quæ prædicatur de pluribus differentibus numero in eo, quòd quid. idest quæ de pluribus indiuiduis dicitur.

Sed hæc quidem assignatio specialissimæ est, & quæ solum species est, non autem etiam & genus: aliæ uerò erunt etiam non specialissimarum.

Assignata duplici speciei diffinitione, quia species hæc duplici adhuc ratione distinguitur, affert differentiam hãc qua species inter se differunt, & his distinctis ostendit, quibus nam ex illis diffinitiones iam allatæ conueniant. Dicit ergo primò, quòd species duobus modis dicuntur, aliæ dicuntur specialissimæ, aliæ genericæ. specialissimæ sunt, quæ solum sunt species, & non genera, genericæ uerò, quæ possunt esse genera, & species. Hoc posito ex diffinitionibus positis, primam docet genericæ speciei conuenire, cum dictum est, quòd est sub genere. & de qua genus prædicatur in quid. hæc enim diffinitio de omni specie dicitur, & de specialissima, & de non specialissima, sed altera diffinitio, cum dictum est, quòd prædicatur de pluribus differentibus numero in eo quód quid, conuenit soli speciei specialissimæ. Sed dubium hic est, quomodo hæc assignatio posterior, genericæ speciei non conueniat, nonne & hæc de pluribus differentibus numero prædicatur? nonne animal de Socrate, & Platone dicitur? Boethius addit ad hanc diffinitionem, & non differentibus specie, ut dicatur, quòd species specialissima est, quæ prædicatur de pluribus differentibus numero, & non differentibus specie. Alij addunt, solum, ut dicatur de pluribus differentibus numero solum. Sed hoc totum facit diminutum Porphyrium, cum ipsi addunt quod ille dimisit. Propterea ergo credo, nullum istorum addi debere, cum per se intelligatur. diffinitio enim sic sola sumpta, soli specialissimæ conuenit. Quid uero in textu per assignare intelligat, supra & in quæstis diximus. Sed dubitat Auicenna, cum duobus modis logica species dicatur, quæ nam istarum, primo modo speciei, idest quæ pulchritudinem dicit, similior sit? Et putat ipse, quòd species specialissima pulchritudini magis similis sit, propterea quòd hæc sit magis actus; & ideo in ea sit pulchritudo maior, generica uero est magis potentia, & ideo in ea maior est deformitas. Sed ego crederem, non esse inter has species hanc similitudinem, quã ille dicit. neq; alteram a similitudine alterius esse nominatam, propterea quod assignasset hoc Por. sicuti & de genere

fecit. Sed utcunque sit, nihil est. Verum dubitant rursum, Cum species pluribus modis dicatur, quo nam modo ex his sumpta, dicatur esse unum ex quinque uniuersalibus. Dicimus quòd non sub ratione, qua genus esse potest, cũ eo modo clare patet ipsam esse subiectum, nõ autem prædicatum, & ideo prædicabile. Sed est tamen prædicatum, & uniuersale secunda ratione, ut est specialissima. Sic enim, cum liceat dicere Socrates est homo, Plato est homo, prædicatum est: & cum de pluribus dicatur specie differentibus uniuersale est. distinguitur uero ab alijs prædicabilibus, quia dicitur de pluribus numero differẽtibus per quid qui modus nulli aliorum conuenit. Sed contra hoc arguunt. primo quia artes nullo modo utuntur specie, ut prædicatum est, sed semper ut est subiectum. Secundo, species est quid accidens indiuiduis, non autem per se in existens, & ideo quod non potest esse uniuersale. Tertio, quia Arist. primo topic. non numerauit speciem inter prædicata. Sed ad hæc. ad primum, & tertium. Dicimus logica prædicata alia naturalia esse, alia artificialia. naturalia sunt primo post. quæ apud naturam sunt prædicata. i. quando re ipsa aperta sunt esse in re subiecti; talis enim est conditio prædicati naturalis; & hæc sunt tribus modis, accidens in subiecto, superius in inferiori, & causa in causato. prædicata uerò artis sunt ea, quæ ars de subiecto ostẽdere potest. hoc posito, dico speciem esse prædicatum non artificiale, sed naturale. Arist. in lib. topic. prædicata artificialia docuit, & ideo in iis non numerauit speciem. cum ea non sit prædicatum subiecti scibilis, etiam respectu singularium, quæ non curat ars propter eorum mobilitatem. est tamen species subiectum naturale, quia cum sit superius singularibus, est aptum sua natura in illis esse, & de illis naturaliter prædicari. Species ergo non est prædicatum artificiale, & ideo neque Arist. eam in topicis enumerauit, neque scientiæ in problematibus ea pro prædicato utuntur. est tamen prædicatum naturale, & ideo inter prædicabilia recensetur. Ad aliud dicunt aliqui singularia dupliciter sumi, ut sunt contracta per eorum naturas, & alio modo ut sunt ea, in quibus successio est specierum. & dicunt indiuiduis primo modo accidere speciem, sed non singularibus secundo modo, de quibus est uniuersale prædicatum. Ego tamen credo singularia secundo modo non esse aliud, quàm singularia primo modo, licet sua alia ratione. Sed utcunque sit. Species non accidit alicui eorum, neque uerum est speciem accidere indiuiduis, neque enim superius alicui inferiori accidit, cum non possit remoueri ab eo sine eius corruptione. & præterea species in quid prædicatur, & ideo non potest accidere, cum ea quæ accidunt prædicentur in quale.

Planum autem erit quod dicitur hoc modo. In unoquoque prædicamento sunt quædam generalissima, & rursus alia specialissima: & inter generalissima, & specialissima sunt alia, quæ genera, & species dicuntur eadem.

Cum speciem diffinisset, & duplicem esse dixisset, specialissimam, & genericam, nunc illam more introductoris planam, & intelligibilem reddit. ex situ, & ordine in linea prædicamentali, & per comparationem ad genus; cõtrariæ enim dispositiones iuxta se positæ magis elucescũt. dicit ergo si uis clarius nosse quæ specialissima, & quæ generica species sit, uide hæc ordinata in unoquoque prædicamẽto. & inuenies id quod dictum est de specie uerum quoq; esse de genere, dari uidelicet genus generalissimum & specialissimum, & species genericas & specialissimas, & inter generalissimum, & specialissimum esse genus, & species quasdam medias, quasi dicat maxime agnosces quomodo hæc se habeant.

Est autem generalissimum quidem supra quod nullum aliud sit superueniens genus.

Docet quomodo in linea prædicamentali sit id, quod dixit. & dicit generalissimũ in linea esse illud, supra quod non est aliud genus, & quod est primum omnium. dixit autem genus, non autem, commune, quia supra genus generalissimum esse potest aliquid communius, & tale est ens. Ipsum tamen ens non est superueniens genus. sed quiddam commune quod non est genus.

Specialissimum autem est, post quod non est alia inferior species. Inter generalissimum autem, & specialissimum, alia, quæ genera, & species sunt eadem, ad aliud quidem, & ad aliud sumpta.

Nunc explanat quid sit specialissimum, & ait esse ultimam in inferiori parte lineæ speciem, sub qua alia species non est. Sed si aliquid est infra eam, sunt singularia. quæ uero inter illud generalissimum genus, & hanc specialissimam speciem sunt, ea possunt dici & genera & species. alia tamen, & alia ratione, relata enim ad id, quod supra est, dicuntur species, relata uero ad id, quod est inferius, genera.

Sit autem in uno quidem prædicamento manifestum quod dicitur. Substantia est quoddam, & ipsa genus, sub hac autem est corpus, sub corpore autem animatum corpus, sub quo animal, sub animali uerò rationale animal, sub quo homo: sub homine uerò Socrates, & Plato, & qui sunt particulares homines. Sed horum substantia quidem generalissimum est, & quod genus solum: homo uerò specialissimum, & quod solum species, corpus autem species quidem est substantiæ, genus uerò animati corporis, & animatum corpus, species quidem est corporis, genus uerò animalis: animal autem species quidem est corporis animati, genus uerò rationalis animalis: sed rationale animal species quidem est animalis, genus uerò hominis: homo uerò species quidem est rationalis animalis, non autem genus particularium hominum, sed solum species: & omne quod ante indiuidua proximum est, species erit solum, non etiam genus.

Exemplo declarat ea, quæ dixit in genere substantiæ: assumpsit autem substãtiã, quia ea notior est quibuscũq; accidentibus, cũ subiectũ sit magis constans, & ens prius in esse. & ideo si in genere substãtiæ ita est, eodem modo etiam erit in alijs. Dicit ergo generalissimum esse substantiam: specialissimum autem, hominem. homo enim nullum aliud genus, aut speciem habet sub se, sed sola indiuidua cõtinet. corpus uero, & animatum sunt ea, quę in medio generis generalissimi, & speciei specialissimæ existentia, & genera dici possunt & species. Sed dubitatur hic, cur nõ una species specialissima sit, sicuti unum genus est generalissimum. Dicũt aliqui, quia diuisio incipit ab uno, & terminatur in plura, sed hæc ratio non soluit, cum etiam plura possint terminari in unum. Credo ego in superioribus semper inferiora uniri, & ideo oportet ad unum tandem deuenire, quod secari non posse, alioqui daretur processus in infinitum. ideo unum est tantum generalissimum & nõ plura. Dubitatur adhuc, qua ratione dicat Porph. ĩmortale esse speciẽ animalis. Dicas esse quædam animalia, quæ uiuunt uita intelligẽtiæ, & rationis & desiderij & motus, quæ tamẽ sunt immortalia. & hi sunt orbes coelorum, Auerro. n. in primo coeli, totum coelum

animal

animal unum esse dicit, particulares uero orbes ut membra animalis esse, quæ ut duodecimo metaph. 33. intelligunt etiam ipsa & considerant. Sunt tamen ea animalia cum istis inferioribus, æquiuoce & hoc ad philosophos spectat. Vtcunque tamen, hic positum est hoc exemplum, non quia uerum sit, sed exempli tantum gratia.

Quemadmodum igitur substantia cùm suprema sit, eò quod nihil supra eam sit, genus est generalissimum: sic etiam homo cum sit species, post quam non est alia species, neque aliquid eorum, quæ possint diuidi, sed solum indiuidua (indiuiduum enim est Socrates, & Plato, & hoc album) species erit solum, & ultima species; & (ut dictum est) specialissima: quæ uerò sunt in medio eorum quidem quæ supra ipsa sunt, erunt species, eorum autem quæ post ipsa sunt genera. Quare hæc quidem duas habent habitudines, eam quæ est ad superiora, secundum quam species ipsorũ esse dicuntur; & eam quæ est ad posteriora, secundum quam genera ipsorum esse dicuntur. Extrema uerò unam habitudinem: nam & generalissimum ad ea quidem quæ posteriora sunt habet habitudinem, cùm sit genus omnium id quod est supremum: eam uerò quæ ad superiora non habet, cùm sit supremum, & primum principium, & (ut diximus) supra quod non est aliud superueniens genus: specialissimum autem unam habet habitudinem, eam quæ est ad superiora quorum est species, eam uerò quæ est ad posteriora non diuersam habet, sed etiam species indiuiduorum dicitur: sed species quidem dicitur indiuiduorum, uelut ea continens: species autem superiorum, uelut quæ ab eis continetur.

Posita linea & ordine in prædicamento substantiæ. Fusius declarat quomodo in ea arbore unum dicatur esse generalissimum & aliud specialissimum. Dicitq; sicuti genus generalissimum in hoc prædicamento dicimus esse substantiam quia ea non habet aliud genus supra se, ita & homo erit species specialissima quia non habet aliam speciem sub se, & infra se; homo enim, quamuis alia multa sub se & infra se habeat, ea tamen non sunt species, sed indiuidua. declarat autem quid intelligat per indiuiduum, & in genere substantiæ & in genere qualitatis. tale enim est socrates & Plato & hoc album. Vocauit autem talem speciem ultimam, quia ultimum & finis quinto metaph. et secundo illud est, extra quod nihil est rei. & ultimum agri est extra quod, nihil est agri. Explicat postea, quæ sint media quæ, & dicuntur genera respectu inferiorum, et species respectu superiorum. & dicit, (quare hæc quidem duas habent &c.) idest cum ea, quæ ita in medio sunt inter genus generalissimum, & speciem specialissimam, referantur ad duo. cum unum & idem referri ad plura una ratione nequeat, merito et hæc media duas habebunt habitudines. alteram ad superiora, cuius ratione dicuntur species; ut animal respectu substantiæ, & alteram ad inferiora, cuius itidem ratione dicuntur genera, ut idem animal respectu hominis, leonis, & bouis. Extrema uero cum uno modo dicantur unam tantum habitudinem habebunt. genus quidem generalissimum relationem tantum habebit ad species & genera, quæ infra ipsum sunt: species uerò specialissima ad ea solum quæ supra ipsa sunt. Sed dicet forte aliquis, speciem specialissimam habere duas habitudines, unam qua superiores species respicit, ut homo cum respectu animalis cõsideratur, & aliam qua respicit ea, quæ sub ipsa sunt, ut cum idem homo respectu Platonis Socratis et aliorum singularium hominum, consideratur. Respondet author per ea uerba {Sed species quidem dicitur indiuiduorum} quod eadem habitudo est speciei specialissimæ non autem diuersa, propterea quod ad utraq; comparata & ad superiora genera & species, & ad inferiora indiuidua, species semper dicitur. Sed circa hunc locum dubium est, qualia media dicantur esse hæc genera inter generalissimum & specialissimum. Dicit Alber. esse media non participatione extremorum sed positione, & ordine. Tu uero adde, quod sunt media quia in medio loco sunt posita, & quia extremorum conditiones participant, nempe speciei et generis ut dicit Porph. Sed adhuc dubitatur, quia genus & species sunt opposita, ergo habent oppositas habitudines & diuersas. ergo speciei specialissimæ habitudo ad indiuidua non erit eadem cum ea, quæ est ad superiora illi genera, ut dicit Porph. Quicquid dicant alij, credo ego ex sententia Porph. speciem specialissimam diuersas habitudines habere, unam ad superiora ratione qua species, aliam ad inferiora ratione qua specialissima dicitur. Dices, hoc est contra Porphyrium qui dicit eam ad inferiora comparatam non habere aliam habitudinem quam illam, qua ad superiora comparatur. dicit enim in hæc uerba, {Eam uero quæ est ad posteriora non diuersam habet &c.} Pro hoc scire oportet habitudinem speciei ad superiora duobus modis posse intelligi. uno modo ut est habitudo inferioris ad superius: alio modo ut est speciei habitudo ad genus. ita etiam genus duplicem habere habitudinem potest. unam ut ad aliud genus: & aliam ut ad superius: species ad genus habet habitudinem speciei; ad inferius uero solum superioris non autem generis. ita & genus generalissimum comparatum ad inferiora habet respectum generis, ad superiora uero non speciei, sed inferioris, sicuti cum refertur ad ens. Cum ergo dicit Porphy. de specie specialissima, quod ad inferiora non habet aliam habitudinem ultra eam quam habet ad superiora. intelligit de habitudine quæ sit sicuti generis ad species. sicuti in subalternis generibus est. habet tamen habitudinem aliam, sicuti superius ad inferiora. & hoc Porphyrius concedit, cuius signum est, quòd cum dubium illud remouet de speciei specialissimæ habitudine, dicit quod species indiuiduorum dicitur ueluti ea continens, superiorum uero ut ab eis continetur. uult enim dicere quod licet species ad ambo cõparata dicatur uno nomine species, & ad superiora & ad inferiora, alia tamen id ratione est, quia dicitur species inferiorum ut ea continens, superiorum uero ut contenta, idest ut inferius. inferioris enim est contineri. Sed quomodo superius continet inferius? Arist. dicit primo physic. quarto, quod sicut totum partes integrales. particularia enim inferiora sunt partes speciei, hæc generis, & hoc rursum alterius. dicitur autem genus & species totum uniuersale eo quod in uniuersali & in potentia continet esse minus particularium. & per hoc differt totum uniuersale à toto integrali, quia integrale actu partes continet. Sed contra, genus est pars speciei, & species singularium. ergo non dicenda sunt tota. Ad hoc idem dicimus, idem dici totum & partem non esse inconueniens, diuersis tamen modis. nam genus totum est uniuersale & in potentia. (in uniuersali nanque & potentia continet omnes species, ut animal hominem & leonem, unde & primo poster. scire in uniuersali est scire in potentia,) sed species totum est continens & genus ipsum & differentias. (constituitur enim species ex genere & differentijs.) unde & alio modo totum dicitur, nempe quidditatiuum.

Determinant igitur generalissimum genus ita, quod cum genus sit, non est species. Et rursus, supra quod non est aliud superueniens genus. Specialissimum uerò, quod cùm sit species non est genus. Et cum sit species, nunquam diuiditur in species. Et quod de pluribus, & differentibus numero in eo, quod quid est, prædicatur.

Collegit nunc ex dictis clarioris doctrinæ gratia, duplicem generalissimi & triplicem speciei specialissimæ rationem. Nam generalissimum illud dicitur esse, quod cum sit genus non est species, seu supra quod non est aliud genus. Specialissimum uero, id quod cum sit species non est genus. & quod cum sit species non diuiditur in species. Et quod prædicatur de pluribus differentibus numero in eo quod quid. Et hæc omnia satis supra sunt declarata. Dixit autem (determinant) idest diffiniunt, quinto enim metaphysic. diffinitio terminans dicitur, quia cognitionem subiectæ rei determinat. Sed circa hæc dubitatur, nam reperiuntur quædam species, quæ de uno numero non autem de pluribus prædicantur. ut phœnix, sol, & omnia fere æterna. Ad hoc respondet Boethius diffinitionem speciei ueram esse propterea quod in pluribus uerificatur. prædicari enim de pluribus numero pluribus speciebus conuenit, quam non prædicari. Et hoc confirmat Auer. secundo prior. octauo dicens regulas logicas ut plurimum esse ueras. Soluit etiam aliter, quod licet non actu, tamen aptitudine de pluribus prædicatur. Et pro hoc scire oportet primo cœli quoto, formam & speciem in quantum est forma aptam esse ut sit in pluribus, sed si non est in pluribus, hoc euenit defectu materiei, in qua esse non potest, quia tota illa materia est apta uni tantum indiuiduo, sicut dicit de mundo. Quare uerum est, quod dicit Boethius speciem per aptitudinem de pluribus prædicari, & sic est apta ex parte sui in pluribus esse. Sed quæres num genus in una specie possit esse sicut species in uno indiuiduo? Ad hoc respondet Boethius non posse, nam genus per differentias secatur, quare esse non poterit sine speciebus, quæ per differentias constituuntur, & saltem duæ sunt. si enim una harum differentiarum pereat, non saluabitur generum diuisorum substantia. Sed hoc non placet, nam differentiæ non sunt de essentia generis, sed accidunt ei, quare & sine aliqua earum & sine una esse potest. Præterea si solus homo ex animalibus sit, tunc quæro, an homo sit animal. Præterea sicut in specie uni singulari tota inest natura speciei, ita in specie, tota natura generis inerit uni speciei. Quis enim negabit totam naturam animalis habere hominem? Propterea dicamus nos genus quantum de se est, posse in una specie reperiri, propter rationes dictas, sed tamen quia id quod constituit speciem est differentia, oppositam habens altam differentiam, & oppositorum si unum est, necesse est ut sit reliquum, ideo merito huius, non autem propter genus oportet non esse unã solam speciem in qua sit genus. tum etiam quia species æternæ sunt & necessario se consequuntur.

Ea uerò quæ in medio sunt extremorum, sub alterna uocant genera, & species, & unumquodque ipsorum speciem esse, & genus ponunt ad aliud quidem, & aliud sumptum: ea enim, quæ sunt ante specialissima, usque ad generalissimum ascendentia, & & genera dicuntur, & species subalterna. Sicut Agamemnon, Atrides, & Pelopides, & Tantalides, & ultimum Iouis.

Nunc de his loquitur quæ media esse dixit inter generalissimum & specialissimum, & habere duplicem habitudinem, unam ad superiora, alteram ad inferiora, & ait hæc uocari subalterna genera & species & habere omnia & rationem generis & rationem speciei, relata tamen ad aliud & aliud; suntq; talia subalterna ea omnia & genera & species quæ intra generalissimum sunt & specialissimum. Subiungit autem ad hæc clarioris doctrinæ gratia exemplum sensui maxime patens, nempe de genere & familia. Et dicit enuntiando ita esse in generibus & speciebus, sicuti in familijs & in genere primo modo dicto. Erat enim multorum ab uno collectio, Sicut ergo in genere logico specialissimum dicimus id quod solum species est. & generalissimum quod solum genus, sic etiam in genere primo modo dicto quidam est qui solum filius est non pater. & quidam qui solus pater non filius: & sicut in genere logico inter generalissimum & specialissimum plura sunt genera & species intermediæ, ita inter primum illum patrem & ultimum filium plures sunt & patres & filii. Atque ita hoc posito exemplo facilius in logico genere intelligetur, quæ sint ea intermedia & quæ generalissima aut specialissima.

Sed in familijs quidem plerunque ad unum reducuntur principium: uerbi gratia, ad Iouem: in generibus uerò, & speciebus non sic se habet. Neque enim est commune unum genus omnium ens, nec omnia eiusdem generis sunt secundum unum postremum genus; quemadmodum dicit Aristoteles: sed posita sint (quẽadmodum in prædicamentis dictum est) prima decem genera, quasi prima decem principia.

Quamuis exacta sit similitudo inter familiam & genus logicum. differunt tamen quodam modo, ideo ne credas genus logicum ex toto cum primo illo genere conuenire, propter similitudinẽ quam posuit inter ea. subiungit quòd quamuis par ratio sit de generalissimo, specialissimo, & subalternis inter primum genus & logicum. differunt tamen, quia in genere primo omnia ad unum tanquam principium reducuntur, sicuti ad Iouem, at in genere logico non habent genera hęc omnia unum principium ad quod referri possint, nec unum genus. Sed dicet aliquis contra Porphyrium, nonne multitudo horum patrum et filiorum idest unius familiæ tota refertur ad unum patrem, & multitudo alterius familiæ ad alium patrem, & sic de singulis, eo modo quo genera & species substantiæ ad substantiam & qualitates ad qualitatem reducuntur? Dicas omnium hominum multitudinem reduci ad unum patrem quem leges Adam uocant. quamuis hoc non sit apud philosophos qui æternum mundum dicunt, & species mundi æternas. Sed utcunque, ponitur hoc pro exemplo. Cum ergo dixit differre ita hæc genera inter se, quod in primo genere deuenire est ad unum principium, in logicis autem generibus non ad unum, sed ad plura genera deuenire oportet. remouet postea id quod aliquis posset obijcere his uerbis. {neque enim est commune &c.} Dicet aliquis genera etiam ipsa reduci ad unum primum genus quod est ens, uel aliud commune sicut ens, quod primum omnium genus sit. sicuti sunt transcendentia. Respondet non posse reduci omnia genera ad ens tanquam ad commune genus: quia licet ens sit commune, non tamen ut genus: fieri enim non potest ut ea omnia quæ sunt, habeant unum genus sub quo contineantur. quod confirmat ex dictis Ari, qui in prædicamentis posuit decem prima genera, tanquã prima principia non habentia priora genera, neque inter se habentia unum quod sit prius altero, sic enim non essent prima genera & principia.

Et si quis omnia, entia uocet, æquiuocè (inquit) nuncupabit, & non uniuocè: si enim unum esset commune omnium genus ens, uniuocè entia dicerentur. Cùm uerò decem sint prima, communio secundùm nomen est solum, non esset secundùm rationem, quæ secundùm nomen est.

Cum dixit genus omnibus prædicamentis non esse ens, nunc aliquis obijciet, quòd uidemus omnia illa genera appellari entia, ergo ens commune est genus eorum omnium. Ad hoc respondet, Et pro hoc scire autem oportet, quod uniuocum nomen est quod unam rationem uno nomine in pluribus significat, æquiuocum uerò quod plu-

res rationes uno & eodem nomine ſine ordine ad naturam unam deſignat. analogum autem quod plures naturas eodem nomine cum ordine ad unam naturam ſignificat. ut in primo Elenchorum diximus. Sed ſcire oportet, ut in epitomate logico dicit Auerroes, quod analogum aliquo modo & aliquando æquiuocum ſolet dici. His ſcitis, reſpondet Porph. quod licet omnia prædicamenta dicantur entia communi & eadem uoce, non tamen per unam rationem. Sed genus unam uocem ſecundum unam rationem dicit de ſpeciebus, & ideo ens non uniuoce dicitur de decem generibus, ſed æquiuoce, id eſt analogice, id eſt ſecundum plures rationes, ordinatas tamen ad unam; dicuntur enim accidentia omnia eſſe entia, ſed primo ſubſtantia eſt ens, & in ordine ad ſubſtantiam accidentia entia ſunt. Ideo cum ens non uniuoce dicatur de primis decem generibus, non erit eorum genus. ſed quod non uniuocum genus ſit prædicamentorum ipſum ens, declarat Boethius ſumens ab Ariſt. quarto metaph. quia, ens & unum conuertuntur. ſi enim eſt unum, eſt ens. & ſi ens, eſt unum. modò ſi ens eſſet genus, eſſet & unum. & ſic unius ratio ad plura genera ſubalternata eſſet, quod eſt falſum. Sed dici poſſet ad Boethium. quod differt ens & unum, ſaltem ratione. & aliqui etiam dicunt differre quod unum ſit paſſio entis. Sed utcunque ſit, non eſt altera uia certior, ea qua uſus eſt Porphyrius, ex diffinitione uniuoci generis. Sed dubitabis, quia ſi ſola uox communis eſt, ergo pure æquiuocum eſt ens. cum non dicat ordinem. Dicas Porphyriū dixiſſe, quòd ſecundum nomen ſolum conueniant, nō unitatem tamen ordinis excludendo; ſed, cum dixit ſola uoce commune eſſe & non ratione, habuit intentū; quod ſcilicet ens non ſit genus. quòd uero addat, ſi ſecundum ordinem dicatur uel non, & ſi ſit æquiuocum purum an analogum, non eſt opus, & ideo indiſcuſſum relinquit, cum ſufficiat ſcire quod uniuocum non eſt, & ideo neque genus. Sed dices quarto metaph. omnia reducuntur ad ſubſtantiam quæ unum genus eſt: & 12. metaphy. docet Ariſt. reducere principia aliorum ad principia ſubſtantiæ. ergo ſubſtantia erit genus aliorum generum, non autem ens. Dicas, hoc eſſe proprium analogi ut plura ſignificet, inter quæ unum primo ſignificat quod eſt aliorum cauſa, uel ut finis, uel ut agens, uel ut ſubiectum. Illud quod primo ſignificatur per ens eſt ſubſtantia, quamuis etiam alia omnia genera ſignificet, & primo de ſubſtantia dicitur. ad quam reliqua ut ad primū ſubiectum reducuntur quarto metaph. ſecundo, ut ad primum ſignum entis, non autem ut ad primum genus. Vnde non ualet, reducuntur ad ſubſtantiam quæ eſt genus, ergo ſubſtantia eſt aliorum genus. Eſt enim locus ſophiſticus.

Decem igitur generaliſsima quidem ſunt: ſpecialiſsima uero in numero quidem quodam ſunt, non tamen infinito: indiuidua autem quæ ſunt poſt ſpecialiſsima, infinita ſunt. Quapropter uſque ad ſpecialiſsima à generaliſsimis deſcendentes iubebat Plato quieſcere, deſcendere autem per media diuidentes ſpecificis differentijs: infinita uero (inquit) relinquenda ſunt, neque enim eorum diſciplinam poſſe fieri.

Cum dixerit prædicamenta non habere unum genus, ſed ipſa prima eſſe genera, nunc incidenter de numero prædicamentorum uult conſiderare & modum aſcendendi in ipſis rerum generibus. hęc.n. omnia, ubi ſciantur, præuiæ ſunt cognitiones ad ſcientiam prædicamentorum, cum ad cognitionem ſpecierum & generum faciant. quæ intendit, agit autem de numero, quia numerus eſt unum de rebus cognoſcibile. Dicit ergo quod generaliſſima decem ſunt numero, ſpecialiſſima uero quot ſint non adhuc quidem nobis conſtat, numerabilia tamen ſunt, & numerū habent terminatum. indiuidua uero quæ ſub ſpecialiſſimis ſunt poſita, nec terminatum adhuc numerum habent, nec terminabilem. Confirmatq; hoc de indiuiduis Platonis authoritate, qui docens aſcenſum & deſcenſum inter generaliſſima & ſpecialiſſima, per media genera & ſpecies, iubet ut ubi ad ſpecialiſſimam ſpeciem uentum fuerit ibi quieſcamus. propterea quod ſequantur indiuidua quæ infinita ſunt numero & ideo quæ cum cognoſci à nobis non poſſint, ſunt relinquenda. ſed quæret aliquis, quomodo ſpecies finitæ ſint, & indiuidua infinita. Reſpondent aliqui, quia ſpecies totum eorum eſſe proprium habent a differentijs, quæ ſunt finitæ, ideo & ipſæ ſpecies finitæ ſunt, ſed tunc quæram ego ab his. quare differentiæ finitæ ſint. Vnde dico ego, quod ſpecies cum ſint partes mundi, qui æternus eſt, ipſæ etiam æternæ ſunt. ſed quod æternum eſt, finitum eſt, ſi enim æternum eſſet infinitum, eſſet infinitū actu, quod eſt contra naturam; ideo & ſpecies ipſæ finitæ ſunt. Quomodo autem cum finitæ ſint ſpecies, indiuidua tamen ipſa infinita ſunt? Dico quod ſpecies & actu & poteſtate finitæ ſunt, & non ſolum ſpecies, ſed etiam ipſa indiuidua finita ſunt, non autem infinita: ſi enim indiuidua infinita eſſent, cum actu ſint, infinitum in actu eſſet, quod diximus eſſe contra naturam. Verum ſi comparentur indiuidua ad ſpecies, quia ſpecies numerari poſſunt facilius, indiuidua uero multo difficilius, cum ſint longè plura indiuidua quam ſpecies, tunc reſpectu ſpecierum indiuidua infinita dicentur, licet non ſint infinita.

Deſcendentibus igitur ad ſpecialiſsima neceſſe eſt diuidentes per multitudinem ire: aſcendentibus uerò ad generaliſsima, neceſſe colligere multitudinem in unum. Collectiuum enim multorum in unam naturam ſpecies eſt, & etiam magis id quod genus eſt: particularia uerò, & ſingularia econtrario ſemper in multitudinem diuidunt id, quod unum eſt. Participatione enim ſpeciei, plures homines unus: particularibus autem & ſingularibus unus, & communis plures: diuiſiuum enim ſemper eſt quod ſingulare eſt: collectiuum autem & adunatiuum quod commune eſt.

Expoſito numero & generum & ſpecierum & indiuiduorum, nunc modum aſcendendi & deſcendendi in uno quoque genere declarat, dicens quod deſcenſus à generaliſſimo ad ſpecialiſſimum fit diuidendo unum in multa. aſcēſus uero colligendo multa in unum & eſt à ſpecialiſſimo ad generaliſſimum. quod declarat quia aſcenſus fit a ſpeciebus ad genus, ſpecies autem collectiua eſt multorum in unum. & genus etiam magis eſt collectiuum quam ſpecies. in deſcenſu uero a genere in ſpeciem, diuidimus genus in plures ſpecies & rurſum has in alias ſi ſint, & has demum in ſpecialiſſimas. & has denique in indiuidua, atque ita in maiorem ſemper multitudinem fit diuiſio. quod autem cum aſcendimus, a multis ad unum aſcendamus, eo patet. quia participatione ſpeciei plures homines ſunt unus homo. quod autem cum deſcendimus ab uno ad multa eamus, patet quia unus homo ſecundum ſpeciem, multiplicatur in multos particulares homines, atque ita patet ordo aſcendendi & deſcendendi in generibus. Sed circa hoc quod dictum eſt plures homines in unam naturam duci, & eſſe unum hominem; notandum eſt, quod totum duplex eſt, pro nunc, totum integrale, & totum uniuerſale; partes utriuſque totius per aſcenſum reducuntur in ſuum totum, (dicuntur autem partes totius integrales, partes integrales, totius uero uniuerſalis ſingulares,) ſed differunt tamen. quia partes integrales in ſuum totum reductæ differunt a ſuo toto, (cum enim domus ſit totum integrale differunt a domo tecta, parietes, & fundamenta, quæ illius partes ſunt) partes uero ſingulares reductæ in ſuum totum non differunt ab eo, Socrates enim in naturam humanam ductus

est natura humana. secundo differunt, quia partes integrales simul ductæ inter se differunt, (differt enim tectum a parietibus) partes uero singulares non differunt, cum Plato & Socrates in humanam naturam ducti, unum sint; solum enim natura humana sunt. tertio ex dictis differunt, quia totum integrale non prædicatur de parte, cum pars in ipsum ducta non sit idem cum toto. at totum uniuersale prædicatur, quia illud met est pars singularis in totum ducta cum toto. differunt quarto, in modo reducendi ad unū, propterea quod partes integrales localiter in unum situm & locum ordinatum ducuntur, partes uero singulares non, ut patet.

Assignato autem genere, & specie, quid sit utrunque eorum, & genere quidem uno, speciebus uerò pluribus (semper enim in plures species diuisio generis est) genus quidem semper de speciebus prædicatur, & omnia superiora de inferioribus: species autem neque de proximo sibi genere, neque de superioribus, neque enim conuertitur. Oportet enim aut æqua de æquis prædicari, ut hinnibile de equo aut maiora de minoribus, ut animal de homine: minora uero de maioribus minimè. neque enim dices animal esse hominem: quemadmodum hominem dices esse animal.

Cum dictum sit hactenus de genere & de specie, uult nunc ostendere quomodo hæc prædicentur inter se. dicit ergo cum assignatum sit a nobis & diffinitum utrunque et genus & species quid sint. & quod genus est unum, species autem plura, habent se genus & species quo ad prędicationem, ad eum modū, quod genera de specialibus prædicantur, species autem non prædicantur, de genere. quod suadet, quia superiora de inferioribus prædicantur, nunquam autem inferius de superiori, ideo genus prædicabitur de speciebus, sed species non de genere. neque enim conuertitur si genus prædicatur de speciebus, quod species prædicentur de genere. quod probat, quia prædicata naturalia debent esse uel æqualia cum subiectis sicut risibile cum homine, & omnia propria cum eorum subiectis: uel maiora, scilicet in communitate & superiora sicut animal superior est homine, minora uero non possunt de superioribus & maioribus prædicari naturaliter, quod confirmat exemplo, quia dicimus hominem esse animal, ubi prędicatum est genus, subiectum autem species. sed non econtrario animal dicimus esse hominem, ita quod prędicatum sit species. Sed quæres quomodo species dicatur non posse prædicari de genere. nam, nonne dicimus aliquod animal est homo? præterea dicimus, animal aliud est rationale aliud irrationale, quæ sunt differentiæ specierum: ergo & species prædicabitur quæ nihil aliud est se primo metaphys. quam ultima rei differentia. præterea dicimus quod numerus est par uel impar, quæ sunt propria specierum numeri, ergo & species quarum hæc sunt propria prædicabuntur de numero. Ad hæc rememorari oportet quædam quæ supra dicta sunt, quod prædicata & subiecta quædam sunt naturalia, quædam præter naturam. naturalia sunt quando res significatę per prędicatum sunt aptę inesse rei subiecti, & ea dicimus esse accidens de subiecto, causam de causato, & superius de inferiori. & omne quod ut forma aptum est esse in subiecto ut diuidentia sunt de diuisis. sunt enim hæc quæ diuidunt etiam ipsa contrahentia & diuidentia diuisum ipsum tanquam formæ. formæ autem est determinare & contrahere. sciendum præterea, quod in primo poster. 36. quando proprium generis est ignotum, tunc oportet sumere propria specierum: non unum, quia conuertibile est cum specie, sed utraque ambarum specierum. sed hæc sumere oportet cum nota disiunctionis, sic enim conuertibilia sunt: sine disiunctione autem non sunt conuertibilia, conuertitur enim cum numero quod sit par uel impar, sed nō sine disiunctione. Notandum adhuc est quod alia est ratio differentiæ & proprii, & alia ratio speciei cui insunt differentiæ & proprium. nam differentia & proprium possunt habere rationem contrahentis, alterum ut differentia, alterum ut proprium. species uero habere non potest. sic ergo respondetur ad argumenta, nam prima prædicatio, aliquod animal est homo, est innaturalis, secunda uero, animal est rationale uel irrationale, numerus est par uel impar cum illa disiunctionis nota sunt naturales quidem, sed non sine disiunctione. species autem si de genere prędicaretur esse prædicatio non naturalis. sed dubitat adhuc, quia subiectum prædicatur de passione & diffinitum de diffinitione, & hæc est prædicatio æqualis de æquali, & tamen hæc non sunt prædicata naturalia. Propter hoc credo ego oportere ut uerba. Porphyrij. cum dicit æqua de æquis prædicari naturaliter, non minora intelligamus, sed prorsus ęqualia, & quæ ita se habeant, quod natura res prædicati insit rei subiecti, ut forma, talia autem non sunt propria cum subiectis, & diffinitum cum diffinitione.

De quibus autem species prædicatur, de ijs necessario et speciei genus prædicabitur, & generis genus usque ad generalissimum. Si enim uerum est Socratem hominem dicere, hominem autem animal, animal autem substantiam, uerum est & Socratem animal dicere, atque substantiam. Semper enim cum superiora de inferioribus prædicentur, & species, quidem de indiuiduis prædicabitur: genus autem & de specie, & de indiuiduo, generalissimum uero de genere, uel de generibus, si plura sint media, & subalterna, & de specie, & de indiuiduo. Dicitur enim generalissimum quidem de omnibus sub se positis generibus, & speciebus, & indiuiduis: genus autem, quod ante specialissimum est, de omnibus specialissimis, & indiuiduis: solum autem species de omnibus indiuiduis: indiuiduum autem de uno solo particulari.

Nunc aliam conditionem prædicationis assignat dicens quod necesse est ut ea de quibus species prædicatur, de iis non solum proximum genus, sed etiam genus suprà illud prædicetur, ueluti quia homo de Socrate prædicatur. de eodem Socrate & animal & substantia prædicabitur: & hæc est regula quam Aristot. in ante prędicamentis & sexto Topic. ponit. Manifestat exemplu sicuti diximus de Socrate. postea reddit causam huius rei, quia enim superiora de inferioribus prædicantur, ideo genera de indiuiduis prædicantur, & de ijs generibus superiora genera usque ad generalissimum. & omnia hęc in textu patent. Addit unum quod cum cetera omnia & genera & species de pluribus prædicentur, Indiuidua tamen de uno solo prędicantur, contra hos arguit Auerroes quia indiuidua substantiæ de nulla prædicantur re secundū usum naturæ: & propterea uult Auerroes diffinitionem hanc quā Porphyrius de indiuiduo attulit, conuenire tantum indiuiduo accidentis, & propriam diffinitionem indiuidui esse id quod non prædicatur de pluribus. quod autem indiuiduum substantiæ prædicari non possit de uno, probatur, quia si prædicatur, non prædicatur ut uniuersale de particularibus, cum non habeat particularia, neque ut prædicatum naturale. cum nemini sit aptum inesse ut forma, quæ est conditio prædicati naturalis. sed est per se constans, & solum subiectum, & inferius: & confirmatur per Arist. qui dicit singulare substantiæ esse quod neque in multis inest, neque de multis dicitur, ergo non est prædicatum naturale. Respondent aliqui ad Auerroem, quod licet indi-

uiduum substantiæ non sit aptum inesse alteri & propterea non sit uniuersale, est tamen aptum de se ipso prædicari. & hoc modo erit prædicatum naturale. sed contra quia 10. metaph. idem de se ipso non solum non prædicatur naturaliter, sed neque etiam prædicatur. præterea in primo de interpretatione diffinit Arist. singulare, quod nõ de multis dicitur, sicuti etiam Auerroes putat esse diffiniendum in hoc loco. sed aliqui tuentur Porph. hoc modo, quia prædicati quoddam est naturale, quoddam artificiale. naturale in quo nihil ignotum fit notum. artificiale uero in quo aliquid ignotum fit notum. ex quo sequitur idem de se ipso prædicari non artificialiter. ibi enim nihil ignotum fit notum, sed naturaliter quia idem de se ipso prædicatur. Modo quando Arist. dicit indiuidua de nullo prædicari, dicunt, eum intelligere de prædicatione artificiali non autem de naturali, nam de seipsis naturaliter prędicari possunt, & sic diffinitio a Porph. tradita omni indiuiduo competit, nam de uno solo idest de se ipso prędicari omne indiuiduum siue substantiæ siue accidentis poterit. sed hi errant. nam prædicatio de se ipso ut diximus, non solum non est naturalis, sed neque etiam prædicatio. 10. meta. octauo & primo poste. 22. imo ex ipsis compositis enunciationes non docent, ut in quæsito de hac re diximus. Et si prædicatio esse concedatur, non est naturalis, cum nihil secundum naturam sit aptum idem ut forma sibi ipsi inesse, nisi hoc fiat per intellectum, neque potest aliquid respectu eiusdem subiectum esse & prędicatum, cum prædicati & subiecti rationes diuersæ sint, quę omnino eidem, ut unum singulare est, non possunt conuenire. neque etiam est artificialis, cum ex talibus propositionibus non fiant syllogismi, nisi ridiculosi ut dicit Boethius in cap. de syllogismo cathegorico. quia non esset ex tribus terminis, tum quia ex positis non sequitur aliud sed idem. Propter hoc alij dicunt idem de se ipso neque naturaliter neque artificialiter prædicari, sed innaturaliter. Quia tamen non erat ut Porphirius tempus tereret in talibus prædicatis distinguendis, ideo merito dicit idem de se ipso & de uno solo prædicari ut separaret indiuiduum & a genere & a specie quæ de pluribus prædicantur. non curans an naturaliter an nonnaturaliter prædicentur. Sed isti errant, cum ex proprio intento Porphy. supra dixerit superiora & maiora de minoribus prædicari, non tamen econtra. quod non esset uerum nisi prædicationem naturalem curaret. minora enim de maioribus innaturaliter prædicantur. Alij uero sic tuentur. quod prædicari de uno solo non est prædicari, cum ergo ibi non definiat singulare, sed ipsum a specie & genere diuersum esse uelit ostendere, ideo dixit de uno solo prædicari, non tamen quod hoc sit prædicari. sed hoc est extorquere uerba Porph. scire ergo oportet singularia quędam esse substantiæ, & quædam accidentis, substantię ut in ante prædicamentis dicitur de nullo dicuntur naturaliter. nam dictum est naturale prædicatum esse substantiæ, non uero artificiale, quia singularia non curat ars. secundo notandum est Porph. hic non diffinire indiuiduum, sed uelle tantum assignare proprietates prædicatorum. Cum ergo dixit proprium esse speciei de pluribus, singularibus, generis uero de pluribus speciebus dici. sequitur in dando differentias & proprietates indiuidui accidentis, dicens indiuiduum si prædicatur non prædicari de pluribus, sicut genera & species, sed de uno solo sicuti prædicantur indiuidua accidentis. Et ita obiectæ rationes soluuntur. Et ad primum dicimus, indiuidua accidentis esse prędicata naturalia quia accidunt substantiæ sicuti forma, & ideo de ea prædicantur. Ad aliud dicimus Arist. diffinire indiuiduum in communi, Porph. uero non, sed sumere indiuiduum accidentis. non diffinitionem, sed proprietatem assignare ad differentiam generis & speciei. sed quæres qualis sit hæc propositio, sortes est aliquis homo, & similes. Dicendum quòd est prædicatio superioris de inferiori.

Indiuiduum autem dicitur Socrates, & hoc album, & hic ueniens Sophronisci filius, si solus sit ei Socrates filius.

Cum manifestauit indiuiduum differre a genere & specie & differentia, quia illa de pluribus, indiuiduum uero si prædicatur, de uno solo prædicatur: sicuti indiuiduum accidentis: nunc quid sit indiuiduum exemplo declarat. Pro quo scire oportet indiuidua quædam esse substantiæ, quędam accidentis, quædam permanentia, quædam successiua ut sunt tempus & motus. ideo exemplum dat author in omnibus. Socrates indiuiduũ est substantiæ, hoc album indiuiduum accidentis. hic ueniens indiuiduũ successiuum, & sophronisci filius in relatiuorum est genere. sed quia dixit sophronisci filium esse indiuiduum dicere posset aliquis, si sophroniscus plures habeat filios, cum dicimus sophronisci filium dicere nos non unum indiuiduum, sed plura, Respondet unum demonstrari indiuiduum quando unus est filius. si uero plures sint filii, plura quoque sunt indiuidua. Sed quæres cur non dixit. hæc albedo, hic motus, sed dixit hoc album, hic ueniens, cum per hoc signum indiuidua magis possint demonstrari? Dicit Albertus, quia accidentia ex subiectis indiuiduantur, ideo demonstrando accidens in hoc subiecto, hoc accidens demonstramus. sed melius est ut dicamus, quod concreta inter accidentia sunt notiora ipsis abstractis unde dicit Arist. septimo met. quod quidam dixerunt album esse ens, sed non albedinem. propterea ergo Porphyrius qui introductor est & notioribus utitur, exemplum in cõcretis accidentibus potius quam in abstractis protulit.

Indiuidua autem dicuntur huiusmodi, quoniam ex proprietatibus consistunt unumquodque eorum, quarum collectio nunquam in alio eadem erit. Socratis enim proprietates, nunquam in alio quolibet erunt particularium eædem. Eæ uerò quæ sunt hominis proprietates (dico autem eius qui est communis) erunt eædem in pluribus, magis autem & in omnibus particularibus hominibus, in eo quòd homines sunt.

Cum exemplo manifestauerit indiuidua quæ sunt, nũc dat causam quare sunt indiuidua, & dicit esse quia consistunt idest constant ex quibusdam proprietatibus, id est rebus quibusdam sibi propriis collectis, quæ simul collectæ & iunctæ in nullo alio dicuntur. illud enim propriũ est quod soli conuenit. & exemplo Socratis manifestat, Socrates enim proprias quasdam res habet quæ nulli alterij conueniunt. ideo indiuiduum dicitur. sed hic posset aliquis dubitare nonne omnes singulares homines res quasdam communes habent ut ratiocinari, uidere, uiuere uita intellectiua & reliqua huiusmodi? Respondet, quod & si ista sunt communia, non tamen sunt in singularibus ut singularia sunt, sed sunt propria hominis in communi, sunt enim hæc proprietates in omnibus hominibus existentes communi ratione qua homines sunt, non qua hic uel ille homo est. hic autem sermo est de proprietatibus huius & illius hominis, ut hic uel ille homo est. sed quæres statim, quæ sint communia omnibus hominibus. ut homines sunt, & propria huic & illi homini conuenientia. Dicit Albertus esse septem, quibus ut propriis homines inuicem distinguuntur, formam. propriam figuram. propriam familiam a qua descendit quis. propriam denominationem quæ ab aliquo accidente sumitur, ut a curuitate hic curuus homo, propria patria, proprium tempus & proprius locus. sed hic Porph. per communes res

ea intelligit, quæ sunt speciei primo, & quæ conueniunt ratione formæ specificæ, per proprias uero intendit formam, non absolute, sed hanc, & quæ est in hac materia. in hac enim cum nullo conuenit indiuiduum, & quę hanc formam, & hanc materiam insequuntur. hæc enim propria sunt, & non communia;

Continetur igitur indiuiduum quidem sub specie: species autem sub genere. Totum enim quoddam est genus, indiuiduum autem pars, species uerò, & totum est, & pars: sed pars quidem alterius, totum autem non alterius: sed in alijs: in partibus enim totum est. Igitur de genere quidem, & specie, & quid generalissimum, & quid specialissimum, & quæ genera eadem, & species sint, quæ etiam indiuidua, & quot modis genus, & species dicantur, sufficienter dictum est.

Supra dixit indiuiduum sub specie, & species sub genere esse, nunc uero reddit huius rei causam, & dicit hoc esse, quia semper totum est in partibus, quas continet, sed species est totum indiuidui, & genus speciei, ergo indiuiduum a specie, & species a genere continetur. Quomodo uero species, & genera sint totum, & partes, dictum fuit supra, & quomodo differant a toto integrali. Demum authoe recolligit ea, quæ dixerat his uerbis { Igitur de genere quidem, & specie } quæ patent, ideo hæc de specie dicta sint.

DE DIFFERENTIA. CAP. III.

Differentia uerò communiter, & propriè, & magis propriè dicitur.

Cum quid sit genus, quid species, declarauit Porphy. nunc de differentia idem uult facere, sed quare ante proprium, & accidens hoc fecerit, Boethius dicit esse, quia accidens non significat substantiam rei, sicut differentia, de proprio uero quia proprium de uno prædicatur, differentia uero de pluribus. sic enim Porphy. diffinit. sed hoc uerum est de differentia generica, non tamen de specifica, cũ hæc de sola specie prædicetur. Dicamus ergo, tum quia notat substantialem partem speciei, quod neque accidenti, neque proprio conuenit, tum quia differentia, si diuisiua est, ad genus, si constitutiua, ad speciem refertur relatiue, sed relatiua simul innotescunt, ideo post genus, & speciem statim de differentia agendum fuit. Quia autem differentia multis modis dicitur, & multiplex est distinguẽdum, ideo merito ipsam Porphyr. primo loco distinguit, & dicit tres esse differentiarum modos, communiter, proprie, & magis proprie. Pro quo scire oportet, quòd ea, quæ sunt in rebus, tribus modis sunt. uel enim substantię sunt communes, uel propriæ, uel accidentia. si communis sit substantia, per eam non differt res, sed communicat, sicut genus ad ea, quibus comparatur, dicitur uero & accidens, uel communiter, uel proprium, & inseparabile, cum ergo ea, quæ differunt, non differant per id quod commune est, sed per id, quod est proprium, si per rei propriam substantiam differant, differentia maxime propria dicitur. si per accidens inseparabile, propria dicitur differentia: si per accidens separabile, communis differentia appellatur. dicitur autem hæc communis, quia ut dicit Albertus, in communi usu est apud uulgum, quia per hunc modum creduntur communiter res differre. Ego uero credo, quia id, per quod differunt commune est omnibus uel pluribus. sic enim est accidens separabile. dicitur uero differentia secundo modo propria, quia est per accidens proprium, & conuertibile rei. Sed quæres cur tertia differentia maxime propria dicatur, secunda uero tantum propria: nonne proprium accidens, & ipsum æqualiter sicut differentia de specie prædicatur? Dicas ideo, tertiam differentiam maxime propriam dici, secundam uero nõ, propterea quòd licet ambo conuertantur cum specie, & proprium, & differentia, differentia tamen substantia est, alterum uero accidens, sed substantia maiorem facit differẽtiam accidẽte; adde quòd secundo metaph. quarto, & primo poster. 15. cum unum nomen de causa, & causato dicitur prius. prius dicitur de causa, q̃ de causato, ideo cũ differentia sit causa proprii, merito magis de differentia dicitur, quàm de proprio. Sed notandum hic. Dicit Boethius, quòd ea, quæ differunt, sunt tribus modis, uel differunt genere, uel specie, uel numero. differunt genere prædicamenta inter se. differunt specie per substantiales species arbor ab homine, sensibilitate, quæ uero numero differunt, non talibus differentiis differunt, sed accidentibus, quæ uel separabilia sunt, uel inseparabilia. Sed errat, ut ego credo, Boethius. nam quòd indiuidua differant accidentibus inseparabilibus, uel illis conuenit in quantum indiuidua, uel in quantum sub superioribus sunt. Si primo modo non est uerum, cum in quantum indiuidua accidens inseparabile non habeant. si secundo modo. tunc accidentibus inseparabilibus genera, & species differre possunt: & accidentibus propriis species different, quia hæc earum propria sunt, non indiuiduorum. Et si dicas, quòd intendit Porph. per inseparabilia, non propria speciei, sed quæ sunt indiuidui unius, & non alterius, ab ipso inseparabilia: tunc dimisisset aliud membrum, scilicet quo differunt, non differẽtia substantiali, sed propria speciei, quæ in quinto topic. assignatur ab Arist. Præterea differentia est speciei, ut species est, differentia, non autem generis, ut genus & signum est, quia generalissimum non habet differentias, (dico per quas differat, de quibus hic est sermo) ergo si differentia generi conuenit, non conuenit ut genus, sed ut species. unde hac in dando diuisionem alicuius rei non debemus uti. ergo est per accidens. Propterea dicamus nos, quòd illud differre proprie dicimus, quod per aliquod, quod est proprium, differt. modo cum propria, & differentiæ sint propriè conuenientia speciebus, ut species sunt, cuius signum est, quòd genera illas non habent, merito illis differunt species tantum, quia sunt speciei ut species. si uero illis differunt indiuidua, hoc fit non nisi, ut ea sub tali specie sunt, & ideo per accidens.

Communiter quidem differre alterum ab altero dicitur, quod alteritate quadam differt quocunque modo, uel a seipso, uel ab alio.

Cum dixit tribus modis sumi differentias, nunc uult declarare primum modum, & dicit illam differentiam uocari cõmunem, qua aliquid ab aliquo differt quadam alteritate, & diuersitate, quocunque modo sit illa diuersitas, siue per substantiam propriam uel communem, siue per accidens, & proprium, & commune. sed hoc non est uerum absolute, cum ea, quæ differunt per substantiam, ut quæ differunt substantiali differentia, non differant communiter, sed maxime propriè, ut dicetur; & ideo intelligendum est quòd differentia communis est quæcunque alteritas quocunque modo sit. Dixit autem { differre communiter } non autem { differentia communis } quia concretum notius est abstracto.

Differt enim Socrates a Platone alteritate quadam, & ipse a se ipso, & puero, & iam uiro, & iam faciente aliquid, uel quiescente, & semper in aliquo modo habendi se alteritatibus spectatur.

Cum

Cum dixisset alteritatem omnē quocunque sit modo, uel a seipso, uel ab alio, esse differentiam communem, dubitare posset aliquis, quomodo esse possit ut aliquis differat a seipso. nā unum ab alio differre nemo dubitet. Ideo exemplo manifestat quod dixerat, quia Socrates cum senex est a seipso differt cum puer erat, & cum uir fuit. patet ergo idem differre a seipso alteritate quadam. Item Socrates a seipso etiam differt dum unum modo facit, modo aliud, differt enim communi hac differentia cum sedet a seipso cum staret. propterea quod idem non est sedens & stans. quod quiescit & quod mouetur. Et demum, semper indiuiduum substantiæ a seipso alteritate aliqua differt, cum non semper idem agat, sed modo unum, modo aliud, siue corpore siue mente.

Propriè autem differre alterum ab altero dicitur, quando inseparabili accidente alterum ab altero differt. Inseparabile uerò accidens est, ut nasi curuitas, cæcitas oculorum, cicatrix cum exulnere occalluerit.

Secundum modum differentiæ declarat, eam scilicet quæ proprie dicitur. Et dicit ea differre proprie quæ per aliquod accidens inseparabile differunt. declarat autem quid sit hoc inseparabile accidens, exemplo, cum nōdum manifestum sit, quid ipsum sit. & dicit illud esse sicuti curuitatem in naso, cæcitatem in oculo, & cicatricem ex uulnere.

Magis propriè autem differre alterum ab altero dicitur quando specifica differentia differt: quemadmodum homo ab equo specifica differentia differt, rationali qualitate.

Tertium differentiæ modum declarat, quo dicitur maxime propria differentia. & in concreto declarat, sicuti etiam alios modos, maioris facilitatis gratia, & dicit ea differentia tali differre, quæ specifica differentia distinguuntur. quod exemplo declarat, homo enim & equus specifica differentia differunt, & ideo maxime proprie differunt, Et ideo inferas quòd species differentia maxime propria inter se differunt. sic enim Arist. secundo phys. tertio fecit, ex differentia enim naturalis & artificialis corporis intulit naturę diffinitionem, ex eo enim ꝙ corpus naturale principium motus & quietis in se habet, artificiale uero non, intulit, ergo natura est principium motus & quietis. sic ergo quæ maxime proprie differunt, sunt quæ specifica differentia differunt, ergo differentia maxime propria est qua species differunt. est enim modus iste uenandi diffinitiones per se notas ut dicit Auerroes syllogismo hypothetico. sed dices, si est differentia specifica, ergo est etiam differentia generica. Quæ nam ergo sunt hæ differentiæ genericæ? Exponunt Auerr. & Boethius quę sit utraque differentia, & dicunt, ꝙ differentia specifica est renouans speciem idest constitutiua speciei. sed statim dices, differentia constituens speciem eadem diuidit genus, quare ergo specificam uocas & non genericam? Dico quia diuidere rem in esse suo est quasi destruere, & hoc non est de esse diuisi. sed constituere est intrare quodammodo in esse ipsius quod constituitur, ideo specifica dicitur quia speciem in esse constituit, nō autem generica. Quæ autem sit differentia generica, reducendum est in memoriam, esse quædam genera quæ species sunt, quędam non, & hæc generalissima sunt. species autem in esse specifico ponuntur per differentiam, ideo illa differentia quæ talium generum est quæ non solum genera sunt, sed etiam species, generica uocabitur. sed quæres an talis differentia generica insit generibus, ut genera sunt, an ut species. dico quod non in quantum genera sunt, quia sic omne genus haberet differentiam, sed in quantum species sunt, generalissimum nempe quod solam & meram naturam generis continet non habet differentiam qua constituatur, licet habeat differentias quibus diuiditur. sed dices, si in quantum species sunt differentia hæc illis conuenit, quare nō specifica potius quam generica nuncupatur? Dicas talem differentiam posse comparari ad genus, ut est speciei constitutiua, & specifica dicitur. & potest comparari ad species illius generis quod in esse speciei constituit, & tunc differentia generica dicitur, quia illarum inferiorem specierum non est constitutiua sed earum generis. ut est species. sed quæres si differentia constitutiua speciei proprie, de specie dicitur, quid erit de diuisiua dicendum? cuius est proprie, generis, an speciei? Dicas generis, signum enim est quia omne genus diuiditur etiam in specialissimum, quare diuidere solum ad naturam generis pertinet non autem specieū non enim omnis species diuiditur per differentias, cum ea quæ specialissima est, solum species sit. modo regula est in primo topic. quarto, quòd illud conuenit alicui in quantum ipsum quod omni conuenit, ipso solo sumpto, & contra. modo solo genere sumpto differentiæ sunt diuisiuæ, non autem si sola species sumatur. ex quo sequitur, si aliqua species per differentias diuidatur, ꝙ non in quantum species est. sed in quantum genus. merito ergo Porph. dicit maxime proprie differre aliquid, cum per specificas differentias distinguitur. id enim proprie differt, quia per differentiam quę sibi propria est, maxime uero quia per id differt per quod maxime est id quod est.

Vniuersaliter ergo omnis differentia alteratum facit cuilibet adueniens, sed eæ, quæ communiter, & propriè sunt, alteratum faciunt; illæ uerò quæ magis propriæ sunt, aliud. Differentiarum ergo aliæ quidem alteratum faciunt, aliæ uerò aliud. Illæ quidem quæ aliud faciunt, specificæ uocantur: illæ uerò quæ alteratum, simpliciter differentiæ.

Cum posuit, tres differentiæ modos, docere nunc uult in quo ii conueniant & in quo differant. & primo dicit in quo conueniant, nempe in eo conueniunt ꝙ omnis differentiæ modus cuiuscunque adueniat ipsum alteratum facit. postea in quo differant, docet, dicens differre duos primos modos quæ communiter & propriæ differentia dicitur, a tertio, quæ maximæ propria est differentia, in hoc, quod duo primi, tantum alteratum faciunt: tertius autem modus non solum alteratum, sed etiam aliud. Et hoc uult nobis suadere per diuisionem, quia, cum differentiæ, sint duobus modis, aliæ quę alteratum aliæ quæ aliud faciunt; illę quæ faciunt alteratum, sunt uocatæ differentiæ tantum, aliæ uero differentiæ specificæ. Tertius ergo modus duntaxat facit aliud, & hanc maxime propriam differentiam uocamus. duo uero alii solum alterum faciunt & differentiæ solummodo absolute dicuntur.

Animali enim differentia adueniens rationalis, aliud facit, & speciem animalis facit: illa uerò quæ est mouendi alteratum solum à quiescente facit: quare hæc quidem aliud, illa uerò alteratum solum facit.

Cum dixit specificam differētiam solam aliud facere ceteras uero tantum alterū, more introductorum exēplo id declarat confirmatq;. & dicit ꝙ rationale est differentia faciens aliud, quia adueniens animali ipsum aliud facit, & hoc non est nisi quia species cōstitutiua est, & ideo specifica, patet ergo specificam differentiam facere aliud. Postquam uero probauit hoc, sequitur & exemplo idem

de aliis duobus modis probat quod dixerat, quod scilicet faciant tantum alteratum, & sumit exemplum de primo modo communiter dicto, supra allatum, quod secundo quoque modo conuenit, & est sedere & quiescere, dicitur enim differre is qui sedet ab eo qui stat, & qui mouetur ab eo qui quiescit, sed hæc est differentia quæ alteratum solum facit, non autem aliud. Colligit deinde id quod probabit. {Quale hæc quidem aliud re} idest, patet ergo quod differentia maxime propria facit aliud, ceteræ uero alterum, sed quæres circa hæc quid per aliud et per alteratum intendat. dicit Boethius aliud, id est substantia diuersum; alteratum, id est distans aliquo diuersitatis modo. sed Porph. aliud intendit, & sunt tria prædicamenta absoluta, quæ possunt in his conuenire, substantia, qualitas, & quantitas. & horum trium quædam propria sunt, quæ identitatem & diuersitatem in unoquoque eorum significant. In substantia idem & diuersum, in quantitate æquale & inæquale: unde dicit Arist. in prædicamento quantitatis proprium esse ei secundum eam æquale & inequale dici. In qualitate simile & dissimile, unde dicit ibidem Arist. proprium esse ei simile & dissimile secundum eam dici. merito ergo, aliud, notat diuersitatem in substantia, alterum uero diuersitatem in accidentibus. sed quæres quare ergo Porph. non dixit illos duos differentiæ modos facere dissimile, & inæquale, si isti duo modi sunt diuersitatis accidentalis? Dicas, quia accidentia non generatione, sed alteratione acquiruntur. & ideo dixit alteratum. sed dubitabis quomodo tertius modus non solum aliud faciat, sed alteratum quoque, cum differentia specifica solum substantialem, non etiam accidentalem differentiam faciat. Dicas differentiam in substantia facere differentiam in accidentibus, sed non e contra. si in accidentibus differunt: ergo in substantia. sed contra argues, nam ex differentia accidentium propriorum licet inferre differentiam in substantia, ut sæpe Philosophus facit, qui ex differentia propriarum actionum differentiam substantiæ arguit, primo cæli, tam cæli ad elementa, quam elementorum inter se. Dicas, bene accidentium propriorum differentiã inferre differentiam in substantia, tamen, tanquam signa illius differentiæ non tamen ut causa. immo differentia in substantia est causa differentiæ accidentium, cum sit eorũ causa. merito ergo cum causæ sit hoc meliori modo conueniens quam causato, dicimus, quod facit differentiam in substantia, facere & in accidentibus, non tamen e contra. sed quæres si differentia tertio modo facit aliud, facit ne hæc aliud genus an species quas constituit? Dicunt quidam, quod facit aliam ipsam speciem non autem genus, nam genus est idem in omnibus speciebus. sed hoc non est ad mentem Porphyrii qui dicit rationale facere aliud animal, non autem hominem, præterea dicit, hanc facere aliud id cui aduenit, modo hæc non aduenit speciei, sed generi. Ideo dicamus nos facere aliud & genus & species. sed diuerso modo. nam. speciem aliam facit in substantia ab aliis speciebus, sed genus, quia cum differentia sumptum aliam substantiam habet quam sumptum cum altera differentia.

Secundum igitur aliud facientes differentias, diuisiones fiunt a generibus in species, & definitiones assignantur: quæ sunt ex genere, & huiusmodi differentiis. Secundum autem eas, quæ solum alteratum faciunt, alterationes solum constituunt, & aliquo modo habentis se permutationes.

Cum Porphyrius multa significata differentiæ sumpsisset, & differentiam inter illa significata posuisset, aliã nunc differentiam ex prædictis uult inferre quæ propositæ intentioni multum confert. dicebat enim in proœmio uelle se docere hæc propter prædicamenta, & modum assignandi diffinitionem, & diuisionem. modo scire per quas differentias generis diuisio recta fiat, & ad prædicamenta, in quibus genus in species diuisum collocatur, & ad rectum diuidendi modum confert. & etiam scire quæ differentia rectum modum diffiniendi ingrediatur. Quare omnia hæc de differentiis uult assignare. & dicit, quòd diuisiones a generibus, idest generum in species, fiunt per differentias, non omnes quidem earum modos, sed per eas solum differentias quæ aliud faciunt, id est diuersitatem essentialem. & dicit {a generibus in species} quasi descensio fiat diuidendo genus a superiori, in species ut in inferiora. sed per eundem quoque modum differentiæ fiunt diffinitiones. sed posset aliquis dicere, contra, quia sunt quædam diffinitiones ut exemplificantes nomen tantum, secundo poster. & sunt aliæ quæ explanant quid sit res tantum, non per differentias quæ aliud faciunt, sed per propria quæ differre secundo modo faciunt: Quare non est uerum diffinitiones per illas tãtum assignari differentias quæ aliud faciunt, Ideo uult remouere Porph. hoc dubium, & dicit illas diffinitiones assignari per differentias quæ aliud faciunt, quæ ueræ sunt diffinitiones, constantes scilicet ex genere & differentias scilicet essentiali, & propria. illæ autem non sunt ueræ diffinitiones quæ explicant solum quid nominis, aut sunt descriptiones. & tales sunt quæ ex propriis constant. sed statim dubitabis, nam in propria & accidentia genus diuidi potest, ut animal aliud est risibile, aliud rudibile, aliud album, aliud nigrum. non ergo per differentias tantum aliud facientes fit generis diuisio. Ad hoc dico cum Porphyrio aliud esse quod genus ut genus in species diuidatur, aliud quod simpliciter diuidatur. genus simpliciter modis iam dictis potest diuidi, sed ut genus est, non potest in species diuidi nisi differentia faciente aliud. nam genus in species secatur per differentiam. quæ postea facit speciem & constituit in esse. quod quidem non potest esse nisi faciat esse generis aliud in substantia, & natura. ideo talis differentia habet diuidere genus, ut genus in species, aliæ uero nõ quæ non aliud sed alterum tantum faciunt. & quæ permutant in esse tantum accidentale. sequitur ergo Porph. dicens {secundum autem eas} diuisionem generis in species fieri, nõ secundum eam quæ alteratum facit differentiam, cum hæc non faciat diuersitatem in natura generis, sed alterationem tantum aliquam idest permutationem aliquo modo in quo se habet nunc, & non prius, hoc est accidentalem & non substantialem. Sed quæres quare differentia tertio modo solum ingrediatur diffinitionem. Dico quantum ad propositum spectat quod diffinitio uera est quæ substantiam rei facit agnoscere, & scientiam de ea generat. Quare cum omnis scientia sit per causas primo poste. octauo, merito diffinitio quæ habet facere scientiam de substantia rei, non facit hoc nisi faciendo cognoscere causam substantiæ rei, modo causa substantiæ rei altera cõmunis est quæ est genus & altera propria, quæ forma rei est, & quæ eadem est cũ ultima differẽtia, septimo metaphy. quarto & 43. Quare diffinitio ex tali tantum constat differentia quæ aliud facit, & substantiali, et propria, si notitiam ueram de substantia rei debet facere.

A superioribus ergo rursus inchoanti dicendum, differentiarum quidem alias esse separabiles: alias uerò inseparabiles. moueri enim & quiescere, & ægrum esse, & sanum esse, & quæcunque his proxima sunt, separabilia sunt: at uerò aquilum esse, uel simum, uel rationale, uel irrationale, inseparabilia sunt. Inseparabilium autem aliæ quidem sunt per se, aliæ uerò per accidens. Nam rationale per se inest homini, & mortale, & disciplinæ esse perceptibile: at uerò aquilum esse, uel simum, per accidens, & non per se.

Cum

Cum notificauerit tres modos differentiarum per diuersas nominis explicationes & per diuersas differentias inter eas, nunc rursum per alias explanationes nominum uult eas declarare, quod facit, quia uult inchoantes faciliori modo, quàm potest introducere. ut, ergo clariores fiant hi modi differentiarum, ponit primo diuisionem qua differentiæ distinguuntur. quia aliæ separabiles sunt, aliæ inseparabiles. quæ sine separabiles exemplo manifestat, & dicit ut mouere, & quiescere, sanum esse, & egrum esse, quę omnia cum similibus separari possunt. Manifestat postea exemplo etiam quæ sint inseparabiles differentiæ, & dicit sicut simum & aquilinum, quantum ad differentiam communem, rationale & irrationale quantum ad differentias proprias, ambo enim isti modi sunt inseparabiles differentiæ, quia propriæ sunt, & proprium separari non potest ab eo cuius est proprium. Diuidit autem rursum inseparabiles in duos alios modos & dicit. {Inseparabilium autem,} idest alias esse per se alias per accidens, & exemplo utrunque notificat, ut sunt rationale, mortale, & susceptibile disciplinę. hæ ab homine per se inseparabiles sunt, per accidens uero ut simum & aquilinum, quæ licet inseparabiliter insint naso, non tamen per se, sed per accidens.

Illæ igitur, quę per se sunt, in substantię ratione accipiuntur, & faciunt aliud: illæ uerò quę secundum accidens, nec in substantię ratione accipiuntur; nec faciunt aliud, sed alteratum.

Quia dixit simum & aquilinum quamuis sint differentiæ inseparabiles nasi, esse tamen per accidens; posset aliquis instare, quia hæc sunt propria quarto modo, quæ sunt de prædicatis per se, primo post. 32. ergo non per accidens. Ideo uult hanc dubitationem remouere, & declarare quid intendat per per se, & per accidens. Pro quo scire oportet, (ut in libro poster. loco citato etiam diximus) quod duo sunt modi prædicatorum per se: primus est in quo prædicatum sumitur in ratione subiecti: & talia sunt duo, genus & differentia: secundus, quando subiectum est in ratione prædicati; & talia sunt tantum accidentia, & passiones propriæ, quæ præter istos duos modos sunt omnia prædicata per accidens. ut ibi dicit Auerroes. secundo notandum. quod de ratione per se, est sumi in diffinitione. quanto ergo aliquid magis diffinitionem intrat, & quanto perfectiorem modum diffinitionis intrat, tanto magis erit prædicatum per se. Tertio notandum, diffinitionem ueram esse diffinitionem substantię tantum, septimo metaph. decimoquarto, & decimoseptimo. & ideo omnes partes illius sunt per se primo modo. at diffinitiones accidentium, non sunt uere diffinitiones, sed per additamentum, & diminute, quia in eis ponitur aliquod quod non est substantia eius, id est subiectum proprium; sed solum est substentaculum substantię eius. Ex quo sequitur, primum modum esse uere per se: quia in eo est ratio per se propria, scilicet esse de ratione, uera & propria subiecti sed secundus modus non ita uere est per se: quia subiectum non est in diffinitione uera eius quod de subiecto ipso prædicatur. unde per accidens respectu primi dici potest. His uisis Porp. ad ea respondens quæ sibi obiici possent, & dicit se per per se illas differentias intendere quæ sunt in ratione substantiæ eius, cuius sunt differentię: & faciunt aliud: idest differentiam substantialem, per accidens uero eas esse, quæ non sunt in ratione substantiæ eius, cuius differentiæ neque aliud faciunt, sed alteratum: idest differentiam accidentalem, quasi dicat, quod licet propria sint per se secundo modo, quia subiectum sumitur in ratione eorum: non tamen sunt per se primo modo; non enim sumuntur in diffinitione & substantia eorum quorum sunt differentiæ; & ideo per accidens nominauit, ut differunt a primo modo per se.

Et illæ quidem; quę per se sunt, non suscipiunt magis, & minus: illæ uerò, quę per accidens (etsi inseparabiles sint) intensionem accipiunt: & remissionem.

Dat aliam differentiam inter duos eos modos differentiarum inseparabilium: & dicit quod illæ per se non suscipiunt magis & minus; illæ autem quæ per accidens suscipiunt magis & minus. suscipere magis & minus pro nunc est magis uel minus tale dici, ut hominem esse magis album uel minus album. Differentia ergo per se nō potest dici magis tale aut minus tale, & hoc modo rationale non magis dicitur de isto homine quam de alio, neque mortale eodem modo album tamen dicitur magis de niue quam de homine, & magis de colore huius hominis quam de colore illius,

Nam neque genus aut magis, aut minus prædicatur de eo, cuius fuerit genus: neq; generis differentiæ, secundum quas diuiditur. Ipsæ enim sunt, quę uniuscuiusque rationem complent, esse autem unicuique unum, & idem, neq; intensionem, neq; remissionem suscipiens est, aquilum autem esse, uel simum, uel coloratum, aliquo modo, & intenditur, & remittitur.

Probat quod dixerat differentiam per se non suscipere magis & minus, per rationem quæ solet dici, per simile in causa, idest quæ a simili causa procedit, nam sicut genus de eis quibus est genus non prædicatur secundum magis & minus, ita nec differentiæ quoque de ijs quorum sunt differentiæ prædicantur secundum magis & minus. dicit autem {differentias generis} se declarando idest secundum quas diuiditur genus, hæ enim constitutiuæ sunt specierum de quibus loquimur. Sed dubitare contingit. Nam cum causa proprii sit differentia ipsa, sit causa non sumit magis & minus, ergo neque effectus, neque ergo propria sument magis & minus: Ad hoc Boethius dicit differentiam per se esse causam proprii, ut rationale risibilis, & in hoc risibile nec magis nec minus suscipit, octauo metaphy. decimo. sed quia habitudines istæ pro principio formali habent differentiam, pro materiali uero instrumentum in corpore, quod aptius esse potest aut ineptius; ideo ab eo possunt magis & minus suscipere, licet non a forma. sed præterea dubitabis, quia in Elenchis dicitur hominem quendam magis rationalem, ut qui secundum uirtutem uiuit; quendam magis irrationalem ut qui brutorum uitam uiuit. Ad hoc dicimus simili modo differentiam sumi, ut principium dans esse, & differens esse, & sic non magis & minus recipit. alio modo ut principium agendi, & ideo quia sine organo corporis non est actio, & tale organum potest esse magis & minus aptum ad rationis opus, ideo dicimus hominem esse magis & minus rationalem, non quod forma seu differentia hæc magis & minus suscipiat, sed quia nō sine organis corporis actiones in nobis perfici possunt, hæ autem uariantur, pro organorum diuersitate.

Cum igitur tres species differentiæ considerentur, & cum hæ quidem sint separabiles, illæ uero inseparabiles. & rursus, inseparabilium cum hæ quidem sint per se: illæ uero per accidens: rursus, earum quæ per se sunt differentiarum, aliæ quidē sunt: secundum quas diuidimus genera in species, aliæ uero secundum quas ea quæ diuisa sunt, specificantur: ut cum per se differentiæ omnes homini animalis sint, animati, & sensibilis: rationalis: & irrationalis, mortalis, & immortalis, ea quidem, quæ est animati & sensibilis, differentia constitutiua est substantiæ animalis: (est enim Animal substantia animata sensibilis) ea uero quæ est mortalis & immortalis differentia, & quæ rationalis & irrationalis, diuisiuæ sunt animalis differentiæ: per eas enim genera in species diuidimus.

Vult hoc in loco differentiæ maxime propriæ diuisionem assignare. quæ diuisio erit non in diuersas res, sed eiusdem rei in seipsam diuersis rationibus: primo autem colligit diuisiones differentiæ hactenus allatas, fuere autem tres. prima differentiæ in communiter, proprie, & maxime proprie. secunda in separabile & inseparabile, tertia inseparabilis differentiæ in per se & per accidens. Cum hæc ita sint, differentiæ per se in duplici adhuc sunt differentia, quædam enim sunt diuisiuæ, id est per quas diuidimus genera in species, quędam constitutiuæ, a quibus uidelicet ipsa genera prius diuisa specificantur, id est in esse specifico & natura specifica constituuntur, (ex hoc enim constitutiuæ dicuntur, quia determinando genera diuisa, naturam alteram & specificam constituunt. Exēplo autem hoc declarat quod dixit, cum enim animatum, inanimatum, sensibile, insensibile, mortale, immortale, rationale, irrationale, differentię sint per se omnes nempe quæ aliud faciunt & in ratione sumuntur ut prædicatum, ex his aliæ diuisiuæ, aliæ constitutiuę dicuntur. animatum, & sensibile differentiæ sunt cōstitutiuę, quod patet, quia, cum illud sit constitutiuum naturæ alicuius per quod illud primo diffinitur, diffinitio enim rei esse & naturam exprimit, & si animalis substantiam diffinias dices esse substantiam animatam sensibilem, ideo sensibile & animatum differentiæ sunt substantiæ constitutiuæ quæ est animal. mortale uero & immortale, rationale & irrationale diuisiuę dicuntur, cum enim hæ differentiæ sint per se per has diuiditur genus, idest animal, ergo merito diuisiuæ dicuntur cum genus ipsum in species diuidant.

Sed ea quidem, quæ diuisæ sunt differentiæ generum completiuæ sunt, & constitutiuæ specierum. Diuiditur enim animal rationali & irrationali differentia: & rursus mortali, & immortali differentia: sed rationalis, & mortalis differentiæ constitutiuæ sunt hominis: rationalis uero & immortalis, Dei. Illæ uero, quæ sunt irrationalis, & mortalis, irrationalium sunt animalium.

Quia dixit differentias per se alias esse constitutiuas alias diuisiuas, Quærere posset aliquis, an hæ omnes diuisiuæ & eędem constitutiuæ sint, an uero aliæ diuisiuæ sint & aliæ constitutiuæ. Respondet easdem esse & constitutiuas & diuisiuas, alia tamen et alia ratione & ad alterum atque alterum comparatas. nempe ut genera in species diuidunt diuisiuæ, ut uero complent specierum esse, & naturam constitutiuæ uocantur. Manifestat autem hoc exemplo, namque rationalę & irrationale, mortale & immortale diuisiuæ sunt, quia genus animalis diuidunt in species, sed hæ etiam constitutiuæ sunt, quia esse alicuius speciei complent, rationale & mortale speciem hominis, rationale & immortale speciem Dei, mortale & irrationale species omnium brutorum. quare easdem diuisiuas esse differentias & constitutiuas ad alterum tamen & altera ratione sumptas exemplo probatum est.

Sic etiam & supremæ substantiæ cum diuisiuæ sint animati & inanimati differentiæ. sensibilis: & insensibilis: animata, & sensibilis congregatæ ad substantia animal perfecerunt: animata uerò & insensibilis perfecerunt plantam. Quoniam ergo eædem aliquo modo quidem acceptæ sunt constitutiuæ, aliquo modo autem diuisiuæ, specificæ omnes uocantur; & his maxime opus est ad diuisiones generum, & definitiones specierum, sed non ijs quæ secundum accidens inseparabiles sunt, nec magis ijs quæ sunt separabiles.

Illud idem alio exemplo suadet nobis. animatum, inanimatum, sensibile insensibile, diuidunt supremam substantiam, idest generalissimum genus, eadem tamen ad aliud comparata constituunt & constitutiuæ differentiæ sunt, animatum enim & sensibile congregata substantiā cui adueniunt animalis cōplent & perficiunt, & ideo constitutiuæ sunt differentiæ. Hoc ergo posito exemplo, colligit postea & dicit manifestum esse quoniā per se differentiæ eædem sunt diuisiuæ & constitutiuæ, alio & alio modo acceptę, & omnes hæ diuisiuæ & constitutiuę, specificæ tamen nominantur. huius uero supra nos reddidimus rationem, nam, quia cum speciem constituunt, in ipsa esse suum retinet, cum uero diuidunt genus, ipsum diuidendo corrumpunt, neque in ipso sunt, ideo specificę appellari potius quam genericæ æquum fuit. Sequitur deinde, & inter has de quibus sermo est habitus differentias, eas esse quæ ad diffinitiones specierum & diuisiones faciendas exiguntur. Scias tamen quod diffinitiones ingrediuntur differentiæ diuisiuæ & constitutiuę, non eorum, quæ diuidunt, sed eorum quę constituunt. cum autem diuidant genus, constituant autem speciem, ideo specierum non autem generum diffinitionibus ponentur. differentiæ uero accidentales etiam inseparabiles non ingrediuntur diffinitiones, propterea quod non sunt de substantia rei; quam solum explicat diffinitio, & si accidentale inseparabiles non ingrediuntur, tanto minus separabiles, quæ minus de rerum substantia sunt. Sed quæres, quomodo animal sit Deus & rationale, cum animal a sensu dicatur; quo caret Deus, & coelestia omnia. Dicamus, ad mentem stoicorum authorem loqui, qui dicebant Deos uere optimos, natura animatos, mente rationales, tempore æternos. Boethius dicit dictum esse ad mentem Platonis, qui ponit cœlestia corpora animata & ideo rationalia. Sed nunquam Plat. dixit ea esse animalia; cū animal a sensu dicatur, quo carēt cęlestes orbes & cęlestia omnia. Ideo ego credo intendere hunc authorem dęmones, ut idem Por. asserit in quibusdam suis tractatibus, dū de dęmonibus loquitur. istos enim dicebant aereos esse & sentiente, & ideo animalia, quæ & tristantur & lætantur, & ratione participant, unde & rationalia, & hæc quia simplicia erant, & non mixta æterna quoq; esse & immortalia. Sed quærit Boethius, immortale, & irrationale, quam spe-

ciem

ciem compleant. Dicitq; esse cœlestia corpora, apud po necces inanimata: ista enim immortalia sunt horum sententia, sicuti etiam apud Arist. Sed credo Boethium fal, & ideo dicamus (ut in quæsito de hac re diximus) ista esse quattuor elementa apud philosophos; æterna enim secundum totum & immortalia sunt, & eadem inanimata. Sed rursum cum Auicenna dubitabis. si mortale priuationem designat quomodo differentia esse potest, cum differentia det esse rei? Respondet idem Auicen. poni loco exempli, in quo non attenditur ueritas. Sed licet hoc uerum sit, mortale tamen non est priuatio. Sed facilius dices mortale non dicere priuationem, sed habitudinem ad priuationem uenientem a causa uera, ut materia prima. de quare philosophi tractant.

Quas etiam determinates dicunt. Differentia est, qua abundat species a genere. Homo enim animali plus habet, rationale, & mortale. animal enim ipsum neque nihil horum est. Vnde nam igitur habebant species differentias? Neque enim omnes oppositas genus habet, quoniam in eodem simul haberet opposita: sed quemadmodum probant, potestate quidem habet omnes sub se differentias, actu uero nullam: ac sic neq; ex iis, quæ non sunt aliquid fit, neque opposita in eodem erunt.

Cum triplicem modum differentiarũ hactenus posuerit & satis declarauerit, nunc tertium modum, eas uidelicet quæ sunt per se, uult diffinire. Dices quare non alios duos? dico, quia non prosunt authoris intentioni propositæ: non enim ad diffinitionem assignandam, neque diuisionem, neque demonstrationem. Dicit ergo { quas etiam determinantes } idest diffinientes, dicunt esse id quo species abundant a genere. Declarat autem exemplo id quod dicit. homo enim cum sit species animalis, plus habet quam animal eius genus, nempe rationale & mortale habet, quæ differentiæ sunt, quas non habet animal. Animal enim nullum istorum est, nec rationale nec mortale. Sed posset aliquis obiicere Porphyrio si species plures habet differentias quam genus, a quo habet species has differentias? non enim dices habere eas a nullo, cum a nullo nihil fiat, neque etiam a genere, quoniam si genus dicatur habere eam differentiam, oportebit etiam ut habeat oppositam (neque enim maior est ratio de una quam de alia. si etiam oppositam, ergo idem simul & eodem tempore oppositorum erit subiectum, quod est impossibile. ergo non est dicendum species eas differentias habere a genere. Mouet ergo hanc quæstionem iis uerbis. { Nam unde habet &c. } sed respondet, cum dicit. { sed quemadmodum. } Pro hoc autem scire oportet, sicuti habetur in primo physi. Ex nihilo nihil fieri, secundum philosophos, si nihil simpliciter intelligatur. Si tamen intelligamus de eo quod nihil est actu, aliquid tamẽ potentia, tunc uerum est aliquid fieri ex nihilo. immo omnia entia ita fiunt: non enim ex ente actu, sed ex ente in potentia res fiunt, sicuti in rebus artificialibus patet. statua enim Mercurii & eius forma non ex actu ære fit, sed ex ęre quod in potentia erat Mercurii statua. Secundo notandum, duo contraria eidem inesse esse impossibile, si actu intelligatur: non tamen potentia, uel unum actu & aliud potentia. Ex his ergo respondet euult Porphyrius ad obiectionem & dicit. { Sed quemadmodum } idest non sequitur ex nihilo aliquid fieri simpliciter. (hoc enim est impossibile) quia species differentias a genere sumant. neque sequitur duo opposita in eodem esse genere, esse inconuenientnam hoc esset uerum si actu essent, non tamen si potentia. hoc enim modo possibile est ut duo opposita in eodem sint genere. Vnde ad quæstionem propositam respondetur, species habere plures differentias quam genus actu, genus tamen potentia easdem differentias & etiam plures continet. Sed contra Porphyrium dubitatur, qui hoc in loco differentiam uult diffinire, cum tamen ea diffiniri non possit. Nam si differentia diffinitur: diffinitio est per differentias, ergo differentiæ erit differentia. & sic in infinitum. præterea, sola species diffinitur, ergo non differentia. Ad hæc dicunt aliqui differentiam uere diffiniri, quia uniuersale pro genere habet, & præterea aliquid etiam habet quo ab aliis speciebus ipsius uniuersalis differt. differentiæ loco, quæ ad bonam diffinitionem requiruntur. Sed hi errant, quoniam diffinitio uera solum speciebus substantiæ conuenit, ut etiam supra diximus. Ideo dicamus nos hanc esse declarationem nominis differentiæ, & tali declaratione non solum nomina secundorum intellectorum, sed non entium quoque explanari possunt. Sed ad rationes. Dicunt, differentiam sumi dupliciter, ut quid, idest ut ens quoddam, & ut modus, idest instrumentum intellectus alias differentias modificans & notificans. primo modo dicunt differentiam posse habere differentiam per quam diffiniatur. Secundo autem modo, non: immo carere differentia. Sed ego credo diffiniri hic differentiam, non ut res quædam, sed ut modus est & instrumentum. hoc enim pacto solummodo logicus res suas considerat. pręterea hæc istarum rerum diuisio, ut entia sunt, uana est nec intelligibilis. Propterea dicamus istam differentiam esse quoddam secundo intellectum, quod intellectus format simile differentiis quæ sunt in rebus, ut per illud cognoscant quæ sint differentiæ, & quę non, unde tale secundo intellectum differentia dicitur non nisi instrumentaliter. id est ut est instrumentum ad cognoscendum differentias. & sic diffinitio ipsi differentiæ conuenit. talem ergo differentiam esse ad alia instrumenta non est inconueniens. cum ipsa non sit uera differentia nisi instrumentaliter, uera autem differentię sunt, a quibus res differunt, ut rationale, & mortale. Sed rursum dubitatur, quia genus unam speciem & reliquas continet. species uero ipsum genus. quare non plus habet species quam genus. Pro hoc scire oportet (ut dicit porphyrius & habetur primo poster.) quod continere in uniuersali est continere in potentia. non autem actu. quare cum genus speciem in uniuersali contineat, in potentia continet genus non autem actu. continet tamen differentiam actu. Dicimus ergo genus continere in potentia plus quam speciem, quia & eam speciem & multas alias continet non solum species, sed differentias. species uero actu plus continet quam genus, quia habet & genus & ultra genus differentiam in actu. Sed contra arguunt; si potentia differentię sunt in genere, cum nullum det nisi quod habet, & quale habet a quo nã species habebit actu eas? Licet hoc ad philosophum spectet. dicas tamen cum Auerroe duodecimo metaphysicæ 18. id quod est in potentia reduci ad actum ab agente qui actu est in simili actu. & ita differentias, quæ potentia sunt in genere, reduci in actum in speciebus a simili in specie habente talem differentiam actu. Dubitant præterea. Si potentia in genere est, cum potentia debeat reduci ad actum, eidem generi duæ differentiæ contrariæ simul actu inerunt. Ad hoc dicunt, potentiam sumi dupliciter. uno modo pro indifferentia ad actũ. Secundo pro ordine ad actum. primo modo dicunt potentiam generis non debere reduci ad actum, sed secundo modo. de qua hic non loquimur. Sed hoc non est soluere nisi sophistice, indifferentia enim non est potentia, sed modus potentię. præterea si potentiam genus habet indifferenter, utrunq; potest sumere. Et ideo alii dicunt,

idem numero non posse habere duo contraria actu, sed quod idem genere non inconuenit. Verum & hoc est contra Por. qui uolens soluere, quomodo in genere sint duo contraria, quia hoc uidetur impossibile, dicit quod in potentia sunt, non autem actu, modo opposita esse actu in eodem est impossibile. ut loquitur de genere. Ideo dicamus nos exemplo a materia sumpto, quod potentia ad oppositas formas debet reduci aliquando ad actum, non tamen secundum eandem partem materiæ, & eandem dispositionem. ita generis quoque potentia ad oppositas differentias, reducetur ad actum non in eadem specie, sed in diuersis speciebus & partibus generis, quod non est inconueniens. Sed sicuti materia postquam sub oppositas formas fuit, non est amplius materia prima quæ fuerat, sed subiectum. ita etiam genus quod fuerat in potentia ad oppositas differentias, ubi reducitur ad actum ea potentia, non est amplius genus. sed species rerum diuersæ. Et hoc modo ad obiecta respondetur. Sed dubitabis adhuc circa ea quæ Porphyrius dicit, cum animal nullum horum esse dixit, nec rationale nec irrationale. uidetur enim hoc falsum, cum hæc propositio sit uera, animal aliquod est rationale. Dicunt aliqui hanc propositionem idcirco esse ueram, quia eius contradictoria est falsa: nullum animal est rationale. Verum hoc non est soluere, nam dicit Porphyrius nullum horum esse animal, Dicimus ergo nos aliud esse, aliquod animal, omne animal, & aliud simpliciter dicere, animal. primo enim modo determinatur animal per ly aliquod et ly omne ad esse animalis cui inest, sed si simpliciter sumatur & secundo modo non est uera propositio, nam differentiæ conueniunt generi in potentia, non actu, modo esse in potentia non designatur per esse uerè, sed per posse esse. & si per esse designetur, false designatur. quare falsum est, animal est rationale, illam uero, omne animal est rationale, falsam esse, ex eo patet quod eius contradictoria est uera, scilicet aliquod animal est rationale. Dic ergo cum Porphyrius dicit nullum horum esse animal, quod intelligit actu, nam genus non est differentia actu, sed bene in potentia, nam ista est uera, animal potest esse rationale. quia sicut forma non prædicatur de materia, ita nec differentia, quæ est similis formæ de genere simili materiæ. Sed quæres, si differentia est duobus modis, constitutiua & diuisiua, sub quo modo est unum ex uniuersalibus secundum Porphyrium? Dicit Albertus, quod in quantum est diuisiua, non in quantũ constitutiua. nam uniuersale est ratio potius diuidendi quam constituendi. ideo secundum eam magis est uniuersale tum etiam quia ut constitutiua, determinat materiam, sub qua ratione non prædicatur. Sed errat iste uir, quia prædicatur differentia de specie in quantum est de esse eius. & non ut diuisiua, sed ut constitutiua. præterea ut diuisiua propria est generis non speciei, neque hoc modo ipsa de specie prædicatur. Propterea dicamus nos quod aliud est diuidere, aliud differre. prius enim est diuidere quam differre. diuidit genus differentia, tamẽ non differt genus, sed differunt species. Cum ergo nomen differentiæ conueniat speciebus, merito & cum de speciebus prædicatur, non prædicabitur nisi ut constitutiua ut sic enim facit differre. Præterea cum diuidit, nihil habet ad speciem facere, ut ergo talis non prædicatur de speciebus. ergo in quantum constituit. Erit ergo hoc modo differentia unum ex uniuersalibus, & quamuis prius sit diuisiua quam constitutiua, ut sic tamen non est prædicabilis, licet re idem sit & constitutiua & diuisiua. Et si dicas. Dicit Porphyrius ambas ingredi diffinitiones & ambas prædicari. Dico ambas esse idem subiecto, differre tamen ratione, ea parte qua sunt idem, de subiecto conuenit utrisque prædicari, sed diuisiua de genere dicitur, constitutiua autem de specie, & sic utroque modo prædicabile est differentia. sed tamen cum prædicabile est respectu generis, erit prædicatum secundo modo per se, nõ autem primo.

Definiunt autem eam & hoc modo differentia est, quæ de pluribus, differentibus specie in eo quod quale quid est, prædicatur. Rationale enim & mortale de homine prædicantur in eo, quod quale quid est homo, dicitur. sed non in eo, quod quid est. Quid est enim homo nobis interrogatis, conueniens est dicere animal, quale autem animal inquisitis, quoniam rationale, & mortale est, conuenienter assignabimus.

Aliam diffinitionẽ differentiæ affert. & dicit quod alio modo eam diffiniunt, quod scilicet sit ea quæ de pluribus differentibus specie in eo quod quale quid est prędicatur, id est quod differentia sit illud prędicabile quod prædicatur de pluribus, sicuti & alia prædicabilia, sed in mõ prædicandi differt ab iis, a specie quidem, quia prædicatur de pluribus differentibus specie, species autem de differentibus numero. a proprio, in hoc quod prædicatur de differentibus specie proprium autem de differentibus numero, & in eo etiam quod proprium prædicatur in quale differentia uero in quale quid: differt etiam a generibus; quia ea prædicantur de differentibus specie in quid, hæc uero in quale. Posita hac ratione declarat unum quod obscurum erat, quod scilicet dixit differentiam prædicari in quale quid. allato exemplo, quoniam rationale & mortale differentiæ sunt hominis, & de eo prædicantur in quale quid. quod probat regula Aristotelis in primo topicor, cum docet si uolumus scire quomodo prædicata dicantur de rebus, aduertendum esse interrogationem quæ de illis fit. Vnde si interrogemur de homine quid sit respondemus per genus quòd sit animal, quia de eo animal prædicatur in quid; Ita quoque si interrogemur qualis sit homo, ut recte respondeamus, per rationale respondebimus, quare differentia prædicatur in quale. Sed dubitabis, quia ad interrogationem factam de quali ait Porphyrius responderi per differentiam solum, nonne de pluribus accidens in quale prædicatur? Dicit Boethius, quod licet accidens in quale prædicetur, non tamen essentiale sicut differentia. Sed Boethius non defendit Porphyriũ. nam quale est æquiuocũ essentiale & accidentali; quod remouendum est a diffinitione, & tamen Porphyrius nõ distinxit. inartificialiter ergo est loquutus. Albertus autem idem essentialiter addit, quia accidens non essentialiter prædicatur. & si in quale. sed hoc non est in textu Porphyrij, & facit eum diminutum. Ideo dicamus nos cum Aristotele sexto topic. septimo, & quinto metaphy. decimo septimo, quod differentia prædicatur in quale quid, id est substantiue in quale, hoc est per modum qualis, modo hoc non conuenit accidenti nec proprio. Sed quæres si differentia substantiam totam rei prædicat, quomodo prædicatur in quale sicuti accidens? Dicas substantiã prædicari propriæ substantialiter, sed quia differentia assimilatur accidenti in hoc quod qualificat in specie substantiam generis & determinat, quomodo & ipsum accidẽs qualificat, ideo & differentia in quale prædicatur, prędicatur tamen substantialiter, licet per modum accidentis. quia ergo sicut a qualitate & albedine denominantur, ita & a differentia adueniente generi talis substantia denominatur, ut rationalis substantia, aut irrationalis, ideo metaphorice, & ipsa differentia sicuti accidens in quale prædicatur, quia tale genus facit. Sed dubitare contingit contra Porphyrium. nam diffinitionem hanc quam

de diffe-

de differentia dedit certum est intelligi de diuisiua, & constitutiua. Sed obiicitur contra hoc, primo constitutiua non de pluribus speciebus prædicatur sed de una tantum. septimo enim metaphy. 43. differentia ultima, qua species constituitur conuertitur cum diffinitione, quæ est ipsa differentia primo posterio. 35. & infra, & ideo conuertibilis est cum specie, modo quod prædicatur de pluribus speciebus non conuertitur cum una specierum, ergo aut constitutiua species hic non diffinitur, aut male diffinitur. Ad hoc aliqui, ut saluent dicta Porphy. respondent. quod differentiæ communiores generis sunt, & eædem sunt nobis certiores, & notiores, quam specificæ. & ideo cum communes de pluribus speciebus prædicentur, quàm specificæ constitutiuæ. ideo merito ista diffinitio, de genericis, & diuisiuis potius datur, quàm de aliis. debet tamen intelligi etiam de specificis. Si dicas non uerificari de his, quod prædicentur de pluribus, & ideo has non diffiniri. Respondent esse diffinitionem topicam, quæ de pluribus, & notioribus uera est etiam si non de omnibus. Sed isti errant. primo, quia licet concedatur res, quæ sunt specificæ differentiæ, esse ignotas nobis aliquando quo ad earum nomina. esse tamen, & natura istarum non est ignota nobis. de magnete etenim ignota nō est nobis ultima differentia, & quamuis aliquid in eo sit, quod nobis ignotum est. id tamen per quod differt ab aliis non est ignotum. Præterea neque etiam potest differentiis generis communibus conuenire ista diffinitio. nam quinto metaph. 17. quando Arist. dicit differentiam quale quid significare, dicit Auerroes hoc esse uerum de differentiis ultimis specierum, non de ultimis generum. Et causa est ut credo, quia ad interrogationem factam per quid de speciebus recte responderetur per differentiam generis, ut quid est homo? sensibilis. recta est responsio. sensibile enim prædicatur in quid, non in quale. quo enim modo genus, eo modo differentia generis prædicatur. sed genus prædicatur de pluribus differentibus specie non nisi ratione generis, ergo & differentia generis in quid prædicabitur, diffinitur autem differentia, quod prædicatur in quale quid, ergo hoc non conuenit differentiæ genericæ. præterea, prædicari in quale est determinare substantiam talem, sed hoc quale non prædicatur a differentia generis, cum generis differentia non terminet, sed sit indeterminata, sicut genus. ergo differentia generis non diffinitur hoc in loco. præterea Porph. dat exemplum de constitutiuis specierum non de diuisiuis generum, dicit enim ut mortale, & rationale. Propterea alii dicunt, differentias generis esse simplices. at differentias specierum esse mixtas ex pluribus, ut hominis, rationale & mortale. at aggregatum ex pluribus non unum dicit, ergo simplices erunt per se generum differentiæ, & illæ diffinientur. & ideo differentiæ generis de pluribus speciebus prædicantur, quia ueræ sunt, differentiæ autem specificæ de una solum quia ueræ non sunt, sed similes ueris. Sed hoc non ualet, nam ea differentia magis proprie, & uerius est qua aliqua res substantia existit, modo per differentias simplices generis non fit alia substantia rei. ergo generis differentiæ non erunt ueræ differentiæ rerum. præterea si differentia generis de pluribus speciebus prædicatur, non nisi ratione generis, & per accidens, sed nihil debet diffiniri per id quod est per accidens. præterea Auer. septimo metaph. 45. dicit solam ultimam differentiam esse substantiam rei, & ueram differentiam, & in actu, reliquas autem esse in potentia, & non uere differentias. Nec ualet quod dicunt differentias constitutiuas esse compositas, solum enim nomine cōpositæ sunt, quia ignoramus simplex nomen quo illarum essentiā, quæ simplex est exprimamus. Alii etiam dicunt differentiam de pluribus speciebus prędicari, non actu, sed aptitudine, sicuti etiam species aliquas, licet actu in pluribus non sint indiuiduis, sicuti sol, habere tamen aptitudinem qua de pluribus dicātur, & in pluribus esse possint, non implicat contradictionem. Sed hi quoq; falluntur, nam si differentia speciei apta est de altera prædicari, cum sit de esse rei: esse speciei unius poterit in esse alterius mutari, de quo potest prædicari. quod est inconueniens. nam apud philosophos esse specierum & naturæ sunt æternæ, & disparatę, intransmutabiles, & (ut dicit Auer. in primo de partibus animalium) una non potest in alteram conuerti, ut argentum in aurum. Alii dicunt differentiam nō prędicari de pluribus speciebus, sed de una specie, quæ in pluribus est. Sed hoc est extorquere textum. & præterea possem & ego generis diffinitionem sic exponere. Albertus, & Auicenna dicunt differentiam posse sumi tribus modis, primo ut diuisiua generis, secundo ut constructiua, tertio ut determinatiua ad unam naturam. primo modo dicunt uocari differentiam, quia diuidendo facit differre, secundum uero modum dicunt habere a primo, quia quæ diuidit constituit in esse. tertium uero a nullo habere. signum huius est, quia diuisiuum generalissimo tantum conuenit; constitutiuum solum specialissimo: determinat uero ad certam naturam a nullo habet differentia, sed ad se. Notant præterea differētias diuisiuas generum solas esse simplices, & uere differentias, quia tantum diuidunt. eas uero quæ determinatiuæ sunt non esse simplices, quia continent uirtutes aliarum differentiarum, & ideo uirtute saltem, hæc compositæ sunt, si non essentia. Quando ergo Porph. dicit, quod prædicātur de pluribus speciebus intelligit de differentiis simplicibus, quę tantum diuidunt, & constituunt quę ueræ differentiæ sunt, non autem de cōpositis, quę non sunt ueræ differentiæ sicut illæ specierum. Sed hic est error. nam constituere in esse quid est aliud quàm determinare ad unam naturam? præterea faciunt Porph. quem uolunt eum esse diminutum, cum dimittat tertium modum differentiarum, quem esse dicunt, determinatiuum ad unam naturam. Præterea quæ constituunt unam naturam, quę est genus (ut dicit Porphy.) non constituunt eam nisi ut species, non autem ut genus, ergo ad unam naturam species determinant, ergo idem cōstitutiuum est, & determinatiuum. Præterea illæ quæ constituunt genus in esse, præter generalissimum, non erunt species simplices. quia habent uirtutem superioris differentiæ, & sic neq; illæ quas secundo loco ponunt, scilicet constitutiuæ. quare inanis est tota hæc defensio. Pro Porphy. ego non uideo quid dici possit, sed uidetur male diffinisse differentiam, cum nulli modo differentiæ hæc diffinitio satis conueniat: non enim differentiæ specificæ, cum hæc non de pluribus speciebus prædicetur, non genericæ, quia & hæc non prædicatur in quale. Sed quæres, quomodo ergo poterit diffiniri ut prædicabilis? Pro hoc notandum. quod differentia uel generica est. i. quæ est generum, uel specifica, quæ speciem constituit: si generica, notificatur hoc modo. quæ de pluribus speciebus prædicatur in quid: si specifica, quę de pluribus differentibus numero in quale prædicatur: Sed ambæ sunt falsæ. prima, quia differentia generis non prædicatur de speciebus per se, sed per accidens inquantum species sunt sub genere; modo aliquid non debet notificari per ea, quæ sibi per accidens insunt. Similiter secunda falsa est, quia prædicari de pluribus numero, non accidit differentiæ speciei. nisi ratione speciei, & per aliud, & ideo per accidens. Propterea dicamus, differentiam ut est specierum generis non esse differentiam ad speciem cum enim in ea species conueniant, quomodo poterit esse differentia respectu illarum? & sic non est prædicabile diffinitum, sed sicut genus. & præterea si prædicatur, per accidens prædicatur. & ideo ex hac parte non conuenit ei diffinitio. Si uero ad genus comparetur, ut species est. sic est specifica, & tūc diffinitur esse illud prædicatum, quod de una specie in quale quid prędicatur. & sic uera hæc

differentię diffinitio est. ut sic.n. nil per accidens continet, nam id de quo per se differentia prædicatur est una species, non singularia speciei. de illis.n. prædicatur per accidens, in quantum de specie prædicatur, quod patet, quia prędicatur per se de eo quod constituit per se: hoc uero est species una, & ideo primo poste. dicit Arist. prædicatum per se, se habet ad speciem, & unam speciem; nam si de pluribus prædicaretur, non esset differentia, sed conuenientia. Et ideo melior est hæc differentiæ declaratio quam data possit. In eo.n. quod prędicatur de una specie, differt a genere, & specie. a genere, quia genus unum de pluribus speciebus prædicatur; a specie, quia hæc de pluribus numero dicitur in eo quod quale quid; ab accidente differt, quod licet in quale prædicetur, non tamen in quid. i. substantialiter, & per hoc etiam differt a proprio.

Rebus enim ex materia, & forma constantibus, uel ad similitudinem proportionemq; materiæ, & formæ, constitutionem habentibus, quemadmodum statua ex materia quidem est ære, ex forma autem figura, sic & homo communis. & specialis ex materia quidem similiter proportionabiliterq; constitit ex genere, ex forma autem differentia. Totum autem hoc animal rationale mortale, homo est quemadmodum illic statua.

Dixit differentiam prædicari in quale quid, probauitq; Arist. regula in primo top. uidelicet ex interrogatione facta de homine ita esse, nunc rursum hoc probat ratione, quod. s. species habeat & quid, & quale. poterat.n. quis admirari propter exemplum quo usus erat, cum animal de homine in quid, rationale uero in quale quid prædicari dixerat. Ait ergo non esse admirandum, quod homo habeat, & quid, & quale, quoniam hoc commune est rebus omnibus ut habeant quid & quale. confirmat autem hoc quia cum res omnes constent ex materia, & forma, in his materia est quid, forma est quale, sed quod omnes res cōstent ex materia, & forma exemplo rerum artificialium manifestat in statua.n. duo sunt, materia ut æs, seu lignū ex quo illa facta est, & forma, ut figura Apollinis, seu Mercurii, ita & in aliis rebus est materia, & forma, uel uera materia. & uera forma. uel aliquid simile ueræ materiæ, & ueræ formæ. Et ex hoc inducit de homine, quod etiam ipse habeat materiam & formam, aut aliquid illis simile. homo autem dupliciter potest intelligi de uero homine speciali, & de homine in communi, sed quocunque modo intelligas, habet materiam, & formam, si.n. uerum hominem sumas, clarum est, quod habet materiam, cum habeat carnes, ossa, & humores, & quod habeat formā, nempe animam hominis. Ita etiam si hominem in communi sumas, habet materiam. & est genus, & habet formam, & hæc est differentia, quæ quamuis non sint ueræ materiæ, & formæ, quia uera forma, & materia in rebus est, quæ sunt extra animam; habent tamen similitudinem cum uera materia, & uera forma. & ex his componitur homo. sicuti etiam aliæ res componuntur ex materia, & forma. Quare manifestum est quod homo habet quid & habet quale, quomodocunque intellexeris. et ideo non est mirandum, quod Porphyrius dixerit hominem habere & quale & quid.

Describunt autem huiusmodi differentiam & hoc modo. Differentia est, quod natum est diuidere ea, quæ sub eodem genere sunt. Rationale enim, & irrationale hominem, & equum, quæ sub eodem genere sunt, (quod est animal) diuidunt.

Nunc aliam descriptionē differentiæ maxime propriæ affert, dicitq; esse id prædicatum quod aptum est diuidere ea, quæ sub eodem sunt genere. idest species. & probat hanc exemplo, nam rationale, & irrationale differentiæ sunt, quæ diuidunt hominem, & equum, & alias species animalis ad inuicem, quæ omnes sub eodem genere sunt. Sed uidetur hæc diffinitio falsa, cum conueniat etiam proprio, diuidunt.n. & ipsa propria species. quæ sub eodem sunt genere. risibile.n. hominem ab equo diuidit. Ad hoc, dicimus aliud esse diuidere, aliud separare, proprium non diuidit speciem, sed separat, & distinguit ab aliis speciebus. diximus tamen etiam supra, quod differentia maxime propria ea est, per quam per se differunt species, propria autem facere differentiam per accidens, in quantum sunt effectus differentiarum. sed quæritur hic, de qua nam differentia detur hæc diffinitio, an de diuisiua, an de constitutiua. Albertus dicit dari de differentia respectu ad genus, idest de diuisiua, diuidit.n. respectu generis differentia, & hic diffinitur per hoc, quod apta est diuidere. sed errat. quia diffinitur quod ea est, quæ nata est diuidere ea, quæ sunt sub genere, non dicit genus. sed quæ sunt sub genere, ea autem est species. ergo respectu ad species diffinitur non respectu ad genus. propterea dicamus nos istam diffinitionem recte & uere conuenire differentiæ specificæ, & explicare ueræ differentiæ rationem: cum enim differentia uera sit id, per quod res uere differunt, talis est specifica differentia, unde & recte hic diffinitur; unum enim relatiuorum recte per aliud diffinitur, relatiua autem sunt id, quod facit differre, & id quod differt, & ideo differentia hic recte diffinitur. quod sit illud, quod est natum diuidere, idest ponere differentiam, inter ea quæ sub eodem sunt genere. i. inter species. & ideo differentia specifica hic diffinitur. quod licet etiam ex eo probare, quod Auerroes dicit in quæsito de diffinitione termini. Cum.n. terminus unum per se, & aliud per accidens significat, simpliciter prolatum de eo intelligitur quod est per se. ita cū differentia dicatur tripliciter, communiter, proprie & maxime proprie, quæ per se dicitur, absolute prolata debet de hac per se intelligi: & cum differentiæ per se aliæ sint magis uere differentiæ, aliæ minus; debet absolute prolatum nomen de ea, quæ uere est magis intelligi, talis autem est specifica. Sed dubitabis, quia dicit Porphyrius rationale, & irrationale esse differentias, irrationale non est differentia cum infinitum sit nomen non significans esse aliquod determinatum. sed quasi non ens. Ad hoc dico ex sexto top. infinitum nomen aliquando affirmatiuum, & positiuum ens significare, quia tamen proprio nomine caret, ideo per negationem profertur, quamuis in se significatum ens sit positiuum.

Assignant autem & hoc modo. Differentia est, qua differunt à se singula. Nanque homo, & equus secundum genus, non differunt, sunt enim animalia, ut nos, sed additum rationale disiunxit nos ab illis, & rationales sumus, & nos, & dij, sed mortale appositum diuisit nos ab illis.

Aliam differentiæ descriptionem affert, quod differentia sit qua differunt a se singula. quam probat quia si differt homo ab equo (ut uere differt) aut differet per genus, aut per differentiam, non per genus, quia & homo est animal, & equus est animal, & secundum genus species non differunt, sed conueniunt. In eo autem differimus nos a brutis quod rationales sumus, illi uero non, & hæc est hominis differentia, differentia ergo est, qua differunt a se singula. Dicit autem. quod per rationale non solum differt homo a brutis, sed etiam dii. distinguit autem nos a diis alia differentia nobis addita. s. per mortale, quia dii sicu-

ri & nos rationales sunt, illi tamen mortales non sunt ut homo, per mortale ergo & per differentiam ab iis differimus. recte ergo difinitio differentiæ assignata est. sed dubitabis, quia etiam per communia & per propria accidentia differunt a se singula. Respondetur (ut supra dictum est) quod per accidens & non per se. Dubitabis adhuc de diis, quomodo dicat eos esse rationales, sed de hoc etiam supra dictum est. sufficiat nunc intellexisse exempli gratia de illis hoc in loco fuisse dictum. sed dubitabis adhuc, cum dixit quod per differentiam differunt a se singula, quid per singula intelligat. an singulas species an singularia? credo ꝙ singularia intelligat, in exemplo enim dixit, nos & Dii & non dixit homo & Deus. sed ista notificatio est per accidens, quia singularia per accidens differunt differentia speciei in quantum sunt sub specie. Dubitabis etiam quæ diffinitio sit ista. Boethius uult esse diffinitionem inanem, quia nihil declarat de esse differentiæ, nil per se continet, & etiam conuenit accidentibus & propriis & communibus. (his enim singula ria differunt) & ideò uult hanc diffinitionem corrigi per sequentem cum dicet {quod ad esse conducit} ut dicamus ꝙ differentia est qua differunt a se singula, & quod ad esse conducit. hoc enim pacto differentia explicabitur quæ est de esse rerum, qualia non sunt neque propria, neque differentiæ. sed neque hæc uidetur mihi esse diffinitio sufficiens, cum quid sit res non exprimat, sed tantum quid significet nomen, quæ cognitio est confusa, Dicacamus igitur quod hæc descriptio est differentiæ ueræ sufficiens & completa quantum ad declarationem nominis spectat, id quod hic intendit Porphirius.

Interius autem perscrutantes differentiam. dicunt non quod libet eorum, quæ sub eodem genere sunt: diuidentium esse differentiam, sed quod ad esse conducit, & quod quid, erat esse: & eius rei pars est.

Quia posuerat duas diminutas diffinitiones speciei, uult nunc ex aliorum sententia quasi eas corrigere, & dicit ꝙ quidam interius perscrutantes, uidentes scilicet quod istæ diffinitiones imperfectæ sint, & communes non soli specificę, sed communi etiam & propriæ, addidere, ꝙ ea sit quę apta est diuidere genus, sed prætetea, quod conducit ad esse & eius rei pars est. & uere si hoc addatur ad differentiæ difinitionem, facit ut ea non conueniat alteri quam specificæ differentiæ.

Neque enim quod natum est nauigare, est hominis differentia: etsi sit proprium hominis. dicimus enim, animalium hæc quidem apta esse ad nauigandum, illa uerò minime, diuidentes hominem ab aliis, sed aptum natum esse ad nauigandum non est substantiæ completiuum nec eius pars, sed aptitudo quædam solum, iccirco quia non est talis, quales sunt quæ specificæ dicuntur differentiæ. Erunt ergo specificæ differentiæ, quæcunque alteram faciunt speciem, & quæcunq; in eo quod quid erat esse accipiuntur. Et de differentiis quidem ista sufficiant.

Probat nunc ꝙ diffinitiones iam antea allatę imperfectæ sint, cum dicebatur ꝙ species erat quę apta est diuidere ea quæ sub genere sunt, aut quod est ea qua differūt a se singula. nisi addatur ea particula, quod ad esse cōducat. quia & si multa sunt propria hominis quibus homo uere differt ab aliis. tamē nō possunt talia dici esse differētiæ hominis, cum non dent esse homini. Nam per hoc differt homo, ceteris animalibus, ꝙ ipse solus aptus est ad nauigandum, hæc tamen aptitudo non est eius differentia, quia non ad esse illius facit. unde & animal non diuiditur per hanc differentiam & eius contrariam, quod scilicet animal aliud sit aptum ad nauigandum aliud non aptū. propterea quod hęc non facit ad esse animalis huius uel illius. quare uera erit diffinitio differentiæ, & conueniens differentiæ specificę, si præter id quod per eam differunt species, faciat etiam ad esse rei & sit eius pars. Et ita expleuit sermonem de differentia.

DE PROPRIO. CAP. IIII.

PRopium uerò quadrifariam diuidunt. Nam & id, quod soli alicui speciei accidit, & si non omni proprium dicitur, ut homini: medicum esse uel geometram.

Postquam egit de genere, specie, & differentia, nunc acturus est de proprio. Et quia proprium nomen multiplex est, quod debet distingui, ideo merito prius uult eius significata distinguere ut sciamus postea quis proprii modus utilis sit ad diffinitionem & demonstrationem, quarum gratia de his agitur. Dicit ergo proprium quattuor modis sumi. Primo autem modo ait illud esse proprium quod est prædicatum quod soli alicui speciei accidit ut subiecto, sed non tamen omni. quod notificat exemplo, quia esse medicum & esse geometram sunt duo prædicata quę de solo homine dicuntur, cum nullum aliud prætee hominē sit aut medicus aut geometra, sed non tamen oēs homines sunt medici, neque omnes geometra. Hic modus est quartus reductus ad actum. (sicuti diceimus) quartus. n. est aptitudo, & primus est actus quarti.

Et quod omni accidit, & si non soli, quemadmodum homini, esse bipedem.

Nunc secundum modum affert, & dicit proprium hoc modo esse prædicatum quod de omnibus indiuiduis unius speciei dicitur, sed non solis. & dat exemplum, sicuti, quod homo sit bipes omnibus indiuiduis hominis accidit, sed non solis, quia etiam auibus illud accidit.

Et quod soli, & omni, & aliquando, ut omni homini, in senectute canescere.

Affert tertium modum proprii, quando scilicet prædicatum inest omnibus indiuiduis unius speciei, & soli illi speciei, sed non semper. quod exemplo ostendit. canescere enim inest omnibus hominibus & solis illis non tamen semper, quia in iuuenture non canescunt, sed in senio. Hic tamen modus non uidetur esse distinctus a primo, uel quarto, propterea quod uel intendit Porphyrius actu senescere, & tunc est primo modo proprium, nam inest soli sed non omni neque semper. uel aptitudinem intendit: & tunc est quartus modus qui omni soli & semper conuenit. Præterea iste modus includit contradictionem, qui si aliquando inest, aliquando non, ergo non semper inest ergo non omni. Ideo non esset mirum quod hic modus sit inutilis.

Et quod soli, & omni & semper, quemadmodum homini, esse risibilem. Nam etsi non semper rideat, tamen risibilis dicitur, non quod rideat semper sed quod aptus natus sit ut rideat, hoc autem ei semper connaturale est, ut equo hinnibile.

Nunc quartum modū proprii ponit. & dicit esse quod habet tres conditiones scilicet quod insit omnibus indiuiduis speciei, secundo, quod solis illis insit. tertio quod

semper insit, & hoc uere proprium uocatur. Confirmat autem exemplo id quod dixit, risibile inest hominibus, & solis, & omnibus. & semper. ideo tale est proprium quarto modo. si obiicias, quòd non insit hoc semper hominibus, cum non semper homines rideant; respondetur quãuis non semper sit actus ridendi, semper tamen esse aptitudinem ad ridendum, quod etiam probat, quia, quod alicui a natura inest, semper inest, & econtra. modo ridere posse a natura inest homini: habet. n. talis aptitudo principium naturale in homine, sicuti hinnibile in æquo, qua se semper inerit.

Hæc autem dicunt propriè propria, quoniam etiam conuertuntur. Si quid enim equus, hinnibile est: & si quid hinnibile est, equus est.

Cum dixit quatuor modis dici proprium. nunc uult uerum eum modum eligere, qui ad diffinitiones, & demonstrationes sit utilis. dicit propria quarto modo propriè & uere propria nuncupari, cuius rei assignat causam, quia ea sunt uere propria rei, ut dicit Arist. primo poster. quæ conuertibiliter dicuntur de re. sed prædicata, quæ insunt omni soli, & semper, conuertuntur, ergo uere propria sunt. Quod hæc conuertantur, probatur exemplo, quia si quid est equus, id etiam hinnibile est, & si quid hinnibile, idem est equus. quare, hæc uere propria erunt. sed quæres quomodo proprium de his quatuor modis dicatur, an uniuoce, an analogicè, an æquiuoce. Credo ego, quòd sit analoga uox plura significans. sed unum prius, reliqua posterius. Nam cum proprium uere dicatur id, quod tres illas conditiones habet, quas diximus, reliqua propria dicuntur, quia aliquam illarum conditionum participant. sed dubitatur de proprio. Et primo de eius modis, quos Arist. posuit. secundo quomodo ipsum diffiniatur. Dicunt aliqui Arist. dicere proprium dici tribus modis, proprium simpliciter, proprium quando, idest secundum tempus, & proprium ad aliquid, sed sub proprio ad aliquid duos modos contineri dicunt, scilicet, quod omni, sed non soli: & quod soli, & non omni conuenit. & sic dicunt, Aristot. ponere quatuor modos sicuti Porphyrius. sed isti errant, primo quia ut diximus ille modus quem appellant quando, cum scilicet non semper conuenit. est inutilis. secundo quia dicunt Arist. id ponere quod nunquam posuit. Propterea dicamus tres proprii esse modos, ut dicit Arist. proprium simpliciter & per se, proprium ad aliud, & proprium aliquando. proprium per se est quod omni soli, & semper inest, & hoc quoque dixit Aristo. primo poste. capite de per se. & hoc separat rem cuius est proprium a rebus aliis omnibus, ut risibile in homine. proprium uero ad aliud est, quod res quibus aduenit non separat ab aliis rebus, nisi ab iis quibus comparatur, & hoc duobus est modis, quod semper omnibus inest, sed non solis, ut bipes homini est omnis, & semper, sed hoc non est ei proprium nisi comparatione ad equum, & canem, aliud uero quod nec in omnibus est nec solis, esse tamen deberet comparatione ad aliam rem, sicuti, si comparetur anima ad corpus, imperare animæ est proprium, tamen neque omni animæ, neque soli hoc inest, quamuis comparatione ad corpus hoc inesse, & omni, & semper deberet. proprium uero quòd aliquando dicitur est illud quod subiecto alicui pro aliqua parte temporis conuenit, ut ambulare in foro alicui homini conuenit. Hi sunt modi ab Arist. traditi, inter quos non est tertius a Porph. relatus, quod conuenit omni soli, & aliquando ut canescere. primus modus est quartus Porphyrii. primus Porphyrii in eo modo continetur, quem uocat Aristo. aliquando proprium. ridere enim ut est actus est proprium quarti modi. secundus modus apud Porphyrium quem dicit omni, & semper conuenire, sed non soli, conuenit cum eo, quem Aristo. proprium ad aliquid uocat. ut bipes hominis est proprium respectu equi, qui non est bipes. sed quæres præterea cur non diffinierit Porphyrius proprium ut prædicabile, sed solum modos eius enumerauerit. Dicunt aliqui diffinisse cum in fine capitis dixit quod conuertitur, quasi dixerit quod illud sit quod cõuertibile est cum specie. sed si hoc esset, tũc idem erit proprium cum differentia cum & hæc cum eo conuertatur cuius est differentia. Alii dicunt diffiniri proprium, cum dicitur quod illud est quod soli & omni competit. Verũ neque hæc proprii est diffinitio, cum & totum hoc differentiæ quoque conueniat. Ego credo Porphyrium non aliter excusari posse nisi dicamus, quod supra dum declararet secundum modum differentiæ, quæ ipsum est proprium, satis explicauit quid ipsum sit. sed utcunque. Aristo primo top. 4. diffiniuit proprium, quod sit id quod inest soli; & conuersim prædicatur de re cuius non indicat quid est esse. unde per hoc, quod dicit non indicare rei esse, differt a differentia, & diffinitione, quæ rei esse indicant. ait præterea idem Aristote. primo poster. 32. proprium esse prędicatum per se quod in ratione subiecti sumitur. sed dubitabis, si proprium est prædicatum per se, de quo prædicatur, de specie, an de singularibus? Dico quod de specie prædicatur, quia in eius diffinitione species sumitur, non autem singularia, quia singulari alicui soli non conuenit, sed toti speciei. sed quæres adhuc, quomodo prædicatur, in quid, an in quale? & quare hoc Porphyrius dimisit? scias Porphyrium non dimisisse, immo supra dixit prædicari in quale. sed dices adhuc, proprium conuertitur cum specie, sed species prædicantur in quid, ergo & proprium prædicabitur in quid. Præterea sæpius in diffinitione ponuntur propria quæ prędicãtur in quid. Dicimus sequi argumentum. De quibus prædicantur species de his, & proprium, quia conuertuntur. sed non quali modo prædicatur unum, tali & alterum. Neque proprium in uera diffinitione ut proprium ponitur, sed ut nominat differentias ignotas. & tunc tantum nomine proprium est, non re. sed quęres an sit proprium generis, sicuti est proprium speciei? Dicũt aliqui habere cum genera proprias passiones habeant sicut species. sed hi ignorant, nam proprium est rei, quę in ratione eius ponitur. hæc autem non est genus sed species ut in primo poster. diximus. Propterea dico ego, quod genus sumi tripliciter potest, ut genus est: ut species: & ut subiectum quoddam. primo modo non habet propria. habet tamen secundo modo ut est species quæ est genus etiam aliarum specierum. si dicas, generalissimum genus tantum genus est nec potest sumi ut species. & tamen propria habet; assignat enim Porphyrius eius proprias passiones. Dico quod insunt generalissimo propria non ut speciei, sed sub tertia ratione quam dicebamus, qua, scilicet est subiectum tale quoddam, quod tamen suarum specierum est genus. sed rursum dubitabis, an quodlibet accidens sit proprium alicui subiecto, licet aliquibus non sit proprium, ueluti si albedo quæ accidens commune dicitur, homini & ligno, habeat tamen subiectum aliquod cui proprium sit, idest soli, omni, & semper conueniat. Quidam dicunt quod non, quia accidentia communia omni subiecto sunt communia, & non habent subiectum proprium, quod probant, quia sequeretur accidens non posse separari sine corruptione substantiæ quod dicunt esse falsum, quia, non posset inueniri pura alteratio. quod autem sequatur hoc, probant; quia si albedo habet subiectũ proprium, uel est substantia uel accidens, si substantia, ergo non remouebitur sine corruptione substantiæ. quia non remouebitur sine subiecto suo quod est substantia. si uero est accidens, tunc quærendum de hoc accidente an & ipsum subiectum proprium habeat. si enim habeat: erit hoc subiectum aut substantia, aut accidens, si substan


tia,

tia, ergo rursum accidens sine substantia remoueri nō poterit. si accidens, eunc iterum de hoc quærendum est, an habeat subiectum, uel substantiam, uel accidens, & sic processus in infinitum. Vel sine substantia remoueri accidens non poterit. quod est falsum. Arguunt præterea alii quia si proprium est quod conuenit soli & semper quo modo accidens esse potest? Nam, uel respectu alterius subiecti, uel eiusdem, non eiusdem: quia nullum idem respectu eiusdem potest esse proprium & accidens nec alterius, quia, si alteri conuenit, ergo non soli, & ideo non est proprium. Quare idem proprium esse non potest & accidens, nec eidem, nec alteri subiecto. sed quæ isti dicunt, mihi non placent. primo quia accidens omne commune pluribus subiectis, habet subiectum unum proprium, cui soli, omni, & semper conuenit. sicuti albedo accidens commune est, tamen ea subiectum habet proprium, idest materiam claram disgregantē uisum, cuius uerum nomen ignoramus: quæ necessario eā sequitur, nec sine ea esse potest; & illa materia alium colorem non sustinet nisi albedinem. similiter nigrum materiam quandam alteram congregantem uisum insequitur, signum autem est quod in materia omni in qua est album, nō est nigrum & econtra: similiter uidemus dulce, & amarū materias proprias insequi quibus solis insunt, omnibus, & semper: accidentia tamen communia sunt multis subiectis. præterea caliditas, frigiditas, humiditas, siccitas, elementis propria sunt, quæ tamen reliquis quoque corporibus accidentia sunt. sed ad hoc respondet Scotus quod de elementorum qualitatibus diximus intelligi duobus modis. primo, q illæ qualitates non sunt propriæ ab elementis, quia sunt separabiles ab illis: quando enim pars elementi generatur per alterationem, inducuntur qualitates illæ in materiam siue formam elementi per alterationem. tamen in illo tempore erunt sine elemento. ergo separabiles: & ideo non propriæ. secundo dicit, q licet hæ qualitates elementis insint necessario & semper, non tamen propria sunt, quia non insequuntur formam rei, sicut propria, sed materiam. quod probat; quia sunt qualitates actiuæ & passiuæ quæ insequuntur indiuiduū, nō autem formam quæ est a specie. sed iste uir multum errat, primo quia clare habemus quarto cœli, primo de generat. 22. illa, esse propria elementorum. & tertio cœli 17. reprehendit Auer. Auicennam, nec uult posse illas qualitates remitti nisi remittantur substantiæ, quia propria sunt. Præterea ex diffinitione proprii hoc patet, & ex regula quam primo poster. assignauit Arist. Illud enim proprie & in quantum ipsum conuenire dixit, si posito uno semper, & alterum semper ponitur: & econtra: & si remoto uno alterum semper remouetur. & præterea si reliquis remotis, ipso posito res ponitur: & sic omnibus positis illo remoto, res remouetur. modo istæ qualitates solis, omnibus, & semper elementis conueniunt. & his positis elementa ponuntur; & remotis remouētur. & contra, cuius signum est quod in cælo non sunt hę qualitates quia non sunt elementa, ergo propria sunt. Vnde ad primam rationem, dico non posse in subiecto qualitatem propriam sine elemento. immo in eodem instanti quo qualitas ea inducitur, inducitur & substantia elementi. & ideo Auerroes accusat Auicennam qui dicebat posse has qualitates sine substantia intendi & remitti. Quod uero secundo loco dicit Scotus, est error peior priori, Nam materia elementi apud philosophos omnes est materia prima, quæ omni actione caret. quomodo ergo istæ operationis naturam materiæ insequuntur? Præterea confessum est apud philosophos quod hæ actione a forma elementi proueniunt, & hoc ipse etiam Scotus sæpe dixit, ergo errauit. Hæc de proprio sufficiant.

DE ACCIDENTE. CAP. V.

Accidens est, quod adest, & abest præter subiecti corruptionem.

Cum egerit de quattuor uniuersalibus, nunc id quod superest de accidente uult loqui, & declarare quid sit. scire autem oportet q accidens multis modis dicitur. (Cur enim Porphirius huius nominis multiplicitatem non explicauerit nescio, nisi forte, quia in usu non erat hæc multiplicitas eius tempore, & quia Peripatheticorū libri de hac non meminerunt) sumitur ergo accidens uno modo ut opponitur substantiæ, & sic prædicata sunt accidētia. & diffinitur quòd sit ens non per se constans, sed alteri inhærens: & quod non est uere, sed est ens quia entis, septimo metaph. primo. Alio modo sumitur accidens ut opponitur ad per se. & hoc modo dicit Arist. primo poster. quæ neque primo neque secundo modo per se sunt, per accidens sunt. nā primus modus per se est quando prædicatum est de ratione subiecti; secundus autem, quando subiectū est de ratione prædicati, quod autem nullo istorum modorum est, per accidens est. Alio etiam modo sumitur per accidens pro eo quod non est conuertibile. quo modo genus dicitur esse prædicatum per accidens quia non conuertitur cum specie in quantum genus. sed dices, quinto metaphy. sunt etiam alii modi accidentis, sicuti, id quod non est unum per se dicitur per accidens, ut subiectum cum accidente. aut duo accidentia aggregata. Dico ista reduci ad modum qui opponitur prædicato per se de quo supra. sed quæres quomodo hic sumit accidens Porphyrius. Dicunt aliqui sumi, ut opponitur substantiæ. sed errant. sic enim sunt accidentia quæ tamen diffinitionē hanc non suscipiunt, nempe quæ nō possunt adesse & abesse præter corruptionem subiecti. Ideo dicamus sumi alio modo, pro eo scilicet quod ad per se opponitur. quod enim neque primo modo neque secundo est per se, hoc uocat accidēs Porphyrius. signum est quod omni tali & nulli alteri diffinitio data est, scilicet posse adesse & abesse. præterea Arist. primo topic. diffinit accidens, quod neque genus est, neque differentia, neque proprium, neque difinitio, hoc autem idem est ac si diceret non esse in primo modo per se; quia in hoc continetur genus, differentia, & diffinitio. neque in secundo quia illud est proprium. sed quæres, si accidens prædicatorum unum est, & omne prædicatum habet subiectum, quod nam erit huius prædicati subiectum? Dicunt quidā esse sua singularia, ut album in communi de hoc & de illo albo. quod probant, quia sicuti proprium uniuersale prædicatum dicitur respectu suorum singularium. ita & accidens. præsertim q uniuersale ut uniuersale non habet esse perfectū nisi in singularibus. sed hi errant, neque enim proprium pro subiecto proprio habet singularia. quia si habet singularia, uel singularia subiecti, uel singularia quæ sub ipso sunt. sed nullo istorum modorum ea possunt esse illius subiectum uerum, non subiecti singularia, quia de illis per accidens prædicatur, ut diximus. non etiam quæ sub ipso sunt, quia de illis non dicitur ut proprium, sed ut species, quæ prædicatur de singularibus. Ita ergo & accidens si est prædicatū respectu indiuiduorum, uel est respectu indiuiduorum subiecti, & si per accidens, uel respectu eorum quæ sub se sunt, & sic non ut accidens, prædicatur, sed ut species. Ideo dicamus nos, subiectū proprium accidentis esse id a quo potest abesse & adesse. sicut proprii subiectum est quod in ratione eius ponitur. sed notandū est præterea quod uniuersale tribus modis sumi potest, uno modo pro eo quod non est singulare. & hoc modo uniuersale est quod singularia habet sub se. secundo. quod prædicatur de re uniuersali uniuersale dici debet quia uniuersaliter in toto subiecto est. ter



HIERONYMI BALDVINI IN LIBROS Aristotelis de interpretatione Expositio,

QVAM M. ANTONIVS Siculus collegit.



VONIAM, ut Ammonius asserit, liber hic celebris est habitus ob preceptorum frequentiam, & dictionis difficultatem, & ob iudici infirmitatem eorum, qui plurima ex parte hunc librum interpretantur quo factum, ut plurimos libros ediderint. Mihi quoq; propositum fuit, hunc librum exponere omnibusq;, quos auctoritate & ratione duci cognouero, in unũ coactis, quæ quisque uere docere uidebitur, auido ac ardenti studio ueri reperiendi, excipere, atque ex uariis expositionibus excellentissima quæq; libare. Et ne aliena tanquã mea possedisse uidear, proprios auctores citabo: nec propterea desinam, ubi uidebitur proprium iudiciũ adhibere. & ut nil sine ratione apud me auctoritas ualere ostendatur, utar libero iudicio nullã astringar necessitate: nec certa quædam mihi tuenda sententia est, idq; sentiendum quod alii suo arbitratu, sine ratione, ac sensuum testimonio uelint. quod ut assequi complectiq; pro uiribus possim & nullis eloquentiæ deuinctus legibus, ordiar. Sed prius quid logicorũ (quos deplorandi homines, Aristo. misso, sectantur, ualeat usus uidendum est.

Requiritur primum, an summulæ sint necessariæ? Respondetur minimè esse necessarias. q Arist. in locum in logica diceremus, quam tamen cum philosophia & metaphysica fuit Commẽtatoris testimonio primo physicorũ in procemio. primo de gen. cõmento. 38. inuenit & compleuit. Amplius si summulæ post habitam scientiam tractatus habentur, non ergo alia ratione necessariæ, nisi ut conclusio. & epilogus post narrationem nec utiles sunt, quia non ordinatæ. modo quo summulæ tradi consueuerũt, diffinitione scilicet, ut liber artis paruæ, & diuisione, post tractatum, & longam discussionem. nec sunt etiam utiles ut ante Arist. libros legantur: cum ex ignotis procedant quæ notificanda erant in tractatu. Item summulæ illæ, quæ uulgo legi consueuerunt, sunt falsæ: nam primo de terminis inchoant: de quibus proprie in libro priorum considerandum: nec dicendum pro Paulo: Ipsum termini nomen sumpsisse communius, ut ad incomplexum deducitur & extenditur quo modo non accepit Aristot. hæc enim responsio infirmatur ab eodem Arist. qui nũquam quinto metaphy. capite de termino, usus est hoc nomine termini. Dices Paulum suo arbitratu terminum transtulisse. contra, quia transferentes ex simili propriorum uerborum transferunt: ratio autem communissima termini est extremum esse & ultimum extra quod nihil sit: complexũ uero non est simile ultimo. Nec Petri. Hispani summulæ ueræ sunt: cũ erret in principio logicã finiẽdo quod sit ars artium, & scientia scientiarum in quo summo errore necesse est tirones in multarũ rerum ignoratione uersari quæ ex huius falsi principii notitia deducetur. Nam primo topicorum secundo, & primo Elenchorum 9. 10. 11. hæc definitio, topicæ, non totius logicæ est: cuius proprie est habere sermonem cum alio circa principia artium uniuersa. Nec sufficit dicere in his summulis dari quid nominis eorũ, quæ cognoscimus & utimur in logica: quod debet præcedere. primo post. secundo, & secundo post. nono, quinto metaph. primo. Nam argumentũ huius uim dissoluit Auer. quinto metaphy. primo. dixit enim quod quid nominis omnium in uno libro ponuntur, quando numerari intenduntur ea de quibus scientia tractare constituit: non ergo ponenda errant in tot distinctis tractatibus sed quando ponuntur pro notitia rei, & ad distinguẽdã unã quæstionem ab alia, tunc in propriis libris locantur, ut pars præcognitionũ. Qua de causa uno tractatu id fieri in logica non necesse est: quum non si propterea quid nominis intendatur, ut distinctis tractatibus declarentur. Occurres. secũdo. Cõmentator etiã summulas quas Epitomata logicalia uocant, perscripsit. Huic satis fit, cõmentatorem illas fecisse ut post tractatũ Arist. nõ antea disceremus. Pugnabis, tertio. Harum summularum cognitione præmissa, pueros a facilioribus procedere. Respondeas, minime: sed a falsis, non seruatis sciendorum ordi-

nibus: quod omnis ignorationis est causa, procedere. Quæritur, an uniuersalium Porphyrii liber, hunc antecellere, seu præcedere debeat? in partem aliam primo arguitur. liber Porphyrii introductorius dicitur ad prædicamentorum doctrinam; prædicamenta autem libro Perihermeniæ præponenda: ergo & ipse necessario præponendus. Secundo tractata in eo libro uniuersaliora & notiora sunt a quibus primo inchoandũ, quinto metaph. primo. Respondetur quod nomen & uerbum simpliciora, cõmuniora, & notiora sunt illis: propterea q uoces significãtes, sunt, non huius uel illius naturæ. sed uniuersalium, quomodo uniuersalia Porph. non significant: sed naturas dicunt terminatas & proprias. Item testimonio simul (in fine libri Porphyrii; & in proœmio poster.) eum Auer. rationes firmatur. Aut Porph. lib. necessarius erit, & ita Arist. diminutus; uel utilis gratia & hoc asserendũ non uidetur. Nã aut hæc quinq; Porphyrii prædicata cõsiderantur, ut prædicata & subiecta, & hac ratione ad librũ pertinent priorum primo priorum primo. quo in loco ista de intento declarantur, & finiuntur: ut prædicata in quid & in quale & ita proprie ad topicũ spectant, primo topicorũ quarto. uel ut prædicata per se, sic ad librũ post. pertinẽt ergo cum non alius cõsiderandi modus remaneat, nulla ratione erit primus. Cõfirmo ergo, Porphyrius initio lib. sui asserit de quinque prædicatis se consideraturũ quemadmodum antiqui & maxime peripatetici tractauerunt. ea ergo ipse ponit & definit prædicata, quæ alii peripatetici tractauerunt; ut ioruẽri patet primo topic. quarto, & infra necessario ergo posterius legendus, nõ prius. Amplius si istæ descriptiones ad ea quæ ponuntur in libro Perihermenias cõferantur, nullo modo utiles uidebuntur. Prætera ipsæ summulæ inter se pugnant, cum librum Perihermenias libro prædicabilium anteponant: ratio autem ea est quam tetigimus. quod nomen signũ rei est uniuersalium: cuius ueri & falsi oratio est significatrix: propterea in eodem traduntur libro. Ita terminus ut pars propositionis, seu præmissæ in eodem traduntur libro in quo & totum. Postea ut hoc nomen rationem accipit prædicati in quid & in quale in libro topico, propositionem topicam conficit & syllogismum. Vt autem ad prædicatum per se deducitur cum consequentibus conditionibus suis, in lib. poster. demonstratiuam efficit præmissam. sed quinque prædicabilia singulas & terminatas naturas designant: nec per se sunt pars orationis: sed per accidens, ut nominis induunt rationem. Quæritur ultra de ordine an primo legendus sit liber prædicamentorũ, sicut Auer. in princ. & fine huius libri Ammonius, Philoponus, Boethius & reliqui fermè omnes græci & latini cõsentiunt: hi enim ad hanc opinionem firmandam has rationes adducunt. Quod liber prædicamentorum procedit ex simplicioribus; ex quibus oratio, de qua in libro Perihermenias constituitur. Ammonius hunc in modum rationem cõfingit ex simili: sicut oratio simplex præcedit syllogismũ, ita uoces prædicamentorum simplices, orationem. Amplius decem prædicamenta sunt de decem uocibus significantibus decẽ simplicissimas res, quibus alia simpliciora non dantur. Item in prędicamentis consideratur de uocibus significantibus decem res: hic uero de uocibus nominum ad placitum significantium: modo prior est uox significans res quam nomen. Sed his omnibus aduersamur iisdem quas supra retulimus rationibus, atque ipsa argumentationum, genera uitiosa demonstrantur; quia nomẽ rem in communi significant, decem autem prædicamẽta terminatas ac definitas naturas. Præterea in postprædicamentis & primo priorum quinto. a quo nõ cõuertitur existendi consequentia, est prius, ualet autẽ omnis substãtia est uox a positione significans, non autem econtra. Si etiam simul prædicamẽta sumantur, consecutio ualet, omnia prædicamenta sunt uox a placito significãs, non contra: ut de non ente & nomine indefinitio perspicuum est uox ergo a positione significans, quæ nomen est, communior erit decem simplicibus uocibus. Ad hæc Auer. in epitomatibus logicalibus ipsa rei ueritate, coactus, cõsideraturus, ipsum quid prædicamẽtorum, quid nomen & uerbum sit præcognouit, ac nominum significationem. Deinde si in prædicamẽtis agitur de decẽ uocibus, decẽ res significantibus: de uocibus igitur prius considerandum, an significatiuæ sint uoces, an nõ an a natura uel a positione: an primo res significent, an res intermediis conceptibus? quæ omnia ab hoc libro petuntur. Atq; hic tãquam præcognitiones propriæ considerantur. Postremo, prædicamenta non considerentur, ut decem uoces significatiuæ: non enim ita definiuntur ut nomina in hoc libro.

Prædicamenta ergo non simpliciores, ac communiores sunt uoces: nec ex his oratio per se constituitur: sed ex accidente, ut nomina sunt. Primæ igitur uoces dicuntur, ut ad primas decem res conferuntur: quibus res priores, una ratione æque participata, non dantur. non tamen adeo primæ uoces censentur, ut aliam communiorem uocem non habeant: ut de nomine declarauimus.

Ad extremam rationem satis respõsum sit. quod & si auctor, primo rebus quàm nominibus nomina imposuerit, non ut communioribus, a quibus necessario primo inchoandum est: sed ut primis natura in esse: quas singuli explicare desiderant, ut primo notas. uox igitur significans rem, prior natura esse, & existentia, & ratione rei est uoce a positione significante. sed uox a placito significans, communior est: & prior essentia (quæ instrumentis artis conuenit) facta est. absurdum etiam est uocem significare nomen: cum nomen uox sit significatrix, potius quam significata. & propterea uoces non significant res primo, quam, illas mediis conceptibus denotent. Confirmatur. quoniam uox, quam logici diuersa a Philosophis ratione considerant, ex cogitatione tantum significans, ut Ammonius asserit: hæc autẽ res mediis conceptibus repræsentat: & uox est quæ nomen dicitur a positione significans. hæc de obiectis dicta sint satis. Nunc de ueritate (quæ his duobus explicatis satis cognita est.) pauca dicamus. Primum dicimus Arist. librum legẽdũ fore hũc quẽ exponendũ premisimus. huius dicti rõ hæc affertur: quoniam logicę subiectum siue materia est secundo intellectũ, seu collatione rationis notitia factum ens, ut instrumentum notificãdi. uox ergo a placito & a ratione significans. cum sit instrumẽtum simplicius decẽ prædicamentis: quæ ut partes & species entis ad metaph. spectant. 4. & septimo metaph. primo. & ut prædicata in quale seu in quid ipsorum ordo ad topicum pertinet, primo top. 5. & septimo & infra. ergo primus liber, ut simplicioris & uniuersalioris, ac notioris instrumenti erit hic liber Perihermenias. Instat S. Tho. liber prædicamentorum de prima operatione intellectus considerat: At hic liber de secũda: Dic quod utrobiq; agitur de prima quatenus nomẽ & uerbũ ut simplices uoces & cõmunissimę cõsiderãtur: licet enunciatio, ut eorum cõplexũ necessario sit cũ secunda; liber uero prædicamentorũ non simpliciter primus dicitur, sed bonitatis gratia tantum, quatenus in eis tanquã subiectis inquirimus prædicata definitiones & proprietates consideratas a logico: quæ proprie ad metaph. pertinent, cum eodem modo utrobique definiantur. Vnde fiet, ut eodem etiam modo & ratione a metaphy. considerentur: ut prima substantia maxime substat & proprie: & secunda quę est in prima & dicitur de prima & de qua re. Deo fauente dicemus alio loco diligentius.

Quod autem utilis & ad logicę fructũ, prędicamentorũ liber referri possit: satis sit testimonium Commentatoris in Epitomatibus logi. de dictionibus compositis. Petes ergo: liber prædicamentorũ quem sibi locum uẽdicabit?

Dicunt aliqui nullum necessario habere in logica locum; quod

quod ego uerum puto: rationibus supra relatis. hæc de ordine: Nunc de proposito subiecto, intentione, siue materia, uideamus: quid ponendum primum sit. docente natura. secundo physi. 75. quam & si nulla ars consequi possit imitando: æmulari tamen illam contendit. sed natura finis gratia operatur. artem igitur necesse est propositum suæ considerationis diligenter ante cognoscere. tertio ethico. sexto, & septimo metaphy. 23. Paulus ait a termino esse incipiendum, quod dici non potest eadem quam supra dixi ratione: quia uox communis instrumentum notificandi est, atque notius: terminus uero minus communis, ut pars est syllogismi: quo modo nec nomen nec uerbum arctatum est. sed Petrus Hyspanus dicit primo inchoandum a sono, & uocibus, ut communioribus: quod etiam non placet. quia si necessario ab his ordiendum, Arist. ergo erit diminutus. Dices: melioris notitiæ gratia saltem, ut ex facilioribus hæc doctrina procedat ex præexistenti cognitione: cum nomen, & uerbum uoces sint, & uoci sonum petere necessarium sit: iure igitur primo de sono: inde de uocibus inquirendum. Sed Arist. contrarium opinatur: quoniam hæc difficiliora tractatu cum sint, & ad librum de anima altiorem pertineant, non inscitia, aut inertia, hæc omisit: sed tanquam difficilia, & inchoantibus occulta reliquit. Præterea tanquam ignarus deridendus Arist. esset, qui omnem sciendi, ac finiendi peritiam est complexus si nunc necessaria; aut ea, quibus traderetur definitio prætermitteret. sed ut ii sciant, qui se definiendi magistros fecerunt, Arist. non sine causa ista non esse prosequutum. cognoscant artem transgredi, artifici non licere. scire uero modum, quo sonus, & uox efficiatur: quibusq; præpositis principantibus, aut adiuuantibus causis proueniant, ad librum de anima pertinere. propterea ne imperitus, & confundens artes, Arist. haberetur, se ad alibi dicenda remisit. sed contra arguunt uniuersalia præmittenda sunt: sed talia sunt sonus, & uox ad uocem significatricem collata. Respondetur ea uniuersalia debere præcedere, quæ ad eundem spectant modum considerandi: qualia ista non sunt: alter. n. metaphysica communiora considerans, primum esse legenda. Paulus Pergulensis, transcendentia primam rem docendam affirmauit: sed cum hæc sub modo considerandi logico, ut instrumenta notificandi, & explicandi non contineantur sine Arist. diminutione, dimittantur: hi ergo omnes ignoratione ordinis inueniendi primam rem docendam, logicam ignorarunt. Ordo igitur ex processu resoluente, ex constituto fine procedere: finis autem logicæ cum sit demonstratio, & demonstrans scientia, primo priorum primo: primo poste. primo. secundo poste. 100. sed hæc non nisi per syllogismum cognoscitur: huius partes sunt præmissæ: quæ ex terminis conficiuntur: hi autem nomina sunt & uerba, ut genera communiora his, ideo primum de his a logico considerandum. Et quoniam inscriptio propositi, & intentionis gratia quæritur; propterea explicanda & ipsa prius est. Boethius cum quo plurimi expositores græci consentiunt, inscriptionem accepit a uoce articulata cum imaginatione significandi: uel ut alii a uoce articulata cum relatione signi. & imaginatione significandi: ut secundo de anima. 88. 89. 90. patet. Contra hos arguunt quidam primo: quia interpretatio non dicitur uox: sed explicando facta per uoces. sexto topico. primo. non igitur uox interpretatio erit. sed finis, quem uoces clariores declarant. Item finem, per quem instrumentum describitur, & ad quem refertur omittit explicare, scilicet rem conceptam, uerum aut falsum. quod Ammonius acutius intuens annotauit. postremo definit definitione grammatica per articulum, qui uel principium, uel finem. uel orationem ipsam determinat. Propterea primo respondent, secundo de anima 49. a fine unumquodque nomen sortitur: uox autem, ut infra dicetur, ad rerum conceptarum interpretationem dirigitur: liber igitur Perihermenias ab hac rerum conceptarum interpretatione nomen duxisse dicetur: non a uocibus articulatis. Sed ad hæc respondetur. primo (ut concludatur, seu exprimatur latine de græcis) ἑρμηνεία interpretatio, sermo, explicatio dicitur. sermo autem uox explicans est, non explicatio facta per uoces: sed explicationem efficiens potius. Præterea isti sumunt articulum non pro determinatione orationis, seu ut principium eius, aut finem determinat: ut præpositiui quos uocant. sed pro literis, & syllabis, quibus dictio tota, & oratio scribi potest atque constitui, uelut animalium membra, ex articulis membrorum actu existentium in illis addantur, & constant. Itemque mihi uidetur Aristo. sexto topico. primo: quem in Boethium dixisse putant contra se potius, quàm pro se esse. inquit enim (sunt autem eius, quod est non bene, partes duæ; una est obscura interpretatione uti) cuius rationem adducens ait. (oportet enim definientem planissima interpretatione uti: eo quod cognoscendi, siue innotescendi gratia redditur, siue assignatur definitio,) & Commentatorem appello: quem isti sequuntur. dicit enim (expedit autem scire, quod non bene construere definitionem fit duobus modis: aut ex parte nostri (quia cognoscendi gratia assignatur) & hoc quando oratio de illa fuerit obscura non patens &c. Sermo igitur Commentatoris, & Arist. est de oratione, & definitione: quæ primo topi. quarto oratio est: sed oratio est uox interpretans, & significans, quare sermo Arist. citatus erit de uoce explicante, non explicatione facta per uoces clariores: deq; instrumento, non ultimo, siue fine. His explicatis, pro Boethio: respondebo ad singula, quæ allata sunt argumenta. Ad primum accurate a me sit responsum: cum non recte declaretur Arist. auctoritas. Secundum dissoluitur. finem ab his explicari cum dicunt. de uoce articulata significatrice, cum imaginatione significandi, idest ab instituto: quomodo Aristot. definiuit. Ad tertium consentio tam Boethium, quàm Ammonium non necessarium, sed uulgarem significatum uoci declaratæ ab Arist. addidisse: ut uel notum sit grammaticis, quorum est proprium de literis & syllabis habere sermonem, quod ponendum a logico est; nam si uox a positione, consilio, & imaginatione significat, necessario literis debet constare. non necessarium etiam addunt, quod hic ab inchoantibus comprehendi non potest: sed subtilitatem philosophia dignam requirit. Dicit nihilominus posset: eandem definitionem conuenire logico, & grammatico: licet ad diuersum finem grammatici referant: ut postea monstrabitur. finis enim grammatici erit uox articulata a positione significans, ad congruam uel incongruam orationem: logicorum uero ad uerum uel falsum monstrandum, aut ad simpliciter disserendum, aut probabilibus: & per hæc sit satis ad obiecta responsum, sed quoniam uideo interesse parum inter illam opinionem Boethii, & Ammonii: ut uerborum sit potius quàm rerum dissensio: propterea sententiam afferam, quæ sibi fidem sensibus confirmet ex Aristot. qui librum poster. sæpe de demõstratione librum uocauit. quem tamen de demonstratione, & demonstratiua scientia. primo priorum primo, secundo posteriorum 100. nomine appellauit, nam cum instrumentum finis gratia expetatur: de instrumento considerare constituens. & de fine se consideraturum affirmat. hæc enim eadem sese sunt appellata ab Aristot. secundo poste. 100. ut easdem pene essentiales conditiones habentes. primo poste. capite quinto (si scire est ut posuimus, necesse est demonstratiuam scientiam esse ex primis) Dicetur igitur inscriptio ab enunciatione, quæ uox significans a positione est ueri, uel falsi rerum conceptarum, tanquam a per se intento instrumento, & ab interpretatione facta per uoces cla-

pores, tanquam a fine proprio. Vtriusque sensus, capax est uerbum ἑρμηνείας, quæ explicationem & interpretationem significat, siue per uoces clariores illam facientes, siue factas, & orationem dicit ut instrumentum, res conceptas ueras aut falsas declarans. Ad hæc tamē addit Ammonius: a quo Magentinus fere ad uerbum accepit: interpretationem, ad uim cognitiuam spectare: cuius actio est intelligentia, opinio, cogitatio, & sensus. interpretatio igitur ea ratione dicetur enunciatio, ac si uerum, uel uerisimile quid animus sentiat enuncians, similiter interpretatio dicitur quid ueri animus sentiat, aut falsi declarans: cæteræ uero orationes imperans, optans, & uocans, affectus explicant appetitiuæ potentiæ: cuius actio, uoluntas, electio, iracundia, & cupiditas appellatur. Ex quorum sententia liquet, ab instrumento inscriptionem accipere: ut tamen ad extremum, & finem dirigitur. sed illud non satis explicatum existimo: quod dicunt interpretationem, de qua hic, quid animus sentiat ueri, uel falsi enunciare, ac declarare: non ipsarum rerum simplicium, & compositarum etiam uim explicare: quod clare Ammonius inferius declarabit. sed quàm longe absit a uero, una ratio est: quod hic non de oratione omni tractatur, ut Ammonius ait, sed de enunciatiua ueri & falsi capace: quæ demonstrationi seruit. Demonstratio autem quæsitum absolute iuxta esse, quod res ipsæ extra animam habent. secundo poste. 3. Et primo poster. decimo. Item ad quid hic Arist. rerum ipsarum meminit: nisi ut uoces sūt significatrices conceptarū rerum. ut res extra animam illis respōdentes de quo etiam infra dicetur latius. Restat nunc de subiecto dicere: ut tota libri intentio pateat. Boethius ait huius libri subiectum interpretationem esse, ut nomini, uerbo, & enunciationi communem: explicans uero interpretationem asserit, interpretantem, scilicet conceptus, non res: quia de hac in prædicamentis est dictum. Ammonius uero, & Magentinus, & si uerbis a Boethio discrepare uideantur, re tamen conueniunt, aiunt enim, quod propositum in hoc libro est agere de oratione generali non omni, sed enunciatiua: & de prima uocum simplicium compositione, quæ in prędicatiua oratione enunciatiua fit. De prima inquit: quia illa etiam simplicium uocum compositio facit syllogismos. sed non prima dicitur, siue proxima syllogismorum compositio, sed ea, quæ perficitur per complexum orationum factarum in prima compositione: quæ prima compositio dicitur, si ad uoces simplices prædicamentorum conferatur: quæ simplices, & primæ uoces dicuntur, non ut effectæ sunt partes compositionis, siue enunciationis compositæ: sed si conferuntur ad enunciationem ipsam, quam nomen, & uerbum primo constituunt. Sed hic errat, cum dicit quod oratio duas compositiones habet: & quod partes eius tum primæ, tum secundariæ collocationis sunt. quod de his quæ primæ sunt in decem summis generibus actū est nunc de illis, quæ secundæ sunt, dicēdum restat. Ammonius. n. quem ipse nunc interpretatur: ait propositum nunc esse de prima uocum compositione, non de illis quę secundæ. Item hæc quam Magentinus uocat secundam positionem, seu collationem ab Ammonio prima dicitur ad argumētationem collata, idest proxima. Hic uero Ammonium non intelligens, non distinxit inter primum, & proximum. Postremo decem generum primæ uoces, non partes sunt orationis primæ, ut hic Ammonius dicit, quia si pars: ergo primam compositionem efficerent: essentq; uoces significatrices conceptuum, non rerum, Illæ enim orationis sunt partes ad logicum pertinentes: aliæ autem ad metaph. nisi uelit dicere de primis uocibus in prædicamentis tractatum esse: nunc. de secundis. quæ tamen primam faciunt constitutionem siue sumptionem. i. præmissam non perficientem argumentationem, nisi per secundam compositionem orationum: & sic idem re diceret. licet uerbis differret ab Ammonio. Addit tamen, quod in prædicamentis de uocibus ambiguis egit: non determinatis ad nomen, & uerbum, atque ita infinite, cum non certi temporis actionem uel passionem significet, neq; uim nominis atque naturam actionemue nominis inferent etiam in oratione: Sed hi, ut supra retulimus communiter errant dicentes prædicamenta primas orationis partes uocari: cum illæ sint nomen, & uerbum: horumq; ratione, illa uocentur partes orationis, & si in anteprædicamentis dicatur: eorum quæ dicuntur, quædam sine complexione, quędam cum complexione dicuntur. Ad hoc quod obiiciunt dico: complexum orationis prędicamenta non habere nisi ut rationem uerbi ac nominis induunt. Item eisdem uerbis utitur Arist. quinto metaph. 14. quarto metaphy. secundo, de rebus non uocibus tractans. Sed iam tempus est, ut ad Boethium interpretationem explicātem, & Ammonium, unde digressus sum reuertar. Quandam explicationem factam a Boethio corrigi tamen. Primum quod Arist. per interpretationem non uoces, sed ipsarum finem intelligit. Sed ad hoc satis a nobis responsum est. Itē quod hic de uocibus agit, ut significatricibus rerum mediis conceptibus. præterea quod false dicitur in prædicamentis de uocibus res significātibus tractauisse: quia (ut hic summā faciamus eorum, quæ alibi longius Deo fauēte dicemus) eo modo prædicamenta considerantur, quo & diffiniuntur. sexto metaph. 2. secundo phy li. 18 19. & alibi sæpe: Decem autem prima genera, non ut uoces sunt, sed rationibus metaphysicis diffiniūtur, ut ad cognitionem rerum ducunt: prout substant per se, uel in alio sunt, ut inducenti singulorum definitiones facile patet. & differentiæ, quas alii confingunt, non ex uerbis philosophi, sed ex propriis commentis prouentunt. Postremo fallum &. contra Arist. dicunt. per se considerari enūciationem unam: non etiam coniunctione unam: quam Ammonius suppositiuam appellat. quoniam infra capite 4. diffinita oratione, enunciatiuam) aliis rhetorum, & poetarum relectis) selegit: atq; illam unam diuisit in species duas: alteram unam simpliciter, alteram coniunctione unam. Nihil autem ei, quod nunc dicimus obstat ratio Ammonii: quod enunciatio prædicatiua sit perfecta, ac demōstrationis fini deseruiens, & contra suppositiua, & māca, & imperfecta a prædicatiua perficitur: sicut syllogismi suppositiui ex admisso supposito procedētes, prædicatiuo firmantur syllogismo. qualis. n. hæc ratio sit, an uniuersaliter uere, dicatur de syllogismo suppositiuo, non potētia prædicatiuo siue cathegorico nihil ad rē nunc, tamē principalis ratio non concludit. quoniam & si enunciatio, gratia demonstrationis explicādæ ponatur, ut eius quod est omnium, quæ in logica considerantur, ultimum: ad alia tamē refertur. ad syllogismū simplicem cuius prima pars ab ipsomet Ammonio dicitur. syllogismum autem quendam prædicatiuum quendam autē suppositiuū esse, ex primo priorum. 30. capite patet: eius ergo prima pars ponenda necessario erit, sicut prædicatiui pars ponitur. Nunc uideamus qualis secunda ratio sit, inquit enim supposita est manca imperfecta, & a prædicatiua perficitur: ita & syllogismi suppositiui fidem in demonstrationem non faciunt, nec ut syllogismi sunt: nisi ut prædicatiuis acceptum referunt, tam consequētiam, quàm auersionem. sed hæc ratio non procedit: quia negatio, enunciatio perfecta non est, nec per se demonstrationis seruiens: sed tantum prima figura ex affirmatiuis procedens. nec propterea tamen simpliciter unius enunciationis per se intentę species non erit. similiter nec secunda, & tertia figura: propterea quod consecutionem, & auersionem acceptam primę figurę referunt, negandum erit species syllogismi esse, essentiamque syllogismi participare: & si imperfecti dicantur, primo priorum primo: eo quod ex se fidem, & euidentiam habere, non nisi per primam figuram appareant. Scotus enunciationem in mente, non in uoce esse subiectum affirmat: red-

ditque

diuq; rationem: eo.n.modo enunciatio, subiecti loco po-
nenda est,quo passiones ei proprie,& per se semper inesse
dicuntur:hæc autẽ enunciationi ut in mente est,non in uo
ce conueniunt;ergo ita erit subiectum. Suessa tam contra
Scotum,quã Ammonium,& Magentinum opponit:quo
niã sicut conceptus hominis, homo non est, nisi ambigue
siue æquiuoce dixeris, ita oratio in mente uere oratio nõ
erit. Sed puto ita Scotũ huic obiectioni dicturum. Quan
quam uerum sit, cõceptum eius quod naturã habet extra
animam simulacrũ esse,ut picturã eius quod uere est, &
ita æquiuoce dici esse tale:ut homo pictus:siue in mente,
non dicitur esse homo uere:tamẽ conceptus eorum quo-
rum natura consistit in concipi.in respectu, & cognitio-
ne relata ad alterũ,uere dicetur de illis, non ambigua rõ
ne. Sed infirmatur responsio ista per secundam rõnem, q
esse orationis consistit in comprehensione,sed ea, quæ in-
stituto,cõsensu,pactione,uoluntate,arbitrio nostra facul-
tate,posita est in uoce. remota ergo uoce significatiua, ut
genere,remouetur totũ esse orationis:sic igitur tãtum am
bigue erit oratio:nõ habens uerũ suũ esse. sed Ammonius,
& Sco. dicit nomen,uerbum, & rõnem non esse uocem,
sed notã in uoce a cogitatione relationis animæ positum.
Ea tamen respõsio refelli potest ex uerbis met Arist. Nõ
.n.inquit,est nota in uoce: sed est uox significatrix. forte
quis respondebit orationem dici uocem. i. notam in uo-
ce,ut uerbis Arist. sententia consonet. inquiet.n.{ea quæ
sunt in uoce notæ sunt earũ passionũ,quæ sunt in anima,}
Sed insto. sicut superius dixi,conceptus naturale ipsarum
rerum simulacrũ uocatur:oratio uero uox est a positione
significans. Ad hoc forte etiam dicent. quamuis primi ani
mi cogitatus, sint ipsarum rerum naturalia simulacra, &
imagines,non tamẽ quæ ex arbitrio,cogitatione in uoce
tanquã in signo artifices posuerunt, cum ex eorũ faculta-
te proueniat, ut uariato signo, uel eodem existente, diuer
sa a primis cogitata significent. sed pugnabo adhuc. si ita
res se haberet:non ipsa uox significans a consilio esset:sed
conceptus. Respõdebunt ii, ut homo per animam intelli
git, & anima per mentẽ(primo de anima 65. 66. tertio de
anima primo) ut per cognitionis causam. ita & uox per
conceptum ex arbitrio editũ significare dicetur. sed hac re
sponsione fiet, in orationẽ in mẽte per se cõsiderari nõ ora
tionem in uoce, præsertim cum per se propositum Arist. in
tota logica, sit, instrumẽta ut declarãtia per notiora expli-
care:quod primum uoci, nõ animi cogitatis cõueniet. qua
de causa liberi etiã cogitatus non propter se intenduntur,
sed organorum gratia:quæ deinde, ista ratione, usum cęte
ris artibus atq; scientiis præbeant. Quibus ex dictis iudi-
cari põt,quod Amm. assere.de uocibus in hoc libro disse
rere Arist. ut sine quibus disciplina, & præceptio fieri nõ
põt:uerũ aũt & falsum inueniri in cõpositis conceptibus
posse, sine aliquo medio:nec per se in rebus: quia uerũ &
falsum de quo hic agitur, perficitur in respectu quodam
conceptũ,uocumq; ad res quæ in cognitione spectãtur,ut
rebus congruẽtes, & ut conformes, & consonæ earũ sub
sistentiæ. Quod si obiicias, uere nos dicere Socratem esse
hominẽ non statuam. Respõdet de Socratis cognitione. i.
cognito Socrate, & notitia, significamus hominis rõnem
prædicari, non statuæ. cuius rationem adducit. sic.n.est su
biectum, & prædicatum, ut res est in conceptibus, & in
uocibus est, nomine. i. ratione horum conceptuũ. Hãc opi
nionem confirmo ex Auer. primo rhetor. ubi rhetoricam
affinem inquit esse dialecticæ. i. topicæ. propterea quod
unum finẽ intendunt, qui est loqui cũ alio. quodq; neutra
istarum artium homo secũ ipse utitur sicut dispositio est
artis demonstrationis. Hinc clare colligitur. Si demõstra-
tio(ad quã uniuersa in logica considerata. & hic liber pr
cipue diriguntur)est syllogismus, & oratio, non per se, er
go, & primo erit in uoce, sed in mente. sic.n. homo mente
orationẽ concipiens: secum ipse utitur. præterea ipse met

Auer. ait in Epitomatibus logicis de regulis, quibus argu
menta fiunt quæ loca uocãtur, quòd normæ, quibus utũ
tur syllogismi topici, & rhetorici, non sunt necessariæ ad
discendũ artes perfectæ(.s.cum inuentæ sunt: ut ipse paũ
infra declarat.) Et præcipue rhetorica, & poetica non ne-
cessariæ sunt ad discendum artes speculatiuas. de topicis
autem quomodo sint necessariæ manifestat: cum inquit.
(Normarum uero quibus fiunt syllogismi topici certe o-
pus est nõ semper, & uniuersaliter: sed apud perscrutatio
nem artium, quæ nondum sunt perfectæ, ad illas autem,
quæ iam sunt perfectæ opus non est) hæc ille. Ex quibus
patet, uoces necessarias omnino nõ esse: sed ut sine quibus
disciplina, & præceptio haberi non põt, cum artes, & sciẽ
tiæ inuentæ ac perfectæ non sunt: tunc.n. uocibus indige
mus: cum sermonem habituri sumus cum alio: quod ut re
tulimus, topici, & rhetorici proprium est, non demonstra
toris. cumq; a præceptore discimus præceptiones acquiri
mus, quæ omnia tunc fiunt: cum perfecta non sunt. sed iu
dicium rei faciendum non est, ut habet esse imperfectum
sed completum. hæc sunt subtilia argumenta ab Auer. &
Ammonio sumpta: sed an hæc satis cõcludere uideantur
uidendum non est. ponẽdum autem est prius quod Arist.
dicit primo topicorum 9. problema in cõi, siue speculatio
nem intendi, uel dirigi, aut ad electionem, uel fugam mo
ralium: aut ad ueritatem, & cognitionem per se intentam
speculabilium, aut ad ueritatem, & cognitionem quam
per se nolumus, sed ut adminiculans est ad aliqua proble
mata, & scibilia(quæ eadem subiecto sunt. secundo post.
primo.) moralia. s. aut speculatiua. tertium autem hoc, est
rationale, siue logicũ, quod problema propter se scire no
lumus, sed ut per illud, aliquid aliud addiscamus. hoc ex-
posito sequitur: artes logices instrumentum seu organum
scientiarum esse, non ipsam scientiã de quo alias: nec pro-
pter se expetendã: sed ut adminiculantẽ ad aliqua talia, in
uenienda, & cognoscẽda, quæ antea non cognoscebãtur.
ad hæc.n. demonstratio, & problema dirigitur, ut ignota
naturaliter, uel aliquo modo, si topicum erit, declaret: ne-
cessaria est igitur logica ad aliquid ignotum addiscendum
uel cognoscendũ, aut ex inuentis, & positis, aliquid igno
tum demonstrandum, & quodammodo inuẽdum. nam
si conclusio erit ignota natura; ratiocinatione, seu demon
stratiuo syllogismo: si præmissa; inductione cognoscitur.
sexto ethic. quarto. & primo post. ultimo. si quodammo-
do ignota. uia topica, aut alia hujusmodi uia, de qua pri-
mo top. primo. Ex dictis responsio colligitur, nos logicæ
regulis, siue locis indigere, non cum artes, & scientiæ sunt
completæ, & perfectæ, sed cum addiscuntur, & cognosci
intenduntur, nondum autem cognitæ sunt: cum doceri,
aut disci posse uidentur, sexto ethic. quarto, non cum edo
ctæ iam sunt. Ex his rectissime concludetur, cum artes, &
scientiæ non addiscantur, & fiant, nisi aut inductione, aut
ratiocinatione. & hæc per uoces efficiantur, quare per se
logicæ instrumenta ad cognoscendum directa, sine uoce
significatiua non erunt. Et si Commen. affirmet: dispositionem artis demonstrationis, ita esse, ut homo ipse se-
cum utatur, id simile erit ei: quod Arist. secundo physico
rum primo, & secundo, sexto metaph. secundo, ut per se
notum apposuit: hoc. scilicet inter naturam, & artem dif
ferre; quòd ars nihil efficiat per se, & primo, nisi ut exter-
na causa: sed natura insitum, & innatum principium mo
tus est eius in quo est. quam differẽtiam domesticis exem
plis nos docuit lectuli. s. & indumenti. quorum nullum, in
natum principium habet. quod si medicus in ęgritudinem
incidens: sibi per artem sanitatem restituat; non per se,
quod non ut ægrotus, ualentem se reddidit: alioquin om-
nes qui ægrotarent, se ipsos possent curare: sed accidit, ut
is qui ægrotarat, medicus esset: cuius manifestum indi-
cium est, quod disiungi in aliis possunt, nam quod per se
alicui inest, singulis in quæ partitur etiam necessario ines

ri:sic ab arte, & natura ad dispositionem artis demonstrationis, ueniamus gradibus, & adiuncta similitudine. nanque demonstrationi, & syllogismo, & orationi, & instrumento logico:ad sciée efficiendum directo, primo poster. quinto per se conueniet in uoce esse. sic.n.intellectualem doctrinam, & disciplinam (cuius gratia demonstratio quæritur primo priorum primo. secundo poste. 100. primo post. quinto)ex insita, & innata definitione, & proprio fine concludet: in eo autem quod ex accidenti eueniet, ut quis peritus cum sit, secum ipse demonstratione utatur, non per se erit, quia eius definitione contrarium patet, & proprio fine:cum syllogismus, siue ratiocinatio sit faciens scire. qua de causa puto Auer. addidisse dispositionem esse artis demonstrationis, ut homo ipse secum utatur:dispositio autem, quinto metaph. de quali. & in prædicamentis, nulli per se cõuenire dicetur:præcipue ea, quæ propriæ, & communi eius definitioni, & fini dissentit, nõ quæ pro conditione sumetur. in eoq; dumtaxat dispositio dicta uera noscetur, qui uel secum cogitans aget inuentorem artis, aut usum demonstrationis in artibus, & scientiis ipse secum exercet, quod ex accidenti, non per se euenire monstrauimus, tum ex genere quod syllogismus, & oratio est:tum ex eius proprio fine, & differentia: quod est syllogismus faciens scire, quod doceri, & disci posse dicatur. sexto ethic. quarto. & quod quam sæpissime disiungi, & raro coniungi ista uidemus. Et per hæc (iudicio meo) satis sit responsum confirmationi Auer. Instabis, sectione quinta, datur in opinione affirmatio contraria, & contradictoria, ergo enunciatio in mente: ex qua ut clarior monstratur compositionem maiorem esse contradictoriam, contraria. ergo ita se habet in his, quæ sunt in uoce. Dicas (ut latius ibi.) in mente, non esse affirmationem & negationem: sed opinionem negationis. & affirmationis. Secundo instabis primo poste. apud Comment. 72. in commen. magno, apud Themistiũ capite uigesimosecundo. demonstratio, & syllogismus non pertinet ad exteriorem rationem, sed ad eam, quæ est in anima, quoniam neque syllogismus: Dicas ut ibi Commentator, & Themist. nõ sufficere uerum exterius uocibus explicare præter ueritatem interiorem conceptarum rerum: sed sicut exterius explicatur, ita interius in rebus cõceptis respondeat: Restat ut Ammonii dictis respondeam. Plurimum interesse dicimus: utrum uox significans eius modi sit sine quo disciplina, aut præceptio effici possit, an eius modi quo disciplinam, aut præceptionem effici necesse sit: quorum primum corrigere: secundum autem tanquam uerbum, & Arist. consonum defendere conatus sum. Correctionẽ adhuc confirmo: quoniam hic liber non tantum ad librũ poster. refertur: sed ut prima, & proxima pars ad syllogismum, de quo in lib. priorum, hic autem primo priorũ. primo post. primo topic. quod genus est ad topicum: & sophisticum syllogismum reducitur. sed huius proprium est, habere sermonem cum alio: necessario igitur commune genus oratio in uoce erit, non mente. Quod uero Ammonius ait de omissis literis, & rebus, suo loco dicemus. obiicies postremo: uox significatiua est secundo intellectum: in respectu, & cognitione ad alterum, ut signum ad signatum consistens: actio igitur immanens in cognoscente anima erit, non uoce. Dicas secũdo intellectum seu uocem, ut a potentia, siue ut cognoscẽte procedit, utq; in anima manet cognoscente, ut subiecto: ad altiorem librum de anima pertinere: ut efficta autem a consilio, & arbitrio imponentium artificum fit nota significans: ut instrumentum, & organum adminiculans: ad logicum pertinet. & ut syllogismi exemplo contineam: ars efficiens principiũ est eorum operum, quæ manus efficiuntur uera ratio immanens in mente artificis consideratur, utq; ab illa procedit, ad librum de anima spectat. cuius propositum est de animæ uiribus, & operibus dicere, secundo de anima 33. primo de anima tertio. sed ut in propria materia, ratio illa uera, & artis forma locatur, ad constitutũ, & determinatum finem directa, & ab arte tanquam efficiente principio fiet, & ad propriam artem spectabit. ita & uox significans, efficta ab arbitrio imponentium ad significãdum a positione, ut secundo intellectum conueniet logico: conceptus.n. nota, & signum nullo modo constitui potest, ut sit organum, & instrumentum notificans aliis per se, & a placito (nisi sit rerum: & quando continget eundem sapiẽtem demonstratione secum uti) sed bene ut uox. Adhuc pugnabis, & dices: artis exemplum dissimile totũ: quod sexto ethic. 5. apud Comment. apud Eustrathium uero cap. 4. ars est habitus cum uera ratione effectiuus, ut ratio uera dicitur, in cognitione ratiocinantis, animæ immanebit. sed ut habitus effectiuus subiectarũ sibi rerum, causã extrinsecus habet, & diuersum ab operatione opus. itaq; ars primum ab intimis suam habet immanentem actionẽ & motum: ueram.s.rationem nouissime autem externũ motum quo ueram rationem ad diuersum, & extremũ ab operatione opus, & materiam effingendã refertur. sed nomen, uerbum, & oratio uox a positione significatrix, a uoce naturali animæ operẽ inchoat. & ad significationem, (quæ a notitia immanẽte in anima est) terminatur. uniuersa autem a fine proprio nominantur. potius ergo erit dicẽdum, ꝙ uox significatrix est, ut in conceptu, arbitrio, & notitia imponẽtium continetur, ut est secundo intellectũ. quàm ut dicatur conceptus in uoce. & propterea ad hæc confirmandum Amm. sententiam supra retulimus. Arist. non dicturum uoces significare conceptus. sed quæ sunt, aut quæ uoce continentur. i. arbitrium, positio, notitia: hæ notæ & signa sunt a positione significantia. Sed pauca ad hanc etiam obiectionem nunc dicam: ne cui loco non uideatur esse respõsum: licet per ea quæ superius aperuimus satis sit ad illam respõsum. Diximus.n. aliud esse id, quod signi loco positum est: aliud rationem, & causam positionis: nam signum, & notam a placito significare uocem posuimus: rationem uero causamq; significandi a positione, affirmauimus esse arbitrium, & imponentium cõgnitionem, ac uoluntatem: qua de causa Arist. infra nõ dicet, conceptus, eos esse, qui significẽt: quia idem se ipsum significaret, causa, & effectus ad idem relati: sed inquit, quæ sunt in uoce, uel quæ uoce continentur, in concretõ, (ut dicam) & in alio sumpta: non seiuncta a materia, & signo, seu artis opus, uerum tũc est, quãdo in materia propria exprimitur, non quando in mente consistit artificis. Nunc ergo ad primam obiectionem, quæ ex declarata responsione dependet. respondeo, concreta, siue coniuncta cum ratione congrua declarantur, materia primo ponitur: inde accidens quod inhæret, exprimitur. ut exempli gratia dicimus simus est nasus curuus. quamobrem, cum nomina, & uerba, tanquam artificialia, & nota signa placitum ac imponentium pactionem contineant, ut coniuncta accidentia finiuntur. tertio uoces dicũtur significantes a placito: ita relatio rationis, uocis, cognitæ, & uolitæ & confessæ, in mente est ad rẽ explicatam, ut terminũ. ars autẽ finit ut forma seiũcta a materia, propterea dicitur ꝙ est habitus cũ uera rõne effectiuus: ut curuitas est simitas nasi; nanq; sedile in cõcreto sic definiuntur: est lignum tali figura cõstructum: sed ut ars separata, est habitus cũ uera rõne effectiuus instrumẽti ad sedendũ utilis ex ligno, tali figura fabricato. itaq; nomẽ, ut secũ continet placitum, secundo intellectum dicitur, ad proprium significatum relatum, & proprie & per se in uoce consistit. & hæc pro Scoti, & Amm. positione, tam multis dicta sufficiant. Nunc paucis dicamus, quod subiectum diuiditur in tota logica in rem consideratam, & hæc est secundo intellecta: quæ alii secundas intentiones appellant. & in modum considerandi, siue rationem formalem (quam dicunt.) hic primo topic. nono est ut instrumenta notificandi, seu explicandi:

sic enim omnia in logica tractata definiuntur, ergo & ita considerantur. modus enim definiendi, considerandi modus, & ratio ab Arist. dicitur, secundo physic. 18. 19. sexto metaph. secundo, ut singula inducenti patere potest ne rationem sine sensibus exquiramus. nã in hoc libro nomen uerbum, oratio, definitur ut uox significatiux est, sic syllogismus primo priorum primo: est oratio in qua &c. necesse est aliud euenire ignotum & a positionibus declaratum. sic demonstratio primo post. quinto, est syllogismus faciens scire. ne prosequar alia sexcenta. In hoc ergo libro subiectum, ut res considerata, est enunciatio; quia illam in procemio, ut propositum suæ considerationis ante cognouit, & infra cap. 4. ab orationibus rethoricis & poeticis, atque his quæ affectus explicant, illam selegit. Item eius principia, partes, proprietates, uarietates, & differentiæ, considerantur. Quod si orationem ante etiam posuit: & tractauit, nõ nisi ut genus commune enunciationis. ad quam omnium aliorum, quæ in procemio ponuntur, sermo dirigitur: cuius signum affertur. quod infra capite 4. definita oratione ipsa, abiectis aliis enunciatiuam elegit. Ita enim facere consueuit Ar. declaratis generibus ad species intentas descendere: nam primo top. primo, cum propositum sui negocii esset, de syllogismi regulis pertractare, quid syllogismus communiter esset, ante cognouit. Sed petes. cum uterliber cum tota logica eundem modum considerandi participet, qui ut ante monstraui est instrumentum seu organum notificandi: quid inter hunc librum & alios differt? Respondetur: id interesse, inter diuersos libros eandem rem eodemq; modo considerantes: quod diuersa prædicata propria, de illa cognoscantur, eaque prædicata ex fine libri facile inueniri possunt. nam ut posuimus, extremum in hoc libro & finis, est interpretatio rerum conceptarum quas per uoces clariores notificare statuimus: hic autem finis haberi nõ potest nisi per hæc prædicata quinq;, uocem significatiuam ab instituto, nomẽ, uerbum &c. Hæc ergo sunt prædicata propria, nominis, uerbi, orationis, enunciationis, affirmationis, & negationis. quibus eædem res tractatæ alibi differunt. Requires, libro poeticorum 7. orator & poeta eodem modo ista definiendo considerant: quo nã igitur modo seiungi possunt? Et si de hoc infra sit proprius considerandi locus, tamen hic differentia explicatur ex proprio fine; quoniam logicus ista considerat, & definit, ut uerum & falsum declarant, utq; syllogismi partes efficiantur, & nouissime ut demonstrationi deseruiant, Grammaticus uero uoces ex elementis compositas & significatiuas intendit, ut congruũ, siue incongruum sermonem constituat, alterum appetendum, alterum ut aspernetur & fugiat. Poeta ad concionũ & rectum metrum formandum: Orator uero ad ornatũ. Id exemplo explicatur artificum: Idem lignum, ut lignũ, est, unus artifex ad efficiendam nauem, alter ad archam, ad statuam alter, referet. Huic (quam retuli) rei considerationem, cum suo proprio considerandi modo, assentit Ammonius inquiens. in hoc libro considerari de oratione, non nisi ut enunciatiua. Sed de subiecto hactenus. Paucis nunc. de utilitate dicamus. Hæc ut bene Ammonius inquit ex proposito patet: adde & ex inscriptione: quam subiecti gratia quæri retulimus. nam enunciatio ad interpretationem refertur, quam per uoces clariores a positione significantes stringit. Magentinus demonstrationis tantum utilitatem declarat. quod ea sine ratiocinatione simplici, & hæc sine propositis nullo modo fieri potest. Sed demonstratio commone commodum est. id autem quod de mente Ammonii attulimus proprium est. licet hæc omnia demonstrationis gratia explicentur. Postremo uia relinquenda non est, ne uiam artium, & scientiarum docentes, sine uia eius contemplationem tradamus, tenebrisq; circumfusi in incertum imperitiorum more feramur, est igitur uia, illa quam toti logicæ Aristotel. tradidit primo topic. primo. topica, scilicet, non demonstratiua, & quæ exemplo, enthimemate, diuisione, quid nominis declaratione procedit: ut ex infra considerandis patebit.

DE SIGNIS. CAP. I.

TEX. BOETHII.

PRIMVM *oportet constituere quid sit nomen, & quid uerbum.*

PRIMVM *oportet ponere quid sit nomen, & quid uerbum.*

OMnes expositores consentiunt Ari processu finem propriũ resoluente præsupposito suũ procemium inchoare: nam per se orationem enunciatiuam intendit: quæ tractari non potest sine principiis, quæ tanquam materia sunt: ex qua quæq; enunciatiuæ orationes efficiuntur: nec sine negatione & affirmatione tanquam speciebus, & oratione ut genere, Ab his ergo primũ oportet inchoare. res ergo considerandas præponit: & quo ordine sint considerandæ, ex processu resoluente commonstrat. cum inquit. { Primum quid nomen quid uerbum &c. } primum, non intentione, cum sic enunciatio intendatur: sed quod primo exequi instituimus. dicit (oportet) non simpliciter ut Deus, & prima demonstrationis principiaq; quæ in omni tempore, loco & subiecto sunt necessaria: sed suppositione & secundum quid. nam posito, propositum nostrum esse, de oratione enunciatiua tractare. ut toto, necessario igitur de partibus tractãdum est. tertio ait. { Ponere } seu constituere. Ammonius coniunctim has tres particulas legit cum nomine & uerbo. { Primum ponendum est, quid nomen & quid uerbum sit. ita inquiens & Ari. uerba connectens (quia propositum Ari. est præceptionem tradere enunciatiuæ orationis: ante quam, necessario simplicium essentia cognoscenda est. ideo dixit (primam oportet ponere) idest definiri quid nomen & uerbum.) uult ergo cum cæteris ferme omnibus. (ponere) sumendum fore pro definire. sed ab his dissentio, magis (ut iudico) ad Aristot. uerba græca & latina ac sensum accedens. nam committeretur nugatio ab Arist. si diceret, oportet ponere, idest definire. id enim explicaretur. oportet definire definitionem nominis uerbi &c. ponere ergo sumetur, quasi istorum quid nominis non tanquam res dubia inquirendum sit: sed ut per se notum, uerum, & constans ponendum. primo post. 14. in cõmento magno Auerrois, definitio enim inquit Ari. in geometria positio est. Itaque definitiones positiones in arte dicuntur. sexto met. primo. primo post. 5. secundo post. 46. in magno com. cuius ratio est. q primo post. 17. secundo post. 27. in fine: regulæ logicæ ponuntur ut notæ: quoniam fiunt ab anima, quę facile opus suum cognoscit. Accepit ergo tertium modorum quos Ammonius attulit Sumitur enim ponere, primo pro supposito & concesso primo prior. primo, syllogismus est oratio in qua quibusdã positis & concessis. primo prio. 30. de syllogismo ducẽte ad impossibile & ratiocinatione ex hypothesi. Secundo propositione uiri alicuius, extranea tamen, ut omnia moueri ex Heracliti sententia. primo top. nono. Tertio pro cõmuniter posito & concesso quomodo sumitur omnibus locis quos supra retulimus. & hic accepit Ar. Quarto pro aduerbio quod iuxta ponitur uerbo. Quinto pro definitionibus carentibus medio. secundo poster. 46. in commento magno, Magentinus positionis modos enumerat: sed quem modum Ari. hic acceperit. uerbum nullum profert. Ex his itaque patet. Arist. res considerandas (& ea

rum ordinem posuisse) tanquam subiecta & tertio prædicata, quid eorum, scilicet ponere siue constituere. Sed scis, scitoi cum primo post. 42. in parua commentatione: scientia sit unius generis subiecti, quæcunque ex primis componitur & partes, & passiones horũ sunt per se. igitur duo sũt per se prædicata, substantia siue essentia quæ per definitionẽ, & accidens propriũ, quod per demonstrationem concluditur. secundo post. 12. & 20. in magno com. cur tantũ quid istorum proposuit? Adhoc dicendum mihi uidetur: ex primo post. 32. quod res quarum esse est imperfectũ, et quasi in mente, non habent ueræ definitiones. secundo ponendum quod supra docuimus, res logicas ut instrumenta & organa artium & scientiarum. ad proprios fines & notitiam explicandum referri. his datis patet ad petitionem responsio: nam dum Ari. quid prædictorum ponendum proposuit. & proprios fines qui ipsorum propria fere dicuntur accidentia, antepoſuisse dicetur. sic enim orationem definiens (enunciatiua) inquiet (non omnis: sed in qua uerum & falsum explicatur) & nomen quod uox sit significatrix. Requirit secundu Aomonius a quo S. Thomas accepit. si de simplicium uocum essentia in prædicamentis tractauit: cur hic iterum repetit? respondet Am. unum quod supra tanquam falsum reiecimus. nam & si uerum dicat, utrobique easdem res subiectio, ratione tamen differentes finxit: nihilominus differentia quam adducit est falsa. dum inquit in prædicamentis uoces simplices considerari ut indicatiuæ sunt rerum simplicium. quæ quando cum temporis mensura significant, uerba: quãdo sine tempore cum articulis explicant, nomina sunt dicenda. quando pars affirmationis uel negationis, dictio: cum autem pars syllogismi, terminus. Sed primum in assignata differentia dubito: qua ratione unquam fieri ut substantia per se existens significari posit cum motu? maxime cum prædicamenta res sint completæ in actu, nam quinto metaph. 14. septimo met. septimo. primo physic. 13. ens quod est, aut existere dicitur, in decem primas res, seu uoces partitur: quo ergo significari possunt cum tempore? nisi diceres ut sunt imperfectæ res, & in motu cũ actione & passione & generatione substantiæ. alteratione qualitatis. augmento quantitatis, & ex accidente mutatione eorum quæ mutuo referuntur. secundo nec dubium soluere uidetur quod dicit: seu falsum etiã est in prædicamentis uoces considerari, ut ad simpliciũ rerum cognitionẽ deducunt. Sed instant aliqui. In prædicamentis, Ari. finitum inquit. substantia dicitur. sed quam uane respondeat ex Ar. quinto meta. 14. & Alexandro Aphrodiseo expoonente cognoscant. secundum se (inquit) uero dicuntur quæcunque prædicamenti figuras significant) aut secundum Boethiũ (quæcunque figuras prædicationis significant.) Itaque per uerbum hoc dici, & significare res simplices, prædicamenta ad metaph. non logicum pertinent: sed ut decem uoces, res mediis conceptibus a ponitione significant, logicorum considerationi conueniunt. Tertio dubito & tanquam uanam explicationem existimo, dictionem, scilicet affirmationis partem uocari. nam quid interest dicere nomen & uerbum uocem esse significatricem a placito: & asserere nomen & uerbum dictionem esse? huius manifestum indicium ex Ari. sumitur: qui ipsam orationem definiẽs ait, (oratio est uox significatrix, cuius ex partibus aliqua separata significat ut dictio, uerum non ut affirmatio) ergo idem est dictio, quod nomen: ut habet translatio Magentini: & uerbum. ergo dictio, orationis communis pars erit, non affirmationis tantum: nisi per appropriationem dicat illud. sed S. Thomas uidens uoces a logico consideratas non posse decem simplicissimas res nisi mediis conceptibus explicare (ita enim secundo intellecta siue secundæ intentiones dicentur, non ut res sine relationibus denotant. ad philosophiam naturalem spectantes & metaph.) aliter asserit. simplicium (inquit) dictionum triplex potest esse consideratio: primo ut absolute significant simplices conceptus: ita in prædicamentis considerantur. alio modo secundum orationem, ut partes sunt enunciationis: sic ad hunc librum spectabunt propterea enim (inquit) traduntur sub rationem nominis & uerbi ut significant cum tempore aut sine tempore. mulit etiam. & traduntur alia huiusmodi, quæ ad dictionum pertinent rationem, ut enunciationem constituunt. sed quamuis tanti uiri ingenium & iudicium semper cũ summa ueneratione sanctitatis probarim: in hac tamen responsione deficio: cum decem uoces non solum simplices conceptus: sed res mediis conceptibus explicent? quod satis probatum est supra cum a nobis Ammonius est reprehensus. Præterea ut diximus nomen & uerbum simpliciora sunt decem uocum conceptibus. Amplius ratio nominis & uerbi, & si ut materia ad orationem enunciatiuam pertineant: tamen eorum rationes sunt communes non ad orationem tantum contractæ. ut prædicari de uocibus simplicibus prædicamentorum non possint, licet cum diuo Tho. in ultimo suo dicto contra Ammonii opinionem consentiam: nomina & uerba in hoc libro tractari, ut cũ tempore aut sine tempore significant, & non solũ hæc significare dicuntur, sed & alia huiusmodi quæ pertinent ad rationem dictionum. licet ipse subinferat, in enunciationem constituunt, non solum affirmatiuam enunciationem. ut Ammonius asserebat. Si autem ista uerba, S. Tho. referret ad dicta superius, ut diceret. quod ista in hoc libro traduntur sub ratione nominis & uerbi & alia huiusmodi, scilicet traduntur quæ ad rationem pertinent dictionum, tunc inter nomen. & uerbum, & dictionem distingueret. Sed primum de mente sua uerius credo. nam aliter idem dictum foret contra se quod in Ammonium diximus. Postulat Ammonius & S. Tho. cur aliis orationis partibus missis, solum nominis & uerbi considerationem præposuit? adducit etiam. quia libro poeticorum orationis partes enumerans, inquit septem esse, elementum, syllabam, coniunctionem. nomen uerbum articulum, orationem. Ad hoc breuiter respondent aliqui Arist. omisisse quæ diximus, tanquam inutilia: & ad rectum poetarum metrum spectantia. hic solum mentionem fecisse nominis & uerbi: quia ista sunt necessariæ partes enunciatiuæ orationis in quo Ammonio non aduersatur nec diuo Thom. & si oratio enunciatiua quantocunque constet ex aliis, non necessario, simpliciter, omni tempore, loco, & subiecto: & non nisi respectu horum: aut pronomen loco proprii nominis. Aduerbium tam hic, quam in libro poeticorum relinquitur, uel quia ut Ammonius ait, modum dicit quo prædicatum inest subiecto: aut ut Aphrodiseus quod a nomine, uel uerbo deducatur sicut & legendum, & nauigandum a legere & nauigare uerbo originem ducunt. similia dici possunt de explicatione Alexandri: qua utitur Ammonius dum de uerbo cõsiderans Ari. inquit. (Verba autem secundum sodicta nomina sunt) idest simplex habent significatum nominis & eius simplicibus partibus simile, ex quibus constat oratio ita pro Alexandro dicendum: aduerbia plurima ex parte deducta uero nomine aut a parte orationis simplici quæ uim habeat nominis: & ita si quandoque oriatur a uerbo, nihil Alexandri & Aristi. sententiæ officit. Sed cur participium, quo quam sepissime in demonstratiuum scientiarum sermonibus utitur, tam hic quam poeticorum libro reliquit? Ammonius dicit, quia ad nomen & uerbum reducitur. Alii uero (quod idem est) dicunt. quia pars composita non simplex orationis dicitur. quæ responsio magis perspicua & euidens iudicio meo est. nam primo post. secundo, præposuit dupliciter præcognoscere oportere, alia om̃que quia sunt prius opinari necesse est, alia uero quid est quod dicitur intelligere oportet. sed cum duas proponeret tres enumerauit. & ad hoc respondet Auer. quod ter. in

ipse

species composita est ex his. dicas etiã q duas præposuit necessarias. signũ est q Arist. dixit (dupliciter præcognoscere oportet: & quia sunt, opinari necesse est: & quid intelligere oportet.) ad tertiam uero præcognitionem descendens, sine ullo necessitatis uerbo addito ait. (Quædã autem utraq;:) nam composita quæ effectam tertiam naturam non dicunt distinctã a componentibus, explicatis necessariis partibus, coniunctim ex his explicari intelliguntur: uerum quicquid sit de Arist. textu & rationem quã dixi: sufficiens responsio sit: q hic de simplicibus partibus Aristot. loquitur, quale non est participium. Coniunctionem omisit, non quia inutilis, quoniam. infra (quod ipse confirmat hic, & supra contra Boethii opinionem adduxit) Arist. diuidit orationem enunciatiuam in unã simpliciter & coniunctione unam: quæ necessario cõiunctionem expostulat. Nec eã omisit ut Ammonius & S. Th. quia pars orationis nõ est: sed pars connectens atque coniungens. quoniam Arist. coniunctionem poeticæ locutionis annumerauit tanquam orationis elementum. Itẽ in cap. quarto Auer. dicit. q Syllogismus cõditionalis est unus per unam copulatiuam. si sol oritur ergo dies est. sicut prædicatiuus est unus per medium terminũ. sed hic medius terminus necessaria est pars prædicatiui siue cathegorici syllogismi. ergo cõiunctio syllogismi expositione siue hypothetici. Hinc etiam contra eos sequetur inutilem coniunctionem non esse: sed hypothetico syllogismo necessariam ut medium terminum prædicatiuo syllogismo. Alii sentiunt propterea coniunctionem omisisse: quod de enunciatione una simpliciter demonstrationi seruienti, non coniunctione una considerat, sed hanc responsionem supra reiecimus: ea ratione quod hic liber etiã ad librum priorum dirigitur, proximam syllogismo hypothetico positionem seu præmissam elargiens. Item in hoc libro, capit. quarto, propositam enunciationem ab aliis oratoris ac poeticis seligens, in has duas partitur. eidemq; definita oratione in libro poeticorum eam in has distribuit seu diuisit species. Dicendum igitur nobis uidetur, propterea hic relictam coniunctionem esse, quia facilis, & Arist. sufficiens erat ea parua cognitio quam tradidit in libro poeticorum. Aut secundu dicas quoniam hic propositũ est de uocibus necessario significatiuis agere ad interpretationem per uoces clariores efficiendam: quę omnẽ orationẽ efficiant. nam hic liber communia principia explicat. Dicit secundo q in libro poeticorũ cap. septimo, coniunctio significationis est expers: qua de causa definitioni, quæ perfecta oratio est, non deseruit: & si per se non significat. (ut ait Arist. licet significationem non impediat) per se ad hunc librum non spectat qui etiam per se significantia principia ut materias speculari constituit. quare non inutilis quidem cõiunctio erit: sed nec necessaria pars significans, orationi per se, idest, omni conueniens. oratio autem diuisa in species duas, quas monstrauimus, cõiunctionem a poetica, ut eius partis utilem, mutuo accipit.

TEX. BOETHII

Postea quid est negatio, & affirmatio: & Enunciatio, & Oratio.

Deinde quid sit negatio, & affirmatio, & enunciatio, & oratio.

Propositis communibus, ut materia, principiis, quæ per se significantia omnem orationem constituunt: nunc de cõiunctis ex his principiis & constitutis proponit. primumq; ait (Deinde) ut diximus ex Ammonio, ordinem denotat principiorum constituentium ad res constitutas. (Postea (inquit) quid negatio affirmatio &c.) Hic quæritur a Magentino cũ uniuersæ res (quas uniuersalia dicunt singulis præferantur, cur hic non primum de oratione & genere, deinde de enunciatione affirmatione & negatione exorsus sit Arist. sed primum a nomine & uerbo. nã aut a nobiliori inchoandum erat, aut a re magis cõi, ut ordo necessarius seruaretur. non a nobiliori, cum negationẽ affirmationi prætulerit. non a communiori, quia oratio fuisset anteponenda. Respondet ipse. solere quandoq; Arist. hoc facere, & a re communiori quæ ad singulas res spectant incipere; quo modo hic dicit a nomine significãte substantiam siue essentiam & a uerbo significante actionem, seu passionem, Aristot. inchoare: sed quare istum secundum necessarium ordinem inter negationem & affirmationem, enunciationem & orationem non seruauerit, ut sibi occultum omisit. Prętere a enunciatio ut finis horũ materialium principiorum præstantior est, ergo ante ponenda fuisset. Amplius nomen & uerbum, non ideo communiora esse dicimus, quod substãtiã aut accidens significare dicuntur, sed quod uoces significatiuæ a positione sunt, nõ substantiæ aut accidentis, ut naturæ terminatæ, sed communiter omnium. ratio ergo est sumpta a processu resoluente finem in causas & principia prima intra rẽ. itaque cum orationem non omnem, sed in qua est uerum & falsum, idest enunciatiuam, ut finem speculetur. & hęc ex nomine & uerbo, ut materiis constituatur. necessario ergo primũ de his ponendum quid sint: deinde cõplebit reliquas partes processus resolutiui. sed subiectum ut totum potentia primas species continens. cognosci non potest sine suis speciebus. sicut totũ constare nõ põt nisi ex suis cõstituentibus principiis materialibus: ergo deinde de his quæ ad finem propriũ diriguntur, dicendũ, quid oratio & enũciatio. ut cõpletus finis electus habeatur: quia hæc in affirmationẽ & negationem diuiditur in cap. 4. ut primo phy. intelligere & scire. idest intelligere scientificũ: quod Auer. finem rerũ naturaliũ posuit. Item genus cum principali sua specie unũ finẽ cõstituit, ac ea uno procemio proponuntur & epilogo colliguntur: ut primo priorum de syllogismo tractaturus, resoluentem processum efficiens a principali fine inchoauit: de demonstratione & demonstratiua scientia. Et secundo post. 100. iuxta ordinem quem compositiuum aut componẽtem appellant, primo genus, quid syllogismus, inde speciem, s. demõstrationẽ collegit. Prę ponens igitur hic ista duo tanquã finem unum integrũ per se ex genere & specie constitutũ, primo, ait enunciationem, deinde orationẽ, non ita per se intentã: sed ad enunciationem relatam. ut primo priorum, prius demõstratio intẽditur quam syllogismus. Et primo phy. primo finem proponens rerum naturaliũ primum, dixit. (quoniã intelligere & scire cõtingit,) idest rationem essentiam ac naturam ipsarum, inde scientiam per demonstrationem acquisitam, ratione & essentia posita, & explicata per definitionem, in fine explicando, nobilius explicauit, ac magis intentum. Sed adhuc dubium remanet cur negationẽ affirmationi prętulerit. Ammonius ait q ordine ad nos relato, ab imperfecto ad perfectum procedit: & nobis innato a minus communi ad communiora. Sed hæc responsio improbatur quia. Si ordine nobis innato, seu a minus communi & perfecto incipiendum est, cur prius nomen perfectius posuit? Item insitus, & ad nos relatus ordo ex accidente euenit, ut quandoq; ab imperfecto sumat initium. quia in libro de anima secundo, tex. 66. a sensu usus incæpit. ut Auer. ait in eodem libro. com. 77. & tertio, de anima de intellectu prius quam de secundum locũ motiua potentia. similiter secundũ accidens est, ut a cõmunioribus siue minus cõmunibus procedamus. Nam de generatione considerans de ea generatim se dictuium proponit de rebus omnibus: deinde de elemẽtis, & de omni anima prius quam hac aut illa anima. ratio igitur & causa ordinis ad nos relati est a notioribus nobis

procedere, quia magis sensata sunt. 3. de anima 30. 39. primo phy. secundo, hęc autem quandoq; imperfectiora, quandoq; perfectiora, minus communia aut cõiora. Magentinus ait ꝙ cum euidentia dixerit, ab his tanquã abditis & occultis abstinuit. S. Th. dicit quo quia Aris. cępit a partibus enumerare: ideo nunc procedit a partibus ad totum. negatio enim diuisionem cõtinet, affirmatio autem in compositione consistit. negationẽ igitur affirmationi pręposuit, quæ magis ad partes accedit, compositio autem ad totum. Sed (uenia tanti uiri sit dictum) negatio magis composita dicitur quam affirmatio. cum additione negantis particulæ, affirmatio efficiatur negatio. Ad rationem adductam dicitur. aliud esse dicere, instrumentum, seu orationem quatenus ex suis materialibus principiis constat, esse magis minusue compositam: aliud finem habere ut alterum coniungi cum altero, aut seiungi ab altero enunciet. secundum concedimus: sed ex illo affirmationis naturam magis compositam esse, sequi negamus sed negationis Portus. Secũdo respõdet ꝙ in his quæ possunt esse & non esse, prius est non esse quod significat negatio quam esse, quod explicat affirmatio: sed ut species sunt æque genus diuidentes, sunt simul natura. nihilq; refert quod harum alterutra præferatur. Sed contra dicimus, primo hic liber ad demonstrationem dirigitur, ut ipse fatetur, quæ æternorum est non autem ad ea quæ possunt esse & non esse. Amplius & si in uno, quod de potentia ad actum educitur, non esse prius fit eo, quod est: non tamen simpliciter in omni natura: cum ea, quæ potentia continentur, non nisi ab actu, ac eo quod uere est in actum edantur. præterea cap. quarto enunciationem in has duas species diuidens inquit. (Prima autem oratio anunciatiua est affirmatio, deinde negatio) ergo analoga aut per rationem ad aliud nõ æque diuisa participatur ab utrisq;: sed de hoc suo loco dicemus. sicut Ammonius dicturum promittit: Mihi quod uerius probatur istud est, hic affirmationem & negationem numerari ut plures species enunciationis, idest oppositionem contradictoriam efficientes. quæ in fine sectionis secundæ, in hoc consistit ut aliqua se deiiciant, destruant, abiiciant, atque negent in hoc autem efficiendo potissimam & in primis uim habet negatio. qua de causa ibi primum ab Aristotele numeratur, ut secundo de anima, 27. cum species subiecti sint plures, ex enumeratione ipsarũ præcognoscitur esse, quod anteponendum est, prius quã tractatus cognitio aut definitio habeatur. Secundo sciendum primo topic. octauo 12. opposita secundum contradictionem protensa aliterum oppositum explicare. Et primo post. octauo. in antiqua commentatione, (de omni est quod non in quodam quidam sic, in quodam autem non. nec aliquando quidem sic, aliquando quidẽ non.) iisdem & tex. quinto (scire autem simpliciter opinamur: sed non sophistico modo.) secundo phy. tertio, (natura est principium motus et quietis, per se & non secundum accidens.) itaque ex his positis sequitur negationem instrumentum explicans cõiuncta & diuisa, notiorem esse quam affirmationem. tũ attendere solemus diligentius ad contraria, ut nobis aduersantia, quam ea quæ sunt nobis innata. hæc autem affirmatio, illa negatio explicat per externa, explicantia quodammodo alterum, sed cum ipsæ species ex propriis principiis internis definiuntur, iuxta ipsarum naturam proprietatem, & ut ad commune genus proportionale seu analogum referuntur, finienda sunt primo. modo hic in procemio negatio præposita numeratur, ut instrumentum est habens esse notius: secundo autem modo infra in tractatu & propria definitione subsequitur. ita infra, intellectus quandoq; sine uero est & falso: circa compositionem enim est falsum & uerũ Quærunt nouissime cur uocem omiserit. sed Aris. infra ad hoc respondebit: ut supra etiã a nobis satis est dictũ. Propterea ad alia cõtendamus.

TEX. BOETHII.

Sunt ergo ea, quæ sunt in uoce earum, quæ sunt in anima passionum notæ, & ea quæ scribuntur, eorum, quæ sunt in uoce. Et quemadmodum nec literæ omnibus eædem, sic nec eædem uoces. Quarum autem hæ primum notæ sunt, eædem omnibus passiones animæ sunt: & quarum hæ similitudines, res etiam eædem. 9.

Sunt quidem ergo hæc in uoce earum in anima passionum notæ: & quæ scribuntur eorum in uoce. Et quemadmodum nec literæ omnibus eædem, sic nec eædem uoces. Quorum tamen hæc primum notæ sunt, eædem omnibus passiones animæ sunt, & quarum hæ similitudines, res quoque eædem.

Magẽtinus dicit ꝙ enumeratis nomine, & uerbo, & aliis eorũ definitiones tradendæ erant, quas ponere constituerat. Sed hoc Aris. non facit: sed caput proponit. quod nobis adiumento erit: sed quod sit adiumentum non explicat. nec increpandus a me erit ut Herminius (idem sentiens cum Magentino) reprehenditur a Suessa, quia adiumentum seu commodum in procemio, nõ in tractatu pręponitur. diceret enim ille utilitatem totius libri & subiecti anteponendã non utilitatem cognitionis, per quam proposita declarari, ac definiri possunt. meæ etiam rationi responderet. insequenti textu commodum quale sit explicat: sed quam inordinate ac sine arte id faciat, uiderint alii, te tamẽ idem cum Ammonio sentit. qui ait Aris. docere uelle nomen & uerbum quorum finitiones promisit. uoces significatiuas esse, quo differat a uocibus nõ significantibus, ut scindapsus: doceatq; quæ in primis, ac proxime ab ipsis uocibus indicentur. conceptus, scilicet primo: quorum interuentus res explicantur. quæ omnia, & si uera sint. diminute tamen ponuntur cum aliam magis intentam differentiam (significare scilicet a positione, non natura) relinquat, quam tamen Alex. & Psellus prosequuntur. & in expositione tex. Ammonius Auer. atq; alii non omittunt. unum ergo & idem cum his sentiens, eorum ueritatem confirmo. Cum nominis doctrina & disciplina ex ante posita siue præ existenti fiat cognitione, idq; uerum in demonstratione, itidem in definitione mõstretur, & testimonio Auer. confirmetur. primo post. secundo. & Arist. primo Metaph. 48. & apud Alex. 83. primo top. quarto. (oportet enim (ait Arist.) ex quibus est definitio præscire, siue ante cognoscere.) & Alex. inquit ꝙ definitio per omnia nota & præcognita procedit & Auer. primo post. secundo sic. (etiam uerisimile est esse dispositionem specierum prænotionum conceptionis (idest definitionis: quia simplici conceptu sine assertione seu cõpositione formam essentiamq; cognoscimus) hoc est, agentium & dirigentium ad ipsas) oportet igitur ante cognoscere ea ex quibus est definitio: propterea ꝙ ista præcognita, ad eam habendam nos dirigunt atq; illam ex prænotis efficiunt. Aris. igitur quoniam dixit (oportet nos constituere, siue ponere quid nomen. & uerbum &c.) & communiter hæc erunt uoces significatiuæ positione aliæ sine ueri explicatione, aliæ cũ uero. iccirco ista tria ante manifestat: ne suæ definitiones sine ratione & sine ea quã ipse tradidit arte ponantur, atq; constituantur. In hoc textu unum eorum quæ diximus explicatur, nomen & uerbũ uoces esse significatiuas: quod Ammonius exponens cũ Magentino ait quattuor ad hoc utilia esse: rem, cõceptũ, uocem, & literas. Amm. autem ait Aris. inchoare, non a rebus, quæ per se, nec simplices sunt nec compositæ: (id enim habent conceptus) sed a uocibus, ut sine quibus disciplina & præceptio fieri non potest, atq; nullam facere Arist. de literis mentionẽ. quod nulli usui sunt ad proposita con-

ta contemplanda. Quod si ita est. Cur ergo istorum quae tuor meminit? Et si infra longioribus, nunc tamen quod ad rem pertinet dicamus, & breuiter: finem huius libri interpretationem esse ut supra posuimus. hæc autem ut logicum instrumentum & organum cognoscendi, ad explicationem rerum dirigitur, ac tanquam ultimum & per se intentum finem refertur. interpretatio uero rerum non fit nisi per uoces clariores significantes a positione, aut per literas (cum uoces defuerint.) propterea nec res omisit, sed tanquam finem ultimum & in primis intentum posuit tertio enim meta. 6. 7. meta. 23. nemo de fine consultat, sed statuit atq; ponit: sed quomodo & per quæ is finis eueniat deliberat. nam primo ethico, septimo, si finem tanquam exemplar habuerimus, magis intelligemus quæ nobis sunt bona. & septimo poli. 13. in principio: Duo sunt in quibus omnis commendatio bene agendi consistit. unum ut propositum ac finis recte agendi subiaceat: alterum ut eas quæ in illum finem ferant actiones inueniamus, res igitur hic non relinquuntur sed tanquam fines explicandi ponuntur. Nec literæ frustra ab Arist. numerantur cum uocum fungantur officio: hisq; principibus explicatis, & quæ scribuntur aperiri intelligimus. huius enim causa quæ sunt in uoce conscribimus, ut absentibus uocibus, res conceptas certius, uberius, & firmius teneremus. quę enim uox, tot philosophorum, a nobis absentium, sententias unquã aperuit? ad quas eorũ libri nos tam facile deduxerunt, ut possemus aliquando quid senserint eorum scripta sæpius repetentes agnoscere: Non igitur ut Ammo. dico nihil opus esse scriptis. sed dico, magis fuisse conueniens Arist. nomen & uerbum &c. definire per uoces quæ in disciplinis (quas alio certo duce perdiscimus facile) primas tulerunt: quam per scripta: quibus periti occulta cognoscunt, & percepta declarant. Nunc ad literam ueniamus { ea quę in uoce } sunt, consistunt aut continentur sunt signa seu notæ. σύμβολα enim duo hæc significat. (earum passionum) .i. eorum conceptuum. quos patitur, idest, ut formis perficitur phantasia mens, seu anima, ut Psellius ait. & quæ scribuntur signa ac notæ sunt eorum quæ in uoce consistunt. {Et quemadmodum nec. literæ omnibus eædem sic nec eædem uoces. } Explicata prima definitionis particula, nunc ad secundã accidit quod uoces a positione significant. Idque approbat Aristo. ratione sumpta ex opposito cum negatione protensa. quod quodammodo notius, alterum palam facit. primo topic. octauo, hinc facile confirmatur experimento Arist. quod supra de negatione anteposita affirmationi docuimus ratione. sed oppositum ei quod est a positione esse, est esse a natura: quę eadem omnibus inest. ex opposito igitur ratio in hunc modum formetur. ad conclusionem ex simili notiori in litteris innuendam, id natura esse diceretur quod est omnibus idem; natura enim principium est per se & de omni: quæ igitur non sunt omnibus eadem, non natura sunt aut significant. a negatione propriæ definitionis ad negationem definiti. hęc propositio, quia perspicua, approbanda non est: sed sumi per se notam oportet, aliter quodammodo declarandam: Assumptio, idest minor propositio in textu ex opposito cum negatione præposita notiori in literis. (& quemadmodum neque literæ omnibus eædem: sic nec eædem uoces) conclusio consequetur. igitur nec uoces a natura significant & non omnibus eædem erunt. {Quorum autem.} Approbata minori propositione ex simili notiori in literis, in quibus idem prædicatum inuenitur. nunc alia duo, conceptus scilicet. seu passiones & res manifestat a natura esse: & ita eadem omnibus. inquit (sed passiones animę) quarum hæ dictæ uoces. (primum) nullo interuentu, notæ sunt hæ animæ passiones sunt eædem omnibus: & res quarum hę passiones sunt similitudines, etiam eędem sunt.) Sed cuius gratia manifestat passiones seu conceptiones esse omnibus easdem? idest esse a natura? Expositores non explicant. qua de causa ne temere & sine ulla ratione id Arist. posuisse dicamus, notandum. sexto topi. 14. in explicandis partibus definitionis oppositorum, non tantum opus esse oppositis cũ negatione præposita, sed etiam rebus huiusmodi, quibus definitio seu definitionis pars tanquam habitui cõuenit: nam per se habitus per priuationes noscuntur: licet quodammodo (idest ut Commentator primo poster. t 33. in magna commentatione & primo rheto. cap. quinto in epitomatibus logicalibus) explicet alicui generi hominum priuatio, atque oppositum cum negatione præposita, alterum manifestet. quamobrem topica loca constituunt. q omnibus, aut pluribus ita uidentur. Cum igitur supra explicasset. uoces signa esse a positione, ex apposito cum negatione præmissa, nunc eãdem explicat particulam ex opposito positiuo. passiones enim & res propterea q eædem sunt omnibus, natura sunt, non ex arbitrio, & positione. ex opposito uoces, ac scripturæ quia non sunt eædem, a positione, nõ natura significant Hinc etiam differentia uocum a positione & passionum siue conceptionum & rerum colligitur. & q approbationem intelligat, sex græca particula aperitur. quæ dicit. ὧν μὲν quorum quidem. quę particula causam propositi explicat. non controuersiam. Quo ad uerba, Ammonius primum obseruat. q cum de uocibus & literis diceret Arist. ait. quorum dę signa sunt, sed passiones similitudines rerum uocauit. quia simolacra rerum naturas, quoad licet representant. ut in picturis uidetur. in quibus mutare formas præsentatas non licet, ut in Socrate picto caluo, simo, oculis prominentibus. signa uero & notæ totum habent ab impositione, & cogitatione nostra. ut in militi signis, & notis diuersisq; institutis conspicitur. Sed contra quia secundo priorum. 27. de enthimemate tractans Aristot. ipsum definiens ait, syllogismus est imperfectus: ex signis. ubi eodem uerbo utitur ad explicandum signum naturale, & signum a positione. uana itidem erit, assignata differentia Magentini. quod nõ sit a positione significans. quia idem uerbum, signum, & nota uocatur. Præterea si hæc differentia uera esset, ac illam Arist. ex his uerbis intenderet, his tantum nominibus positis sufficienter explicasset, dum diceret. propterea quòd uoces & litteræ signa ac notæ sunt. a positione significant: passiones uero & res quia similitudines sunt, a natura. Ita in finiendo nomine & uerbo sufficeret si duntaxat dixisset: nomen & uerbum est nota. non igitur addendũ quod uoces sint a positione significantes. & hic omittendum fuisset, quod uoces & literæ sunt notæ siue signa non eadem, ne idem casu, ac temere refricaret. Mihi ita sentiendum uidetur. συμβολον σημεῖον notam, signum, uestigium dicere. quæ ita dicuntur. quia ut notiora exterius notificant, ac ut uestigia pedum significant. παθήματα autem, idest passiones, siue conceptiones, non ita: quamuis interius similitudines rerum uocentur: rem tamen & si interius, exterius non aperiunt. propterea igitur uoces & literas signa & notas uocauit, & passiones similitudines: quia illę exterius, hæc interius manifestant. Secundo ex dictis facile reprehenditur syllogismus quẽ Suessa formauit ex litera. dum asserit Aristo. uelle probare uoces & literas quum euarient, a positione habere, conceptiones uero & res, cum non euarient, natura esse. hoc iorum uult esse præceptum & complexionem siue conclusionem ad quã inferendam ait Arist. in textu ratiocinari, Quæcunq; sunt aliorum signa uel notæ, positione se habent. uult deinde quòd assumptionem, idest minorem Arist. ponat ibi. { sũt quidem igitur quæ sunt in uoce &c. } idest sed nomina & uerba: & scripta sunt signa & notæ. aliarũ, uoces, scilicet conceptionum, & scripta uocum: sequitur cõclusio ut putat ibi, { quemadmodum nec literæ eædem sic nec uo-

ces eædem erunt.} ubi (sic) in græco non haberi affirmat: quod manifeste falsum est γρως enim (sic) latine significat {& quemadmodum &c.} ait (&) uim habere inferēdi sępe consueuisse. Sed obiurgandus est Ammonius: qui signum, & notam ait approbationem, idest probationem esse, quod nomina, & uerba, uoces, & scripta a positione significent: cum secundo priorum 27. in Epitomatibus logicalibus, de rhetorica persuasiua, & syllogismo. cōtradictoria signa enthimematis & demonstrationis. & topica etiā, non a positione significent. signum ergo, & nota, cōmune est ad signum, quod ex arbitrio & instituto significat, & signum natura consistens. Secundo propria eius ratiocinatiu confutatur: non enim unus est syllogismus in textu quem suo arbitratu diuisit, sed duo. Vnus, quo nomina Aristot. & uerba uoces esse significatiuas declarat: hoc modo (Quæ sunt in uoce sunt notæ & signa) scilicet significantia exterius (earum quæ sunt in anima passionum.) minor siue assumptio, ut positio per se nota, approbationis non indigens ponetur. cum nomen & uerbum definiet. sed nomen & uerbum sunt signa seu uoces itaq; maior, ergo &c. propositio assumpta est, ut perse nota: signum est illa græca particula{ quidem igitur: quæ uel executionis sit nota, uel sine ulla approbatione ex propositis inferens, meam sententiam confirmabit id esse sine approbatione aliqua positum. ut communiter assertum ab omnibus: Secundus syllogismus erit ibi. (Et quemadmodum &c.) ubi secunda pars definitionis ponatur, significare, scilicet a positione: quod tanquam per se notum, non demonstrat. sed quia non omnino, sine aliqua controuersia est confessum. propterea quodammodo ex opposito cum negatione præposita manifestat. quod mi(c), ipsis est manifestius quod a positione sint, & euidentius cōstātiusq; manifestēt. Syllogismus igitur erit quæ non omnibus eadem sunt illa non a natura (quæ in omnibus uno modo inuenitur: per se idem in omnibus similiter operans) sed a positione sunt, & significant. minor in textu. {Et quemadmodum nec literæ omnibus eædem, sic nec uoces eædem.} Itaque maior propositio syllogismi Suessę non est ad hanc inferendam conclusionem, quam nostra secunda ratiocinatio intulit. & quæ a Suessa ratiocinationis conclusio& cōplexit dicitur, nobis minor secundi syllogismi cum eius approbatione ex similiterarum uidetur. nam sine ulla controuersia (ut bene animaduertit Ammonius) scripturæ & literæ a positione significant. licet quodammodo uertatur in dubium an nomina & uerba, natura, ut Plato uidetur asserere, an a consilio, ut Arist. sentit, significare dicantur. hinc sequetur cum non ad uerba Arist. neque sensum dicere, dum in secunda sua expositione asserit, quam Alexādri & Aspasii esse cōfirmat, hic Arist. uelle colligere similitudinē inter scripta & uoces. sed ꝙ ex hoc prædicato, significare ut non idem, idest a positione: quod notius, & firmius in scriptis uidetur. infert idem de uocibus significatiuis, tanquam genere proximo nominis & uerbi & omnium aliorum. Quęrit secundo Ammonius: cur Arist. nō dixerit, uoces sunt signa cōceptionum: sed ea quæ sunt in uoce? respondet primum: cum triplex sit naratio, concepta, uoce, in scriptio: de secunda hic loquitur. secundo respondet, uoces natura edimus sicut uidere, audire: aliud est ergo uoces esse, ut opus naturæ, aliud nomina & uerba a positione & nostra cogitatione, quæ uoce utuntur, nam. quemadmodum ianua dicitur lignum, & nummus æs uel aurum ex arte, quæ imponit figuras & characteres: eodem modo & uoces dicuntur nomina, cum a locutoria imaginatione finguntur ac formantur, signa eorum, quæ in animo uoluntantur, & talem sunt formam adeptę: ut ex positione significent. signum est uox mutorum articulata, quæ quia non ex cōposito & institutione aliorum est, ideo nomen & uerbum non dici-tur. Sed primæ responsionis partitio, seu distinctio, quonam modo sit uera in primo suo membro, supra longioribus differuimus. cætera tanquam uera probamus. Sed dubitabis. uox significatrix est per se genus nominis & uerbi: igitur uox erit generis pars communis, per se unum cōstruens: duo igitur consequuntur, primū naturale, unū per se constituere cum artificiali, & ens reale cū ente rationis: secundo partem esse in toto minus commune: significare, scilicet a positione, esse in uoce, quæ est magis communis: qui modus improprius dicitur eius, quod est in alio esse. quarto phy. Ad primum & si nihil hic necessario esset dicendum. sed metaphysico & naturali hæc quæstio difficilis relinquenda esset bonitatis, tamen gratia, quam breuissime potero respondebo. sed animaduertendum primo quod a me dictum est paulo ante dum primum in textum Ari. dubitarem. res logicas ut habentes esse imperfectum & quasi in cogitatione ut subiecto: in uoce ut signo aliam naturam ullam sortitas non esse, quam eam quam anima ex arbitrio finxit: ut aliud significandum exterius referatur. sicut ea, quæ artificum manus effingunt præter naturæ opus, lignum, scilicet es, aurum ue, nil reliquum habent. nisi quod ars uera per sua instrumenta hoc uel illo modo effigiantia progenuerit. Hoc, alterum comitatur, easdem res logicas, ut secundo intellecta, ad logicam non ut scientiam sed artem spectare. nam earum, mentis arbitrium, ut extrema causa efficiens assignatur. a quo efficiuntur ea, quæ artium & scientiarum explicationi conueniunt. & in uocibus, ac aliis notionibus regulis apponūtur. primo post. 17. secundo poster. 27. Tertio ponendum octauo metaph. 16. non eodem modo, omnium unitatis per se causam requiri. Alia namque, quæ materiæ conditionibus uacant, ut intelligentiæ siue mentes, statim ens, & unum per se sunt: Alia quæ ex materia constant, unum per se fiunt: quod hoc idem, quod ens potentia erat, idem fit actu; efficiente tantum educente de potentia in actum artificialia per se unum constituunt, secundo phy. 13. secundo de anima octauo, non cum subiecto ut naturæ indiuiduum est, sed ut arte formatum, siue effigiatum est: artis, ac formæ artificialis esse recipiens. causa enim propria cum sit ars, & effectus artificiale quid erit. sicut causa propria indiuidui & effecti naturalis est forma & substantia, effectum igitur substantia erit, ita proportione & similitudine quadam, quæ de unitate & definitione rerum artificialium dicta sunt: fere eadem de rebus logicis, & uoce significatrice a positione dicenda sunt. non enim quod in uoce ex consilio, & mentis arbitrio positū est, per se unum constituit cū uoce, naturali opere animæ, ut singulare opus naturæ est, sed ut indiuiduum ab arte formatum. Itaque nec primom sequetur, naturale cum artificiali unum per se constituere: quia non ut naturale, sed ut arte effectum, formatum cum sua causa formali per se unum efficere dicitur: similiter res logicas & placitum siue mentis arbitrium in uoce contineri affirmamus: non tamen ut opus naturæ est, per se unum genus constituit, sed tantum ut a positione, & consilio, & cogitatione factum est, ut uox ad hoc uel illud explicandum ponatur. & ex communi imponentium consilio referatur. Sic a mentis relatione, quæ in uoce ad significandum relinquitur, uocem naturæ opus, artis logicæ instrumentum, & opus artificiale per se unum, & ad alterum signandum relatum constituitur. Ex his ad id quod secundo consequebatur patet responsio. non enim inconueniens est minus commune, quod formam & actum dicit, contineri in alio magis communi quod in potentia existens perfici ac formari ab alio possit minus communi. ut de intellectu & cogitatiua Auer. opinatur de anima altrice, sentiente & rationali. & ex Arist. confirmatur secundo de anima. 30. de fortuna artis in materia. Postremo in uoce, perfecto placiti, seu arbitrii, consilii, & positionis

quibus

quibus uox ipsa, quasi formatur: & demonstratione extrinsecus significate a positione dicitur, atque, ut aiunt, per attributionem placiti, ut formæ specialis, uoci, ut materiæ, siue generi magis communi adiunt. Nec inconueniēs modus essendi in alio est, minus communis in magis cōmuni, siue formæ in materia, ut Suessæ uidetur, quo niam quarto phy. 23. Primus modus numeratur partis in toto, secundus totius in partibus, tertius speciei in genere, quartus generis in specie, quintus speciei, seu formæ in materia &c. Nec ualet sua obiectio contra Porphyriū: quòd sequeretur Aristo. in tam paucis uerbis ambigue dicere, quia dū dicit{ea quę sunt in uoce.}sumitur ut pars minus communis in toto, uel magis communi. cum uero sequitur,{sunt signa earum passionum, quę sunt in anima}nūc sumitur ut accidens, & forma in subiecto. Sed contra, quia æque ipsum inconueniens hoc sequeretur cum placitum, siue consilium, uoci non hęreat denominatione interna, sed extrinsecus. sed a consilio imponentium attributum, ut signo: Placitum ergo siue arbitrium, pactio, & mentis cogitatio est in uoce ut signo. non cui extra animę operationem inhæreat: sed passiones animæ rationali conueniunt ut actu eiusin formantes, ac perficientes etiam dum dormimus. Item proprius modus essendi in alio maxime dicitur ultimus, ut in loco, uel uase. alii transumptiue, idest per translationem, ut Arist. & Commentator affirmant. Tertio quæritur (quod primo loco quærendum fuerat) an per uocem, (ergo) aliquid ex propositis inferat, an executionis sit nota. S. Tho. ait ex præmissis concludere, hoc modo, quia Arist. dixit {oportet ponere quid nomen, & uerbum &c.} & hæc sunt uoces significatiuæ: ergo oportet uocum significationem exponere, seu rectius ponere. Cōtra placet Suessæ cum græcis omnibus notam esse executionis: Sed nec ipse, qui contradicit difficile refellitur, non enim diuus Tho. affirmat (ergo) aliquid supra tractatum, seu, ut ipsi aiūt, colligere supra executum, sed ex prædictis ac præceptis inferre, infra considerandas præcognitiones. ut nos etiam diximus. & ita executionis est nota. propterea non uniuersatim est uerum (quidem igitur) notam esse executionis, quæ ex ante positis non trahatur, nam nomen definiens, nomen (inquit quidem igitur est uox &c.) definitio autem nominis ex ante cognitis partibus sequitur. similiter secundo priorum de enthimemate tractans, declarato, & posito quid signum dicatur, intulit (Enthimema quidem igitur est syllogismus imperfectus.) sed alii arbitrantur, ornatus causa a græcis poni. sic a nostris latinis (quidem enim) ad exornandam orationem ponuntur. Mihi Aristo. uerba, & processum consideranti, quandoque epilogi, quandoque executionis siue ornatus esse nota uidetur: quod facile ex superiore, & inferiore scriptura, ne ambigua æstimentur, perspicuum fiet. Quærit Ammonius cur dixerit. quæ scribuntur sunt notæ eorum, quæ sunt in uoce, non autem dixerit, literæ, & elementa sunt signa eorum, quæ in uoce ē duobus modis respondet, primo hic Arist. de nomine, & uerbo, ac aliis propositis in procemio speculari, cuiusmodi non sunt literæ, & elemēta, sed horum partes. secundo ait, q si uerbum Arist. ad omnem dictionem extenditur. literæ proprie sub his continentur quæ scribuntur, elementa uero, quæ proprie in prolatione consistunt. sub his quę in uoce. Sed Arist. generatim loquitur de uocibus significatiuis, ut pars definitionis est omnium, quæ in procemio definire proposuit. sed in libro poeticorum elementum definitur, quòd uox sit indiuidua: non omnis, scilicet per se significans: sed ex qua intelligibilis uox fieri potest. hic uero dixit (ea quæ sunt in uoce). i. arbitrium, consilium, cognitio, intelligentia sunt signa significantia, & intelligentiam conceptum explicantia, non igitur hic est sermo proprie de elementis, & literis, quæ eadem sunt re, licet ratione quam diximus differant, sed de uocibus significantibus omnibus, non definite contractis ad nomen & uerbum: nam uox significatiua partem communissimam generis nominis & uerbi & orationis constituit non proprie nomen & uerbum tantum: Differentiam autem literarum ab elementis quam Ammonius accepit a Dionysio, sumas ab Aristo. in libro enim poeticorum ait. Elementum uocē esse indiuiduam: ergo proprie in uoce. sed ad sensum patet literas partes eorum esse quæ scribuntur. Quæritur cur passiones uocauit, & similitudines uel simulacra. ut Ammonius dicit. Suessa respondet propterea similitudines appellari q a re deriuantur: passiones uero, ut animum ipsum perficiunt: conceptus, ut principium, & ratio intelligendi. Sed contra, quia recte Ammonius interpretatur, simulacra rerum dicuntur, non quia causata a rebus ut phantasmatibus siue sensu percepta. sed quoniam rerum naturas, quo ad licet, repræsentant. ut in picturis demonstrat. in quibus mutare, ac transformare naturas repræsentatas non licet. Præterea conceptus nisi constituantur nouarum rerum uocabula, rem iam conceptam & cognitam supponunt. non igitur proprie principium seu ratio cognoscendi dicentur: nisi ut species & phantasma, ut obiectum a lumine intellectus agentis est deputatum, ut aiunt, formatum, & illustratum Item nō explicat quem animum passiones perficiant. quia non mentem per se impatibilem, ut Auer. opinatur. sed animam seu mentem phantasticam, idest existentem in phantasia, ut optime Psellus explicauit. attributiue enim mentem patibilem affirmamus. primo de anima 65. 66. tertio de anima 20. ratione phantasiæ, siue cogitatiuæ. quæ caduca & infirma patibilis, & postremo in homine sola mortalis. Sed hic primum quæro cur solum Arist. passionum & similitudinum seu simulacrorum meminit? Respōdetur cū principio intellectus siue mens phantastica rerū quasi adumbratas intelligentias & similitudines recipit, his ut patiens illustratur ut patibilis intellectius. hinc sequitur, eas similitudines, ut animam perficiunt phantasticā, passiones uocari, perficientes, ac illustrantes eam nullo contrario ante corrupto. hæ met similitudines dicūtur (ut ostendimus ex Ammonio) ut rerum naturas quoad licet representant. & conceptus, ut ab intellectu patibili seu possibili concipiuntur, aut iam sunt conceptæ. Secundo ponendum intellectum patibilem, idest possibilem ad passiones & similitudines (cum eas primum concipit) conferri, ut potestate est omnia illa, tertio de anima. 14. 17. quemadmodum tabula in qua nihil est ascriptum siue fictum. Inde etiam sequitur tertio. intellectum semper esse uerum. tertio de anima 21. idest non errare. sed intellectus secundo progressus ultra componit illas passiones, ut simplicia intellecta: & hæc quandoq; uere quandoq; false comprehendit (ut, infra sectione quinta dabitur opinio falsa) ac a positione, consilio, siue arbitrio opinatur. de quibus Alexander forte ait. de eisdem rebus sæpe nos diuersos sensus habere. in quo Mageotirus frustra conatur, Alexandrum arguere. itaq; hi sensus uarii (quos ex ueris simplicibus cognitis, & eisdem, ac a natura consistentibus intellectus coniungit) non omnibus iidem sunt, licet a positione & opinantium consilio pendeant. his positis, patet horum duntaxat Arist. meminisse, quia hæc sola sint uere omnibus eadem, ad quæ anima comparatur ut potestate recipiens: quamobrem passiones Arist. appellauit. alii autem conceptus, aut nonnidem dicuntur, aut ad illas, quas diximus passiones & similitudines, reducuntur. hæc de his hactenus quæ tunc docēda erunt cum de anima dicemus. De æquiuocis ambigunt. an passiones simplices quas de ipsis habemus, easdem res significare dicantur: cum semper sint distinguendæ ut diuersas res continentes? Respondeas aliud esse dicere passiones primas esse similitudines easdem, idest a natura constantes, aliud passiones esse naturales similitudines

eiusdem rei uel diuersarum. nam analoga, ut primum concipiuntur, diuersa continent, ordine, comparatione seu proportione ad unum collata. tamen eorum primæ intelligentiæ seu conceptiones eædem dicuntur, idest natura non arbitrio natæ sicut uoces: quæ comparatione, seu proportione dicta a positione significant. simili ratione ambigua, idest æquiuoca, primas conceptiones easdem, idest natura consistentes habebunt: quibus plura cognoscunt, & repræsentant, ac referunt. licet uoces (quarum proprie ambiguitas dicitur, non natura sint eædem sed a positione significent) æquiuoca enim rem unam communem non habent, sed tantum uocem. & hæc responsio, diui Thomæ dictis, est fulta. Sed obiicies ut Suessa contra Porphyrium ubi uoces sunt eædem a consilio, positæ, easdem primas conceptiones sine errore aut falso significant; non ergo ambigue loqui contingeret, neque distinguere diferentes, qui satis ex notis uocibus. atque sine errore, conceptionibus constituere possent, quod sit aduersariorum consilium, aut quid uelint. Dicas his distinctione uti opus nunc esse, quibus ita hæc nomina sunt perspicua & communia, ut quasi domi ab ipsorum positione nascantur. sed his qui quasi modo nascẽtes de notissimis rebus atque nominibus hæsitant, nihilq; ab aliis explicatũ nouerunt: qua de causa, distinctio in his nominibus fiet, quæ habentur dubia; quorum res abditæ & arbitrium consilium plurimarum rerum & conceptum non perspicuum dicitur. Ad textum nunc redeamus.

TEX. BOETHII

De his uerò dictum est in iis, qui sunt de anima, alterius enim est negocii.

De his quidem igitur dicemus in his quæ de anima alterius enim est negocij:

Ex uerbis his collige, quod supra docuimus (μὲν οὖν quidem igitur) quãdoq; ad exornandam orationem ab Arist. poni, ut hic: nil enim ex supra cognitis infert. neque aliquid exequendum. seu tractandum proponit. Quæres ab Arist. cur istorum naturam disserere diligentius & proprietates omittit? quibusq; ab animantibus instrumentis uocalibus proueniant? pulmone & aspera arteria, a quorum primo, uocis materia aer præstatur, ab altero, uoces graues & acutæ effigiem sumunt, & quæ articulatæ dicũtur a lingua, palato labiis, ac dentibus ut animæ rationalis motioni deseruiunt. cur hæc itidem a positione, altera a natura cõsistant. atque similitudines rerum sint primum simulacra, uoces uero passionum signa. ac notæ dicantur? Adhæc omnia puto Arist. respondere, propterea ab eo esse relicta quod alterius est pertractationis, idest ad alium pertinent modum considerandi naturalem de anima: nam pertractare quã nam ratione ista ab anima, ac instrumentis eius proueniant, an a uoluntate pendeant, ut operationes, ad animam, suum proprium principium referuntur, de quibus ut supra diximus, secundo de anima tex. 87. 88. 89. 90. disserit, ubi uocem significatiuam ex imaginatione animę uoluntaria. sonum appellat: hinc ergo patet uoces esse significatiuas. sic enim ad interpretationem dicuntur conferre tex. 88. 90. & a positione significare, quia ab imaginatione significant & uoluntate. ut Commentator & Arist. asserunt. Arist. enim ait (oportet animatum esse uerberans) & 90. (& cum imaginatione aliqua,) idest uoluntaria. cuius rationem adducens, inquit (uox enim est quidam sonus significatiuus, non naturaliter, ut significatiuus est sonus respirati aeris, sicut tussis: sed ab alio libero mouente hunc aerem ad arteriam,) loquitur etiam Themistius acute hunc locum perspiciens huius ergo aeris (quem spirando reddimus) percussio & offensiu ad arteriam si de consulto & composito fiat, illac qua commeat spiritus uox est: tussis uero, non est ea uox quamuis per eadem loca, machinamenta proueniat. quia scilicet non ex proposito accidit (nam ait sine cogitatione aut consilio uox missa, non est uox. nam hoc omnino in definitione uocis collocandũ est. quoniam uox est sonus, qui cum significatione aliqua emittitur.) Sed postulabis, ubi nam in Ari. pateat, similitudine in primis esse rerum simulacra & naturalia sicut res natura eædem omnibus sunt? Respondeas ex tertio de anima. 38. animam, quodam modo effici omnia, cum omnium formas, aut sensu, aut mente suscipiat: & quia singulorum formæ per animam cognoscuntur, lapis autem non est in anima, sed species & forma eius primum lapidem repræsentans. Primum ergo similitudines, & species rem & lapidem repræsentant, nam intellectus omnium, de rebus sensibilibus primum uenit, ex quibus ursa quædam & similitudines procreat. ad quas intelligens se conuertit. & cum intelligit necesse est simul phantasma aliquod speculari. phantasmata enim, sicut sensibilia sunt: præterquam tertio de anima 39. quod sunt sine materia. secũdo natura constat similitudines: non ex arbitrio pendent: quia ad similitudines comparatur patibilis intellectus, ut natura pure potentia aut potestate recipiens tertio de anima, 17. 14. in natura enim animę est unum natura agens, alterũ natura patiẽs sicut in omni alia natura monstratur. 17. tertii. Præterea ut ubi Arist. dicit. Ad phantasmata intellectus confertur, ut sensus ad sensibilia: a quibus natura mouemur: atque impossibile dicitur, quin ursi tangamur. Item necesse Ar. ait, intelligentem phantasmata idest eorum similitudines, speculari tex. 39. res autem quod natura constẽt tanquam omnibus perspicuum omittatur. Ammonius dictum hoc Arist. {De his quidem dictum est in his, quæ de anima} ad postremo relatum dixit. cæterum productum de his esse in libris de anima, scilicet tertio de anima. 39. at conceptus dicit mentis primi, quid intererit quo minus sint phantasmata? Respondet an neque alij phanthasmata sunt, uerum non sine phantasmate, tum in quibus imaginationem passiui intellectus nomine appellandam censuit. tertio de anima. 20. primo de anima. 65. 66. ex quibus tam obscuris uerbis non potest concludi aliud, nisi quod postremo deduximus. non enim uideo quid sua dicta sequatur. si primi & alii a primis conceptibus non sunt phantasmata, non tamen sine phantasmate sine quo nihil intelligit animam, nisi conceptus primo phantasmata repræsentare & necessario: ut intulimus. Mihi autem uisum est, sermonem Arist. ad omnia supradicta potuisse referri, cuius uerisimile argumentum potest esse. quod dixit {dictum est, quidẽ ergo in his quæ de anima,} idest libris duobus secundo & tertio: ut retulimus: non tertio solum ut Ammonius opinatur. Et ut finem tandem quærendi faciamus. paucis ad hæc additis, postremo quæramus nomina siue uoces an primo significent res. an conceptus? Quidam respondent, grammaticorum uoces primo res generatim significare, sed logicorum primo conceptus. quod ex definitione Platonis (a quo Grammatici acceperunt) confirmant. nomen finientes quod substantiam uel qualitatem significet. & hic Arist. (quæ in uoce, signa sunt earum passionum quæ sunt in anima, & quarum passionum eæ uoces primum signa sunt &c.) sed contra, quia eodem modo nomen definitur a logico, poeta, atque grammatico. id autem (ut uerum sit) in definitione nominis declarabimus. secundo finis harum uocum est idem ei ad quem oratio enunciatiua refertur. hic autem est interpretatio rerum conceptarum, quæ idem sunt quod conceptus: Scotus uero quæstione secunda respondet. conceptus significare rem, ut similitudo & species rei, non ut accidens animæ dicitur. Sed non quæritur hoc. sed duntaxat, an uoces principaliter, seu

in primis res aut conceptiones significent. Propterea uerius ad rem, & sensum accedens, respondeo: & nobiscum, & si nominibus non concinnat Suessa, re tamen idem affirmat cum Alexandro. primum pono, uoces, tanquam ultimo intentum finem & principalius, mediate tamen significare res. secundo autem & minus principaliter, sed immediate, conceptus. quę duo asserta exemplo asciæ manifestantur nam ascia (ut instrumentum) efficit immediatum. sed principale seu princeps efficiens est artificis manus, quod declarans primo de anima octauo. Themist. ait, quod principale ac ultimo intentum cognosci & definiri, indiuiduum dicitur: sed alio intermedio cognito. forma uero uniuersalis sine alio medio: ut tamen ad indiuiduum cognoscendum refertur. hæc dicta his rationibus approbantur. Id in primis uoces significant, ad quod significandum nouorum nominum inuentor imposuit. hic autem ad rem explicandam uoces constituit. id. n. de uerbo considerans Ari. & manifestans uerbum significare, approbat, quia constituit intellectum. sed uox prolata hominis tunc constituit, & quiescere facit intellectum non cum ad conceptum: sed ad naturam humanam deducit. ergo uoces, et nomina tanquam ultimum finem in primis intentum, res explicabunt. licet intermedijs conceptibus: præterea primo elenchorum primo, uocum finem declarans Arist. ait: quoniam ad res differendū afferre non possumus, utimur nominibus loco rerum: ad explicationem ergo rerum, consideratio uocum refertur non conceptuū, ut finem ultimū. Amplius. 4. met. 28. ratio illius rei cuius nomen est signū, definitio est. uox igitur rei per definitionē explicatæ, signū dicetur. Item testimonio sensuum confirmatur: quorum clara & certa iudicia sunt, eorum quæ ratione etiam iudicantur. Ad quid enim tam diu expectamus, flagitamus uocum interpretationem: nisi ueri inueniendi gratia in rebus, quas cognoscere & scire statuimus? id enim uolumus, & ardemus desiderio tanquam extremum. Ad hæc, si conceptus sunt instrumenta ipsarum uocum, ut ad rerum notitiam medijs conceptibus ducant, non igitur ultimum & extremum ac principale significatum uocum dicentur. Et si obijciet aliquis Ari. textum, quem retulimus. uoces primum significare conceptus: intelligas sine medio alio. non tamen, ut ultimum et extremum significatum: nam uoces dicuntur significare conceptus, ut rerum sunt similitudines, ut ab ipsis rebus conceptus uenisse ad intellectum dicamus, quas nouissime, ut finem & ultimum intermedijs conceptibus per uoces clariores noscamus. Nec secundum eorum argumentum concludet. uoces ea in primis ut finē significare in quibus ueritas & falsitas inuenitur, hæc aūt conceptua sunt, non res ipsæ respondeas uerum & falsum in conceptibus, ut in rerum similitudine inueniri: quę ad ipsarum uerarum rerum cognitionem refertur. uerum, in rebus est, ut in causa. in post prædicamentis ca. de priori & in fine huius primi libri. itaq; attributiue, i. per attributionem & collationem ad res, ueritas in conceptibus erit: uere autem, ut in causa, in rebus. Dices propter quod unumquodq; tale & illud magis. si ergo uoces, medijs conceptibus, explicant res, igitur uoces magis & in primis conceptus, quam res ipsas aperient. Dic. Arist. locum ualere in causa principe. i. principali non iuuante tanquam instrumento, quomodo conceptus ad uoces refertur, ut ascia ad manus artificum: quod supra posuimus, & rationibus ac sensibus, rationem confirmantibus approbauimus. Pugnabis postremo, si uoces, medijs conceptibus explicationē rerum efficiunt: cum immediate conceptus, ut accidentia denotent, nunquam substantiam explicabunt, paucis, ut supra, respondeas, uocum proprium significatum non ab organo sumi oportere: sed ultimo & extremo fine intento quod quandoq; substantia quandoq; accidens appellatur huic ueritati Alexan. & Themistius ascribunt, & Ammonius non dissentit. Secundo quæritur. an scripturæ siue quæ scribuntur, tanquam ultimum & extremum, uoces, an res ipsas significent? in contrariam partem Ari. & Cō. (& quæ scribuntur signa & notæ sunt eorum quę in uoce) & si uoces primo significant conceptus, & conceptus primum res, scripturæ ergo primum uoces declarant. sed contrarium, sensuum testimonio & experimento monstratur. quia scriptura hominis et cęterarum rerum de quibus philosophi disserunt, utimur, rerum ipsarum explicandarum causa. præterea epistola inuenta affirmatur, ut certiores faciamus absentes, si quid esset quod eos scire aut nostra aut ipsorum interesset: igitur res postremo, ut ultimū & finem, explicare intenduntur. Item si quæ scribuntur signa sunt uocum, aut earum quę extra animam, quod impossibile est. aut in anima: uoces autem in anima conceptus dicuntur, quos ad rerum explicationem referri ut finem supra retulimus. Nunc ad ea quæ adducebantur ex Ari. respondebo, non solū quærendum quid philosophus dicat, sed quid conuenienter rationi & sententiæ suæ uere opinetur audiendum. Hunc enim in modum. Ari. intelligimus (quæ scribuntur, sunt notæ eorum quę in uoce). i. consilij & arbitrij in uoce. quę secūdo intellecta & conceptus res explicantes dicuntur. Sic interpreteris quæ ex An. adducuntur. (quæ scribuntur sunt signa eorum, quæ in uoce). i. explicant (cum uoces defuerint) ea, quæ explicantur per uoces, quarum uice funguntur. immediate ergo uoces, sed non tanquam ultimum & extremum quod explicare constituunt. nam quod uicem alterius perficit, idem opus exercet cum eo, cuius uicem gerit, ut de consule, rege, & proconsule, siue pro rege in tollendis controuersijs perspicuum est. scripta autem uocum uicem exercent. Idem ergo extremum significatum habebunt, explicationem, scilicet, conceptarum rerum. Amplius literarum inuentor, ad rerum explicationem direxit, & Auer. ait scripturas significare uerba, idest sine medio & significata uerborum, cū forte uoces defuerint. hæc de quæstionibus satis.

TEX. BOETHII.

Est autem, quemadmodum in anima, aliquando quidem intellectus sine uero, uel falso, aliquando autem cui iam necesse est horum alterum inesse, sic etiam in uoce. Circa compositionem enim & diuisionem, est uerum, & falsum. Nomina igitur ipsa, & uerba consimilia sunt ei; qui sine compositione, & diuisione est, intellectui. Vt homo, uel album, quando non aliquid additur, neque enim falsum: neque uerum adhuc est. Signum autem huius est, hircoceruus enim aliquid significat, sed nondum uerum aliquid, uel falsum, si non uel esse, uel non esse addatur, uel simpliciter, uel secundum tempus.

Est autem quemadmodum in anima aliquando quidem intellectus & cogitatio sine uero uel falso, aliquando autem cui iam necesse est alterum horum inesse, sic, etiam in uoce. Circa compositionem enim & diuisionem est uerum & falsum. Nomina quidem igitur ipsa & uerba consimilia sunt ei intelligentiæ quæ est sine compositione et diuisione, ut homo uel album, quando non aliquid additur: neque enim falsum, neque uerum adhuc est. Signū autem huius est, quia hircocerums aliquid significat sed nondum uerum aliquid uel falsum; si non uel esse uel non esse addatur, uel simpliciter uel secundum tempus.

Magentinus huncin modum Arist. textum cum præcedenti connectit. cum duo sint inuestigata. primum quonā modo nominis & uerbi significatio intelligenda esset, utrū

ex uoce tantum, aut sola intelligentia, an ex re solum uoces item per animi sensus rerum esse interpretes. secundo in quibus uerum & falsum inueniretur. quod nunc quoq; id ostendendū Arist. proponit. sed utrunq; istorum reuera non enim supra inuestigauit. sed posuit, ut per se notum, nomina & uerba significatiua esse, ex hoc q; ea quæ sunt in uoce sunt signa & notæ significantes passiones nullo medio interiecto, his autem mediis, tanquam ultimum, res explicare. præterea non uideo ubi inuestigarit, an nominis & uerbi significatio intelligenda esset ex uoce tantum, aut intelligentia tantum, aut ex re solum: sed hoc posuit (sunt quidem ergo quæ sunt in uoce &c.) ut significatio sumatur non ex uoce tantum, non intelligentia, sed arbitrio cognitione, & consilio, & imponentiū consensu, quē in uoce ex pactione & consilio reliquerunt. ac uoci per attributionē dederunt. at nulla mentio est facta de rebus, an ab ea sumenda esset significatiō nominis & uerbi, quoniam maximum esset ignorationis, ac inscitiæ in Ari. argumentū, si rem tam perspicuū, nec dubiam pro occulta quæsisset ac dubia, cui enim uel rudi dubium uideretur, nomen & uerbum (quod ut organum & instrumentum significat) a rebus, instrumenti significatiui & organi cognoscendi alterū, significationem habere, cum tantū significentur, & nullo modo significent, neq; significare & explicare, ut organum logicū uideantur. Item ea significatio erat nominis & uerbi ponenda, quæ ut præcognitio partium definitionis ad ea cognoscenda dirigeret. hæc autem est uox a positione significans, non res tantum significata: a uoce ergo & intelligentia in uoce relicta, & tributa siue attributa significatio nominis & uerbi pēdet, non a rebus. Amplius: si hæc duo sint ab Ar. posita, causam & finē cur ista posuerit, non declarant: ut. s. quid nominis partium definitionis nominis, et uerbi orationis, enunciatiuæ tanquā prę cognitiones ponantur. Alterum etiam secundo dictū refello: non etenim uideo ubi inuestigauerit Aris. in quibus uerum & falsum inueniretur: quod nunc quoq; inuestigare constituat. Item pugnantia cum Ammo. dicit. ait enim Ammonius. per breuitatem ad institutæ commētationis propositum tradi. cum. s. uerum & falsum sit in mētis conceptibus & uocibus ut significantibus, & quod nunc docet philosophus non in his simplicibus: sed compositis uerū & falsum spectari, non nominibus, nisi ut per orationem enunciatiuam affirmatiuam cōiunctis, uel per negatiuā diuisis. itaq; non inquit hæc quæ diximus Ari. docuisse sed nunc docere & in conceptibus & uocibus ut significatiuis, falsum & uerum spectari, dum coniungūtur aut diuiduntur non per se sumptis. Adde ex Amm. hæc Aris. nunc docere ut alteram orationis partem ante cognoscat. Dices pro Magentino ille quæ dixit, ab Amm. fere ad uerbū superiori textu sumpsisse. cum inquit (cum hæc itaq; per ea quæ nunc dicuntur tradētur. s. uoces esse significatiuas rerum mediis conceptibus: tum uel maxime quibus in rebus quocunq; fuerit modo ueritatē ac falsitatem seruari conueniet). san hoc rex. Addens uero quæ in textu superiori consideret ait. (de quibus in præsentia nobis perpēsio est. utrum in rebus an mentis conceptibus, an uocibus an in quibusdam. harum duabus: an etiam in omnibus. q; si in uocibus qoahbus his scilicet compositis. non nomine & uerbo & prædicamētis. ita in compositis conceptibus qui causa sunt uocis, non per se in simplicibus nec compositis rebus.) Sed animaduerte q; dixerit (nobis perpensio in præsentia est.) quod tamen inferius considerabit. neque dicit ab Arist. hęc quæ ipse perpendit, inuestigata. nec ait inuestigasse Aristan. significatio nominis & uerbi solū, pēdeat ex uoce tantum, an ex intelligentia uel rebus: sed quocunq; fuerit modo, in his ueritas et falsitas est, ut explicātibus instrumentis. hac .n. ratione res ipsas abiecit. ad quas tamen ut extremum & finē ultimum explicandas, uoces & conceptiones animæ referuntur. q; si quispiam hęc quæ

ex Ammonio dicimus non probarit, in utrunq; sit dictū S. Tho. dicit q; postquam tradidit ordinem significationis uocum. hic agit de diuersa uocum significatione: quarum quædam uerum & falsum significant: quædam non. Sed licet uerū dicatur, ut de Ammonio retulimus: tamen finē cuius gratia ista ponantur, subticuit. Dicendum igitur cū Suessa (nam licet supra male textum Aris. declararit Suessa, nunc ueritate coactus idem dicit quod nos in explicando philosopho dicebamus) positis duabus partibus definitionis communibus, nomini & uerbo & orationi enunciatiuæ, quibus ēt differebant ab aliis: nunc uelle constituere seu ante cognoscere differentiam, qua oratio differt a nomine & uerbo: & qua oratio enunciatiua ab oratoriis & poeticis optantibus &c. separatur. & quoniam quæ ponere oportet, et ante cognoscere, ut per se nota, nō nisi aliquo facili instrumento innui debent. nullo modo demonstrari, propterea ex simili seu hypothesi, et cōcesso, ac posito tertiam definitionis partem & differentiam manifestat. cū inquit. (ὥσπερ δὲ.) ubi, δὲ, pro enim Magentinus uertit. ut causam hic assignare uelit. ut Ammonius &. S. Th. dixerunt, de quo nunc differemus. ait ergo de antecedente syllogismi exposito. {sicut uel quemadmodum enim est in anima intellectus cogitatio, intelligentia. (νόημα enim ista significat.) aliquando quidem sine uero uel falso: aliquando uero cui necesse est horum alterum inesse.} Ex hoc posito & notiori antecedente infert quodammodo ignotum inchoantibus consequens. sic etiam & in uoce) ut signis & notis conceptuum erit, aliquando sine uero uel falso ut in nominibus & uerbis, aliquando cui necesse est iam horum alterum inesse: ut in oratione enunciatiua, Suessa uero ita ratiocinatur. quēadmodū in anima intellectus quandoq; est sine uero aut falso, quandoq; cui horum alterum inesse necesse est, ita & in uoce: hoc totum est propositio maior, assumptio & minor ibi. circa compositionem enim et diuisionē est uerum et falsum, & nō circa simplicia. ita ergo erit in uoce. Sed contra: quia minor hæc esse debuisset sed in anima est quandoq; uerum aut falsum, & ita probatio esset minoris ibi. {circa compositionem. n. intellectus et diuisionem est uerum aut falsum.} conclusio ut clara tunc relinqueretur. ergo ita erit in uoce. sed uere arguit ex hypothesi, non potentia cathegorico syllogismo. nam cum positionem quodammodo ignotam manifestet, nō syllogismo arguit. ex quo aliud ignotum natura concluditur, sed ex hypothesi, ut diximus. & infra dicemus. Præterea ut Commen. & Ammo. asserunt. ibi {circa compositionem enim & diuisionem} non minorem. sed approbationem unius partis antecedētis apponit. q; aliquando intellectus cum uero & falso sit. signum est particula {enim} quæ causam propositi denotat, scilicet quia uerum & falsum sunt circa compositionē, idest affirmationem, qua aliquid est alio componi significatur. aut diuisionē, idest negationem quia explicatur prædicatum a subiecto disiūgi. et uerū et falsum in compositione & diuisione sequuntur intētiones intellectus. i. sunt in anima, sexto metaph. 8. ergo erunt in uocibus seu uerbis significantibus ipsas conceptiones, ut Com. animaduertit. Ex his declaratis etiam patet, q; intellectus sit aliquando sine uero aut falso, idq; tanquā ex suo opposito perspicuū ut corolarium et cōsequens posuit cū ait. {nomina quidem igitur ipsa & uerba consimilia sunt ei intelligentiæ siue intellectui qui est sine cōpositione & diuisione}, i. sine uero aut falso. hæc exēplo manifestat substantiæ et accidētis: hominis, s. et albi. ut ex his omnia alia prędicamenta intelligantur. quando. n. his non aliquid additur, scilicet uerbum predicatum album cum homine subiecto coniungens, neque falsum neque uerum adhuc est. Hoc de nomine hyrcoceruī manifestat, nanque huiusmodi composita nomina uidentur uerum aut falsum admittere & non admittunt: ergo nec de quo minus: nisi uerbum esse affirmatum, aut non esse negatum addatur. simpliciter,

plicitet. quod præſentis eſt temporis, aut ſeundum tempus.i.præteritũ & futurum ut Cõm.explicauit. De Ammonij expoſitione dicemus tunc, cum ad dubia reſpõdebimus. Quærit primũ Sueſſa, qualis nã ratiocinatio Ariſ. fuerit (quẽ admodum in anima quandoq; intelligẽtia ſine uero aut falſo, quãdoque horum alterum neceſſe eſt ineſſe.) reſpondet. S. Tho. & Ammo. in tex. præcedenti. nedum a ſimili: ſed a cauſa quam imitatur effectus. procedere. nam Ammo. ait i circa enunciatiuam orationem quæ ex illorum complexu efficitur, uerum & falſum ſpectari. ante uoces quoq;, hæc circa conceptua cõſiderari. ut qui cauſæ uocum ſunt, a quibus conceptua ſimplices ſine ueritate, & compoſiti cum uero & falſo deſignantur & declarãtur: Reſponſionem improbat Sueſſa: quia cõceptus non cauſa ueri aut falſi in uoce tanq̃ forma ſunt: cum nullatenus ſint aliquid uocum: nec eorum quæ in uoce, non ut finis: cum conceptua prior ſit uoce & ueritate quæ in uoce cõſiſtit: nõ ut agẽs: quia res agens eſt, a qua oratio uera aut falſa uocatur. ſed nõ difficile eſt Am. & S. Tho. ſententiam & opinionem, a Sueſſæ argumentis defendere primũ, abſurdum affirmat. conceptua non tanq̃ formã eſſe ueri aut falſi in uoce, cum nec aliquid ſint uocũ, nec eorum quæ ſunt in uoce: Peto enim ab eo cum ſupra dixarit Ariſt. ea quæ ſunt in uoce &c. non niſi arbitriũ, & placitum. cognatio intelligitur: ut ipſemet cum locũ interpretans, opinatur: ergo cõceptus eſt aliquid exiſtens in uoce non ut opus naturale eſt, ſed arte. i. uoluntate, confictum. Itam ipſe confitetur uocem ſignificatiuum, commune genus nominis uerbi & orationis enunciatiuę uocari: nõ uocẽ, ut natura ſit opus. ergo uta cognitione, imaginatione uoluntaria effecta eſt: ut ſignum ſit ad aliud extra explicãdum relatum· Et ſecundo de anima 90. Auer. & Themiſt. ſumentes ab Ariſt. aſſerunt: eſſentiam uocis interpretãtis eſſe percuſſionem aeris anhelati, ad mẽbrum quod cãna dicitur, ab expulſione animæ imaginatiuæ uoluntariæ: et infra ꝙ in eſſendo uocem neceſſe eſt ut percutiens habeat animam imaginatiuam, & uoluntate t eſſentia ergo uocis pendet ab ipſo conceptu & placito relicto a poſitiona in uoce, tanq̃ forma: & uox (ut opus naturæ interpretans a placito) ab anima etiã tãquã agente, dependet: nã 89. & 90. ſecundo de anima. percuſſio reſpirati aeris ad uocalem arteriam ab anima (quæ in his partibus) uox eſt ut efficiẽte cauſa. hinc Cõm. in principio cõmenti ait, (oportet igitur ut percuſſio aeris anhelati ab Anima, quæ eſt iſtis mẽbris ad cannam, fit illud quod facit uocẽ) & in medio cõmenti: (primum enim mouens in uoce, eſt anima, imaginatiua & cõcupiſcibilis: & ideo uox eſt ſonus illius primi uolẽtis & mouẽtis.) Et quod etiã dici poſſit quodammodo ſine uocum, perſpicuum eſt ex his, quæ ſupra docuimus: finem uocum eſſe etiam res cõceptas: nam organa ad eorum opera, tãquam finem & ultima, dirigũtur. primo topic. 9. cum non propter, ſe. ſed propter alterum expetãtur: ſed uoces ſigna ſunt & notæ cõceptuum, ad quos explicandos referimus: fines ergo mediĵ, licet non ultimi uocabuntur: Ex his facile eius rationibus reſpondemus. Ad primam, ut patet, quod intelligẽtia, in uoce arte conficta relicta, eſt, ut aliquid uocis, i. forma. Ad ſecũdã quod nõ ſit finis, nõ ualet, id prius eſt, ergo nõ finis: Deus enim eſt prior motu & creatura, quæ ad Dei cognitionem deducunt, ut ſigna & effecta ad ſuum finẽ cognoſcẽdũ directa: ſimiliter dicatur de uocibus, ꝙ & ſi cõceptus priores ſecundum ſe eſſe dicantur, non tamen apud eos qui conceptus & res conceptas ignorant: ad quarum explicationẽ, ut ultimum, referuntur. Ad tertiam de agente dico: rem, agens remotum uocari: a quo intellectus phantaſticus ſimilitudinẽ abſtrahit: ſed anima, ut natura agẽns, uocem interpretantem (tãq̃ operationem propriam) efficit, et logico tradit: cui logicus proprium conſiderandi modum attribuens, ut inſtrumentum ſignificandi & explicãdi cõſideret, ac cognoſcit· Reſpondẽdum ergo eſt (ut eſt dictũ) Ariſto. ex hypotheſi, ſeu poſitione, & ex ſimili notiori procedere: quod (quemadmodum) particula denotat. Sed dices rationem a ſimili effectam ex ignotis cõcludere, nã ea, ex quibus hic ratiocinatur, ex tertio de anima 2 t. infra ſumuntur: hæc autem tanquam ardua, & inchoantibus difficilia, ut philoſophus, & relinquenda ſupra nos monuit: Satis huic rationi faciendum arbitror ex his, quæ ſupra etiam Ariſt. poſuit: nam propterea uox ſignum & nota exterius explicans dicitur, quòd a poſitione, & intelligentia, atq; arbitrio pendet: in eo præſertim artifice, qui uoces impoſuit: uel ab impoſitis & ſibi notis nominibus, regulas logicæ docet: in mente. n. artificis, & docentis inductione perſpicuum eſt (ut Ammonius animaduertit) notiorem artem eſſe, quam artẽ, ut exemplar, ad opus effingẽdum exterius aſpicit, quàm opus ex arte notiori in materia extrema relictum: manifeſtum eſt argumentum, ꝙ dixit Ariſt. non uoces: ſed ea, quæ ſunt in uoce, ſunt ſigna paſſionum, & conceptuum, ut naturalium ſimulacrorũ, & rerũ ſimilitudinum, i. conceptua a poſitionẽ (ut ratio) ſignificãt: qui in uoce tãquam artificiali materia relinquũtur: quorum ut uoces ſunt notæ: Ex his reſpondemus: rationem ex ſimili notiori, & ſuperius ab Ariſ. poſito, ex libris de anima proceſſiſſe: ꝙ ſicut in anima eſt aliquãdo intellectus ſine uero aut falſo, aliquãdo cum horum altero: ita & i uoce: & de uero & falſo loquitur (ut Alex. & Ammo. ac cæteri boni expoſitores affirmant) orationis enunciatiuæ, & de nominibus ſignificantibus a placito, nõ ut naturales ſunt ſimilitudines rerum. Sed dices ſecũdo me nũc pugnãtia dicere cum his, quæ antea contra Ammo. Boethium, & Scotum diximus: orationẽ dari in mẽte & notiorem eſſe ea, quæ in uoce cõſiſtit. Diximus ad hęc artis inuentoribus, uel iam inuẽtam docẽtibus, in eodẽ notiorem eſſe artẽ, ac cõceptiones cum uero, & falſo in anima, quam exterius opus effictum: ſic in propoſito, ex cõceptibus rationẽ compoſuit, notioribus a poſitione ſignificatis: qui quodammodo notiores: ut in ductione ſenſata patet. infra. n. ſectione quinta ex oppoſitione maiori in mente, explicat ita eſſe in uoce: Item placitum eſt cauſa, quamobrem uoces ſignificãt cum ſiũt notæ. Nec propterea quòd cõceptus ut cauſæ dicũtur. quos nomina & uočes tãquam ſigna & effectus imitãtur, aſſerẽdum eſt Ari. demõſtrãtem rationem efficere: nam hic hypotheticè ad præcognitionẽ partis tertiæ definitionis ratiocinatur: non igitur demonſtrationem effecit. quæ ad naturaliter ignotum dirigitur. ſecundo poſte. primo. nec illam (ut peritus ad rem per ſe notam) efficere potuit. ne ipſe ſuam præcognitionum artẽ cõſtituturus experimẽto cõtrario infirmaret. Itidem minime conſecutionem ualere dicimus: ratio ex cauſis eſt notioribus, ergo demonſtrationẽ propter quid aut ſimpliciter conſtituere affirmabitur. quoniã alterum & pręcipuum demõſtratio dicta requirit. ut ad ignotum naturaliter dirigatur, non ad præcognitionem ponendam, ut per ſe notam: nam primo poſte. 2. ueræ etiam definitiones, quid tantum nominis non ueræ definitionis uim habere dicuntur ab Auer. ut præcognitiones ſunt: ita & ſi hæc præcognitio ex cauſa monſtretur, non ut demonſtratiua, ſed ut ex ſimili accepta, & uiſa, & alibi declarata; propterea topica potius, quam demonſtrans uocanda: nõ topica, ꝙ ſit dubia, aut falſa, immo uera, ſed hic accepta alibi uiſa philoſopho, & hic poſita ut credita: de quo latiꝰ. Deo dante primo topic. dicemus. Quęrunt cur Ariſt. ficta protulit exempla potius quàm uera. Sueſſa ſumens (ut inquit) ex Ammonio ait. primo quia hæc conficta nomina falſum ſignificare uidentur: ut S. Tho. ait. Sed cõtra, quia ab Ariſto. dicitur. (ſed nondum uerum, aut falſum ſignificant. niſi eſſe, aut non eſſe addatur): ergo utrumq; ſignificare uidentur. Item cauſa aſſignanda fuiſſet, cur exemplis compoſitis (quæ uerum ſignificare potius etiã uidentur)

non utitur: sicut utitur his, quę falsum significare maxime affirmãtur. secundam causam adducit: ut innueret, non solum nomina simplicia ad ueritatem explicandã indigere uerbo: sed etiam ipsa composita: sed idem est dicẽdum de nominibus compositis ueris. nos autem de fictis proprie quærimus, ad quæ causa hæc non dirigitur. tertio dicit: ut innueret ueritatem non in rebus reperiri: sed in his etiam, quæ in intellectu sunt solo. sed nescio quæ ueritas dici põt, cui nihil extra respõdet in re: cum infra, & in postprædicamentis dicatur. ab eo q res est, uel nõ est oratio dicitur uera uel falsa. remota aũt causa, & prima radice, cętera destrui necesse est. itẽ Arist. de uocibus loquitur. Propterea mihi hoc liber dicere. hac de causa fictis exemplis suã sententiam comprobasse, q ficta a mera positione significãt: & ideo magis obuia, & perspicua, ac cõsueta sũt ad explicandum: ut quodãmodo notiora, ut magis uulgata, ex arbitrio plurimorum: ex his tamẽ fictis nominibus, alia uera intelligenda sunt. exempla autem innotescendi gratia inuenta, ex uulgaris & cõsuetis tradẽda sunt, & si ficta dicantur: quibus tamẽ uerum facilius inueniamus, aut inuẽtum facilius doceamus: Petit Suessa cur Arist. dixerit cõpositionem significare cum uero & falso, nõ autem significare uerum aut falsum? respõdet, hoc differre inter significare uerũ, & significare cum uero: quia significare uerũ potest uere in nomine simplici inueniri: u. g. hoc nomen uerum aut falsum, simplex uerum significat. i. se ipsum: sed significare cum uero, est significare cum uerbi cõplexu: ut de uerbo dicetur, significare cum tẽpore. non tempus: ut dies & annus: sed licet hæc dubitatio relinquẽda foret, cum id quęrat, quod in Arist. textu non est: tamen ne auditorum ingenia, ob uiri auctoritatem fallantur, ponere, & refellere constitui: non. n. Arist. dicit compositionem cum uero aut falso significare: sed ait. (circa. n. compositionem & diuisionem esse ueritatem & falsitatem.) itẽ de hircoceruo nomine asseruit. (hircoceruus. n. aliqd significat, sed nondum uerum aut falsum) de nominibus ergo oppositũ dicit ei, quod Suessa fingebat: nomina non significare uerum aut falsum, sed significare sine uero aut falso: Eius ergo responsio in textu Arist. infirmatur. cum de nominib. compositis neget significare uerum aut falsum: differẽtia etiã ab eo assignata uerbis Arist. aduersatur. Amplius nec potuisset Arist. dicere, compositionẽ, & diuisionem uerũ significare. nam cõpositio. i. affirmatio, & diuisio. i. negatio sumerentur in uoce. quõ infra de oratione enũciatiua dicetur, quòd sit oratio significans uerũ uel falsũ, & in qua est uerum, & falsum, ut in signo externo significãte: nam, oratio in mẽte, non significat a positione, ut hic intelligit. signum est, quòd de noibus simplicibus, & cõpositis sine uerbo, intulit dicens: (nomina igitur ipsa aut uerba consimilia sunt sine compositione, & diuisione intellectus. ut, homo, & album hircoceruus) quæ, & si aliquid simplex significent, nondum tamen uerum, aut falsum, hæc autẽ nomina in uoce sunt, non in mẽte, quia si ut in mẽte essent, considerẽtur, non dicerẽtur non significare uerum aut falsum, & quòd essent similia intellectui sine cõpositione, & diuisione: quia essent ipse intellectus, seu intelligẽtia sine uero aut falso: Dicendum igitur in quæstionẽ potius uertẽdum cur dixerit. (circa compositionẽ. n. & diuisionem, ut in mẽte sunt, est uerum, & falsum) de nominibus autẽ in uoce corolarie inferens, ait: (sine uerbo nondũ uerum, aut falsum significare.) Ad quod respondẽdum, quòd propterea uox quandoq; est sine uero & falso, quandoque cum his, quia circa compositionem, & diuisionem intellectus est uerum, & falsum: ex quo intulit de nominibus in uoce quòd sint sine uero & falso ex eadem causa, q similia sint intellectui sine cõpositione, & diuisione: circa quæ uerum & falsum uersatur, ut causam, qua posita, uerum aut falsũ ponitur. & hac remota (ut in nominibus sine addito uerbo uidetur, quæ similia sunt intelligentiæ sine compositione & diuisione:) falsum & uerum remoueri necesse est: propterea ergo dixit (circa compositionem) ut causam notaret: sed ad nomina in uoce descendens ait: (non significare uerum, aut falsum) significare enim proprium est nominum, quæ in uoce a compositione significante consistunt. Petit Ammonius quomodo uerum sit, circa compositionem & diuisionem esse uerum & falsum. Respondet non omnem ueritatem haberi in compositione & diuisione, ne excludatur ueritas apud Platonem in intelligibilibus, & intelligentijs siue mentibus, & apud Arist. de simplicium intelligẽtia & abstractis: sed eã quæ in pronũciatiuis sub est motib', scilicet cũ discursu: seu ratiocinatione: quæ per enunciatiuam fit orationem. & in motibus pronunciatiuis, non in uoce solum (intelligas) existentibus: sic enim textui Arist. & eius dictis aduersantia diceret. sed etiã in motibus pronũciatiuis, idest qui causa sunt ut per enunciatiuam orationem pronunciemus. ueritas ergo qua concipitur, aut enũciatur aliquid inesse alicui, solum circa cõpositionem & diuisionem est, ut species orationis enũciatiuæ. dixi eam ueritatem circa compositionem esse, quæ concipitur in mente, uel explicatur in uoce, & qua prædicatũ inesse subiecto affirmatur: quoniam primo topic. 4. loca accidẽtis propriè dicuntur, quibus potentes sumus cõcludere hæc alteri inesse: & ideo loca educẽtia uerũ enũciatiuæ propositionis dicũtur loca accidẽtis & ueritatis qua aliquid alicui inesse cõcipitur uel explicatur: Sciscitatur secũdo Ammonius cur Arist. dicens (nomina igitur & uerba consimilia sunt ei qui sine compositione et diuisione est intellectui) exempla protulit tantum nominũ, nõ uerborũ dicens, ut homo uel album. Respõdet per hominem nomen: per album uerbum sumpsisse: non ea tamen inquit ratione, qua uerbum propriè inferius definitur: sed quia Arist. statuit, omnem uocem, quę terminum prædicatum facit, uerbum appellandã. Sed responsio hæc improbanda uidetur primum q Arist. non dicet infra prędicatum uerbum appellandum fore: quod si etiam diceret, exemplum albi quod posuerat antea, ad explicãdum uere uerbum, inutile uideretur. Aliter igitur respondendum, his exemplis dicta inchoãtibus comprobanda, quę facilius constitutam sententiam approbant: uerba autem (ut dicetur) quandam compositionem significant, quã licet ex se non habeant, sed ex alio, ex compositis, scilicet cum uerbo nominibus: tamen ut nota prædicatum cum subiecto connectens, dubium faciunt, an uerum & falsũ significent. signum est: q Ammonius etiam tanquam dubium quærit de uerbis primæ & secundæ personæ ambulo, ambulas, & in quibus certa persona & certa statuitur ut ningit. quæ ueritatis & falsitatis uidentur capacia: licet non per se; sed complexu horum uerborum cũ certis personis. non ita dubium est de nominibus, de quibus in se acceptis hæsitat nemo, an ueritatem significẽt aut falsitatem: Quærit nouissime Ammon. quid intellexerit Arist. per simpliciter, uel secundum tempus cum ait. (hircoceruus enim aliquid significat: sed nondum uerum aliquid aut falsum, si non, uel esse uel non esse addatur, uel simpliciter uel secũdum tempus.) respondet sermonem Arist. ad eadem referens uerba, inquiens: nisi esse addatur simpliciter, idest nisi esse addatur indefinite & indeterminate significans: ut fuit hircoceruus, est, aut erit, non definiens, ac determinans an hodie, sero, an mane, perendie &c. uel secundum tempus, idest nisi addatur cum aliqua determinatione tempori addita præsenti, præterito, uel futuro, scilicet erat, est, erit, heri, anno superiori, hodie uel cras, aut successiuo tempore. quam tamen explicationem accipiens Magentinus uel in latinum uertens non intellexit: cum per esse simpliciter, & omnino, in, finito ac determinato tempore intelligat. ad tempus uero, & in tempore infinito. ut tragelaphus erat, uel erit, hæc. n. infinita sũt: sed est præsentis tẽporis, ait definitum esse: licet est, ut de Deo

non

dicitur infinitū significet: Idem, n. Deus, erat, & est, sed in alijs rebus, tempore non definito utimur ita. Hinc liquet, quod illud, quod Ammonius, tempus simpliciter & omnino idest indefinite & indeterminate significās, appellabat, Magentinus dicit esse tempus finitum et determinatū: et particula, quam Ammo. ad omnē temporis differentiam referebat, Magentinus ad solum præsens direxit. falsum igitur descripsit compendium. uana etiam est differentia præsentis temporis quod definitum sit, & præteriti & futuri quod indefinitum & indeterminatū: & si uera esse posset, si hoc, quod respondendo dicemus, intenderet. Nam Arist. infra cap. 4. exponit seipsum, cum inquit, (etenim hominis ratio si non addatur, aut est, aut fuit, aut erit, aut aliquid huiusmodi nondum oratio enunciatiua est &c.) est autē simplex enunciatio uox significatiua de eo quod est uel nō est, quemadmodū tempora discreta seu diuisa sunt. in præteritum etiam & futurum. ut Psellus Comm. & Ammonius exponendo asserunt, Ammonius etiam ad hunc se locum remisit. ergo Ari. utrobiq; idem intelligit. sed ibi per tempora discreta seu diuisa præteritum & futurum intelligit, ergo & hic tempus simpliciter, tempus præsens, & per secundum, tempus præteritum uel futurum: quæ propterea nuncupantur & sunt, quod uere tempus. i. præsens circumstant, iuxtaq; ipsum ponuntur: propterea dixit, (secundum tempus) quod non simpliciter & in actu est. sed quod præterit uel futurum est: solum præsens simpliciter & in actu est. ut recte. S. T. exposuit: Nec Suesse confutatio ualet, quod qualibet differentia temporis est tempus secundum quid: quoniam per aliquid ab alijs differentijs differt: quod aūt per partē est, secundum quid, non simpliciter tale esse dicetur: primo elenchorum. 4. Sed quam falsa hæc sit improbatio, patet, quia ens, cum in substantiam ens simpliciter diuidatur & accidens, in actū simpliciter, & potentiam secundum quid, nequaquam uere diuideretur: quia per aliquid differt substantia ab accidente, & potentia ab actu, & si proprie differentiam non habeant. Itē ratio fallit. si hæc species per aliquam differentiam (actu præcipue) differt, ergo per partem. igitur secundum quid. quoniam differētia dat esse substantiale, & ita simpliciter non secundum quid in esse constituit: pars ergo (a qua est esse secundum quid) accidens esse debet, non differentia essentiam specierum constituens: tempus aūt præsens ex actu cōstat differentia. non igitur tempus secundum quid cuiusmodi est tempus præteritum & futurū, quæ tēpora sunt, quia secundum tempus, idest iuxta tempus præsens, quod præterit, aut futurum est. Nouissime ambigunt. de literis quæ ad propositiones significandū & cum uero aut falso explicandum ponuntur, an enunciationes sint, uel nomina ac uerba simplicia. Non simplicia sunt, quoniam significare cum uero aut falso, non nominibus & uerbis secundum se conuenire Ari. affirmauit, sed enunciationi tantum: erunt igitur enunciationes, cum enunciationis proprium opus efficiant: Suessano uarijs Sorticularum dictis & improbatis sententijs, hoc uisum est: literas & nomina quo ad primam eorum impositionem, non significare nisi incomplexum, nec cum uero & falso: sed quòd quo ad nouam impositionem, significare possunt cum uero & fallo: propterea quod a positione sunt: nunquam tamen erunt propositiones aut enunciationes: propterea non ualere ait, a, significat cum uero aut falso, ergo enunciatio erit. quoniam inquit oportet in antecedēte addere. quod significet ex prima impositione, non autē ex noua institutione. Sed contra hanc additam conditionē ex proprio arbitrio. Enūciatio prima impositione significat proprie cum uero & falso. ergo ubi est proprium opus, necessario proprium erit instrumentum: neq; enim a noua aliqua institutione proprium opus a proprio instrō seiungi potest: propterea si. a. b c. &c. nouis aut antiquis consilijs & positione imposita sunt, ad uerum & falsum, seu (ut ipsi uolunt) cum uero & falso significandum. enunciationes igitur erunt: quæ et si actu & explicitè uerbum, prędicatum, & subiectum ut nomina non contineant, illa tamen ex imponentiū consilio complectuntur: exemplo simili Am. supra, cum dicimus curro, currit, ningit, pluit. complexu horum uerborū cum certis intellectis personis, cū uero et falso significant.

DE NOMINE, CAP. II.

TEX. BOETHII.

Nomen igitur est uox significatiua secundum placitum sine tempore: cuius nulla pars significatiua est separata. In nomine enim quod est equiferus, ferus nihil per se significat, quēadmodum in oratione, quæ est equus ferus.

Nomen quidem igitur est uox significatiua secundum placitū sine tempore: cuius nulla pars significatiua est separata: In nomine enim, quod est equiferus, ferus nihil per se significat, quemadmodum in oratione quæ est equus ferus.

POsitis & præcognitis partibus definitionis nominis ac uerbi, & eorum quę in procemio ponere constituerat, nunc ad definitiones, ponendas integras ac totas accedit: sed Am. quærit cur primo de nomine quā de uerbo definitionem assignet: respondet, propterea nomen uerbo esse antepositū, quod nomen substantiā. i. naturā & uim rerū significat: uerbum uero actionem atq; affectionē, quæ necessario naturam ac uim mouētē supponit. contra arguit Suessa. substantia non nisi per accidentia cognoscitur, prius ergo uerbum definiendum quam nomen: ad instantiā. Am. facile diceret substantiam cognosci siue describi per accidentia ut posteriora. accidentia uero per substantias definiri, ut priores: sic. n. Arist. primo naturam. 2. phy. quā motum finiuit, a quo motus, ut per se principia, prouenit & materiā primo phy. 81. quā formā. 2. phy. 3. quæ a materia cui unitur et dat esse sustentatur. Aliter ipse respōdet propterea nomen uerbo prætulisse, quod notius est: & uerbū cognosci non potest nisi cognito nomine, nam significat esse, quod sine extremis non est intelligere. Sed cōtradicet quispiam: idem Arist. de uerbo dicere. quod inquit de nomine. hyrcoceruus. n. aliquid significat. sed non uerū aut falsum, si non uel esse aut non esse addatur: absq; quo nomina uerum aut falsum significare nō possunt: sicut enim nomen uox est significatiua a positione, cuius nulla pars significatiua est separata, ita & uerba secundū se dicta nomina sunt. i. idem simplex significatum habentia, quale proportione habēt nomina ipsa secundū se dicta: nā significāt aliquid simplex, sed nondum si est. uel non est. i. uerū, aut falsum: cuius uerbum, tunc signū esse affirmabitur, nō quando secundū se, ac purum dicetur. Ipsum. n. sic purū nullū ueritatis & cōpositionis, a qua uerum explicatur, est signū, sed cōpositionē ac ueritatē consignificat quandam, non per se, sed quam sine compositis nominibus nō est intelligere: si ergo hac de causa nomen præponit uerbo quod notitia uerbi in compositione uerū explicantis, nō pōt intelligi sine nominibus compositis: ita et nomina, uerum in cōpositione explicare sine addito uerbo nō possunt. Dicas quod uerbū etsi compositionem extremorū actu non dicat, actionē tamen, & affectionem significat, quæ causa est, quod prædicatū seu appositū subiecto siue supposito coniungatur, uerbū ergo semper est unio cōiūgēs (aptitudine saltem) cum in propositione nō est; sed cū secundum se, ac purū accipitur, nomina uero sunt cōposita, seu quæ apta sunt per actū uerbi coniungi, propterea nomina pendent a uerbo, quasi forma uniēte, et uerbū a noīe quasi materia, quæ uniri habet per uerbū: ut materia aūt, tempore præcedit formā, & prius, ut facilius & ordine necessitatis nomen antea finiēdū: uerbū uero, que uniēda sunt, præsupponēs, posterius ut ignotius et tpe posterius explicādū quā-

uis igitur in uero significando & compositionem, utrūq; uteoq; indigeat, uerbū tamen indiget nominibus tanquā materijs & coniunctis, seu quæ coniungi possint per uerbum, nomina uero uerbum supponunt, ut formam cōiungentem & unientem per actum suum, qui ignotior est, & ordine necessitatis posterior. nomen igitur finiens, inquit: {est uox} quæ loco generis ponitur, ut Ammonius asserit ad nomen uerbum & orationem collata. sed ad sonos, qui sæpe etiam eduntur ab inanimis loco differentiæ exprimitur. ut fistulis & tibiis {secundum placitum siue ex composito} ad differentiam uocum natura, non instituto, constitutione, & consensu significantium: quales uoces brutorum sunt: canis enim uox, domini aduentum significans, non ex instituto: & gemitus à natura humana editus. cachinnus in pueris. in surdis inarticulate uocantibus. ex enim non conceptus aliquos ex consensu, sed affectus significant, ac dispositiones: de qua expositione licet ueteribus cum Ammonio contentio hactenus nulla fuerit: mihi tamen aduersandum uidetur. nam secundo poster. cap. 23. apud Themistium. definitio ex duabus rebus perficitur. genere & differentia ultima quod à suo præceptore Arist. sumpsit. secundo poster. apud Comment. in commento magno 79. Quem textum subtiliter Themistius interpretatur per summam, nulla seruata uerborum paraphrasi: Ari. enim manifestans tertiam definitionis conditionem, earum quas. 78. tex. narrat uidelicet neq; quicquam superfluum neque diminutum habere: approbat: quoniam definitio ex primo, idest proximo genere & ultima differentia constituitur: quod autem primum & proximum continet, & ultimum, omnia continere dicetur: Obiicies Ar. Pugnantia hic dicis cum præcedentibus. tex. 78. ubi definitionis partes in quid prædicari, & cum ordine differentias collocandas dixisti. Ad hoc animaduertens Ari. cum Themistio, inquit: at genus quidem igitur est primum. & hoc, cum, differentiis uel simul est sumptum, quasi dicat, Arist. definitionem asserunt. ex genere illo constitui, quod primum. & differentiæ ultimæ proximum est: nam (ut Themistius ait) ex genere dixit quia omnes differentiæ ante citimam, si cum genere committantur, integrū genus unum attollunt, idest efficiunt: & idem Ari. ait genus est primum, & hoc cū prius simul cum differentiis communibus, non proximis seu ultimis est acceptum: quod probat. quia sic uniuersæ, & communes differentiæ omnes sunt cum ipso genere proximo sumptæ: & tantum ultima differentia post primum genus sumenda relinquitur. ad quod nouissime dictum confirmandum talem rationem inducit. non enim differentia citima & ultima, ulterior et posterior assignatur: sed (ut posuimus) definitio ex genere primo, & ultima differentia constat: non ergo posterior dabitur. secundo idem manifestat: differentiæ termini appellantur. ita ultimum & extremum, quinto metaph. 22. & speciem genus partientem constituunt. si ergo plures in definitione differentiæ ponerentur, specie ex differentiis constituta differrent: sed supra dictum est idem speciei, ex genere primo & differentia esse conflatum, ergo tantum una erit differentia: cum terminus sit & extremum: quia species sicut numeri differunt: idcirco de prædicatis. primo top. quarto considerans, differentiam uniuersalem, (ut aiunt) & communem reliquit: propterea quod ad genus refertur & ultimam, quia ad proprium & definitionē reducitur: his monstratis manifestum est. cum initio ponere quid sit nomen, uerbum, negatio, affirmatio, oratio, enunciatio constituerit, horum autem primum & proximum genus est totum hoc. ad quod communes differentiæ reducuntur. (uox significatiua a consilio.) reliquæ uero partes (sine tempore) ut proprie a uerbo differat. (cuius nulla pars significatiua est separata) ut & ab oratione, ac alia ex nomine & uerbo compositis. clarum est argumentum eius quod proxime diximus, quod Ari. uerbum definiens nihil primi ac proximi generis meminit: sed propriam differentiam posuit qua differret à nomine quod consignificat tempus, & ab aliis compositis, quod eius pars nihil extra significat: Notat Ammonius sumens ex Ari. in libro poeticorum cap. 7. uocem significatiuam, esse literatam, idest articulatam quæ literis scribi possit, ut membra suis distinctis articulis componuntur. nam ibi nomen definiens ait, (nomen est uox ex elementis composita significatiua.) Sed hic ab Ari. illamet particula cur non ponitur? Dici posset intelligendam esse, ut claram, qua ratione forte infra orationem diffiniens, dicet (oratio est uox significatiua) omittens, a positione: licet posterius explicet: ut etiam poeticorum libro, de nomine posuit, (est uox composita significatiua &c.) sicut ergo, utrobique significatiui nomine, à consilio significare concipitur, ita hic, si uox significatiua est, necessario articulata erit: uel similis articulatæ effecta esse debet. uel dicas nomen & alia hic poni & definiri, ut ad interpretationem per uoces rerum conceptarum significandam referuntur: at literarum seu elementorum consideratio ad grammaticum & poetam proprie spectant: ut carmen differre faciunt figuris orationis, & locis, crassitudine &c. breuem aut longam syllabam facientes. Non ita à libro hoc intenduntur: Quæres si ad differentiam orationis ponitur (cuius nulla pars significatiua est separata) oratio autem est duplex imperfecta, homo iustus uel albus, uel animal gressibile bipes: & perfecta: ad cuius horū differentiam, particulam illam apposuit? Ammonius a quo. S. Tho. licet exemplo diuerso ait. ad orationis imperfectæ differentiam positam. Sed tantorum uirorū pace, ad orationis perfectæ ex uerbo differentiam etiam assertam arbitror. nā differētia ista ultima est qua differt ab omnibus aliis in procemio positis. cum ultima differentia sit per se, igitur de omni. quod ex sua opposita differentia orationis palam fit. infra enim dicetur (oratio autem est uox significatiua cuius pars aliquid significatiua est separata, ut dictio: sed non ut affirmatio & negatio: ut homo aliquid significat: sed non quoniam est, aut non est:) igitur perfectæ etiam ex uerbo orationis opposita differentia assignatur. Item particula hæc ponitur, ut per eam nomen, & uerbum ab oratione enunciatiua etiam differret, nam ut Ammonius supra exponendo dicebat. cum illæ particulæ supra nominis & uerbi præcognoscerentur, quemadmodum in anima aliquando quidem intellectus est sine uero & falso, aliquando uero illi necesse est alterum horum inesse, sic in uoce. secundum dicebat tantum in oratione enunciatiua inueniri: quam necesse est omnē ex uerbo constare: posita igitur est hæc particula, ut nomen ab oratione enunciatiua etiam, & affirmatione, & negatione distingueretur: licet de imperfecta habente diuersa nomina & significata ex imponentium arbitrio uera etiam sit: quod exemplo, quod hic Ari. posuit in oratione, (quemadmodum uerum deprehenditur in hoc oratione bonus equus:) quibus uerbis permotus Ammonius, suam sententiā confirmauit. sed ut retulimus ad omnium differentiam posuit licet in primis ut ab oratione imperfecta differret. quoniā ex hoc quod Ar. ait (cuius nulla pars separata significat) uisus est ad illud referre, quod ait in definitiones rationis, quod sit uox cuius aliqua partium uel aliquæ partes (ut in poetica) separatæ significant: quæ definitio (ut Aristoteles ait) per se primo imperfectæ orationi conueniens est: ergo si per hanc particulam differt nomen & uerbum ab oratione, igitur primo ab oratione imperfecta. hoc puto diuum Thomam & Ammonium dicere uoluisse. Maluit autem Ari. nunc, imperfectæ orationis exemplum proferre, quia illa tantum ex diuersis nominibus ac diuersa significantibus constituitur: perfecta uero ex nomine & uerbis conflatur. uerba autem ignota adhuc fuerant an per se significent diuersum à componentibus cū significare uideantur, ut nota, prædicatum cum subiecto coniungens. & (ut quodam-

dam-

dammodo ignotum) infra de uerbo considerans, declarabit. Ex his patet nullam nominis partem separatam significare diuersum ab eo, cui prius est nomen impositum. si enim de composito nomine, significare negatur diuersum ab eo quod initio illi ad significandum impositum est. magis de simplicium nominum partibus erit negandum.

TEX. BOETHII.

At uerò non quemadmodum in simplicibus nominibus, sic se habet in compositis. In illis enim nullo modo pars significatiua est: in his autem uidetur quidem, sed nullius est, separata: ut in eo quod est equiferus hoc, quod est ferus. Secundum placitum uerò, quoniam natura, nominum nullum est, sed quando fit nota. quoniam designant & illiterati soni, ut ferarum: quorum nihil nomen est.

At uerò non quemadmodum in simplicibus nominibus sic se habet in compositis. In illis namq; nullo modo pars significatiua est, at in his uidetur. quidem, sed nullius est separata. ut in eo quod equiferus est. ferus. Secundum placitum uerò, quoniam natura, nominum nullum est. sed quando fit signum. quoniam designant & illiterati soni ut ferarum quorum nihil nomen est.

Missa nominis explicatione, quod uox sit significatiua prę nota enim hæc (aduersante nullo) superius fuerant. declarata etiam extrema particula quod nominis nulla pars significatiua sit separata: ut magis perspicua, quàm secundum placitum, in qua plurimi aduersantur. nunc explicandum est quod a consilio nomen significat: ratio autem ex opposito supra explicato. talis est: quoniam nullum nominum est, idest habet esse & naturam nominum. cum natura est, idest quando ut opus editum a natura cōsideratur, sed quando fit nota & signū a consilio, & ex nomina imponentium arbitratu. posita enim nota, essentia nominis ponitur: & ea remota, nominis essentia remouetur: & nihil dicitur nomen esse, cum naturæ opus (uox. scilicet) nota non fit, idest nihil ad rationem logicam notificandi nominis propriam & finem institutū interpretationis cōferens: neque enim significare & interpretari conceptus res poterit. secundo de anima 89. nisi a positione significent: quoniam designant a simili exemplo manifestat in sonis illiteratis ferarum, qui propterea quod opera sunt dumtaxat naturæ, & notæ ex imponentiū consilio effectæ nō sunt, nullum, uel nihil ipsorum est nomen: hinc potes colligere, uocem significatiuam a positione literam necessario esse: dixit ferarū soni, non uoces significatiuæ, quoniam secundo de anima 78 79. uoces significatiuæ, ut interpretantes, a cognitione & imponētium uolūtate proueniunt: cuiusmodi non sunt ferarum soni, nomina ergo, ipsi soni non sunt, licet ipsis sonis nomina a positione & consilio imponantur: ut Ammonius & S. Tho. notarunt. nec ideo sonos, non uoces ferarum asseruit, quod quædam animalia uocem non habent, quia carent pulmone. quoniam hoc quod de ferarum sonis Aris. affirmauit, nō quibusdam tantum animantibus conuenit, sed uniuersis quæ cognitione & mente ac uoluntate & arbitrio uacāt quorum soni a natura sunt editi. Quærit Ammonius, an Plato Arist. aduersetur. cum in Cratylo Socratē introducat aduersus Cratylum dicētem, nomina a solo imponentium instituto significare. Respondet distinguens. quod significare natura & positione. dicitur duobus modis. primo ut nomina dicantur natura significare, idest quasi sine naturæ opificis a lingua &c. prodeuntia: ut sensus tributus est natura aliis sēsibus, uidere uisui, ita male Cratylus ait & Heraclitus, quia nomina, imaginibus naturalibus, umbris, s. & his quæ in aqua & speculis representantur comparabant. alii, secundo modo sic natura esse nomina aiunt, quasi rerum (quæ ab ipsis nominantur) conuenētia naturæ, & aptè se habens ad res, obseruata ab impositore iuxta propriam rerum naturam; ut Archidamus dicatur, qui principis sit præditus prudentia: Archesilaus princeps populi: Agesilaus dux populi: & ii non asserunt nomina similia esse naturalibus imaginibus, sed his quæ a pingendi arte proueniunt: quæ ex uno uel pluribus exemplia ut magis uel minus accedūt ad illorum rationē, diuersa conficit simulacra: ut patet pluribus imaginibus eiusdem hominis &c. ut magis minusue ad eius exēplar accedit. similiter positione dupliciter: ut quamq; rem cuiq; homini liceat, quouis nomine appellare, ut Hermogenes ait & hoc primo modo oneroso positionis ut bene res cedat, ac experimento sensuū consonet, in imponendis primum nominibus in singularibus, quæ omnibus modis mutari possunt. nomina positione significant: secundo modo, ut a solo nominum auctore imponi nomina possint: & hūc rerum naturæ scientem esse oportet: qui nomen cuiusq; rei naturæ propriū, diceret: & hac ratione, nomina significare positione (quæ naturam significant sempiternam) dicuntur: quod nō natura sed rationalis animæ indagatio docēdo, aut discendo, ac rerum naturas seu alias rerum proprietates aspiciens, nomina procrearit: Ex quibus uerbis, Suessa suam opinionem accepit: licet Ammoniū non intelligens, increparit: Nam eius responsionem (quam breuissime concludens) ait: Ammonium affirmare. nomina quo ad ethimologiam, naturalia esse, sed quo ad significationem ipsam, ab institutione. sed hoc neq; ad uerba, neq; ad sensum uidetur accedere: Ammonius enim inquit, (nomina a natura significāt, & aptè se habent ad res, obseruata ab impositore iuxta propriam rerum naturā: sed a positione ut imposita a positione eius, qui rerum naturas uniuersales, & proprias a nobis comprehēsibiles cognoscit:) Illa igitur nomina, quæ dicūtur significare natura, illamet a positione significant, diuersa tamē quam diximus ratione. significatio itidem, a natura dicitur, & positione: natura, ut apte imposita iuxta rerum proprietates. a positione, ut imposita est ab impositore, obseruatione tamen animæ rationalis præmissa. Suessa Ammonii responsionem refellit: primò quod ambiguū casu, idest æquiuocū tolleretur. Sed ad hoc facile diceretur, quod illud significare positione diceretur ut impositum ex arbitrio est: & natura, ut aptè ad rem non unam, sed plures refertur: quas æqua uoce, plures ac diuersas significat. Præterea Ammonius ait nomina imposita singularibus, quæ omnibus modis mutari possunt; primo modo positionis onerosæ significare, non natura: è quibus nominibus Suessa ambiguū casu cōfingit prope finem. Eiusdem Amm. ait, propterea nomen ex cōposito significare Aristoteli quod cū primo ortu nomina imponūtur, nec naturale simulacrum appareat, aut totum hoc artificiale simulacrū esse uideatur, unde totum nomen artificiale diceretur: quod casu imponitur: non obseruatum ab eo qui rerum naturas considerat, quibus nomina inuenta coaptet. secundo arguit Suess. sicut in natura contingit aliqua esse casu, quorum nulla causa dari potest, nisi per accidens, ita in arte. Ad hoc tam ex his quæ diximus patet responsio. datur enim æquiuocum. nec ut uerum affirmandum est, casum respondentem rebus naturalibus in arte æquiuocum esse: nam hoc fallaciam equiuocationis, & apparentem elenchum constituit: casus nāq; (quem in natura concedimus) raro contingit. & dato simili, ratio non concludit: quoniam sicut casus a natura intentus non est, neque nomen æquiuocum a casu ab artifice intenderetur: neq; ex instituto etiam hisce rebus nomen imponet: sed casus in arte tunc continget quando regula per se deprehenditur uera in omnibus, aut in pluribus, per accidens falsa, ob aliquid non intentum a regula: sicut ca

sus in natura contingit tunc, quando natura per se operãs a materiæ cõditionibus impedita, præter finem institutũ aliquod opus producit. propterea Suessa respondet, nomina in uniuocis & speciebus significare natura, idest a proprietate rei, (licet in multis nos lateat) sed in æquiuocis & singularibus, casu significare, quia casus aliud id fecit, ut plurimis idem nomen imponeretur. Sed mihi Arist. uerba, ac sensum cogitanti id nõ uidetur: ait.n. (secundũ placitum uero, quoniam natura nominum nullum est, sed quando fit nota:) essentia ergo omnium nominum tunc cõstabit quando nota & signũ fingetur. Præterea liber hic ad artes & scientias habẽdas refertur. eæ autem singularia (tanquam cognoscendi aut sciendi rationes) omittunt. & tanquam ambigua fugiunt. Item sermones philosophi per se summa arte intelligendi sunt: id autem tunc fiet, cũ nomina in suo primo ortu considerentur, non cum orta iam sunt, & imposita: Et Ammonius dixit cum primo ortu nomina imponuntur, nec naturale simulacrũ appareat, nomẽ primo impositum totũ artificiale simulacrũ, & imago afficta dicetur: & Arist. {a quo sumit} etiã ait {natura nominum nullum est, sed quãdo fit nota} libere & ex arbitrio scilicet: tunc enim fiunt notæ cum ex instituto noui & effecti consilii pendent: quod autem fit, æternũ esse non potest: itaq; sermo Arist. ad species æternas, aut indiuidua caduca arctandus non est, sed ad omnia per se referendus. Amplius rerum scitæ aut notæ proprietates sunt omnibus eædem: nomina uero nulla sunt eadem: nũ ergo primum imposita nomina a rerum cognitis aut scitis naturis dependent. Ad hæc analogia, quæ comparatio proportione dici potest non uniuocum est, neque species. hęc tamen a rerum proprietate nouatur, ex nomine tamen latino translato a comparatione & proportione, in qua naturale simulacrum apparet. Dicendum igitur cũ Ammonio cui Cicero assensit, ꝙ nomina aut considerantur, ut primo suo ortu imponuntur nouis rebus, uel ut a primo impositis deducuntur & transferuntur. primo modo per se sumi dicuntur, & sunt & a natura & a positione: a natura quidem quia ad interpretationem rerum conceptarum ex earum proprietate diriguntur, a positione uero quia ex imponentium arbitrio pendent. secundo autem modo non per se quidem a natura esse dicuntur, sunt tamen & ipsa a natura in eo ꝙ primorum nominum originem præsupponunt quę a rerum proprietate fluxerat. Et sunt etiã a positione quia & hæc ex arbitrio imponentiũ pendent. non tamen hæc esse primo ortu translata, nõ primũ, orta, facte, imposita cõcedentur. Cicero ait. aut enim noua rerum nouarum facienda nomina, aut ex aliis transferenda, ꝙ si græci faciunt, qui in his rebus tot iam secula uersantur, quanto magis id nobis cõcedendum est, qui hæc nunc primum tractare conamur? & alibi, factis tamen nominibus, ac nouis uti? & alibi ait: sunt enim nouis rebus, noua ponenda nomina. Item utendũ erit his, aut factis uerbis, aut uetustis, aut translatis. uerbũ (de oratore ait) aut trãslatũ, aut factũ aliunde, aut mutuo, aut factũ ab ipso, aut nouũ, aut priscum, aut inusitatẽ, ꝙ si priscum erit, in propriis numerabitur: nominemus, fabricemur, si opus erit uerba. perspicuum ergo est, non de indiuiduis & ambiguis casu tantum dicere, sed uniuersatim de omnibus: & ꝙ faciẽda, & nouãda, ex arbitrio sunt nomina, non solum transferenda: similia Cicero ait in aliis sexcentis locis. Potest autem & aliter hoc quęsitum distingui si dicamus non quæri, an nomina signa sint afficta, & facta ab arbitrio, consilio uel natura. quia ut effectus naturæ, clarum est ꝙ nomina nihil significant: sed quando fiunt ab arbitrio sunt notæ. sed quæstio est de recta nominum significatione: an uera & recta nominũ significatio sit a uoluntate, an ex natura rerum: ut cum litera & syllaba rerum naturæ conueniunt, recte significent; cum uero rebus conuenientia non enunciant, non recte: an cũ iuxta uoluntatis arbitrium est recte, cum cõtra non recte significent. Sed adduces tu, rationes Platonis, ꝙ a natura rerũ proueniat, nõ arbitrio. quia bonus, & malus homo nõ dicitur, et oratio uera uel falsa in post prædicamẽtis, & sexto metaph. nisi a re ipsa. item nominatio, est actio quædã; nomen uero instrumentum quo illa fit operatio. sed actio & instrumentum tunc rectum est, quando iuxta naturam rerumq; naturæ respondent: sic ergo locutio erit. patet hoc de arte textoria: quæ tunc recta dicitur, quando operi intexendo proportione respondet. Amplius perspicuũ est de nominibus deorum ac regũ. Item sexto topic. 2. in libro poeticorum cap. septimo, & tertio rheto. trãslatio fit ex aliquo simili in re. præterea octauo metaph. sicut res se habent ad esse, ita ad nomen: nam substantia & accidens sicut habent se ad esse, ita ad nomen etiam. septimo metaph. t. 4. 17. Sed ad hæc distinguendum & ita dicendũ uidetur. nomina tribus modis esse: principalia ab alio principaliori nomine non deducta: & hæc prima dicuntur, alia sunt deriuata, ab alioq; deducta, ut casus nominũ qui solo mutatione ultimæ syllabę a principali nomine deriuantur. alia uero translata sunt, cum, prius unũ, postea ad significandum & explicandum alterum assumuntur quod fit propter eorum similitudinem, ut risus qui propria & imprimis hominis operationem significat, ad florere ob similitudinem hilaritatis transfertur. hanc distinctionem Ammonius & Cicero approbant. His positis & concessis respondetur, duobus dictis: primum, prima seu noua & primo ortu nomina, rectam significationẽ assumunt ab impositione et uoluntate: quoniam ante impositionem uoces erant puræ nil significantes, indifferentes ad hoc, aliud ue significandum, & tamen recta fuit impositio. Item exemplo indiuiduorum quæ semper nascuntur clare monstratur. cum his nomina casu, & ex nulla rei proprietate ponantur. hæc duo asserta ex Amm. uerbis deduximus. Amplius illa prima nomina ad rectum uocũ finem, interpretationem rerum conceptarum. sexto topic. secundo, diriguntur & cõstrum. uere ergo nomina erunt dicenda. Amplius prima nomina sine experientia in antiquis fuerunt: nam primũ admirari sine recta experientia & arte cœperunt: inexperientia autem casum efficit: ergo prima nomina casu finxerunt, quę postea arte cõplentur. Item inuentores nouarum artium & scientiarum, nouatores etiam primorum nominum erunt, secundum dictum siue conclusio. deriuata & translata nomina, rectitudinẽ habent significandi, ac conuenientia ipsorum cum rei natura: non per se rationẽ uocis, ꝙ similis rei naturæ dicatur: nam genere differunt: sed ratione rei, quã utraque nomina significant; quoniam transferentes ex aliquo simili in re transferunt: trans latio enim inuenta est ad res facilius explicandas: quod non est, nisi ex rerum explicatarum similitudine. ut de uerbis ridere, & florere in hilaritate similibus, supra exemptum protulimus. Ex his, Platonis rationibus facile respondetur. hominem bonum et malum uocari & orationem ueram a re exterius respondente esse, & significationem sortiri a nominibus, tamen non primis, quæ uoluntate & casu ponuntur: sed deriuatis & translatis, qualia sunt regum nomina, quæ Plato ad suam opinionem confirmandam adduxerat. Ammonius alia magis exquisitam nominis definitionẽ assignat: quoniam uox non generis, sed materiæ rationem ad nomen uerbum &c. habere uidetur: propterea exquisite definiẽs ait: Nomen est nota ex uoce significante ex compositio, sine tempore, cuius pars nulla separata significatrix est, substantiam quandam, uel personam declarans. nunc enim uerum traditur genus: sed quæ ante hac ab Aristo. in definitione nominis tradita sunt: in cognitionem deducunt nominis ex prima materia atq; forma. & exẽplo arte factorum, suum dictum confirmat: uelut si sedile explicare quis uolens, satis ducat, ad explicandam eius notionem,

nem, si dicat: est lignum tali figura structum, tamen si exquisite liceat dicere, sic finietur. est instrumentum ad hoc utile, ex ligno, tali fabricatum figura: sic enim infinitam nominis uerbi & orationis uim significatricem explicamus. Sed si Ammonius Arist. diminutum & minus exquisitũ appellat, quid mihi pro Arist. meritis in eum dicendum foret? sed bona uenia peto ab eo quoniam philosophus et logicus est: Definitio accidentis concreti, siue coniuncti, ex materia, loco generis assignatur. septimo met. 17.18.14 sicut rerum naturalium ex materia. secundo phy. 18.19. et artificialium ex rebus naturalibus, ut arte effectis: Cum ergo nomina, ut secundo intellecta, accidentia sint in anima, ad alterum, id est rem explicandam relata, quorum fundamentum sit uox non ut opus naturę est, sed ut ab intellectu cognita, & a uoluntate iam uolita, & hominum consensu & instituto probata: ad res conceptas explicandas, ut terminum ad quem referuntur. uox ergo sic concepta, uolita, & instituta, loco generis in definitione locanda non est nota. Præterea definitio eius superfluum continet si enim nomen nota est: minime addendum est, ex uoce significante ex composito: nam idem est, significatricem esse ex composito, & esse notam. huius manifestum est argumentum: quod modo Arist. de nomine, quod ex composito significet, declarauit: (natura enim, inquit nominum nullum est, sed cum fit nota) idest ex composito & instituto significans: Ammonius ergo uolens diminutam reprehendere Arist. definitionem, tantis ac tam ornatis indicijs, testimoniis, & rationibus comprobatam, iure tanquam superfluus extitit increpandus: Item definitiones accidentium concretorum siue coniunctorum, in recto, non obliquo subiectum, & materiam propriam continent: nomina autem concreta esse dicuntur, ut notam & arbitrium in uoce cognita, uolita, continentia: per uocem ergo, tanquam genus in recto, non per notam tanquam differentiam, ex uoce in obliquo, definienda sunt. Præterea supra Arist. dixit, ea quæ sunt in uoce, sunt notæ: uox ergo est quæ arbitrium continet, & quæ significare dicitur: sed notæ, idest arbitria sunt ratio & forma, qua uoces significant: Ad hæc definitio per euidentiora tradenda est: uox autem manifestior est, nota ipsa, & magis ad interpretationem rerum conceptarum conducens. per uocem ergo, non per notam fuerunt nomina finienda. Dubitabis, si uox significans a consilio dicitur, ergo forma artificialis adiuncta erit uoci: quare cum non substantia sit, ergo accidens. non absolutum, ergo respectiuum. sed cum fundamentum sit reale, scilicet uox, & terminus res explicata, ergo uox accidens relatum & reale dicet. Ad hęc supra respondemus, uoci additam esse notam a consilio, quia est significans non ut opus naturæ est, sed ut effictum ab arte, uolũtate, & arbitrio instituentiũ: a quibus uoces, ut cognitę, uolitæ & arbitrio institutæ, ad res conceptas cognitas & uolitas explicandas referuntur: & denominatione externa uox (opus naturæ) signum uocatur: ut cognita, uolita, & instituta ad aliquid exterius commostrandum: ut de signo nouo militibus ad profectionem, aut committendum prælium dato, supra Ammonius patefecit: non ut Suessa signum de urina ad sanitatem monstrandam, falso produxit: quia ipsa re, urina sanitatem demonstrat, non autem ex intellectu ita cognoscente, sanitatis sit nuncia.

TEX. BOETHII.

Non homo uerò non est nomen: at uerò nec positum nomen est, quo illud oportet appellare: neque enim oratio, neque negatio est: sed sit nomen infinitum, quoniam similiter in quolibet est, & quod est, & quod non est.

Non homo autem non nomen: nec ergo positum nomen quo oporteat illud appellare, neque enim oratio neque negatio est! sed sit nomen infinitum, cum similiter in quolibet sit, & quod est, & quod non est.

Ammonius uult: quia sæpe indefinita nomina in enunciationibus assumuntur, quæ nomen nullum ab antiquioribus meruerunt, & ne eædem uoces obterentur cum ueris nominibus, quæ eædem non sunt, nunc docere quo nomine sint appellandæ. sed quamuis ista ab Ari. [illegible], ad alium tamen finem suam intentionem direxit: quia totum (quod plures sub se species continet, unam tamen simpliciter, et absolute: alteram autem secundum quid, & cum conditione) perfecte cognosci non potest, nisi proprijs & distinctis rationibus cognitis speciebus: modo (ut subtilius quã cæteri Comment. perspexit.) nomen aliud est finitum, aliud infinitum: rectum & non rectum: ergo proprijs et distinctis rationibus ac nominibus cognoscenda hæc sunt. Hinc clarissime liquet, quam uana Sorticulatum sit explicatio, & Petri Hispani, & nouissime Suessæ, cum dicũt Aristot. duo hæc uelle a nominis definitione reiicere, indefinitum & obliquum. his primum Arist. aduersatur hic de uerbo considerans et dicens: nominis et uerbi communem rationem his omnibus conuenire: ut Ammonius recte ad hoc animaduertens asseruit: licet non simpliciter & absolute eadem ratio sit ut infra dicetur. quæres igitur ab Aris. cum nomen aliud sit finitum aliud uero indefinitum siue indiscretum: indefinitum, quale sit nomen: an simpliciter & absolute, an secundum quid & cum conditione sicut priuatio (unum principiorum) ens dicitur, non omnino non ens. duodecimo metaph. [illegible] r. sed ens, ut priuatio contrarii in materia ente potentia existentis: Respondetur infinitum nomen, non nomen dicendum simpliciter, & absolute: nomen enim absolute prolatum, pro potiori sumendum est, idest pro nomine simpliciter & absolute significante habitum unum: non pro nomine significante priuationem eius nominis, quod ad habitum & positiuũ aliquid signandum impositum extitit. Petet aliquis huius sic absolute dicti, causam & rationem. Am. ait quod Ari. non putat huiusmodi nomina, simpliciter nomina appellari: quia unius naturæ significatiuum est simpliciter nomen: sed singulæ, huius generis indefiniti nominis uoces, unum id tollunt, quod absque negatione prolato nomine indicatur: sed præter illud, omnia quæ sunt, quæq; non sunt inuehunt: ut non homo non dicitur & prædicatur de homine, sed cane, hycoceruo &c. & de his quæ sunt, & non sunt: & propter hoc totum uocari nomina infinita præcepit: Ab Ammonio Boethius sumpsit, cum ait: unã negat & infinitas ponit: De quorum sententia nunc nunc dicemus, postquam uerba textus ac sententiam explicauerimus: Quispiam ergo ab Ari. sciscitabitur. Si nõ homo non nomen dicitur absolute, & simpliciter, da mihi proprium nomen. ait: non possum illi nomen tribuere, quod a ueteribus positum sit, nec enim positum est illi nomen, quo oporteat necessario iuxta ipsius significãdi proprietatem uocare: quia nec oratio propter compositionem negantis particulæ cum nomine finito, dicetur: cum, scilicet uerbum non sit. unde nec uerum nec falsum explicare noscatur: nec negatio appellabitur, & si ex negantis particula constet: ut infra secundo libro monstrabitur: nam ut Ammonius ex Arist. sumens, declarat, negatio remota dictione negante, affirmatio remanet, cum uerbo uerum aut falsum enuncians: quę in nomine indefinito non sunt: propterea Arist. inquit. esto. sit, a me nomen impositum, iuxta rei significatæ proprietatem & esto. ἀόριστον, i. indefinitum, indiscretum, infinitum: cuius nominationis rationem inducens, ait. {Quoniam similiter} seu simili, æquali & pari conditione siue ratione contingit in ente & non ente. siue in eo quod est & non est. In qua ratione diutius hæsitaui, ut mihi difficili et abstrusa. Ammonius inquit uoces huiusmodi, & infinita, uocari propterea nomina, quia

unum quoddam & ipsa significant, hoc est uniuersa, præ-
ter finitam rem, tanquam unum: ut non homo quicquid
est præter hominē quasi unū designat: hoc ipso quod com
mune quoddam habent, omnia id non esse, quod homo
est: infinita uero dicuntur, quia quod ab his indicatur non
aliquam rei existentiam notat, qui mos est nominibus sim
pliciter dictis, sed existentiæ priuationem, pariter his quæ
sunt, & non sunt congruentem. Sed explicatio ista, Arist.
aduersatur: qui rationem assignans, cur non homo (quod
non nomen simpliciter dicendum est) dicat indefinitum ē
ait, propterea quod similiter seu simili ratione insit, contin
gat, eueniat. (ὑπάρχει enim ista significat) in ente & non
ente: Ratio etiam cur nomina & cur indefinita sint uocan
da, est ea, quam ab Arist. & Auer. assignatam habemus:
nomina quia uox significatrix a positione sine tēpore &c.
sed ratio nominum q̄ indefinita dicantur, est: quod æque
similiter, in eo quod est, & non est, contingit, seu euenit ap
plicari, siue actu contingit, uel inest. Falsum itidem est id-
circo indefinita nomina unum quoddam significare, pro-
pterea q̄ uniuersa, præter rem finitam, significant, tanquā
unum: nam secundo Perihet. cap. primo. primo priorum
ult. primo physic. 25. primo de generat. 11. primo physi. a
43. ad. 47. ideo unum quoddam significant, quoniam ter-
minatam priuationem designant: quæ unū id tollit, quod
a finito nomine significatur. propterea ait Aristo. minime
consequutionem ualere homo non est iustus, ergo est non
iustus. primum enim de puero uerum. & Arist. consonum
affirmamus: uerum secundum negamus: quia priuatio-
nem significat: sine contrario tamen. & propterea uehe-
menter sensui, & Arist. ueritati repugnat, quod dicunt si-
gnificare tam ea quæ sunt, quam ea quæ non sunt: & de
uniuersis sine discrimine aliquo prædicari. esse enim non
iustum, de puero non priuato iusticia diceretur: Item si
de quolibet quod est & non est diceretur, ergo contradi-
ctio fieret in hac propositione: & esset, unumquodq; aut
iustum, aut non iustum: cuius oppositum uoluit Aristo.
primo priorū ult. consequutio liquet. quoniam si de quo-
libet prædicatur, præterquam de eo nomine finito, cuius
priuationem significat, erit ergo uerum. hoc est iustum aut
non iustum: puta de ligno, aut iustum est aut non iustum:
non quidem iustum, quia caret habitu et actu iustitiæ, er-
go non iustum: quia dicitur tam de eo quod est, quam q̄
non est. Præterea si ideo infinita nomina unum significant,
idest uniuersa præter hominem & nomen finitum quod
priuant, quia commune quoddam habēt omnia, non esse
id quod homo est, uel finitum aliud nomen est: ergo idem
indefinitum nomen ualebit quod negatio. quę. 4. metap.
27. apud Alex. semper affirmationem datam consequitur:
si est homo ergo non lapis, non equus, non hyrcoceruus:
itaq; quod supra retulimus confirmabitur: de quolibet af-
firmari iustum, aut non iustum. cuius contrariam Arist. sen-
tentiam obtinemus. Suessa putat non infinitū nomen uo-
candum, sed ambiguum, & indifferens, quia simili ratione
significat ens & non ens, equum & hyrcoceruum: probat
ex græcia nomen non esse: quia nomen aut naturam de-
terminatam significat, ut homo: aut certam personam, ut
pronomina, aut utcunq; determinate, ut indiuidua: Item
nomen indefinitum a negatione finiti nominis ponitur:
quæ pariter his quæ sunt & non sunt conuenit: Sed si lati-
ne loquamur, ambiguum, æquiuocum a Tullio uocatur
nec indifferens dici potest, q̄ ens & non ens, equū & hyr-
coceruum actu significet: cum ubiq; Arist. secundo peri
her. primo. primo priorum ult. primo physic. 25. 41. ad
47. a. 61. ad 78. non ente, non albo, pro determinata no-
minis finiti priuatione, & materia prima, non pro indiffe-
renti ad omnia entia, & non entia utatur: sic enim unum
quoddam. i. determinatum significat. secundo periherm.
primo. minusq; communem quam negatio sit enunciatio-
nem & propositionem constituit, primo priorum ult. Ad

rationes sumptas ex græcis facile respondetur non conclu
dere, nomen indefinitum, nomen aliquo modo non esse:
sed simpliciter, & omnino, & per se: nam indefinitum
nomen, determinatam priuationem naturæ, aut personæ,
aut utriusq; significat: hacq; ratione nomen uocatur, ut
priuationem finiti nominis explicat: Ad secundam ratio-
nem dicimus. A priuatione nominis finiti & materia, in
definitum nomen imponi: quod pariter conuenit mate-
riæ, ut enti, & priuationi ut non enti: & sicut priuatio prin
cipium nuncupatur necessarium, et unū, licet non per se,
sed ut priuatio determinata contrarii, & in materia (quæ
per se principium dicitur) necessario inuenitur: ita nomen
indefinitum proportione respondet nomini finito: ut de-
terminatam eius priuationem cum potentia uel subiecto
significat a positione sine tempore, cuius nulla pars sepa-
rata significat: sicq; nomen in communi uocatur, non no-
men per se, sed ut priuatio finiti nominis in determinata
potentia uel subiecto: Quæritur an omne nomen possit in
definitum constitui: Sed illi petitioni anteponenda est alia
necessario: an indefinitum nomen significet aliquid: in par
tem oppositam arguitur nomen non esse: quia illam negat
positionem, qua nomen & uox significans constituitur.
pro ueritate arguitur, quia secundo periher. primo, unum
significat. Item sæpissime Arist. his indefinitis terminis
utitur. aliquid ergo significant. 12. enim metaph. octauo
primo de generat. 11. primo physic. 71. 44. 73. utitur de
materia loquens, non enta. Item primo physico. 10. 22.
quicquid est præter ens. est non ens: ut præmissa negatiua
falsam efficit formam syllogismi. ut uero indefinita, ue-
ram: quia ex affirmatiua, non negatiua assumptione. siue
minori, in prima figura procedit. aliquid ergo significant:
uerum syllogismum constituentia. His declaratis, ad ra-
tionem in oppositam partem inductam respondent, no-
men indefinitum, et si impositionem obiiciat determinati
habitus, inde tamen non sequi, in communi nomen non
esse: sed simpliciter & absolutè. sed quoniam, negata im-
positione, uox arbitrio, positione imponentium spoliata,
pura relinquitur: quæ (ut prius) ante institutionem, in pura
potentia erat ad hoc uel illud significandum. ita & nunc,
positione reiecta. inferunt ergo, hac de causa nomina inde
finita, indeterminata uocari. Sed responsio hæc, mihi sem
per dubia fuit: Nam uox arbitrio spoliata, quæ indifferēs
ad hoc & illud significandum remanet, naturæ opus, exi-
stit. quare nomen non erit: nisi cum sit nota: propterea
dico. sicut negatio & affirmatio ad inuicem conferuntur
ut id negatio neget quod affirmatio affirmauit, non tamē
idcirco negatio affirmationem priuabit positione & arbi-
trio, quo imposita est ad affirmandū prædicatum de pro-
prio suo subiecto: nam ambę species enunciationis a posi
tione ponuntur, & sunt: ita proportione quadam asseri-
mus: nomen infinitum, priuare siue negare illud quod fi-
nitum nomen significat: actum scilicet, formam, uel spe-
ciem: sed propriam illius actus, formæ, siue speciei priua-
tionem & potentiam a positione significare: sicut finitum
a positione actum significat: utrunq; igitur nomen cū sua
propria positione, diuersa eiusdem rei ratione significante,
manebit: quare nomen infinitum, nomenq; & infi-
nitum uocabitur: nomen quidem non simpliciter, & abso
lute, per se, sed ut priuatio nominis finiti: quæ priuatio,
uox ficta ab Aristotele est, a positione significans sine tem
pore. item infinitum propterea dictum est, q̄ huiusmodi
nomen similiter, seu pari & simili ratione contingat, eue-
niat, insit in quolibet ente, & non ente. ὑπάρχειν enim græ-
ce inesse, uel contingere, aut euenire significat: & quam
sæpissime in hoc met libro, & primo priorum 18. pro in-
esse desumitur: infinitum igitur nomen uocatur, quia non
uni inest (ut finitum nomen) uel contingit inesse, actui
scilicet uel actum significanti, sed similiter, siue simili ratio
ne contingit inesse, ac competere potest, tam enti, quam

etiam

etiam & non enti cuilibet. hoc est (ne dicemus) tam priuationi non enti per se, quam etiam potentiæ, enti per se, primo physic. 75. 79. duodecimo metaph. octauo; quæ proprie ad actum proprium referuntur: ut propria priuatio & potentia. exempli causa ens primo phy. 25. primo de gener. 15. sumptū ut significat decem genera, aut unum illorum, substantiam uel qualitatem, tunc ut nomen finitū accipitur. cū quod est, actum, formam, & speciem illorum significant: tunc uero non ens, infinitum nomen efficitur, a cōstituitur, cum priuationem actus, uel potentiā propriam indicat: circa quam, generatio actus & priuatio (ut opposita) fieri dicūtur, infra sectione quīta. & quinto physi. 10. primo phy. a 41. ad 47. ad quam opinionem confirmandam ordiamur ab Arist. notis sententiis: cuius clara & certa iudicia sunt. primum ostendam nomen infinitum terminatam priuationem, actus (significato a finito nomine) oppositam indicare. secundo quod terminatam potentiā. idq; inductione mōstrationibus, quæ ab Arist. sententiis deducetur. quibus rebus perspicuum fiet, infinitum nomen inesse, ac dici de quolibet posse ente in potentia (non actu semper intelligas) & de non ente per se, idest priuatione. primo enim physi. 43. album fit ex non albo, & musicum, & ex non musico; non omni, sed terminato. tex. 44. albū nō corrumpitur in non musicum per se, nisi per accidens: sed in non album: non contingens, & interminatum: similiter musicum in non musicum. terminatā priuationem significans tex. 46 statua & figuratorum aliquid, ex non figurato, idest ex eo in quo est propria priuatio ut Commentator affirmauit & alij omnes, tex. 61. ex non musico, fit musicum: & non musicum, fit musicum, tex. 64. dico autem oppositum non musicum tex. 67. alterum est esse homini, & nō musico: quibus ex locis & alijs sexcentis patet, nomen infinitum, non album, non musicum; non figuratum &c. priuationem terminati habitus dicere. & ita de non ente per se prædicari, siue nō enti per se contingere uel inesse: Nam (ut diximus) primo phys. 75. 79. priuatio non ens per se dicitur: ex accidente uero fit: ut per accidens, ens nuncupatur, idest propter materiam, cui necessario iungitur. præterea, primo physic. 71. 73. ex non ente. fit aliquid tex. 74. manifestum, quod ex eo quod nō est, aliquid fit: sed non per se, tex. 75. ex non ente simpliciter, idest ex simplici & pura negatione priuante tā actum quam etiam potentiam nihil fit: sed ex eo quod non est, secundū accidens, hoc est, materia, quæ per se ens, & substantia dicitur: sed per accidens, idest propter priuationē necessario iunctam, non ens per accidēs appellatur tex. 77. ex non ente per se, ut non ens, non est necessario coniunctum cum alio, nihil fieri contingit: sic enim est pura negatio, non infinitas, idest tantum actum priuans, & terminum, sed priuationem & materiam, res indefinitas siue infinitas significans: Ex his adductis textibus patet. infinitū nomen, non ens dici & inesse posse enti per se, idest priuationi terminatæ, non neganti omnem rationem substantiæ, uel entis in potentia & in actu: ut non coniunctio alteri enti. Similiter. primo phyti. 78. primo de gener. 11. generatio neq; ex ente simpliciter, & in actu prouenit neq; ex non ente per se, simpliciter, negante omnem rationem substantiæ & entis, tam in potentia, quam in actu: hoc est, ambæ contrariæ uniuersales sunt falsæ ex omnino, & simpliciter ente omnem rationem actus & potentiæ concludente, nihil fit. similiter negatiua uniuersalis ex simpliciter & omnino, ac uniuersaliter non ente, excludente ac negante actū & potentiam, nihil fit. quare contrarijs uniuersalibus simul in eodem existentibus falsis, subcōtrariæ erunt ueræ. ex aliquo modo ente, & ex aliquo modo non ente, aliud fit: ex non ente quidem, idest priuatione actus, & ente aliquo modo, idest ente in potentia: quod non ens in actu etiam dicitur per accidens, ratione adiunctæ priuationis: hinc nomen infinitum, non ens, dicitur, siue inest, non enti per se, idest priuationi, siue etiam enti per se. idest potentiæ: quæ etiā per accidens non ens actu, uocatur. similiter. septimo metaph. octauo. materia nō quid actu, nec quantum, sed potentia omnia illa uocatur. hoc igitur inter nomen finitum & infinitum interest: quia (ut docuimus) finitum nomen determinatum habitū explicat. Infinitum uero determinatam priuationē, & potentiam: quæ res indefinitæ proprio termino & actu uocantur ab Arist. 8. metaph. tertio. & Auer. quàm sæpissime: His dictis obijcies. Nonne nomen finitum dicitur de hyrcocōceruo (ut non ente) & chymera? Dicas illa nomina imposita esse ad significandum habitum, & actū licet cōfictum ex multis partibus aduersantibus, & infinitum priuationem illius habitus & potentiam designabit. Secundo instabis superius adductæ sententiæ, de non albo, non musico, non figurato, quæ priuationem proprie dictam significant, quæ opposita priuatiue constituit. hæc autem infra sectione quinta, primo priorum ult. 10. meta. 15. contrarium continent, nigrum scilicet &c. infinitum uero nomen, contrarium abijcit & oppositionem communiorem contrariam efficit. respondeas ex Arist. infra capite ultimo: contrariæ opposita, necessario continere priuationē & habitum, sicut inferiora necessario superiora concludunt. Secundo notandum: quod hoc inter priuationē proprie sumptam, ut principium generationis & motus est, & priuationē infiniti nominis, interest. quod priuatio contrario semper coniungitur. ut fit album ex non albo nō omni, sed quod est nigrum, sed infinitum nomen, priuationem tantum terminatam, ac propriam indicat & terminatā potentiam, siue subiectum. Arist. igitur de ambabus priuationibus in adductis locis intelligit: de infinita, ut, cōmuni priuatione in subiectis, & de contrarium cōtinente, ut minus communi; quæ ambæ in communi ratione, conueniunt; (ut Auerroes asserit) ut sint priuatio habitus, interminato subiecto, & tēpore &c. qua de causa Arist. distinguens nomen, in nomen finitum, & infinitum, priuatiuum relinquit: quoniam in eadem cōmuni ratione conueniunt, ut priuationem habitus & potentiam siue subiectum designant, de quorum propria differentia, et maiori oppositione, sectione ultima satis ample dicetur: nā paruа uel nulla differentia cernitur cum de subiectis priuatio carens contrariis sumitur: ut infra sectione quinta dicetur, & propterea forte dixit Auer. capite de uerbo quod infinitum nomen significat priuationē nominis finiti quę definita est in libro prædicamētorū: nam si eandem habent definitionem, ergo idem definiuum: licet priuatio ut plurimum cōtrarium complectatur: qua de causa. secundo periher. eædem de utroq; consecutiones traduntur: ex quibus eadem ueritas subiecto saltem per affirmationē & negationē signatur inter alias oppositiones: iccirco infinita, relinquitur, quia eadem subiecto & saltem cū priuatiua. His nunc explicatis, quęrit Suessa. an omne nomen reddi possit indefinitum, siue infinitum: confutatis ac reiectis Sorticularum opinionibus, tandē ipse respondet: omne positiuum nomē, siue transcendens, siue unius sit generis prędicamentorū, indefinitū posse constitui, idest indifferens, indeterminatum ad ens & nō ens, ut non ens aoristice tunc sumatur, cum pro tali non ente, sumi intelligitur: ut lapis est non ens, idest non equus, non homo, & id genus ita ens tale, esse nō ens tale, et nō ens tale, esse nō ens tale: cōfirmat ex Auer. qui ait: quod ens & nō ens, aut pro decem generibus sumitur, aut pro uno, ac singulo decem generum. Amplius aoristice teneri inquit, est aut terminatam naturam, aut personam, aut utrunq; interimere: et indeterminatam, aut naturam, aut personam, aut utrūq; ponere: similiter non Socrates, & omne nomen infinitū efficitur, propter indifferētiam ad esse et non esse: quo differt a nomine communi. quod tantum indifferens est ad ea quæ continentur sub ipso. infert etiam hoc differre in

finitum transcendēs ab eo quo in uno prædicamentorum consistit: quoniam hoc trāscendens secundum quid, aliud uerò simpliciter dicitur. Sed dato nomine (quod indefinitum, ac indeterminatū dicatur) concedendum, tamen nō est, propterea indeterminatū & indefinitum uocari, quia non ens pro tali non ente actu sumatur, quodcunq; ipsū non est, & ita ens tale esse non ens tale: Nam (ut contra Ammonium diximus) non priuationem terminatā significaret eius actus, quem finitū nomē designat, sed omnia alia aduersa ac disperata, quæ ipsum affirmatum nō sunt: quod etiam negationi conueniet; ut homo non est lapis, non equus &c. præterea non unum quoddam, secūdo periher. primo, significaret. i. priuationem indeterminata potentia siue subiecto, & potētia cum priuatione. Amplius nunquam Aristo. hoc modo, infinitis nominibus utitur: Nec eius confirmatio ex primo physico, 25. & primo de genera. 11. ualet. cum Auer. dicat q ens & non ens pro decem generibus sumptum nihil omnino concludit: non igitur pro tali non ente accipi poterit: cum omnia destruat. Item si pro uno sumatur genere substantiæ, eo remoto, tanquam basi & fundamento omnium, cætera deijci necesse est: ita, ut nihil etiam omnino remaneat. Sed dices: confirmatio hæc, quam ex Auerroe adduxisti. primo physic. 25. & Arist. primo de genera. 11. contra te est, ac dictis superius aduersabitur: Nam si nomen infinitū, nō ens de priuatione & materia in qua est priuatio, dicitur. non ergo ex non ente poterit nihil omnino concludi. sed actu entium negatio, priuatio & potētia siue subiectum manebit: quæ ens aliquo modo uocantur, non omnino nihil; Ad hoc dicas rationem ex malo uerborū sensu procedere: hæc enim Auerrois uerba, sunt illamet, quæ ab Arist. primo de genet. 11. feruntur: Vbi contra se arguit ex antiquorum falsa & æquiuocis assumptis præmissis: generationem simpliciter non esse: sitq; contra ratiocinatur: sicuti quædam generatio alteratio est ex non ente aliquo, hoc est, album ex non albo, aut bonum ex non bono, ita quod simpliciter generatur ens, ex simpliciter non ente tanquam materia erit. Sed siue simpliciter non ens, pro uno singulorum prædicamentorū summatur, scilicet pro substantia &c. uel pro non ente uniuersali omnia comprehendente, semper necessario concluderetur, generationem simpliciter, ex simpliciter non ente, idest ex nihilo prouenire. ad hæc in partem falsam obiecta, Arist. ita respondet. rationem ex ambiguo nomine, siue æquiuoco, entis & non entis errare. Nam ens si omnino & uniuersatim pro ente affirmāte omnes modos essēdi desumitur: similiter, non ens, pro negatione omnium modorum essendi tam actu, quam in potentia: & tunc rationes concludunt: ex non ente, nihil omnino fieri & concludi. primo physic. 77. & tunc, non ens, nō (ut infinitum nomen) desumitur, atq; pro re indefinita, interminata potētia, scilicet & propria eius priuatione: sed ut penitus negatū: quā uniuersam negationem, Arist. per illa uerba significat (omnino, inquantum, per se). i. ut uniuersarim pro omni non ente desumitur: Si uero non ens, ut nomen indefinitum sumatur, pro non ente simpliciter, idest substātia aliquo modo non ente, & aliquo modo ente, scilicet ente in potentia, non ente autem actu, idest pro priuata materia: tunc ipsorum ignoratio soluitur. primo physic. 78. distincto nomine æquiuoco. Ex his ergo explicatis mōstratur non ens, sumptum in communi ut omnia genera comprehendit, si sumatur ut nomen infinitum, idest quatenus priuationem, quod quid est actus, & formæ decem generū indica, & ponit potentiam propriam: non inferre omnino nihil, sed tantum non ens, aliquo modo, & proprios actus deficere: & potentiam ac priuationem relinquere, idest ens aliquo modo. si uero non ens omnino, inquantum non est: non infinitum nomen. sed tantum negatum siue destructum uocatur, secundum omnem modum essendi in potentia & in actu: Ad quæ etiam sequitur nomen infinitum, indeterminatum & indifferens appellari, cum pro tali non ente desumitur. sed tale nō ens, ex Arist. (ut fonte) sumendum, ac explicandum est: qui non ens tale (idest aliquo modo non ens) pro potentia & priuatione actus, desumpsit. non ut alij ferè omnes, pro omni, quod ipsum nomen finitum non est: quia id uerum etiam de negatione esse, Arist. affirmauit. quarto metaph. apud Alex. 11. & Comment. 4. Instabis Arist. dicere, nomē infinitum similiter de quolibet dici ente & non ente. Respondeas dici de quolibet ente indefinito, idest potentia & priuatione, non alijs contingentibus: ut tam multis ostendimus. Sic puto intelligendum illud Hippocratis. digesta medicari, & mouere non cruda: ubi præcipit, mouere nō cruda, idest priuata actuali cruditate, aut non cruda actu, sed potentia cocta, idest quæ possunt priuata cruditate in coctam naturam conuerti: hæc mouenda necessario sunt. Prætærea non necessarium est indefinitum nomen, quod determinatam aliam naturam, aut personam, aut utrūq; priuare actu conceditur, indeterminatam aliam naturā, aut personam, aut utrūque ponere actu: sed priuationem, & potentiam eiusdem terminatæ naturæ, personæ, aut utriusq; significare. Amplius tanquam falsa reijcitur differentia, qua nomen finitum, & infinitū dissentire dicuntur quoniam sicut nomen finitum de his tantum asseritur; & prædicatur, quæ sub ipso comprehenduntur & continentur; ita & nomen infinitum de ente in potentia & non ente in actu siue priuatione. Dices. ergo hæc nomina potētia & priuatio, infinita dicentur. materia est potētia, & priuatio est negatio, quia potentia dicitur de materia & negatio de priuatione. Respondeas dici secundū propriam essentiam & secundum modum nominis finiti, ut essentiam subiecti significent. Item cum Suessa. cōcedimus nomen quod infinitum constitui debet, necessario esse positiuum, & actu aliquid significare debere. quod negatum indefinitum, in potentia & priuatum remaneat. Ex his patet transcendentia, infinitari posse: quatenus actua ipsorū negantur: & potētia, ac priuatio derelinquitur in suis analogatis: cum ipsa, naturam communem & uniuersalē nō habeant, nisi sumptam ab ordine analogatorum. Ex dictis etiam sequitur: falsum esse, quod alij asserunt: in substantiuis nominibus, nomē infinitum totum negare, quod significāt: sed in adiectiuis subiectum relinqui, & qualitatē tantū negari. quidam respondet: q nomē infinitum totum id negat, ad quod significandum, finitum nomen impositum est. sed nomen concreti, siue coniuncti ex substātia & accidente, ad utrunq; significādum ab artifice positum est: (licet quæstio sit quod illorum primū significet. octauo metaph. 7. actum uel compositum) negatio igitur totum artificiale & institutum negabit, tam subiectum quā accidens. Sed quoniā improbatio hæc contra nostra dicta superius est: ideo illam soluere constitui: Nam si nomen finitum utrunq; significat, materiam & formam: potentiam & actum: negatio ergo infinita, nomini finito cōiuncta, utrunq; negabit, non solum actum, sed etiam subiectum: priuationem uero & potentiam nō abijciēs sed significans. Propterea dicas sermones per se intelligendos, & proprie: cum ergo nomen finitum sumatur ab actu, secundo physic. 11. 12. octauo meta. septimo. & a proprio fine, secundo de anima. 49. & a forma. qua primo sumus, mouemur, & intelligimus. secundo de anima. 24. ut recte Ammonius etiam confitetur & Comment. infinitū uero per se illius actus, formæ, & speciei, priuationem significat, & potentiam, idcirco nomen infinitum totū non destruet & priuabit, sed id tantum, quod per se nomen finitum significat, idest formam & actum: qui causa est, q res finita & terminata dicatur. tertio physi. 65. & alijs multis locis. Nomina igitur finita per se formae īsigna sūt, nō cōpositorum: ut Alex. affirmat. octauo metaph. 5. cuius

rationem

rationem assignat;Nomen enim finitum corũ signum est, quæ per definitionem explicantur: quæ formæ sunt, non composita: & si composita significant, non nisi secundũ ꝙ sunt in actu, causa autem actus in cõposito, est forma: analogice igitur utrunq; significant, sed non per se, potentiam & priuationem cũ propriis & distinctis rationibus explicant:itaq; si nomẽ finitum, formã primo ut causam, & compositum secundo, ad aliud relatum.i.ad formam, ut causatum ad causam significat: non nisi ut compositũ in actu est, & secundario illud finitum nomen participat, sed per se priuatio & potentia secundũ proprias & distinctas rationes, ab infinito nomine explicantur:dũ dicimus ens, uel non ens, homo, uel non homo:non digestum. obiectio igitur illa contra alios quidem ualida est. quia si asserunt nomen infinitum in substantiuis nominibus utrunq; negare, ergo & in adiectiuis. quoniam nomina utrunq; significant analogice in utrisq; compositis. ut exẽplis Aris. octauo metaph. septimo, perspicuũ fit. sed non cõtra nos, qui dicimus infinitum nomen ut utrisq; compositis, tantum actum uel substantiæ, uel accidentis negare: uide licet non ens, non substantiam: non album, non musicũ: sed nõ potentiam uel subiectũ quod priuationi etiam infinitæ subiacere ab Ari. dicitur. primo priorũ ult. & infra sectione quinta, in quo, cum priuatione in communi cõsentit quinto meta. 12. apud Alex. & 10. meta. 15. in post prædicamẽtis capi. de oppositis. & alibi quàm sæpissime dicitur. Quærit secundo, Suessa. an oratio reddi possit indefinita. in partem contrariam arguitur ꝙ nõ: quia hactenus facta est mentio de nominibus: in oppositũ. datur primo phys. decimo & 25. præmissa indefinita, igitur oratio etiã indefinita. præterea secundo perihermenias primo, datur oratio ex finito nomine & uerbo, & ex indefinito. Respondet non posse indefinitari per se, negatione posita ad uerbum ut formam per se orationis. i. ut nota est, prædicatum cũ subiecto coniungens, sed per accidens ratione partium, negatione. s. addita subiecto uel prædicato. quam opinionem Iamblici fuisse, hic Suessa. testatur, eamq; ex Ari. uerbis refellit: qui dixit nomini indefinito, neq; nomẽ, a ueteribus impositũ esse, quo ipsum oportet appellare. neq; enim est oratio neq; negatio: sed sit indefinitum: quasi Aristo. (ut ipse interpretatur) affirmat orationem propterea dici non posse, quia omnis illa finita est. Confirmatur quia nullibi Arist. ait rationem indefinitam constitui, sed tantum nomen et uerbum: Sed uana reprehensio est, quoniam initio secundi libri Aris. ait (quoniam autem, est aliquid de aliquo, affirmatio significans. hoc autem uel nomen uel innominatum:) erit igitur omnis affirmatio & negatio, uel ex nomine & uerbo, uel ex infinito nomine & uerbo. præter uerbum autem nulla est affirmatio, uel negatio: probat autem omnes has enunciationes ex uerbo constare. quoniam consignificant tempus: si ergo enunciatio affirmatiua & negatiua infinitæ uocantur, ut per se species, multo fortius & oratio: ut superior, & per se genus Præterea (ut supra) si præmissa infinita uocatur, ergo & oratio: itaq; negatio, uerbo uel nomini addita, inerit toti, ac totum denominabit. non erit, ut albedo dentibus ethiopis hærens, sed eiusmodi, quæ partibus hærens, eo nomine totũ uocabit. Nec eius confirmatio, ex Ari. tractatu de nomine & uerbo concludit: quoniam, ea tantum indefinita uocauit, quæ per se negationem indefinitãtẽm recipiunt. hæc autem sola nomina & uerba non orationes dicuntur: nisi per alterum. i. nomen & uerbum. Item si Ari. ait quia omnis oratio est, finita, propterea nomen indefinitũ uocari non posse orationem, ergo contra Ari. quis concluderet: quoniam secundo perihermenias primo. negatio indefinita uocatur nomen indefinitum, negationem posse uocari: aut quia affirmationem non posuit, eam posse indefinitam constitui. Idcirco dicendum orationem indefinitari. s. affirmatiuam, negatione addita prædicato. ut homo est non iustus: similiter negatiuam, negatione addita uerbo, & prædicato: ut homo non est iustus uel non est non iustus: negatiua tamẽ eadem re & subiecto erit & indefinita ut priuat actũ uerbi, ut causam coniungentem prædicatum cum subiecto: ut actus uerbi aptus natus est prouenire a terminato agente in terminata materia, uel subiecto, indefinita dicitur: ut autem per illam actus uerbi priuationem prædicatum a subiecto negatur, negatiua redditur: ut infra latius declarabitur. quorundam enim opinio & responsio, hic data, in hoc non probatur quod dicunt per se indefinitam reddi non posse negatione addita uerbo, ut forma per se orationis, sed per accidens ratione partium negatione addita subiecto uel prædicato nam licet primo phys. 10. & 25. illi assumptioni siue minori (quicquid est præter ens, est nõ ens) negatio prædicaturi iungatur. secundo tamen perihermenias primo, & primo priorum ult. etiam uerbo præmittitur: ut ipse declarat, nanq; Arist. ait (omnis affirmatio et negatio, uel ex nomine & uerbo, uel ex infinito nomine et uerbo) ubi uerbum, tanquam forma & unio prædicati cũ subiecto locatur: præter quod nulla affirmatio & negatio est, licet idem uerbum subiecto indefinitum effectum, illud idem uerbum re, existentia, & subiecto, ratione tamen diuersa, negatum reddatur: & propterea dicimus necessario orationem indefinitam constitui: quoniam negatio uerbo coniungitur, cuius actionem tempore mẽsuratam, et affectionem seu passionem propriam, & terminatam priuare dicitur: licet non per se, solum indefinitam, orationem efficiat negatio ipsi uerbo in oratione coniuncta, sed negatiuam etiam. Ex dictis his sequitur, consecutionem ualere non homo, est nomen, indefinitum, ut species analoga nominis: igitur est nomen, in communi: licet non sit nomen simpliciter, & absolute, sed ut priuatio, nominis finiti: sicut priuatio rerum naturalium, principium dicitur, non per se, absolute, & simpliciter, sed ut priuatio formæ.

TEX. BOETHII.

Catonis autem, & Catoni, & quecunque talia sunt, non sunt nomina, sed casus nominis, ratio autem eius est, alia tamen sunt secundum seipsa: quoniam cùm est: uel fuit, uel erit, neque uerum, neq; falsum est, nomen uerò semper: ut Catonis est, uel non est: nondum enim aliquis neq; uerum dicit, neque falsum.

Philonis uerò, & Philoni & quecunque talia sunt, non nomina: sed casus nominis. ratio autem est illic eadem, sed hæc quidem sunt alia secundum seipsa. quoniam enim cum est, uel fuit, uel erit coniunguntur, neq; uerum dicere neque falsum dicentur: hoc enim nomen semper, ut Philonis est, uel non est, nondum enim uerum dicere, aut falsum contingit.

Ammonius quem ferè uniuersi sequuntur, ait, Aris. hic casus discernere, a nominibus. Sed obiiciet aliquis casus eandem redditam nominis finitionem admittere. non igitur casus discernuntur, a nomine, ut definito, si a definitione tradita non excluduntur. Respondet hoc inter nomina & casus differre, quòd nomina. i. recti, sine additione aliqua, iuncta uerbo est. fuit, erit, uerum aut falsum pronunciant: sed obliqui siue casus, ad sententiam absoluendam alio indigent: ut Philonis, est filius, frater, ager: & hoc in oratione enunciatiua loqua, est uerbum substantiuum, sum, es, est, ab ente detortum quod essentiam (teste Por. philosopho) explicat: secus est in oratione uocatiua, quæ una sola dictione absoluitur, & in aliis orationibus ubi alia uerba ponuntur, quæ constructa cum casibus, ueras aut falsas orationes efficiunt: quæ rectis applicari non possunt: ut Socr. penitet miseret &c. quasi dicat propterea casus non sunt nomina, quòd differentia & perfectione no-

minis carent. & si communem & imperfectam, ac incompletam coniunctam: nam secundum eum summa perfectæ finitionis nominis hæc erit, nomen est uox significans, ex composito: cuius significatrix, pars nulla est separata finitum quicquam declarans: atq; cum uerbo, est, fuit, erit, uerum, aut falsum, significans. Quæres cur illam completam non tradidit a principio? ait: ne tam infinitis commemorandis nominibus, & casibus turbaretur. Sed nos breuiter contradicimus hic Arist. non intendere, a nomine casus excludere, sed (sicut supra docuimus) speciem nominis explicare, quæ non simpliciter nomen & absolute uocatur, sed secundum quòd inflectitur & a recto descendit: quod per se, simpliciter, & absolute sine alio addito iunctum cum uerbo sum, es, est, uerum, aut falsum enunciat. signum est quòd Arist. ait: Philonis uero, & Philoni, non nomina: sicut de infinitis prædixerat. ibi autem ipsemet & Auer. non nomen absolute, & simpliciter dictum intelligebat. ita & hic. Item secundo, ut Ammo. ex uerbis Arist. confitetur, ratio assignata, tota in omnibus casibus est consentanea, non igitur hic casus discernit a nomine superius explicato: sed speciem nominis (licet non simpliciter & absolute per se sine adiunctione recti, enunciationem absoluentem) declarat: Sed ad hanc obiectionem animaduertens Ammo. Nomen quinq; modis partitur: pro uoce significante ex cōposito. quo modo infra uerba secūdum se dicta nomina sunt, quod significāt sicut nomina. secūdo, pro prædicato, quod subiectum fit. secūdo perier. trāsposita nomina & uerba idem significāt. tertio pro edita a principio nominis finitione. quomodo indefinita & obliqui, nomina appellātur. quarto pro nomine, quod certū ac finitū aliquid indicat: quo significatu, casus dicūtur nomina. secūdo enim perier primo, (omnis affirmatio aut negatio. aut ex finito nomine & uerbo, aut ex indefinito nomine & uerbo:) ubi a nomine, indefinita, nō casus abiecit. quinto & nouissimo modo, pro nomine perfecto, semotis tū infinitis, tū casibus. Itaq; ait quod definitio quā Arist. tradidit, tertio sumitur modo. Rogabis additæ cautiones (ut scilicet nomen ab infinito, & casibus discernatur) assignatæ finitioni quid profuntt? respondet, nil derogare, ac obesse, sed docere nos potius, significata alia nominis, Sed nos ab hoc nouissimo ordiamur; si ex additis cautionibus, nos Arist. docet significata alia nominis, aut quæ significantur a nomine, aut ambigua idest æquiuoca, quæ caueamus quod ipse intelligere uidetur, dum ait casus uelle discernere. & additę cautiones: quasi hec significata alia nominis sūt adducta, ut caueamus, et a finitione nominis excludamus: ut ipse re facit nomen definiens. id ergo si affirmet, tanquam falsū & perniciosum inchoantibus improbandum est: nam quarto meta. 2. ratio idest definitio eadem in antepradicamentis, & primo top. 13. sexto top. 18 non æquiuocis, sed uniuocis, uel analogis cōuenit: quā, quę participāt, ac de pluribus prædicātur species sūt, nō significata alia ambigua, quę assignata diffinitio caueat. sed (ut ipse, Arist & Ammo, ait) ratio assignata nominis tota in omnibus est cōsētanea, casibus, & infinitis. quæ de pluribus in quid prædicātur: nō igitur significata alia erūt ambigua & æquiuoca, si uero per significata alia uelit intelligi. i. species alias cōiētas sub nomine, sine arte definitiōis procedet. nō. n. definitio species cōtinet, nec excludit, sed potestate cōplectitur: addēdū ergo non fuerat (finita & recta) sed si descriptio per oppositas species esset, significata alia tanquā species nō linquēda. Dices significata alia nominis uoluisse docere. i. modos. Igitur illos quinq; quos enumerauit ipse, ponere debuisset: & si modi dicūtur nominis quales nā? an ut accidētia, an ut æquoca, an ut species? nō ut accidētia, quibus subiecti diffinitio non tribuitur: nō ut æquiuoca ut probauimus. erūt igitur species: quæ a sui generis communis ratione, non excluduntur, nec finita & recta uox in definitione constituta & procedēte ex genere & differentia prioribus natura diffinito fuerat numerāda. nanq; illa erat definitio, per priores partes constructa, nō descriptio per posteriora, & species, siue accidentia propria edita. Præterea (ut ad id unde discessimus redeamus) dato tertio modorum ab omnibus confesso, & quinto relicto, ut improbato, de tribus reliquis uideamus. Cur est quod uerbū secūdū se dictū, nomē dicatur? non similiter oratio, affirmatio, negatio nomen uocentur? nanq; si propterea uerbum censet Ammo. nomen esse uocandum, quod uox est significans ex instituto: id totū cōmune genus est omniū. nomina igitur dicerētur & orationes Quod si concedet, rogabo si uox ex instituto significans omnibus dictis, ut genus, nō ut proprium conuenit, & uni non per alterum: cur est, quod nomen uocetur? non itidē contra nomen, uerbum dicatur? Nūc ad orationem dicamus: nam Arist. explicaturus nullam uerbi secūdū se dicti partē significare aliquid: a nominis declarata ut simili, & eadem particula inchoat (uerba) quasi dicat sola extra subiectum & prædicatū accepta sic pura (nomina sūt) non natura, sed proportione. s. quia non sunt significantia separata, ut nomina, & quia (aliquid significant) intellectū constituentia: & qui illa sic pura audit, (quiescit) cōprehēdit enim actum uerbi: actionē, uel affectū. i. passionem, tēpore mensuratam, non tamen, cū complexione prædicati cū subiecto. Itaq; nomina (proportione quadā) uerba secundum se dicta uocantur: quoniā nil separatim significāt: nisi illud simplex significatū, ad quod explicandum imposita sunt. Secūdum itidem significatū nominis, pro prędicato: quod transpositum subiectum efficitur, recipiēdū nō est. Trāspositio. n. nouū nominis significatū constituit: ac prędicatum quod falsò ab eo uerbū uocatur, subiectū efficit: nam ut secundo perier. pente. Com. notauit, transposita nomina, & uerba, idē significāt: quia oratio, tantū ordine positionis partium uariatur: sed re eadē perseuerat: & quę antea erant subiecta & predicata, eadem, nō uaria permanent. ex dictis his arguas. Sed hæc trāsposita prædicata & subiecta ab Arist. nomina appellātur, definita superius, primo libro, nō igitur uerba suot prædicata uocanda, nec diuersum nominis modum ac significatum efficere sunt censenda. Itē, idem re est nomen ex quo constat oratio, & terminus: hic aūt est, in quem resoluitur propositio, primo priorū primo, ut in prædicatum & subiectum: non igitur modum alium a tertio efficit. Præterea subiectū & prædicatum nō sūt significata alia & diuersa nominis, sed ea in quæ definitum nomen partitur: nā infra de uerbo dicetur: est nota eorum quę dicuntur de alio. i. predicatorū que de subiectis dicuntur: ubi clare prædicata, & subiecta, nomina apellat a uerbis distincta. ita de quarto nunc pauca dicamus: pro nomine, quod certū ac finitū aliquid indicat: quo significatu casus dicūtur nomina: non aūt indefinita: quod falsum & contra Arist. (quē in testimoniū affert (uidetur: Nā ibi de illo nomine dissent, quod tanquā prędicatū de altero, ut subiecto, affirmatio est significās hoc aūt uel nomen est uel innominatū a ueteribus, quod ipse indefinitū uocauit: non igitur indefinitum exclusit. Itē ad dicta superius de nomine se remittit: nomen aūt dictū est & innominatū prius: quod unū quodammodo significat. sed, ex propriis datis, nomē dictū superius, in definitis & casibus conuenit: & hic infinitum & indifinitū diuiditur: nō igitur hic nominis meminit, quod indefinitū excludi, sed eius, in, quod partitur. ex quo infert (erit oīs affirmatio ex nomine & uerbo uel ex infinito nomine & uerbo) quibus uerbis potius eius instituta sententia infirmatur, quā probetur: nam infert ex eo prædicato esse affirmationem & negationem, quod explicant & significant. illud autem dictum est, aut nomen simpliciter & absolute esse, aut indefinitum: & similiter infert de finito nomine & uerbo, & indefinito nomine & uerbo, non ergo indefinitum exclusit. Hinc etiam animaduerte: nomen superius

rius

rius dictum, prædicatum uocari, nedum subiectum. Præterea si ex hoc adducto testimonio nomen indefinitum excludit, ex casus excludere affirmabitur: nam idem hic non n, est, propositum, quod dictũ superius fuerat: id aũt est nomen tertio modo sumptum, quod de infinitis secundum totam rationẽ, & casibus dicitur: aut quinto modo, quod tam indefinitum quàm casus excludit. S. Tho. aliter ait: nam ipsi non placet quod Ammonius dicit: ab edita a principio nominis finitione, indefinita, & casus exclusa a nomine perfecto: quod quintum modũ enumeratum cõstituit. Inquit ipse: quòd præmissa definitio nõ sim pliciter conuenit his: cuius rationem adducit: nomen. n. infinitum nihil determinatum significat: neq; casus nomina significat secundum primum placitum instituentis: hæc ille: Sed dicam ego quod sentio: non. n. tanquam uerum probamus. præmissam definitionem, non simpliciter his conuenire. si uero (per non simpliciter) uelit intelligi, non absolute, sed cum conditione, ut priuatio nominis finiti: idem diceret, quod Amm. affirmauit, & nos cum Auer. consentimus: primam igitur sensum reprehendo: ex Arist. uerbis hic, ubi rationem. i. definitionem totam & integram nihil in cæteris diuersam, asserit casibus conuenire: Et mira de indefinito uerbo narrabit (non sanatur uero, non ægrotat non uerbum simpliciter dico, sed in cõmuni) quod approbans ait. (consignificat. n. tempus, & semper est nota eorum, quæ dicuntur de altero.) Itaq; uerbum indefinitum definitionem uerbi in communi, & proprium eius participat. Ad eius uero rationem satis supra respondimus, nomen. n. unum quoddam & terminatum actu significat. i. priuationem terminatam nominis finiti: ut non ens cum potentia, uel subiecto, & sic inest enti, & nõ enti similiter ratione. quod autem de casibus asserit, improbatur: nam, & si casus non secundum primam. i. principalem, ac potissimam nominis impositionem nullus indigentem ad enunciationem, & sententiam, in uerbo sum, es, est, absoluẽdã significet: tamen nomẽ ab alio dependens, infiexum. i. nõ simpliciter & dependens uocatur. Sicq; totam nominis rationem participat: erit igitur uox impositione, ac instituto significans. nec ultra requiritur, ut in communi nomẽ uocetur: quòd secundum primũ placitum significet: nam primam, & propriã casus impositionem, a nouatoribus teneri, qua ab instituto significat sine tempore, cuius nulla pars separata significat. breuiter igitur cũ Auer. dicamus: hic aliam nominis speciem analogã explicari cum inquit. (Philonis uero & Philoni, quæcunq; talia sunt). i. casus, siue obliqui uniuersi (non nomina). i. absolute: ab alio non pendẽtia dicuntur (sed casus nominum) a rectis inflexi. q autẽ nomina in cõi uocẽtur, licet non nomina simpliciter, & absolute, probat Arist. (ratio). i. diffinitio illic siue in illis est eadem, cum rectis, & nominibus simpliciter dictis, idẽ ergo diffinitum, siue in communi nomẽ habebunt: cũ eadem definitio illis consentiat (sed hæc quidem sunt alia) manifestat ex assignanda differentia non secundum se simpliciter nomina, ab alio non pendentia, posse uocari: quoniam ea, secundum se, & ab alio non pendẽtia nomina uocanda non sunt, quibus coniunctis cum uerbis primis, secundum se, ab alio non pẽdẽtibus, neq; uerũ, neq; falsum est: quæ propositio maior æquiualet isti, ea dicẽda sunt in dependẽtia, & per se nomina, quibus iunctis cum secũdũ se, & indepẽdẽtibus uerbis, uerum uel falsum est. Minor. sed casus nominum sunt hmõi, ut his iunctis cum secundum se, & indepẽdẽtibus uerbis substantiuis est, fuit, erit, neq; uerum, neq; falsum est. Non ergo secundum se, & in dependẽtia nomina sunt dicenda (nomen uerò semper) minor est propositio, æquipollens affirmatiuæ respondens. sed nomen, i. secundum se, & independens (quod rectum casum Stoici & Grãmatici uocant) iunctum cũ uerbo secundũ se, est, fuit, erit, uerũ uel falsum consistit, ergo secũdum se nomẽ erit, ut Catonis est, uel nõ est. Exemplo minorem ut per se notam, & quodãmodo ignotam, declarat (ui Philonis est, uel non est) ex quo casus uniuersi, ut ex opposito, secundum se dicta nomina cõcludi uult quasi dicat Philonis est, uel nõ est, casus sunt nominis, nõ secundum se nomina: quod probans ait (nondum. n. aliquis uerum, aut falsum dicit) secũdum se, & sine aliqua extrinsecus additione, & foris ueniente adiuncto adminiculo recti, quod secundum se, & indepẽdens nomẽ uocatur: a quo uerum & falsum, ut orationis effectus proprie explicantur in uerbo sum, es, est, quod ab ente sumptum est. Ens autem primum, & independens est prædicatũ. Ita sum, es, est, ab ente dictorũ, atq; descẽdens, secũdum se, primum, & independens uerbum dicetur: nã licet casus cum alijs posterioribus uerbis cõiuncti, ueras aut falsas orationes cõstituãt, quæ applicari nõ possunt cum rectis (ut supra tetigimus ex Amm.) ceder, miseret & c. ista nõ secũdum se dicta prima, & independẽtia nomina appellãtur: sed secundũ quòd esse uel non esse necessario præsupponunt: cum quibus cõstructa nomina, uerum, uel falsum nõ explicant, sed additione, & adiuncto adminiculo casuum extrinsecus egent. Dices pari ergo ratione, nomina. i. recti casus, non secundum se, prima, & independentia nomina dicenda sunt, cũ a casuum adminiculo pendeant. Dicas uerum esse, in alijs uerbis secũdarijs, quæ primum, secundum se, independẽs, sum, es, est, uerbum supponũt nomina. i. casus rectos obliquorum auxilio indigere: sicut contra, in uerbo sum, es, est, supra esse monstrauimus. sed ut secundum se, prima & independentia nomina dicantur, cum secundum se etiam, & primis, ac independentibus uerbis sunt conferenda. alia. n. uerba ex his esse dicuntur, quæ ponuntur. i. supponuntur ab omnibus. secundo perther. primo: propterea non secundum se, prima, & independentia nomina appellanda sunt: sed bene nomina in communi, quia uerum & falsum in alia dependentibus uerbis enunciãt. non. n. ea sola uocantur nomina, quæ in prima enunciationi, ex uerbo sum es, est, cõstituta, uerum aut falsum declarãt: nam philosophia tres in partes diuisa, ex casibus, constitutis orationibus utitur. Vnũ hic Ammo. annotauit, quod ex Porph. philosopho sumpsit: uerbum, est, nõ pro omni uerbo sumptum sufficere: sed pro eo solum capi, quod ab ente est detortum, atq; descẽdit, solamq; essentiam declarat: ut perfectã orationem faciens iunctum nomini, obliquis uerò imperfectam. Sed error ac falsum in hoc esse uidetur. nã eius hic, meminit uerbi, quo in hoc libro, atq; alijs ut itur: sed infra eo sæpissimè utitur, ut est nota eorum accidentium, quæ dicuntur de alijs subiectis, ut homo est iustus. Accidẽtia aũt subiectorum essentiam nõ declarant. Item, est, nõ solum quando tertio adiacet, accidẽtis, & inesse tãtum quæ situm absoluit, sed etiam quãdo, est, de secundo adiacẽte, quæsitum terminat accidẽtis. i. existẽtiæ. primo topi. 4. secundo post. 33. quinto meta. t. 4. 8. disputatione, in solu. d. primi. Ita ẽt cum quæritur an hoc sit ens, uel essentiam tã quam substãtiam petere possumus, uel illud quod extra cõceptionẽ animę inuenitur, quod cõsequens ens appellatur, & accidẽs, nõ essentia: propterea dicas uerbũ, est, ab ente descẽdere, sed eo ente, quod trãscẽdẽs ẽ, & indifferẽs ad essentiam, uel existẽtiam explicãdam. Sic primum, secundum se, & independens uerbum dicitur: cum quo nomen coniunctum. i. rectus casus, nomen absolutẽ, primũ, independens, ac se, & rectus uocatur,

DE VERBO. CAP. III.

TEX. BOETHII.

Verbum autem est, quod consignificat tempus, cuius nulla pars significat extra: & est semper eorum, quæ de altero prædicantur, nota.

Verbum est, quod adsignificat tempus, pars cuius nul-

la significat extra, & est semper eorum, quae de altero praedicantur, nota.

CONsentiunt omnes Ammo. quòd Arist. suis, ac nostris laboribus parcens, ac pro sua consuetudine breuiter dicens, ab eo incipit, quo differt uerbum a nomine. s. ad significando tempus: Relictis autem iis, quę uerbo cum nomine sunt communia, ut quae in nominis ratione explicata iã sunt, quaerit Ammo. cur addidit (cuius pars nulla seorsum significat) quod dictum est de nomine. Respondet: ut uerbum ab orationibus constitutis ex uerbis discerneret: sicut in nominis definitione ipsum ab orationibus ex nominibus constitutis distinxit, exemplum adducit primi, ut ambulare est moueri. S. Thom. & Suessa. auctoritate uiri permoti responsionem Ammo. adducunt, non tamen probant. Mihi uero responsio illa non placet: quoniam differentia in definitione per se posita, est: quae omni, quod sub diffinito concluditur, conuenit: ac ab eo omni seiungitur, ad cuius differẽtiam ponitur: Cum ergo ad orationis differentiam particula illa sit posita, ab omni ergo oratione per illam differentiam distinguetur. Confirmatur ex Arist. Qui infra, orationem declarãs, dicit orationem uocem esse significantem, cuius ex partibus aliqua separata significat, ut dictio, non ut affirmatio: ut dictio ab Arist. explicatur. i. non ut affirmatio, sed significat separatim, quasi dicat, ut dictio nomen, & uerbum concludens. Opposita igitur differentia, non significans separatim, & extra, idem negabit, quod sua opposita affirmatio affirmabit. Cum diuo Thoma hac de causa dicamus, a quo Suessa accepit: quoniam uerbum uidetur saltem compositionem quandam notare: ideo res paulo abstrusior est de uerbis, quàm sit de nominibus. Propterea repetere, ac declarare ex notificatis nominibus maxime entis, instituit, inquit (uerbum est quod, consignificat uel adsignificat tempus) quo differt a nomine. Quaerit Ammonius, quid inter sit inter significare, & adsignificare, seu consignificare. Verè ait, significare est aliquid in primis, ac praecipuè declarare: & hoc in uerbo, omnium consensu, est actio, uel affectus. i. passio, ut habitus, & forma sunt mobiles. quinto phys. 9. adsignificare uero, uel consignificare, est praeter id quod primum declaratur, aliud quicquam secunda ratione praeferre (quod aiunt) secundario, non primario significare: id, tempus est cõsequens actiones, & affectiones, & motus. Nec putes uerbum duo haec secundum se, ac separatim notare, quoniam ita nomen, annus, mensis, actio, passio, explicant. sed utrunq; simul, diuersa tamen, quam diximus, ratione. Petes, cur praecipuo, ac primo significato uerbi relicto, temporis meminit? Ammonius ait, tempus adiacere actionibus, tanquam accidens consequens illas, esse, fuisse, uel fore declarans, cum simul elucescãt, quasi dicat, ex accidente proprio, posteriori ac notiore, actionem, & passionem priorẽ declarat. quarto phys. 112. 114. utrunq; tamen significatum innuitur. dum ait, consignificat tempus. i. simul actionem, & passionem mensuratam tempore cõnotat, actionem autem, & passionem, ut motus, & per se sensibilia communia. secundo de anima. 64. non expressit, quia sensibus per se nota. Itaq; uerbum utrũq; significat: sicut. n. motum tempore metimur, ita motu tempus: quod definitur, determinatur adinuicẽ, ut mensura: licet per tempus, ut forma, mensuret, per accidens, & materia motus. quarto phys. 109. 112. 113.

TEX. BOETHII.

Dico autem quoniam consignificat tempus, ut sanitas quidem nomen est, sanatur uerò uerbum: consignificat enim nunc esse, & semper eorum, quae de altero dicuntur nota est, ut eorum, quae de subiecto, uel in subiecto sunt.

Dico autem quod adsignificat tempus, sicuti sanitas quidem nomen est, sanatur autem est uerbum, hoc enim consignificat nunc esse, & semper eorum est nota, quae dicuntur de altero, ut eorum, quae de subiecto, uel in subiecto sunt.

Exponit nunc quid sit cõsignificare tempus, ut a nomine distinguatur, inquit {dico autem} quasi explicationem quid nominis pono: & facile: ex opposito, nomine cũ uerbo collato} ut sanitas} nomen est nullius significatiuum tẽporis: {sanatur uero uerbum: hoc. n. consignificat nunc esse sanitatem}. i. actionem, uel passionem in primis significat: {& nunc esse}. i. tempus etiam praesens denotat. {Et semper} etiam positae finitionis partem exponit, dictione illa relicta (cuius pars nulla separata significat.) Ammonius rationem affert, quod satis est explanationis adepta, cum de nomine ageretur: sed eius a me ratio nõ probatur, quoniam infra ab Arist. declarabitur, dum inquiet (uerba autem secundum se dicta nomina sunt.) Hãc igitur nunc dictionem omisit, quòd paulò abstrusior duabus explicatis dictionibus esset, & longiori tractatu, ac rationibus indigeret. Ammo. quem Albertus, & Boethius sequuntur, a Porphyrio philosopho sumens, ait, Arist. propositum esse docere cõstructionem, quam uerbum in propositionibus obtinet. Inquit uerbum notam esse eorum, quae dicuntur de alio, hoc est, praedicatorum locum perpetuo, non subiecti occupare. q. d. est nota significans aliquid eorum, quae semper, ac perpetuò sunt prędicata: nam actionum significatiua sunt, uel passionum: quae nec ipse per sese existunt, sed ad alia referuntur subiecta. cõuenies igitur erit de illis praedicari. Confirmat etiã nomina subiecta, & uerba praedicata uocari ex Platonis testimonio in Sophista, ubi uerbum signum uocat, quo gestiones, graecè praxes. i. actiones, & passiones significamus, quarũ natura est in alio esse, si accidẽtia: aut de alio dici, si essentiã explicant. Nomẽ uerò ait signum esse, quo gerentia actiones, & passiones notamus. Postulabis ab eo cur dixerit semper? respõdet: ut uerborum quod prędicata sint, maximè proprietatem ostẽderet. Dices, quaedam nomina praedicari nil uetat. Ait, non tamen, ut quae perpetuò per se ipsa, sine uerbo aliquo praedicata, ut est, uel non est absolutam orationem efficere natura possunt. At uerba propriam uim seruantia, solũ semperq; ipsa per se praedicari contingit. Dices, cur Aristo. inquit, uerba significatiua esse illorum, quae de alio praedicãtur, uel sunt in alio? Satisfacit. quoniam uerba, sicut nomina quaedam, per essentiam sunt in his, de quibus dicũtur, ut substantiae secundae de primis secundum essentiam, ut animal de homine. i. in quid in prędicamẽtis dicuntur. alia uerò, ut accidentia in subiectis, ut album de Sor. Ita in uerborum praedicatione, ambulare est loco dimoueri, calefacere est facere, ut de subiecto per essentiam praedicantur: sed Plato ambulat, legit, praedicata ut accidẽtia de subiectis dicuntur. Propterea ergo dicit uerbum semper prędicari, quoniam modo ut de subiecto, modo ut in subiecto prędicatur: quae omnia genera praedicatorum cõcludunt: Alio modo secundum scripturam Porph. philosophi legit (uerbum semper est nota eorum, quae insunt, ut eorũ quę de subiecto). q. d. uerbũ esse significatiuũ actionũ & passionum, quae insunt; ut ea praedicata, quae dicũtur de alio, quae in esse, uel (ut aiunt) esse in, praesupponũt: Ita dici, de, pro in esse, uel essem, erit acceptum: Sed ipse priorem eligit scripturam. Petes ab eo, uerbum fieri potest subiectum, ut exempli gratia cum dicimus, philosophari utile est: non igitur maxime proprium est uerbi esse praedicatum. Respondet, loco nominum capi, atque ob id ipsis articulum ante poni a graecis consueuisse. Quaeres ab eo, eędem rem actiones, scilicet & passiones nomina & uerba dicũtur: utraq; igitur esse possunt in alio, atq; in alio prędi

cari

cari: sicut & uerba: non igitur maximè proprietas uerbi dicetur, prædicatũ semper esse, nunquam subiectũ: Inquit, et easdem actiones & passiones nomina & uerba uocari: sed ratione diuersa: uerba quidem ut ad subiecta relationem declarant, et dicunt agentium uel patientium esse: nomina uero ut actionem significant, ut entia, ac naturã quãdã obtinentia, ut circa subiecta subsistunt, ut habitus quiescentes, non mobiles. quinto physic. 9. Nouissime quærit, an ualeo sit uerbum? respondet, quod uox tantum uerbi subiectũ efficitur: non aũt quod a uerbo indicatur, actio et affectio. s. ut agentium, uel patientium est: quarum ratione uerba prædicata dicuntur. Hæc Ammo. longioribus, quę nos breuiter, ac distincte retulimus. Secundum igitur hos quos retulimus, uerbum nota dicitur eorum, quæ dicuntur de alio, uel sunt in alio, hoc est, nota ipsorũmet uerborum, quorum significata actiones & passiones sunt in alio & dicuntur de alio. Hanc opinionẽ improbat diuus Tho. primũ quia Arist. disiunctione utitur: ergo aliud & diuersum per utrũq; uidetur significare. Sed licet ratio ista a me tanquam uera credatur, illi tamen Ammonius ex declaratis superius diceret, significata uerborũ diuidere: ut sit sensus quod uerbum est nota illorum. s. suorum significatorũ quæ uel dicuntur de alio, cuius essentiã explicant, uel sunt in alio, cuius accidentia manifestant: ut suis exemplis supra monstrauimus. propterea diuus Thomas secundã rationem adduxit ꝙ prædicari, seu, ut ait, prædicatio, potius ad uocem pertinere dignoscitur quam ad significata per uoces: uerbum autem est uox, cui proprie conueniret de alio prædicari: non igitur sua significata, actiones & passiones prædicari de alio ab Arist. dicerentur: nam, ut alii dicunt, prædicari secundis proprie intellectis. seu intentionibus conuenit, ac assignatur: & si in significatis ac primo intellectis exerceatur. Ad idem refellendum quidam insurgit: quod signum est prædicati, affirmari prædicatum non potest: uerbum autem, significans signum, siue nota significans ab Arist. dicitur: non igitur prædicatum uocabitur. His forte rationibus etiam responderet Ammonius, nam & si uocibus prædicari, ut signum, conueniat: significatis tamen per uoces exercere signatam prædicationem nil inconueniet: nam dicunt, quod in secundo intellectis signatur, exercetur in primis. Ad rationẽ præceptoris similiter diceret, uerbum prędicatũ non esse, ut signum, sed quod proprie a uerbo signatur, actio. s. & passio: sicut primo topico. 4. definitio, ut oratio & signum explicans essentiam rei, essentia non dicetur, a qua differt, tanquam signum ab eo quod proprie significatur. Verbum igitur ab eo quod signatur prædicato, ut signũ a significato distinguitur. Sed huic responsioni ex uerbis Ammonii contradicimus: quoniam ait quod uerba, sicut & nomina quædã per essentiã sunt in his, de quibus dicuntur, alia sicut accidentia. Vbi clare constat, uerba ab eo prædicata affirmari: ut ea quæ uere, solũ, & semper sunt prædicata: ita non diuersum a se significare dicentur: ut instrumentum, proprium explicat finem, ut diffinitio essentiam: Præterea secundo arguunt, ut. S. Tho. primo. arguebat: ab Arist. dicitur, uerbum est signum seu nota significans horum, uel illorum, quæ de altero, uel quæ sunt in altero: hæc autem disiunctiua particula, cadit inter diuersa. Sed ad hoc iam diximus non ab eodem hæc duo prædicata uerbo signari, sed duobus diuersis: quæ secundum essentiam, aut accidens prædicantur. Amplius arguunt. Arist. hic non declarat uerbi significatum esse actionem & passionem tempore mensuratã: id enim superius explicauit cum dixit: (consignificare tẽpus:) non ut nomen significat, sine tempore: sed sanari (nunc) idest tempore præsenti motum sanitatis designat. Ammon. ex his, quę supra præmisit, ratione simili responderet. hic Arist. cum ait (& semper est nota eorum) non significatum uerbi proprium explicare, sed constructionẽ in propositionibus, quam obtinet, prædicati semper, aut etiam quandoq; subiecti. Nouissime ego Ammonii opinionem refello: Arist. ait uerbum notam esse horum, uel illorum, quæ dicuntur de alio, uel sunt in alio: quæ autem dicuntur de alio, secundũ essentiam sunt in his de quibus dicuntur: nulla autem uerba, ut uerba, essentiam subiectorum constituunt: non erunt igitur prædicata quæ dicuntur de alio: Primum autem, assumptionem hanc, siue minorem ex eius supra dictis probamus: non enim cum dicimus, ambulare est loco dimoueri, calefacere est facere, prædicata tanquã uerba sumuntur, sed nomina sicut subiecta nam uerbũ clare uidetur esse quod ab ente deducitur, est . s. non dimoueri, seu facere. Item ubi uerbum inuenietur, necesse etiam erit eius proprietatem maxime inueniri, ut illorum sit nota significãs, quæ de altero prædicantur: hoc autem nunquam contingit, nisi in compositione, aut diuisione uerbum ponatur, quæ ad secundam pertinent operationem intellectus. tertio aũt de anima, 21. infra ad. 16. diffinitio primæ tantum tribuitur: non igitur uerbum ut uerbum aliquid de alio notans, atq; significans secundũ essentiam uere dicetur. Dices uerũ id esse de aliis uerbis a sum, es est, quæ adiectiua uocantur, ꝙ est, tanq̃ id quod omnibus substat, supponunt: non autem de primo uerbo inde pendente ac substantiuo. Sed contra, ut uniuersatim dicamus, quoniam (ut conclusum iam est) uerbũ, ut nota eius quod de alio dicitur, in propositione necessario inuenitur; est, igitur uerbum, aut alia adiectiua, uel in propositione sumentur binaria, quã uocant, aut trinaria. i. quæ secũdo adiaceat, aut tertio, i. aut de primo, aut de secũdo adiacente, ut dicitur. Si in binaria est, aut alia uerba sumantur, accidens non essentiam explicabunt. 2. post. 33. primo top. 4. 5. met. 14. Si uero in trinaria, semper nota dicetur de alio; in compositione ac propositione, ad quã definitio, ut simplicis formæ conceptio, non refertur. Amplius cũ de tertio ponitur adiacente, nota ac signũ est eorũ quæ insunt, uel quæ dicũtur de alio; quòd insint tantũ. i. inesse dũtaxat prædicatũ subiecto significãt: non aũt ipsum uerbum fieri prædicatũ. Ad hæc, uerbũ, ut ipse fatetur, actionẽ significat, aut passionẽ, ut ad agens, uel patiens significatur referri; modo in his propositionibus, calefacere est agere, ambulare est loco dimoueri, actio ut natura quædã, & ens essentiæ, ꝙ explicat definitio, per uerba illa explicatur. nã agere, & loco dimoueri, actionem significant, ut entia essentiæ, ac naturã quandam per se in inferiorum; non ut uerba actionem significantia, ut ad subiecta relata ut agentia, uel patientia; ꝙ in his propositionibus uerbum, est, efficit, ut calefacere sit ab eo qui agit, uel sit agens, & ita ambulare ab eo fieri & esse qui loco dimoueri dicatur. Propterea cũ diuo Thoma, & Commentatore dicamus, uerbũ signũ ac notã esse significantem horum prædicatorum a uerbis diuersorum, quæ uel dicũtur de alio, uel sunt in alio. i. in subiecto diuersoa prædicatis, essentiam uel accidens explicantibus. hinc sequitur, propositionẽ ac enunciationem non esse, in qua idem de seipso prædicatur. Instabis ex Auerroe. hic enim idem uidetur asserere cum Ammonio; nam textũ (& semper est nota eorum quæ dicuntur de alio) explicans ait; ꝙ proprium uerbi est, ut sit semper appositum, & non suppositum; prædicatum, & non subiectũ cuius causam, uel illationem causæ, ex, posito effectu, inferens ait; quod propter illud significat semper intentionem. s. ut Amm. actionem, & passionem, aut esse; de cuius intentionis proprietate est, ut prædicetur de alio; Ad hoc animaduertens respondet, uerbum semper secundum suam formam significare coniunctionem prædicati cum subiecto, atque colligationem, ut ait; sed quandoq; in propositione. s. binaria, quum uerbum erit appositum ac situm per se, sine implicito suo prædicato, tunc utrunque significat, & intentionẽ, quæ in nomen dissoluitur, & coniunctionem prædicati cum subiecto; sicut cum dicimus, Socra. sanatur, & Socra. ambulat; in propositione autem trinaria, uerbum est

forma significans colligationem prædicati cum subiecto, cum erit prædicatum nomen ex nominibus, ut cum dicimus, homo est animal. Significat etiam prædicatum, non illud quod uerbum erit, aut intentio significata per uerbū, quod in illam dissoluitur: sed diuersum a uerbo, ac uerbi intentione, quæ nomen est, ut homo est animal: non ut est in ea enunciatione, quæ ex subiecto, & uerbo per se sumpto uidetur, ut Sor. sanatur, Sor. ambulat: sed illud cuius colligationem cum subiecto significat, & dicitur de subiecto, quando est subiecti pars: (essentialis intellige) aut in subiecto, cum fuerit accidens. Itaq; ex eodem Auer. ratio in contrarium inducta diluitur, proprium uerbi esse, ut sit prædicatum, & non subiectum, quando uerbum per se positum fuerit: non ratione qua uerbum, quoniam ita maxime propriū uerbi erit, dum in oratione est, coniunctionem & colligationem prędicati cum subiecto notare: hoc enim omni, soli, & semper in oratione existenti uerbo conuenit: nam in propositione etiam binaria, ubi uerbum est positum ac situm per se, tanquam prædicatum, non negatur per se esse formam, coniungentem prædicatum cū subiecto: sed non esse subiectum: ac prædicatum & appositum dicitur non per se, quia sic omni uerbo competeret, sed per accidens in tali uerbo, quod per se positum, ac sine explicito apposito situm, est forma significans, ac complectens intentionem prædicati, quod nomen est, & coniunctionem (per se tamen) prædicati cum subiecto, ut Socra. sanat, idest, est sanans. Petes cur uerbi proprium explicans, ut si nota significans prædicata, oppositas species numerauit? respondetur ex Auer. primo poster. 13. ꝙ nominis explicatio fit quandoq; per enumerationē specierum, in quibus genus inspicitur manifestius. Cum igitur naturalium prædicatorum species ad duo præcipue reducantur, in antepradicamentis, primo poster. 136. in magno cōmen. ad superius de inferiori, quod partem formalem; & causam itidem ut formam concludit, & in accidens: propterea per illa duo, reliqua prędicata notauit, quæ de alio; idest inferiori subiecto, uel sunt in alio, ut proprium in specie, uel ut accidentia in indiuiduo, quinto phy. fi. 17. Ex his modo declaratis manifeste consequitur, Suessam non percepisse quid ex ante explicatis uerbis Auer. uellet: nam ipsum referens ait, ꝙ litera illa, (et semper est nota &c.) duobus modis potest intelligi: uno modo ut uerbum sit semper nota prædicatorum: ut quod. ut quando ipsum est prędicatū: ueluti in enunciationibus ex uerbis adiectiuis constātibus: ut, Socr. sanatur, Socr. disputat: in quibus uerbū disputat, & sanatur, est prædicatum. secundo modo potest intelligi ut sit nota prædicatorum, ut quo, quia ipsum est, quo prædicatum dicitur de subiecto, aut est in subiecto, ut in enunciationibus de uerbo substantiuo, ut homo est animal, homo est iustus. Sed contra; quoniam Auer. inquit; ꝙ quando propositio est binaria, idest in qua uerbum positum fuerit per se, idest non eo expresso prædicato, quod per intentionem (ut dicitur) nominalem, idest quæ nomen est, designatur: tunc illud uerbum secundum formam suam, intentionem prædicati significat, & coniūctionem ac colligationem prædicati cum subiecto. Similiter in trinaria ubi prædicatum tertio loco adiacet, & est nomen ex nominibus, s. sumptum: uerbum est forma colligationem prædicati cum subiecto significans; & prædicatum, cuius significat colligationem cū subiecto. Vtrūq; igitur uerbum connexionem ac complexionem prædicati cum subiecto significat: erit ergo nota prædicatorum, ut quo: licet talis (ut mihi uidetur) differentia ab Auer. innuatur: nam quum uerbum erit appositum per se, secundum suam formam, intentionem prædicati significat: ut ly sanat, intentionem prædicati talem designat, qualis est forma uerbi sanans esse: & disputare, disputans esse: & ita de aliis huiusmodi uerbis omnibus positis per se. Quum uero uerbum tertio adiacet in propositione trinaria, colligationem prædicati cum subiecto significat, & prædicatū sed non secundum suam formā, idest talem quali est forma ac intentio uerbi, ut homo est animal: ly est, per se in propositione situm, colligationem animalis cum homine indicat, & prædicatum animal, sed non secundū formam similem uerbo, quod esse, ut ab ente deductum, significat. Præterea Suessa errare uidetur, dum Auer. sermonem, quo dicit uerbum secundum se sumptum, ac positum, arctauit ad enunciationes ex uerbis adiectiuis compositas: namq; idem uerum esse monstrabitur, ubi uerbum substantiuū, sum, es, est, fuerit positum secundum se: ut Socrates est, coniunctionē enim significabit, qua prædicatum inest subiecto, ut Socrates est ens, uel est existens: & intentionem secundum suam formam significabit, ens. s. uel existere, non re a uerbo diuersam, sed ratione duntaxat: erit q; prædicatum nomen, non ex nominibus sumptum: ut sunt quando, est, positum ac collocatum per se non fuerit. ut homo est animal, homo est iustus; sed erit nomen ex uerbis deductum: & hoc Auer. acute considerans, intellexit, in propositione trinaria prædicatum nomen esse ex nominibus sumptum, ac detortum. Hinc etiam liquet Auer. Ammonio aduersari, cum dicit uerbum notam esse prædicatorū, ut, quæ sint prędicata, quoniam omni uerbo tribuitur: & per se (dum in oratione est) connexionem ac coniunctionem prædicati cum subiecto significare: esse aūt prædicatum, non omni uerbo, neq; per se, prædicatū esse, ubi positum est secundum se: sed ratione intentionis, quæ nomen secundum propriam rationem est, quam uerbum illud significat ut similem uerbo: qua de causa factum esse monstrauimus ut nomen, non ex nominibus sumptū, sed ex uerbis detractum dicatur. Itaq; harum enunciationum prędicata, ambulare est loco dimoueri, & calefacere est agere; quum non significent coniunctionem ac colligationem prædicati cum subiecto, quod proprium est uerbi in oratione positi, uerba non erunt, sed nomina, quæ cū propriis subiectis iunguntur ac colligantur: Præterea tanquā falsum reiiciatur, uerba propriam uim seruantia, solum, semperq; ipsa per se prędicari: nomina autem non per se ipsa, ac perpetuo sine uerbo aliquo prędicari, quia nec absolutam orationē efficere natura possunt. Nam uerba propriam, & per se uim seruantia coniunctionem ac colligationem designāt, nec perpetuo & semper sunt prædicata: nisi (ut dixi) uerba sumantur per se; tuncq; non per se, sunt prędicata, sed ratione qua secundum formam suam significant intentionem prædicati, quæ cum uerbo re dicitur eadem, & existentia ratione tamen distincta. Itaq; per accidens idem est uerbum, & prædicatum. Amplius infra Ari. dicet quod sicut nomina orationem absoluere sua natura sine uerbis non possunt; sic uerba, quæ uidentur compositionem quandam notare, sine extremis nominibus illam nequaquam sua natura significant. Ex uerbis his, ꝙ supra diximus, confirmamus, uerbum per se ratione qua uerbum, non posse prædicatum uocari, sed compositionē significare prędicati cum subiecto; quā sine extremis nominibus intelligere non ualemus, idest sine prædicato, & subiecto quæ uerè extrema uocantur, primo priorum primo. nam quinto metaph. de termino, ratio communissima termini est extremum esse: terminus autem est, in quē, ut extremi rationem habentem, resoluitur propositio, ut in prędicatum & subiectum. extremum igitur prædicatū nunquam uerbum dicetur: similiter uerbum prædicatum non erit, sed compositionem prædicati cum subiecto declarans. Quædam hic a Suessa ac aliis, alibi potius inuestiganda, quæruntur, an uerbū pars sit enunciationis. Suessa, recentiorum opinione reiecta, ipse uerbum partitur in cathegoricum, idest adiectiuum, & syncathegoricū, idest substantiuum, sum, es, est: primo modo est pars enunciationis, & prædicatum: cuius rationem adducit, quoniam non differt a nomine, ꝙ ad significatū principale, ut cum-

cursum &c. sed quo ad consignificatū, cum tempore ut significat nunc esse, aut heri fuisse, aut cras fore: uerbū uerò secundo modo non est pars ut materia, idest tanquam prædicatum, aut subiectum, sed significat quādam cōpositionem &c, quam ait expositionem esse Boeth. Ammo. Auerrois, & omnium græcorū. Sed huius sentētiæ improbatio ex superioribus patet, nam siue uerbum adiectiuū sit, ut sanatur, disputat Socra. semper est syncathegorema, idest coniunctionem, & compositionem prędicati cum subiecto significans. Item uana partitio est uerbi in adiectiuum, & substātiuum, cum utrunq; positum per se, prædicatum ab Auer. nominetur: non ratione qua uerbū, quod complexum significat, sed per accidens, idest per alterum, intentionem. s. quam secundum suam formam nominis rationem indutam significat. Similiter uerbum adiectiuū non secundum se positum, sed cum extremis compositionem significabit prędicati cū subiecto: et utrūq; prædicatum nomen de nominibus sumptum, ut Sortes legit Platonē &c. Præterea eius ratio infirmatur, si quæ conficitur, primum ponamus: quoniam si propterea uerbum adiectiuū sumptum per se, enunciationis pars dicitur, ꝙ in principali significato non differat, sed consignificato. s. significare tēpus: non igitur uerbū erit prædicatum, sed principale significatum, nominis rationem indutum: actio enim & passio, quæ principale significatum ab his etiam dicitur, sine uerbi differentia propria sumpta, nec nomē, nō uerbum uocatur, & si ex uerbis ducatur consignificare autē tempus differentia propria uerbi est, qua a nomine cōtra distinguitur. Si igitur adiectiuum uerbum nō est prædicatum, ut consignificat tempus, nō ut uerbum prædicatum dicetur, sed ratione nominis, cuius per se uerbum coniunctionem significat. Vtrunq; igitur uerbum pars enunciationis uocatur: necesse est enim omnē orationem ex uerbo constare ut infra capite. 4. et initio libri secundi: non ut prædicatum per se, sed quando sumitur per se, tam adiectiuum, quam substantiuum prædicatum dicitur, ac si negetur esse subiectum et suppositum: et non per se prædicatum sit, sed ratione intentionis, quam tanquam nomē per se significat: utrunq; autem uerbum per se, ut propriū in oratione, complexum, coniunctionem, et colligationem significat: quia ratione pars orationis, ut forma, uocatur, prædicatum, cum subiecto cōiungens. Amplius Ammonius, cuius etiam esse hanc cōpositionem affirmat, asserit uerè uerbum esse substantiuum, sum, es, est, ab ente detortum, quod essentiam explicat, ac absolutam perfectamq; enunciationem constituit. Vbi autem uerbum, est, essentiam explicat in absoluta perfectaq; oratione, genus & differentia de specie prædicatur, medio uerbo: Quare cū hic uelit hanc maximè proprietatem uerbi, ꝙ prędicatū sit, ueram esse de præcipuo uerbo: ergo de, sum, es, est, uerbo præcipuo intelliget esse notam eorum quæ dicuntur, ut quod, prædicatum sit, non quo solū. Item in exēplis Ammonii, ambulare est loco dimoueri, & calefacerē est agere, uerba ait esse prędicata, ut quæ secundum essentiam dicuntur de alio: loco autem dimoueri, & agere essentiam explicant subiectorum: non igitur tanquam adiectiua, posita per se, prædicata dicuntur, quæ ut accidētia suis subiectis inhærent. Contra hæc recentiores insurgūt, primum probantes, uerbum nullo modo enūciationis seu propositionis esse partem: idem enim terminus efficit ad propositionem collatus, quod partes enunciationis: sed primo priorum primo, ab Aristot. dicitur, terminus est in quem resoluitur propositio, ut in prædicatū & subiectū, quæ nomina sunt, non uerba, primo perher. 4. secundo perher. primo. (ut contra Ammonium, ac cæteros multis deduximus) non ergo uerbum pars enunciationis dicetur: nam primo physi. primo de gene. in quæ unūquodq; dissoluitur, ex his constituitur: terminus autem in illa duo tantum dissoluitur: ex his ergo duntaxat enūciatio ac propositio componetur, quę nomina sunt: aut cum Ammonio necessario asserendum, in uerbis inductis intelligi, uerbum esse in quod propositio dissoluitur ut in prædicatum propterea hęc obiectio facile ab Ammonio. ac cæteris solueretur: a nobis autem erit, ut in re abdita laborandum. Suessa breuibus difficultatem profugiens, respondet: uerbum substantiuum terminum materialē non esse, sed adiectiuū: nec contra id Arist. uerbū procedere. Sed nos tam hæc dicta supra refellimus: nam utrunq; uerbum tā substantiuum, quam adiectiuum positum per se, prædicatū efficitur, quare similiter utrūq; uerbum pars, ut materia, & prædicatū dicetur. Præterea, responsione concessa cōtra Arist. ac Ammonium, & reliquos concludētur, saltem uerbum substantiuum nullo modo enunciationis ac propositionis partem esse uocandū, in quam propositio non dissoluitur, tanquam in prædicatum, ut quod. Propterea nunc breuiter, longius autem in primo priorum Deo dante, dicemus. quinto metaph. 22. cap. de termino. communissima ratio termini est extremum esse: qua de causa Aristo. finiturus terminum, propriam rationem intēdens, describit per extrema propositionis, subiectum, & prædicatum, non uerbum, quod medii coniungentis ac colligantis extrema, rationem significat. Verbum igitur in definitione termini non expressit, ꝙ extremum non est: illud tamen intelligi uoluit ut medium extrema cōiungens. quo prædicatum de alio, idest subiecto sua natura dicatur: nō enim in libro priorum Arist. institutum ac propositū fuit principia ac partes, ut materiam, uniuersas docere ex quibus propositio ederetur, quoniam id in libro perher. secernendum quid nomen quid uerbum, ponere ac constituere intendebat, ut partes enunciationis: quæ eadem te, partes propositionis dicuntur: Nomen uerò propterea non reliquis, & ad propositam intentionem noscendam, secundum rationem termini, referebat: ut extremum in tribus syllogismorum figuris construeretur: aut quandoq; subiectum, & quandoq; prædicatum in prima figura: aut ut bis prædicatum in secunda: aut ut bis subiectū in tertia. Non ergo aliis enunciationis, & propositionis partibus ad propositum finem indiguit, nisi his, quę extremorum rationem habeant, ut est prædicatum, & subiectū, ratione diuersa ac distincta ab eisdem in libro perher. positis acceptis, ut dictio, & uox a positione significans &c. Verbo autē quamuis syllogismi, qui circa cōpositionem & diuisionem uersantur, opus necessariò habeant, nō ea tamen ratione qua compositionem & colligationē prędicati ut extremi cum subiecto significat, ut terminorum sic enim propriè fiunt partes syllogismi, diuersi secūdum figuras, & modos. Hac igitur de causa uerbi nō meminit, ꝙ illis sufficiens uidebatur ea cognitio, quæ in libro perihermenias posita est. Secundo arguunt, omnis pars propositionis potest esse aut maior, aut minor terminus. Dicas ꝙ pars illa potest esse maior aut minor terminus quæ extremi rationem significat: non quæ extremorum cōiunctionem & colligationem dicit, qualem esse uerbum mōstrauimus, quod partes illas cōiungit: nō ut Suessa, qui dicit, uerbū substantiuum non posse esse nec partem minoris, neque propositionis maioris, bene autē uerbū adiectiuū: quia utrunq; (ut diximus) uerbum secundum se sumptū, prædicatum efficitur, modo tamen superius explicato. Verbum ergo ut prædicatum, terminus & extremū, pars minoris, aut maioris necessario dicitur. Præterea octauo physi. 49. 53. 65. ex motu æterno uno &c. æternum motorem esse monstratur: & contra ex motore æterno notificato esse, propter quid, motus æterni, necessaria ratiocinatione conuincitur: ratiocinatio autem necessaria, siue demonstratio quia, ex substantiuo uerbo, sumpto per se, intentam conclusionem demōstrat; si motus æternus est, ergo motor, & motum æternū est: itidem, si motor æternus est, hæc igitur causa est, ꝙ motus æternus sit, causam

non esse demonstrans. Tertia ratio eadem responsione diluitur: Arist. enim primo priorum primo ostendens, omni uel nulli inesse, propterea uerbi non meminit, quod illa ad rationem prædicati, & subiecti, ut extremorum, attinere ognoscuntur: ait enim (de omni prædicari dicimus, quando nihil est sumere subiecti, de quo non dicatur alterum prædicatum:) ita propositionem de nullo dici, a quo nulli inesse, tanquam proprio loco, potestatem ueræ, & naturam concludendi recepit: sicut omni inesse, a dicto de omni. Hæc tamen, uerbum, ut extrema, coniungens, ac compositionem significans, non excludunt: huius enim proprium est alterum prædicatum omni subiecto, ac contento sub eo, inesse, uel non inesse, notare. Eodem modo quartam eorum rationem non concludere demõstratur, cum dicunt. Si uerbum pars propositionis esset, conuersionem siue in terminis euersionem negari: Nam euersio extremorum tantum est prædicatorum, & subiectorum: non ergo uerbum diuersa ac distincta ratione in libro priorum ponere ac definire oportebat, cum colligationem significet extremorum, secundum eandem proprietatem in utroq; libro: necessarium tamẽ esse significatur, cum uerti propositio affirmatiua, siue negatiua non possit, sine medio uerbo, quod extrema prædicata, de subiectis prædicari, uel negari significet: non ut ait Suessa, conuersionem in uerbis substantiuis non fieri, sed adiectiuis: nam si homo est, risibile erit: & si motus æternus est, ergo motor æternus, & contra: sed in uerbis adiectiuis conuersio non consequitur, omnis homo currit, ergo currit est homo: nisi in nomẽ uerbum ipsum soluatur, aliquid igitur currens est homo. Verba autem posita per se, tam substãtiua, quàm etiam adiectiua conuerti nõ possunt, nisi in sua prædicata ex uerbis sumpta uertantur, ut omnis homo est, uel currit, aliquid igitur currens uel ens, erit homo. Ex quibus dictis firmatur, uerba sumpta secundũ se, alia ratione prædicata non esse, nisi ratione prædicatorum, & nominum, quæ ex uerbis, nominis rationem indutis, sumuntur. Sed quod mihi maximè arduum, ac nostræ ueræ opinioni repugnans uidetur, auctoritas Auer. est, qui primo priorum primo, & quæsito de termini finitione, contra Alex. affirmat uerbũ propositionis necessariam partem non esse, & ad primam rationem quasi respondens ait: (terminus quidem est id, propter quod signatur in hoc libro res illa, in quam resoluitur propositio: ex eo quod est pars necessaria ad hoc ut sit propositio, quæ est prædicatum, & subiectum, quæ ambo sunt partes necessariæ in essentia ipsius: non res, quæ adduntur in propositione loco copulæ, quæ sunt uerba inuẽtionum: quoniam in illas non resoluitur propositio secundum quòd sunt partes necessariæ in ea: quia propositio iã est propositio in actu, licet uerbum inuẽtionis inueniatur in potentia, & occultatione, tam est propositio cum uerbo: & sit uerbum inuentionis in ea inuentum in potentia, & per subintellectum: sicut currit consuetudo apud Arabes in ternariis, & sicut se habet res in binariis: hoc est, quia non est necesse eis uerbum inuentionis. i. sum, es, est. & æquales sunt in hac intentione propositiones affirmatiuæ, & negatiuæ.) Hæc Auer. Quibus ex uerbis patet recentiores ab Auer. eorum opinionẽ sumpsisse, dum ait, uerbum necessariam propositionis partem nõ esse in essentia ipsius, sed rẽ esse, quæ additur in propositione loco copulæ, ut est uerbum inuentionis, sum, es, est, tam in trinariis, quàm in binariis, in quod propositio non dissoluitur tanquam in partem necessariam: quia propositio iam est propositio in actu licet uerbum, est, inueniatur in potẽtia, & occultatione, & per subintellectum. Quod ex Arist. confirmatur, primo priorum secundo, ubi propositionẽ uniuersam, seu uniuersalem euertẽdam apponens, ait (ut si omnis uoluptas bonum.) idem dixit de particulari affirmatiua, si uoluptas quoddam bonum: & in quæsito de definitione termini asserit, propositionem in prædicatum & subiectũ dissolui per se, ut in ea, quæ inueniri possunt per se, & separatim: at uerbum per se inueniri nõ potest, quoniam habitudinem prædicati ad subiectum significat. i. compositionem, quam sine extremis non est intelligere, & semper est nota eorum, quæ dicuntur de alio. Ex qua sententia Cõmẽ. deducitur, uerbum ut uerbum inueniri non posse per se, tanquam extremum, & prædicatum, sed ratione nominis, ex uerbo deducti, quod secũdum suam formam significat. In contrariam partem est auctoritas Arist. infra c. 4. (necesse. n. (inquit) omnẽ orationem enũciatiuam ex uerbo constare:) ubi etiam Comm. exponens ait: (& omnis oratio enunciatiua absque dubio habet uerbum: & necesse est, ut sint tres dictiones, dictio significãs subiectum, & prædicatum, & dictio significans copulationem.) Amplius idem Comm. contra Alex. arguens, quæsito de termino ait (quòd uerò descriptio Alex. non euadat difficultatẽ, est notum, propter copulam orationis perfectæ. i. propter dictionem). i. uocem significãtem copulam prædicati cum subiecto: nam propositio resoluitur in illam, & impossibile est, quòd sit sine illa: & hoc expresse, uel implicite: implicite quidẽ absq; ipsa dictione: prout est mos sermonis Arabici, ut primo priorum. 1. & primo perther. 4. etiam dicit. Itaque ipse fatetur, uerbum partem enunciationis necessariam esse: Sed ne sibi ipsi contradicat in quæsito de termino: & primo prior. primo, dicitur: quòd non necessariam primo priorum primo. uocat: ut secundum essentiam ipsi propositioni tanquam extremum conueniat: & non resolui in eodem quæsito affirmatur, ut in partem per se, ac separatim existentem, sed ut in copulam, ac formam, prædicatum cum subiecto potestate saltem nectentem. Item Arist. secundo periher. primo. dicit: (præter autem uerbum nulla affirmatio, & negatio est. (Verbum igitur necessaria enunciationis pars erit, ut ex illo necessario constat enunciatio, & forma necessaria, & per se, orationem enunciatiuam cõstituet, similiter & propositionem, ut re eandem cum enunciatione, licet ratione ab inuicem distinguatur: Item illud, quo non addito, oratio enunciatiua nondum est, præter quod nulla est affirmatio, & negatio: & quo inter extrema posito, enunciatio ponitur, non autem solis extremis: est essentia, uel proprium, & per se, illis conueniens: uerbum autem est huiusmodi c. cap. quarto primi: nam si huiusmodi rationi, est, aut fuit, aut erit: aut aliquid huiusmodi non addatur, nondum est oratio enunciatiua: præter quod nulla est enunciatio affirmatiua, & negatiua, quam necesse est ex uerbo constare. Verbum igitur necessaria pars dicetur, aut essentiam, aut accidens proprium explicans: non accidens proprium, quod rem, ac formam, & compositum, media forma, consequitur. octauo physico. 32. tertio coeli. 28, reiq; iam constitutæ inest. primo topic. quarto, uerbum autem enunciationem non sequitur: ergo non accidens proprium, quia illam constituit, ut forma. Quo enim primo in materia posito, effectum ac compositum ponitur, & quo primo remoto, idem compositum remouetur, est forma. primo poster. t. 4. in antiqua commenta. Verbo autem inter extrema primo posito, enunciatiua oratio ponitur: tunc. n. compositionem, & esse uerum, ac complexum cum suis compositis, ac extremis consignificat: non contra, ut de hominis ratione Arist. testimonio ante mõstrauimus. Verbum igitur essentiam orationis enunciatiuæ, tãquam formam, non accidens proprium explicabit. neq; res essentiæ addita erit: nam hoc uel accidens proprium, uel commune dicetur: non proprium, ut supra docuimus: non commune, quoniam nec res composita in esse ex eo constituitur, nec necessariò ex illo, tanquam componente forma, essentiam explicante, constabit. Nec eius ratio uerum concludit, cum inquit, quia iã est propositio in actu, licet uerbum inuentionis. s. sum, es, est, inueniatur in potentia, & occultatione, & per subintellectum: nam similiter de no-

minibus

minibus dicerem: quoniam est apud græcos consuetudo, orationem proferre solo posito uerbo, licet nomina in potentia, & occultatione, & per subintellectum (ut aiunt) ponantur, ut supra Ammonius de his orationibus dixit, ambulo, ambulas, ningit, pluit: quæ certas personas sibi determinant. Nec propterea quòd Arabes itidem (ut nos ex Aris. confirmamus) & græci, iam in trinariis, ac binariis (licet in his apud græcos non uiderim, nisi tantum trinariis) ita consueuerunt, nomina sine uerbis exprimere: uerbum igitur pars necessaria, & secundum essentiam enunciationē non erit. Præterea quod in quæsito de termino ait, a me tanquam falsum, ac Arist. repugnans refellitur: nam si terminum Aris. uocat, in quem propositio ipsa dissoluitur, ut partes per se, quæq; solæ ac separatim ab aliis componentibus disiunguntur, ac permanent, Verbum igitur terminus appellabitur, nam infra ab Ar. de uerbo dicetur quod uerba secundum se dicta, sola & pura, significant suum proprium significatum simplex, ut nomina: non uerum atque complexum, esse aliquid in aliquo, uel non esse, declarans. Item eodem cap. quarto. eiusdem primi Arist. ait. (nomen igitur, & uerbum dictio sit solum, non uerū aut falsum, nisi cum extremis significans) ut idem Com. & Ammon. declarabunt. Amplius: aut uerbum sumis ut formam, quæ actu prædicatum cum subiecto coniungit: aut ut materiam, quæ nondū actu, sed potestate tantum connectit. Si primo modo sumatur: sicut uerbum per se ac separatim inueniri non potest sine compositis extremis: ita composita in oratione ac propositione, extrema, a uerbo seiungi non poterunt, nisi uerbum potentia, occultatione, ac per subintellectum ponatur. Si uerò tanquam materiā ex qua constare ac componi propositio potest: simili ratione uerba ac nomina sehabebunt, ut sumantur per se, ac separatim inueniantur. propterea respondemus propositionem in eas partes resolui, quæ habent rationem prædicati & subiecti: ita non in uerbum dissoluitur, sed ut in copulam, quæ prædicatum cum subiecto coniungit ac prætérea dicimus, terminum non resolui in uerbum, ut extremum, quodq; extremi rationem habeat sed ut medium extrema iungens. Sed prima responsione concessa, tantum in uerbum, ut copulam coniungentem, dissolui, adhuc cōtra Arist, dubitatio manet: si propositio in uerbum dissoluitur, ut partem necessariam, & per se, terminum igitur finire debebat, ut in ea per se ac necessario dissolueretur, ex quibus etiam per se ac necessario constituitur, itaq; dicendum foret, terminus est in quem propositio dissoluitur, ut in prædicatum, & subiectum, & copulam: ad quod supra satis respondimus, propterea nunc omittimus, ne frustra sæpius eadem refricemus. Hæc igitur de prima quæstione sint satis. Secundo petunt an uerbum magis ex parte prædicati se teneat, ut eius pars, an subiecti? Mihi ita respondendum uidetur, cum, an uerbum prędicato, aut subiecto sit simile, uel idem, tanquam eius pars, inquiramus simile distinguendum prius est, & idem. aliud enim subiecto, re, & existentia dicitur: idem & simile quoddam ratione ac definitione, eandem essentiam explicante. Tunc dico uerbū plurima ex parte, re idem, ac similius esse prædicato, quàm subiecto: nam ut Comme. asseruit, ubi uerbum positum est secundum se, intentionem prędicati significat, similem. s. & re eandem: quia secundum suā formam prædicatū designat, ut Socrates sanatur. i. sanans uel sanitatem, & Socrates ambulat, ambulans explicat, ut re simile ac idem uerbo, a quo deducitur: est enim (ut dixit) nomen ex uerbis acceptum. Vbi autem non sumitur per se, sed ut coniungens, ac connectens prædicatum cum subiecto (tam substantiuū, quam adiectiuum intellige) uerbum suum principale seu præcipuum significatum designat, ac formam actionem. s. uel passionem, esse, uel essentiam, aut inesse: quæ omnia, ut formæ, & accidentia, similia prædicatis potius quā subiectis dicuntur: illis enim natura tribuitur, ut in alio existentia, de alio prædicari possint, non ut uerbi rationē induta, sed ut uim nominis subeunt. Sed uerbum secūdum consignificatum hæc propriā rationem acceptum, cum ab utroq; termino, primo peri her. 4. per adsignificare tempus, distinguatur, neutri idem, uel similius dicitur: non enim comparatio fit nisi in forma, quam utraq; extrema participant, licet secundū gradua diuersam. Ratione igitur principalis significati, magis similia sunt prædicatis, quā subiectis: sed ad propriā differentiam ac rationem collata, comparatione, esse idem seu, quam uocant, identitatem, uel similitudinem non recipiunt. Hinc patet contra aliquos sequi, uerbum ut formā significat, s. actionem, passionem, & esse, aut essentiam, similius esse prædicato, quam subiecto: quoniam secundo de anima tertio. propriū formæ est in alio esse: quod prædicato naturali conueniens est. primo poster. 136. Tertio postulant, an uerba sint per se prędicata quæ dicantur de aliis, an nota aliorum, quæ insunt in alio? Suessa respondet, sumens (ut ait) a Porphy. uerbum cathegoreticē sumptum, esse totum prædicatum principaliter: ut Socra. sanatur. i. sanus fit, & uerbum est: connotans ut uerbum syncathegorematice: syncathegorice uerò est signum prædicatorum que signa prædicatorum cum prædicatis coordinantur: sicut signa distributiua, cum subiectis, tāquam materiis, coniunguntur. sed secundo dicto concesso, tanquam uero, primum refellimus: si enim uerbum cathegoricè sumptum. i. secundum se, est uere uerbum, differentiā igitur uerbi propriam non abiciet, quæ est consignificare tempus. i. utrunq; tanquam pręcipuum significatum, motum, actionem, & passionem, tēpore mensuratā. Vtrunq; igitur uerbum significat, & si principale uerbi significatū in prædicatum soluatur, ut a uerbo deductum, non tamē ut uerbi: sed nominis rationem participat. Propterea (ut supra) dicendum, uerbum semper per se esse formam, ac notam ut quo, non ut quod, eorum, quę dicuntur de alio: & ex accidente contingere, ut uerbum positum per se appositum, & prædicatum dicatur: non ut uerbum: sed ut nominis uim ac rationem assumit. Hæc de quæstionibus. nunc ad Aristotelem ueniamus.

TEX. BOETHII.

Non sanatur uerò, non ægrotat, non uerbum dico. Consignificat enim tempus, & semper de aliquo est. Differentiæ autem huic, nomen positum non est, sed infinitum uerbum sit: quoniam similiter in quolibet est, & quod est, & quod non est.

Non ualet uerò, non laborat, non uerbum dico: consignificat quidem enim tempus. & semper de aliquo contingit. Huic autem differentiæ nomen non est impositum: sed esto, indefinitum uerbum: quoniam similiter in quolibet contingit, & ente, & non ente, siue quod est, & quod non est.

Dicebamus Arist. non excludere a uerbo prius definito uerbum indefinitum, hoc igitur hic Aristo. manifestat: quod etiam Ammonius Arist. ratione, ac uerbis coactus, affirmat: nam differentiam & proprium uerbi illi asserit conuenire: ergo & uerbum: sed uerbi species declarare constituit, sicut de nominibus egerat: Quæres igitur ab Arist. cum uerbum aliud sit finitum, aliud indefinitū. hoc secundum, quale sit uerbum? Respondet exemplo. {Non ualet uerò, non laborat, non uerbum dico}. s. absolutè et simpliciter speciem uerbi: sed uoco illud non uerbum. i. uerbi proprie, absolutè, & simpliciter dicti priuationem significans. {Consignificat quidem enim.} Peres. cum indefinitam speciem uerbi non uerbum appellas, an nō uer

bum in communi esse asseris? Quasi respondens ait, uerbum quidem in communi uocari, quando quidem consignificat tempus, quod uerbi est differẽtia, ac esse eius constituens, per quod est a nomine differens: itemq; illi proprium uerbi tribuitur, ut semper de aliquo dici contingat quod uerbi proprium (dum in oratione est) dicitur, non differentia, in esse constituens: quoniam ad hoc, tãquam opus, dirigitur, ut sit nota significans ac coniungens eorũ quæ dicuntur de alio, uel sunt in alio. {Huic autem differentiæ.} Postulabis ab Arist. nomen proprium speciei: nã cum esse eius exemplo duorum sit positũ, & definitio ac nomen uerbi in communi sint nota, proprium nunc speciei nomen inquiro. Respondet, nomen a ueteribus positum non habere: tanquam ab eis neglectum fuisse Ammonius ait: sed non probo quoniam speciei nomen & cognitio est ad totum cognoscendum pernecessaria: propterea supra de indefinito nomine idem quod hic nomen indefinitum declarans, dixit, Nondum enim positum nomẽ est a ueteribus, quo oporteat illud uocare: sed sit indefinitum. Tanquam igitur res cognitu necessaria, ac generis analoga species, spernenda non erat: melius igitur dicetur, nomen a ueteribus nouatoribus nominum non habere, tanquam illis ignotum: propterea a me nouum, a rei indefinitæ proprietate deductum nomen ponatur, & esto uel sit indefinitum uerbum. & nominis rationem ex rei proprietate assignans ait. {Quoniam similiter in quolibet contingit, enti, & non enti} ubi ὑπάρχειν, Ammonius pro prædicari sumptum affirmat, motus forte Arist. simili uerbo, quod paulò ante posuerat, cum ait, consignificat quidem enim tẽpus. & semper de aliquo ὑπάρχειν. i. contingit prædicari: quod sic uerum esse obseruauimus: nam actu de ente, & non ente prædicari contingit: cum enim uerbum priuat, actum eius quod est in potentia salitem, enti contingit & de ente dicitur: si uerò actum priuabit uerbi, quod per se non ens dicitur, ut priuatio decẽ generum, uel terminatæ naturæ, de non ente per se prædicari continget, ut non ens, priuationem significat: uerbi gratia, quando ex eo quod non est, aliquid generari contingit: & quod non est, in potentia est, non in actu: tunc per se ex eo fit aliquid, & non est, enti contingit, ac de ente dicitur in potentia. Quando uerò quod non est, est priuatione dicitur: per accidens ex ea aliquid fit: & non est, non enti contingit: atq; de non ente dicitur, per se, idest de priuatione, ut supra de nomine pluribus Arist. locis monstrauimus. Quæres cur indefinitum uerbum differẽtia uerbi nuncupatur? Suessa Ammonium sequens, respondet, differentiam hic nõ sumi pro uera differentia, quæ genus partitur, ac per se speciem in esse constituit, sed pro discrimine, seu (ut Ammonius ait) pro diuersitate, qua diuersa genera distinguuntur. Contra quam responsionem arguitur: primo ex Commentatore qui asserit uerbum indefinitum esse speciem uerbi, quod in communi finierat: & confirmatur ex Arist. secundo perihermenias primo. (quoniam (inquit) est affirmatio significans aliquod prædicatum de aliquo subiecto:) prædicatum inde, ut nomen partitur, cum dicit: (hoc autem uel nomen est, uel innominabile) quod unum quoddam significat, quemadmodum & nõ curie eodem modo uerbum in communi, in easdem partes distribuit, dicens: (erit igitur omnis affirmatio, & negatio ex finito nomine, & uerbo, uel ex infinito nomine, & uerbo.) Et quòd indefinitum uerbum uocetur in communi per ea, quæ consequuntur, uerba clarescit: ait. (præter uerbum autem nulla affirmatio, & negatio est:) minor in textu. (Sed enim est fuit, erit, fit, ut substãtiua, & alia huiusmodi adiectiua, ac infinita sunt uerba: ex his quæ a nobis sunt posita) idest definita, & tanquam positiones per se notæ descriptæ: ergo sub communi uerbo, ut diuidẽtia illud, tanquam genus, clauduntur. Secundo arguitur, quę sub aliquo conueniunt, ac in eius definitione communicant (adde tu) & proprio accidente, illæ species sunt, saltem analogæ, quibus generis definitio competit, quarto metaph. secũdo. nomen autem & uerbum indefinitum huiusmodi sunt, ut supra Amm. Arist. uerbis permotus, dicebat: erunt igitur species per proprias differentias constitutæ. Notandũ q dicit Arist. (sit indefinitum) quasi dicat, cum sit nomen translatum a rebus indefinitis, ut materia prima, quæ primo physic. 74. 75. 79. duodecimo meta. octauo, est non ens accidentaliter, ratione qua cum priuatione coniungitur, quæ non ens essẽtialiter appellatur, ut à re indefinita. similiter a contingente: quod primo priorum. 18. non necessarium dicitur, s. priuans terminata significatione necessarij, quod actum & esse tantum significat contingens, uerò priuationem esse terminati: sed quo posito esse, uel non esse, nullum sequitur impossibile: ita nomen, & uerbum indefinitum non nomen, nõ uerbum, absolutè & simpliciter appellatur, quoniam formam, actũ, habitum, nõ designant (quæ propriè a finitis uerbis, atq; nominibus explicãtur) sed priuationem propriam actus quæ non ens essentialiter dicitur, locis supra citatis, primo physi. 75. 79. duodecimo metaph. 8. 11. uel ens in potentia quod per se, & essentialiter ens appellatur, & nõ ens per accidens. primo de genera. 11. Itaq; enti & non enti applicari continget, ac prædicari. Propterea indefinita nomina & uerba, non nomina uocari præcepit, idest ut priuationem finiti nominis explicantia, sicut contingens, primo priorum. 18. non necessarium, idest priuationem esse terminati significans, in actu & potestate designat: ut posito illo esse, uel non esse, nullum impossibile cõsequatur. Dicunt quidam, nomen infinitum, et uerbum nõ actu significare ens, & nõ ens, siue non actu dici de ente, & nõ ente ex uerbo illo: (indifferenter enim in quolibet est, & non est.) Si ergo actu entia, & non entia infinita significaret, cum actus causa sit terminationis, & differentię: potentia uerò interminationis, & indifferentiæ, Aristoteles nõ dixisset. (Quoniã indifferenter id quod est, & nõ est, significat:) sed ad hoc. Ari. dicit ὁμοίως quoniã similiter, uel simili ratione, inest, uel contingit de illis prędicari: nõ ea ratione: quã illi affirmant, q uox priuata significatione nominis, ac uerbi finiti, uox pura remaneat, ut imponi possit ad significãdũ tam ea quæ sunt q̃ illa quæ nõ sũt: sed modo a nobis superius explicato: quoniam nomen ac uerbum indefinitum ex impositione, sumpta a rei proprietate, significant priuationẽ habitus, actus, ac formæ, quã propriè finita nomina, ac uerba designant, & potentiam, quorum primum per se non ens dicitur, secundũ uerò per se ens. ergo prædicatur de ente in potentia, quod non ens per accidens dicitur, & de non ente essentialiter. i. priuatione, quæ per se, & secundum essentiam, non ens appellatur: ita septimo metaph. octauo. & omnibus locis supra citatis, non albo, non musico, non ente Aristo. utitur. Sed dubium de transcendentibus remanet, quãdo ens pro decem generibus sumitur. primo phyc. 25. primo de generat. 11. tunc si non ens, indefinitum sit nomen: nulla ratione uidetur contingere, aut prædicari posse de ente. cum nihil remaneat, sed de priuatione omnino, & simpliciter, quę non ens, secundum essentiam, est. Ad hoc, cum de nomine ageremus, respondimus: opus non esse, ut indefinitum actu de ente actu, & non ente dicatur per se, sed de ente in potentia, & non ente. i. priuatione: per se tamen illi conuenit, determinatam priuationẽ notare actus, formæ, habitus, & existentiæ, quam finitum nomẽ designat: quæ priuatio est, non ens per se. ut de non ente dicatur, uel dici possit. Per se ergo perpetuò suum actuale significatũ habebit: sed cum ens, de decem generibus dictum, pro decem formis, & actibus ipsorum sumitur, tunc nõ ens priuationem notabit decem formatũ, & actuum: & per se, ac essentialiter non enti, idest priuationi conueniet, ac prędicabitur, & potentiam decem etiam generum cõtinebit;

atque materiam quæ non ens in actu, & ens potẽtia esse͂ tialiter appellatur, locis superius annotatis. Dici etiã posset, quum, est, & ens, pro decem generibus sumitur, tunc nõ est siue non ens, nihil omnino esse concludet: non ratione qua indefinitum est, sed ut uerbũ ac nomen negatur omni significatione, tam terminata, & finita formarum, & existentiũ actuũ, quam etiam potentiarum: Quã uniuersam non entis significationem Arist. intelligi uolẽs, primo de generat. & cor. t. 1. præter indefinitum nomen ac uerbum adiunxit, ex non ente, siue ex eo quod non est, omnino & simpliciter, nihil fieri posse, contra quàm dicant antiqui: ita primo physi. 75, ait (Nos autem & ipsi dicimus, fieri nihil simpliciter ex eo quod non est. i. priuatione simplici: & 74. ex eo quod non est, inquantum non est. i. ut abnegat uniuersaliter omne ens, tam quod actu est (quod a finito nomine explicatur) quam quod potestate est (quod propriè, ut res indefinita, ac indiscreta, ab indefinito nomine designatur) nihil fieri cõtingit. sed ex nõ ente, uerè indefinitè sumpto, ut nõ ens in actu dicitur. i. ut formam & actum excludit, ac priuat, & enti in potentia, te, existentia, ac subiecto coniungitur, quasi dicat: ex nõ ente per accidens aliquid fit: non autem ex nõ ente, uel ex eo quod nõ est, omnino, simpliciter, inquantum nõ ens per se, quicquam fieri cõuenit: quod uere indefinitum ignorantes antiqui generationem negarunt. Itaq; non ens pro decem generibus sumptum omnino nihil esse concludit. nõ ut uerè indefinitum ut terminatam priuationẽ significãs actu, & ens indefinitum. i. materiã ens in potentia: sed ut negatũ, omnino, simpliciter, per se, in quantum nõ ens: quibus adiunctis dictionibus explicatur, oẽ, ens tã actu terminatũ & finitũ uegari: quod finitũ nomẽ enũciat: q̃ ens potentia: ita cum ens uniuersum abnciat, & neget. nihil omnino esse sequitur. Quæritur, an ista uerbi indefiniti, & nominis impositio, recta sit, quæ a significato potentiali, ac quod potestate continet, sumitur: non autẽ, quod actu, siue nõ ab actuali. i. a priuatione terminati nominis, ac uerbi finiti: nam secũdo de anima. 49. a fine proprio in actu, unumquodq; nomen assumit: & octauo metaph. 7. ab actu. & differentia propria. Respondent, quia significatũ potentiale perfectius est. s. posse ad ens, & nõ ens significandum imponi: propterea q; ab illo nomen, indefinitum accepit. Ad rationes Arist. dicũt illam nominis impositionem fieri in nominibus positiuis habituũ significantibus, nõ priuatiuis, exemplũ proferũt de materia prima, quæ ens ĩ potẽtia ad omnes formas uocatur, ad quas collata cognoscitur. primo physi. 69. iccirco nomẽ ad easdem relata suscipiet. Quo enim modo cognoscimus, similiter nominamus. primo physi. quinto. Quam responsionem tanquam uerum probamus: sed addimus, illi, proprium nomen, quod ab actuali significato & proprio cõuenit, non deesse, quemadmodum cæteris nominibus priuatiuis, quę sexto top. 14. ad ꝓprios habitus, actus, & formas relata definiuntur, ac nomen accipiunt: ait enim palam. (Quoniam quod secundum priuationem quidem dicitur contrarium, necesse est definiri per alterum. i. habitũ reliquum uerò nõ tam oportet per id, quod secundum priuationem dicitur, definiri.) Ita Arist. ab actuali significato quid nominis uerbi indefiniti significans, ait. (Non ualet non laborat, nõ uerbum dico). i. nomẽ absolute. & simpliciter positiuum. ac formã, habitum, & actum significans dico, nõ habere: sed non uerbum dico. i. priuationem uerbi finiti, ac terminati declarans cum potẽtia propria. similiter de cõtingenti ex primo priorum. 18. retulimus, quod nõ necessarium appellauit: & de materia ex septimo metaph. primo physi. 69. quæ non est quid, quantum, quale, ad aliquid, ac aliqua formarum, quæ decem generibus cõpetit. Quod Auer. dictum ab Arist. afferit, ac declaratum in physi. cum primo physi. 69. ait. (Materia quidem igitur principium est, nõ sic existens). i. nõ ens, siue quod est neq; sic unũ, sicut hoc aliquid) idest non substãtia cõposita, sed in potentia ad omnes formas. i. ut priuationẽ significat decem formatum, & actiuum, ut actuale significatũ nominis ac rei indefinitæ declarans: item potentiale cũ ait, sed est omnia illa potentia) ita in cõtrariis primo physi. a 4 t. ad 47. & infra. (Non album fieri dicit ex non albo). i. quod actu priuationem albi significat: inde potentiale sub inferẽs ait. (Nõ omni albo, sed nõ, albo quod enti aptonato, & in potentia ac terminato cõtingit). i. quod est nigrum. Simili ratione de omnibus aliis contrariis, supra relatis, si dictum. Item materia prima, ut res indefinita, primo explicatur ut nõ ens in actu. i. ut actu formarũ priuationem designat, & tanquam potentiale, seu quod potestate complectitur: ens in potẽtia ad omnes formas uocatur, locis superius explicatis. secũdo petitur ut supra de nomine, an uerbum indefinitum aliquid significet? Aliqui dicunt, propterea nihil indefinitum uerbum significare, q; similiter, sine discrimina, entia, & non entia indicat, sed cõtra, ut supra de nomine, arguitur, ex Commen. & Arist. secũdo perihe. primo qui aiunt, finiti nominis & uerbi priuatione significare. Item experimento in uerbis omnibus patet, negatione ipsi uerbo coniuncta, ipsũ terminata significatione priuari. Ad eorum rationem respõdetur. ibi de significato potentiali Arist. loqui, non actuali: nam illud, quod actu priuat, est actio, eadẽ re & subiecto, ratione tamen diuersa & passio, siue esse, cum tempore a uerbo finito signata. Tertio quæritur, quum. Arist. ait. (Non ualet, nõ laborat) ly, non, an uim contineat simplicis negationis, an priuationis. S. Thomas respondet: uim simplicis negationis habere, non priuationis: cuius rationẽ adducens ait. Quoniam priuatio determinatum subiectũ supponit: Arist. autem indefinitum nomen & uerbum nõ huiusmodi esse affirmauit, sed tam de ente, quã nõ ente, siue de eo quod est, & non est, prædicari. Quæres ab eo, quid inter negationẽ infinitãtẽ uerbũ interent, & negantẽ? Ait isto differre, q; indefinita uerba in ui unius dictionis sumuntur, negatiua uerò in ui duarum. Hæc responsio infirmatur ex Auer. secundo periher. primo. Non iustus signat priuationem, & priuatio est ablatio alicuius rei ab eo, de cuius proprietate est, ut inueniatur in eo, in tẽpore illo, de cuius proprietate est, ut inueniatur in illo, sicut definitum est prius. s. in postprædicamentis. Cõfirmatur ex Arist. omnibus locis inductis superius, ubi nõ albo nõ musico, nõ figurato, ut nominibus indefinitis, determinatã priuationẽ contrarii significantibus, utitur. Item de non ente, quod de priuatione propria contrarii, & materia prima nõ ente actu, & ente potentia, dicitur: ita de contingenti, non necessario. nouissimè de infinito nomine, & uerbo monstratur: quæ non nomen, non uerbum uocabit, ut nomen, ac uerbum finitum, sua terminata significatione priuantia. Secundo arguitur. Verbum prius aptum erat significare, & nunc priuatum est significatione, ut infinitum efficitur: priuatio igitur erit in subiecto apto nato. Sed hæc ratio fieri posset de quolibet nomine finito & negatione, quòd priuaret affirmationem sua prima positione. Præterea secundo periher. primo. primo priorum ultimo, propterea a negatiua simplici ad affirmatiuã de prædicato indefinito, minimè consecutionem ualere fatetur, q; negatiua simplex communior est enunciatione de prædicato infinito, ut ibi ab Auer. declarabitur: quoniã prædicatum priuationem designat, quæ in subiecto terminato ac ꝓprio inuenitur. Itaq; facile ratio diui Thomæ soluetur nullum esse inconueniens, immò necessariũ, priuationem infiniti nominis & uerbi, determinatum subiectũ supponere, quod actu, forma, & habitu priuate dicatur, quod supra significatum actuale esse monstrauimus: ac de eo quod est, & nõ est, dici cõtingat: non ut hic quidam declarat, ut uocis finiti nominis & uerbi terminata impositio destruatur, et uox pura remaneat indifferẽs, ut possit

significare hoc, uel illud. quod uerum esse ait, ex Comme. de uerbo quod ab indefinito nomine deriuatur, uel nomine ipso. Nam supra hunc modum significati potentialis breuiter improbauimus. Vox enim puta & indifferens, ut imponi possit ad entia, et non entia explicanda, naturę opus uocatur: propterea nomen non erit, nisi ut effictum est, nota, ex arbitrio imponentium: potentiale autem significatum illud non est, sed actuale, quod impositum est ad significandum priuationem, & potentiam terminatam, quod quandoq; enti in potentia, uel contrario apto nato in potentia terminata existenti tribuitur, & prædicatur: quandoq; uerò non enti per se, idest priuationi, uel fictorũ nominum priuationibus competit, ut satis abundè supra ex Ari. dictis, & infra sectione quinta probauimus. Quæritur cum Suessa, an uerbum, quatenus uerbũ, in oratione possit indefinitari. In partem falsam ita arguitur: Quoniã negatione adueniente uerbo in oratione, negatum efficitur, non igitur indefinitum. Præterea omnis negatiua esset indefinita, cuius contrarium Ari. primo priorum ult. secundo perther. approbat. Suessa quasi opiniones concilians, ait, uerbum indefinitari non posse, ut syncathegorema, hoc est. ut nota compositionem prædicati cum subiecto significans, quam uerbũ, quatenus uerbum, significat secundo ait, uerbum, non quatenus uerbum, sed quatenus descendit a nomine, importans illud idem quod nomen (ut laborat, idem dicens quod labor, a quo uerbum deducitur: in quod etiam uerbum ipsum resoluitur, ut Sortes non laborat in Sor. est non existens laborans) sic indefinitum effici posse, quo ad significatum, in quo cum nomine conuenit: nam tunc uerbum ut syncathegorema est, idest purè affirmatum manebit. negatione ipsi prædicato remanente coniuncta, ut Sor. est non existens laborans. Quidã, qui in cognitione difficilium antecellit, Suessæ respõsioni dissentit, ac aduersatur, quod responsio ad quęstionẽ propositam non refertur, quoniam quæstio est, an uerbũ, ut uerbum, indefinitum in oratione remaneat, adde negatione iuncta uerbo, non ut in nomen dissoluitur: ita enim nominis, non uerbi rationẽ assumpsit. propterea ipse respondet. & primum quædam ponenda, ac notanda præponit: in primis uerbum intentionem, actionẽ, & passionẽ, mensuratam tẽpore, denotare: idq; uerbum habere, ut uox est incomplexa secundum se sumpta, ut nomen secundo uerbum extremorum compositionem significat, quod illi in oratione tantum existenti conuenit: nam oratio nil aliud explicat, nisi extrema per uerbum coniuncta. tertio notat negationem aduenientem uerbo, utrunq; significatum destruere, quod inuenit, actionem, & passionem, ac esse, tẽpore mensurata: item & compositionem, medio illo actu uerbi perfectam, ut Sor, non amat Pl. ignis calefacit ligna: baculus tangit manum: quam compositionem etiam destruere ratione confirmat: quoniam actus uerbi, causa est, ut prædicatũ uerbo iungatur: negato igitur actu proprio uerbi, ut causa, ipsa compositio, tanquã effectus proprie sequens in oratione, negabitur. His positis, totam de uerbo infinito, ut uerbum est, duobus dictis sententiam explicat: primum, uerbum extra orationem acceptum. tantũ fit indefinitum, nullo modo negatum. secundum idem re uerbum, ratione distinctum, indefinitum fit, & negatum. Primum dictum probatur, quoniam extra compositionẽ uerbum tantum intentionem actus uerbi negat, non compositionem, quod negationis est proprium, quæ in compositione consistit. Secundum hunc in modum declarat: ut enim negat actum uerbi, tempore mẽsuratum, indefinitũ uocatur: ratione uerò, qua compositionem, negatum efficitur. Hac itaq; ratione distincta, idem re uerbum (ut uerbum) indefinitum, atq; negatum efficitur. Quod autẽ negatio uerbo coniuncta, utrunq; neget, ac priuet, hac ratione monstratur, quia negatio utrunq; artificiale, siue arte effictum, quod inuenit, abiiciet: sed uerbo ab arte tributum

est, ut actum ponat, & compositionem: utrunq; igitur negatio destruet. Item Arist. ait, notam esse eorum, quæ dicuntur de alio, quod nisi in compositione esse non poterit. Ego uerò cogor ab hac sententia in ambobus dictis discedere, quoniam sicut de nomine differentes monstrauimus, nomen finitum propriè formam, speciem, & actum significat: nomen uerò infinitum per se & propter priuationem actus, & formæ, ut non ens per se; & materiã, ut per se ens: ita proportione quadam existimamus de uerbo finito, quod actionem & passionem, uel esse actu significat: uerbum autem infinitum priuationem terminatæ actionis, uel passionis, & esse, quæ apta sunt recipi in terminata materia, siue subiecto: (in materia dixi, si actus est substantiæ in generatione: in subiecto, si actio, & esse fuerit accidentis in cæteris motibus.) Nam Arist. primo ph. & primo de genera. 11. & 12. (ut supra multis tetigimus) uerbis infinitis uerè ut ens, ex eo quod est, uel non est, fieri ac generari aliquid affirmauit: ut id quod non est, tam de priuatione actus, quam potẽtia dicitur: ex eo quod est in potentia, & non ex eo quod non est per se, ut priuatione, uel non est actu per priuationem actus, & formæ. Ex his sequitur, quando uerbum, sum. es, est, & alia adiectiua, totam actionem, et passionem, siue esse, tam actu, quam potestate uniuersatum, siue quo ad omnem modũ essendi negabit, non infinitum uerbum dicetur, sed negatum: non illa negatione, quæ conuenit illi in compositione, sed qua negatur actio, & passio, uel esse, tempore mensurata, ut secundum se uerba tanquam nomina desumuntur. Ex his contra primum dictum consequitur: uerbum extra orationem acceptum, non tantum infinitum constitui, sed negatum: sicut enim, est, affirmatum uerbũ asserimus, quoniã esse actu tempore mensuratum, simul cum subiecto significat, non ea tamen affirmatione, quæ sibi in compositione prædicati cum subiecto tribuitur, sed qua esse actu tẽpore mensuratũ significat: ita, non est, extra orationem, cũ omnem modũ essendi actu & potentia destruit, omnino simpliciter, & inquantum non ens, tunc ut negatum accipitur, non infinitum. Ex hoc patet solutio rationis adductæ in oppositum: negatio enim adueniens uerbo extra orationem, non tantum intentionem actualem uerbi priuat, ac deiicit, quæ nata est ab agente terminato in materia, siue subiecto terminato procedere: sed priuationem et potestatem: cum, non est, omnino, & simpliciter non ens, ac nihil concludit. Tunc uerò ut infinitum, uerbum accipitur, cum intentionem actualem uerbi priuabit, & potẽtiam terminatam signabit, quæ a terminato agente cõtrario, in materia, & subiecto terminato, apta nata sit recipi. Ex hac primi dicti improbatione, secundum etiam infirmatur: uerbum infinitum negatum in oratione, non necessario infinitum constitui idem re, et inseparabili existentia quoniam uerbum, non est, omnino simpliciter, & inquantum non est, cum pro nihilo sumitur, & eo quod omnem modum essendi destruit, uel (ut Arist. ait sectione quinta) quando prędicatum id negat, quod tanquam disparatum, & aduersum non inest, neq; potest inesse, ut homo nõ est lapis: diameter non est commensurabilis costæ: tunc enim uerbum, non est, non priuationem intentionis significat, quæ apta nata sit recipi in terminata natura, siue subiecto: sed negationem actus essendi, quo prædicatũ a subiecto negatur. Re igitur, & existentia quandoq; ab inuicem separantur: quod rursus ex infra dicendis confirmo: sectione quinta & decimo metaph. t 5. Arist. affirmabit oppositionem contradictoriam uerè circa unumquodq;, communiorem esse priuatiua, & contraria, quæ circa idem subiectum fieri dicuntur, et materiam, siue subiectum terminatum supponunt. primo priorum ult. quarto metaphy. 12. decimo metaph. 15. 16. quod autem communius est, separari potest a minus communi, in post prædicamentis cap. de oppositis: præcipue cum superius, & magis commune

ab inferiori, & minus communi necessariò non dependet hoc enim modo est contradictoria oppositio, quæ & de ente, & non ente, tã actu, quàm potentia uera esse potest, nullo subiecto præsupposito, & circa omnia: priuatio aũt circa terminatũ subiectum. Igitur si infinitum uerbũ priuationem actus significat, nõ omnẽ significat, sed oppositam actui, & potentiam, que nata est recipi in subiecto, & ab agẽte terminato produci, ut ens generatur ex nõ ente, & album fit ex nõ albo. Ad rationẽ obiectam, qua secundum dictum affirmabãt, dicatur: quamuis affirmatũ uerbum actũ uerbi significet, qui causa propria est, ut in oratione prædicatum cum subiecto iungatur: & negatio aduenìens uerbo, actũ uerbi neget; qui actus negatus causa propria est, ut compositio proprie sequens in oratione negetur: ex isto tamen dato non sequitur, negationem intentionis, & esse uerbi, propriam esse infiniti uerbi, immo prius & per se uerbo conuenit, quatenus negatum est: ac contradictionem, oppositionem communiorem, & maiorem constituit: illi enim uerbo infinito non conuenit, priuationẽ intentionis, & actus uerbi significare, nisi quatenus priuatio, decimo met. 15, terminatam negationem supponit, non e contrario: sicut de oppositione negationis sequentis ad prædicatum infinitum, infra sectione quinta dicetur: communiorem esse & magis oppositam, & aduersam oppositione contraria. Verbo itaq; negato proprium est negare actũ, & intentionem uerbi tã terminatam, conuenientem proprie uerbo infinito, quam etiã omnem aliam terminatam, qua prædicatum nõ inesse alicui enti significatur, uel nihilo uel quod nunquã subiecto existenti inesse poterit. & si ab impositione uerbum habuit, ut non solum intentionem significaret, sed in oratione etiam compositionem, utrunq; negatio adueniens destruet, sed negatio per se, & primo, cum ad omnem actum, & intentionẽ uerbi, ac omnem modum essendi refertur, uerbum autẽ infinitum intentionem uerbi omnem non negat, sed terminatam, ut diximus, & semper negationem communiorem includit: sicut oppositio contraria necessario priuatiuam ut priorem, concludit; ut infra sectione quinta dicetur. Nam hæc est falsa per accidens, bonum est malum: illa uerò falsa per se, bonum est non bonũ: quia ut propria priuatio: illa uero contraria necessario includit priuatiuã hoc est, hæc est falsa per accidens, bonum est malũ, quia includit illam priorem, & per se in eodem, bonũ est non bonum, & hanc, bonum est non bonũ, sequitur negatio, bonum non est bonum, ut magis opposita. Dices Ar. sectione quinta loqui de infinito prædicato, non uerbo. Respondeas, uerum esse, sed ex simili ratione procedendum est, cum ratio infiniti utrobiq; sit eadem, ut similiter dicatur de quolibet ente in potentia, & non ente, i. priuatione actus essendi, uel aliorum actuũ. Obiicies iterũ, cur Ar. istius uerbi infiniti non meminit? Dicas mentionẽ fecisse initio secundi, cum ait, (erit utiq; omnis affirmatio & negatio uel ex nomine & uerbo, uel ex infinito nomine & uerbo.) Sed maior instantia, ac dubium oritur, si uera solutio hæc data ponatur: si enim Ar. per uerbũ intelligit uerbũ finitum & infinitum, ut species sunt uerbi in cõmuni & eo modo quo intelligit de nomine finito & infinito, ut sit sensus literæ. (Omnis itaq; affirmatio & negatio, uel ex nomine & uerbo, scilicet finitis, uel ex infinito nomine, & uerbo et infinito consistit) tunc propositio copulatiue collecta, & uniuersaliter conclusa, uera non esset, sed falsa. Nam falsum est, omnẽ affirmationem uel ex nomine & uerbo finitis, uel ambobus etiam infinitis constare: uerbum enim infinitum, uel idem re est cum negato, ut Alex. ac Auerroes uidentur asserere, uel (ut nos diximus) inferius est negata: a quo infertur necessario uerbum negatum, tanquam superius, & communius, Item falsa est alia pars copulatiuæ uniuersaliter prolatæ, scilicet (& omnis negatio uel ex nomine & uerbo finitis, uel ex nomine & uerbo infinitis.) quia si uerbum est negatum, ergo & infinitum, ut idem re, subiecto, & existentia inseparabili cum uerbo negato & e contrario. Item copulatiuè etiam uera esset propositio, scilicet affirmationem constare ex infinito nomine & infinito uerbo, cuius cõtrariũ Arist. explicabit, scilicet propositionem affirmatiuam ex prædicato, uel subiecto infinito, nõ uerbo. Dubium hoc explicare non possunt, ii, qui hanc literam diminutè uerterunt, & explicant, de affirmatione tantũ intelligentes: cum aiunt, utiq; omnis affirmatio uel ex nomine, & uerbo finitis, uel ex infinito nomine & uerbo: nam si uerbũ infinitum est, affirmatiua propositio nullatenus erit. Hãc dubitationem Ammonius (nulli autem latinorum, quos uiderim) mouit secundo huius, prædicta uerba declarãs: ad quam soluendam duas responsiones assignat, primã Alex. quam infirmauimus, scilicet uerbum infinitum & negatũ idem re esse, sed respectu quodã differre: nam extra orationem positum, ac uim unius dictionis significatiuæ retinens, infinitum uocatur: sed in oratione, ac continens uim duarum dictionum distinctarũ, & per se significantium, negatum asseritur. Sed solutio hæc falsa ex uerbis Arist. commonstratur, quæ uera sunt de uerbo, quod inter extrema in propositione locatur, cum ait. (Itaq; omnis affirmatio, & negatio uel ex nomine & uerbo, uel ex infinito nomine, & uerbo.) Præterea sensus etiam esset, omnem affirmationem esse ex finito nomine, & uerbo, uel ex infinito nomine, & uerbo negato. Itẽ negatio omnis uel esset ex nomine & uerbo finitis, quod eius dicto aduersatur, cũ negatũ idẽ re sit cum infinito, uel ex infinito nomine, & uerbo negato. Ad hæc forte Amm. animaduertens, secundam solutionem adducit. nomẽ hic tam in affirmatione, quam negatione, sumi pro nomine finito, et infinito: at uerbũ, non pro certa specie uerbi, sed pro uerbo in communi, ut si sensus, q. omnis affirmatio, & negatio, uel ex nomine finito, & uerbo in communi, uel ex infinito nomine, & uerbo in communi: ut idẽ dicatur hic quod supra Aristo. dixerat, necesse esse omnem enunciationem ex uerbo constare. Quæres cur iterum tam superius declaratum repetitur Ar. ne quis opinaretur ex negatione addita subiecto negationem posse constitui sine uerbo. Expositionẽ Ammonius ex consequentibus uerbis confirmat, quæ uera sunt de uerbo in communi, cũ ait Ar. (Præter uerbum autem nulla affirmatio & negatio est, fuit, uel erit.) Item probationem adducit, quæ uerbo communi propria est, consignificat enim tempus. Confirmo ego, quia has solum ex nomine infinito, & uerbo finito, infra, dinumerat. Item hanc expositionem nullũ impossibile sequitur, & uniuersalem propositionem copulatiuam collectam ueram esse commonstrat, ut omnis affirmatio & negatio fit uel ex nomine finito, & uerbo in cõmuni, uel ex infinito nomine, et uerbo in communi. Item omnis negatio non est ex uerbo infinito, ut diximus, sed illa que terminatam uerbi intentionem priuat, quæ apta nata est a terminato agente in terminato subiecto, uel materia recipi. Sed data, & concessa Ammonii expositione: tanquam acuta, & uera, non tamen potest locum primi libri profugere, ubi) non sanatur, non ægrotat) non uerbum simpliciter uocat, sed in communi, quoniam cõsignificat tempus, & semper est nota eorum, quæ dicuntur de alio: quod esse non potest, nisi in compositione prædicati, quod dicitur de subiecto uel est in subiecto. Sed quod aduersari uidetur huic expositioni, primum est, quia immediatè supra de nomine infinito, & uerbo infinito docuerat, quod non uerbum absolutè, sed (sicut de nomine dictum est) quodãmodo unũ, idest non actum, sed priuationẽ ac potentiã actus unius: inde immediatè subinulit (erit itaq; oĩs affirmatio ex nomine, & uerbo &c.) Itẽ sim

prima propositionis parte intelligitur de nomine finito, cum absolutè profertur, ergo & in secunda copulatiuæ parte, ex nomine, & uerbo: alter propositio æquiuoca esset. Item cum inquit, uel ex infinito nomine, & uerbo; per copulatiuam, idem infinitum, & sensus reperitur. Præterea, sequentia uerba non de uerbo in communi tantum, uera esse dicuntur, sed de omnibus alijs tā finitis, q̃ etiam infinitis. Nam ait, (est enim uel fuit, uel erit, uel fit, uel quęcunq; alia huiusmodi uerba). s. tam finita, quàm etiā infinita, & adiectiua, ex his sunt, quæ posita, ac definita, & distincta superius sunt. Vnde probationē adducit, omnia inducta uerba posita supra, uerba in cōmuni esse, quia cō significant tempus: ita Cōmen. & Alex. intelligit: quibus Ammon. ex proposito aduersatur: ratio enim textus est: præter uerbum in cōmuni nulla affirmatio, & negatio est: sed est, fuit, & quæcunq; alia uerba, tā finita, quam infinita, substātiua, adiectiua, posita superius, sunt uerba: ergo ex his constat omnis affirmatio, & negatio. Itaque sensus nō erit, omnem affirmationem esse semper ex uerbo finito, & nomine finito: sic enim etiam falsa esset, secundum sensum Ammo. ut omnis affirmatio sit ex nomine finito, & uerbo finito quia pōt esse ex uerbo finito, & nomine infinito: sed aliquam quādoq; ex uerbo finito, & nomine infinito: aliquam contra, ex nomine finito & uerbo infinito: quod secundum ęquiualentiam, siue potestatem, est negatum, & idem re cum negato, licet non semper è cōuerso: nam ad priuationem intentionis uerbi tempore mensuratæ consequitur negatio: similiter omnis negatio. i. contentæ enūciationes sub negatione, quędam sunt ex nomine. & uerbo finito, quando ab infinito distinguitur (ut prędiximus) quādoq; ex infinito, cum idem re fuerint; ut cōsequitur hanc, homo est non iustus, & homo fit ex nō ente: ergo non fit ex ente: hoc generatur ex non ente, ergo non generatur ex ente: & album fit ex non albo. ergo non fit ex albo: & ita de aliis affirmandum. Hoc modo Arist. infra, sectione quinta, infinitum negationem uocauit, non omnem quæ negat omne prędicatum, quod non inest subiecto, scilicet proprio, habenti propriam potentiam, & priuationem: neq; eam, quæ negat prædicatum, quod nō potest inesse: sed quæ est in his, in quibus fit deceptio: hæc autem sunt ex quibus generationes fiūt, idest priuatio, & potentia, quæ causa sunt deceptionis: sicut actus est causa notitiæ, & ueræ scientiæ. Quæres cur species enunciationis penes uerbum infinitum Arist. non distinxit Respondet Auerroes quia non discernitur in eis locus partis negatiuę & declinationis, idest infinitę, quasi dicat; q̃ p̃p̃ se ac proprijs rationibus distinguuntur, sed differentia non discernitur. Sapiētes enim in cognitione proprię priuationis & potentiæ, per fallaciam accidētis, & æquiuocationis, primo physi. 78. decepti sunt. Item quia idem est locus, idest idem re uerbum licet ratione distinctum, cui negatio negans, & infinitans adiunguntur quasi dicat, eas species, ut diuersas enunciationes, considerare constituit, quæ a diuersis partibus, & locis enunciationis sumūtur, uel ex subiecto finito, uel infinito: similiter de negatione & affirmatione ex uerbo desumpta: tertio ex prædicato finito, uel infinito, & sectione tertia, & quinta de negatiōe infinita: non quatenus ex uerbo negato desumitur, sed ut consequitur ex prædicato infinito; homo est non iustus, & nō bonus, ergo nō est iustus & bonus. Sic priuationem actus uerbi, & potentiam propriam indicat, ac negationē propriè infinitam constituit, quia in eadem (proportione quadam) ratione conueniunt, ut ante retulimus. Hac ratione etiam factum est, ut solum de nomine infinito, nō priuatiuo in isto primo libro doceret, quoniam, ut Commē. affirmat, in eadem ratione conueniunt priuationis terminatæ. Sic negatio infinita (ut ad terminatum prædicatum refertur, quod aptum natum est ab agente terminato in subiecto. & terminata materia recipi) tunc distinguitur, cum consecutiones prædicati finiti, & infiniti traduntur: item cum sectione quinta, maior oppositio negationis sequentis prædicatum infinitum, uel contrarium pertractatur. Dubitatur pręterea, cū uerbum tria possit significare: primum, quod præcipuum ac principale significatum uocatur: actionem, & passionem, & esse, secundum quod tanquam actionis, passionis, & esse, conditionem, secunda ratione. consignificat, scilicet cum tempore. tertium est, quod nec significat per se, neq; etiam adsignificat, sed tantum acquirit, cum inter extrema, ac coniuncta locatur, compositionem, scilicet prædicati cum subiecto: tertium hoc assertum aliqui duabus rationibus approbāt. quoniam, uerbum perpetuò suam differentiam. qua secūdum essentiam constituitur, actu cōtinet, & significat: huiusmodi autem sunt, quæ uerbum in primis significat, & adsignificat: semper ergo significabuntur a uerbo. sed cōpōnem cū extremis significare, finis, ac opus est uerbi: nō igitur a uerbo indicantur: sed ut finis, & opus, posterius ab instrumento acquiruntur. Dices infra Arist. dicet, uerbum quandam compositionem consignificare. Dicas, illam ex se, & perpetuò non notare, sed cum extremis cōiunctis acquirere: nam ait. (Quam, sine compositis extremis non est intelligere. (Quæritur ergo, an negatio adueniens uerbo hæc tria omnia destruat? respondēt, tantum significatum principale, non consignificatum, negat: quoniam Arist. asserit, nomen indefinitum consignificaret tempus. Præterea Comment. ait uerbum indefinitum significare priuationem intentionis uerbi, mēsuratam tempore: si ergo tempus mensurat, manet. Obijcies tempus motus propriè mensura uocatur, non igitur priuationis mensura dicetur. Respondetur a quibusdam per se motum, ex accidente etiam quarto physic. 118. priuationis, & quietis mensuram posse uocari. Contra quam solutionem, ut mihi uehementer abstrusam, ambigo: nam cum tria ab arte ipsa in uerbo fingantur, & imponantur: negatio adueniens igitur singula artificialia destruet. Præterea, si iccirco tempus remanere dicatur, eodem modo in utroque uerbo, q̃ ab Aristo. indefinitum uerbum tempus consignificare affirmatur: supra autem ex uerbo (consignificare) utrunque significatum, innui ab eodem Aristo. præmonstrauimus: utrunque igitur remanebit. uel priuandum fore significabitur. Item tam nomen, quàm uerbum finitum, & indefinitum, uox est, a positione significās: impositio igitur in utrisque eadem affirmata manebit, quod nos supra reiecimus. Amplius utrunque uerbum est nota eorum quæ dicuntur de alio, ergo sicut finitum uerbum per actionem, & passionem, & esse, terminata, & finita, nota dicitur, per quam prædicatum subiecto coniungitur; similiter indefinitum: non per priuationem ergo actus uerbi, ut ipsi fatentur. Ad hæc, si principale tantum significatum, per negationem aduenientem destrueretur, non tempus; multa Aristo. ac ueritati aduersantia sequerentur: primum, uerbum non quatenus uerbum indefinitum manere, sed uel ut finitum, uel ut nominis rationem assumens. Si igitur in uerbo indefinito, actio tantum & passio, eodem remanente tempore, destruetur; nomen non uerbum indefinitum manebit; itaque in id uitij cadet, quod in Suessam reiiciunt; uerbum, non quatenus uerbum, sed ut dicens illud idem quod nomen, indefinitum in oratione constitui. Dices fortè, tunc, sequi; actionem & passionem, ut nominis uim habentes, negari, quum sine temporis mensura destrui commostrātur; modo uerò tempus utrobiq;, ut mensuram eandem, manere conceditur. Sed nescio, quomodo consecutio ualeat; manet, ut dixi, in utroq; uerbo uox significatiua, a cōsilio. & arbitrio, & semper est nota eorū quę dicūtur de alio; hæc igitur in utroq; sunt eadē, ac finita, remanere dicūtur. Quę

quam

quam falsò dicantur, ex superius dictis luce clarius patet cum hæc de uerbo in communi dicantur: ac huius communium ratione analoga, in utroq; uerbo sint eadem: sed impositio propria est in utrisq; diuersa: nam in uerbo finito, absolute, simpliciter, ratione actus, & intentionis uerbi: in indefinito uero, secundum quid, cum conditione, ut actus, ac intentionis actus uerbi, priuationem significat: cui cōuenit uocem esse significatiuam cum tempore & notam eorum, quæ de altero prædicantur, ratione tamen diuersa: sed illam alio tempore mensurari dicemus, ab eo, quo actus, & actio, & passio &c. mensurantur. duodecimo. n. metaphy. 32. nono metaph. 13. 10. in fine, potentia (quam non ens in actu supra uocauimus, cui necessario iungitur in eodem subiecto inseparabili priuatio formarum, ad quas potentia recipiendas refertur) in eodem indiuiduo tempore præcedit formam, quæ ex non ente producitur: uel tempore subsequitur formam corruptam: quam tamen Comment. quarto physico. 120. non uult mensurari tempore: a cuius priuatione ad habitum naturalis negatur regressus: cuius potentiæ, ac priuationis durationi sine proprio actu, necessario tempus respondet. quarto physico, 119. ut quieti, & non enti. 120. quod proprie, licet in motu, & re mota, tanquam subiecto, inueniatur, quarto physico. 101. non tamen in eodem motu formæ generandæ, efficiendæ, uel genitæ, sed alterius. quæ nunc ut subiecto mouetur, quarto physico. 98. uel suæ quieti, quarto physico. 118. 119. 120. uel sibi tempus respondet, quod mensura continua est motus primi mobilis; quarto phys. 101. 134. Item uerbum finitum, & infinitum specie differunt; propriis igitur differentiis distinguentur. sed consignificare tempus, utrunque continens, terminatum actū, actionem, scilicet & passionem, tempore mensuratam est uerbi finiti propria differentia, & actus proprius: igitur indefinitum uerbum specie, & propria differētia, & actus priuatione distinctum, uerbi finiti actum ac differentiam destruet. s. non consignificare actionem, & passionem, & esse actu, proprio respondente tempore, mensuratam. Quæ temporis diuersitas an ratione, uel subiecto dicatur quarto phys. 104. 121. ab Arist. declarandum: nobis sit satis: cum quarto physic. 110. mutatio sit alia præsens, & alia futura, quam proprie priuatio, & potentia denotant: alia igitur mensura, secundum rationem, uel subiectum, diuersa necessario indigent. Item si tempus. quarto phys. 98. octauo phys. 10. 12. metaph. 19. aut motus est aut passio quædam motus, ut proprii subiecti: eo igitur modo, quo subiectum, priuatur, atq; destruitur similiter accidēs proprium destruetur, uel ut mensura ad illam actionē, & passionē relata negabitur. præterea ipsi consignificare tempus. i. utrunq; simul, differentiam propriam affirmār, qua uerbum in esse proprio, ac secundum essentiam constituitur: per utrunq; igitur uerbum absolute, & simpliciter, habet esse actum terminatum, et finitum. Qua de causa etiā consequetur. per utrunq; negatum, indefinitum uerbum constitui: nam hoc, actum uerbi, cum præcipue, qui differentia ponitur, destruit: quare aut utrunque, aut neutrum ipsorum negabitur. Ad illorum autem rationem facile respondetur, tempus mensurat priuationem actus uerbi: igitur tempus manet. Tota consecutio gratis conceditur. sed eius conclusio, intenta probari, non sequitur: quoniam & si tempus utrobiq; remaneat, non idem tamen, sed diuersum: præcipue si actus, potētia, & priuatio re, & subiecto cum illa coniuncta, non instanti: sed temporis duratione disiuncta permaneant. Ad aliam similiter dicimus, nō propterea quod Arist. & Comm. ait, quòd uerbum est uox a positione significans, & semper est nota eorum quæ dicūtur de alio: hæc autem de indefinito etiam uerbo dicuntur: ergo eadem compositio, uerbo finito tributa, indefinito etiam tribuetur. Item sicuti. i. nota, medio actu, & intentione uerbi, eorum, quæ de altero prædicantur: ita inde finitum nota prædicati de subiecto dicetur. Sicut igitur diuersa est nominis ac uerbi finiti impositio, & nota: similiter tempus diuersum ponetur, ac erit: & priuatio actionis, & passionis, & esse actu, relinquendo potentiam: & ita ad Com. auctoritatem dicetur. ad rationes, in partem falsam inductas, respondetur: negatione uerbo adueniente negatum constitui: idem tamen re ratione distinctum, effici indefinitū: quod supra reiecimus. Ad secundam, gratis conceditur, omne negatum re, indefinitum uocandum, licet ratione diuersum, & ut in compositione est: propterea quod medio actu uerbi negati, prædicatū a subiecto disiungit: negatum uerbum potius quàm indefinitum cō sueuisse uocari: neq; ab Aristo. secundo periher. tanquam enūciationes diuersas distingui, ac numerari, ea. n. quæ eadē re, & subiecto dicūtur, uno diuiso, alterum etiam diuidi intelligitur, quarto meta. 3. Hanc etiam responsionem superius infirmaui. Nec huic conclusioni propositæ aduersatur, quod Arist. secundo periher. primo, fatetur, non omnem indefinitam enunciationem negatiuam uocari: quoniam ibi indefinitam accepit, quæ ex prædicato cōstat indefinito, non uerbo negato: ut suo loco, Deo dante, dicemus. Nouissimè quæritur de uerbo, quod de nomine supra quæsitum est. an substantiua indefinita constitui possint. Aliqui q indefinitari nequeant, arguunt primo. quia de adiectiuis, exempla produxit, non substantiuis. Itē uerbum indefinitum indifferens est ad significādum entia, & non entia: negato autem esse communi, nullum esse manebit, de quo dici possit. Contra arguitur. quia non est. priuationem actus significat, quem, sum, es, est, denotat. Itē Arist. nos deciperet, indefinitum uerbum declarans, nō autem distinguens quod indefinitari possit, quodq; non possit. Præterea nō est, cum absolute uerbum nō sit, quia priuationem actus uerbi significat, neq; negatio, quæ cōpositionē destructam commonstrat, cuiusmodi substantiuū negatum nō est: indefinitum igitur erit. Ad primā eorum rationem respōdeo: Arist. de adiectiuis exēpla dedisse, ut notioribus, quoniam particularem, siue singulum actum enunciant sensibus notiorem. Ad secundam remanere uocem naturalem, indifferentem ad explicādum entia & nō entia: quam responsionem cum superius improbauerim, nunc repetere inutile uidetur: Sed dicēdum, ad primā, ex adiectiuis etiam substantiua intelligi, ut similia, uoluisse: sicut secundo perihet. primo. exempla proferens substātiuorum, ut ex eis finitis, uel indefinitis cōstaret oratio, adiectiua, ut similia, posuit. d. (erit igitur omnis affirmatio, & negatio uel ex nomine, et uerbo, uel ex indefinito nomine & uerbo. præter uerbum autē nulla est affirmatio, uel negatio) & illud uerbum exponens inquit. (est, n. uel fuit, uel erit, uel fit; uel quæcunque alia huiusmodi uerba, ex his sunt, quæ posita sunt; consignificant enim tempus.) Item constat sæpe indefinitis uerbis Arist. uti, quod fit ex eo quod est, uel non est, primo physi. & primo de genera. ut supra tam multis tetigimus. Ad secundam dicetur, ut supra etiam declarauimus: non est, quando uere ut indefinitum uerbum assumitur, non totum esse, actu, & potestate negare, sed eius, quod actu est, dumtaxat priuationem asserere, quæ de non ente in actu prædicari contingit: quæ tamen est ens in potentia: similiter de priuatione non ente per se, quæ etiam suo opposito proprio, ut enti continget. Si autem esse uniuersatim negabit, non proprie, ut indefinitum, sed ut negatum, uniuersatim accipitur. Quam negationem uniuersatim acceptam per has dictiones significat (ex eo quod non est omnino, simpliciter, per se, inquantum non est:) tunc enim intendit, non est, uerbum distinguere, ac ut non indefinitum, sed uniuersatim negatum assumere, quod cum tempore non mensuretur. quarto physico. 120. nec non. 101. in communi etiam tempus non erit, quod de his, quæ non sunt, tantum dicitur. quarto physic. 120. quæ sup-

sunt priuationes, & non entia, tempore terminato; uel quæ non sunt, possunt tamen esse: non de his, quæ nihil sunt, & impossibilia sunt unquam esse: nisi tẽpus improprie desumatur pro mensura uerbi negari, præterit, præsentis, uel futuri.

TEX. BOETHII.

Similiter autem, & sanabitur, & sanabatur, non uerbum est, sed casus uerbi. Differunt autem à uerbo, quòd hoc quidem præsens consignificat tempus, illa uerò id quod circumcirca est.

Similiter autem ualebit, & ualebat, non uerbum, sed casus uerbi: differt autem a uerbo, quoniam hoc quidem præsens consignificat tempus: hæc uerò id quod circumiacens est.

Ammonius ait Arist. de casibus uerbi idẽ dicere, quod dixit de nominibus: non uerba esse; nisi quæ in præsenti in quacunq; persona dicuntur; quæ uerò circumiacens significãt. i. præteritum, & futurum, instans ambiẽtia, casus uerbi uocantur, ut quæ per transfigurationem ab his fiãt uerbis, quæ in præsenti tempore efferuntur. Itaq; infert, quòd proprie uerbum est, quod finitum, & in præsenti tẽpore dicitur. Petes, cur a principio hanc uerbi definitionẽ non edidit Arist, non dicendum fore ut Herminus ait, quod illa fuerit diminuta: sed unius significati uerbi definitionem superius dedit: alterius uerò per ea, quæ nunc adiciuntur descriptionem a Philosopho poni. Nam uerbum tribus modis accipitur, pro communi definitione, indefinito, & casui uerbi conueniente (& hinc patet Suessam ad mentẽ Ammonii non exponere, dum inquit, casus uerbi ab eius assignata definitione reiicere.) secundo pro tempore præsenti, & finito, a quo casus uerbi excluduntur, tertio pro omni uoce, quæ prædicatum facit in propositione: de quo tertio cum auctoritatibus suis parum infra dicemus. Sed primo tanquam uero concesso, secundum uerbi significatum, modo quo supra reiicimus: negatio enim (non uerbum) illud negat uerbum, quod antea posuit; sed nullum uerbum nisi illud commune posuerat: illud ergo negabit, i. non uerbum absolute, & simpliciter dictum, quo modo de potiori significato uerbum asseritur, sed ut (non uerbum). i. secundum quid. Item si uerbi significatum distinguit, ex quo oratio constituitur; indefinitum omittendum non fuit, ut species uerbi, quod supra monstrauimus; ex eo enim affirmatio, & negatio constituitur. Præterea, si per te uerbum supra in communi finitum, actionem, & passionem, & esse actu significat; uerbum uero infinitum horum priuationem: igitur non uerbum in communi dicetur, i. ut priuationem sui significati actualis significãs: qua ratione uerbum uocari, i. ut priuationem perfectionis, & actus uerbi significat, superius commõstrauimus. Itemq; si non ualet, non laborat, ut indefinita; similiter casus uerbi, ualebit, & ualebat, non uerbum primo modo, sed secundo modo sumptum, esse negantur: ex ignotis nominibus finitis, ac uerbis, ad explicandum indefinitum procederet: sed finitum, tanquam significatum uerbi potissimũ ex uerbo absolute ac cõmuni prolato signatur: cuius proprie, & absolute est consignificare actum. i. actionem, & passionem, & esse, ut tempore mensurata. Definitio igitur uerbo communi, finitum, quod primum analogatum est, describi etiam intelligitur: quare si non uerbum finitũ uocatur, similiter non uerbum in communi dicetur: sed ex hoc minime consequitur: igitur non est nomen, uel uerbum. Contradices, secundo perher. primo, consecutio ualet, homo est non iustus, homo igitur non est iustus Dicas non uniuersatim, & uersa uice ualere, omne quod non est iustum, esse non iustum, nisi in eo, qui uere priuatur actu iustitiæ, idest de iniusto: non autem uniuersatim de omnibus, ut dicitur, non esse iustum. Similiter dicimus, non ualet, non laborat, non uerbum, idest priuationem significati uerbi, actionis, & passionis in actu significare, & ita non esse uerbum, quod illa potissima uerbi significata designat absolute, & simpliciter: sed ut priuatio illius absolute, & simpliciter intellecti. Nam ens, quod absolute per se, & simpliciter dicitur, substantia est: accidens autem secundum quid, ut in alio: ita non ens absolute prolatum, pro non ente per se intelligitur. Ad hæc forte diuus Tho. intendens, in hoc cum Ammonio non assentit: sed uult a uerbo in communi indefinitum, & casus uerborum excludere: quod omnino, & simpliciter, & absolute uerbum non esse concedimus: non tamen uniuersatim ratione analoga, ut de uno tanquã de priuatione, de altero uero, ut habitu, & forma dicatur; Præterea si significata uerbi explicare intendebat, sicut negationem ab affirmatione distinctam proposuit, quæ solum compositionem prædicati abiicit, ac destruit a subiecto, huiusque ratione species enunciatiua orationis uocatur: similiter uerbum indefinitum, ut species uerbi fuit artis necessitate ponendum: illud. n. nedum compositionem prædicati a subiecto, sed actum uerbi priuat ac destruit, quæ actus priuatio, ut supra tetigimus, causa est, quod prædicatum a subiecto negetur. Si speciem igitur esse, de indefiniti uerbi effectu conceditur, idest negatione, cur de sua causa negabitur? & si, ut negas quod magis ad non entis rationem accedit, duodecimo metaphysi. 11. species orationis efficitur; cur, ut priuat actum, & compositionem, species uerbi non erit? Nunc de tertio significato uerbi pauca dicamus. Ammonius duabus auctoritatibus Arist. approbat, omnem uocem, quæ prædicatum facit, uerbum uocari: nam primo libro cap. primo ait. (Nomina autem, & uerba similia sunt ei intellectui, qui sine uero, & falso, sine compositione, & diuisione est:) & exempla proferens inquit (ut homo, & albũ.) Item in sequentibus secundo libro, cap. primo, in fine, Arist. dicit (transposita autem nomina, & uerba idem significant:) & exemplo dictum suum explicans inquit (ut est albus homo, & est homo albus:) per hominem, nomen, per album uero uerbum significans. Ad primum exemplum suo loco respondimus, a notioribus exemplum de nominibus protulisse, non de uerbis, quæ quandam significare compositionem uidentur, ex quibus oratio imperfecta sine uerbo consistit. Ad secundum suo etiam loco dicemus; nunc autem sit satis: in prædicamento quantitatis: differentia tertia: quòd positio in partibus orationis, & temporis, proprie inueniri non potest, cum illorum partes fixæ non maneant: sed tantum ordo, qui proprie ad prius, & posterius in postprædicamentis, & quinto metaphysi. capite de priori, refertur. Ita & transpositio uere inueniri eadem ratione in oratione non potest, nisi ut ordinem partium explicat, qui ad prius prædicatum, & posterius subiectum, aut contra, refertur. Verbum autem (ut supra monstrauimus) medium tenet locum, non prioris proprie, aut posterioris. & si uerbum sæpe ante partes alias orationis ponatur: id iure ab Arist. fieri cum græcis asserimus, ne confusum quidpiam explicetur in enunciationibus, quæ sunt ex indefinito subiecto, & uerbo affirmato, ut est non homo iustus, uel quia non inconuenit a prædicato indefinito ad negationem simplicem, uel eloquentiæ gratia in fine ponatur, ut homo non iustus est. Suus autem situs, atque sua (secundum rationem connectentis, & unientis extrema) positio est, in medio collocari. Secundo dicas, & melius, & si uerbum, his, quas dixi rationibus, modo initio modo uerò in extremo orationis locetur: atque hinc transponi posse dicatur, tamen ubicunque ponatur, orationis sensum non uariat, ut ipse exemplis dictis supra monstraueras, ut

est

est non homo iustus, & homo non iustus est: sicut uariari uidetur, cum subiectum, & prędicatū positionem diuersam & ordinem habeant, propterea in his præcipue transpositionibus prędicati & subiecti, quę nomina sunt, quādo prædicatum remanet prædicatum, & subiectū manet subiectum, eandem enunciationem manere monstrauit. Hoc autem non ita latet de uerbo, de quo sufficiēs esse putauit, exempla parum ante dedisse. Quòd aūt per album non uerbum sed nomen intēdat, ex Ari. met. uerbis monstratur: ait enim ut est albus homo, est homo albus: ubi clare, sum, es, est, uerbum apponitur. In eadē uero oratione trinaria, inconueniens, ac Arist. usui minime consonās est, duo uerba congerere, quæ coniunctionem ac complexū prædicati cum subiecto significent: de quibus superius, in oratione trinaria positis, exēpla proferre cōstituit, ut mōstrauimus. Ad textum igitur redeamus, idem cum Cōm. dicentes de casibus uerbi, quod de indefinito uerbo prędiximus, hic speciem uerbi aliam explicare. s. præteritū, & futurum, quæ nō uerba simpliciter & absolute dicuntur, ut proportione indefinitis respondeant. i. nō actu actionē passionem, & esse designāt per se, sed ut tempus præsens cōtinuans, ac copulans, & circūiacens, significāt: ad quod præsens relata, ut circumiacentia, uerba in cōi, nō absolute uocantur: nam quod præterit, non est, nec esse iterum potest· hoc enim solo Deus opt. max priuatur, præterita facere non præteriisse. quod autem futurum est, nō est, potest tamen esse: utrunq; igitur non ens appellatur, siue quod non est: alterū de non ente per se, priuatione. s. actus temporis præsentis: reliquum uero de nō ente, actu quod tamē potest esse futuro tēpore, dicitur. Nec propterea infinita uocanda uerba, quod priuationem significāt actua, quoniam præsenatempus continuans ad præteritū & futurum (in prædicamentis de quātitate, & quarto physic. 105. 103.) copulatur: indefinita uero nomina & uerba priuationē actus significāt nominis, & uerbi, simpliciter, & absolutè, ac finiti, quod destruunt & abiiciunt. Nō uerbū igitur, non ualebit, non ualebat, dicuntur, sed casus uerbi, quia, ut Amm. dicit, per transfigurationē ab his fiunt uerbis, quę in præsenti tempore efferuntur, a quo deducuntur ac deriuantur. præsens enim ut actu existens, fuit notū, ut Cōmen. ait, uulgaribus, a quibus deriuātur secūdario imposita, a significatione uerbi præsentis cadētia. {Differt autem a uerbo.} Cōmen. de pro enim intelligit: propterea uult hic causam eius, quod dixerat, assignare: nā proportione respondet significatū suo proprio signo: tēpus autē præsēs (propterea quod ab intellectu existēs in actu concipitur. quarto phy. 131. 132. cui tribuitur hæc hora, actionem a principio ad finem usq; mensurans, & instās cōtinuans, atq; terminans) absolutè tempus uocatur: ut substantia in actu, ens simpliciter dicitur: contra ens in potentia, relatum ad alterum; præteritum aūt & futurū, nō actu tempus significant, sed ut quæ nō sunt. quarto phy. 130. uel quia fuit, uel potest esse, & quæ circūcirca uere, simpliciter, & absolutè, tempus continere dicuntur: ad quod relata, actionem mensurare, & ita esse tempora cognoscuntur. Nam ut Cōmen. ait, præteritū est præcedēs hoc tempus, futurum uero est posterius pręsenti. prius autem & posterius intelligi nullatenus ualet, nisi ad alterū, quo posterius aut prius dicitur, referatur, ut caussā esse aliorum. Absolutè igitur uerbum, ut signum temporis proprium, præsens dicetur: alia uero tempora. quarto physi. 130. quoniam circumcirca continent tempus, non absolutè, & simpliciter. Potest etiam, de, pro, sed, explicari, ut Boethius transfert, ut tale dubium innuatur: si casus uerborum esse non uerba dicuntur, quid hic igitur explicatur? Respondet {differt autem a uerbo} quasi dicat, ut differentia, qua differt a uerbo, ac species constituitur, artis necessitate tractanda. inde differentiam manifestans, ait {Quoniam hoc rectum uerbum præsens tempus cōsignificat} idest illud tempus, quod actionem, passionem, & esse actu, mensurare, ab anima, siue animæ intellectu cōcipitur. (Præteritum uero, & futurū, ut casus uerbi, id cōsignificant tempus, quod circumcirca). i. ut Amm. ait, tēpora significat, quę instans coniungens, & continuās ambiunt, uel ut Cōmen. & S. Tho. quæ præsens tēpus, horam. s. mensurantem continuam actionem &c. cum instāti significāt. Hinc liquet, casus uerbi non uerba absolute uocari, quia nō tempus illud significāt, quod res in actu existentes. & motus mensurat: non tamē negari, uerba in communi esse dicenda: nam tempus consignificant ut genus analogum, ut, quo res differentes idem sunt entia: non idem tamen, mensurans actiones in actu: sed quod mensurat, ac continet ees, quę non sunt. i. priuationes & quietes eorum quibus non sunt, aliquando tamen fuerunt, uel aliquando erunt. quarto phy. 120. Illud enim Ari. uocat tēpus, quod, ut mensura, a rebus, quæ non sunt, continetur, quoniā quandoq; fuerunt, quandoq; uero fore dicuntur. Consecutio igitur ista non sequitur: casus uerborum sunt non uerba, quoniam non cōsignificāt tempus absolutè, & in actu mensurans: in communi igitur uerba nō erūt, ut consignificantia tempus circumcirca. idest ut mēsurans non rerum præsentium, & in actu, sed eorum quæ nō sunt præteritorum. s. & futurorum: quæ circumcirca præsenti tēpori siue instanti consistūt, & quietes & priuationes circumstantes significant: quæ tamen ad præsens, quod fuit, uel ad futurum, quod erit referuntur. S. Tho. & Suessa, sumentes ab Auer. notant (præsens tempus) consignificari a uerbo recto non pręsens absolute, dixisse, ne pro instanti sumpsisse putaretur: illud enim actionem nō mensurat, & passionem, nisi ut extremū metitur, & cōtinuās: quod ut sic, causam efficientem, ingeneiātemq; Tho. & Cōm. appellant. quarto phy. 103. 104. licet ut terminus numerum motus constituens, forma & genus a Commen. dicatur. quarto phy. 101. secūdum uero prius, & posterius ab instantibus numeratis ut differentia Sed Ammonius per id, cui præteritum & futurum circumiacent, instans intelligit. Videtur hæc sententia ab Arist. sumi posse. quarto physic. 12c. ubi instans propriè sumptum est, quod, ut terminus, & extremū præteritum a futuro distinguit: & ut communis est terminus, ab illo utrunque tempus innectitur, atq; coniungitur: est enim finis præteriti, initiumq; futuri. Præter igitur instans nulla duratio extra animam inuenitur in actu, quæ uera ratione, a præterito, aut futuro tempore distinguatur: nisi, nūc sultiua, siue: ut Cōmē. ait, transsumptiue sumatur. quarto physi. 122. pro eo, quod proximum est minimo nunc, & iuxta præteritū & futurum. Ita sequetur quod Auerroes inquit præsens tēpus esse, quod accipit intellectus existēs in actu, & cui tribuitur hora, idest tempus proximum nunc, & magis scitum apud uulgus, & iuxta præteritum & futurū: & hoc instās, nō quod illud, quod imaginamur de tempore præsenti, habeat esse uerum sicut imaginamur: nā uere instās indiuisibile est, & finis præteriti initiūq; futuri. Statim igitur ut instans defluxerit, ad præteriti rationem accedimus & ut nondum transierit, futuri ratio permanet: sed his (ut Auerroes ait) hoc in loco (tāquam difficilibus, & infra, quarto physico. 131. t 23. considerandis) non indigemus. Obiicies, Aristo. hic pugnantia ac aduersantia dicere his, cere hit, quæ secundo huius capite primo, ponentur: inquiet enim. (est enim uel fuit, uel erit, uel fit, uel quæcūque alia huiusmodi uerba ex his sunt, quæ posita sunt: consignificat enim tempus.) ubi clare monstratur, casus etiam uerbi, in communi uerba uocare, quoniam consignificant tempus. Iam diximus casus uerbi uerba nō simpliciter & absolute dicta uocari: sed secundario, ut connectentia tempus præsens, motum mensurans, siue instās in actu: aut non quidem tempus actu mensurans motū, uel esse signatè, sed priuationem motuum, & quietem,

Quærit Suessa. an uerbi explicatæ diuisiones sint generis in species, ut Auer. asserit? respondet, quod subiectũ diuidi in accidẽtia duobus modis cõtingit: uno mõ eodẽ manente subiecto, ut sortes nunc dormit, nunc uigilat: & ita inquit uerbũ diuidi in præsens, præteritum, et futurum, i. rectũ, & obliquum, cuius rationem adducit, sicut uerbi significatũ, i. tempus, idem est præsens præteritum, & futurum ita signum proprium uerbum, idem erit præsens præteritum, & futurum. alio modo, non eodem manente subiecto, ut animalis aliud album, ut cygnus. aliud nigrũ, ut coruus: sic inquit, uerbum diuisum est per finitum & infinitum, non ut species analogas, quoniam per species analogas describeretur: non ut species generis uniuoci, quod ait Commen. asserere: quia species per formas consistunt finitudo, autem & infinitudo, rectum & obliquũ, accidẽtia sunt uerbi. Huic responsioni de finito & infinito uerbo aduersantur: quoniam nulla, in hac diuisione, communitas inuenitur: sed dici posset, subiecti communitatem sufficere. Secundo contradicunt, quia Commen. responderet, ex instituto ab eius opinione discedere, & aduersari: licet falsum Suessa Auerroi tribuat, finitum & infinitũ species uniuocas ponere: cũ analogas, tanquam priuatione uerbi siue nominis, ut priuationes entium, non entia dicimus esse. quarto metaph. secundo. genus igitur analogum erit, non uniuocum nec æquiuocum. Tertio arguitur, ut nos supra, Arist. uerbum indefinitum, & obliquũ differentiã uerbi uocauit, speciẽ igitur efficit, sicut rectum a quo differt. Item diuisum subiectum in accidentia est unũ per accidens, quod definitionem non habet, septimo metaph. a 13. ad 14. ut uestis alba: Arist autem asseruit, uerbo indefinito definitionem uerbi communem, & eius propriũ conuenire: non igitur unum per accidens erit. Amplius ex uerbo indefinito fit enunciatio negatiua, quę per se species est orationis. infra cap. 4. præterea uerbum prædicatur secundum idem genus de utrisq; ergo. quarto meta. secundo, uel ut analogum, uel uniuocum: non enim æquiuocum, cum secundum rationem de utrisq; dicatur: non uniuocum, quum de uno simpliciter, & absolute, de indefinito uerò, & obliquo, cum conditione, & secundũ quid affirmetur: quare analogum erit, quum analogi definitionem & proprium habeat. Nunc ergo ad rationes Suessę, cum arguit si genus analogum esset, per species analogas finiretur. Dicas uniuersaliter uerum non esse. quoniam definitio animæ analoga dicitur, ut ad rationalem animam, ut finem, cæteræ animæ referuntur: nulla tamen in eius communi definitione concluditur. Præterea nec Deus substantiæ, ac entis descriptione: nisi ut modus considerandi: nam quarto metaph. secundo. naturam communẽ, analogata participant, ad unum. & ad unam quandã naturam relata, uel ab uno. Quãdo ergo analogum ad unũ, ac unam aliquam naturam refertur, a qua cætera pendẽt & propter quam illud commune participare dicitur, & sunt; si analogum describatur, primum analogum in definitione concluditur: ut de definitione naturæ communi Alex. quinto metaph. capite de natura, fatetur. secundo enim physi. tertio. naturæ definitionem formæ esse definitionem affirmat, quæ primũ principium per se motus & esse uocatur. Ita in entis absolute prolati descriptione, inquantum, uel qua ens uniuersaliter accipitur. substantia intelligitur, ad quã omnia nouẽ genera relata, entia sunt, & dicuntur. quarto metaph. secundo. Sic proportione respondet, hæc uerbi finitio analoga ad unum, siue ad naturam quandam refertur, ut consignificat tempus. i. actionẽ, passionem, & esse in actu mensurans: quod finito uerbo simpliciter, absolute, ac proprie conuenit, & recto, indefinito autem non, nisi, ut priuatio uerbi finiti, in communi uerbum uocatur, ut ex Ari. confirmauimus: qui nõ ens siue esse affirmauit, quoniam est nõ ens, id est priuatio substantiæ entis simpliciter. quarto metaph. secundo. ut Alex. exponit. Quando uero analogum ab uno dicitur, uel ad unum finem quomodo ens de Deo. intelligentiis, & caducis, ac materiæ corporeæ coniunctis formis, & aliis mobilibus prædicatur: & de animæ definitione, quæ propterea analoga dicitur, quod unam animæ naturã significat, eãdem omnibus animabus; quæ analoga dicitur, ut per se dirigitur tanquam ad finem ad animam rationalẽ & ad intellectum animæ portionem. quarto physi. 132. & ultimam intelligentiarum, propter quem alterum genus animæ nuncupatur. secundo de anima. 21. tunc primum analogatum, in descriptione analogi necessario non apponitur: quia analoga habere formam & definitionem eandẽ dicuntur: se ad alterum, tanquam finem, efficiens, siue materiam, & subiectum, relatam. Quæ responsio hoc modo clarius explicatur: cum primum analogarũ est subiectum siue materia, ut substantia nouem generum: aut ut forma materiæ, per quam materia est, & finitur. secundo physi. t 1. 12. tunc primum analogum necessario poni debet in definitione communis analogi, non ratione, qua analogũ, sed talis, quod ut subiectum, siue forma accidentium omnium, & materiæ, interna principia nuncupantur: quę in definitione materię uniuersę, & accidentium omnium continetur. secus quando primum analogũ est finis, ut Deus, & anima intellectiua: siue efficiens; quæ causæ accedunt extrinsecus, extremæq; uocantur. Non. n. Deus, & intelligentię causæ internę entium. qua entis sunt abstracta per indifferentiam, secundum esse & definitionem aliter sunt nisi ut ab illis modus considerandi, seu ratio formalis accipitur: quæ uerè sunt entia immixta, ac a corporea, & mortali materia separata. Sed contra primum membrum distinctionis arguimus: quoniam quarto physi. 101. tempus mensura dicitur motus, secũdum prius, & posterius: primum loco generis ponitur, mensuram esse motus: alterum loco formæ ac differentiæ, secundum prius, & posterius, quæ actu in intellectu, potentia extra animæ operationem consistunt. Sed alia est actio quam in tẽpore præsenti mensurat, ab ea. quam præteritum, & futurum metitur. Aliud igitur erit tempus: si uera est opinio Thomæ & Auer. tempus nõ solum poni mensuram motus primi mobilis sed cuiuslibet alterius motus: licet non primo, & essentialiter. sed secundo, & per alterum Præterea motus est subiectum proprium temporis, cuius tẽpus affectio quædam uocatur: sed motus alius quandoq; est, non solum ratione, in eodem mortali subiecto, & corruptibili & generabili, sed diuerso. Itemq; tempus præsens motum in actu mensurat: pręteritum uero, & futurum quietem, & priuationem nõ entium. i. indefinitorum: hæc autem ab eodem Suessa dicuntur in eodem numero subiecto inueniri non posse; neq; igitur tempus utrunq; mensurans in eodem subiecto manebit. Amplius forma temporis est, diuersa secundum prius, & posterius numerare, ut habet instantia terminantia alia. atq; diuersa: & si non sua ipsorum essentia, & ratione, atq; subiecto diuersa: tamen ut ad alterum ut termini referuntur, diuersam constituere speciem actu, concipiuntur: quod ad speciem per se constituendam sufficiens est, eorum, quæ secundum essentiam actu complentur ab anima. i. omnium motuum, & mobilium naturalium. Multo magis sat logico erit, qui secundo intellecta, ut instrumenta notificandi, considerat: hæc autem a fine proprio distinguuntur. Cum igitur finis, quem uerbum præsens notificat, alius specie sit ab eo, quem præteritum & futurum enunciant, notificare rem in actu, & in potẽtia quæ ualde differunt primo de anima. 6. ergo &c. Item præsens motum & esse proprie indicat, dum affirmatur, sed præteritum, & futurũ non ens. quarto physi. 120. quę plusquã specie differunt, ergo &c. Amplius si idem uerbũ præsens, & tempus, ut mensurans actum uerbi dum affirmatur, uel priuationem eius, negatum, per se speciem orationis enunciatiuæ constituit, negatiuam, & affirmatiuã,

quarto

quãtò magis ea uerba, & tempore, quę propriè mensura ponuntur non entium, i. indefinitorum, ut supra ex quarto phy. tx. 120. cõmonstrauimus. Ad hæc Arist. prima prio rum. 14. quoniam res, quas propositiones explicant: & termini, de inesse, & necessitate inesse, & contingere inesse, dicuntur esse diuersi: manifestum inquit esse, quod syllogismus uniuscuiusq; horum alter erit specie, ut Comm. affirmat. Sed uerbum præsens explicat prædicatũ inesse, uel necessario inesse: uerbum autem futurum prædicatum possibile: & præteritũ priuationes, & nõ entia, idest illa quæ fuerunt, & nõ sunt, nec unquam esse possunt: specie igitur notificandi ab inuicem distinguentur. Ad rationem igitur Suessæ responsio est superioribus patet: tempus enim nec idẽ est secundum genus. i. numerũ, & mensuram relatam ad mensuratum: nec secundum formam, in ratione mensuræ ad diuersum mensuratum relatam: licet ut continuum & quantum ab eodem instanti, subiecto, & ratione sumpta ab eius esse, quod præteritũ & futurum contingit, & continuum efficit, idem dicatur. Sic uerbum pręsens, præteritum, & futurum, ut instrumentum notificandi, specie distinguetur.

TEX. BOETHII.

Ipsa igitur secundum se dicta uerba, nomina sunt, & significant aliquid. constituit enim qui dicit intellectum, & qui audit quiescit: sed si est, uel non est, nõdum significat, neque enim signum est rei, esse, uel non esse, nec si hoc ipsum, est, purum dixeris: ipsum enim nihil est, consignificat autem compositionem quandam, quam sine compositis non est intelligere.

Ipsa quidem igitur secundum se dicta uerba: nomina; sunt, & significant aliquid. Constituit enim qui dicit intellectum, & qui audit, quiescit. sed si est, uel non est, nondum significat: nec si hoc ipsum ens, purum & solum dicis: ipsum enim nullum uel nihil est. Consignificat autem compositionem quandam, quam sine compositis non est intelligere.

Ammonius ait, quia finitionẽ uerbi, tum communionem, tum peculiarem tradidit, uult per hæc explicare, quo nam pacto uerba se habeant ad uerum, falsumq; significandum: quodq; superius communiter de rebus, conceptibus, & uocibus simplicibus dixerat, nunc apertius cõfirmare: ostendens de uerbo, quod maxime ueritatem & falsitatem uidetur admittere, nec uerum indicare, nec falsum, sed significatum simplex; in quo uerbum cum communiter, ac cõueniat cum nominibus, iccirco. S. Thomas asseruit, Arist. ostendere conuenientiam uerborum, ad nomina: ita Commen. uerba propositionaliter assimilari nominibus ait. a quibus nulla ratione dissentiens, id nũc affirmo, quod supra cũ diuo Thoma & Suessa, & nunc Ammonio, dixi: quoniam uerbum saltem uidetur compositionem quandã significare, propterea uideri cupiam possit, partes eius aliquid seorsum significare: ideo ne uocho antium animi aberrarent, secundam finitionis uerbi particulam explicat. Quæ cum paulò obscurior de uerbis sit quam nominibus, hac de causa illam repetere, & aperire, ex notificatis nominibus, maximè entis, instituit: quod q; initio de cõceptibus, ac uocibus, partes definitionis pręcognoscendo antepofuit, & commędendo nunc ut quodammodo abstrusum docet, ac monstrat. Suessę uerò explicatio ista non placet, quoniam tes hæc in definitione, orationis enunciationisq; patebit: nihilq; cõferre ait, tem hanc toties repeti, literæ minime consonantem. Sed peto ab eo, qui nimium festinanter exponens, sibi ipsi pugnã tia dicit, nonne supra dixisti, secundam definitionis particulam, tam dictam de nomine, denuo repeti eadem motus ratione, quam ex diuo Thoma, & hic ex Ammonio retuli, quod de uerbo dicto illa dubia uidebatur: ideo fuerat necessario repetenda? Et si tam dubia particula esse conceditur, commoneri nos, siue cõmuniter, satis non fuerat, nisi dubiũ explicasset. Itaq; dictio repetita difficilis deinceps exposita, literæ consonabit. Si enim cæteras definitionis partes faciliores aperuit, cur difficiliorẽ implicitã atq; obscurã omitteret? Itaq; patet, quam uanẽ, atq; falso Boethium & diuum Tho. refellat, quod nominis cũ uerbo conuenientia satis aperta ex eorum definitionibus uideatur. Sed rogo, si ex uerbi definitione satis apertè mõstratur differentia, qua differt a uerbo, quod consignificat tempus, & quod sit nota eorũ, quæ dicuntur de alio, cur igitur differentias illas (ut concedis) ex definitione quæ patebant, declarauit? Positam igitur communem particulam ut quodammodo de uerbo latentem, hic aperit, & a nominis nota, & declarata, ut simili particula inchoat quasi dicat{ uerba secundum se} idest sola, ac a prædicato, & subiecto disiuncta, non cõpositionem (quã uidentur significare) designant, sed simplex significatum, ad quod explicandũ imposita sunt itaq; nomina sunt, nõ natura, sed proportione: primo secundum se utraq; simul contingit: secundo significant, sicut nomina; tertio non compositionem ex se, quo modo oratio partium cõpositionẽ significat, ut eius partes separatim significatrices esse ponãtur: mẽtem enim sistit, siue firmat uel statuit, ut Ammonius asserit: ttia illa similia de uerbo approbat, quę apte ei tã sunt, de nominibus: uox enim illa significat simplex significatum, & nõ compositionem, quæ prolata ab eo, qui alicut scifcitãti loquitur, eius firmat cogitatiuam intellectui coniunctam, siue intelligentiã, quæ tenebatur ambigua, eãq; explet cognitione, ac statuit sistit, firmatq; dictione prolata. (Nondum tamen uerum aut falsum) idest nondum esse, idest affirmari uerè in alio esse aut non esse, i. negari ita esse, ut falsum significat quòd uerè non est. Similiter{ qui audit quiescit } sedans ambiguæ, de his quæ ad simplicium intelligentiam pertinẽt. i. primã operationem intellectus, ut diuus Thomas, & Suessa, ex Aristo. tertio de anima. 21. animaduerterunt. Minor in textu. {Constituit enim intellectũ qui dicit, uel loquitur, & qui audit quiescit.} Significant igitur ut nomina: { sed si est} uerum explicans{ aut non est} falsum enuncians{ nondum significant} secundum se sola, ac ab extremis disiuncta. i. non significant, ut complexa, quorum partes separatæ significant, qua ab orationibus differunt. Ammonius rationẽ uoluit esse a maiori: si neq; est, aut non est (quæ primitiua, & cõmuniora sunt uerba in quæ cætera dissoluuntur) compositionem ueram, aut falsam secundum se, sola, nõ significant, neq; igitur alia posteriora, uerum aut falsum significabunt. Sed ratio alia non uidetur. nisi ex negato complexo significato, ut oppofito, quod cum negatione protensum quodammodo alterũ palam fatit. primo top. octauo, quasi dicat{ Verba secundum se dicta, atq; nomina, aliquando simplex significant, sed nondũ esse, uel non esse} idest complexionem ueram, uel falsam significabũt aut ut. S. Thomas affirmat, generatim de omnibus uerbis intelligit: quare exemplum, sum, es, est, idest primi uerbi substantiui in medium proferes tantum, de omnibus aliis exemplum tulisse mõstratur, quarto enim top. primo in fine, quorum idẽ est genus. adde tu ex eodem Arist. secundo top. septimo, & ratio differentiæ & conuenientiæ eadem, si de uno monstratur, manifestum, quoniã de omnibus, similem rationem habentibus, indicabitur: & si de uno non, manifestum. quòd de nullo. Sufficiensq; tunc est ad ostendendum, quoniam omni inest, in uno monstrasse: cuius ratio assignatur, primo poster. cap. de uniuersali, & sexto topic. 10. oportet enim de omni prædicari, quod

spere, & non secundum accidēs dicitur. Cum igitur idem sit genus nominis & uerbi, cum uox sint a positione significans, & eadem ab oratione enunciatiua sit differentia cuius partes nil seorsum significant, idest compositionē non dicuntur: itemq; unum genus, & differentia, & ratio singulorum uerborum: si igitur de uno ratio & differentia cōmonstratur: & de omnibus. Quod Ammonius etiam cōfitetur, licet alio modo textus rationem inducat. Nostræ autem, ac diui Thomæ explicationis euidens est argumētum, quòd Arist. initio textus conclusionem manifestandam proponens non de unico uerbo, sum, es, est. sed de singulis se dicturum instituit, dicens. { Ipsa quidem igitur secundū se dicta uerba, & nomina sunt, & significāt, quid ed non si est, uel non est: nec si hoc ipsum, ens purum dices. } Ammonius sumens ab Alex. uultq; Arist. arguat a maiori: quia si nec ipsum ens, a quo, sum, es, est. deducitur secundum se, nihil, uel nullum. s. est signum, compositionem ueram significans, quæ est, aut falsam. quæ non est, multò minus uerba ab ente detorta: nō quod ens nullum significatum cōtineat. aut æquiuocè prædicetur, unde fiat ut nihil determinatum significet. In græco textu τὸ ὂν existens aliqui uertunt. Boethius autem, pro eo quod est trāstulit, quasi totus sermo præcedens, de singulis uerbis habitus sit: nūc ratione confirmet a maiori, quam supra ad mentem Ammo. in ante positis uerbis tetigimus. } Sed nondum esse, uel non esse } quæ enim, si, est, primum, & communius uerbum substantiuum, in quod cætera resoluuntur, secundum se, solum, ipsum quidē nihil est significans complexum: siue nullum signum esse dicitur, cōpositionem enuncians, idest quod nullas continet partes, quę seorsū quidquā significent: neq; igitur alia posteriora aliquam compositionem significabūt. Vtriusque expositionis uerbū græcum: est capax: ὂν enim ut diximus, ens, existens, & quod est, latinè exprimi potest. Primam Ammonius, & Alex. conuersionem, nouissimā Boethius & S. Tho. sequuntur: quam, ut Ammonius etiam ait, alienā ab Arist. sensu, ac uerbis nō puto, quæ proxime subsequūtur: ait enim { Consignificat autem cōpositionem quandam, quam sine compositis. i. his quæ composita sunt, et coniuncta, non est intelligere } idest impossibile est compositionem sine coniunctis intelligi. Coniunctum autem, siue cōpositū esse extremis prædicatis & subiectis (in quæ uerè propositio resoluitur) cōuenit, nō uerbis, quibus cōiungere, & connectere prædicatū cum subiecto propriè competere, supra iam multi ostendimus. Item cū statim dixisset de ente, siue quod est, quod secundum se nullum signum est, ueram, & falsam compositionem significans statim obiectionē de uerbo, non entis nomine, diluit: qua quis obiiceret: uerbum compositionem significare prædicati cum subiecto. supra enim dixisti uerbum definiēs, & semper est nota eorum quæ dicuntur de alio: quod nisi in compositione esse non potest. respōdet, ut optime Comment. inducit, quasi dicat quamuis uerbum compositionē consignificet, nō tamen secūdum se sumptū, sed quum positum cum extremis coniunctis acquirit: propterea recte Commen. ex Arist. uerbis & sensu permotus, cōcedit hic, licet primo priorum primo, & in quæsito de termino Prionistico, sibi ipsi aduersari ac contradicere uideatur, inquit enim hic φ uerbum duobus modis intelligitur per se, idest, ut supra scipsum exposuit, cū est appositum per se, idest solum sine subiecto, & prædicato: nō ut supra in principio, cū est appositū per se, idest sine expresso prędicato, bene tamen implicito: & cum subiecto, ut homo sanatur: sed secundum se, separatum ab omni nomine, quo modo cum nomine similatur, & sic separatū per se significat aliquod simplex, non compositionem aliquam, qua de causa nulla ipsorū pars significatrix est separata. Hūc modum Arist. innuit, dum ait. { Ipsa quidem igitur secundum se dicta uerba, nominaq; sunt. } idest secundo modo

per se, ut dictum est. Dices, hic Aristo. non fateri, uerba esse, quæ secundum se, ac sola, uerba sint, maneant, & dicantur: sed oppositum potius initio explicasse, cū dixit, { & semper est nota eorum, quæ dicuntur de alio, uel in alio } cumq; etiam declarauit, compositionem significare, quam non contingit sinè compositis intelligere. Iā diximus: non secundum se actu notam esse, prædicatū cum subiecto iungentem, sed potestate: cum inter extrema cōiuncta locatur. Quodq; dicunt, Aristo non dixisse, uerba secundū se sola, & separata. uerba manere, sed nomina esse, nominisq;, non uerbi, rationem habere: uerbum autē tunc esse, cum nota est eorum, quæ dicuntur de alio, ac syncathegorema est, prædicatū cum subiecto cōiungēs, & compositionem cum extremis compositis explicās primum ex uerbis Arist. infirmamus, dicit enim. { Ipsa quidem igitur secundum se ipse dicta uerba, nominaq; sunt } quasi dicat, in hoc primum uerba, & nomina similia esse uidentur, ut secundū se, ac sola, & separatim dicta sint. Sensus igitur literæ talis erit, uerba, nominaq; secundum se dicta sunt, & significant aliquid sed non compositum. Quæ cum clare pateant de nominibus, clare etiā (ut eandem in hoc, similemq; rātionē habentibus) retulit de uerbis: sensibus enim ipsis iudicare uidemus, sicut nomen secundum se, separatum ab aliis, inuenitur quidquam significans, non compositum. sed simplex: ita etiam, & uerbū. Nec propterea trinæ huius similitudinis argumento, qua Suessa contentus esse debuerat dicendum, uerba secundū se dicta, nomina esse, ut uelit, eadem plane uerba esse nominibus, non similia, sensu enim comprehenditur, uerbū secundum se, solum, ac a prædicato & subiecto disiūctū uerbum esse, tempus, & actionē, non ut nomen, sed tēpore numeratam ac mensuratam notare. Non solum igitur consignificato, idest tempore sed præcipua ac in primis significare actione, ut ad mensurā relata, uerba a nominibus distinguuntur. Et si uerbum extra orationem cōsignificare tempus conceditur, uerbum igitur erit, habēs propriam differentiam, qua secundum propriam essentiā constat: & si eo proprio careat, quod non nisi inter extrema cōiuncta tribuitur. Ac si ualebat, & ualebit, diuisa, et sola secundum se, tempus circumcirca significare dicūtur præsens autem tempus in actu cōsignificat actionem, ut præcipuum significatum, cum temporis mensura, & numero: nomina autem significant sine tempore: uerba igitur nō ita paria sunt nominibus, ut nec minimū quidem intersit. Itē, non ualet, non laborat, uerba secundū se sumpta, esse indefinita, ut consignificantia tempus, & ut notam in potentia sunt eorū, quæ dicūtur de alio, non ut actu in oratione prædicatum cum subiecto coniunguntur, ab omnibus conceduntur: plurimi uerò an uerba in oratione ind efinita remaneāt, ambiguunt. Si igitur Arist. uerba indefinita, secundum se prolata, & a subiectis, ac prædicatis disiuncta, uerba a nominibus differentia nuncupat, ac necessario tempus consignificare cōfirmat, nonne idem de positiuis uerbis, & finitis dicetur, ad quorum naturā relata, uerba dicuntur, quia priuationes uerborū &c. Verbum igitur secundū se, non solum principale significatū habebit, sed tempus, ut differentiam propriam consignificatam: quæ cum per se uerbo conueniat, illud, ubicunq; ponatur, consequitur: Si uero significati nomine, non tēpus sed cōpositionem, & unionem prædicati cum subiecto intelligi uelit, rem tanquā ueram concedimus, uerba scilicet secundum se sumpta, extra orationē, ea consignificata compositione uacare. Verum hoc dato nō sequitur uerba secundum se dicta, nomina esse, quasi hac consignificata cōpositione dumtaxat, excepta uerba nominibus ita sint paria, ut nihil penitus differant. Reiicitur etiam tertio φ falsò Arist. tribuit, hic Arist. loqui de uerbis, nō omnibus, sed quæ a nominibus deriuātur, quæ adiectiua, per se prædicata supra uocauit: nam parū infra de uerbo substantiuo

ſtantiuo magis extranea, & logicæ, & philoſophis repugnantia confingentur: propterea hic illud excepit. Nam quum Ariſt. intentio propoſitum ſit, explicare, uerbum ſecundum ſe ſeparatum, ſignificare aliquod ſimplex, non compoſitionem, ut aliqua ex partibus eius ſeorſum nullo modo ſignificet: hoc autem communiter omnibus per ſe uerbis, tanquam genus, & differentia ab oratione tribuitur: omnibus igitur uerbis explicatæ particulæ competūt etiam illud quod intulit. {Nec ſi ipſum ens purum dixeris} ſiue pro eo quod, eſt, uerbo ſumatur, ſiue pro ente. Nam quod per ſe competit. ſi de uno monſtratur, de omnibus oſtendi intelligitur. Neq; recte a Sueſſa hoc contra diuum Thomam refellitur, tunc ſequi, ꝙ alia uerba nihil eſſet. gratis concederet, ſi, ſum, es, eſt, nullum eſt, ſignum uerum, aut falſum ſignificans: nec alia compoſitionem ueram aut falſam ſignificabunt: uel ſi, ut ipſe confingit, Ar. uellet inferre, nihil eſſa ſignificatiue, ſed ut ſigna ſyncathegorematica, non per ſe aliquid ſignificantia, ut omnis, & nullus, & termini habentes officium, non per ſe ſignificantes: concludendam neceſſario fore de cæteris omnibus, nihil eſſe ſignificatiue per ſe, ſed ut ſigna omnis, & nullus, Per ſe enim prædicatum, ſi de uno negatur, & de omnibus, ut ſupra monſtrauimus. Præterea Sueſſa rationē diui Thomæ contra Porphyrium inductam non ſoluit, ſi ſum, es, eſt, ſecundum ſe dictum, nihil eſt ſignificans, niſi ut ſyncathegorema, omnis, & nullus: nec nomē ergo nec uerbum dicetur. Sed propterea pro hac euidenti ratione nec quicquam reſpondet, ꝙ ad ea, quæ ſuæ opinioni contradicerent dici oportere putabat. Hoc autem totum ſibi aduerſari non opinatur, cum aſſerat, cum, eſt, ſecundū ſe ſumitur, nihil ſignificare per ſe. (ita enim negato genere communi, nomini & uerbo: uerbum, & nomen negari, ac deſtrui neceſſe eſt) ſed ſyncathegorema eſſe, cum aliis coniunctum, & inter extrema ſignificans. Namq; ait ſum, es, eſt, poſſe capi pure, & nude penitus ab omni ſignificatione, ſicut a logicis de ſyncathegoremate dicitur, omnis, & nullus, & id genus ſic, ſum, es, eſt, ut etiam non coincidit cum ſuo participio, eſt terminus, habens officium, atq; ſyncathegorema: nihilq; eſt igitur ſignificatiue, ſed conſignificatiue. Adiectiua uero, quatenus eſſe concludūt inter extrema poſita compoſitionem ſignificant: ut ſic nō ſunt nomina, ſed uerba uocantur. Vt autem ſecundum ſe extra orationē ſumuntur, nomina ſunt, nihilq; ſignificant præter nomina, e quibus deſcendunt. Sed peto ego a Sueſſa. ſecundo periher. primo. Ariſt. ait {eſt enim uel erit, uel fuit, uel fit, & quæcunq; alia huiuſmodi uerba ex his ſūt} quæ ſunt poſita, & tāquam per ſe nota in primo libro de ſcripta. Probat ex definitione per ſe, quæ illi tam ſeorſum ab alio, quam iuncto cum alio conuenit, dicens. {Conſignificat enim tempus.} Item ipſorum uerborum natura perſpecta; ſenſuum iudicio etiam confirmamus eſt, erat, erit, ſecundum ſe, & tempora, & ſua præcipua ſignificata cōcludere, ac uocem eſſe ſignificatiuam actus eſſendi: cuius nulla pars ſeparata ſignificata. Præterea, ſi, ſum, es, eſt uerbū eſſe, fateri neceſſario, ratione, & ſenſibus cogitur, erit uerbum ſubſtantiuū, quoniā eſſe conſignificat, quod omnibus aliorum uerborū actibus ſubeſt. Si ergo alia uerba adiectiua, nomina per ſe ſignificantia uocat, ꝙ in nomina diſſoluuntur, cur de ſubſtātiuo uerbo negabitur, quod in ens, ſiue exiſtens, ut nomina, poteſt reſolui? Præterea quonam etiam modo intelligi poteſt, ſum, es, eſt, capi poſſe pure, & nude penitus ab omni ſignificatione, ut ſyncathegorema: ut etiam non coincidat cum ſuo participio? Nam ſi uerum eſt quod Ammonius, Alex. & ſuus (quē in figmento imitatur) Porphyrius, eſt, ab ente deſcendit, ſignificante eſſentiam, ſiue actum, tanquam formam, qua eſt, & in eſſe conſiſtit; neceſſario igitur a uerbo, ſum, es, eſt conſignificari dicetur. Amplius, uerbum definitur ſecundum ſe, & ſeparatum ab oratione, ſicut nomen ſignificās ſine tempore: quæ definitio præcipuo ac primo omnium ſubſtantiuo uerbo conuenter: erit igitur conſignificans tēpus. Conſignificare autem ipſemet, & Ammonius ſuperius explicans, tam præcipuum ſignificatum, eſſe, actionē uel paſſionem, quam tempus, indicare dixerunt. Verbum igitur, ſum, es, eſt, ſine ſuo præcipuo ſignificato, ente. ſ. comprehendi, ac eſſe non poteſt: ſicut nec ſpecies ſine forma, & differentia propria. Aliud quod dicit de uerbis adiectiuis, ꝙ extra orationem accepta, nomina ſint, nihilq; ſignificent differens a nominibus, ab Ariſt. diſciplina omnino ſemouendum eſt: quum propriis differentiis ſeiungātur, ſine tempore, aut cum tempore ſignificare. Præcipuum autem ſignificatum & ſi re idem ſit, ut forma ac intentio, uerbi, ratione tamen diſtinguitur, ut ad temporis menſurā, ac motū refertur, quarto phy. nono, & ut ſupra latius declarauimus. Itaq; eam opinionem ueram ſectemur, quā ipſe Sueſſa uoluit, tanquam falſam, euertere. Hæc de uerbo dicta ſint. Vnum tantum cum Amonio annotandū, ꝙ conſignificare in uerbi definitione ſic dicitur, quaſi neceſſario iunctum, in unamq; differentiā uerbi concluſum, quam per ſe ac perpetuo contine t: ſed compoſitionē conſignificat, ut proprium, quod nō habet, niſi cum inter extrema coniungitur: ita conſignificare dicetur, id eſt cū alio iunctum, non neceſſario tamē ſignificare. Item libro poeticorum, ſecundum ſe, ſine proprio, quod poſitum cū extremis habet, finitur, in hunc modum. {Verbum autē eſt uox compoſita ſignificans ſine tempore, cuius pars nulla eſt ſecundum ſeipſam ſignificans, ſicut in nominibus} ergo extra orationem diſtinctum ſignificatum habet a nomine. Compoſitionē (ait) uerbum conſignificare aliquā ſiue quādam, quoniam ſufficiens eſt uerbum ſaltem eam compoſitionem exprimere, qua prædicatum ineſſe ſubiecto monſtretur: qualis eſt compoſitio accidentium cū ſubiectis uel aliorum, quæ ineſſe tantum ſubiectis propriis licet eſſentiam explicent, concluduntur. quæ compoſitio quædam, uel aliqua non ſimpliciter propria, uel eſſentiæ propriæ appellatur: uel quandam, ſiue aliquam, quę intellectus iunctū cogitatiuæ operationem conſequitur. quæ aliqua dicitur compoſitio, non ſimpliciter, ut eſt illa quę extra animam rebus tribuitur. uel tertio & melius, quandā compoſitionem ſignificat, non compoſitionem abſolute & ſimpliciter, quia illam merito prædicatorum & ſubiectorum coniunctorum ſignificat, non per ſe; nam ſecundum ſe intentionem uerbi tempore menſuratā deſignat.

DE ORATIONE. CAP. IIII.

TEX. BOETHII.

ORatio autem eſt uox ſignificatiua, cuius partium aliquid ſignificatiuum eſt ſeparatum: ut dictio, ſed non ut affirmatio, uel negatio. Dico autem, ut homo aliquid ſignificat, ſed non quoniam eſt, aut non eſt: ſed erit affirmatio, uel negatio, ſi quid addatur. Sed non hominis ſyllaba una: neque enim in eo quod eſt ſorex, rex ſignificat, ſed uox nunc eſt ſolum. In duplicibus uerò ſignificat quidem aliquid, ſed non ſecundum ſe, quemadmodum dictum eſt.

ORatio autem eſt uox ſignificans, cuius partium aliqua ſignificatiua eſt ſeparata, ut dictio, non ut affirmatio, uel negatio. Dico autem ſicuti homo aliquid ſignificat, non autem eſſe aut non eſſe, ſed ſi quid addatur erit affirmatio uel negatio, ſed non hominis ſyllaba una, neque enim in eo quod eſt ſorex, rex ſignificat, ſed uox nunc eſt ſolum. at in duplicibus aliquid ſanè ſignificat, ſed non ſecundum ſe, ſicuti dictum eſt.

Postquam de partibus definitionis posuit, ac constituit nunc de toto composito differit. orationem tribus dictionibus explicans{uocem esse significatricem}intellige a positione, & consilio: hoc totum est loco generis. inde differentiam a nomine, & uerbo declarans, ait: {cuius partium aliqua significatrix, est, separata. ut dictio, non ut affirmatio:}quare autem diuerso ordine præposuerit. ac oẽ doceat, satis in procemio declarauimus: cur itidem significatiua dicatur ex his, quæ de uerbo monstrauit, perspicuũ esse potest: Nam uocẽ orationis compositam proferens, intellectum ac animam rationalem firmat, statuit, explet, cognitione ad duplicem operationẽ spectante: & audiens illam, quiescit, ut Ammonius affirmat: si uero significatiuæ uocis nomine, a positione etiam significare concludat inferius declarabitur. cur autem in definitione reliquerit uocem esse significatiuam a positione & consilio, Ammonius tres responsiones adducit: primam quòd nota est particula ex his. quæ dicta sunt de nomine: sic ut commune genus, in uerbi definitiõe relicta est: adde, id, ante nominis definitionem, præcognitum uniuersaliter esse de omnibus: ea quæ sunt in uoce signa, ac notas non easdem omnibus esse: ad quem se locum infra remittet. quæ ratio non probatur a Suessa, quia id inferius declarabitur: nihil magis tertia Ammon. responsio placet, quam de nomine supra tetigimus, ac ex Arist. in libro poeticorum, & secundo de anima confirmauimus: hęc autem est: quòd a sequente differentia comprehendatur, cuius partium aliqua separata significat. Dicas ergo in antecedenti communi genere cõtineri: oratio est uox significatiua, in libro enim poeticorum cap. 7. nomen. uerbum & orationem definiẽs inquit. {sunt uox composita significans} nunquam addidit a positione: quasi uox, quæ dictio dicitur, quæque interpretando conceptiones significat, esse non posit; nisi ex uoluntate, & anima cogitatrice, ex instituto significet. Item secundo de anima. 90. uocem (quam ex motu imaginatiuæ uoluntariæ effectam monstrauerat, & a positione, ut clare Commen. & Themistius asserit) nouissime finiens, inquit: {uox, est quidam sonus significans: } & quòd per significans intelligi etiam uelit a positione, & arbitrio significare, ex uerbis sequentibus, & explicatione ex contrario naturali opere liquet, cũ inquit {& non respirati aeris, sicut tussis: } similiter infra, hanc dictionem, ut quodãmodo obscuram, & non confessam ab omnibus, ex suo opposito naturali instrumento declarans, ait. {Est autem oratio omnis quidem significatiua (ut diximus) nõ sicut naturale instrumentum, & organum significans, sed quemadmodum dictum est secundum arbitrium. } Itaq; nomine uocis significatiuæ. i. qua ad loquendum, & interpretandum utitur natura, secundo de anima. 88. necessario a positione significare, concipitur. nec omnino eam rationem probamus, qua dicunt. propterea eam dictionem in definitione relictam, quod inferius declarabitur: nã supra de uerbo particulam occultam aperuit: quod nulla pars eius extra significet: & initio posuit, nec tertio tacendam putauit, quod inferius fuerat declarãda. aliter igitur prima responsio improbatur cum uocem significatiuam esse pateat de nominibus, cur totum commune genus omnium non relinquitur: quod de uerbo fecisse monstrauimus: nos autem dicimus necesse fuisse, Arist. hæc de oratione non uerbo repetere: quoniam, cum oratio plures dictiones contineat, uideri culpam potuisset, uocem non esse generis loco ponendam, sed uoces: quod de uerbo simplici dictionè, minime dubium uidebatur. Quomodo autem uox una dicatur, optime Suessa declarat: sumens ab Arist. in poetica: ubi orationem definiens, ait {est uox composita. } unitas igitur uocis compositæ, ex uerbo copulante, ac ueniẽte prædicatum cũ subiecto sumetur: adde tu ex ipsis prædicatorum, & subiectorum conditionibus, siue per se de alio, uel in alio, aut per accidens prædicatorum: qualis enim est causa unitatis compositorũ, talis similiter causa uocis compositæ explicabitur. licet hæc causa sit particularis & quasi per accidens. {Cuius aliqua partium significatiua est separata ut dictio non ut affirmatio. } Hic differẽtiã ponit qua oratio differat a nomine & uerbo (ut Ammonius ac cæteri Auer. excepto) fatentur. quorum partes non significant ut dictio, sed ut syllaba, uel nihil penitus. ut infra dicemus, per primam a dictionibus: per secũdam ab affirmatione differre. Quærit Ammonius cur nõ simpliciter dixerit, cuius partes separatæ significant, sed aliqua (inquit) est partibus significatiua separata: an forte Auer. opinionem, uerbum istud alludit quod ita legit (et oratio est dictio siue uox, cuius una partium primariũ, id est simplicium iam per se significat secundum modum intellectus simplicis, & formationis, idest primæ operationis intellectus qua simplex rei forma concipitur: non secũdum modũ affirmationis & negationis.) & exemplũ proferens, ait (ut homo est animal) ubi. dictio homo & animal quæ sunt prima orationis pars. significant aliquid secundum modum formationis, & non affirmationis: {& hoc (inquit) quod accipit in definitione orationis, q̃ una partium eius primarum significat secundum se separata, est differẽtia, qua differt oratio a nomine) quibus uerbis clare colligitur, eam dictionem ad uerbi etiam discrimẽ non positam, sed nominũ tantum, quorum primam orationis partem subiectum, hominem, & animal ut prædicatum appellat, secundã, uero uerbũ. Hæc Auerroem propterea puto dixisse: ne uerbis Ar. supra positis contradiceret: quæ ita in omnibus aliorũ uersionibus habebantur: {uerba autem secundum se dicta nomina sunt} sed quasi dicat, ut uerba compositionem significant prædicati cum subiecto quam sine compositis non est intelligere: ne sibi etiam aduersetur, primo priorum primo, et quæsito de termino prionstico. hanc opinionem de uerbo pluribus supra refellimus: non enim litera Arist. habet, uerba secundum se dicta nomina esse, sed uerba sunt secundum se dicta, & nomina & sic separata, secundum se aliquid significant simplex non compositum. de utroq; igitur uerum esse monstratur, significatiuam uocem esse separatim non solo nomine. Præterea in poetica uerbum definiens, inquit uerbum uocem esse significatiuam cum tempore, cuius nulla pars seorsum significat, sicut est in nominibus. tibi; uerbũ secũdũ se, non inter extrema ac composita iunctũ finitur, cum proprium non addatur, quod potestate continet. cum extremis esse, scilicet & semper est nota eorum quæ de altero prædicantur, aut sunt in alio: quasi dicat, si proprium uerbi dicatur, non per se formæ eius, definitionisq; conueniens est, sed cum inter composita collocatur. significat igitur separatum, & aliquid distinctum a nomine. Amplius in eadem poetica, orationem declarans, ait. uocem esse compositam cuius aliquæ partes secundum se ipsas significant. glosa etiam Auer. hic admittatur, cuius aliquæ partes primæ, secũdum se ipsas significant, partes autem primæ & per se orationis necessariæ & uniuersales dicuntur illæ, quas Arist. in procemio posuit. nomen. s. in prædicatum & subiectum diuisum, primo priorũ primo; (quæ enim duæ propositionis partes in resolutoriis numerantur, hic tanquam unũ proposuit; nomen) alterum uero ipsum uerbum: ex quo necesse est omnem orationem constare. Istæ igitur illæ, quædam partes orationis uocantur, quæ seorsum secundum se ipsas & per se, quidquam significant. Ad hęc, uerbum secundum se, ac separatum a nomine, & oratione, tanquam orationis materia definiendum præponitur; ita etiam definitur, ut a nomine, propria differentia separatur, ac ab oratione se cludit: cum eius nulla pars separata significet, & compositionem nõ nisi per accidens (quando cum extremis coniungitur) Ar. explicare concedit. Itemq; supra ipsemet Auer. cum cæteris omnibus confitetur, dictionem hanc in definitione

uerbi

uerbi sicut & nominum (cuius nulla pars separata significat) positam esse, ut hac nomen & uerbum, ab oratione differret: ergo si per oppositam particulam negatam, uerbum & nomen ab oratione distinguuntur, idest nō significare partes, ut dictio per affirmatiuā oppositam, igitur quod eius partes aliquę separatæ significāt ut dictio, nō affirmatio, oratio a uerbo atq; nomine distinguetur: Nam quēadmodum belluæ singulæ per irrationale ab homine secernūtur, sic homo, ab omnibus etiam animalibus, rationis expertibus, per rationale distinguitur. oppositorum enim sub eodem genere positorum (ut est nomen & uerbum, & oratio sub uoce significatiua a positione) oppositæ sunt differentiæ: quibus ab inuicem differunt. Item si oratio differt tantum a nomine non nisi quia nomen uox & dictio est ex institutione significans aliquod simplex, est cuius partes nullæ seorsum significant: id aūt cōmuniter in definitione nominis atque uerbi in poetica ponitur. Adde, si partes coniunctæ, ut materia orationis per se, separatæ significant, cur illa, quæ partes illas coniungere apta est ut forma, significatione uacabit? Item si indefinita uerba secundum se prolata, sine compositis, ut non ualet, non laborat, consignificant tempus & semper sunt nota, scilicet cum inter composita coniunguntur. ergo separata significant tempus: ab eo igitur oratio potest distingui, cum sit pars quidquam ut dictio consignificans; simile de casibus uerborum concludas, quę seorsum a prędicato & subiecto disiuncta, distinxit: dicens, ualebat, & ualebit. Nouissime in hoc eodem capite Arist. inquit: nomen ergo & uerbū dictio sit sola, idest, ut se ipsum declarat, uox simplex est, non quasi quidquam complexum enunciās, idest non affirmatio & negatio. Tunc ratio ex orationis definitione hunc in modum formetur: oratio est uox significās cuius aliquæ partium separatæ significāt ut dictio, non ut affirmatio: sed Arist. nomen & uerbum dictionem solam, non enunciationem esse affirmatiuam de aliquo, & negatiuā ab aliquo approbat: dictio igitur seorsum, ac diuisim significans nomen atq; uerbum concludit. Quare si oratio ab eis partibus distinguetur, quæ ut dictio, nō ut affirmatio, seorsum, ac solæ significant: non solum igitur oratio a nominibus, sed a uerbis etiam distinguetur: qua de causa si uerbum orationis para necessaria ab Arist. numeratur, & cōmunissima, ut prędicatum & subiectū a partibus excludantur communibus, de quibus in procemio tractare in hoc libro constituitur: uerbum ergo ut para necessaria significat. Item per se uerbum para separata & distincta a nomine inuenitur. cuius pars nulla seorsum significat, ergo in definitione orationis cōcluditor ut quædam eius pars, quæ ut dictio non affirmatio, quidquam significabit. Ad hæc omnia Auer. facile responderet: illam expositionem tradendam maxime fuisse per notum ex Arist. uerbis in poetica, & ratione dictis consentiente: nam oratio per eas particulas est finienda, quę omni orationi conueniunt: prædicata enim per se, sunt de omni: cum ergo oratio finiatur, ut communis est orationi imperfectæ sine uerbo, & perfectæ cum uerbo (ut clare dicitur ab Arist. in poetica,) ergo ita erat definienda, cuius aliqua partiū uel aliquæ partes separatim significarent: per hoc autem, quod plures uel aliquas habet partes ut nomina, differt a nomine cuius non sunt aliquæ partes: immo nullæ partes ponuntur tanquam nomina: a uerbo autem non differt, nisi per hoc quod uerbum est pars simplicissima, at oratio in cōi aliquas saltem habet partes: licet ut nomina. differentia autem eorum proprie dicitur, quę sunt aliquid, idest entia. plures autem partes complecti (tanquam nomina) opponitur partes etiam nō habentibus; tanquam nomina licet improprie differant ut pars simplicissima cuius nulla est pars, & composita ex aliquibus: Ammonius duas respōsiones inducit, primam. ideo simpliciter dictum non esse cuius partes, sed aliqua è partibus, propter articulos, negationes coniunctiones, quæ secundū se positæ significatione uacant. Hic contra S. Thomam sumentem ex Ammonio hanc responsionem quidam infirmant. Quoniam hic Arist. de partibus simplicibus, nomine & uerbo loqui proposuit, non de compositis. sed hi si de negatione addita nomini aut uerbo secundum se ac separatis intelligāt, cum simplici nomine & uerbo, nō cōposito numeratur. sicut indefinitum nomen & uerbum speciē simplicis nominis, & uerbi esse supra monstrauimus. uerum si de negatione, idest negatiua propositione diuum Thomam refellant, eius sensum non percipiunt: nam S. Tho. & Ammonius, a quo S. Thomas accepit, ita seipsum exponit, quia secundum se positæ significatione uacant, uel non significant aliquid absolutum, sed relatum ad alterum, cui iuncta consignificant. per negationes igitur aduerbia negandi, nō autem negatiuas propositiones intelligunt: quę secundum se sumptæ quidquam significant: secundo arguunt hi quoniam hic Arist. de partibus disserit, non signis partium. Quæ ratio uerum concludit de ueris partibus per se componentibus, non de his quæ cum alio componuntur nomine. ut Cōmen. de nomine indefinito concedit, componi ex nomine habitus & negatiua particula, non: & ita nullus & omnis uniuersalium significantes cum subiecto componi quodammodo dicerentur: propria autem improbatio, est ueritatis cognitio. quā ipsemet Arist. explicabit {cuius aliquæ partium significatiua est separata ut dictio non ut affirmatio:} nam ad illorum differentiam posuit: (quædam partes significatiuæ sunt separatim, ut dictio, non ut affirmatio) quæ in genere communi cōferētiūr. Sed partes orationis uniuersalium acceptæ, quæ seorsum significant, non sunt, nisi dictio simplices omnis orationis partes complectēs, nomen & uerbum, & nō affirmationem & negationem, ut compositas. quasdā igitur partes, & nō simpliciter & absolute uocauit, quoniam ex quibusdam cōmunibus tantum & simplicibus orationē finire constituit: Minor ad improbandam primam Ammonij responsionem addatur: sed negatio, articuli, coniunctiones (adde ex diuo Thoma) & signa uniuersalis naturæ omnis & nullus, uoces significatiuæ secundum seipsas siue separatim a toto nō sunt, nec ut dictio, neq; ut affirmatio ad horum igitur differentiam uerba illa non posuit: sed affirmationis & negationis, quæ etiā partes quædam orationis, hypotheticæ saltem, dicuntur, per se ac separatæ signāter. Ad rationem eorum dicatur de partibus simplicibus loqui, quum orationem declarat, ac definit, ex quibus per se & de omni ac primis separatim significatricibus constituitur: nec propterea, alias orationis partes compositas esse negandum erit: ad quas, simplices partes relatæ, quædam partes, non simpliciter appellentur: Ex hac declaratione etiam patet. secūdam Ammonij responsionem, textui Arist. cōtradiceret quā tanquam ueram affirmant: quæ est: simpliciter dictum non esse, propter partes nominum simplicium, idest syllabas & literas: & nominum compositorum. ut hi cocerunt. sed responsio ista non placet: quoniam (ut ecigimus) syllabas & literas & partes etiam nominum compositorum, satis sufficienter abiecit ex genere communi: cum dixit {cuius partes aliquæ seorsum significant} & etiam quoniam nō significāt aliquid penitus, ut Commen. affirmat: quorum utrunque infra probabitur: Hanc respōsionem Ammonius & Psellius tetigit: ut partes significatiuæ (inquit Ammonius) aliquæ distinguātur ab aliis orationis partibus, quæ totę integræ uel affirmatiuæ uel negatiuæ dicuntur, & fortasse illud totum deinceps ac continue legendum (cuius aliqua ex partibus significat separatim, ut dictio) quo distinguatur á compositis partibus, ac iam per enunciationē prolatis, non ad articulorum, coniunctionum, usq; similium differentiam. rationem adducit: quia partes illæ dicuntur, quæ proximæ, non quæ tanquam minimæ particulæ ad

totum compositum referuntur. sicut ad nauem, non minimas ligni partes, sed tabulas ac trabes proximas partes referimus: & syllabas ad elemēta, & dictiones ad syllabas; sic oratio omnis ex necessitate ex dictione proxime cōstituitur; sed quoniam ratio hæc forte pati calumniam uidebatur, quia si dictio sola ad rationē hypotheticam confeiatur, minima ac remota pars appellatur: propterea secundam rationē adiungit. quoniam syllabę & literę partes, nominum & uerborum, sola pronunciatione, nō ut significandi partes ipsorum censentur: ideo supra & infra dicetur. nominis & uerbi nullam partem abiunctam, signare: nomina uero & uerba, non solum pronunciationem, sed significationem componendo orationem efficiunt: & quoniam ipsa primam significādi obtinent facultatē, primæ quoq; partes orationis, merito affirmantur. Petes cur per partes seorsum significantes ut dictionem, orationem in communi & ex necessitate finiuit? dicas arte finiendi, ac ratione fecisse: quoniam quum oppositorum oppositæ sint differentiæ, si igitur nomen & uerbum nullas habent partes quæ ut dictio seorsum significent, oratio igitur ab his (per oppositam rationem) distincta per affirmatiuam particulam, differentiam obtinebit: ita enim sibi inuicem proportione respondent: sicut nomen & uerbum ea differentia (cuius nulla pars) ab omni oratione tam perfecta quā imperfecta ex pluribus saltem nominibus constāte, ut definitio. quæ oratio dicitur imperfecta. secernitur: ita oratio ab omni nomine ac uerbo distinguitur: ut supra cōtra Auer. declarauimus. & sicut in nominis, ac uerbi finitione, nulla para diuisa significare, ut dictio intelligitur, sic etiam contra orationis aliquæ partiū significare dicentur, ut dictio. itaq; ratione permotus, affirmationem, & negationem, ut partes seorsum significantes, in definitione orationis non posuit; nō solum quia orationis in communi partes necessarias, ac in primis significantes apposuit, sed etiā quod oratio sub eodem genere communi contenta, sub uoce. s. significatrice a positione, per oppositam affirmatiuam particulam finienda fuerat. ita. n. per se omni conueniet: cuiusmodi differentia pars definitionis ponenda est, ut ab omni habente opposita secernatur. si autem orationem finiendo dixisset (est uox, cuius pars aliqua significatrix est separata, ut affirmatio, uel negatio) nec per se, & omni orationi cōpeteret, nec propter per oppositā particulam integram, definisset. Sed hic responsio Suessæ refellitur; qua uult propterea orationis definitionem, omni orationi competere, ut quædam eius partes significent separatæ, ut dictio; quod si hypotheticæ partes, affirmatio, & negatio cōposita, separatim significent, ait, non nisi ut dictio, non ut orationes compositæ. contra, quoniam infra proportione respondens, significatum hoc, Arist. remouet dicens: {homo aliquid significat, sed non quoniam est, aut non est. sed erit affirmatio, & negatio si aliquid addatur:} affirmatio igitur & negatio quod ut dictio significet, ab Aristo. nō cōceditur, sed negatur potius. Sed forte huic instantiæ Suessa similiter responderet, sicut supra ad rationem Aspasii, & Philoponi, contra Alex. respondit: partes. n. orationis separatæ significant, ut dictio, non affirmatio, & negatio composita: respondet, non significare, ut cōpositas, sed ut dictiones. sed contra: dubium propositum nō refugit: quoniam sicut dictio, & homo non significat compositum quidpiā: sic affirmatio, & negatio simplex significatum non explicabunt: cum dictio similis sit ei intellectui, qui sine compositione affirmante, & diuisione negāte est. Item, ut bene Ammo. ac alii confitentur; dictionem, ad nomen & uerbum coarctat dicens: (nomen ergo & uerbum dictio sit sola) non quidquam enuncians abnegando, uel affirmando. Præterea falsum est, affirmationem, & negationem non significare separatas, nisi ut dictiones: quoniam oratio, ut uox composita ex multis dictionibus definitur in poetica: & ut composita distincta a partibus significare a positione conceditur, ac definitur, Item negatio, & affirmatio nonne enūciare aliquid de aliquo, uel ab aliquo affirmantur? si igitur ut partes compositæ, quidquam enunciant, ac generis compositi proprium opus efficiunt, enūciationis: cur ergo separatæ aliquid, ut species non significabunt? & si ut compositæ aliquid non significant, separatæ, affirmatio, & negatio: primum principium, & maximam nō constituent; de quolibet dicitur esse uel non esse, et de nullo ambo simul: separatim igitur ueritatem propositionis maximæ, & compositæ retinēt, non coniunctæ ambæ simul. Amplius orationis definitio non ex ueris, & per se nominibus, sed similibus, ac per accidens ederetur: Ad hæc Arist. inquit {oratio est uox, cuius aliqua ē partibus significat separata, ut dictio, non ue affirmatio} clare igitur Arist. præsupponit, affirmationem ut affirmationem, uocem esse a positione signantem a dictione distinctam, ac separatam: idq; tantum negare uult, orationis partes significare diuisas, non ut affirmationes compositas, diuisim significantes, quia per accidens, id est in aliqua tantum orationis specie significare ponuntur, sed significare ut dictionem per se, necessario, & de omni, ut Ammonius uere dixit. Sed contra hoc, dubiū manet. Auer. in poetica & Ar. quia si per dictionem, tā nomen quam uerbum etiam significaretur, non omni orationi assignata definitio cōueniret, nisi perfectæ, ac ex nomine & uerbo constanti: cuius contrariū patet ab Ar. in poetica. Nisi diceres cuius aliqua partium significat sicut dictio, idest tanquam nomen uel uerbum disiunctiue non copulatiue intelligi. Quærunt cur dixerit significat, ut dictio, non affirmatio? satis enim fuisset: solum dixisse ut dictio, quæ nunquā ponitur affirmatio. Respondetur dictionem simplicem per suum oppositum cōpositō explicare. quod cum negatione protensum, alterū quodammodo palam facit. primo topic. 8. & 12. & sexto topic. 14. 15. ut de omni, non in quodam quidem sic, & quodā quidem non, primo poste. quinto, scire simpliciter, non sophistico modo. secundo physic. 3. natura principium primum & non secundum accidens. primo priorum primo, de omni quando nihil est sumere sub subiecto, & sexcentis aliis locis, hoc definiendi modo Arist. utitur. adde, ut paulo ante, notauimus: ly dictio & non ut affirmatio, nedum tanquam oppositionem quodammodo alterum explicantem poni, sed etiam, ut differētiam; qua quædā partium separatæ significātes, ut dictio a partibus ipsis differant, quæ separatæ significant, ut affirmatio, & negatio, siue non, ut dictio, sed ut compositæ enunciationes: quod contra Suessam superius declarauimus: & denuo declaramus: nam ait ad hanc motam dubitationem respondens, ideo addidisse (non ut affirmatio) ad denotandum, partes orationis posse significare ut affirmatio: (quod Arist. non uult intelligere) sed quatenus habent uim dictionis. Sed hoc tanquam falsum reiecimus. Arist. uoluisse, affirmationem significare, ut habentem uim dictionis: quoniam nunquam id sibi conueniet: cum uerum semper, ac complexum significet. & sicut dictio, uim affirmationis enunciatiuæ non habet, sed tantum nomen uel uerbum complectitur: ita nec affirmatio uim dictionis unquā habebit: & ex sensu Ari. ac scopo perspicuum esse potest. ut dictionē significare, ad primam animi operationē spectare: quam uim, affirmatio per se, ut affirmatio nunquā habebit, nisi per accidens & per alterū, idest per suas partes simplices: nomen & uerbum. quo dato, cum Alex. & nobiscum conueniet: dubiumq; ipse non soluet nisi confirmet, ut dictionem, dixisse, ut ab affirmatione differret: quæ ut dictio non significat: Præterea si dictionis nomine nomen uel uerbū partes omnis orationis per se & necessarias intelligeret, quas affirmatio & negatio, ut partes cōcludunt ac continent: Arist. non dixisset {cuius quædam siue aliqua e partib' significatiua est separata} sed hoc po

tius

tius modo finisset: cuius uniuersę significatiuę partes, seorsum significant, ut dictio: quoniam, ut Suessa cōcedit, singulas partes, dictionis uerbū, complectitur. Praeterea uerū nō esset, quod Amm. in Cratylo ex Socrate prodidit, nomen exigua orationis portiunculam esse, id uidelicet, quod de proprie uocato nomine, & uerbo praedicatur: ad quod Platonis uerbū forte Arist. respexit cum orationē finiendo dixit (cuius aliqua è partibus separatum significat, ut dictio) quae etiā ab eodem Arist. dicitur nomē uel uerbum cōplecti: quasi diceret, cuius aliqua. i. illa exigua portiuncula, quę de nomine uel uerbo affirmatur, per se separata significat. propterea idē diximus in poetica ab Arist. indicari, cum inquit, oratio est uox cōposita cuius aliquae partes duali siue plurali numero, explicatę nā aliqua pars, ut dictio, siue nomē, tāquam exigua portiuncula, aliquas per se & primas, ac necessarias partes, concludunt: Auer. autem si ita nomen cū Platone sumpsisset ut nomē ac uerbum concluderet: ab eo nullatenus dissentirē, ac fateri nobiscū necessario cogeretur, ut facit Arist. illa uerba declarans: uerba aūt, secundum se sumpta & uerbū ut uerbū distinctum a' nomine extra orationem manere separatū, quemadmodum & nomina ipsa, a uerbis diuisa persistūt: nosq; cū eo sentiremus, orationē ex dictione cuius aliqua & una (quam dicit) partium significat separata, ad differētiam nominis posuisse: Sed hunc eius sensum nō fuisse, ex his quae superius improbauimus, clarum est: sed potius ex platis exēplis subiecti hominis, & pędicati animalis, ac uocabulo nominis unius primę partis, oppositū indicatur: ut ibi notauimus ex quaesito de termino prioristico, & primo priorum primo. ubi nūquam uoce nominis utitur: ut nomini & uerbo cōmuni. Sed Cōm. ad dicta omnia superius respōderet ex libro poeticorum: orationē finiendam esse ex his partibus, quae omni orationi cōpeterent. i. tam perfectę sine uerbo, qualis est definitio: ꝗ perfectę cū uerbo: cuius aliquae partes etiā separatae significant ut dictio, i. uerum nomen: ut in poetica Arist. manifestat. ut Cleon ambulat: Cleon tanquam nomē separatum significat. ratione ergo nominis, omni orationi cōueniet. ut pars principalis; per dictionem ergo non uerbum etiam innuit, (licet per se separatum significet.) nam uerbū perfectę orationi tantum conueniēs est. Ad rationem Arist. diceret, nomen & uerbū dictio sit solum. i. significans simplex significatum, ut dictio, non compositū significatum affirmationis & negationis. dixit ergo cuius aliqua partium, i. nomen saltem per se significans est: per quod sufficiēter a nomine & uerbo differret: & per se omni orationi competeret. & hęc responsio mihi uidetur securior & Arist. in libro poeticorum se declarantis, a quo Cōm. accepit: & ita definitioni, ut orationi imperfectę sine uerbo, conueniet, ut Arist. se in libro poeticorum declarat. Postremo postulāt Ammo. & cęteri omnes, cum oratio quędam perfecta sit, ex uerbo, tanquā forma a qua est perfectio, & a fine secūdo de anima. 49. qua percepta, intellectus in secūda operatione ueri cognoscendi quiescit: quędam uero sit imperfecta: cui harum assignata definitio cōpetat? Ammonius Cōmentator & Suessa dicunt omni orationi distinctę cōuenire, tum quia in poetica ut statim orationem finierat illam in perfectam & imperfectam diuisit. quod hic etiā facit: tum quia singulae, in communi definitione conueniunt, uocem esse significatiuam cuius aliqua è partibus separata significat. Philoponus uero contrariam sententiam ex dictis Arist. posuit, definitionem orationis soli perfectae competere: hac ratione permotus, quia partes referuntur ad totum. quod primo coeli tertio, idem est quod perfectum: oratio autem hic definitur quatenus refertur ad partes. ut totum, igitur, ac perfectum necessario intelligitur. quam rationem Boethius, diuus Tho. Suessa. infirmant: primum Boethius simul rationem improbat & dissoluit. non enim uerè concluditur: oratio hic finitur, ut refertur ad partes; igitur ad cōpletas in fine perfectionis, & complete perfectas partes: tūc enim minime compositum diceremus, nisi quod extremam, ac ultimam formā, & perfectionem haberet & etiam partes perfectas: itaq; animal, corpus, & substantiam cōiunctam ac ex materia & forma conflatam, minime fateremur esse cōposita. Propterea dicunt ꝙ oratio imperfecta quoniā nō habet partes completas & perfectas, imperfecta dicetur oratio, ita non totum perfectum. in idem redit. S. Thomae respōsio, quamuis omnes partes referantur ad totū perfectū & sic uniuersae etiam partes orationis principaliter referātur ad orationem perfectā, cuius pars est oratio imperfecta, partes etiam ipsa habens significatores: quaedam tamen partes immediate referuntur ad totum: ut paries & tectum, ad domum, & membra organica ad animal: quaedā medijs partibus principalibus quarū sunt partes, ut lapides ad domum medio pariete; nerui uero & ossa ad animalia, mediis membris organicis. sic ergo partes orationis principaliter referuntur ad orationem perfectā, cuius pars est oratio imperfecta, quae etiam habet partes significantes; oratio igitur imperfecta habet partes quae referuntur ad totum perfectum, non immediate, sed medijs partibus principalibus; quibus carens, imperfecta ab Arist. dicitur. S. Thom. forte non immediatas partes uocauit, quoniam plurima ex parte, ex casibus nominum constāt, & uerbis imperantibus, & deprecantibus; quae nisi reducantur in rectos, ad perfectam orationem referri non poterunt. uerius tamen puto quòd mediatę partes dicuntur, quia nisi post uerbū coniunctum nomina plura partes esse orationis perfectae non possunt, quorum uerbum est unio: ita Boethius dicit ꝙ licet hic finiatur oratio ad partes collata, non in fine tamen perfectionis, & complete esse perfectas, sed quae ordinari cum aliis adiunctis principalibus possint. Suessae uero Boethii ac cęterorum respōsio ista non placet, quoniam compositum aliquid dici nō potest, quod forma aut materia uacat; imperfecta autem oratio, uel uerbo simpliciter caret, aut principali, aut materia; iure igitur nec totum, nec compositum dicitur. Ad secundum dicit Suessa, partes non dici partes, nisi postquam est ipsum totum; ante enim partes dicuntur potentia, non in actu, nisi postquam intellectus praedicatum composuerit cum subiecto, & obiicit ipse contra Philoponū; quia statim oratione finita, diuisit in perfectā & in imperfectam; utrique igitur assignata diffinitio competit, quum per se conueniat cuilibet contento sub definito. Sed obiectione relicta, qua cum Ammonio conuenit, cōtra responsa dicamus, cur est ꝙ quinto metaphysi. 30. de parte Aristo. ait totum uocari, quod partes secundum essentiam continet, non formam uerbi? Similiter etiam tex. 31. totum continuum uocat; hoc autem potentia non actu, sine uerbo, suas partes proprias retinet. Item partes uocauit in quas totum diuiditur. & uniuersale totum esse quoddam affirmat, quod tantum potestate de speciebus propriis praedicatur. Illae igitur partes orationis imperfectae non actu referuntur ad totum perfectum, sed potestate; itaque totum potestate dicetur, quod perfectum reddetur, cum omnes partes adfuerint. Sic omne. totum, & perfectum eadem specie & ratione nuncupātur, primo coeli tertio, quum actu partes omnes referuntur ad totum, non in potentia; quando autem partes aliquę sine copula uerbi iunguntur, sicut partes in potētia, ordināntur ad totum. ita totum proportione respōdens, potentia totum, perfectum dicetur; perfectio enim (ut supra tetigimus) uel ab esse ultimo formae propriae sumitur, aut a fine. Praeterea contra Suessam, Ammonium, & Boethium cōmuniter ambigo; si imperfecta oratio nūcupatur, quae caret uerbo simpliciter, quo nā modo definitio orationis in cōmuni (cuius aliqua è partibus separata significat ut dictio nomē & uerbū cōplectens) imperfectae cōueniet?

nam ipsemet Amm. supra notauit cum aliis, per aliquam
è partibus, ut dictionē signantē, nomen & uerbū intelligi:
& sumpsit hoc ab Arist. qui dicit (nomē ergo, & uerbū di
ctio sit sola:) itaq; Philoponi ratio, in hūc modum posset
firmari: quod per singulas partes finitur, totū & perfectū
sua forma & materia dicitur, (quum nulla pars necessaria
desit extenius assumēda, quinto met. 21. 31. de perfecto &
toto) sed oratio in cōmuni ab Arist. definitur per singulas
per se (ut ipsi explicant) & necessarias significātes partes,
ut totum igitur & perfectum finiri dicetur. Hāc rationem
facile Auer. solueret, per dictionem, tantum nomē intelli-
gens, non uerbum: non ut alii intelligentes tam nomen q̃
uerbum: & obiectio ex libro poeticorū est cōtra eos: nisi
cum Cōm. supra dicatue licet uere cōcludat cōtra Amm.
Nec dicendū ut alii falsò: hic definiri orationē perfectam
solum, sed in poetica etiam imperfectam, quia utrobiq;
eadē definitio assignatur: licet pro Philopono quis posset
forsitan dicere infra imperfectas orationes sine uerbo nō
numerari, sed q̃ oratoriæ & poeticæ numerantur. Sed cō
tra, quia eadem est definitio hic & in poetica assignata: nisi
pro his diceres q̃ dictio nomē uel uerbum disiunctiue nō
copulatiue significat. Item ardua ac abstrusa dubitatio in
Philoponum remanet. primo enim top. 4. primo post. 64.
14. 78. & in poetica, secūdo poster. 45. 15. 17. in epitoma-
tibus logic. in principio & alibi sæpe, secundo post. primo
Themist. Arist. & Cōmen. affirmāt: definitionem, oratio-
nem uocari, quę esse, aut non esse, hoc est, inesse prędicatū
subiecto, uel nō inesse, explicat: nec partes, medio uerbo,
sed essentiæ nexu iunguntur. definitio igitur, ut terminus,
oratio dicetur imperfecta quid est aut, erat, esse, significās.
Præterea Cōm. hic & in epitom. logic. ait q̃ perfectarum
orationum quædam est cum uero uel falso: quædam sine
his, & hāc uocat imperatiuam, prohibitiuam, optatiuam,
interrogatiuam, de quibus non est necessarius sermo: quas
ergo Suessa imperfectas orationes uocat, affectus, nō ue-
rum dicentes, Auer. perfectas appellat: quæ faciunt adipi-
sci intellectum per se, idest, q̃ loquens, sententiam absolu
tam significat: ut Ammo. etiam dicit quia illas alteri pro-
ferens, cogitatricē animam sistit, firmat, & cognitione ex-
plet: & audiens illas, quiescit; quamuis uerum uel falsum
non indicet. Qua de causa ut integra orationis finitio sin-
gulis conueniret, hunc in modum illam intelligi oporte-
ret, ut sit uox significās, cuius aliqua pars separata signifi-
cat, ut dictio, potestate, non actu continēs nomen uel uer-
bum, si unum non fuerit nomen, sed plura. ita definitio tā-
tum genus & differentiam continens essentię nexu cōiun
cta, oratio imperfecta dicetur: cuius partes tanquam no-
mina sola, ut dictio, quidquam significant, genus & diffe-
rentiam, in ipsa uero oratione perfecta, partes, ut nomi-
na & uerba significabūt. Quòd si quisquam obiiciet defi
nitionē, ab Arist. appellari positionem, pręmissam imme
diatam, & principium demonstrationis, conclusionem. si-
ue totam demonstrationem positionis ordine differētem,
quę cum præmissę ac propositiones & orationes enūcia-
tiuę ponantur, oratio igitur perfecta dicetur. Ad hoc Cō-
mentator respondet locis supra uocatis. ista, definitioni-
bus non per se, sed per accidens conuenire, ut orationis
enunciatiuæ induunt rationem: quam responsionem sum
psit, a Themistio primo poster. cap. 5. secundo poste. cap.
3. primo top. 3. & a Philopono: contra quam dubitatio-
nem adducit, quam insolutam reliquit, sufficiēsq; putauit,
in re tam obscura locum ac dubii rationem monstrasse: li-
cet in præcedentibus uerbis solutionem tetigerit, quam
Auerroes omnibus fere locis sectatur, secūdo poster. 45.
& 46. Philoponus similiter diceret, definitionem simili ra-
tione speciem orationis infra, ab Arist. numerari. cum di-
cet {est, autem una oratio enunciatiua quæ unum signifi-
cat} idest unam intentionem uel rem unam sicut est homi-
nis definitio: ut Commentator intelligit in poetica: ubi

eadem orationis partitio repetitur: & secundo poste. 45.
ratio autem una, est duplex hæc quidē coniunctione una,
ut Ilias, alia uero unum de uno ostendēs, & declarās, non
secundum accidens: & hæc ratio definitionis, ab Arist. di-
citur, ut ostendēs, ac declarans unum. i. unam formam &
essentiam, ut prædicatum de uno subiecto: ostendere aūt
& declarare aliquid de aliquo, quid aliud explicat, q̃ prę-
dicatū enunciare de uno subiecto? demonstrator enim &
logicus, septimo met. 42. definitiones considerat, ut instru
mentum: quod intellectū, ad, cognoscendum rerū quidita-
tes deducit: hoc, est, ut aliquod unum, de propriis subie-
ctis enunciant; licet non per se id faciant, quoniā sunt for-
mæ simplices, ac extra animā quęstionem & sciētiam fa-
ciunt simplicem, non compositā: secundo poste. 3. quo, si-
cut res explicatę simplices sūt, ita & formę cōceptio sim
plex. per se, ac necessario erit; sed composita est, per acci-
dēs, ut orationis ac enunciationis rationē participat, qua-
tenus ut prędicata propria ad subiecta et propria referū-
tur, de quibus prædicantur actu. at definitio est prędicatū
ut oratio quod, est, esse subiecti definiti significās, declarās
ac manifestās, ut unum de uno. hoc aūt, sine uerbo signifi
care non potest; quod semper, est, nota eorum quę dicun-
tur de alio. Nec cum Philopono primo poste. dicendum.
propterea definitionem non dicere esse, uel non esse. i. affir
mando uel negando, quia, in his ponendum est prędicatū,
a subiecto diuersum; definitio aūt eadem est definito. Nā
falsum est, quia Arist. primo top. 7. idem de seipso. i. defini
tionē de difinito, & genus de specie asserit prædicari. Cō-
firmatur, primo topic. cap. 5. quæ aliis prædicatis conue-
niunt, iuuant ad definitionem edendam, quæ inest, ut acci-
dens, in quid ut genus, conuersim ut proprium; atque illis
in definitione non positis, idest si non insunt non in quid
nec proprie prædicantur, illam interimi necessario cōclu-
datur. Item si principium demonstrationis ut medius ter-
minus ponitur, aut maior extremitas, de alio, & definito
proprio prædicatur; similiter cum tota demonstratio est
positione ac ordine partium differēs. Et si definitio genus
& differentiam proximam continet, quę apta sunt prędi-
cari & eadem re esse definito dicuntur; cur igitur de ipsa
definitione negabitur, quæ prædicatorum communes ra-
tiones supponit ac continet? & si inest, proprie, & in quid
definito ut habenti formam; cur de illo non prædicabi-
tur? nisi uelles dicere, in definitione per se, formam simpli-
cem explicante, non contineri subiectum, sed tantū per
se prædicata; quod non est in oratione perfecta, ubi tam
subiectum quàm prædicatum actu uel subintellectū con
sistit. Nec ut Suessa putat, definitionem esse significare
contingit dupliciter, aut compositionem uel diuisionem
quæ uerum significat, quæ sine extremis non potest intel-
ligi, sicq; positio, idest suppositio & definitiua propositio
esse significant; sed definitio non dicit esse quod presens
sumitur. pro inesse uel non inesse, pro affirmatione de ines
se uel negatione de non inesse, sicut suppositio dicit esse.
irridenda enim hæc distinctio est. compositio enim & di-
uisio quę uerū aut falsum significat quid aliud est q̃ affir-
matio, qua aliquid alicui per uerbum inesse, aut negatio
qua non inesse significatur, quam sine extremis non est in-
telligere? quando enim extrema per uerbum iunguntur,
ac uerbum significāt, enunciationem constituunt. Nec ue
rum est prædicari definitionem, non esse in definito; quo-
niam primo poster. 133. naturalium prędicatorum condi-
tio ut Ammo. & Porphy. philosophus differens de uerbo
dicebat, est dici de alio; propterea q̃ est in alio. hinc Arist.
septimo meta. 34. & 35. & infra, definitionem, formā, aut
partes formæ uocauit, quibus naturaliter conuenit in alio
esse, secundo de anima tertio, non materiæ per se, Nec im-
probatio eius contra Auerro. sententiam (quam sumpsit
a Them. primo poster. cap. 5.) concludit. responsio enim
Cōm. est definitionem, per se, quid est esse, idest essentiam

propriam

propriam explicare : per accidēs autem illi competere, enunciari de aliquo uel non enūciari.i. affirmari inesse uel nō inesse primo post. 14. secundo post. 45. &c. ita dicere esse uel non esse duobus modis ab Auer. declaratur locis superius annotatis: pro inesse affirmãdo uel non inesse negando. quæ per se suppositio, per accidens uero definitio indicat: secundo pro existere aut non: ait enim a Themistio sumens, (Accidit enim definitionē rē cuius est definitio ut sit.i.existat, aut non: quæ ponenda sunt de his quæ proprie supponuntur.) Nec uerum contra hanc secundam Commen. & Themistii explicationē Suessa dicit, existentiam particulatim seu particularem tãtum inueniri posse: cũ ut præcognito & supposito naturæ uniuersali seu uniuersæ respondeat, quæ sicuti uccessu indiuiduorum saluatur perpetuo secundo de anima. 34. ita & eius propria existentia, Dicendum est igitur ut supra ex Com. tetigimus. definitionem ut actu explicantem unam essentiã de uno proprio definito, enunciationē uocari: non per se: sed per accidens, idest alterius (qua se induit) ratione. ita uocari orationem propter additum uerbũ enũciatiuam præmissam. ut uero principium demonstrationis per se, notum, sine uerbo immediatum, participat per se, non propositionem, ut optime. S. Tho. notauit, similiter definitio prædicatum uocatur quod aptum natum essentialiter de definito uocari, non ꝙ actu de illo prædicetur: quoniam id sine uerbo fieri nullatenus posset. per se ergo definitio essentiã propriam ex genere proximo ac differentia ultima constitutam significat, quæ ex nominibus constat non uerbis: & potestate enunciatiua oratio dicitur: quæ actu tũc oratio perfecta uocabitur, cum actu essentia de subiecto explicatur: & definitio sine uerbo totũ connexum, essentiali uinculo dicitur non totũ ex nominibus & uerbis cõflatũ, secũdo post. 45. Sed quæres. Aut prædicata sumuntur quatenus actu, uel quaten⁹ potestate de subiectis dicũtur. si potestate: sicut oratio imperfecta definitio dicitur, ita & alia prædicata solo uerbo indigentia orationē enũciatiuã constituent : si uero actu, eadem ratione, perfectæ orationes appellabuntur. Ammo. responsio est eam orationem imperfectam uocari, quæ ex pluribus nominibus cõstituitur, non uno dumtaxat. hac de causa maxime de definitione uideri orationem esse ; cum plurima per se nomina congerat, non ita esse & uideri de aliis. nam oratio est cuius aliqua partes seu aliqua è partibus separata significat, quod esse non potest, cum ex uno tantum nomine cõstat, cuius partes syllabæ sunt, nil per se ac seorsum significantes. Ad dubitationem ergo principalem, an hæc definitio orationis tam perfectæ quàm imperfectæ conueniat ex Aristot. clare infra patebit, & perfectæ & imperfectæ enũciatiuæ cõpetere. perfecta duobus modis uocatur: uno modo secundum essentiam ut constitutam ac necessario constantem ex uerbo, quo etiam modo omni orationi optatiuæ, & imperatiuæ, quæ hac perfectione uerbi & essentiali, a Cõmen. & Ammonio perfectæ uocantur, competere dicitur. secundo modo perfectione finis, in qua est uerum aut falsum: quomodo ab orationibus affectum explicantibus differt. Sed an conueniat imperfectæ secũdũ essentiam, sine uerbo, ab Arist. apertum exploratum hic non habeo, nisi quod supra de nomine retulimus. in nomine enim inquit quod est equiferus, ferus per se nihil significat, quemadmodum in hac ratione equus bonus, bonus & ferus nihil deprehenditur per se, seorsum significare. secundo, ꝙ primo top. quarto, & in poetica, terminũ a propositione distinctũ & problemate, orationē uocauit, quid est esse significantem. Et tertio, quod sensui & orationi cõsentit, imperfectam orationem uocē esse cuius aliquæ partes separatæ a positione significant, ut dictio.i. ut nomen nõ ut affirmatio uel negatio, sicut orationis perfectæ partes quædã significant ut dictio.i. ut nomen & uerbũ, non affirmatio. His fortasse orationibus Cõ. dicebat {cuius aliqua è partibus separata significat} positũ ad differētiã nominis simplicis, cuius pars, quę est syllaba, non significat aliquid penitus : & hoc ut omni orationi assignata definitio conueniret. Nõ solum ergo perfectæ enunciationi ea diffinitio conuenit, sed etiã imperfectę habenti plures partes & nomina quæ in illo uerso signantur. cuius aliquæ è partibus &c. Sed cõtra, simili ratione a uerbo differret. cuius partes sunt syllabæ nil penitus designãtes. Itē orationem perfectam ex uerbo, illa orationis assignata definitio non concluderet, cuius tam nomen quam uerbum significate ut sola dictio ab Ari. affirmatur. Ad hæc obiecta Cõmen. facile diceret per illam particulam, cuius nulla pars separata significat, differre tam nomē quã uerbũ ab omni oratione perfecta & imperfecta: sed per illã cuius aliqua partiũ &c. differre principaliter ab ipsis nominibus ratione quorum per se significantium omni orationi cõueniet. Ad secundam, illa definitio per se & de omni etiã perfectę orationi rõne nominis per se significantis tribuitur: & hoc uerum existimo: quod omnes dubitationes dissoluit probabiliter, si non ita uere: ut dicamus, exēplũ ibi in oratione duorũ nominũ posuisset nõ uerbi, propterea, ꝙ uerbũ ignotum erat, an secundum se quidquã significaret cũ cõpositionem indicare dicatur, quã sine extremis non est intelligere, semperq; est nota eorũ quæ dicũtur de alio uel sunt in alio. nõ itaq; clare uidetur seorsum ab ipsis cõpositis aliquid explicare: uel quia secũdum quid oratio illa imperfecta & definitio, hãc orationis cõpletã definitionem participat secundũ ꝙ continet plura nomina per se (ut dictio) aliquid indicantia, nõ tamen totã & perfectã sicut oratio perfecta: cui secũdum singulas particulas cõpetit, ut secundo meta. 16. de definitione naturæ, secũdo physi. tertio, expositores affirmant, quæ perfectę ut principium motus & quietis conuenit caducis, sed æternis secũdum unam partem ut est principiũ motus: ita hic proprie perfecta finitur & primo, at secundo etiã conuenit imperfectæ, tãꝗ conuenienti plures partes ac nomina ut principia licet incõpleta. At secundũ Auer. e conuerso dicendũ uidetur: & ita secundũ Ari. in poetica: qui de ipsa definitione, orationis finitionē uerificat. & de perfecta, ut Cleon ambulat, nõ nisi ratione nominis: inquit enim omnino tamē aliquas consignificantes partes habebit: ut in hac oratione ambulat Cleon, illud Cleon significãs est ratione ergo nominis oĩno.i. uniuersaliter per se & de omni oratio perfecta significat. Ad secundũ dicetur (λόγος) in definitione termine positũ, nõ pro oratione hic ab Aris. explicata. sed pro ratione sũptũ fuisse: quõ secũdo post. 45. quarto meta. 28. meta. 2. & infra (etenim hominis ratio,) quæ in græco λόγος habetur. & ab Aris. dicitur rõnē definitionis esse significare unũ de uno.i. aptam natã esse, unã essentiã cuius definiti significare, nõ actu, quod nisi medio uerbo nõ fit. sensusq; erit. terminus est ratio quid est esse significãs: sed si partes separatim significant, secundũ quid.i. secũdũ partē & nomina, cõpletã definitionē participãt. Ad tertiũ diceretur integrã ac totã definitionē, de imperfecta oratione sine uerbo, nõ uere mõstrari, cum aliqua uel aliquæ partes quæ uniuersæ intelliguntur. nomē & uerbũ ut cões in proœmio propositæ ab imperfecta oratione non continentur quæq; significã: ut sola dictio, nõ affirmatio, nisi secundũ partē.i. secundũ nomina plura. Sed quid ad rationem in poetica dicitur? item ratio termini assignatur primo top. 4. ut est termini simplicis ab enũciatione distincti. nec tãꝗ uerũ probatur, infra Aris. orõnē partitur in orationem perfectã & imperfectã: nã inquiet, {est aũt oratio oĩs significatiua} nõ sicut instrumētũ a natura, sed põne (enũciatiua uero nõ omnis) oratio significatiua, quã explicauimus, est (sed est illa oratio in qua est uerũ uel falsum) quod nõ est in oĩbus, quas esse significatiuas a põne notauimus: ut deprecatiua oratio quidē est. sed neq; uera neq; falsa: & cæteræ relinquãtur ad rhetoricam uel poeticã

pertinentes} per (non omnem) ergo deprecatiuam, optatiuam, ac cæteras affectum notantes, intelligit: quæ perfectæ ex uerbo a Commen. & Am. nuncupantur: quas relinquendas, ut ad rhetorem & poetam spectantes, affirmat. hęc sunt quæ a me tāquā occulta & quasi inuoluta cōmonentur: potius quā doceātur: & ut probabilia. simplici in utranq; partem disputatione, dicuntur. Alia fortè primo post. & top. prompta & aperta ueritas indicanda: & si Themistius huius petitionis taniæ tāq; difficilis ueritatē se cōsecutū esse non profiteatur, dubiumq; monstrasse satis esse putarit, licet eū ueritatē consecutum esse monstrauerimus. nos etiam contenti esse debemus: nec quid ultra requirere: si probabilia (alios refellendo) & uerum (licet nō certo) indicauerimus. Nouissime quæritur si definitio perfectæ & imperfectæ cōpetere affirmatur quomodo? Respondetur, non æquiuoce, cum secundum idem genus & differentiam utrisq; conueniat. non uniuoce, cū de altera uerificetur in actu, ut perfecto & priori: de altera uero in potētia imperfecta, & posteriori: quibus nil uniuoce sed analoge competit. ut homo: quoniam dixit orationis partem aliquam. i. nomen uel uerbū, quæ orationis partes cōmunes uocantur, significare quidquā seorsū ut dictio. i. simplicem conceptum, non compositum, ut affirmatio & negatio: exemplo commonstrat hominis. i. nominis quod clare propositum manifestat. uel quia secūdū sententiam Auer. per illam particulā a nomine differebat. quasi dicat, intellexi cuius aliqua partium significat separata ut dictio. i. ut nomen quod exēplo cōmonstro: ut homo si uero uerbū etiam comprehendatur quoniā ita non patet; relinquitur in exēplo, simul cū nomine inferius cōcludendum. cum dicet} nomina ergo & uerba dictio sit sola, non affirmatio &c.} Itaq; ait {dico} exēplo explico {ut homo} qui simplicem hominis conceptionē significat: {non autem esse}. i. in subiecto inueniri {aut non esse}. i. nō inueniri. i. nec affirmationem aut negationē ostēdit {sed si quid addatur erit affirmatio uel negatio} quasi dicat simplex significatum homo tunc dicit, quum secundum se separatū ab alio, sumitur. sed cum uerbo alio iunctum, cumq; quidpiam additur, tunc compositū. affirmationem uel negationem significat. sed si ista definitio orationi imperfectæ cōpeteret: quia Arist. posset obiicere nō enim affirmatio uel negatio erit, si quid homini addatur quoniam si album homini coniungatur, ut homo albus, bonus equus, subiecto simplici aliquid additur, imperfectā orationē constituens: affirmatio uero uel negatio non dicetur. nisi diceres si quid addatur, idest uerbum affirmatio uel negatio erit. i. compositū significatū designans {sed non hominis syllaba una. neq; enim in eo quod est sorex, rex significat: sed uox nunc est solum} Dicunt aliqui hic Arist. declarare ad cuius differentiā posuit, (cuius aliquæ partes separatæ significant.) ut. s. ex hoc nedū a nomine simplici & composito, sed etiam a syllabis distinguatur. Sed expositionē istā iā superius improbauimus. satis enim syllabæ excluduntur per hoc quod Arist. ait {cuius aliqua partium significatiua est &c.} nam syllabæ nomini principali collatæ, uox tantum natura significās appellātur. Item cum hic de partibus simplicibus nomine & uerbo loquatur, non ergo de partibus remotis orationis, differētiam assignabit. melius ergo exponendum uidetur: ꝙ ex aduersarii particula obiectio contra superius dicta tāgatur. nam quisquā obiiciet: definiēs orationē dixisti, uocē esse cuius aliqua partiū significatrix est separata ut dictio non ut affirmatio. i. quæ significatrix est cōceptionis simplicis ut dictio i. nomen non ut affirmatio cōpositæ: quare etiam non dixisti per oppositū explicans, ut dictio nō ut syllaba, uel affirmatio? Respondet propterea asserui ut dictio, & non addidit, ut una hominis syllaba: ꝙ, neq; in eo quod est sorex, rex significat per se; sed uox est solum ut opus naturæ, non imposita ad suum principale significatum notandū, quasi dicat de partibus orationis loquebar. quæ significatione non uacāt, ut syllabæ. sed de nomine uel uerbo ut ab affirmatione distinctis. Nisi dicas partes orationis significatrices esse ostēdere uoluisse. per duo extrema opposita negatione protēsa: quorum alterū complexam cōceptionem significat, alterū uero & si penitus nil significet: posse tamen simplex significatum exprimere, cuiptā uideretur, itaq; partes orationis significatrices esse ut dictionem, ad oppositum syllabarum, quę si quid. significant, nō ut syllabę: quæ ex cōmuni particula & genere. ꝙ partes orationis significatiuæ a positione sunt, excluduntur: utraq; expositio, Vera esse potest. prima tamē magis rationibus dictis probatur. Cur autem literarū nō meminit? duobus modis respondetur: propterea ꝙ in syllabis cōcluduntur. itemq; quoniam de per se partibus ars & scientia ac proximis loquitur: quales syllabæ non sint, ut hæ appellātur. syllaba & si suum significatū a positione significat, nō tamē principalis nominis ad quod significandum refertur. in duplicibus uero idest in cōpositis nominibus explicat, nil eorū partes a positione per se ut principale significatum significare, sed per accidens, ut eorum partes, per se nomina fieri, ex instituto contingit.

TEX. BOETHII.

Est autem oratio omnis quidem significatiua, non sicut instrumentum, sed, quemadmodum dictum est, secundum placitum. Enunciatiua uero nō omnis, sed in qua uerum, uel falsum est, non autē in omnibus inest: ut deprecatio, oratio qdē est, sed neq; uera, neq; falsa.

Est autem omnis oratio quidem significatiua, sed non sicut instrumētum. sed quemadmodum dictum est secundum placitum. Enunciatiua uerò non omnis, sed in qua uerū est, uel falsum, quod nō est in omnibus, ut deprecatiua oratio quidē est, sed neq; uera neq; falsa.

Genus proprium orationis declarat. quasi simpliciter dixerit. oratio est uox significatiua. in qua particula necessario cōtineri, a positione, nō a natura significare ex Ari. in poetica &. 2. de anima. 95. declarauimus. propterea quid per significatricē uocem intelligat nobis aperiet. nō significare ut organū & instrumētū ut signum naturale, sed secūdum arbitrium ut de his propositis omnibus initio pręcognouimus; quæ in uoce sunt signa esse non eadē, tam in nominibus ꝗ̄ uerbis simplicibus sine cōpositione, ꝗ̄ etiā incōplexis: Itaq; prima respōsio Am. ex his uerbis Arist. confirmatur, orationē uocem significatiuam esse, nō ut organum, & signū naturale omnibus idem, sed quēadmodū dictum est, dum propositorū in proœmio partes definitionis ante cognouimus. In hanc sententiā Ammo. licet aliis uerbis, descendit. quum ait Arist. refellere syllogismū quendam: quo probatur orationē natura signare. Instrumentū enim naturalis uirtutis naturale est. Sed Arist. orationē huiusmodi esse nō asserit: sed negat orationem significare ut organa uel naturalia instrumenta uocis simpliciter, ut pulmo & aspera arteria: & uocis articulatę, ut lingua, palatū & alia quæ uocalia seu locutoria instrumēta uocantur. nā licet uox naturæ sit opus, tamen significatio nominis uerbi, & orationis a positione est: sicut motus a natura, saltatio uero & talis manuum motio ab instituto: sicut lignū a natura, ianua ab arte, dante formas. Ita a cogitatione, forma nominū. i. significatio, positioni non naturæ refertur: sed cognitiuæ & appetitiuæ facultati, ut uociferantur facultate ad interpretādum: & potentia quæ utitur oratione tanquam instrumento, anima cogitatrix est: Hæc Am. Ex dictis in textu patet cōfirmari quod Auer. ait contra Abumazar epistola. 2, de nominis unitione no-

mea

men uerbum, orationem, uocem seu dictionem significatiuam esse, nec superflue adiici a positione: nã sine hac addita dictione, tantum genus remotũ dicetur, & proximũ dimittetur. Item cum uox significatiua, natura & a positione significãti uoci conueniat: æquiuocũ genus dicetur ut animal uerum naturale, & effictum ab arte, in cõmune taoiũ ambiguo nomine cõsonãt. Additio ergo a positione, necessaria erit, uocem significãtẽ, ad eam quæ instituto significat contrahens, ut differẽtia ultima. quæ explicite non implicite io definitionibus est ponenda. In cõtrariũ uidetur esse Arist. in poetica & secũdo de anima. 90. nam uox significatiua solum, ambiguũ genus uocatur: sed explicata, non ut naturale opus, & ad interpretationem ex potentia cognitiua & appetitiua ambiguũ remouetur: ut Arist. 2. de anima & hic fecit: ambiguũ explicãs In poetica aũt declaratum in hoc libro suppositum: & propterea Cõm. ad hæc forte Arist. uerba respiciẽs inquit: dictis obiiciẽs, & (si diceretur satis esse in definitione nominis q dicatur: est dictio significans; (quasi interpretans & dicẽs) quod necessario ex arbitrio: ex quo ait, hæc clausula est conditionis æqualis, dicto per impositionem:) respondet. (Melius itaq; est q explicetur in definitione figura huius clausulæ cõditionis). i. implicitã conditionẽ melius est explicari. nõ ait necessario explicãdã. aliter Arist. diminutus hic, & in poetica, & secũdo de anima. 90. Hoc mõ supra cũ Aris. declarauimus: neq; aduersamur Auer. cũ uox significatiua non ambigua. sed ut dictio significãs & interpretãs. æqualis dicto per impositionẽ sumatur. sententiã itidem Abumaxar Alpharabii non probamus: qui falso contra Arist. arbitratur: explicationem seu additionẽ superfluam; licet uox (ut effectus uirtutis interpretãtis s. cognitiuæ & appetitiuæ. i. uoluntatis) significans, æqualis sit dicto per impositionem, meliusq; sit conditionẽ implicitam explicari: Hæc de quæsito Auer. dicta, sint satis. In uerbis notãdũ, dictum ab Aris. esse omnẽ orationem significatiuam esse, quoniam si per se, omni ergo orationi conueniet: Secundo quod Suessa Boethii interpretationẽ refellit. qui organum pro natura intellexit, ut si sensus est autẽ omnis oratio significans nõ sicut instrumentum seu organum, i. a natura significans, sed secũdum arbitrium. Improbat primum Suessa, quia pro instrumento organũ sumitur. nam Arist. Platonis rationi respondens: minorẽ negauit: orationem, s. instrumentum uirtutis naturalis nõ esse, sed uoluntatis secundũ arbitrium. Eam uero interpretationem reprehendit. propterea q incongrua nõ propria esset nominatio: sed obscura, ænigma constituens. qua de causa ipse declarans Arist. ait: non sicut instrumentum, i. naturale signum. Sed idem cum Boethii sententia asserit. nam supra in principio hæc quæ nunc explicãtur præcognoscens, ad quæ dicta superius se remittit, & ait. uocem non omnibus eandem esse. i. natura non significare, sed a positione. secundũ arbitriũ ergo significare, naturæ ut idẽ omnibus significanti, primum opponitur: & signum siue instrumentũ naturale non dicitur, nisi quatenus naturæ rationem participat. Boethius ergo per oppositum primũ secundum arbitrium explicauit, recteq; ad Arist. sensum, natura significare ex organi & naturalis signi nomine interpretatus est. itaq; sic Ari. intellectus, minoris sensum negauit: orationem instrumentum non esse, natura significans. Quærit Suessa cũ aliis. si uocis instrumẽta sunt omnia naturalia, effectus igitur naturalis erit: Respõdet Ammonius, q sicut motus est a natura, saltatio uero a positione. i. uoluntate: lignũ a natura, ianua ab arte dãtes formas, pendentes a uolũtate: ita a cognitione est forma nominũ, idest significatio: quã non naturæ, sed positioni referimus & cognitiuæ ac appetitiuæ facultati: quę uolũtas est, ut uocifera utitur facultate & instrumẽtis naturalibus. Optime ergo ueritatẽ Am. explicauit, quãuis eũ Suessa reprehendat. Quærit Suessa quod alibi petendũ foret. an nomẽ quod iam impositum significat aliquid, si rursum ad significandũ aliud imponatur, idẽ nomen remaneat? ut homo qui nunc naturã humanam significat, impositum ad equũ signandum, sit idem? Aliorum opinionibus confutatis, respondet: nomen nullatenus uariari, licet significatio uarietur. rationem adducit quoniã significatio accidens est nominis. Item nihil diuersum efficitur, ex eo q illi per accidens, externe, siue extrinsecus accidit: ut columna secũdũ se nullatenus uariatur, si ad dextrum uel sinistrum animalis relata, dextra uel sinistra uocatur. Ad aliorũ rationẽ respondet. quum dicunt. sicut ex diuersa ac uaria forma artificiali, alia atq; alia res artificialis cõflatur: ita ex alia significatione alia atq; alia nomina fabricantur. Respondet q uariata forma artificiali interna, res artificialis etiam uariabitur: significatio autem non ita est in nominibus, sed externa. Sed peto si uox significatiua ex arbitrio, siue genus, siue differẽtia esse nominis, uerbi, & orationis cõceditur, significatio ergo positione forma interna uocabitur nominis non externa: ex diuersa ergo significatione ut effecta forma in uoce, tãquã naturali signo cognito & uolito diuersa nomina fieri necessario concedendum. res enim logicæ in mente ac uoluntate consistunt; quę uocibus notioribus, ut cognitis & uolitis, per se ut genus & differẽtia tribuuntur. itaq; significatio nec ut accidens nec ut externũ quidpiam, nominibus cõpetit: sed ad secundã significationẽ uox ut naturale opus confertur. quod ut cognitũ et uolitum, ut internam differentiam, significationem & impositionem nouatam ac arbitriũ retinet. Secundo petit similiter. an oratio rursum ad significandũ nouum complexũ imposita, significet ut dictio simplex, an ut oratio ac uox cõposita ex suis partibus? Alii (ut refert Suessa) aiunt ut dictionem significare. Ipse uero orationẽ nouatam distinguit. q si ipsa significet propterea quod ẽt nouata, ad significandũ, partes significẽt: ex quarũ significatione, totius significatio deducatur. sic, ut oratio, nõ ut dictio significat quoniam oratio ad significandũ complexũ nouata, oratio dicitur, & ideo partes ut dictiones significãt. ut in eius definitione monstratũ est. At si quælibet pars significare ut dictio ponatur, sic nõ totum complexum ut dictio designabit. Si uero oratio ipsa sola nouata, complexũ de nouo significet: partibus idem quod prius significantibus, nõ aũt significatione nouatis, tunc hoc modo cõcedit, orationẽ ut dictionẽ significare complexum: nec erit oratio uel propositio. Verũ ad hæc primo distinctionis membro cõcesso, secundũ tanquã cõmentũ impossibile improbatur. Si enim oratio ad complexum signandũ nouatur, partes quibus totum conflatur ac constat, necessario innouari dicentur. nã oratio in poetica definitur. q sit uox composita cuius aliquæ partes significatiuæ sunt aliquid separatim: ut tota igitur simplices partes cõcludẽs, denuo impõetur. Præterea si oratio ad significandũ nouatur, uox ergo erit a positione significans. significare autẽ a positione, ut differentia, uocem ut genus, cõpositam ex dictionibus necessario prĕsupponit: qua de causa nõ põt oratio innouari, suis propriis partibus non iterũ ad diuersa significandũ impositis: oratio ergo nouam impositionem suscipiens, ad complexum diuersum signandũ, ut oratio cõposita, nõ dictio simplex aliquid indicabit; eritq; oratio, aut propositio a priori distincta. Dubitatur, an significare a positione per se orationi cõueniat, an per accidẽs ratione partiũ? Albertus respondet per accidens conuenire: quia per alterũ hoc est, per partes. Itẽ quia propterea Ar. in definiendo orationem. a positione significare reliquit, idq; de partibus affirmauit. cum dixit, nomen & uerbum ex instituto signare. Sed contra, quod per accidẽs est, ab arte nõ traditur. quæ enim cognoscuntur ab arte, ea, definitione aut demõstratione noscuntur. quę secundo post. t 2. & 20. aut substãtiã aut accidentia propria ut per se prædicata declarant. Item sexto me. 4. infra, quæ per accidẽs sunt abiiciũtur ab arte.

quoniam accidens non distinctum, ex accidenti fallaciam efficit. Item, significare orationi, ratione partium cõperit nec iccirco Aris. definiendo reliquit. Verũ ad duas primas rõnes Albertus facile diceret. & si per accidẽs dicta. i. qui non per se causæ altorum dicuntur: ut polycletus per accidens causa statuæ, ut efficiens: uel ut finis, ꝙ domus fiat, ut salubris sit uni, alteri uero pestifera: aut subiectum & materia cum accidente, quod per accidens fieri dicitur: uel quæ per accidens, idest raro, non necessario semper aut magna ex parte contingunt, & si, inquã, hæc per accidẽs ab arte linquantur, non tamen quæ necessario, licet ratione alterius quod necessario conueniit: ut homo est animal, sexto metaph. quinto, apud Commen. apud Alex. septimo. animal enim per accidens, idest ratione alterius differentiæ sensibilis, homini competit necessario & per se, licet non inquantũ ipsum et primo: sicut naturã esse competit animæ. ita significare a positione orationi conueniet ratione partium, per accidens, hoc est per alterum, necessario tamen & semper conuenire. Sed licet duas primas rationes euaderet, tertiam tamen non fugiet: Nam in eo dicto philosophi ꝙ uox sit sicue effectus ab anima cogitatrice, idest cognitiua & appetiua. secũdo de anima. 90 & uox significatiua interpretãs cõceptus cognitos. quos uolumus & interpretari statuimus. significare a positione concluditur. Præterea si ipsum exposuit Arist. dicens (oratio autem omnis significatrix est non sicut organum siue instrumentum, sed (quemadmodum dictum est) secundũ arbitrium:) utrunq; ergo de ipsa oratione concessit, significatiuam orationẽ esse, & a positione: ergo utrunq; (orationi, aut per accidens tribuetur, & sic utrunq; in definitione mittendum. aut per se orationi conuenire, & in definitione ponendum erit, ut genus uel differentia. respondetur orationem per se a positione significare: quoniam ex arbitrio & uoluntate priorum imponentium uox cõposita & complexa imposita est orationi, per se, non per accidens, idest per partes. non est itaq; oratio significans, ut instrumentum naturalium operum, ut oculus, sed a uoluntate ac instituto pendentium. hæc enim ex consilio eligunt, hos conceptus compositos per uoces complexas exprimere. Quidam Ammonium reprehendit, qui ait uocem a positione signatorem, non esse opus naturæ: sed intellectus qui est a materia separatus, non est natura. refellit quia tertio de anima, 17. intellectus natura uocatur: est enim intellectionis internum principium. Idem Arist. ait tex. primo & tertio. Item secundo etiam metaph, 16. sunt animæ analogicæ, sunt ergo eadem ratione naturæ. Item in libello de beatitudine animæ. intellectua non discurrit nisi ratione cogitatiuæ ad quam relatus intellectus, pati, ac ratiocinari affirmatur. est ergo opus cogitatiuę complexam orationis & ratiocinationis uocem imponere: sed Ammonius facile defenditur, si eius uerba & sensus (semoto odio) explicentur: nam ait dubitationem inducens (cæterum quo nam pacto, cum ex composito consistat, instrumentum naturalis facultatis cuiusquã possit, si cui mirum esse uideatur propter eam regulam, quę monet omne instrumentũ naturalia facultatis natura consistere.) respondens ait, (rationalem hanc dicemus. (quam paulo superius cogitatricem esse animam dixerat.) atque artificem in nobis uim, natura esse excellentiorem: ut quæ (anima scilicet) etiam separabilem ab omni corpore substantiam habeat.) idq; ex opposito brutorum declarat: quæ non arte, sed natura aguot, ut intellectu orbata. quibus uerbis monstratur: naturam accipere, ut contra arbitrium, positionem, ac uoluntatem distinguitur: ut supra quam sæpissime reperit. dicens (oratio natura significans non est, sed positione: & alia opera minus perfecta nil prohibet, a uiribus naturalibus effecta, positione etiã esse,) ut de motu saltationis cõmõstrat: motus enim natura, saltare uero positione: non itaque negat intellectum naturas uocari & esse. sed eam naturam, quæ eadẽ apud omnes intellectum ac cogitatiuæ, & appetitiuæ uoluntatis expers inspicitur. neq; etiam Ammonius ait positionem, atq; arbitrium solius intellectus munus ac opus uocati, sed cogitatricia et animæ potius, & rationalis, & artificis excellẽtioris natura ipsa cognitionis experte: quæ etiam separabilem ab omni corpore substantiam habeat. nouare ergo nomina, orationis, uerborum &c. nõ intellectui separabilis proprie, exclusis aliis, affirmatur sed animæ cogitatricis, & rationalis, ut etiam separabilem substantiam. i. intellectum animę partem complectitur. Notandum Platonem non dicere orationem natura significare, sed tunc rectum instrumentum, & uerum esse cum ita significat, ut rerum ad extra esse, respondeat. sicut Arist. ait, ab eo quod res est, aut non est, oratio dicitur uera uel falsa: qua de re supra cum Ammonio etiam satis docuimus. Quæritur cur oratio a positione significat. respondet Boeth. quia partes a positione significant, ideo & totum. Sed contra. stat. n. totum esse artificiale, ut archa ex partibus naturalibus clauis & ligno. contra etiam potest contingere, partes esse artificiales ut terram aratam, quamq; arator proscendit. & semẽ in terram coniectum, totum tamen quod oritur granum, ut naturæ opus efficitur, & è terra aquaq; necessario gignitur: non causam ergo, ut causam adducunt. Præterea causæ istæ ut materia sunt. ex quibus, secundo phy sic. 28. quinto metaph. primo, secundo poster. de causis. talis, ac determinatus effectus non sequitur, dum ens in potestate siue potentia permanet. duodecimo metaph. 16. His dictis respondetur, artificialia a naturalibus duobus modis differre. principio interno, & externo. naturalia enim secundo phy sic. secundo, & tertio, sexto metaph. primo, innatum. ac intra rem principium continent, artificialia uero extrinsecus. hoc primo modo a priori, idest principio distinguuntur, secundo modo a proprio opere posteriore, ut idem semper, & ubiq; sit omnibus, quod a naturali principio nascitur, artificiale non idem omnibus. His datis a priori probatur omnem orationem a positione significare, quoniam eius principium non natura, sed uoluntas, libere nomẽ imponens, uocatur. hac ratione Ari. utebatur cum supra de nomine, ꝙ a positione significet, explicauit. inquit enim {quoniam natura, nominum nullum est, sed quando fit nota: } quod etiam ex emplo sonorum, qui ab ipsis feris eduntur, monstrauit: quorum nullũ est nomen, propterea ꝙ non a uoluntate libere, sed natura gigñtur. secundo ex opere proprio quia non idem ubiq; semper & omnibus oratio ipsa significat, nec eadem est apud omnes quod initio huius libri de re ipsa ac animi passionibus affirmatur. tertio ex fine clarescit, nam orationis finis, est conceptus interpretari quos uolumus, optamus, eligimus ac explicare statuimus. instrumentum ergo uoluntarium siue a positione (ut fini respondens) significare dicetur. et ut rectum artis instrumentum, sicut cæterę res logicę a natura inchoentur: a qua est regula, norma, & perfectio rerum, quæ ab arte noscuntur. ita & nomen, uocẽ (opus naturæ) supponit: finem ac perfectionem ab arte. {Enunciatiua uero nõ omnis, sed in qua uerum uel falsum cõtingit,} Declaratis tribus propositis in proœmio adquartum accedit: enunciationem: quæ orationis quædam species est. propterea inquit, enunciatiua oratio, quasi dicat, est, oratio, loco generis, significans a positione, ut communiter omni orationi tam indicatiuæ quam imperatiuæ &c, competere ante monstrauit, & differentiã ex negatione opposita aliarum orationũ ab indicatiua declarans, ait (sed non omnis optans imperans &c.) quam significatricem esse posuimus: sed in qua uerum aut falsum, ut in signo esse contingit; in rebus enim ut causa, ueritas inuenitur: in intellectu, ut actu cognita, sexto metaph. octauo. hoc enim differt ab optante imperante &c. in quibus affectus, non uerum aut falsum exprimitur. Quæres an hæc

tanquam

tanquam definitio orationis tradatur. Ammonius ait, nihil ad definitionē orationis enūciatiuę per hæc dicta ab Arist. explicari: sed tantum genus per suas species declarari. quod & Auerroes primo poster. 13. indicauit, non definitionem uocandam, sed tradi quid nominis per species: in quibus generis natura dignoscitur. secundo post. 72. manifestius (ut per negationem etiam aliarum differentiam commonstrauit: quæ manifestationem quādam non definitionem uere constituit:) Alii dicunt uerū & falsum hic posita accidentia esse: ex quo sequitur q nō sit definitio: sed tantum quid nominis ex genere & accidentibus manifestatio: quam Commen. de dictionibus compositis, descriptionem appellat. Alii dicunt uerum & falsum enunciationis proprium finem esse: Quòd si obiicias: finem proprium, unum, non oppositum esse: respondent finem proprium unum positiuum esse, scilicet uerum: alterum ut positiui priuationem: sicut se habent motus et quies, forma enim est propter opus & motum, qui ordinari dicitur ad quietem. ita enunciatio ad uerum primum referri dicetur, & falsum ut priuationem ueri: & ut uno uerbo responsio concludatur: ad unum, primū, & per se, ad alterum secundo & per accidens, idest propter alterum dirigetur. Sed ex Arist. cap. primo: horum responsio improbatur: dicebat enim Arist. quemadmodum anima cogitatrix siue rationalis aliquotiēs est sine uero & falso, aliquotiens cum altero istorū inesse necesse est, ita, & in uoce: circa enim compositionem & diuisionem uerū & falsum est: per compositionem autem affirmationem, per diuisionem negationem intelligit. Item primo poster. 13. Enunciationem declarans inquit. {Enunciatio autem est contradictionis utraq; pars:} per uerum ergo affirmationē, & per falsū negationem intelligit: Cōfirmatur, sexto metaph. octauo, & apud Alex. nono, ubi eadem fere uerba ponuntur: ens uerum & falsum in mente circa cōpositionem & diuisionē atq, in cōtradictionis omnino partitione consistit: & parum infra, Alex. per complexionem (inquit) & diuisionem uerum & falsum uocauit: affirmatio uero & negatio nō fines, & accidentia, sed species enūciationis ab Arist. parum infra dicentur. Idem hic Ammonius uidetur innuere: sed res hæc non tā uidetur esse perspicua ut penitus omni dubio uacet: nam uerū & falsum opus ac finem affirmationis & negationis, non affirmationem & negationem ipsam esse: ponendum uidetur: nam ab Arist. superius dictum non de speciebus, sed operibus intelligitur: quoniam ait: (quemadmodum in anima aliquotiens est intellectus sine uero uel falso, aliquando cui iam necesse est alterum istorum inesse: sic & uoce) idest nominibus incomplexis, uel enunciatione affirmatiua & negatiua: illa autem in anima sunt, tanquā in subiecto, et potentia, & actu cognoscēte, ac causa ueritatis in compositionem & diuisione consistente: erit ergo in oratione affirmatiua & negatiua tanquam in signo & instrumento, quod ad proprium significatum opus, & quem efficit finē refertur: Cōfirmatur ex uerbis Arist. proxime sequētibus: ait enim hic, & sexto metaph. octauo, (circa compositionem enim & diuisionem est uerum & falsum:) quæ ita in græco habet supra retulimus; (περὶ γὰρ σύνθεσιν &c.) quādo autem accusatiuo iungitur (περὶ) græci asserunt causam, locum, aut tempus monstrare: diuisio autem & compositio circa quam uerū falsumq; uersatur & est, nō locum aut tēpus significat; causam ergo proprii finis ac operis indicabit: Et Arist. primo poster. octauo asserit demonstrationem syllogismum esse scientialem, idest facientem scire: illo, scilicet modo, quo instrumentum, proprium opus efficere dicitur. & primo priorum primo, de oratione & demonstratiua sciētia se dicturū promisit, quæ una res, secundo poster. 100. ab Arist. esse dicuntur: easdem (secundum essentiam) conditiones habentes primo poster. nono, {si scire est ut posuimus, necesse est & demonstratiuam scientiam} hoc est, demōstrationis præmissas {ex causis ueris.} Item quod est signum ueri, nō est ipsum quod significatur uerū, Arist. autem ait: (hircoceruus enim significat aliquid, se nondum uerum aliquid uel falsum, si non uel esse uel non esse addatur) addito ergo esse infra affirmato uerbo, & nō esse, idest uerbo negato quę affirmationem & negationem efficiunt, uerū & falsum significant. sunt ergo instrumenta finem ac opus significantia non fines ipsi ac opera significata: quæ eadē omnino ratione esse nullus sanæ mētis cōcedet: sicut scientia specularia diuersarum scientiarum mathematica, naturalis. & diuina, cum oratione (instrumento logico) eadem esse nequaquam dicentur; syllogismus ex positis, ac concessis, ignotum naturaliter inferens nullatenus idem significare ponetur, cum eo, quod tāquā naturaliter ignotum concludit. Iisdem nomina a positione res conceptas significantia, res conceptæ non sunt; similiter oratio enunciatiua in qua uerum & falsum esse tanquam in signo ab omnibus affirmatur, idest quæ significatrix est ueri uel falsi, minime ad uerum & falsum tanquam species suas affirmationem & negationem conferri dicetur: nam opus & finis ab instrumēto signatur. species uero sunt, in quas totum (quod illas potentia continet) partiri intelligitur, nō significare: Præterea, sexto meta, octauo, & infra capito, quinto, apud Auer. uerum potest consistere enunciari ac significari per affirmationem, ob id quod adiunguntur, ut homo est animal: uel per negationem (licet non circa idem) ob id quod seiungitur, ut homo lapis non est. similitatione falsum habet huiusce diuisionis seu partitionis contradictionem, idest ē diuerso, falso partes contradictionis accommodā ut: nam propterea quod falsum tunc prodest est, cum id quod adest prædicatum a subiecto disiungitur, iccirco falsum negationē habet, ob id q a subiecto seiungitur, ut homo animal non est: affirmationem uero in eo q cum subiecto coniungitur: quod tamen illi non conuenit: ut homo est lapis, quæ omnia infra his nominibus explicabit. Primum orditur a falso: in quo enunciare est ac contingit: & quod est, non esse, per negationem & quod non est esse, per affirmationem: uerum autē per affirmationem aperiens inquit: (& quod est esse: per negationem uero cum ait: (quod non est non esse:) ut homo non est lapis: ex his propositum confirmatur: q uerum per affirmationem & negationem (licet non circa idem) enuncietur, idem nō erit quod affirmatio. similiter dicendum est de falso, q cum unū existat in affirmatione & negatione, idem ergo cum negatione nō erit: nisi ut finis ac opus (ab enūciatione affirmatiua & negatiua significata) una res cum suo instrumento uocantur. hoc modo Alex. Aphrodiseus sexto metaph. nono, illa Arist. uerba declarans (cum autem complexio diuisioq; non fit in rebus, sed in mente) ait; quod cōplexionem & diuisionē uocat uerū & falsum; propterea quod tam uerum & falsum tanquam finis & opus, quā etiam ipsa complexio & diuisio ut instrumēta faciētia propriū opus, in mente consistunt. id ergo (quod in mente consistunt) uerū & falsum, complexio & diuisio, æqua ratione participant: qua de causa ens uerū, complexionem: falsum uero diuisionē uocauit: licet expositio hæc nō sit necessaria textui: Ad rationem uero primi poster. 13. ubi orationem enunciatiuam per suarum partium distributionem descripsit: sicut de præmissa ibi & primo priorum primo: finierat. Dicas com Auerroe tex. 13. Aristo. totum illud tulisse; ut interrogatū pro ueritatis notione, non ut definitiones aut descriptiones: hoc est totum illud tulisse ut notionem ueritatis & esse ipsorum (quo ad quid nominis) declarantem, nō definitionē aut descriptionem: nam ipsemet Auer. de dictionibus compositis ait: descriptionem ex genere & proprio esse, uel accidentibus. erit ergo hæc uera descriptio data in libro perihermenias: illa uero primi poster. & prio-

rum tantum quid nominis notio. quoniam hæc ex genere & proprio opere ac fine procedit: illa ex propriis speciebus: quæ per se orationem enunciatiuam, præmissam uero per accidens partiuntur: quatenus orationem enunciatiuam, affirmatiuam aut negatiuam accidit fieri, & esse præmissam. quod autē uerū & falsum proprie enunciationi conueniat, ex eodē Auer. confirmatur: qui dicit enunciationem præmissam atq; quæsitum, eadem esse subiecto, sed ratione propria, differre, tū enūciatio dicitur ut uerax aut mendax: præmissa ut pars syllogismi, hoc est ut posita & concessa: quæsitum uero quatenus ignoratur. superioribus etiam uerbis eiusdem cōm. Auer. dixerat, præmissam definitam esse & descriptam: quod oratio enūciatiua esset affirmatiua uel negatiua: quę uirtualiter est simile illi primi priorum: ubi ait illam esse orationem affirmantem aliquid de aliquo, uel negantem aliquid ab aliquo: quam descriptionem siue definitionem quid nominis & notionem, nō ueram definitionem appellat, ne sibi in tam paucis uerbis aduersari ac contradicere uideatur: hāc etiam definitionem siue descriptionem ex specierum distributione, per accidens ipsi præmissæ competere: per se autem enunciationi. per utrunq; ergo enunciatio a præmissa distinguitur: sed a uero & falso, ut proprio opere ac fine instrumenti: ab affirmatione autem & negatione, tū quam propriis speciebus: Hæc de obiectis sufficiant. Nec dicendum ut alii. per uerum & falsum ignotam differentiam circumscribi. quoniam ut Comment. primo poster. 35. & quæsito tertio de conditionibus demonstrationis. dicit: differentia ut res simplicissima ex duobus oppositis speciebus differentibus explicari non potest.

TEX. BOETHII.

Cæteræ igitur relinquantur: rhetoricæ enim, uel poeticæ conuenientior est consideratio: enunciatiua uerò præsentis est speculationis.

Cætera quidem ergo relinquantur: rhetoricæ enim uel poeticæ conuenientior est consideratio: enunciatiua uerò præsentis est speculationis.

Explicat hic orationes iure relinqui, quę affectus declarant, tanquam ad alios artifices pertinentes, rhetoricā & poeticam quibus harum conuenientior, idest proprior primo elenchorum 7. est consideratio: quoniam in his uerū aut falsum enunciari nequaquam contingit: hæc enim ab esse aut non esse in postprædicamentis sumuntur: optatiua uero, esse non explicat, sed optat: obsecrat, uel addubitat. quæ res cum affectum indicantes ad facultatem & considerationem rhetoricam & poeticam pertineant respondent: quia persuasio, quam orator intendit, & imitato, (adde ex Commen. primo topic. assimilatio & gesticulatio) ut propria instrumenta poetarum, maxime his orationibus indigent. secūdum quoniam iste liber ad librum priorum refertur, ille uero ad librum poster. cui tātū orationes enunciatiuæ deseruiunt: quæ pertinent ad primum modum dicendi per se ex definitionibus: aut secundū ex descriptionibus accidentium propriorum: quæ uere & in actu de subiectis dicuntur. constitutū propterea Aris. ait enunciatio autem præsentis est speculationis: quam per se hic liber tanquam propositum ac subiectū intēdit. Secundo postulat Suessa Enunciatio primo priorum definitur, ac consideratur. non ergo præsentis propriæ speculationis. Cum Commen. primo post. 13. respondetur hic per se enunciationē tractari, ibi per accidēs, ut eememoratā, idest cuius iterū meminit; propterea quod genus præmissæ simpliciter, ac necessariæ ponitur: est enim (ut Ari. dicit) utraq; præmissā oratio enūciatiua: Iure igitur Suessæ responsio refellitur: cum inquit, enunciationem a propositione differre, quoniam enunciatio ex extra mentem tantum in uoce uel in scripto: propositio extra & intra mentem: refellitur autē iis met rationibus, quibus superius ipse Boethium improbauerat: primum de scriptura quia scriptura orationis, non est oratio, quæ uox, appellatur: Item propositio ut pars, syllogismi non est in mente, nā in mente consistens, conceptus propositionis, non autē propositio appellatur: quoniā propositio & syllogismus (cuius ponitur pars) oratio dicitur: quæ est uox. Itē primo priorum primo, primo poster. 13. præmissam per affirmationem & negationem notificat: quæ uoces sunt: differentia ergo erit, quam Commen. primo poster. 13. tradit, quod propositio & enunciatio idem subiecto esse ponūtur: sed rationibus propria differentes. a quibus libri & scientię distinguuntur: nam enunciatio dicitur ut uerū & falsum enunciat affirmando & negando: propositio uero ut posita & concessa pars syllogismi ac naturaliter cōclusioni anteposita siue pręmissa. Sed ad rationes contra Suessam quis diceret, orationem scriptam uocē actu nō esse, sed quæ uocum opus ac uices (cum uoces defuerint) exercet. Ad secūdum & si tam multis initio diximus, hæc etiam pauca dictis iungamus. nam supra & sexto meta, octauo, Arist. asserit, uerum & falsum complexionem & diuisionem, idest affirmationem & negationē (ut omnes intelligunt) in mente consistere non in rebus: quod contra etiam uerba Suessæ uidetur procedere. non ergo Ari. aduersatur quid dicit propositionem affirmatiuam & negatiuam in mente consistere. quod etiam hac ratione firmatur: nam si oratio & propositio sicut sūt intellectu sic & in uoce. oratio ergo utroq; modo dicetur: & magis in mente ut in causa. nam (περὶ) causam declarat. propterea enim uerū & falsum in uoce cōsistunt, quod prius in mēte consistunt. Item si uerum & falsum affirmatio & negatio, alia, ratione in uoce nō sunt, nisi ut cognita ac uolita omniumq; instituto recepta: non in uoce ergo materiali, ut opus naturę est: sed in uoce cognita & uolita: ut tamen uerum uel falsum significat, nisi dicas ut supra, ut in mente, ad librum de anima, & metaph. pertinere: sed ut in uoce ad logicum attinere. sicq; necessario enunciationem ac propositionem finiendam. sed contra quia etiam oppositio contradictoria & contraria cōsiderantur a logico quatenus sunt primū in anima, infra sectione quinta, ergo nō solū ad librū de anima uel metaph. pertinent. Respondeas. ab illis artificibus conceptus assumi & propriū modū considerandi coniungi. ut aūt instrumenta sunt notificandi & in mente, non dicitur affirmatio uel negatio ab Aris. sed opinio siue conceptus affirmationis uel negationis.

TEX. BOETHII.

Est autē una prima oratio enunciatiua, affirmatio, deinde negatio. aliæ uerò omnes coniunctione una.

Est autē una prima oratio enunciatiua affirmatio, deinde negatio, aliæ uerò omnes coniunctione unæ.

Omnes consentiunt Aris. definitam enūciationem partiri: quæ autem prima diuisio sit, exploratum nō habēt, ac dissentire uidentur: nam Suessa cōtra diuum Thomā putauit. enunciationem æque primo partiri in affirmatiuam & negatiuam, & in unam & plures, idest cathegoricam, & hypotheticam: ut ea non latiua distribui intelligitur, cum in unum & plura diuiditur, quā in actū & potentiam distributum. Sed contra, quoniam communem enunciationis partitionem omittit: in unam & plures, & unius in simplicem & compositam: Item errat æque primo enunciationem in unam simplicem & compositā, affirmatiuam & negatiuam dispartiēs: cū clare infra Aris. enunciationem in unam simplicem & compositā, simplicem

eam uero in affirmatiuam & negatiuam distribuet: quod Commen. in commento bis repetit: quasi Arist. uerba in tuo posita sic declarans: est autem una prima oratio enunciatiua, idest simplex prima affirmatio, deinde uero negatio. quam expositionem Ammonius tetigit & S. Th. ait enim Ammo. quod his uerbis duplicem esse orationem, significatur: unam per se suapte natura. quam unā simplicem uel simpliciter simplicem alij, ipse simpliciter unam nuncupant: alteram coniunctione unam. quam cōpositam, & plures infra, Arist. appellabit: quæ non unam substantiam indicant: sed substantiarū plurium consequētiam: ut in coniunctiuis, suppositiuis, continuatiuis monstratur: si sol oritur dies est &c. quarum unitas nō ab una significata substantia prædicati aut subiecti proprie sumitur, sed a continuatiua potius particula, uel dirimente, in his quæ ad inuicem disiunguntur. proprie ergo (Ammo. inquit) oratio, una, qua de causa natura prior, quædam est affirmatio, altera negatio, itaq; Ammo. intellexit particulam (ita) ut ordinem, sed non coniunctionem significat, idest pro deinceps. sed non. adhuc, uel, item: qua de re infra dicemus. Quidam primam diuisionē uult esse enunciationis, in unam aliquo modo, & nullo modo unā. Aliquo modo una, diuiditur in unam simpliciter simplicem, in qua unum prædicatum & unum subiectum cū unico uerbo, simplex iudicium ac sententiam explet: & coniunctione unam, in qua plures per unam coniunctionem iunguntur: ut si sol oritur, dies est. unam simplicem bipartito distribuit, in eā quę ex una uoce prædicati & subiecti unū significante, & uniuoca. homo est animal. uel ex una uoce significante plures intentiones: ut æquiuoca & amphibologica. (ut ait) unam simpliciter in affirmationē & negationem. Sed huius opinio eo modo quo ipse Suessam improbauit, infirmatur. Nam primam Arist. diuisionem reliquit: in unam simplicem & coniunctione unam, idest plures & compositam. Item Ari. faciet diminutum: qui communiorem enunciationis partitionem omittet. Item illa diuisio primis Arist. uerbis aduersari uidetur, quibus ex Amm. & Comm. explicatione, enunciationem unam primam appellat & simplicē: qua de causa natura prior est omnibus alijs, quæ omnes uel plures uocantur, aut si unæ, non nisi secundum quid & secundo ut coniunctione unæ omnes illæ dicuntur quæ unam primam & simplicē natura priorem supponunt. Item si una quodammodo, primum enunciationis membrum ponatur, quod cōmune est enunciationi uni simpliciter & coniunctione: uni falsum erit quod Ari. dixit. & infra etiam, in huius capituli fine, dicetur: unam simplicem & primam in affirmatiuā & negatiuam distribui: quoniā dabitur una & prima simplici prior, quæ aliquo modo una dicetur. Amplius uitiosum est in diuidendo, partem in genere numerare. enunciatio autem quodammodo una, quæ improprie una ab Ammonio recte uocatur, pars enunciationis est ut generis: non erit igitur in genere numeranda. Ad hęc contra sensum esse ac Arist. uerba uidetur, quod in alia diuisione fatetur. unam simpliciter simplicem, in eam diuidi, quę ex una uoce prædicati & subiecti unum significante, ut uniuoca, homo est animal. & eam quæ ex una uoce plures intentiones significante, ut æquiuoca & amphibologica. quoniā cū res plures ac intentiones, uno nomine indicantur: plures quoq; non una enunciationes dicentur: hic & initio ferme sequentis cap. Adhuc unica tantū diuisio enunciationis uidetur in unam primam & unam non primam. cum ea qua enunciationem distribuimus in simplicem & compositam, ut clare Auer. uidetur asserere. inquiens: (& oratio enunciatiua est quæ disponitur per uerum & falsum: & ipsa est duorum modorum simplex & composita:) simplicem uero declarans, ait (quæ composita est ex subiecto & prædicato uno, non ex prędicato magis uno, & subiecto plus uno, & ista est duarum specierū, una prior est affirmatio, & secūda posterior est negatio.) Ex his uerbis clare patet. Enunciationem in cōmuni in qua est uerum, & falsum primo in unam & simplicē, & compositam siue coniunctione unam partiri. hanc uero unam simplicem in affirmatiuam & negatiuam. hinc etiā liquet simplicem in uniuocam & ęquiuocam, non distribui. æquiuocæ enim siue amphibologicæ (uerum nō est) simplicem & ita necessario unam enunciationē in esse: nec etiam unum subiectum & prædicatū, sed plura significata uno nomine continent. Ex his supra relatis idē sequitur. uerum & falsum in notione quid nominis orationis enunciatiuæ, non propriè pro affirmatione & negatione posita esse: sed finis ac operis proprij loco: nam (ut in ea uerum & falsum inuenitur) in unam & plures affirmationē & negationē, diuidi ab Auerroe affirmatur, quoniā si enunciatio, sine uero & falso ab Arist. sumeretur, partitiones (quas dedit) orationibus alijs, effectū explicantibus, non enunciationi soli & propriæ conueniret: in his enim optare, dubitare, præcari, una ac simplici) affirmādo uel negando uerbum) oratione facile possumus. cum ergo enūciatio dispertitur, necessario in qua uerum aut falsum est, ut proprium (quod omne, solum, & semper subiectum sequitur) intelligitur: Idem etiam Ammonius cum Auer. uidetur asserere. cum ait duplicem esse enunciationem: unam per se suapte natura, alteram coniunctione. unam. unam autem esse suapte natura, idē est, quod esse simplicem, natura enim principium primū uocatur & simplex. quia forma est, quinto metaph. de natura, nō ex aliena compositione dependens. 12. metaph. 12. licet Ammonij sententia in assignandis diuisionibus uideatur ambigua. cū in fine cap. uelit. ibi. {harum autem} primam enunciationis partitionem esse in simplicem & compositam: simplicis uero in primam & secundam, & harum utranq; uel unam esse unum significantem uel plures. S. Tho. prima uerba textus exponens, duas tantum diuisiones) Ammonium sequens) asserit ab Arist. assignatas: unam simplicem, & plures, siue compositam: unius uero in affirmationem & negationem. Mihi autem uidetur Arist. tripartitā enunciationem nos docuisse: in unam & non unam idest plures: unam autem in primam & non primam, idest secūdam ex prima compositam: nouissime unam primā, idest simplicem in affirmationem & negationem. nā licet una suapte natura. & proprie una, eadem sit cū simplici enunciatione; una tamen absolute prolata, communis infra ab Arist. dicitur, tam ei quæ una est unum significans (quam infra simplicem appellabit.) quam coniunctione uni, quę quodammodo unum, idest consecutione uel diuisione unam significant. similiter licet coniunctione unæ sint cōpositæ & plures enunciationes, ad diuersas quas continēt enunciationes, & prædicatorum ac subiectorum significata collocatæ; unæ tamen quodammodo sunt & uocantur ex consecutione uel distinctione uel disiunctione, quam significant. qua de causa Auer. inquit. (& oratio composita erit una, cum in ea est una copula, quæ copulat ipsam) idest propter particulam consequens inferentem: quę in conditionali & alijs est. uerbi causa si sol oritur, ergo dies est. ex ui igitur illatiua, enunciationes unæ uocantur: licet ex pluribus orationibus constitutæ, ac diuersis significatis conflatæ, & compositæ sint: sicut cathegoricus siue prædicatiuus syllogismus, una oratio cōiunctione medij termini dicitur, qui ut ab inferiori ad superiua siue cōmunius prædicatum procedit, necessario conclusio, ut alterū euenit ac consequitur: licet ut propositiones plures atq; præmissas (quæ enunciationes simplices unum de uno significantes sunt. primo post. 3. p rimo priorum primo) continet. composita & plures uocatur. has diuisiones Ar. simul cum diuidentium ordine innuens inquit: {est autem una prima enunciatio affirmatio ita} idest deinde, uel item, adhuc, & negatio. Ex una, plures, ex prima, idest simplici

secunda cōposita datur intelligi: una autem suapte natura & simplicissima, in affirmationē & negationē descendit. Quæres ab Arist. nonne enunciationes aliæ sunt quę unæ uocātur quæ unæ primæ, idest simplices affirmatiuæ aut negatiuæ non sunt, sed compositæ? Respondet q aliæ omnes ab his unis & primis simplicibus affirmatiuis uel negatiuis. si unæ sint, non simpliciter sunt, sed coniunctione istarum unarū primarum simplicium affirmatiuarū & negatiuarum. quod potest esse (ut infra se declarabit.) uū coniunctione conditionalis disiunctiuæ uel copulatiuæ, tum ēt inconiunctæ, ut tamen plures istarum dictarū cōplectitur. & ita non primo: sed secundo: quā adiuncta disiunctio significat. Itaq; Arist. his uerbis non asserit, omnes alias enunciationes plures & cōpositas affirmatiuas & negatiuas (quæ unarum simplicū causa, cōpositæ ac pluribus competunt) coniunctione unas esse: tunc enim pugnantia consequentibus diceret: cum unam enunciationē infra, ut a pluribus distinctam declaret: cum dicit: {est autem una oratio enunciatiua quæ unum significat uel coniunctione una: plures autem quæ plura uel coniunctę: } similiter cōpositas uocat plures negatiuas aut affirmatiuas. quę minime coniunctione iungūtur. sensus ergo erit. Aliæ uero oēs & si unæ dicuntur, non simpliciter: sed unæ coniunctione, idest secundū quid ex coniunctiua atque illatiua particula. uel ut supra coniunctione ipsarum unarū primarū simpliciū affirmatiuarum & negatiuarū. Postulabis quid uerbo coniunctionis intelligit? Amm. ait suppositiuam continuatiuā. idest conditionalem, idest cōditione dictam, si sol oritur dies est. uel per disiunctionem prolatam intelligit. non autem coniunctiuam siue copulatiuam. ratione adductus quoniam sola conditione & disiunctione dictæ enunciationes unum quidpiā indicant; consecutionem, scilicet uel separationem rerum; quæ in ipsas conferuntur: coniunctiua uero siue copulatiua, plures enunciationes cōplectitur. quæ unę coniunctione non sunt: Exemplum manipuli proferens, ait: propter uinculū non contingere, quæ multa sunt olera, unū esse: sed multa (ut sunt) cum uinculo permanere. sed contrariū Auer. primo priorū de syllogismo ex hypothesi asserit inductione uniuersarum in conditione, disiūctione & copulatiua commonstrans: consecutionem inferri. si sol oritur, dies est: aut contra, si dies non est, sol ortus non est: in disiunctione inquit: in contradictione manifesta per se: ut mundus aut nouus aut antiquus, non antiquus. ergo nouus: simile in conditione coniuncta cōfirmat: si motus est & natura est: si etiam actiones animæ sunt, & anima erit: & si motus est, motorem esse manifeste consequitur. Ex frequentis locis Ari. ratiocinatione ex coniuncta dictione constante plurima manifestat: Itaq; sicut conditione & disiūctione dicta enūciatio, coniunctione una uocantur, quia unum quidpiam hoc est coniunctionem aut distinctionē declarant, ita & coniuncta particula, consecutionē ostendens, coniunctione una non plures enunciationes inconiunctæ dicentur. Præterea conditio consecutionem non dicit ac signat, nisi propterea q ex significatis ac terminis cōstat, quę apta sunt mutuo se inferre: ut si sol oritur dies est. similiter & disiūctio est cōtradictionis natura, de quolibet dicitur esse uel non esse, non ex se (ut si ueneris dabo tibi æquum: aut tu curris aut disputas) cōsecutio sequitur. ita in coniunctione sequitur si motus & operatio est, & motor ac natura est: Coniunctionis ergo nomine, tria oīa quæ ex Commen. tetigimus intelligi uoluit. Quæritur quod nam assignatorum membrorum in affirmationem & negationem diuidatur. Boethius ait, affirmationem & negationem communem esse, tam uni simpliciter quam coniunctione uni. Idem Ammonius opinatur dū ait, primam enunciationis diuisionem esse in simplicem & compositam, simplicem uero in primam & secundam, idest (ut ipse superius & infra declarat) in affirmationem & negationem; & harum utranq; unam esse, unum significantem idest unam simpliciter, quam ipse simplicissimam appellauit. & plures. Hæc responsio refellitur ex Auer. & Ar. qui (ut Ammonius etiam exponens textum dicebat) enūciationē primum diuidi in unam simpliciter & suapte natura & coniunctione unam affirmant. Vnam uero simplicissimam in affirmationem & negationē dispertiunt. Itē cum Ari. enunciationem in unam simplicissimam & hāc in affirmationem & negationem distribuit, postea subdit {aliæ uero omnes coniunctione unæ: } non ergo affirmatio & negatio communes illis dicentur: cum ut diuidētia sub una simplicissima contineantur. Sed forte Ammonius diceret (ut uere textum Ar. explicans, affirmauit) affirmationem & negationem in simplicibus haberi potissimum. atq; quod horum causa in compositis: & alibi, tā in simplicibus quām unis coniunctione, affirmatiui & negatiui differentia spectatur, nō ut communes. sed si sub una simplicissima specie haberi dicantur & in cōpositis, non primum, sed simplicium causa. hæc responsio & si Ammonio Arist. explicanti, non aduersatur, eius tamen sententiæ (quam dicit Arist. ex commento proprio addidit) minime consonat. nam arbitratur addens Arist. enunciationem diuidere; primum in simplicem & compositā, simplicem uero in primam & secundam (quod uerū est) hoc est, in affirmatiuam & negatiuam, & harum utranq; in unam simpliciter, unum de uno significantem, & coniunctione unā: modo diuisum uere communius est his in quæ distribuitur: uere ergo affirmatio & negatio cōmunior erit, una simpliciter & coniunctione una: licet sibi aduersantia dicat Arist. uerba delarans: & Arist. ferme corripiens: ut ex his quæ supra docuimus patet. Sed hanc improbationem dubium manet: propter ea quę supra dicta sunt supra enim primam enunciationis partitionem constituimus in unam aliquo modo, & in nullo modo: quæ diuisio rectum & utrum sensum, alia ratione nō habet, nisi ut enunciatio una nō simpliciter, sed communis ad unā simplicem & coniunctione: nam sumatur: oppositum ergo unius aliquo modo (quod est, nullo modo una nec simpliciter nec coniūctione una) est non unū, idest plures quæ nullo modo sunt unum. Inde subdiuidens unū quod commune erit. in unum simpliciter & coniunctione unū necessario diuidetur: Arist. autem primam diuisit enūciationem in unam suapte natura & simplicem, ut contra distinguitur a pluribus & cōiūctione unis sic enim affirmationi & negationi competere dicitur; ut ipse sub sequentibus uerbis aperuit inquiens: & cæteræ uero aliæ oēs) a dictis unis primis affirmatiuis, & negatiuis (coniūctione sunt unæ:) non simplices ut superius primo diuisionis mēbro nos intelligimus: Sed ad hæc respondetur, q ut supra dictum est, propositum Arist. fuerat: posita in proœmio definire. Positis, ergo ac finitis nomine & uerbo, ut necessariis & primis enunciationis partibus, definito genere enunciationis, deniq; enunciatione ipsa ex genere & proprio opere declarata: postremo species per se intente ac propositæ in proœmio finiri debuerant: & quoniam secundo de anima. 27. subiecta uel res finiendæ, cum plures sunt, earum esse tunc ante cognoscitur. cum earum numerus (quod maxime diuisione fit) ponitur: quam ob rem affirmationem & negationem definire constituens, enunciationem partitur; eaq; dumtaxat diuisionis membra aperte præponit, quæ tanquam communia genera, in affirmationem & negationem partiri dicūtur. hęc autem fūt enunciatio una, non communis uni cōiunctione. sed quæ prima, idest simplex uocatur. uno igitur perpetuo sermone, idest continuo ex una prima enunciatione, ad affirmationem & negationem Ari. ferebatur: quas numerare aut diuidere constituerat. Alię tamen diuisiones in unam & plures: & unius in unam simpliciter & coniunctione unā ex uerbis consequentibus innuuntur, dum enim infra unā

enun-

enunciationem declarat: {est autem una oratio enunciatiua quæ unum significat uel coniunctione una: plures uero quæ plura &c.} primam (per uere opposita) diuisionẽ declarat: enunciationem uel unam esse uel plures: & unã communem partim in unam simpliciter & coniunctione unam. Idem hoc in prima uerbis innuerat: per unam, scilicet & plures: & quoniam unam enũciationem in unam simpliciter & cõiunctione unam distribui posse animaduertebat, hac de causa, illam ad primam ac simplicem orationem adiciauit: sed ex suo opposito membro: quod omnes aliæ ab hac una simplici, coniunctione unæ dicuntur, manifeste percipitur. unam esse aliam simpliciter unam aliã uero coniunctione unam. Ex declaratis perspicuum est diuisionem enunciationis unius in unam simpliciter simplicem, & coniunctione unam. siue, quodammodo unã, primam non esse, cum nec uere per opposita contradictoria dicitur, qualia sunt unum & non unum siue plura, quæ nullo modo sunt unum: licet (ut dixi) primũ illam expresserit, non enim primum intendit eam tanquam magis communem asserere: ut clare inferius se declarat. Illud uero dictum non probo, nec in uerum ac sanum Arist. sensum deducere ualeo: quo unam enũciationem aliqui partiuntur in æquiuocam & uniuocam: cum æquiuoca plures sit, & plures in cõiunctæ, uocetur: quod tãquam superius infirmatum reliquimus. Sed ad dubitationem initio motam secundo respondetur. Istam diuisionem primum enũciationi uni simpliciter cõuenire, quoniam affirmatio & negatio maxime attendũtur penes actum uerbi coniungẽtem uel priuationem actus uerbi, prædicatum a subiecto negantem: actus autem & forma una simpliciter est. Enũciatio ergo una, simpliciter primum affirmatiuæ & negatiuæ conuenier: & secundo ac ex accidenti coniunctione uni. Verum responsio hæc non uidetur uera, quia secundo perihe. cap. 2. in necessariis & contingentibus affirmationis & negationis modum proprium tradidit. ex modo sumi debere, non uerbo: non ergo coniunctione uni secundo, ac per accidens conuenit, idest ratione unius simpliciter. Sed quoniam responsionem istam supra (quam Ammo. esse retulimus) tanquam ueram probauimus, ideo obiectis ita respondendum uidetur. & si secundo perihe. in necessariis & contingentibus negatio non penes uerbum fieri Arist. asserat, & primo priorum quarto. 18. 19. & infra, quoniam uerbũ tanquam res subiecta (quæ determinari ab alio apta est) ad modum confertur: sed penes modum: non de affirmatione & negatione in communi & simpliciter loquitur, sed necessaria & possibili: ita enim quæstionem considerandam proponit cum ait. {His uero determinatis perspiciendum est quemadmodum se se habeant affirmationes & negationes ad inuicẽ: hæ. s. quæ sunt de possibili esse, & non possibili de contingere & non cõtingere, impossibili & necessario.} non dicimus enim possibile est hominem esse & non esse, affirmatiuã simpliciter, sed quodam a directo, affirmatiuam de possibili: affirmationem enim simpliciter & negationem posito esse uel non esse, fieri supra Arist. & infra quàm sepissime repetit. adde & si modus uerbum uere non sit, uerbum tamen secũdum proportionem uocatur: Arist. enim ait: {est ergo negatio eius quæ est possibile esse: ea quæ est non possibile esse:} & in aliis simili ratione se habere inductione commonstrat: cuius rationem inducit, cum inquit: {fit enim in illis quemadmodum esse & nõ esse appositio} itaque uerbis proportione respondent. Præterea Comment. eadem ratione permotum Arist. ait: ut negatio in uacantibus modo, uerbo apponatur, & modo, in habentibus modum: quoniam ut quemadmodum in enunciationibus non habentibus modum, terminus negationis adiungitur cum re quæ est in prædicatione loco formæ, quæ est uerbum inuentionis, non cum re quæ est loco materiæ, quæ est prædicatum, similiter in habentibus modos, negatio adiungitur cum modo. qui ad uerbum tanquam forma ad materiam, & sicut uerbum ad prædicatũ & subiectũ [illegible] tur. Nouissime falsum uidetur quod tanquam persp[illegible] ponitur. enunciationem affirmatiuam & negatiuam, [illegible] modo. coniunctione unam, non simpliciter simplicem, [illegible] ue simplicissimam appellari: hæc enim coniunctione [illegible] ab Arist. dicitur, quæ nõ dictionibus, sed orationibus [illegible] ribus affirmatiuis uel negatiuis composita est, qualia [illegible] pee non sunt quæ proferuntur cum modo: ut hon[illegible] necessario est animal rationale, quæ affirmatiuam de inesse [illegible] priorem supponit, nullam enunciationem addens præter modum: sicut indefinita simp[illegible] dicitur, orationem [illegible] & necessaria. non addens, sed tantum dictionem, non, sic [illegible] uel nõ est contingens uero enunciatio, & si quandoque e[illegible] sse posse possit concludere, idest propterea quod esse & non [illegible] tentia continet, non in actu. (hoc enim a propositione inesse distinguitur: cuius significatum non necessariũ dicitur, sed contingens, in actu tamen subiecto inexistens.) nos autem hic loquimur de enũciatione in qua uerum aut falsum est. quæ ab eo quod res est uel non est in postprædicamentis dicuntur: & proprie in propositionibus de inesse ac necessariis perspiciuntur simplex ergo enũciatio erit. & si compositæ uel coniunctione unæ quandoque enũciationes cum modo ponantur non nisi simili ratione qua affirmatio & negatio, simul in una oratione composita, uel coniunctione una, iunguntur, per conditionem dicta uel disiunctiuam aut copulatiuã. Amplius. Modus (ut Auer. dicit, secundo perihe. 2.) est dictio significans qualitatem inuentionis prædicati cum subiecto. necessario ergo cõpositio uel diuisio, idest affirmatio & negatio simpliciter & cõmunia, modum præcedit: quod enim alteri iungitur, posterior dicitur eo, cui coniungi affirmatur: si ergo daretur enunciationem cum modo non unam simplicem esse: sed coniunctione unam (quod a uero dissentire putamus) non primũ affirmatio & negatio illi competeret, sed simplicibus, in quibus ut compositis uel diuisis, modus compositionis qualitatẽ significat. Sed si dicas, cur ergo Arist. huius proprii modi negationis non meminit? qui in coniunctione una enunciatione, perspicuum? respondet id ratione fecisse: quia circa compositionem & diuisionẽ maxime fit affirmatio & negatio: sed principalius circa uerbi compositionem quàm modi: qui est causa compositionis per uerbum. Petes cur igitur, si affirmatio & negatio primum simplicibus, secundo uero coniunctione unis cõueniunt, Arist. non expressit? respondetur propterea tacuisse (primum) quod diuisit enunciationem unam & primam, cui principaliter conuenit, affirmatio & negatio. ex hoc dedit intelligi illud cui secundo tribuitur, compositum & coniunctione unum uocari. Modo quod primo aliquid dicitur, per se tale uocatur: quum primum, per se necessario sit, & si modus causa cõpositionis nominatur, per uerbum: per alterum ergo cõpositionem & diuisionem, idest affirmationem & negationem primam & communẽ afficiet. quod autem per alterum primum aliquid conficit, per accidens efficit: præcipue cum primum ac alterũ non tanquam instrumentum, ac principali deseruiens, sed ceu principale dicatur: quomodo uerbum ad compositionem & diuisionem communem confertur, quæ (ut dixi) circa esse & non esse sumuntur: licet ad compositionis qualitatem, modus locum primum obtineat. secunda causa adducitur. nondum enim notum est, hunc negationis & affirmationis modum fieri posse. ne itaque ex ignotis procederet, iure tacendum putauit: tantumque eius negationis meminit, quæ penes uerbum fieri dicitur. Adde quoniam hic maxime cõmunes affirmationis & negationis species partiri ac definire statuerat: hac de causa minus communes, & his posteriores, alibi considerandas reliquit, causis suo loco dicendis. Adde etiam quod nomen absolute prolatum pro potiori ac primo significato intelligi consueuit:

in quæsito septimo de termino, & quarto metaph secũdo quia ergo enunciationis nomẽ fuit absolute prolatũ: pro portioti ergo, idest una simpliciter, non coniunctione una sumetur. Item illa particula in textu, {prima est affirmatio} actu de affirmatione intelligitur, uirtualiter de una simpliciter, secundo uero de cõiunctione una. Primũ probatur, quoniam de quo intelligitur deinceps, idest secundo uel secũdario: de eius opposito intelligitur primo. quia duodecimo metaph. secundo, ens primo de substantia, deinde, idest secundo de accidente (ut Alex. & Auer. asserunt) intelligitur: similiter hic affirmatio prima actu diceretur, quia prima species, actu genus participat: uirtualiter uero una simpliciter, quia uirtualiter una simpliciter, ut genus, affirmationem primam speciem continet, secundo uero cõiunctione unã. Sed hæc nouissima explicatio ambigua & obscura uidetur: nõ enim distinguit illud (secundario) quomodo negationi competere ab Arist. affirmatur, & coniunctione unis. ex hoc enim posito, aliquis falso concludet: sicut negatio (licet secundo) oratio una simpliciter & simplicissima dicitur, ita & coniunctione una: aut contra sicut coniunctione una non una simpliciter, ita & negatio. Præterea si una enunciatio communis ad unã simpliciter & coniunctione unam asseritur, una autẽ enũciatio per primã, idest simplicissimã arctari monstrauimus prima ergo enunciatio (licet species inferior sit ad unã communẽ collata) eadem tamen est cum simpliciter simplici, qua de causa non uirtute primam enunciationem participat, nec actu tanquam inferior, sed eadem penitus est cũ una simpliciter: nisi prima uirtute dicatur de una simpliciter in hunc sensum, ꝙ quamuis actu non explicetur primã, unã simpliciter esse: uirtute tamen ac proportione, seu significationis ui, eandem primam esse cum una simpliciter indicatur. Item enunciationis nomẽ, absolute prolatum non est, sed per unã primam, idest simplicissimam, explicatur: dum ait. {est autem una prima enũciatiua oratio, affirmatio deinde negatio: & per oppositum suum (quod quodammodo alterum palam facit) ostendit, dicens. {Aliæ autem omnes coniunctione unæ.} Quærunt hic quomodo affirmatio prior esse dicatur negatione? Ammonius & Boethius aiunt affirmationẽ primã uocari, nõ unam suapte natura, idest simplicem constantem ex uerbo ac nomine necessariis partibus: cũ utræq; æqua ratione sic una dicantur; nõ ut enũciatio, cũ utræq; ueritatis pariter sint ac falsitatis capaces, ex eodẽ cõmuni genere enunciatione, scilicet, in qua uerum & falsũ est, sed ad primam collatæ. non enim utraq; similiter prima uocatur, sed simplicitate dictionis affirmatio prior rã tum negatione erit, quoniam assumpta negatiua particula, fit negatio: quod autem additionem capit, prius est eo quod ex additione perficitur. Itaq; uoce dumtaxat affirmationem affirmant: non aliis duobus modis priorem, quos diuus Thomas ex Arist. & Auer. primo post. 40. in antiquo, & in cõmento magno. 169. & 170. ad 174. desumpsit, nempe quod ad intellectũ collata affirmatio, prior etiã & notior dicitur, notitia uera, non ab effectibus posterioribus habita, quia (ut S. Thom. ex Commen. textu 172. & 173. sumpsit) affirmatio compositionem & habitum significat, negatio uero diuisionem, idest priuationẽ prædicati a subiecto, priuatio autem in sua definitione, ac intellectua notitia, sexto top. 15. ad habitum, quem priuat, refertur: ut non ens, quarto metaph. secundo, ens, appellatur, ut priuatio: quod tanquam habitum necessario prærequirit. & tertio quod ad fines & significata affirmationis & negationis relatæ est, quod prius, & est quod posterius primo post. 174. & quarto meta. secundo. uerũ hos duos modos priora (aut affirmatio & negatio ad intellectũ & res significatas refertur) Suessa refellit. Primum quia similiratione negatio affirmationem præcederet, quoniam non est compositio, nisi diuisorum. præterea utraq; similiter potest uerum & falsum significare. Amplius ad unitatẽ & compositionem (quæ ex rebus significatis secũdũ Ammonium differunt) affirmatio negationem non antecellit. Item in postprædicamentis priuatio catuli habitũ antecellit. Adde tu non solum affirmationem priorem esse negatione, simplicitate dictionis & uocis, sed ad res ac intellectum relatam. cum enim, ut initio huius libri, iam multis docuimus: uoces ad res tanquam fines, ac significata ultima & propria referantur: ex uariis igitur rebus uariæ, & diuersæ uoces sumentur: si enim non ita contingeret, signa propria rerum non essent. Item sicut nomen finitum ad infinitum confertur, ita affirmatio ad negationẽ finitum uero nedum simplici uoce, sed re significata, ab infinito distinguitur, illud enim habitum, hoc priuationẽ significat. Simili ratione affirmatio (ut retigimus) compositionem prædicati cum subiecto, medio actu uerbi negatio uero diuisionem, significat, ac priuationem prædicati a subiecto, media priuatione actus uerbi. habitus autẽ & priuatio non uoce tantum, sed rebus significatis prioribus & posterioribus distinguuntur. Præterea primo post. locis supra uocatis, ex instituto Arist. demonstrationem affirmatiuam priorem, potiorem, & notiorem, negatiua commonstrat. quia negatio per affirmationem, non contra monstratur, itaq; intellectui notiorem & credibiliorẽ ostendit. Amplius esse, quod demõstrat affirmatiua, prius est non esse quod indicat negatiua. non solum igitur affirmatio negationi præfertur, ꝙ simpliciori uoce cõsistit, sed quod intellectui notior ac credibilior, & ad rẽ significatã priorem refertur. hęc autem de oratione affirmatiua indicantur, quatenus hęc priusnota sunt de enunciatione affirmatiua & negatiua, ex quibus demonstratio constituitur. Ex his ad nouissimam Ammonii rationem, ut ad intellectũ relatam, facile respondetur: non æqua ratione affirmationem & negationem ueritatis esse capaces: uerumq; & falsum, ab utrisq; non similiter explicari, ac enũciari: sed notius credibilius & uerius, per affirmationẽ quam negationem. Ex declaratis corollarium contra Ammonium Alexandrum & Suessam colligitur: orationis enunciatiuæ definitionem analogam esse, idest secundum proportionem dictam: quia prius ab affirmatiua participatur, ut ex uerbis Arist. ac sensu & ratione perspicuum est: negatiua uero enunciatio, alia ratione non est, nisi ut ad affirmatiuam tanquam priuatio eius refertur. negatio ergo in una simpliciter & communi enunciatione conuenire cũ affirmatione conceditur, quatenus in suo esse priuatiuo ab affirmatione dependet, quemadmodũ quarto metaph. secundo, non ens dicitur ens, in quantum est priuatio entis, idest substantiæ. Sed iterum quæritur, an oratio enunciatiua prius ab affirmatione quàm negatione ipsa participetur? in partẽ contrariã arguitur, quoniam ut Ammonius ait (sumens ab Alex. cuius opinionẽ rationi consentaneam esse confirmat) genus id esse non potest quod quatenus commune est, ordine quoddam a subiectis participatur, quodq; primũ, secundumq; obtinet locũ. Boethius & Ammonius respondent, quos S. Tho. & Suessa imitari conantur: affirmationem priorem esse negatione, si non ad communem orationem enunciatiuam, tanquam genus, sed ad differentias, ac rationes proprias conferantur: nanq; enunciatio, ut genus æqua ratione competere utrisq; dicitur, hoc est enunciationem esse, in qua uerum & falsum est. Sed contra hos arguit, quoniam ut ex primo poster. retulimus com. 40. prius affirmatio uerum enunciat quam negatio. hanc enim non nisi per affirmationẽ uerum enunciare ac demonstrare conceditur. atque prius inesse significatum uerum affirmationis, quã negationis asseritur. Item in textu affirmatio prima uocatur, ad orationem enunciatiuam collata, cum ait. {est enim una prima oratio enũciatiua affirmatio, deinceps negatio.} Itaq; hæc prioris distinctio, ut impossibilis refellenda est. septimo

mo.n.phy.a 14.ad 19.comparatio fit in eo in quo collata conueniunt:nullatenus autẽ in quo differunt: differentiæ uero ac rõnes propriæ ad inuicem differunt,non itaq; hoc modo,priores ac posteriores uocantur. Præterea exẽplo entis(quod diximus)confirmatur:Prius,n.ens substantia secundo accidens dicitur:quatenus nomen & esse generis .i.entis,ordine quodam participant. Per hęc ad rationem Alex.ex Com.12.met.2.& septimo met.2.respondetur. genus uniuocũ non prius ac posterius a suis speciebus participari: analogum uero, ordine ac proportione ad alterũ uel ab altero,concipere necesse est:hoc enim unam rationẽ ac nomen explicat,non ab una cõi natura desumptã,sed pluribus,quarum altera prius & magis talis existens,causa est ut altera (hoc est) secundum analogatum, rationem & nomen commune participet. hac ratione affirmatio prior, negatio uero posterior dicitur. & ens substantiæ & accidenti cõe genus analogum a Com. & Porph. dicitur. Sed dubitatio adhuc diui Tho.explicata nõ est. Arguit enim ex numeris, qui similitudinem quandam habẽt ad formas ac definitiones,octauo meta.apud com. 10 & alex.9.numerus.n.binarius & ternarius in cõi ratione absq; ordine ac proportione cõueniunt ut unitate, & mẽsuram suscipiunt. sed binarius prior ternario, secundum rationem proprium dicitur. Dicas non per se illis contingere, quatenus species, differentiæ, ac formæ sunt: sic enim unus numerus magis ac prior non affirmatur. sed quatenus unum numerum,ut materiam priorem, posterior confert dicitur, speciei ex illa priori materia constitutæ. itaque per accidens non per se, una prior numeri species dicitur, altera uero posterior, maximeq; id uideri posset contingere, in his, quæ tanquam causæ & effectus, ad inuicem conferuntur, atque additionẽ aliunde recipiunt. Sed di er. S. Thomas & Ammonius de affirmatione & negatione similiter dicerent. nam affirmatio cum particula negatiua coniuncta, negationem constituit, sicq; tanquam uoce simplicior, negationem præcedit. Sed hoc iure affirmari non potest,quoniam(ut monstrauimus) non ratione simplicioris uocis tantum, affirmatio negationi præponitur,sed quoniam negatio neque uerum neq; falsum enunciat, nisi per affirmationem monstretur, & ut priuatio enunciationis, affirmatiuæ, enunciatio dicitur. atque non aliter intelligitur nisi ad affirmationem ut habitum, ipsa ut priuatio referatur. itaque secundum esse & rationem communem, non aditione uocis dumtaxat posterior est. Ex hoc facile aliud quod contra solutionẽ istã obiici posset, diluitur. nam quispiam diceret, si infra, & sexto met. 8. uerũ & falsum ab utraq; enunciari contingit, uerum aũt, esse ac habitum indicat:& falsum non esse, ac priuationem:ab utrisq; igitur nõ esse & priuatio atq; eẽ & habitus explicabitur, itaq; affirmatio falsũ (hoc est)non esse, & priuationẽ enuncians,non nisi relata ad negationẽ percipietur. ut exẽpli gratia homo est lapis: & homo non est lapis:sicut econtra negatio falsa per affirmationẽ monstratur, hominẽ.s.propterea q uere animal esse affirmamus,illi oppositam negationẽ, hominem non esse animal, esse falsam monstramus. Præterea primo poster.104.& 108. in commen. magno sicut datur affirmatiua propositio immediata, uacans medio cognitionis & esse,quod mediũ siue causa ab aliena natura sumatur(ne definitio propria secludatur) similiter negatio nullum externum habens medium, ponenda necessario est:quando de neutro ipsius termino, idest prædicato & subiecto affirmari aliquod genus potest: uel neutrum sub aliquo toto, idest genere continetur, ut nulla substantia est qualitas ut recte Themist. cap. 31. aperte monstrauit: hæc igitur propositio immediata nullã causam priorem, per quam demonstretur, habebit. Amplius soluenda instantia est, quam Suessa contra diuum Thomam adduxit. sicut diuisio non est nisi compositorum, ita compositio esse nõ potest, nisi a diuisis initium ordiatur. Itemq; priuatio in catulo habitum antecellit. Ad hæc paucis dicamus. uerum a negatione, non nisi per diuisionem prædicati a subiecto monstrari, ita per modum priuationis non esse indicat: affirmatio autem per se, per modum habitus (ut diximus) hoc est, quatenus prædicatum cum subiecto coniungi significat. licet quandoq; illud esse quod indicat, uere in subiecto non sit, sicut esse per ipsam ostenditur. Ad secundum, suo loco dicendũ est ex Cõm.tamen & Auic. dicimus nũc:negatiuã immediatam, medio externo uacantem, suã definitionem, quę affirmatiuã uniuersalem de suo definito siue nomine efficit, non excludere:sed ante negatum ab ea prędicatũ illi cõpetere:nam ante propositionẽ hãc immediatã, nulla substãtia est quãtitas, affirmatiua necessario ponitur in qua substãtiæ defiõ de proprio definito ac noīe prędicatur, ut substãtia est ens per se. Ad tertium Suessę ex Arist.9.met.t 3.etiã D. Tho. sexcẽtis locis respõdetur. simpliciter & per se habitum & actũ, tempore, cognitione, & natura priorẽ esse potentia, & priuatione in specie:sed per accidens in eodem indiuiduo potentia ac priuatio actum præcedit, & non esse, ipsum esse; licet potentia ut nõ esse, definiri nõ possit, nisi per esse & actũ: quoniam quod est in potẽtia, natũ est in actũ deduci, ab eo quod est in actu. Animaduerte hic responsionem ad primum, iere idẽ intẽdere, ac explicare uelle, quod respõsio ad secundum:negationem uerum & falsum, ut diuidẽs aliquid ab aliquo explicare: priuatio aũt sine negatio aliam priorẽ affirmationem supponit:ut huic, homo nõ est lapis, quę uerũ enunciat, pręteritur alia:quamobrem prima uerum ostẽdit(hoc est)homo est animal rationale: per quam negatiua illa ratiocinatione monstratur. Quęrit Suessa An enũciatio simplex sit prior cõiunctione una:& Amm. & Boethii respõsionem inducit, simplicem, propterea priorem esse coniunctã, q simplex per se & suapte natura: cõiunctione uero una uõ ita sed põne de foris ipsis assumpta una uocatur, i.nõ ex necessariis solũ partibus nomine & uerbo (q suapte natura simplicem enunciationẽ constituunt) sed pluribus orationibus, unis non per se & suapte natura, ex uno significato. sed ex positione, suppositiua, cõtinuatiua de foris sumpta, unę uocãtur. quod aũt per se & suapte natura tale est, prius est eo, quod põne externa, dicitur tale. Hæc solutio Suessæ nõ placet. quoniã uidetur Arist. cõtradicere, cũ supra de omni oratione monstrauit, significatiuã ẽẽ, non tanq; instrumentum natura significans. non ergo erit simplex enũciatio a natura:quia si eius unitas est a natura, eius et esse, a natura necessario erit. sicut enim unũquodq; unũ est.4.met. 3. ita & ens erit. Sed q uana improbatio sit, ex Amm. met uerbis ostẽditur. non.n. Amm. & Boethius ait. enunciationẽ duplicem esse, unã a natura significantẽ, alterã a positione:sed unam per se, & suapte natura, i. unã simplicem:quæ(ut prima ac ex necessariis orationis partibus cõstituta) per se talis uocatur, quod prius est illo, quod ex altero pẽdere ac cõstitui affirmatur. primũ enim & necessarium per se tale uocatur. Item quod primũ dicitur, sua natura id esse, necessario dandum est:cum natura, primũ & per se principium sit. Volẽs ergo Amm. Ari. uerba ac sensum exprimere, ait:(his uerbis duplicẽ esse orationẽ significatur:unam per se & suapte natura.i. primã, alterã coniunctione unam:& ita secundã & posteriorẽ, simplex enim i. & primũ, prius est eo, quod ex primo cõiungitur.) Suessę aũt responsio refellenda est, cum dicit q uia inuẽtiua, quę cõpositione agitur. simplex prior ẽ cõiuncta: analitica uero quę resolutione, contra se habet. hic aũt inuentiuus Arist. est. Nam cur componentia priora sunt ipsis cõpositis, nisi quia ipsa cõponentia ut sic, priora sunt suapte natura ipsis cõpositis? eidẽ ergo dicetur cũ Amm. & Boethio. Item cũ hic enunciatio in suas partes ac sp̃ẽs dissolua

tur, resolutiua uia, non inuentiua procedet. quorsum ergo negat enunciationem unam primam, idest simplicem (ue sua natura qua simplex imposita est ex uno nomine & uerbo ad unum signandum) per se & necessario priorem esse coniunctae? Itẽ quae causa uerior erit ea, quam in textu Ar. explicauit? quia illa una prima, idest simplex, Ideo suapte natura compositae antefertur.

TEX. BOETHII.

Necesse est autem omnem enunciatiuam orationem, exuerbo esse, uel ex casu uerbi.

Necesse est autem omnem enunciatiuam orationem exuerbo esse uel casu uerbi.

Ammonius ita hunc textũ connectit. cum de enunciatione & eius speciebus disputare statuerit, & utraq; praedicatũ (idest uerbum) & subiectum, quod nomen est, habeat: uult horum differentiam tradere, quae (ut in summa dicamus) haec est. Praedicatum necessario aut uerbũ, aut casus uerbi est. subiectum uero non nomen, aut casus nominis, simplex, scilicet, sed quandoq; oratio ex pluribus nominibus, constituta: ut ratio finitiua hominis, animal rationale mortale &c. licet nõ dixerit ita plane de subiecto sicut aperte de praedicato, idest uerbo; de subiecto tamen in illis uerbis innuitur. (etenim hominis ratio &c.) Sed ex Arist. uerbis non differentia aliqua, sed consonantia, siue conuenientia omnis orationis ostenditur. quasi Ar. dicat: & si enunciatio quaedam una & prima, idest simplex affirmatio dicitur, altera negatio, aliae uero coniunctione sint unae, unam tamen & simplicẽ non intelligas, quasi uerbũ (extrema coniungens) excludat; sed nec etiam coniunctione unae (quae ut diximus unitatẽ ab externa particula continuatiua uel disiunctiua suscipiunt) ita unae & cõiunctae dicuntur, ex hac externa particula, ut uerbum necessario non supponant concludantq;. propterea uniuersatim de omnibus infertur: {& necesse est autem omnem orationẽ enunciatiuam ex uerbo esse &c.} licet hoc per obiectionẽ quam innuit ex (de) particula de omnibus enunciatiuis orationibus cõcludatur, ut Suessa acri ingenio animaduertit, sumens a diuo Th. in tertia responsione dubitationis, licet aliter obiectionem inducat, sensum tamen quẽ retulimus confitetur. nam ait, si uerbum cõpositionem quandam significat quam sine extremis non est intelligere: omnis ergo oratio composita erit, non aliqua simplex. praeterea ex eodem uerbo dubium nasceretur, ex quo solutionem ostendit & aperit. Quamobrem ita dubitationẽ ex proximis uerbis Aristot. innuit. si quędam prima & una (hoc est) simplex enunciatiua oratio dicitur, uerbum igitur quod compositionem efficit, necessario nõ concludit, similiter de coniunctione una, si aliunde coniungitur, uerbum ergo, quod praedicatum cum subiecto connectit, necessario non habebit. ad hęc Arist. intuens ait. {necesse est autem omnem orationem &c.} Praeterea Ammonio si daretur, differentiam tradi, non solum illa danda foret inter uerbum & subiectum, sed etiam praedicatũ, quod per se nomen est: nam Commen. dicit oratio quae subiectum & praedicatum habet nomen, necessario est ex uerbo, nã affirmatio enunciatio est alicuius de aliquo. Item hominis ratio, primo top. quarto, praedicatum non subiectum uocatur. His forte rationibus motus parũ infra Ammonius ait: quod orationi superius definitae sufficiens est, quoniam communis imperfectae & perfectae conceditur, ex pluribus nominibus sine uerbo constare, ueritus Arist. ne quis crederet orationem enunciatiuam, sicut orationem imperfectam uerbo posse uacare, iccirco ista dicta nunc adiecisse. In eandem sententiam quidam hanc literam explicant, dicentes, quia enunciationis genus est oratio: quae ut genus commune imperfectae & perfectę, conuenit, ut supra monstratum est: ne quis opinetur, enunciationem, orationem imperfectam sine uerbo esse, propterea dictũ esse. {necesse est autem omnem orationem enunciatiuam ex uerbo esse uel casu uerbi.} Et haec expositio superiori collata longe melior est: illi tamen aduersari uidetur, quod uniuersatim Arist. dixit, necesse est omnem orationem. Nam cum genus proximum alicuius ostenditur, simplici uoce, non uniuersatim dicta, profertur. ut homo animal, non omne animal dicitur. Huius manifestum indicium est quod supra de oratione communi, enunciatiuae, in qua uerum & falsum est, & affectum significantibus, ait: {est autẽ omnis oratio significatiua non sicut instrumentũ &c.} ad enunciatiuam uero orationem arctandam descendens atque proximum enunciationis genus declarans, inquit. {enunciatiua uero non omnis, oratio est (quam significatiuam esse mõstrauimus), sed in qua uerũ aut falsum est} uerum autem & falsum, nisi aliquid addatur, & si nõ uel esse uel non esse, simpliciter, uel secundum tempus, addatur, significari non potest. superius ergo Ar. declarauit, qualis oratio, enunciatio foret: quale ue enunciationis genus proximum poneretur. Amplius ibi genus proximũ declarandum, ubi rei datur definitio: modo supra enunciationis finitio data est: illic ergo (quemadmodum Ari. fecit) fuit genus enunciationis proximum explicandum, non hic, ubi enunciatio ex proximo genere definita, diuiditur: quod ita esse, ex dictis etiam Auerrois confirmatur: qui enunciatiuam orationem distribuens, ait: {& oratio enunciatiua, quae disponitur per uerum & falsum, est duorum modorum &c.} igitur uerendum non fuerat, ne aliquis crederet orationem enunciatiuam, sicut imperfectam absque uerbo constare. Bene uideri cuipiam posset, cum unam & simplicem enunciatiuam orationem uocauerit, ita simplicem ac unam sumpsisse, ut uerbum illi deesset: similiter ꝙ omnes aliae (quia coniunctione externa, non necessaria enunciationis parte, coniunctione sunt unae) uerbo uacarent. quod tamen (tanquam necessaria & interna pars) extrema coniungit, ac necessario orationem enunciatiuam constituit, unam & simplicem, quum unũ pręedicatum de uno subiecto: & coniunctione unam, cum plura connectit, externa etiam dictione coniuncta. Necessitas autem uerbi in enunciatione ex duobus attenditur, ex forma quae cuicunq; composito ac coniuncto (simplici etiam complexione) necessaria est: secundo ex fine: interpretatione scilicet ueri uel falsi: quae sine uerbo (quod esse pręedicatum in subiecto uel non esse commõstrat) haberi & cognosci non possunt: & hoc tã enunciationi conueniet, quae commune genus omnis enunciationis assertur: de qua diximus supra monstratum esse, necessario ex uerbo constare: quàm etiam singulis propriis speciebus, simplicibus, & cõiunctione unis, ad quas hic ex proposito dictionem uniuersatim prolatam, direxit, dicens {necesse est omnem orationem enunciatiuam, & unam primam, idest simplicem, & coniunctione unam de quibus minus perspicuum uidebatur, ex uerbo esse &c.} & propterea omni speciei & necessario conuenit, ex uerbo esse: quoniam per se generi (hoc est) enunciationi tribuitur, quia forma enunciatiuae orationis est, a qua esse orationis desumitur: quam itidem orationi communi (quae distribuitur in eam in qua uerum aut falsum est, & alias quę affectus ostendunt) competere, ex Ammonio & Auerroe supra monstrauimus. Ammonius quaerit, cum in conclusione siue finitione, de uerbo idem dixerit de nominibus, quod hic de uerbis (quae non sine nominibus compositionem

tionem

tionem significant & uerum aut falsum nisi cum nominibus adiūgatur, ut hircoceruo(cur nomina tacuit? Ad hoc diuus Thomas peracute in tertia solutione respõdet: propositum hic non esse ostendere enunciationem uerbo, uel nominibus necessario indigere: hoc enim supra satis monstratum ab Aristo. est: sed quoniam dixerat. quod quædã nunciatio est una simplicissima, quædã cõiunctione una, posset quispiã dicere: simplicem omni coniunctione uerbi uacare: Adde & de coniunctis externa particula, quod alia uerbi coniunctione secundũ essentiã, coniunctæ non sint: propterea uniuersaliter asseruit {necesse est omnem orationem &c.} ex uerbo esse: quod inter extrema positum, compositionem essentialem sumptam a forma orationis significat: quam cum nomina simplicia existentia, tanquam per uerbum coniuncta, non explicent, iure illorum non meminit: itaq; non uere Suessa respondet, propterea tacuisse nomen, quia uerbum sine nominibus extremis non potest intelligi: quod superius longioribus uerbis reiecimus. Nec responsio Ammo. placet, iccirco hic nomina esse relicta, quod bis supra cũ de nomine ageret ac uerbo, posuerat. De nomine ait: (hircoceruus significat quidem aliquid, sed nondum uerum uel falsum.) Itẽ cum de uerbo dissereret, secundum se uerbum, non satis esse, affirmare aliquid posse sine compositione. Nam contra, quia ibi sicut nominum, ita & uerborum meminerat: (nisi esse aut non esse iungatur, nec uerũ nec falsum est &c.) & (uerbum compositionem quãdam significat, semperq; est notarum eorum quæ dicuntur de alio uel sunt in alio.) Nec secũda diui Thomæ responsio placet (quam Ammonius esse Porphy. retulit) uerbi tanquam principalis partes, meminisse, a qua prædicatiua siue cathegorica & simplex enũciatio appellatur. Nam non ut simplicis tantum enunciationis pars necessaria numeratur, sed omnis speciei orationis enũciatiuæ, cum dicat: {necesse est autem omnem orationem &c.} Præterea uerbum tãquã necessaria pars notatur, non ut principalis. Arist. enim dixisset. necesse est autem omnem orationem enunciatiuam in primis ex uerbo esse. sed cum tam nomen quam uerbũ necessariæ partes ponantur, utraq; explicanda fuisset: Nec prima diui Thomæ responsio sufficiens est. quam supra contra Ammonium reprehendimus, & hic Suessa. Quæ responsio est, quia nulla oratio sine uerbo uel casu uerbi est, bene sine nominibus: ut currere est moueri. Nam nomina non uerba dicuntur. uerbum enim compositionem significat, quam sine compositis nominibus nõ est intelligere. Quã ob rem tertia. S. Thomæ uera ac ualde acuta responsio eligatur.

TEX. BOETHII.

Etenim hominis ratio) sic non addatur, aut est, aut fuit aut erit, aut aliquid huiusmodi) nondum oratio enunciatiua est.

Et enim hominis ratio, si non addatur est, aut fuit, aut erit, aut aliquid tale nõdũ oratio enunciatiua est.

Secundum Ammo. expositionem ueritus Aris. nequis crederet enunciatiuam orationem, sicut imperfectum orationem, ex pluribus nominibus constitutã, sine uerbo cõstare, ista adiecit dicens. {etenim hominis ratio &c.} Huic explicationi iam superius contradiximus. nam Arist. genus enunciationis remotũ sine uero & falso supra reiecit affirmans, (enunciatiua uero nõ omnis oratio est imperfecta, aut affectum cũ uerbo imperante, optãte, dubitãte, & huiusmodi talibus.) Præterea {etenim} particula, causam ostendit eorum quæ proxime dixerat. necesse esse, omnem orationem simplicem & coniunctam ex uerbo esse uel casu uerbi: huius ergo proxime dicti rationẽ adducet. Melius ergo cũ diuo Thoma & Suessa dicamus: quod a maiori, negatiue sic arguat: si enunciatio (adde, simplex) unum de uno significãs, aut coniunctione una, sine uerbo constaret, illa esset ponenda, quæ unum de uno per se ac in primis enunciat, quæq; coniuncta essentiali nexu ex genere & differentia dicitur: sed primo poster. 14. secundo poster. 45. in magno commen. talis ratio definitio ponitur: maxime ergo enunciationem sine uerbo constare, de ratione hominis uideretur: hæc tamen oratio enunciatiua non est, si non addatur est, aut fuit, aut erit, aut aliquid talium. Ammonius dubitat. cur infinitum reliquerit? mihi potius petendum uidetur, cur uerbi negati non meminit? sicut supra de eadem re disserens, meminit? (hircoceruus enim aliquid significat, sed non uerum uel falsum, si non uel esse uel non esse addatur:) & de uerbis asseruit: ipsa quidem uerba secundum se dicta significãt aliquid. sed si est uel non est nondum significãt. neque enim signum est rei esse uel non esse.) Respondet de infinito uerbo Ammonius, quem reliqui omnes sequuntur. uerbum infinitum, cum negante esse, comprehensum, uerbum igitur indefinitum relictum non est, sed in eo quod Aristo. ait, necesse est autem omnem orationem enunciatiuan ex uerbo esse: per uerbum, tam indefinitum quam negatum conclusit. Sed quoniam animaduertebat forte Ammonius, in subsequẽtibus uerbis. quibus particulam (ex uerbo esse) declarat, nullatenus Aristote. meminisse uerbi infiniti, neq; etiam uerbi negati, a quo infinitũ comprehendi prædixerat: propterea secundam solutionem apposuit: inquiens, aut tanquam de affirmatione in primis disserentem, omisisse. Sed hæc solutio secunda non placet: quoniam affirmationem: & si tanquam principalem speciem enunciationis intendat, non propterea negationem in procemio & infra definire reliquit: Item supra ubi Affirmati uerbi meminit, minime negatum omisit. Mihi in re tam clara paucis respondendum uidetur: ꝙ in eo quod Arist. asserit. (necesse est omnem orationem enunciatiuam ex uerbo esse) de uerbo communi, affirmato & negato necessario intelligitur: propterea ꝙ ait. necesse est omnem orationem enunciatiuam, unam & simplicem (ut docuimus) affirmatiuam & negatiuam (quæ ex uerbo affirmato & negato, necessario constant, & coniunctione unam) ex uerbo esse: quæ licet non per se in primis ex uerbo affirmato & negato constituantur, secũdo tamen, & per simplicem, illa sibi conueniunt. Sed a maiori istud in hominis ratione declarans, tantum affirmati uerbi meminit, non negati: quia primo poster. tx 3. definitio affirmatiuam dumtaxat enunciationem constituit: inde enim Aristoteles in ulit, figurarum optimam primam esse: in qua definitiones per se affirmatiuæ, & de omni subiecto proprio prædicantur: & demonstrationes simpliciter fiunt: quę potestate definitiones ponuntur.

TEX. BOETHII.

Quare autem unum quiddam est, & non multa, animal ressibile bipes (non enim eo quòd propinquæ partes dicuntur, una erit) est certè alterius hoc tractare, negocij.

Quare autem unum quiddam est, uel propterea quod unum quoddam & non multa, animal gressibile bipes (non enim eo quod propinquæ partes dicuntur, una erit) alterius est tractare negocij.

Vult Aristo. probationem afferre minoris, quod definitio de qua maxime uidebatur enunciationem esse, sine uerbo enunciatiuo nondum sit. quoniam enunciatio ex prædicato diuerso a subiecto (de quo enunciatur) necessario constet: hinc enunciatio & propositio in qua idem de seipso prædicatur, propositio dicenda non est, cum aliquid artificiale non explicet: sed id quod uulgaribus perspicuum est. minor, sed definitio unum tantum significat, prædicatum, scilicet, non subiectum: non igitur enunciatio erit uerũ complexum de aliquo subiecto significãs. Sed huic explicationi quispiam aduersabitur: quoniã nulla dictio in litera ponitur, quæ hanc (quam retulimus) approbationem ostendat. Ad hoc facile respondetur dictionem siue aduerbium (quare) in græco haberi. διότι, quæ, autem, & cur, & propterea quod, uel quoniam, uerti potest. Primo modo Boethius: secundo modo translator Ammonii in latinum conuertit: Itaq; sensus erit: definitio sine uerbo, enunciatio ponenda non est: propterea quod hominis ratio unum quoddam est, & non plura: quæ ad enunciationem constituendam necessario requiruntur & causam antiquorum falsam excludens, ait: non enim animal gressibile bipes, enunciatio una erit, quoniam partes propinquæ, idest uoce non interquiescente dicantur: siue non intercepto silentio proferantur. Sed quoniã res hæc ad diuinum pertinet, atque rea est perobscura. propterea hic Aristo. non uidetur inchoantibus explicanda; sed alterius esse negocii, idest metaphysici asserit. ut dicemus. Mihi uidetur, siue uerbum (διότι) quare siue propterea quoniã, latinum reddatur, semper ponendum ex primo philosopho erit: unum quoddam animal gressibile bipes, ut rationem hominis indicare: quamobrem alicui uidebatur, enunciationem unã esse uel coniunctione unam: sed ad hoc improbandum quod hominis ratio enunciatio una non sit, ex sui generis negatione procedit: si enunciatio non est: neque una uel coniunctioné una ponenda erit: sic enim concludit, causam antiquorũ falsam abiiciens. non enim eo quod propinquæ dicuntur, animal gressibile bipes, hominis ratio una erit: quoniam ergo hominis ratio una erit, ac unum quid, idest unam formam & rei essentiam indicat: enunciatio nulla tenua erit: quare nec una, nec coniunctione una ponenda. Sed postulabis. cum septimo metaph. 42. primo poster. in procemio; & secundo poster, primo: Definitionem logicus & diuinus considerat, ratione licet diuersa, ut instrumentum quo intellectus ad substantiæ cognitionem deducitur. logicus: ut substantiam uero uerum significat, metaphysicus. sicut ergo esse ac definitio ab utroq; consideratur, & ita & unitatem communiter considerari oporteret. Præterea si unitas essentiæ ex hoc tãtum haberi dicemus, quod hoc potentia est, hoc uero actu: potentia autem & actus, unum sunt: qua de causa ratio unitatis petenda non est, eorum quæ unum sunt. genus autem potentia est, differentia uero actus: quæ in logica declarantur unam definitionem propriam constituere. Ad hæc Commen. septimo metaph. 42. ait. logicum in posterioribus analiticis declarasse, definitionem unum signare, secundo poster. 45. cum plures partes complecteretur. sed hoc tãquam positionem quandam (ut hic Arist. fecit) cõsiderauit, in metaphysicis uero causam expressit: cuius ratio ex octauo metaph. decimoquinto apud Com. apud Alex. decimotertio sumitur quoniam definitio est oratio una non coniunctione, ut Ilias, sed, quia unius est formæ, scilicet quidditatis ex Arist. primo top. quarto, & septimo metaph. 35 ab Alex. Itaq; instrumentum & ratio essẽtiæ est: quamobrem nisi natura sui finis in logica poneretur instrumentum explicari non posset: sed causa relinquitur ut ad metaphysicũ pertinẽs cuius proprie est de actu, & potẽtia pertractare. Quærũt quæ sit causa unitatis essẽtiæ quam ut finem definitio tanquam instrumẽtũ significat? Optime Alex. septimo meta. 35. respondet & solutionem datam, octauo meta. 13. & 14. apud eius sectionem, conclusit quod & Commen. septimo meta. 42. octauo meta. 15. & 16. ubi clare Arist. asserit: quoniam definitio ex genere tanquam materia & potentia, ex differentia uero tã quam forma & actu consistit: hæc autem unum & idem sunt: quare non est alia causa faciens hæc unum idemq;, nisi agens quod (ut Commen affirmat) non multitudinem. sed perfectionem largitur: idq; quod potestate erat, illud idem re, ratione tamen diuersum, in actum deduxit, mouit, ac fecit, Inquit enim Alex. septimo metaph. 35. sumens ex Aristo. octauo metaph. 13. & 15. scimus enim neminem sanum quæsiturum, cur æs & globus æneus idẽ sit (quæ duo ab Aristot confinguntur. uestimenti finitionem intelligi) causam Alexan. adducit, nam globus in ære, nihil aliud est, quam æs globosum, atq; æs quasi materia habetur, rotundum quasi forma: materia porro & forma unum esse aptæ sunt, nulla re ipsas diuellente. accrco tam naturalia quã cætera omnia, constituta ex genere proximo (in quo omnes differentiæ excepta ultima continentur. apud Themist. cap. 88. secundo poster. & apud. S Thom. lectione decimaquinta,) tanquam materia, et ultima differentia, tanquam forma per se unum sunt: & Aristo. ait: (nulla enim causa est, ut ea quæ potentia erat sphæra, actu fit sphæra, præter id quod fecit.) causa ergo unitatis uera est, ut aperte Alex. septimo metaph. 36. expressit, quia illa quæ plura esse creduntur (animal gressibile bipes, uel ænea sphæra) plura non sunt, sed unum: unius autem quærere unitatis causam, stulta quæstio est & uana: Sed contra hanc solutionem quis instabit: rationem hanc æque concludere de formis accidentalibus, ac de forma artium, quas artifices de potentia ad actum deducũtur: illa enim in his ens quæ in potentia erat, in actu fit: ex accident autem & subiecto unum per accidẽs constituitur: & ex Arist. exemplo. quod de ænea sphæra profducit, confirmatur, & globo in ære: sed nos unum per se in definitionibus & essentiis quærimus. Præterea si materia & forma unum sũt, compositum igitur aliquid ex materia & forma non affirmabitur, erit q;, sed simplex. cum ex actu & forma simplici constet: Ad hoc postremo dictum Aristo. diceret, secundo physico. duodecimo, octauo metaph. tertio quod materia eadem cum forma re & subiecto uocatur, quia re distingui ac separari non possunt: licet ratione propria distinctæ ac separatæ concipiantur: Sed ex dictis ipsius met. Aristo. quispiã aduersabitur. primo elenchorum in fallacia accidentis: ex his quæ unum subiecto ponuntur, necessario concludi non licet eadem per se, ac secundum essentiam esse: erunt ergo plura, non unum, forma & materia. actus & potentia, si ad rationes propriàs referantur. per hæc ad rationem Commen. dicetur: quod agens, multitudinem subiecto diuersam non largiatur: sed perfectionem materiæ, quæ prius in potẽtia existens nunc aliam sub actu rationem assumit. materia igitur nõ fit actus, sed sub actu. nisi proportione quadam materiam fieri actum dicatur, sicut de sensu in actu quod sensibile in actu fiat, dicimus: sed non secundum essentiã idem. nisi (ut Auerias) modo similitudinis & receptionis: ex quo idem secundum essentiam non infertur. Ad hoc Aristo. etiam diceret: unum subiecto duobus modis sumi consueuisse per se, tertium unum constituens: alterum per accidens, quod ex rebus diuersis in actu, & completis coniungitur. Primo modo definitionis ac cuiusque naturalis compositi partes, unũ subiecto dicuntur. similiter etiam ratione accidentia & artificialia ad propria subiecta, per quæ uel quorum relationes, siue aptitudines finiũtur, per se unum constituunt. nam tanquam materiæ propriæ, ad formas proprias conferuntur, ita Arist. & Alex.

æneam

eneam sphæram uel globum, uestimenti esse definitionem fixerunt. Ex quo percipere possumus, quod Aristo. de unitate definitionis monstrauit, uniuersatim dictũ fuisse de substantia, cui primo definitio & eius unitas conuenit, & de accidentibus, quibus secundo & per alterum attribuitur. ita res definitæ, uel ex naturalibus seu artificialibus constitutæ, idem, siue res non plures, dicuntur subiecto: ipsas (ut Alex. aiebat) nulla re diuellente: quæ res eadem subiecto per se, diuersis rationibus (ut uno alio modo prius potentia, alio nunc in actu, septimo metaph. septimo, octauo meta. 3. & 16.) tertium ex his compositum constituere asseruntur: non simplex igitur erit, cum materia & forma cõiunctim unum esse dicantur. ut optime Alex. expressit, septimo metaph. 36. non ut ideatum auctores, qui crediderunt formas (a quibus finitio & generatio fieri putabatur) separatas esse: Itaq; ab illis ita disiunctis atq; discretis per se subsistentibus, unũ cõiunctim esse aptum natum non est. cum non sint eadem subiecto & unũ. in quam sententiam Ammonius uenit, qui causã unitatis assignat: quia octauo metaph. 15. genus ut materia intelligibilis & ultima differẽtia, quæ specifica & perfectrix materię fit: cui ut uniatur, nullius indiget adiumẽto, quod Alex. septimo meta. 36. dicebat, a se ipsis materiam & formam uniri, & unũ fieri sunt aptæ: & q nõ distinctæ subiecto sint. Ammonius ait: non enim cum seiuncto quodam & per se subsistente unionem obtinẽt. Illud uero necessario Arist. addendum non arbitror. in ea oratione quæ una dicitur: oportere nomina ex quibus illa cõponitur, uoce non interquiescẽte, deinceps, proferri. quoniam quãdo sic disiuncta dicuntur, animal, deinde gressibile, & bipes, nomina non definitio appellantur. Sed mirũ uidetur, si id ad unitatem necessario efficiendam requiritur, cur ab Arist. relinquitur, ubi unitas defiõnis ex proposito declaratur in metaphysica? dices ad logicum pertinere: qui de uocibus ex instituto considerat. Sed dato isto, cur hic in logica hãc unitatis causam tanquam falsam reiecit, non in eo q propinque dicantur, una hominis ratio erit? Respondebis hanc conditionem tanquam falsam & non necessariam labefactatam ac negatam nõ esse, sed tãquam causam minus efficacem (hoc est) non propriam: quoniam species, indiuidua, & accidentia, quæ apta non sunt coalescere (etiam nulla intermissione uocis prolata) nunquam unam orationem efficient: Argumentum forte huius solutionis ex uerbis Aristo. sumitur: qui dicit {non enim in eo q (idest inquãtum ipsum, ut aiunt, & proprie) propinque} dicantur. Sed huic responsioni cõtradicimus, quoniam nomina aliam uim significandi non habent, nisi eam quam ex arbitrio susceperunt, quæ forma uocis ab Alex. septimo metaph. 36. dicitur. si ergo instituimus essentiã per plura siue pauciora significare, siue intercepta, siue deinceps & perpetuo, siue intermisso silentio proferatur, definitio explicans essentiam erit: ut experientia perspicuum est. Item septimo metaph. 35. unitas definitionis ex unitate substantię sumitur & essentię quam significat: essentia ergo existente una atq; eadem, nomina illam essentiam explicantia, etiam uoce interquiescente prolata, definitionem constituent: necessaria ergo & propria unitatis essentiæ causa illa erit, quam supra tetigimus. Dubitat Suessa de unitate definitionis: an ex ipsa ut instrumẽto, uel essentia, uel ut fine sumatur? quæ ab Arist. septimo metaph. 35. apud Alex. soluitur, q definitio non est ipsa rerum essentia sed ratio essentiam manifestans. quamobrem ad essentiam explicatam, ut proprium finẽ refertur: ex cuius unitate metaphysica ex propriis declarata, & in logica posita, definitio una uocatur: genus enim ut prius ens, idem fit actu, per differentiam ultimam coarctatum: quæ unum & idem sunt, non plura, ut superius commonstrauimus. Dubitat Suessa (ut nos supra) si definitio speciés propositionis immediatæ dicitur, propositio autem est enunciatio, necessario ergo ex uerbo constabit. Quidam ait ex Auerroe primo poster. decimoquarto, q definitio non cõtinetur sub positione per se, tanquam species sub genere (adde) æqua ratione participata. sed per accidens & per posterius siue secundo. nam positio (quæ uere positio dicitur) duo complectitur: ut sit posita: quia per se nota, quamobrem non contingit in propria scientia demonstrari: secundo ut sit propositio. ratione primi, definitio similis positioni, non autem ratione secundi uocatur: quod autem per partem, per accidens conuenit: itaq; definitiones subintrant positionẽ per accidens. sed de hoc primo poster. dicendum foret: nunc tamen paucis dicamus, si diuisio per accidens est, cur ab Arist. non relinquitur? huic obiectioni dicatur, sicut supra respondimus. illud per accidens relinquendum non esse, quod per partem siue posterius, necessario tamen omnibus uel plurima ex parte aliquibus competit: quomodo definitiones per accidens positiones uocantur: sed per accidens illud relinquitur, quod raro & in paucioribus inuenitur. hac solutione, tanquam uera, concessa, ad dicta Arist. & Auer. ueniamus. Commen. enim affirmat, definitionem complecti significatum positionis per accidens: non in communi, quę cum singulis particulis, quas Arist. tradidit, utrisq; positionibus conuenit, nam in communi positio dicitur, quę demonstrari non potest. propterea q ea tanquam, per se nota, licet non innata discipulo, ponitur. sed positionibus, quæ uera positio dicitur, quia definitiones non amplectũtur, per se rem esse, primo, inquantum illa est, quæ res uere positio dicitur: sic itaq; illæ definitiones, scilicet nõ sunt per se in genere positionum quæ uere positiones sunt, i. non continentur per se sub positione uera, idest (ut se ipsum declarat) quæ rem esse uel non esse, quod per utranq; partem contradictionis assumptam, fieri contingit, siue affirmatiuam uel negatiuam: uera autem positio, subiectio nuncupatur, sub ea ergo positione per accidens continetur, quoniam ut Auer. ait, definitio non amplectitur aliquid inesse alicui nisi per accidens (hoc est) ut primo poster. 78. & hic se Aristo. explicat, per uerbum adiunctũ. ait enim (nisi hominis rationis, est aut fuit, aut erit, addatur, oratio enunciatiua non erit.) cum uero Auerroes asserit, q definitio inquantum de ea non instituitur demonstratio, est similis positioni, in communi intelligas de positione supra ab Arist. declarata, & inquantum non est enunciatio scilicet per se, non est similis illi positioni ut ueræ. ita se in uerbis subsequentibus explicauit. q autem positio in communi illa uera solum non sit, ex Auerroe mer & Arist. confirmamus. Arist. ait. (Immediati autem principii syllogistici, positionem quidem dico, quam non est siue contingit monstrare: neq; est necesse habere docendum quemlibet) idest, est per se nota ex quo in propria arte (ubi positio est) demonstrari non potest: quales sunt naturæ definitio, & definitiones Euclidis simplices. Item Commen. primo poster. 77. initio commen. inquit, suppositiones, idest positiones esse tres illas quas dicunt subiectiones & illas quas petitiones appellant: & illas quas definitiones uocant: quæ non sunt de genere propositionum & enunciationum, sicut subiectiones dicitur. 78. eiusdem primi poster. & Auer. ait. (cum notificasset partes positionis, quæ uniuersaliter fit receptione proloquii per se noti: incepit diuidere positionem inquantum continet scientiam. idest assertionem, idest positionem uerum asserentem, & conceptionem, idest definitionem in qua simplex forma concipitur.) Item parum ante finem commen. (cum significatum (in communi subdendum) positionis, sit aliud a significato ueræ positionis, in qua uerum per enunciationem signatur.) Dices principium immediatum syllogisticum cum Aristo. diuisisse, immediatum autem demõstrationis principium, est propositio immediata, quoniam defiõ simplex, syllogismi & orationis

pars immediata non est, nisi cum medio uerbo primū enunciatio & propositio, immediata pars syllogismi cōstituitur. positio ergo in communi, duo illa explicata, necessario continere dicetur, ut polita sit per se nota, quamobrem demonstrari nō possit, & φ sit propositio & enūciatio. ita Cōmen. initio com. dixit (demonstrationis principium, quod est præmissa immediata:) & primo poster. in magno cōm. 78. in antiquo 25. Arist. ait: (termini hoc est definitiones, non sunt suppositiones, nihil enim esse uel non esse dicuntur, sed suppositiones sunt in propositionibus) & Auer. ait φ subiectiones sunt de genere enūciationum. licet ad hoc nouissimum dici posset, de positione uerum explicante, Arist. illic esse locutum, de quo suo loco dicemus. Ad hæc, cum Arist. hic respondemus, definitionem enunciationē non esse in qua uerum uel falsum est, nisi per accidens, idest propter alterum quatenus est, fuit, aut erit, additum fuerit. & cum Comment. secundo poster. 17. 18. in fine cōm. si definitio largiatur rem esse, & demonstratio rei quiditatem per accidens erit. ut enim definitio (addito uerbo) præmissæ pars constituitur primo poster. 78. esse monstrabit, & demonstratio (positione mutata) quiditatem ostendet, in quęsito cōposito propter quid, secundo poster. 37. 41. quæsito octauo poster. Item primo poster. t 4. in ultimo & in medio, hac ratione Commen. affirmat definitiones per accidens subintrare enunciationem, idest per uerbum adiunctum, per quod inesse definitionem definito proprio indicatur, ut ratio una nni, secundo poster. 45. in magno. & paruo. t 9. sicq; definitiones simplices non amplecti esse aut nō esse, nisi per accidens. hoc est (ut dixi) per uerbum: quod esse aut non esse, & compositionem ueram cum extremis significat. Hunc in modum Cōmen. intelligendum existimo, cū dicit cōm. 14. definitiones subintrare positiones per accidens ratione enunciationis, & propositionis immediatę, & principii immediati syllogistici, quod genus analogum est subiectionis & definitionis. itaq; ut enunciatio, significans inesse uerum uel falsum, & nō inesse, in primū analogatum descendit quod causa est: ita secundum analogi significatum, idest definitio illud dicens esse uel nō inesse uerū, & falsum significet. licet positio definita (φ sit indemonstrabilis ut per se nota) de definitione per se (quāuis secunda intentione) dicatur. sicut primo post. primo. omnis doctrina & disciplina ex praexistenti fit cognitione agente præmissarū, & dirigente. prima intentione præmissis tribuitur, & secunda intētione etiā definitioni simplici per se conuenit, ut Arist. primo metaph. 48. seipsum declarat: ita & præcognitionē prima intentione præmissis, secundo subiectis simplicibus, per se tamen tertio quęsitis conuenire, primo postee. secundo, a Commen. dicuntur. Similiter tex. 7. scire simpliciter, quod demonstrationis simpliciter est, rem per causam cognoscere, per quam res est definitur. causa autem per quam res est, forma simplex dicitur quam explicat definitio: quæ tamen est ante demonstrationem ponenda, ut per se nota, quam demōstrare non liceat. quamuis ergo positio in communi intendatur, ut præmissis demonstrationis & syllogismi competit: quibus positis & concessis necesse sit aliud euenire primo poster. 78. primo priorum, & top. primo: secunda tamen ratione siue per posterius, licet per se conuenire definitioni, positio quatenus positio, per se nota, demonstratione in arte propria uacans, dicetur. licet per accidens, ut enunciatio est & propositio uera, dicens inesse uel non inesse. Dici etiam posset, diuisionem hanc positionis esse, quæ (ut principium immediatum demōstrationis & syllogisticum) præmissa & enunciatiua oratio est, ut cōtinere scientiam dicitur, quæ ex duabus dependet præmissis, positis, & assertis ueris, & cōceptione, idest causa quę forma dicitur, quam concipientes per definitionem exprimimus. principium ergo demonstrationis per se notum indemonstrabile; quod pręmissa demonstratiua & syllogismi, & enunciatio dicitur, uel continet subiectionem dicētem inesse, uel non inesse, aut definitionem, quæ sine hoc. quem modum diuisionis Arist. non abhorret: nanq; octauo metaph. 3. 15. t 6. septimo metaph. septimo. primum subiectum substantiæ & accidētium (quod indiuiduū & compositum ultimum substantię appellatur) ut tres substantiæ rationes continens, materiæ, formæ, & compositi ex his. in tria illa distribuit. sic positio ut continet scientiā cōclusionis per definitionem elicitam ex subiectione uerificationis pręmissarum, & positione formationis seu cōceptionis (ut Auer. asserit) pendens, in illa partitur, quasi dicas quæ in scientia habita per demonstrationem ponūtur quædam sunt subiectiones, idest positiones, uerū aut falsum esse uel non esse sumentes in enunciationes ac propositione medio uerbo: alteræ uero sine hoc, ut præmissarum causa ac terminus siue principium dicitur: ita facile obiectio diluetur quę contra nūc declarata, ac cōtra Arist. fieri posset. Si enim præmissa & enunciatio, positio dicitur: præmissa autem est enunciationis altera pars unū de uno enunciatio autem cōtradictionis utraq; pars: hęc autem suppositio ab Arist. dicitur, utranq; contradictionis partem accipiens, licet ut demonstratiua, determinate alteram contradictionis partem assumat. ex his manifeste concludi uidebitur, idem esse diuidens & diuisum. nam enunciatio est in qua uerum aut falsum est. & uox est enūcians esse aliquid de aliquo, uel ab aliquo & ita inesse uel non inesse monstrabit. Ad quod ex modo explicatis dicetur. positionem ut continentem scientiam per demonstrationem effectam. in duo illa distribui, alterā quæ cōtinet unum ut præmissam, reliquum uero ut pręmissæ causam, atq; principium: & de dubio a me non artis necessitate, sed moto ab aliis, dictum sit satis: si positio tanquam principium immediatum uirtute continens scientiam uerificationis & conceptionis sumatur. His explicatis responsio Suessæ facile infirmatur, cum inquit: in primo poster. definitionem considerari, ac poni speciem propositionis immediatæ, ut propositio est: hic uero considerari ut terminum. Nam ibi maxime definitionem ut terminum considerari oporteret, ubi pars demonstrationis ac syllogismi ponitur, quod in libro poster. fieri dicitur. Præterea si ibi ut propositio consideratur. ergo ut enunciatio in qua uerum & falsum, & inesse siue nō inesse significatur: definitio autem describitur sine hoc, idest sine uerbo dicēte esse uel non esse, primo post. 14. & 78. secundo poster. 17. non ergo ut propositio sed ut terminus simplex utrobiq; describitur. nam sicut hic esse enunciationem negatur, quoniam uerbum adiunctum non habet, ita primo poster. sine esse & non esse positionem per se notam uocari, & terminum non dicentem esse uel non esse.

TEX. BOETHII.

Est autem una oratio enunciatiua, quæ unum significat, uel coniunctione una. Plures autem, quæ plura, & non unum, uel inconiuncti.

Est autem una oratio enunciatiua, quæ unum significat, uel coniunctione una, plures uero quæ plura & non unum, uel inconiunctæ.

Ammonius ait. φ data diuisione enunciationis in primam & non primam, quomodo affirmatiua prior posteriori negatiuæ aduersatur, nunc partitur in unam & plures. Idem Suessa sequens Ammonium inquit: nunc uelle enunciationis diuisionem ordiri alio modo. Sed ut superius dictum est, istas diuisiones quas explicat, ac distincte declarat, superius implicitis uerbis significauit. per unam, plures, per unam simplicem, compositam innuens, pro-

pterea

pterea cum diuo Thoma dicamus: nunc illas explicare diuisiones, quas supra implicitis uerbis significauit innuitq; itaq; male Suessa hãc explicationem refellit: quoniã nulla hic membra diuisionis adduntur, quæ ut retigimus superius, implicitis saltem uerbis, Arist. non innuerit. prima ergo diuisio erit in unam & plures unius uero, in unã simplicem (unum significatum & intentionem prædicati de uno subiecto signantem, quæ definitio ad Arist. dicitur. secundo huius cap. 2. & a Commenta. in libro poeticorum cap. 7. & hic ab Ammonio) uel secundum quid. (.coniunctione unam: quales sunt syllogismi conditionalis præmissæ, quæ plures existunt, si ad prædicatorum ac subiectorũ significata diuersa & plurima referantur, unæ tamen ex coniunctione per conditionem prolatam dicuntur, ut syllogismi præmissæ, ex unitate primi termini. ut Auer. notauit. Plures uero, secundum membrum primæ diuisionis declarat plures esse dicens. quæ plura significant & non unum. i. unã intentionem ac formam, quod propter definitionis plures partes est dictum: quæ sunt unum per se: quam expositionem Ammonius asserit Porphy. philosophi esse: tu autem dicas esse Aristot. secundo huius apud Auer. cap. 2. de coniunctis & diuisis enunciationibus. Inquit enim{ut uero unum de pluribus uel plura de uno affirmare uel negare; nisi sit unũ aliquid quod ex pluribus significatur. non est affirmatio uel negatio una} inde quid per unum intelligat, indicans, ait: {dico autem unum non si unum nomen positum sit, non sit autem unum quid ex ipsis, ut homo est fortasse & animal bipes & mansuetum &c.} sed ex his unum fit dicit: fortasse, quoniam alterius est hoc tractare negotii, ut hic animaduertetur: & explicans plures, inquit: (ex albo autem & homine & ambulare, nõ est unum) idest itaq; inquit: nec si ista de uno, uel de his unum dicatur, affirmatio, & ita enũciatio una erit: sed uox quidem una erit non affirmatio: plures ergo erunt enunciationes, uel quando plura de uno uel pluribus, uel unum de pluribus aliqua coniunctione signantur, uel inconiuncte, ut albus musicus currit, uel ut in æquiuoca inuenitur, canis latrat. Quidam ita declarat. Plures sunt quæ plura enunciant, unam intentionem non indicantia: id autem potest esse primo cõiuncte, idest media aliqua dictarum coniunctionum ut in conditionali, secundo plura possunt signari inconiuncte: ut est in propositione æquiuoca & amphibologica: Et animaduertas, sensum primi membri diuisionis non esse: quem. S. Thom. reprehendit: ut una oratio enũciatiua dicatur, quæ unum de uno significat: hæc autem unum de uno significans sit, non solũ simplex, sed etiam composita, siue coniunctione una: nã cõiunctione una plura significat prędicata & subiecta, quę dicuntur, & de quibus dicuntur: & una nõ alia rõne appellatur, nisi propter particulam conditionalem, & disiungentẽ uel copulantem. sed ille erit sensus, quem explicauimus, ut una in communi distribuatur in unam simpliciter, in qua unũ (& non plura subaudias) indicantur: uel in unam secundum quid, hoc est, coniunctione unam: ergo disiunctio ad diuersa refertur, & oratio coniuncta ita unam conditionem consecutionem unam signantẽ, enũciat: ut plura prædicatorum ac subiectorũ significata cõtineat: quæ autem. S. Thom. adiungit, his quę superius diximus consonant: enunciationem propterea unam dicendam, quod unum significat, siue per unum nomẽ, siue per plura dicatur. itaq; per illa plura definitionis nomina, quę formam unam aperiunt, enunciatio una constabit. similiter plures enunciationes dicentur, in quibus plura concludũtur, siue per unam, siue per plures uoces significentur. Ex nostra declaratione monstratur, quam præter Aris. propositum rationi diui Thomę Suessa respondeat: cum ait, disiunctionem non dirigi ad unum & cõiunctione unã: sed unam simplicem, & compositam: quod est manifeste contra sensum & uerba. Præterea non alio differret, una, enũciatio a definitione, nisi quod definitio unam formam & intentionẽ siue uerbo explicante esse uel nõ esse significat: enunciatio autem una, illam eandem formã uel intentionem per uerbum quo inesse uel non inesse uni proprio subiecto monstratur, enunciat. Quæritur, qualis ista diuisio sit, an ambigui siue æquiuoci in sua significata an uniuoci. Suessa respondet cum aliis, pure ęquiuocam esse: quoniam sola una enunciatio est: sed plures, sunt sola uoce, & per metaphoram seu similitudinẽ dictę: Quidam in partem oppositam arguit: quod uniuoca sit. quoniã (inquit) unus homo & plures homines uniuoce siue ęqua ratione homines appellantur: ita oratio enunciatiua una, & plures, una ratione enunciationes dicentur. sed fortassis aliquis respondebit. exemplum simile nullatenus esse, propterea quod unus, & plures homines, in hominis uoce ac ratione cõueniunt, nec unus alterum destruit, ac infirmat: uerum oratio plures syllogismi formam corrumpit: propterea ab artibus & scientiis ambigua distinguuntur, & uno significato proprio sumpto, ex quo oratio una conflatur, cætera relinquuntur. Amplius artiũ instrumenta a rebus, & finibus ad quos referuntur unitatem rationis uel diuersitatẽ recipiunt, iccirco. n. superius dictum est, diuisionem enunciationis simplicis, in affirmationem & negationem analogam, siue secundum proportionem dictam esse, quoniam primo poste. affirmatio explicat esse, negatio uero non esse, ens autem & non ens, quarto metaph. secundo, in analoga ratione conueniunt, unum ut habitus alterum ut priuatio entis. similiter demonstratio, quæ accidentis inferi, secundo post. 12. 10. ad definitionem refertur, a qua substantia explicatur: simili ratione dicetur orationem unam (quæ unum de uno declarat) proprie & uere orationem uocari: & coniunctione unam non nisi quatenus ex una simpliciter constituitur ut syllogismus simpliciter, non nisi quia una oratio cõiunctione dicatur, medii termini. Præterea primo top. primo, syllogismũ simpliciter æquiuoce asserit hic, syllogismo demonstratiuo, & topico, & litigioso peccanti in forma competere: peccare autem in forma syllogismus dicitur, quia nõ regulatur dicto de omni uel nullo, & idem quod in propositione subiicitur, in assumptione & minori idem re, non nomine solũ, de subiecto dicatur: quod in æquiuoca propositione minime inuenitur. Item si caret definitione siue descriptione sumpta ex opere proprio ueri uel falsi, aut ex propriis speciebus primo post. 13. & infra, ut uox sit significãs aliquid de aliquo affirmando uel aliquid ab aliquo seiungendo, & negando, nequaquã enunciatio ac propositio erit, nisi ut litigiosa proprium opus ac definitionẽ ueræ enunciationis imminuens: ut homo pictus ueram hominis naturam ac proprietatem infirmat, ac destruit. Itemq; oratio æquiuoca apparet enunciare, nõ autem enunciat, quoniam esset uel affirmando, uel negando: sed infra, & secundo huius cap. 2. (quod paulo ante retulimus) affirmatio & negatio opponi dicuntur, eiusdem de eodẽ, non autem æquiuoce. & alibi (at uero unum de pluribus, uel plura de uno affirmare, nisi sit unum aliquid, quod ex pluribus, significatur, non est affirmatio uel negatio una:) & unũ (inquiens) non si sit nomen unũ impositũ. Dices hic de affirmatione & negatione Ari. loqui, quæ simplices & unę simpliciter sunt, nõ de his quæ plures uocantur. Gratis responsum cõcedo, sed hoc maxime quam adduxi rationem confirmo. nam enunciatio in hoc libro describitur, ut postea cognita, ad librum priorũ ut pars proxima referatur, ac propositio fiat, affirmatiua uel negatiua. his enim omnis figuræ syllogismus constat. & dictũ de omni & nullo (ut syllogismi locus) potestate complectitur. si igitur oratio plures syllogismum nõ constituit. sed eius potius formam corrumpit: enunciatio ac propositio dicenda non est, nisi imminuente (opus proprium ac definitionem) particula enunciatio & propositio (quæ eadem

subiecto sunt)nominatur. Adhuc respõdebis ꝙ pars proxima syllogismi, hoc est præmissa oratio enũciatiua una, non plures ab Arist. dicitur, primo priorum primo: & primo poster. 13. Sed hac data responsione instituta conclusio ac reprehensio comprobatur; quoniam propterea præmissæ oratio una secundum rem, non plures dicuntur, quoniam plures æquiuocæ, syllogismi formam infirmant: ab hoc ergo fine, ꝙ non uniuoce, sed æquiuoce ratiocinationem constituunt, æquiuoce & propositio nuncupabitur. quamobrem mihi dicendum uidetur, enunciationẽ unam in unam simpliciter & coniunctione unam, analoga diuisione partiri: quia una simpliciter, reliqua uero secundum quid, una uocatur. una simpliciter causa est materialis cõstituens esse enunciationis, coniunctione unius, item est finis, ut definitio ac substantia aliorum accidentium, & ut illã supponit, affirmatiua uel negatiua enunciatio dicatur. sed diuisio, qua una in communi prima diuisione diuiditur in unam, & plures, quæ nullo modo sunt unum, nec secundum rationẽ & formam, nec in uno saltem ordine, illa plura significata cõueniant, ut primum significatorũ, per se materialis, uel efficiens, aut finis ad alia collatũ dicatur: cuiusmodi sunt quæ plura significant, & non unũ: ut terminus æquiuocus. aliaq; quæ nec complicari in unũ inuicem possunt, ut Socrates, Plato, Alcibiades ambulat uel Sortes ambulat, Plato legit, uel Socrates ambulat, disputat, sanatur, in quibus uox tantum una erit, nõ una affirmatio uel negatio: hæc inquã æquiuoca est, licet inter plura, quæ per ambiguũ siue æquiuocũ terminum explicantur, & ea quæ per accidens de aliquo prædicantur, & in unum per se constitutũ coniungi possunt, hoc intersit, ꝙ æquiuoca, tantum nomine idem significant: reliqua uero & secundum nomen & rem accidentalem (seu quæ accidens est) denominatiue dicuntur: non secundum rationem, ut per se in primo modo dicendi per se, subiecto conueniat, quod denominat: ut in anteprædicamentis. & primo top. quarto, apertissime declaratur, cum inquit, non tamen ut genus aut definitio. Ex his itaq; declaratis ac positis, patet resp̃õsio ad rationem oppositam, unus siquidẽ homo & plures, propterea uniuoce homines appellãtur, quia secundum unam speciem quam participant, unus homo dicuntur; plures autem enunciationes ac propositiones, ita plura significant ꝙ nullatenus apta nata sunt secũdum rationem, speciem, formam, ac intentionem, unum constitui. Ex his liquet contra Ari. Suessam asserere, cum inquit, hanc propositionẽ homo uel equus currit &c. esse unam simplicem: cuius rationem adducit, quoniam uerbum est unum, a quo sumitur unitas enunciationis. Nam si a uerbo uno enũciatio una simpliciter sumitur, cur æquiuoca una non erit? qua de causa si enunciatio plures uocatur, quæ plura & non unũ significat, cur dicta enunciatio plures non dicitur? Præterea tunica est alba uel nõ est alba: una negatio uel affirmatio erit: siquis ponat hoc nomen (tunica) homini & equo: cum ex subiecto copulato, & unico uerbo, ac prædicato conficitur. Ari. autem hanc, homo & equus est albus, infra, cap. 5. nec unã affirmationem, nec etiam negationem appellat, sed plures: ait enim hoc nihil differre, quam dicere, homo est albus, & equus est albus: inde concludit quos nos contra Suessam intulimus, {si ergo hæ, multa significant, & sunt plures, manifestum est quoniam &c.} ratio autem Arist. est: quoniam subiecta illa duo, mutuo in unam naturam, speciem formã, ac intentionem coniungi & coire non possunt. Ex dictis his collige, plures enunciationes uocari, quarum uel prædicatum, uel subiectũ, uel utrunq; plura significat. Quærunt ulterius Ammo. Boethius, & Suessa quid inter hanc diuisionem unius & plurium, & alias dictas ac dicendas intersit: idest inter affirmationẽ primam & negationẽ nõ primam: præterea simplicem & compositam. Ammonius cui Boethius & Suessa cõsentiunt: ita ait, illas differre: ꝙ circa dictionem & uocem duplex enunciationis differentia sumitur: prima simplicis & cõpositæ: secũda primi & nõ primi in ordine, affirmatiuo & negatiuo: tertia uero in unam & plures, ab uno uel pluribus significatis accipitur. Sed quæro tunc quomodo prima differentia simplicis, penes solam dictionem & uocem accipitur, si unã simpliciter, ut diuisam in simplicem & compositã, necessario præsupponit? Arist. enim superius dixit: {est autem una prima oratio enũciatiua affirmatio, deinde negatio} idest simpliciter una simplex prima est affirmatio deinde negatio similiter infra dicetur (harum autem, idest unarũ, ut optime Commen. intelligit) hæc quidem simplex est enunciatio affirmatiua, enuncians aliquid de aliquo, uel negatiua aliquid ab aliquo. sed una per se diuersam rei significationem supponit, ergo & simplex affirmatio & negatio, & cõposita. Præterea si simplex & cõposita, affirmatio & negatio sunt uoces, & signa propria, ad significata ergo propria referentur (hoc est) res conceptas. Amplius hæc responsio superius dictis, refellitur, quoniã affirmatio, esse, negatio, non esse, significat: unum de uno secundum rem, intentionem, formam, & rationem enunciat: quare singulæ diuisione prædictæ, a significatis, non uocibus tantũ sumuntur. Hæc de dubiis satis: Verbum illud (plures sũt quæ plura non unum) adiectum Ammonius ait, propter uniuersalia, de quibus enunciatio quidquam enunciat: ut. homo & capra sunt animal. Sor. & Plat. sunt homo. hæc enim & si plura subiecta, quæ mutuo aduersantia siue disperata sunt contineant: tamen quia unam naturam subiectis communem designant, unam propositionem ac enũciationem efficiunt: iuxta quam sententiã Porphyrius ait, ꝙ plures homines participatione speciei sunt unus homo & Arist. quinto metaph. 20. & decimo metaph. 10. & 12. (Eadem sunt quæ eandem substantiam cõtinent:) Sed supra ex Arist. uerbum hoc explicauimus, quod propter definitionem est dictum. Suessa autem quam perperã referat solutionem Ammonii in re hac etiam minuta, ex nostra explicatione, uidere quis poterit: cum dicat, sunt aliquæ propositiones de aliquo uniuersali, ut animal gressibile bipes est homo; potest hæc in plures dissolui, sed quia continentur sub animali: unam constituunt. ipse enim in naturalem propositionem producit, in qua subiectum sit commune animal, & definitio & prædicatum, homo. deceptus Ammo. uerbo quod dicit, de uniuersalibus de quibus enunciatio quidquam enunciat: nõ quod sint enũciationis subiecta, sed de quibus enunciationes conficiuntur: his tanquam prædicatis, aliis uero tãquam subiectis. Itẽ ipse si per hominem subiectum intelligit, exemplum adduxit definitionis, quæ secũda expositio est, quã Porph. esse, ipse etiam Ammonius retulit.

TEX. BOETHII.

Nomẽ igitur, & uerbum, dictio sit solum: quoniam nõ est dicere sic aliquid significantem, uoce enunciare uel aliquo interrogante, uel nõ, uerùm ipso proferẽte.

Nomen quidem igitur & uerbum dictio sit solum quoniam non est dicere sic aliquid significantem uocem quasi enunciare, sed ipso proferente.

Argyropolus clarius trãstulit. {Quoniam fieri non potest ut is q aliquid nomine uel uerbo significat sic dicat, ut enunciet. siue interrogatus fuerit siue non. Sed ex se se uoluerit dicere. } S. Tho. a quo Suessa, affirmat hic Ari. uelle ab unitate enunciationis nomine & uerbum excludere. nã quis posset obiicere, si enunciatio una uocatur, in qua unam signatur: nomen ergo & uerbum unum significantia, enunciatio una dicentur. Ad hanc obiectionẽ uolunt ꝙ respondeat Arist. nomen & uerbum unum significare

care simplex, & per se non enunciando, siue interrogatus aliquis fuerit, siue non: sed ipse ex arbitrio proferat. Alii ut Suessa, uolũt, quod corollariũ ex dictis superius inferat mori ex uerbo (igitur.) quomodo autem ex superius declaratis sequatur, non explicant: de nomine enim clare patet quoniam dixit. (hominis enim ratio si nisi est aut fuit aut erit addatur &c.) & forte de uerbo cum dixit. (necesse est omnẽ enunciationem ex uerbo esse. quasi parte extrema iungente:) Hæ duæ explicationes & si ueræ sint. aliter tamen Arist. scopum declaro, quoniam initio huius capitis dixerat, orationem significatiuam orationem esse, cuius aliqua partium significatrix esset separata. ut dictio sed non ut affirmatio. idq; superius quod orationis partes significent, ut dictio, quæ nomen & uerbũ dicitur, prolato hominis, tanquam nominis, tantum exemplo monstrauit. ut homo aliquid significat, sed non quoniam est, aut non est: sed erit affirmatio uel negatio si quid addatur: uerbum autem quod dictio nuncupatur. tanquam quodammodo latens, & ab omnibus non confessum, ut hic Am. ait, reliquit, ad hunc locum se referens: nam & si superius illo exẽplo producto, simili ratione uerbũ claudatur tamen ibi ponit, siue supponit, omnem enunciationem unam & simplicem, idest affirmatiuam & negatiuã ex uerbo esse. quod hic ex proposito declaratur (nomen itaque & uerbum) ita uoces significatiuæ & partes orationis dicuntur, ut dictio solum; non ut affirmatio. hæc est conclusio superius posita, & nunc ex proposito declaranda, supra enim nondum perspicuum erat; unam & simplicem orationem affirmatiuam & negatiuam ex uerbo esse. Itẽ hic maxime declaratur, ubi suum oppositum (hoc est) affirmatio & negatio explicantur: sic enim opposita iuxta se posita magis elucescunt. (nomen ergo & uerbum dictio sit solum) idest solum ut dictio significans, nõ ut affirmatio: cuius rationem adducens Aristo. ait: (quoniam non est) idest non contingit (dicere) idest affirmare & quodãmodo enunciare (sic significantem aliquid uoce) sola, scilicet & separata nominis & uerbi: quasi in hunc modũ ratiocinetur. Ea oĩa (ut sola dictio) quidquam significant, quæ non contingit affirmare & quodammodo enũciare, aliquo interrogante uel non. Minor in textu. Sed sic uoce simplici nominis & uerbi significantem, non cõtingit affirmare & quodammodo enunciare. ut dictio igitur sola, non affirmatio, quidquam nomina & uerba significabunt. Animaduertas in uersione Boethii particulam (ὅτι) cũ accentu acuto in græco positam, expressã non esse: quæ latinati donatur: quodammodo, quadantenus, quam alii (ut, quasi) uerterunt: sed (οτι) sine accentu acuto, & coniunctione (τι) relictã expresserunt, quæ habetur in græco: quam propterea existimo additam esse, ut uniuersalitatem omnem orationem concluderet tam perfectam quam imperfectam: & unam simplicem & coniunctione unam, quæ quodammodo & secundum quid enunciationes uocantur: idq; Arist. ratione fecisse existimo, propterea quod partes orationis in communi declarat, quã communem esse monstrauit, tam perfectę, in qua uerũ uel falsum est, quam imperfectæ sine uero & falso, ut in indicatibus affectum ostendit: & in conditionali syllogismo perspicuum est, in quo uerum & falsum non est, nisi ut potestate cathegoricua est: & ad propositiones ac orationes in quibus uerum & falsum est, reducuntur. Propterea supra diuisionem enunciationis unius simpliciter, & coniunctione unius, analogã esse possumus, quod in una simpliciter per se, uerum aut falsum, non pendens ab alio, inuenitur; contra quã in coniunctione una perspicitur. Ex his liquet Arist. nedum ab unitate enunciationis (hoc est) ab enunciatione una perfecta, nomen & uerbũ excludere, sed ab oratione communi perfectæ & imperfectæ: nec hunc finem intendit, ut excluderet quidpiam, sed ut definitionis orationis partes aperiat: quod hic fieri conueniens fuit, ubi omnem orationem cõstare ex uerbo, tanquam parte necessaria, palam fit: atq; affirmatio & negatio, per quas tanquam per opposita, dictio noscebatur. Secundo etiam sequitur corollarium illarum non esse: cum sæpe particulæ (quidem igitur) dum res considerandę sunt. præponantur: ut de nomine (& ea quidem igitur quæ sunt in uoce &c.) Item ratio assignatur, quam supra non tetigit: non ergo declaratũ de nomine & uerbo simul ex proposito explicandum proponitur, non declaratum supra colligitur ac concluditur. His ẽt dictis Am. explicatio ac connexio siue continuatio infirmatur. ait enim quod de enunciatione dicturus affirmatione & negatione & contradictione: his autem dictionis nomen adhibetur, ideirco ante illa, dictionis notionem exponit. atq; hanc dicit, nomen & uerbum esse ut partes enunciationis: cui dictioni, nomẽ & uerbum, non enunciatio conuenit. Nanq; Ari. non ostendit nomen & uerbum tanquam prædicata de dictione ut subiecto monstrari: sed contra, nomen & uerbum quasi dictionem simplicem tantum, non ut affirmationẽ uel ue enunciationem aliquo modo traditorum modorum significare: nam oratio uox significatiua (ut dictio) ponitur, tãquam prædicatum, non subiectum: ita hic etiam explicatur: {nomen igitur & uerbum dictio sit solum: uel aliquo interrogante, uel non: sed ipso proferente:} Probat, ut Ammonius inquit, dicentẽ, uoce simplici nominis & uerbi, non sic dicere ut enunciet, ex modis quibus enunciare contingit. nam uel interrogati (adde iam in topica præmissa, cuius proprie interrogatio est. primo topic. tertio, octauo top. primo: primo elenchorum. 9. 10. & 11. quam etiam demonstratiua primo post. 13.) uel non interrogati sententiam aperimus ac enunciamus; & complexum aliquid indicamus: sed solum nomen ac uerbum proferentes, neutro modo enunciamus, idest affirmando uel negãdo, ut aliquo dictorum modorum enunciamus. Igitur ut sola dictio, non affirmatio, & aliquo modo enunciatio significabunt. Totum quod Am. asserit approbo, nisi quod noua probatio nõ est, sed pars propositionis maioris quã diximus: ea omnia, ut sola dictio, quidquam significãt, quę non contingit affirmare & quodammodo enunciare aliquo interrogante uel non, sed nullo rogante, ipsi sententiam aperimus. Ex quo confirmamus de enũciatione simpliciter una perfecta, & imperfecta interrogãte, in qua uerum & falsum non est, intelligere dicta uerba Ar. uoluisse: uel perfectæ dicuntur enunciationes, quæ a respondente dicuntur, dum interrogationi respondet, per enunciatiuas propositiones in quibus est uerum uel falsum. Quidã in eo quod Arist. ait (aliquo interrogante uel non.) uult præmissam topicam indicari. quæ (ut diximus) cum interrogatione profertur. sed cum interrogata rogata & petita præmissa, topica possit esse & demonstratiua, propterea hic de utrisq; intelligere Ari. assero, quia ut monstrauimus ista particula, q partes orationis significent ut dictio &c. de oratione communi, demonstratiuæ & topicæ necessario intelligitur. De utrisque igitur interrogationibus affirmabit. Quærit Ammonius si prius enunciationẽ a dictione, idest nomine & uerbo distinxit (adde cum dixit oratio enunciatiua est in qua uerũ uel falsum est,) cur hic iterum repetit? Ait supra notione essentiali, siue secundũ essentiã enunciationis, ex proprio opere uel falso, hæc uero ex usu enunciãdi dupliciter sioe bipartito distinguere. Sed contra, quoniam hic etiam ex opere proprio differentiam assignauit, cum dixit. quoniam sit uoce simplici nominis & uerbi significantem, non contingit dicere, idest affirmare ut ipse intelligit, quasi enunciet. enunciare uero est proprium enunciationis opus. modos autem interrogationis subinferens, non ut propriam approbationẽ, sed partẽ propositionis maioris intelligi (ut ante tetigimus.) Præterea non solum nomen & uerbũ, idest dictio ab enũciatione distincta superius est ex opere proprio, sed etiam

ex eo quod in definitione communi orationis, ut differentia ponebatur (cuius aliqua partium separata significat ut dictio,) hoc enim inter nomē & uerbum una ex parte, & orationē ex altera interesse monstrauimus, illorū enim partes ut syllabæ, non ut dictio consignificant. Itē supra de uerbo. (uerba igitur secundū se dicta, & nomina sunt, & significant aliquid, sed si est uel non est, nondū significant:) & de nominibus etiam supra monstrauimus (hic contrui &c.) Dicendum igitur est, quod supra in definitione orationis posuerat, & de nomine tantū ostenderat, nunc de nomine & uerbo, per affirmationē & aliquo modo enunciationem, ut opposita commonstrare.

TEX. BOETHII.

Harum autem hæc quidem simplex est enunciatio. Vt aliquid de aliquo, uel aliquid ab aliquo. hæc aūt ex his cōiuncta uelut oratio quædam iam composita.

Harum autem, hæc quidem enūciatio est simplex, ut aliquid de aliquo uel aliquid ab aliquo, alia autem ex his composita, uelut oratio quædam iam cōposita.

Oratio (inquit Commen.) quæ uerificatur aut falsificatur nominatur sententia & iudicium. Et iudicij simplicis aliud est affirmatio alicuius de aliquo, aliud est negatio alicuius ab aliquo. Itaq; Com. uult hic enunciationem partiri, in qua est perfecta sententia perfectumq; iudiciū (hoc est) unam. sensusq; diuisionis erit, (harum autem unarum) in quibus unum de uno significatur (hęc quidē simplex est enūciatio) ut denūctans. s. (aliquid de aliquo) idest affirmatio uel aliquid ab aliquo, idest negatio. Petes de his quę ex simplicibus coniunguntur, quales enunciationes uocantur? Ad hoc respondens Arist. ait. Alias autem ab his, idest coniunctas ex simplicibus, compositas appellari: unarum ergo quędam est simplex, ut affirmatio uel negatio, alia uero ab his simplicibus composita dicitur. Sed quæres qualis est ista diuisio in simplicem & compositam, uniuoca, ambigua idest ęquiuoca, an analoga? Hanc dubitationem propterea nullus expositorum (quos uiderim) tetigit, quod cōpositā ex his, coniunctione unā, S. Thom. uel plures enunciationes esse alii crediderunt. Mihi uidetur diuisionem uniuocam esse. ratione ea maxime moueor, quam supra de diuisione in unam & plures tetigimus: quoniam sicut unus homo & plures, ut eandē hominis formam, intentionem & rationem participant, unus homo (idest secundum essentiam ęque participatā) dicuntur: ita species numeri, ut ab eadem unitatis mensura proueniunt, uniuoce numeri appellātur, & si posterior ex priori numero componatur. ita enunciationes compositę, ex ambabus affirmationibus uel negationibus, uel affirmatione & negatione, quæ unū de uno in partibus, ex quibus constituuntur, significant. licet hæ met compositæ enunciationes, ut cōiūgūtur in syllogismo hypothetico per conditionē (si) uel &c. & in cathegorico per (ergo) unę coniunctione uocentur: & cum plura in unā formā ac intentionem rationemq; non coeuntia non significāt, plures ēt appellentur: ut plures homines, & indiuidui ratione, dissentiunt, plures dicuntur: sed ut speciei eandem rationem participant, unus, siue uniuoce homo uocātur. Ex quibus declaratis perspicuum est, Ammonium nō recte partitionem Arist. percepisse, cum ait: hic illas enunciationes diuidere, de quibus de aliis interrogati, uel nos sponte enunciando, aliquid dicimus; in simplicem ex necessariis orationis partibus constitutam, nomine & uerbo quę ut una unum de uno significat, & ut simplex ex pluribus orationibus non consistit: & in compositam &c. nā distributionem istam necessario alia antecellit, in unā & plures: enunciationes autem de quibus ab aliis interrogati, uel nos sponte aliquid dicentes enunciamus, omnibus enūciationibus, tam perfectis quàm imperfectis, & unis, & pluribus competunt: communior igitur omnibus aliis partitionibus hęc ultimo tradita erit, sicut enunciatio (in qua uerū uel falsum est) cōmunior omnibus ponitur. quam ostendit (ut nomen & uerbum simplicem dictionē non significare. Nec Suessa ad sensum Arist. explicat, cum asserit, non hic simplicem in affirmationem & negationē diuidere, sed prædictæ diuisionis membra prolatis exemplis exponere. ut dicat, harum autem hæc simplex (exēpli causa) dicatur, ut affirmatio uel negatio. nam si foret diuisio (inquit) eandem diuisionem in affirmationem & negationem Ari. multoties refricasset. Sed iam superius satisfecimus quod ibi implicitis uerbis, hic clarioribus explicat, ipsamq; simplicem enunciationē cum suis mēbris diuidentibus, affirmatione. s. & negatione describit. nam inquit, simplex est enunciatio (quę in affirmationē & negationem partitur) ut aliquid de aliquo. s. affirmando enūcians, uel aliquid ab aliquo disiungens. hæc autem, idest alia ab his simplicibus unis, quę ex his coniuncta uelut oratio quædā uel aliqua, iam, uel maxime, & præsertim cōposita est. Dicit (aliqua uel quædam) quia non simpliciter una, sed quia composita ex pluribus simplicibus & ita uelut oratio quędam dicitur: quia iam, uel præsertim uel maxime, composita dicitur: Inde simplicem enunciationem alio modo quam supra, secundum notionē quid nominis, declarans per species inquit.

TEX. BOETHII.

Est autem simplex enunciatio, uox significatiua de eo, quod est aliquid, uel nō est, quemadmodum tēpora diuisa sunt. Affirmatio uero est enunciatio alicuius de aliquo. Negatio uerò enunciatio alicuius ab aliquo.

Est autem simplex enunciatio uox significatiua de eo quod contingit esse aliquid uel non esse, quēadmodū tempora diuisa sunt. Affirmatio uerò est enunciatio alicuius de aliquo. Negatio autem alicuius ab aliquo.

Ponitur hic {uox significatiua} loco generis. Vox dico significatiua de eo subiecto quod (ὑπάρχει) contingit, aliquid esse in affirmatione, uel nō cōtingit esse aliquod prædicatum: Boethius id uerbum. est. & non est. conuertit quod & si uerum possit esse, tamē cū de enunciatione simplici cōi loquatur, potestate affirmationē continētem et negationem, propterea dictū existimo. Enunciatio est uox significatiua de eo quod contingit uel non contingit aliquid esse, uel fuisse uel futurum esse. quemadmodū tēpora diuisa sunt in præsens præteritum & futurū. Animaduerte Ari. usum fuisse terminis transcendentibus, siue cōmunibus, alicuius de aliquo siue alicuius ab aliquo, ut notionibus, non prædicatis de subiecto, quæ adhuc erāt ignota, in libro priorum noscenda. Quęritur si unius rei una est definitio: non uere igitur hic enunciationem, per affirmationem & negationē, supra uero per uerum & falsum finiuit. Item nullum genus prius, per species posteriores, secundū essentiā declaratur. Ad hæc Ammonius & alii omnes Alex. responsionē adducunt. quod genus uniuocū habens unam naturam communem, quam proprie explicat definitio, per suas species non finitur: analogum uero uacans illa natura communi, a suis speciebus secundū essentiam explicatur. Contra, nā licet hoc detur, genus analogum communi natura uacare, non tamen caret ordine, quem, una species collata & relata ad alterā habet, a quo septimo metaph. secundo, duodecimo metaph, secundo, ratio analogorum desumitur. Præterea Ammon. arguit ex definitionib' adhibitis affirmationis & negationis patere,

tere, enunciationem ut uocem significatiuam a positione tanquam commune genus ab utrisq; significari. non ergo per solas species definitur. Item differentiam, in qua uerũ aut falsum sit, utræq; participant, licet (ut nos retulimus) in affirmatione & negatione nõ nisi ut una species in cõmuni ratione ad alteram conferatur. Nec secundo dicendum ut Boethius. simul Arist. diuidere & definire, quoniam ut S. Tho. refellit, quæ præter affirmationem & negationem, idest esse & non esse, ut differentias relinquuntur, non sunt nisi uox significatiua, quæ definitio perfecta non est. sed genus dumtaxat, nisi præter uerba textus asseres omnia quæ superius enunciationi secundũ essentiam competunt, per has duas dictiones intelligi. sed ita etiam intellecta definitio, non uocatur, ut supra iam multa ostendimus. Nec tertio uerũ est, ut Boethius. S. Tho. & Suessa dixerunt. hic enunciationem nõ definire, sed tãtum illam diuidere. quoniam Auer. ait. {Iamq; describitur etiam simplex.} Præterea Aristo. uerba definitionem ostendunt cum dicitur {enunciatio est uox significatiua.} Sed ad hæc aliquis diceret Arist. & Auerroem hic definitionem enunciationis in communi non assignare, sed simplicis, quæ enunciationis in communi (in qua uerum aut falsum est) species dicitur. & Commen. non asserit, enunciationem in communi secundo describi sed simplicem. ait enim. (Iamq; describitur etiam simplex.) & dicit etiã describi, idest declarari. non solum quando diuiditur per speciem, sed nunc iam, idest nouissime per genus & species: uel etiam describitur, idest sicut enunciatio una descripta est, sic etiam & simplex, quasi dicat, iam, idest postremo etiam simplex describitur. Tertia autẽ ratio dictæ ad hoc infirmandum refertur. quoniam primo priorum primo: primo priorum. 13. enunciatio est contradictionis utraq; pars, & syllogistica propositio, simpliciter quidem affirmatio uel negatio alicuius de aliquo uel ab aliquo. Sed forte ad hoc etiam diceretur, affirmationem & negationem species per se ac proximas enunciationis simplicis esse, & enunciationem in communi non nisi ut in unam & primam siue simplicem distribuitur. nam ita primo priorum & poster. Arist. loquitur, ut propositio & enunciatio sit præmissa. quæ oratio una, unum de uno significans appellatur: ita mota dubitatio hic inquirenda non esset, sed primo poster. & priorum. responsio tamen eadem erit. Suessa postremo respondet defendens Alex. Definitionem enũciationis superius traditam a priori fuisse, hoc est a speciebus per uera uel falsa quæ intellectui competunt. hic uero a posterioribus speciebus, quæ rebus conueniunt, per esse uel non esse. Sed pero ego ubi tradita est definitio a priori; Dices; cum ait est oratio significans a positione. Sed contra, quoniam illa cõmunis orationis est definitio, nõ enunciationis propria nuncupatur sed propria (qualis debet esse definitio primo top. quarto) illa est {orotio significans a positione, non omnis: sed in qua uerum uel falsum est:} hæc aũt, ut ipse ẽt confitetur, a posterioribus sumitur speciebus, uel proprio, ut supra tetigimus. Præterea quomodo hæc a rebus est, illa uero superius tradita ex uero & falso quę intellectui cõpetũt? nam hic enunciatio explicatur q uox significãs sit, de eo quod est aliquid, idest per affirmationẽ, in qua hoc subiectum esse prędicatum ostenditur, affirmatio autẽ & negatio sicut uerum & falsum, sexto meta. octauo, in mente consistunt: ut supra monstrauimus. Item extra animã affirmatio opposita negationi non inuenitur, ut Cõmen. hic dicit. Itaq; diuisio hic ab Arist. tradita per species est. unde dicit. (Alicuius de aliquo uel ab aliquo) describens per affirmationem eã in qua, medio actu uerbi, prædicatum subiecto coniungitur, & in negatione, media priuatione actus eiusdem uerbi, disiungitur. Sed cõtra, quoniã ambæ descriptiones sunt per species. prima per speciẽ ueram, & falsam: quæ nosupra enunciationis proprium cum Amm. affirmauimus. secunda per affirmatiuam & negatiuã. Sed Suessa totũ hoc confitetur, uocat enim has duas definitiones a posterioribus sumptas. aliam autem a priori esse fatetur, quam non explicat. Secundo arguitur. quoniam sexto top. quarto definitio a posteriori non datur, sed priori tantum genere, & differentia, illa a posteriori descriptio nuncupatur: quod de uera definitione conceditur. His omnibus responsionibus infirmatis respondetur. definitionem non esse, sed declarationem quid nominis: quam etiam solutionem Ammonius tetigit, inquiens q supra definitionẽ exposuit, cum ait: (est autem enunciatio in qua uerum uel falsum est.) nunc autẽ diuiditur hæc est eius respõsio prima, quã diuus Tho. & Suessa sequũtur, & nos refellimus. Secundam uero responsionem adducens dicit, uel nunc notionis rationem exponere ac de sumere. hisdem uerbis Auerroes utitur primo post. 13. ubi nec ut ueram definitionem nec descriptionem: sed tantum ut notionem sumptam esse fatetur quod alij non uiderũt, uel omiserunt: hanc autem non inconuenit per species assignari. Addit tamen quidam primam definitionem per ueram, & falsam speciem esse, quod superius improbauimus, secundam per affirmationem & negationem. ita nõ per propria: sed per actum uerbi iungentem prædicatum subiecto uel a subiecto negantem: quæ uel causæ, ut forma affirmationis & negationis dicitur: uel differẽtiæ, ut S. Tho. & Porphyr. forte dixerunt. Secundo addit. primam speciem ueram uel falsam pendere ex secunda: quoniam enunciare uerum aut falsum non possumus, nisi per esse aut nõ esse. quæ per affirmationem & negationem significantur. Sed cõtra hoc ultimo additum, dubium arduũ est. Diuisum communius & prius est diuidentibus, quam obrẽ a posterioribus & minus communibus necessario præsupponitur: Enunciatio uero in qua uerũ aut falsum est, ut Arist. & Commen. asseruit: primum in unã & plures: una uero in unam simpliciter & coniunctione unam: simpliciter autem una in affirmationem & negationẽ diuiditur. quare & affirmatio & negatio alias enunciationes priores cũ uero & falso supponũt. Præterea ex actu uerbi constare, orationi perfectæ primum, inquantum oratio est, competit: similiter omnem enunciationem necesse est ex uerbo esse, uel casu uerbi, quod conuenit orationibus unis & aliis prioribus affirmatione & negatione. Verbũ igitur quod affirmationi & negationi tribuitur, nõ per se primo, sed quatenus oratio, competit uel enunciatio una. & simplex: quibus unum prædicatum, dicitur de uno subiecto. actus uero uerbi unum prædicatum in uno subiecto coniungens, aut affirmando aut negãdo, per eius priuationem asseritur. Amplius inf. Aristo. indicabit, affirmationem uerã cum falsa negatione pugnare, & ecõtrario, propterea q enunciant esse, uel inesse quod non inest &c. uel inesse quod inest, uel non inesse quod non inest: Affirmatio & negatio igitur ad ueras & falsas enunciationes (quas necessario præsupponunt) tanquam ad priores referri dicuntur per proportionem ad rem cõceptam, a qua ueritas & falsitas enunciationis depẽdet & ita affirmationis & negationis, nisi dicas enũciationem dici ueram uel falsam, tanquam a finibus oppositis, quos nõ significat, nisi per suas species affirmationem & negationem, sicut per illas finitione quid nominis declaratur.

TEX. BOETHII.

Quoniam autem enũciare est, & quod est, non esse: et quod non est, esse: & quod est, esse: & quod non est, non esse: & circa ea quæ extra præsens tempus sunt. Similiter omne utique contingit quod quis affirmauerit, negare: & quod quis negauerit, affirmare. Quare manifestum est quoniam omni affirmationi ; opposita

est negatio: et omni negationi, affirmatio. Et sit hoc contradictio, affirmatio & negatio opposita.

Quoniam autem enuntiare est, & quod est, nõ esse, & quòd non est, esse. & quod est esse: & quod non est non esse: & circa ea quæ extra præsens tempus sunt: similiter omne utique quod quis affirmauerit, negare & quod quis negauerit affirmare: quare manifestum est quoniam omni affirmationi opposita est negatio, & omni negationi affirmatio. Et sit hoc contradictio, affirmatio & negatio opposita.

Ammonius intentionem proponens ait, Aristo. finitionem uelle tradere cõtradictionis: quam dicet esse pugnã, siue oppositionem affirmationis, & negationis quæ uerũ & falsum perpetuo diuidunt: ut altera uera sit. altera falsa, & econtrario. Ad hoc autem explicandum, ex necessitate sumendũ, falsam negationem cum uera affirmatione pugnare, & contra. octauo topic. primo: & in postprædicamentis quæ enim contradictorie aduersantur, opponi necesse est. itaq; primũ, ita se habere affirmationẽ & negationẽ ostendit. hæc definitio contradictionis ab Arist. per uiam exẽpli & differentiæ, in postprædicamẽtis octaua differentia traditur cum ait { quæcunq; uero tãquam affirmatio & negatio opposita sunt, palã est, quod nullo prædictorum modorum opposita sunt. in solis enim his, necesse est semper aliud quidem eorum esse uerũ, aliud autem falsum. } Huic expositioni addendum existimo. Postquam enim illa finiuit quæ ponẽda in proœmio constituerat, & nouissime affirmationẽ & negationẽ aperuit: de conditionibus, dispositionibus & qualitatibus nũc oppositæ affirmationis, & negationis, tractare proponit. De qua (ut communi oppositione singulis speciebus) de quibus infra dicendũ (contrariis & subcontrariis & uere contradictoriis) anteponendum necessario fuit: omni affirmationi oppositã esse negationem & è contrario: simili ratione quia uera uel falsa affirmatio uel negatio uniuersis conueniũt oppositionibus: propterea ab his tanquam communioribus inchoat: quæ etiam ab oratione affirmatiua & negatiua præsupponuntur: & tãquã fines ac propria opera & causæ explicantur, quoniam (ut monstrauimus) opponi cõtradictorie, supponit ante cognoscendum, oppositum esse circa uerum & falsum; hoc est esse & non esse, idest cum inest, uel non: ut inferius Arist. se declarat, nam ueritas orationis & oppositionum in anima, ut Comm. affirmat, ex oppositione extra animam pendet: qua de causa, Ammonius asserit (& ut hoc ita se habere (quod opponantur) duas oppositiones capit, unam a rebus, alteram a nostra de rebus diiudicatione:) Sed contra hæc ex Auerroe quispiam arguet: quoniam non inuenitur (loquit Auer.) in rebus, secundũ quod sunt extra animam affirmatio opposita uel negatio: sed cõsideratio in affirmatione & negatione secundũ quod ipsæ sunt in anima. Item ex Ari. confirmatur. in postprædicamentis capit. de oppositis, differentia, apud Auerroem, quinta: ubi oppositiones sumptas a rebus, affirmationes & negationes non uocat, quoniã orationon sunt. Arist. autem hic de enunciatione affirmatiua & negatiua oppositionem considerat, (quam etiã ipse Ammonius cõfitetur) in complexu prædicati cum subiecto spectari. Ad hoc dicendum cum Arist. in postprædicamẽtis, differentia quinta: quod & si quæ affirmationi subiacent & negationi, uera affirmatio & negatio esse negẽtur similia tamen (proportione quadam) affirmationi & negationi dicuntur, ut sedet & non sedet, ita sedere & nõ sedere, quæ subiacent. Et ab Ammonio non asseritur oppositionem affirmatiuam & negatiuam cum cõplexu prædicati, & subiecti, in rebus extra animã inueniri: sed unã a rebus, tanquam causis ueritatis, & falsitatis, spectari: cũ affirmatio dicitur illis inesse, & negatio non inesse: tunc uero a nostra sententia & diiudicatione: cum ita dici, sentiri, ac pronunciari commonstrat. Explicans igitur Arist. (figura quadam, & productis exẽplis, & inductione, ac syllogismo exposito & cõcesso) omni affirmationi oppositam esse negationem, itidem omni negationi affirmationem, quæ manifestanda conclusio est, & tunc tanquam finitis præcognita quattuor communissimas species oppositionum præponit, quæ duas oppositiones efficiunt. Primum a falsa negatione: secundo a falsa affirmatione: tertio ab affirmatione uera, opposita negationi falsæ; quarto a negatione uera opposita affirmationi falsæ. De prima dicit. {quoniam enunciare contingit quod est non esse} id est iudicãdo prædicatum quod extra animam inest subiecto & uere, non inesse; ut Socrates non est iustus, uel homo non est disciplinæ capax. de secunda ait; { & quod nõ est esse} idest falsæ pronuncians hominem esse lapidem; uel Socra. est iniustus. de tertia inquit} & quod est esse.} ut homo est animal rationale: Socra. est iustus: pe quarta nouissime { & quod non est, non esse} ut homo nõ est lignum: Socra. non est iniustus, ne in rebus necessariis exẽpla ponantur. Ex his patet duas propositiones ueras, duas uero falsas. Similiter secundo ponit tanquam confessum. quod contingat negare omne, quod quis affirmauerit, quod positum, minor siue assumptio syllogismi est, hũc in modum. omne quod negat ac destruit aliquid, opponitur aduersaturq; illi quod cõstruit. minor in textu ex productis exemplis in quattuor propositionibus ueris & falsis, affirmatiuis & negatiuis: & similiter, quasi dicat, inductione in singulis siue omnibus facta. contingit omne destruere, priuare. & negare quod quispiã affirmauerit: & uice uersa: quare conclusio manifeste sequetur; quoniam omni affirmationi opposita est negatio & contra. Quæres, cur in numerandis affirmationibus & negationibus ueris falsisq; a negatiua falsa, inde ab affirmatiua inchoauit? in ponẽdis autem oppositis ueris, primum ab affirmatiua, posterius uero a negatiua? Ammonius quẽ sequitur S. Tho. respondet Arist. a deterioribus inchoasse ad meliora, quoniam (ait) negatio inferior per se affirmatione est, ut quæ illi collata priuationis habet rationem. Responsio uerum dicit, sed causam non explicat. Item ut initio monstrauimus, hæc ordinis ratio per accidens est. nam sæpe a posterioribus rebus orditur, a cœlo & sensu usus &c. per se autem ratio est, a notioribus, & necessariis aliquando inchoare, ut in proœmio tetigi, cur negationem affirmationi antẽposuerit. Similiter hic etiam dicimus, quod hac de causa negationem & falsam, affirmatiuæ ueræ præposuit, quod in oppositione siue pugna efficiẽda, quæ ex affirmatione & negatione consistit, ac definitur, quæq; in priuando ac aliquid destruẽdo maxime fit, negatio potissimum locũ ac uim habere dignoscitur. hinc sæpe unum oppositum cum negatione, procensum, positum, alterum quodãmodo palam facit: ut longioribus, huius libri initio explicauimus: negatio igitur falsa priuans ac destruens (qua ratione oppositio constituitur) ut notius oppositionem efficiens, quam affirmatio iure præponitur. Animaduertas ratiocinationem quam diximus, non proprie exempli uim ac rationem habere, quoniã nõ ab uno uel pluribus particularibus ad particulare procedimus, ut in exempli ratione contingit, primo rhetor quarto, secundo prior. 24. primo top. decimo, nec a particulari uno uel pluribus ad uniuersale inferendum refertur, ut in ipsa inductione perspicuum est, sed proprie syllogismus ex hypothesi ad conclusionem non ignotam simpliciter & per se. cum in postprædicamentis tãquam per se notum ad sensum ponatur, ac opinatum, negationem affirmationi opposita esse, cũ ait. { dicitur autem alterum alteri opponi quattuor modis &c. } quod ex uerbo (quo in conclusione illata Arist. utitur)

utitur)est intelligitur.nam ait:{quare manifestum est etc.) sed syllogismus ex hypothesi inchoantibus, nondū artem & artis principia expertis & inassuetis in arte, per se notū ac quodammodo ignotum commonstrat. hic autem syllogismus ex hypothesi, cum sit potentia cathegoricus, idcirco secundum cathegorici formam effectus est. & sicut minor syllogismi in particularibus propositionibus, et uniuersatum etiam in singulis, fuit ab Ari. explicata & exemplo, uel inductione explicasse prædiximus. his enim uiis ac instrumentis præmissæ syllogismi cōmōstrantur, sexto ethic. quarto, primo poster. 44. & in magno commen. 181. Quærit Suessa quot sunt materiæ, ex quibus ex parte rerum, enunciationes oēs, & hinc oppositiones in enunciationibus ueris, falsisq; sumuntur? Respōdet duas esse, ad quas omnes aliæ reducuntur: de inesse ex relatu prædicati, quod actu inest subiecto, uel non inest, ut homo est animal, homo non est equus. uel de contingenti inesse, quatenus prædicatum non actu, sed potestate subiecto inesse significatur, ex parte similiter nostri affirmatio & negatio sumuntur, ac uocatur, ex parte uero rerum duæ dictæ materiæ nuncupantur esse, & non esse. Sed multis in rebus errat Suessa. Primum in Ari. peccat, qui secundo huius cap. 2. primo priorum quarto. 14. 18. 14. quæsito tertio posteriorístico, materiam enunciationum ac propositionum tribus modis distribuit, de inesse, de necessitate inesse, & cō tingente inesse: non igitur duæ tantum, sed tres materiæ distinguendæ: Item est error in exemplis. nam homo est animal, & homo non est lapis. necessariæ, nō de inesse uocantur: de inesse enim primo priorum quarto, non necessariæ appellantur. Præterea in maximo errore uersatur, non explicans nec intelligens de quibus materiis siue enunciationibus, in prædictis uerbis tractetur. nam de contingentibus, quo nam modo opponantur circa affirmationē & negationem, & circa ueritatem ac falsitatem se habeāt secundo lib. perihe. cap. secundo dicetur, non hic. Amplius plena mendacii explicatio est, utranq; materiam de inesse & de contingenti, per illa uerba significans, quæ Ari. protulit (esse, scilicet & non esse.) quoniam per utrunq; affirmationem & negationem eius prædicati quod actu inest, uel non inest subiecto, intellexit: ut se, paulum infra declarat, cum dicit. {necesse est autem enunciare cum inesse aliquid aut non &c.} & Arist. ratione approbatur: quoniam de his propositionibus loquitur hic, quarum oppositio in ueritate & falsitate, affirmatione et negatione, est penes esse & non esse, quod est uel non est: hoc autem, quod est, Commen. intelligit, existens extra animam: & Ari. explicat (quod est, esse: aut quod non est, non esse) & infra dicetur (quod inest uel non inest, actu intellige) nam uerbum secundo adiacens, significat existentiam, quodq; proprie extra animam inuenitur. nam contingens dicitur, cuius natura accidens est, non actu extra animam hærens subiecto, sed potestate duntaxat, nec actu intelligi potest nisi per animam, duodecimo metap. 14. Oppositio autem propositionum contingentium, ac aliarum quæ proferuntur cum modo, non penes esse & non esse, idest uerbum affirmatum, sed penes modum sumetur. De contingentibus igitur sermo præsens Aristo. non intelligitur, nisi ut in ratione communi oppositionis affirmationis & negationis conueniunt, & quod contingit negare, contingat etiā affirmare, non tamen esse, quod non est, uel non esse quod est, & esse quod est, & non esse quod non est, sic materia necessaria, nō alia ratione in dictis uerbis concluditur, nisi quatenus cum materia & propositione de inesse conuenit ut prędicatum actu inest subiecto. licet, ut eius negatio et oppositio penes modum desumitur, ad secundum librum pertineat. Obicies, Infra cap. sexto, apud Auer. de contingentibus dissent. inquiens (de futuris contingentibus &c.) dicas non per se contingentium futurorum hoc in libro Arist. meminisse neq; ipsorum oppositionem, circa affirmationem & negationem tractasse, sed per accidens, per ipsorum futurorum contingentium naturam (in quibus penes esse & nō esse actu, determinata ueritas nō spectatur) in propositionibus de inesse, quæ in his quæ sunt uel facta sunt, suapte natura uerantur, perspicuum fiat. necesse esse affirmationem ueram esse uel falsam, quatenus, penes esse aut non esse sumuntur. quod ita esse in futuris contingentibus non deprehenditur. Ex eisdem ergo uerbis, quæ illi ex Arist. attulerunt, errorem ipsorum ratione depello. Nam in quolibet uera est affirmatio, uel negatio: itaq; necessario omne erit possibile, uel non possibile, necessarium, uel non necessarium esse, uel non esse. Si Arist. ergo asserit, de futuris contingentibus non determinate affirmationem uel negationem ueram esse, uel falsam: non de ipsorum affirmatione, & negatione propria loquebatur, sed ea quæ ab esse & nō esse desumitur, ut clare ab eodem Arist. & hoc primo libro, & secundo monstrabitur. Tres ergo materiæ omnium enunciationum ponendæ, de inesse, de necessitate inesse, & contingere inesse ue locis supra citatis, ab Auerroe notator. de inesse, quod non necessarium dicitur, cuius natura accidēs est, actu inherens subiecto. necessarium, quod per se primo uel secū do modo dicendi per se subiecto proprio conuenit. contingens quod non actu, sed potestate inest. hoc primo libro de inesse. proprie consideratur: de duobus uero aliis in secundo. {Et sit hoc contradictio, affirmatio & negatio oppositæ.} Suessa connectit, quid sit oppositio declarauit, nunc quid sit contradictio explicat, ut sit oppositio affirmationis, & negationis. Sed licet hæc quid nominis declaratio, tanquam uera ponatur, hanc tamē interpretationem Arist. non intendit: quoniam non affirmat: contradictio est oppositio affirmationis, & negationis: sed ait contradictio sit, & uocetur ipsa affirmatio & negatio oppositæ, quasi dicat, affirmatio & negatio oppositæ, idest quas oppositas esse monstrauimus, sit, uoceturq; nouato nomine contradictio, ut recte Amm. & S. Tho. intelligūt. Item falsum est quid oppositio sit Aristo. declarasse: nam quod affirmatio & negatio opponerētur, nō quid esset oppositio, superius indicauit: propterea melius dicitur, cum supra monstrauit omnem affirmationem negationi, & è contrario, oppositam esse, nunc nomen ex rei proprietate dedisse. Si enim ita mutuo opponuntur, ut se negent, priuent, ac destruant, seq; destruentia indicent, ac explicent: merito ergo affirmatio & negatio in hunc modum oppositæ: contradictio, hoc est, oppositio dicens cōtra pugnantia, ac se destruentia nuncupetur.

TEX. BOETHII.

Dico autem opponi, eiusdem de eodem: non autem æquiuocè, & quecunque cetera talium contra sophisticas determinauimus importunitates.

Dico autem opponi eiusdem de eodem, non ambigue & quecunque cetera talium contra sophisticas determinauimus importunitates.

Ammonius & Auerroes uolunt Arist. declarare quando affirmatio & negatio sint oppositæ, ut ex illis contradictio constitui possit: quum. s. aliquid prædicatum idem secundum unam intentionē omnibus ex partibus ac modis de eodē subiecto omnibus ex partibus ac modis etiā dicitur. Explicans aūt Ari. quo modo prędicatū ac subiectum dicatur, ait. {Nō aūt æquiuocè:} sed adde ex ipsomet supra

& infra,{sed secundum rem.}Nam affirmatio & negatio ut enunciatio una, unum secundum rem prædicatum de uno subiecto declarat: unum autem, in secundo huius exprimitur non secundum nomen,sed rem: Ita enim in primo elenchorũ quarto uel quinto, & in secundo cap. octauo,uel quinto Arist.asserit,elenchum, idest syllogismum contradictionis esse, ex cuius conditionibus uniuersæ fallaciæ peccare ac fallere cognoscuntur: ad hæc breuitatis causa cæteras tales conditiones adiungit,quas non explicat,idest id genus, ac similes,quas in primo & secũdo elẽchorum determinauit. Nam(ut doctè hic.S.Tho. notauit) contradictio, ut oppositio,circa idem, & in eodem uersatur: adde non secundum uocem,sed secundũ rẽ: quatenus una enunciatio dicitur: non quasi opposita secundũ affirmationem,& negationem eidem uelle dicuntur, secundo elenchorum octauo,uel quinto,sed idem quod omnino affirmatur, idem re,non nomine tantum,negetur:ad easdem partes,modum,tempus,locum aliaq; externa collatum,quę habes in Arist.primo elenchorum & secundo, locis supra relatis, & hic a diuo Thoma,& Ammonio, ac Suessa. Petit Ammonius, cum in elẽchis tredecim modos numero explicauerit,sex in dictione, & septem extra dictionem,cur unius tãtum meminerit, scilicet æquiuocationis? Respondet,quoniam tempestiuum non erat. Sed licet solutio uera sit,rationem tamen non affert. Dicas, ex notioribus docere Arist.ac arte, consueuisse: æquiuocum autem notum iam erat in prædicamentis. propterea per eius negationem, ut per oppositum,alterum declarauit .s. idem esse re. Cæteræ uero conditiones in libro elenchorum sunt declarandæ,quas uno hic uerbo intelligi uoluit, dicens{& quæcunq; cætera talium &c.} & in libris elenchorum, cum elenchum syllogismum contradictionis declarat primo elenchorum quarto, & secũdum quid, & simpliciter ex defectu elẽchi.2.eiusdem.cap.octauo. Animaduertas ex Ammonij uerbis,sex modos ad dictionem spectantes, ad locutionem pertinere: septem uerò extra dictionem,ad sententiam. Contra quæ aliquis dubitabit: nõne fallaciæ extra dictiones sunt syllogismi? ergo & oratio in uoce: ergo non in sententia tantum consistunt. Prętera in oratione,amphibologiæ, diuisionis, & compositionis,nonne falsæ sentẽtiæ explicantur,sicut in his, quæ extra dictionem dicuntur? Vtraq; igitur fallacia ad locutionem & sententiam põt.referri. Ad hæc diceretur,ut fortè in elenchis dicetur,ex Arist.& Auer. primo elenchorũ sexto uel quinto: ꝙ in his, quæ secundũ dictionem sunt, hic locus ponendus est: primum quidem quoniam magis deceptio fit in his qui cum aliis cõsiderant, quam qui per seipsos. Nam quæ cum alio est consideratio. per orationes: quæ autẽ per seipsos,nõ minus per ipsam rem. quæ uerba in hunc modum Auerroes explicat: quod apparet nobis: primo ꝙ fallacia accidat nobis, est propter dictiones,licet appareat etiam casus erroris propter res fallentes, quæ numeratæ sunt: ꝙ autem primo fallacia accidat nobis propter dictionem,ex uerbis Arist. approbat dicit, & hoc quia causa erroris,qui fit propter cõtrouersiam aduersarii,& auditum eius, est fallacia illorum locorum dictionalium: causa autem erroris qui fit circa id quod considerat homo in se, sunt illa descripta,extra dictionem,scilicet. Quæres an considerationi quam facit rerum, in se, accidat fallacia propter dictiones? Respõdet quidem posse contingere dicẽs (licet accidat tã apud consideratione fallacia propter dictiones,& hoc quãdo homo ualde meditatur, quod disputat secum ipse,sicut facere cum illo,cũ quo litigat, & imaginatur dictiones cum rebus.) ex uerbis his collige,fallaciam in dictione propterea sic uocari, ꝙ fallacia,ac error primum per dictiones cõtingit,quoniã per illas ratiocinamur, consideramusq; cũ aliis per orationes, ac dictiones: licet appareat etiam error ex rebus: non tamen magis,ac primo,sed secundo. similiter fallaciæ,quę extra dictionem cõsistunt,magis uel non minus saltem, fallaciam,ac errorem efficiunt,& primum per ipsam rem (quam sophistæ per se ipsos considerant) licet contingat, & secundariò euenire aliquando posse, rem considerantem per dictiones errare, ac decipi. Ex declaratis facile uerba Ammonij explicãtur:nam cum sex modi in dictione consistant, quibus primum & proprie cum aliis loquitur, ad locutionem pertinere dicuntur: septem uerò modi alij, quia sunt in rebus, quas per nos ipsos cõsideramus, ac sentimus, ad sententiam attinent, quia sensum ac cognitionem per nos ipsos percipimus. In hoc autem dissentio ab Ammonio,ꝙ dicit, unius tantum meminisse modi,qui est ab æquiuocatione,quoniam hic contradictionis oppositio explicatur, per quam syllogismus elenchus describitur: est enim syllogismus contradictionis, primo elenchorum quarto uel quinto, secundo elenchorum octauo,elenchus autem paralogismus extra dictionem uocatur: sumendus ergo erit, ut sit eiusdem prædicati de eodem omnibus modis subiecto, scilicet, secundum rem,non nomen. Præterea cum Aristo.ait:{Dico autem opponi eiusdem de eodem, non autem æquiuocè} per oppositum, re ipsa idem prædicatum dici de eodem re subiecto,monstrauit. Eius ergo modi hic Aristo. meminit,ad quem oppositum cum negatione prolatum refertur: uerum idem esse subiectum & prædicatum non æquiuoce,ad rem ipsam refertur, ut ex locis superius adductis monstrauimus. Modi ergo extra dictionem hic meminit, per negationem modi in dictione monstrati, non in dictione ex ęquiuocatione desumpti. Implicitè tamen omnes modi fallaciæ innuuntur, qui ex oppositione cõtradictoria diluuntur:nã ut Auerroes capite quarto uel quinto,sumens ab Aristo. ait, uniuersaliter causa fallaciæ in istis locis sunt pręmissę cum pauca perceptione differentię, quæ sit inter quid sit diuisum, idest diuersum, & idẽ dum illud quod diuisum ac diuersum est, tanquam idem assumit. Item modi redarguendi (qui per affirmationem & negationem, idest contradictionem fieri asseruntur) sunt duo: alii quidem sunt secundum dictionem, alij uerò extra dictionem. Omnes ergo modi fallacię in dictis uerbis clauduntur. In uerbis notandum, circa sophisticas importunitates:nam cum sophistæ primo elẽchorum tertio & decimo, maxime uideri redarguere cupiant, idcirco iniustisq; contentionibus tentantes,omnia faciunt: rixæ amici, se ad apparentem uictoriam, & opinatã sapientiam,conturbandos animos,nunquam quiescentes,impudentes,calumniis interrogantes, permutatis interrogationibus positis quod est importuni, ac nunquam portũ & quietem habentis opus. Quatenus autem his uijs apparẽtem sapientiam appetit,sophista uocatur, primo elenchorum decimo,quoniam(dixi) importunos sophistas maximè cupere, uideri redarguisse, quod per elenchum syllogismum assequi se posse opinantur, qui syllogismus cõtradictionis,siue contradicens syllogismus appellatur a fine,non quia concludat unam cõtradictionis partẽ, quod negatiuus syllogismus efficit, neq; ꝙ ambas, quoniã ita topicus esset: sed propterea ꝙ.secundo priorum decimo nono,aduersarium ducimus ad asserendum conclusionẽ contradictoriam siue contradicentem positi, & ante concessi: uel (quod idem est) ad dandam totam contradictionem, concessum, scilicet quod erat affirmatio,& cõclusum quod forte erat negatio,aut è contrario,fieret. Sed hæc,ut ad librum elenchorum spectantia, relinquantur, neq; hic ex necessitate dicta sumantur.

SECTIO SECVNDA, DE PRAEDICATIS, & subiectis enunciationis. Cap. V.

TEX. BOETHII.

QVoniam autem sunt hec quidem rerum uniuersalia, illa uero singularia. Dico autem uniuersale, quod in pluribus prædicari natum est: singulare uero quod non: ut homo quidem uniuersale est: Callias uerò eorum, quæ sunt singularia.

QVoniam autem sunt hec quidem rerum uniuersales, hec autem singulæ. Dico autem uniuersale quod est aptum natura de pluribus prædicari. Singulare autem quod non: ut homo quidem uniuersalium est, Callias uero singularium.

CLarè & breuiter Comme. affirmat, Arist. hic secundam enunciationis differentiam assignare in uniuersalem, & particularem, hoc est, singularem, siue in uniuersam, & particularem, idest singulam. Nam prima differentia assignata est in affirmantem & negantem. Et quoniam enunciatio uniuersalis & ex subiecto & prædicato desumitur uniuersali, propterea res uniuersales partitur: non quatenus extra animæ operationem consistunt, sed ut collatione rationis cognitæ sunt, & res notitia factæ, ac ad alterũ actu collatæ dicuntur. propterea Com. ait, ꝙ intentiones sũt duobus modis, uniuersalis, & particularis. i. singularis, ut particulare sumatur, nõ ꝙ eandẽ uim habeat cũ indefinito, sed pro particulari, quod singulũ appellatur. Icirco Com. adiunxit. i. singularis. Ait ergo. {Quoniam aũt sunt rerũ hæc uniuersæ, illæ. i. alteræ singulæ.} Dixit. {Quoniã} quia ex rebus singularibus, & uniuersalibus ista differẽtia sumitur. {Dico aũt uniuersale ꝙ} explicat rationem ipsorũ quid nominis, dicens, {uniuersale est quod aptum, siue idoneum natura est de pluribus prædicari: singulare autem, quod nõ.} Quæres ad cuius differentiam ponitur, esse prædicatum idoneum, siue aptum natura? Respondet Ammonius, ꝙ ab iis discernit; quæ æquiuoce prædicãtur, secundum uocem duntaxat, a positione dictam, non ipsa natura una, quam uox ambigua denotet. Contra dices ꝙ uniuersale ut subiectum & prædicatum, nomen uocatur, uox ergo est a positione significans. Dicas utrunq; nomen esse a positione: sed uniuersale significans naturam & formam unam quæ principium uniuersalis dicitur, primo cęli, 92. a qua est aptitudo, quatenus in ea illa conueniũt, de quibus apta sit prędicari: æquiuocum uero nomen, tantũ uocem habet communem, nullam unam naturam, ac formam significans: quod tanquam omnibus apertum linquatur. Hæc responsio Ammonii uera est: mihi tamen uidetur, differentiam ab Aris. statim in uerbis subsequentibus assignari, cum ait, {singulare uero quod non:} intelligas, idoneum est natura et forma de pluribus prædicari. Negatiua enim illa particula {non} utrunq; necessario destruit, unum tanquam causam, ut formam, alterũ ut effectum, a forma necessario consequentem. Nam forma (ut prædiximus) principium est uniuersalitatis, ut dicunt, singulare uero, unam tantum materiam, & formam signatã terminatis accidentibus, indicat: Non ergo idoneum erit natura, qua de pluribus prædicetur. Hoc etiam ad id asserendum adducor, quod hic Ari. loquitur de enunciationibus unis et simplicibus, affirmatiuis, & negatiuis: æquiuocum ergo exclusum iam est, ex eo ꝙ non unum significat secundum rem, sed nomen duntaxat. Contra hanc solutiònem obiicies: differentia ab his sumitur, quæ aliquid idem sunt entia, hoc est, quę in aliquo communi conueniunt: cum igitur hic uniuersale describitur, tanquam prædicatum, quod de alio dicitur: ad horum ergo discrimen ponetur, quæ sunt prædicata, non tantum subiecta, cuiusmodi singularia esse dicemus. Alii facile obiectum diluerent, singulare prædicatum uocari de uno solo, & si nõ de pluribus. Sed additio contra Ari. est, in ante prædicamentis, ubi singularia affirmat neq; de subiecto aliquo prædicari. i. de nullo subiecto dicitur: similiter cap. de substantia. 7. met. 7. primo post. 4. 136. 10. met. 8. 4. met. 3. Instabis, primo top. 7. unũquodq; taliũ siue idẽ de seipso siue genus dicatur, quid est significat. Respondet ut ad uerba & Aris. sensum: idẽ de seipso. i. definitionẽ intelligi, quæ eadem est cũ definitio: de hac. n. in uerbis præcedentibus loquebatur. Addo ego obiectionẽ ex cap. 3. Com. & ult. sectione. (Bonum (inquit) est bonũ, uel non est bonũ: opinio & oppositio est uera de quolibet, secundum se, non autem, bonum est bonum, uel malum.) Dicas cum Auer. per bonum subiectum accidentis intelligi. i. ꝙ res est bona, uel nõ est bona: & similiter res est bona, uel mala. Subiectum autem diuersum est ab accidente. Primam secundum se opinionem & enunciationem appellat, nõ secundum se in primo modo dicendi per se, sed de omni, ac uniuersaliter ueram. De quolibet enim dicitur affirmatio, uel negatio. Non similiter est de contrariis affirmandum, quæ in postprædicamẽtis de subiecto proprio apto nato dicuntur, non omnibus, sed aliqua subiectorum parte. Qua de causa, quia secũdũ partem, per accidens, non secundũ se, omni subiecto conueniunt: ad principalem obiectionem dicendum, singularia cum uniuersalibus conuenire in re, ex qua oratio constituitur: inquit enim. {Rerum aliæ uniuersæ aliæ singulæ.} Vtrunq; enim res ipsæ concludunt: unũ tanquam sua natura idoneum prædicatum. reliquum uerò tanquam dictum maximè, & proprissime subiectum, in quo sunt & dicuntur omnia alia naturalia; prædicata. Hac de causa arbitror Arist. hanc secundã sectionem de subiectis & prædicatis enunciationum inscripsisse, quoniam ista primum describere, ac horum diuersitate, differentiam enunciationum assignare constituit, tanquam ex prædicato, & priuatione naturæ uniuersalis prædicati: quæ potius res diuersę, ꝙ differentes uocantur: ut habitus, & priuatio. Ex his unũ deducitur, non undequaq; uerum esse, quod cõiter expositores affirmant, enunciationẽ ex subiecto uniuersali & singulari desumere, prædicatum in his uerbis omittere. Nam quorsum hic uniuersale, tanquã naturale prædicatũ, ut de pluribus aptum est dici. descripsit? nisi ut ex illo quandoq; tanq̃ subiecto, aliquãdo tanq̃ suapte natura prædicato, oratio cõstituitur? Dices fortassis infra uniuersalibus, tanquã subiectis, non prædicatis, utitur: nam ait. {Necesse est autẽ enunciare cum inest aliquid, aut non: aliquando quidem alicui eorum, quæ uniuersalia sunt, aliquando quæ singularia sunt.} Et infra. {Dico aũt non uniuersaliter enunciare in his quæ uniuersalia sunt, ut homo est albus:} cũ enim uniuersale sit homo, ex eo tanquã subiecto oratio enunciatiua conflatur. Facile dicas cum Aris. qui se parũ infra declarat, ait enim. {In eo uero quod uniuersale prædicatur, id quod est uniuersaliter, prædicari non est uerum:} ubi fatetur, prædicatum, ut uniuersale, in aliquo prædicari, licet nunquam cũ uniuersali signo dicatur. Quandoq; ergo est subiectum, aliquando uerò uniuersale est prædicatum, sed signo uniuersali distributũ, nõ est nisi subiectum. Animaduertendũ est tamen, subiectũ uniuersale non esse, nisi quatenus idoneum natura, siue aptũ est de pluribus prædicari subiectum. n. dicitur, ut pars, & id de quo alterum dicitur primo priorũ primo. Postulabis cur uniuersale non definitur, ut de pluribus prædicatur per se, uel in quid? ut primo post. & top. describitur? Nã si uniuersale secũdũ formã, & naturã idoneũ est de pluribus prædicari: per se ergo: & in quid: cũ natura et forma intraneum essentia principium. 7. met. 35. & infra ponatur. Satisfieri potest, quoniã in libro post. prædicatum per se consideratur, ut secundũ essentiam conuenit subiecto: in lib. etiã topic. ut prædicatum in quid uel in quale: in libro prio. ut prædicatum in communi: sed in libro perihermenias, ut potestate continet omnia dicta. Et iccirco hic liber necessario præponendus est libro Porphyrii, in quo quinque uniuersalia speciali considerantur

ratione prædicati in quid, & in quale: nõ generali, ut universale in hoc libro describitur. Petes, cur non ita describitur. Vniversale est quod prædicatur de pluribus: sed, quod natum est de pluribus prædicari in libro autem priorum primo prædicatũ describitur, quod de alio dicitur: ita in primo post. quod in primo modo dicendi per se prędicatur: primo top. 4. genus quod de pluribus prædicatur. Aliqui dicunt, definitiones & propria, quæ actu inesse subiectis significantur, in aptitudine intelligendas fore, cũ Ari. secundo coeli. 108. id exẽplo terræ orbicularis, siue sphæricæ ostendente: cui esse orbicularem, siue sphæricum actu nõ convenit, sed natura, & aptitudine formæ. Quæ uera, & approbata a me responsio est. Sed cur hic aptitudinẽ, tribus autem locis superius annotatis, actum expresserit, ambigo. propterea superiori etiam data responsione, mihi nõ displicet dicere, quia in libro priorum, prædicatum describitur, ut certum habet in syllogismo situm: licet, ut terminus medius, quandoq; fiat, prædicatum, quandoq; subiectum: & hoc non nisi ratione, qua est totum, & universale, ut dicemus. Similiter in libro poster. quia necessariò & per se prædicata inesse subiectis dicuntur, iccirco insunt in actu. Ita in libro top. (ut pars definitionis, quæ actu convenit) prædicatum genus dicitur, non subiectum. Hic uerò universale describitur, ut potestate subiectum, & prędicatũ enunciationis complectitur. licet per se definitio, & secundum naturam cõveniat prædicato, præcipuè in actu: nam ex universali subiecto enũciationes distribuit in universales tantũ, nõ universaliter, & in universales universaliter. Qua de causa, ne quisquam obiiceret, universale cum subiectum sit enunciationis, non prædicatur: nõ ergo universale ponendum. quasi rationem opponens, unde de facilè obiectio diluatur, inquit, ꝙ & si nõ actu de subiecto dicatur, idoneum tamẽ est prędicari. Dubitãt hic quia res universales non dantur, quæ extra mentẽ cõsistant, primo meta. 31. septimo meta. 21. nec ad scientiam, nec generationem efficiẽdam relatæ: quæ autem ita consistunt, singularia sunt: secundæ. n. substantiæ, ac universalia prædicata in primis exsistũt. Ad hæc Cõmen. attẽdens, res non extra mentem, sed intentione ac intellectu comprehensas intelligit, ut illis secundò intellecta, seu secundæ intentiones attribuuntur, universalis & de pluribus prædicabilis, & particularis, idest singularis intellecti, sub ratione, qua universalis rõne privatur. Petit Auer. in quęsito proprio, quod fecit ad hunc textũ relatũ, an particulare possit finiri, siue describi? In partem falsam primũ sic arguit: si particularis sit definitio, illa naturam omnibus singularibus cõmunem significaret: hoc autem sic posito, particulare esset universale, in quo plura singularia convenirẽt, quemadmodũ in una specie plura individua. Hoc autẽ manifestè adversatur definitioni, quã hic Aris. assignavit {singulare uerò quod non tale sit, in quo plura conveniant.} Præterea si singulare posset finiri, ac naturã cõmunem significaret, unum specie, & plura numero diceretur: itaque quod particulare individuum dicitur, in plura numero dividi posset: tunc quæreretur de illis particularibus, in quæ alterum distributum asseritur: aut definitur, aut non: si sic, idem dicatur quod prius, & in infinitum procedetur. In partem ueram arguitur, quia si non definiretur, non esset differentiã assignare, qua ab universali differret. Item nihil in quid de individuo diceretur. Ex hac prima ratione, quod supra diximus contra Ammonium, confirmatur, universale (in eo ꝙ idoneũ est de pluribus prędicari) a singulari differre, quod non sit aptum de pluribus affirmari, & particulare differentiam continet, qua ab universali distinguitur: aliquid ergo habet, quod in quid de individuo dicitur. Nam primo top. quarto, quarto top. 14. differentia in quid de eo, cuius est differentia in quid de eo, cuius est differentia, prædicatur. Responsionem Auer. affert, quam hoc nostro etiã tempore communiter adducunt, quòd particulare, quatenus de pluribus prædicatur, nomen est ambiguum. i. æquivocũ, res diversas numero indicans. Contra dicit Auer. primũ quia si esset æquivocum, eius nõ esset definitio, uel descriptio, hæc enim substantiam, uel accidens, propria, & per se, ac terminata significata, atque prædicata significant, cuiusmodi non est æquivocũ. Item quia non esset aliquod prædicatum per se illi conveniens, quod eius essentiam explicaret: nam de æquivoco nihil per se dicitur, ut genus, uel differentia, quæ ab una natura, atq; forma sumũtur: æquivoci uerò tantum nomen commune ponitur, non natura, uel forma. Amplius nulla esset res, siue prædicatum, quod de omni, per se, & inquantum ipsum, siue sui ipsius, quatenus ipsum est, ratione, uerè de singulari, ut æquivoco, diceretur: nisi per accidens, hoc est. per partẽ: quatenus prędicatum, quod propriè parti tribuitur, per ipsam toti conveniet: ut cursus canis æquivocè cani competere dicitur latrãti per quem canis æquivocè sumptus, suscipere cursum asseritur. His responsionibus infirmatis, Auer. positis quibusdam respondet. primũ ponit, ipsius particularis esse aliquo modo attributum alicuius rei communitatis: quod attributum iccircò uocatur, quoniam sibi non secundum propriã formam tribuitur, sed ut confertur ad alterũ, cui propriè convenit. Qua de causa secundum quid, non simpliciter. & ex se tale uocatur. Deinde ponit: hoc particulare attributum privationẽ esse cõitatis, quæ ipsi inest universali: itaque particulare non definitur, nisi quia universalis communitate privatum est: huiusq; privationis sibi attributæ causa, definitionem habet privativam, quã Ari. explicavit per hoc (non aptum natura esse, prædicari) i. de pluribus. Sed postulabis: quod definitur, necessario debet intelligi mouere intellectum uel terminare: tale autẽ particulare non est, tertio de anima. 9. & 10. Ad hoc Cõ. respondet: particulare, quatenus extra animã ex suis terminatis quãtitatibus & qualitatibus constat, intelligi minime posse: sed quatenus esse privativum, & privatio cõmunitatis, quæ universali inest, sibi in intellectu sic existenti tribuitur: hac ratione particulare finitur, & intelligitur. Similia his tertio de anima. 9. & 10. ab Ari. & Auer. declarantur: particularia, ut particularia (quæ ut extra animi operationem consistunt, ita uocantur) per se non intelligi, nisi (ut retulimus) comparative, siue ad intellectum collata: a quo sub privatione universalis, illis attributa, cognosci dicuntur. Ex his declaratis, rationes in partem falsam adductæ, facile diluuntur: prima quidẽ cũ dicitur, definitio est universalis: & gratis conceditur, quia omne cuius est definitio, per se, & de omni definito conveniens, ipsum est aliquid cõe. & commune est universale: definitio igitur universalis necessario erit, ut prædicatum de omni, per se, & qua ipsum est, appellatur: sed universalis, tãquã res positiva nõ est: sed ut privatio universalis, ac habitus; quæ cũ sit pluribus rebus communis, universalis igitur erit: sicut habitus, cuius est privatio. Causam autẽ huius uitiosi argumenti hanc Auerroes affert, quòd particulare, quatenus extra animã est, ac secundum propriã, & singularẽ naturam consideratur: quam nec definiri, neq; intelligi, neq; universalem esse monstravimus, nisi ut illi privatio universalis tribuitur: itaque per alterius attributam privationem, non propriam naturam, finitur, intelligitur, ac universale uocatur. Hoc modo singulare hic ab Aris. definitur. Vniversale quod idoneum natura est de pluribus prędicari: singulare uerò quod non: hoc est, singulare uero, quod privatum est ista idonea, secundum naturã positivam, prædicatione, quę universali propriè competit. Nam supra de uerbo indefinito docuimus, negativam particulam additam uerbo, privationem actus uerbi significare. Itaque particulare, idest singulare est res, siue intentio, quæ non idonea est natura de pluribus prędicari: atq; hæc privatio universalis plusquã uni, idest pluribus

inest;

inest: & singulare, ut indiuiduum per se, extra animam, non communicatur, siue in aliquo communi nõ conuenit cum altero singulari. singularia uerò (si qua ratione cõueniunt) non nisi in priuatione uniuersalitatis. Auerroes in fine quæsiti concludit. Dubium tamen mittit, quoniam in antepraedicamento. 2. & cap. de substãtia. septimo met. septimo, indiuiduum substantiæ est quod proprissime, et principaliter, & maxime substantia dicitur, de qua alia, ut de primo subiecto dicuntur, aut sunt: singulare ergo primum subiectum dicetur, quod de nullo alio dicitur & omnia alia de ipso dicuntur. Inde sequentur pugnantia cũ his, quæ superius declarauimus, singulare uniuersale non esse, quoniam sic de aliquo, siue pluribus. diceretur. Dicas hoc ipsum quod est, non dici de aliquo, uel de nullo alio prædicari: descriptio, siue definitio est priuatiua: ad ea prædicata relata, quæ de aliis prædicantur: ac in aliis subiectis existunt. Contra, quis aduersabitur, quoniam particulare ut sibi uniuersalis priuatio attribuitur: non est primum subiectum, de quo alia prædicãtur, in quo etiã singula prædicata consistant: sed de aliis dicitur potius, nec proprissimè substat, sed in alio inuenitur. Præterea proprissime et uere substare, ipsi indiuiduo secũdum naturam priuatiuã non conuenit, sed primo qua ipsum est, idest super natura, ac secundis substantiis, & aliis naturalibus prædicatis per ipsum: quo remoto, siue non existẽte, impossibile est esse aliquid aliorum. Dices hic primam substantiam cõsiderari quatenus extra mentem existit: sic enim illi competere dicitur. proprissime, principaliter & maxime aliis prædicatis substare, & existere per se. Hæc responsio uerũ enũciat, contra quam instantia adducta non ualet: quoniã ratio primi subiecti intelligi alia ratione non potest, nisi ut priuationem sibi attributam in sua definitione cõplectitur, per quã ad uniuersalia & naturalia prædicata refertur, ut non de alio dicitur, neq; est in alio. Ad secũdam rationẽ dicatur, quod ipsũ substare, atq; uere existere, sẽsu, nõ intellectu cognoscitur: propterea Arist. in prædicamẽtis, esse primæ indiuiduæ substantiæ præcognoscens, tãquam sensibus manifestum, ait {substãtia autẽ est, quæ proprissimè, & principaliter, & maxime dicitur} inde definitionẽ, siue descriptionẽ assignãs, qua ab intellectu cognoscitur, inquit. {Quę neq; de subiecto aliquo dicitur, neq; in subiecto aliquo est.} Et Auer. dicit, quod prima substãtia (quæ secundũ ueritatẽ substantia nuncupatur) est singulare substãtiæ, cuius præcessit designatio. i. definitio, uel descriptio, quod nõ dicitur de subiecto, neq; est in subiecto Quæ priuatiue definitio de omnibus primis substãtiis prędicatur: nullum enim indiuiduum de aliquo dicitur, uel in subiecto aliquo inuenitur: & sic relata cognoscitur, uel ut a positione, & notitia cõis formæ cõcipitur, ac ab uniuersali distinguitur. Nouissime petit Amm. cur de uocibus differẽs, diuisionẽ rerũ facit? Respõdet, quod philosophus nõ ut grammaticus, & orator, de uocibus potissimũ tractat, sed rerũ cõprehensionis gratia. Sed cõtra, supra de nomine diximus, poetã & logicum ex uocibus, ac nominibus orationes cõponere, quæ cum a positione significãt, res quibus orationes constantur, & cõstant, dicuntur: hic enim res pro intentionibus, uel rebus conceptis, & uocibus a positione significantibus assumuntur. Præterea hic res Arist. non accepit pro fine & ultimo, ad quod explicãdum enunciatio referatur: sed pro re, ex qua tanquam subiecto, uel prædicato oratio constituitur: de his enim initio huius secũdæ sectionis proposuit, de prædicatis & subiectis enũciationum: de his etiam tractat, res quibus cõstant enunciationes distribuens in uniuersales tãquam naturalia prædicata: quę & si quandoque subiecta ponãtur in actu, suapte tamen natura prædicata dicuntur, ut terra, & si orbicularis & sphærica actu nõ sit, natura tamen & aptitudine propriæ naturæ sphærica est, & uocatur. Amplius si hic liber, philosopho deseruiens, ad res explicandas dirigitur, cur initio primum a uocibus inchoauit, dicẽs (ea quæ sunt in uoce &c.) Propterea aliter, ergo sẽtio, & si ueritatem me assecutum non profitear: quod quia Aris. primã enunciationis differentiã, ex eius cõpositione & cõplexu prædicati cum subiecto, affirmatione, scilicet uel negatione descripsit: nunc aliam secundam differentiã a simplicibus prædicatis, siue subiectis assignare cõstituit quæ proprie uniuersalia, uel uniuersaliter explicata dicũtur. Res autem absolutè prolatæ, quasi communissimæ simplicissimæq; concipiuntur. Iccirco uoces ac intentiones rerum nomine designauit. uel quia propositiones uniuersales & singulares non solum ex signis ac nominibus capiuntur; sed etiam ex rebus ipsis: hac de causa a rebus ipsis incæpit. Et hanc ueriorem puto solutionem: & fortè ex communi confessio Platonis procedit, qui uniuersalia, res, non uoces, siue intentiones uocabat, quasi dicat, quocunque uocentur nomine, differentiam enunciationis intentam in uniuersalem: & singularem habebimus, ex rebus, tanquam simplicissimis orationis partibus sumptã. Quarto dici posset. quoniam res propriè essentiam & existentiam potestate complectitur: uniuersalia autem quorum principium est forma, rem essentiæ denotant: singularia uero, qui ex forma terminata, ac signata materia existunt, rem existentiæ indicant. Iccirco fortasse Aristo. ait. (Rerum quædam uniuersalium, uel uniuersales, quædam singularium uel singulares sunt) quia enunciatio cõstituitur ex rebus uel essentiam, uel existentiam explicantibus ut homo quidem uniuersale, est Callias uero eorum quæ sunt singularia. Exemplo quid nominis uniuersalis & singularis ostendit, ut homo sit uniuersalis. Callias uero eorum numero, quæ singularia nuncupantur.

TEX. BOETHII.

Necesse est autem enunciare cum inest aliquid, aut non: aliquando quidem alicui eorum, quę uniuersalia sunt, aliquando autem, quę singularia sunt. Si ergo in uniuersali uniuersaliter enunciet quis, quoniam est, aut non est, contrariæ enunciationes erunt.

Necesse est ergo enunciare quod inest aliquid aut non inest, aliquando quidem inesse alicui eorum quę uniuersalia sunt, aliquando autem alicui eorum quę singularia. Si ergo in uniuersali uniuersaliter enunciet quis, quoniam est aut non est, contrariæ enunciationes erunt.

Commen. a quo. S. Tho. & Suessa quasi ex dictis aliquid inferatur exponit quasi dicat. Quia res, ex quib' orationes constituuntur, quædam uniuersales, quædam uerò particulares dicuntur, necesse est igitur enunciare prædicatũ quod inest uerè: uel nõ inest (iam affirmatiuam, quàm negatiuam ueram de inesse concludens) aliquãdo quidem inesse alicui eorum subiectorum, quæ uniuersalia sunt, aliquando autem, alicui eorum quæ singularia sunt. Ex his secunda enunciationis differentia patet: ergo affirmatiua, uel negatiua de inesse, quædam uniuersalis, quędam singularis dicetur. Animaduertendum est tamen, primam differentiam ex enunciationis qualitate, idest cõpositione, & forma sumptã esse, quæ quinto metaph. cap. de quali, uocatur qualitas: secundam uerò differẽtiam ex quantitate deductam, non continua. sed discreta, non uera, sed quæ illi proportione quadam respondet. Sicut enim unitate, uno, uel duobus, discretæ res mensurantur, ac numerãtur, ita signo uniuersali signatur prædicatum uniuersale inesse his quæ a subiecto cumprehendũtur, & particulari signo, q alicui tantum insit. Indefinitæ autem nõ meminit, quoniam uniuersalem partũ infra uocabit, uel particularẽ. primo prior. 7. & infra hic. Si ergo in uniuersali uniuersaliter enunciet quis, quoniã est, siue cõpetit, aut nõ est, siue nõ

competit (ὑπάρχειν .n. pro competit, hic accipitur) contrariæ enunciationes erunt. Ostenso quando enunciationes contradictoriè opponantur, & q͡ necesse sit affirmando prædicatum aliquid, uel negando, enunciare ipsum inesse alicui eorum quæ sunt uniuersalia, uel singularia: his duobus declaratis, ac positis quę ab omnibus oppositionis modis necessario præsupponuntur: nunc alias oppositionis species ostendit, quæ ex subiectis sumuntur propriè. primū contrarias ponit ex ambabus uniuersalibus signo uniuersali affirmante & negante signatis, quoniam maximè oppositionis rationem participant: hoc est, qualitatis. idest affirmationis & negationis, & etiam quantitatis omnis: ut quod affirmatio de singulis, quæ a subiectis cōprehenduntur, affirmarit, ab his etiam omnibus negatio separet, atq; disiungat. Maxime ergo contrariæ differunt sub eodem genere positæ, decimo meta. 13. & 14. qualitate, & quantitate secundum totum. Nam licet contradictoriæ his etiam differant, quantitate tamen non uniuersa, sed aliqua ex parte negantur, uel affirmantur.

TEX. BOETHII.

Dico autem in uniuersali enunciare uniuersaliter, ut omnis homo albus est, nullus homo albus est.

Dico autem in uniuersali enunciare uniuersaliter, ut omnis homo albus est, & nullus homo est albus.

Exemplo contrarias uocatas enunciationes ostēdit: ut legentibus patet. Quęres quot sint enunciationes, quæ per quantitatem possunt distingui, atq; uariari. Nā Arist. tantum tres hic numerauit, ac posuit, uniuersalem, singularem, & indefinitam: particularis uerò nō meminit. Primo autem priorum primo, relicta singulari, particularē distinxit. Vel ergo hic superfluus, & in prioribus diminutus, uel è contrario dicendus uidetur. Respondent, cur in libro priorum singularem reliquerit, duabus conclusionibus, breui summa, concluditur: prima, propterea in libro priorum omissa est propositio singularis, particularis autem expressa est, quia eæ partes ibi numerandę, ac ponendæ fuerunt, quæ illi toti, uel cōposito deseruiebant: quod considerari per se propositum est: hoc autem prooemio posuit, syllogismum & demonstrationem, cuius propriè partes propositio sunt uniuersalis, aut particularis, aut indefinita: non singularis. hoc autem postremò dictum, singularem non esse, primum ostenditur: quoniam singularis propositio, syllogismi pars constitui posset, ex ea singularis conclusio sequeretur. Nam primo priorum. 15. conclusio debiliorem sequitur partem. Id autem consequens impossibile est, cum singularia sensibus pateant: horū autem, quæ sensibus sunt perspicua, octauo physi. 22. ratio petenda non est: aut syllogismus: qui ad ignotam naturaliter conclusionem, siue ignotam natura, refertur. Item de eo syllogismo proponit, quo artes & scientię acquirūtur: hęc autem, nisi ex syllogismo, ex uniuersalibus, siue particularibus constituto, haberi nō possunt. Præterea is syllogismus definitur, qui inseruire intellectui, non sensui, ponitur. sed singularia. 3. de anima nono & decimo, a sensibus, non intellectu, percipiuntur. Postremo si propositiones pro præsenti tempore, siue pro instanti, & nunc ueræ, syllogismum ingredi prohibentur, ab Arist. primo priorum septimo, & Commen. primo priorum secundo: quia ueræ dicuntur per accidens, aliquo tempore, non semper uel magna ex parte, ut omnis homo currit: a maiori id de singularibus est negandum, quæ uera pro nunc, & instante temporis deprehenduntur. Secundam conclusionem, siue dictum adducunt, singularē propositionē partem esse trium reliquorū instrumentorum, exempli. s. enthymematis, & inductionis, quod ex ipsorum definitionibus liquet: exempli secundo priorum. 23. inductionis in 24. enthymematis penultimo cap. & latius etiam primo rhetor. de instrumentis rhetoricis. Nam sexto ethic. quarto. duo sunt uniuersa, quæ sciri possunt, conclusio per syllogismum, & præmissa, quę inductione cognoscitur: ad hæc duo artium & scientiarum instrumēta, singula reducuntur: enthymema quidem ad syllogismum: exemplum uerò ad inductionem. Sed hanc Arist. auctoritatem non posuerunt: dici tamen posset, hunc librum ad librū priorum referri, in quo nedum de syllogismo cathegorico, sed etiam hypothetico, exēplo, & inductione tractatur, quorum partes sunt singularia. Mihi autem uidetur, huic sententiæ uerba Auerrois aduersari, qui dicit (& intentiones sunt duobus modis, uniuersalis, et particularis, idest singularis:) hic ergo singularem definiens pro particulari desumpsit: Item in quæsito, quod antea ex ipso retulimus, ait { Dubitatur de eo, quod fertur de definitione particularis, quæ hic, & in prædicamentis est tradita. } Vnde etiam patet, definitionem hic traditam singularium & particularium esse. Hæc Auer. explicatio potest ea uerbis ac sententia Arist. confirmari: nam diuisio propositionis in uniuersalem, indefinitam, & particularem, per accidens propositioni tribuitur, quia per enunciationem, & tra per alterum conuenit. Nisi enim res uniuersales, & particulares, siue singulares essent, ac aliquid alicui inesse eorum, quæ sunt uniuersalia, aut particularia, enunciaretur: propositio & præmissa non fieret: quæ enunciatio, ac oratio una enunciatiua uocatur. Dices forte illam diuisionem, quam primo priorum Arist. assignauit tripartitam ita necessario ut Arist. hic Affirmat. dicens (necesse est) ad bipartitam. i. bimembrem reduci: ut hic fieri ab Arist. uidimus: omnis propositionis subiectum, uel uniuersale est, uel singulare: si uniuersale, uel uniuersali signo determinatum, uel non determinatum signo uniuersali: & hæc bipartito erit. Vel uniuersale determinatum signo particulari, uel uniuersale nullo signo præfinitum: & hæc indefinita ab Aristo. dicitur. Ex his patet responsio, particularem a singulari hic definita non esse comprehensam, sed uniuersali. Sed hæc responsio, primum (ut diximus) Auer. aduersatur: ait enim hanc definitionem hic traditam particularibus cōuenire: ut ab uniuersalibus, hic etiā definitis, & in libro priorum suppositis, distinguuntur. Item, si uerè sub uniuersali particulare concluditur: uniuersalis definitio illi conueniet: sua ergo natura aptum ac idoneū erit de pluribus prædicari non ut priuationem naturæ communis per attributionem participat. Aut si assignata hic definitio particularibus competit: particularia pro singularibus assumentur. Quod etiam ex his, quæ in prædicamentis dicuntur, confirmatur: ait enim ut retulimus. (Alia uerò neq; in subiecto sunt, neq; de subiecto dicuntur.) Proferens autem exempla particularium, ait. (Vt aliquis homo, uel aliquis equus: nihil enim horū neq; in subiecto est, neq; de subiecto aliquo dicitur:) Explicans autē Arist. id in quo indiuidua tam substantiæ, quam accidentiū uniuersatim conueniunt: inquit, (simpliciter autem, quæ sunt indiuidua, & numero, scilicet distincta, de nullo subiecto dicūtur.) Et Auerroes nedum de indiuiduis his intelligit, quæ alii uaga: alii, ut Ammonius, referens dicta Theophrasti, infinita uocarunt: propterea q͡ si unum indiuidum, non tamen certum, ut singularia denotant: sed de signatis, ac certis (ut ratione & exemplis commonstrat) de Sorte, & Platone, & rationem adducens Arist. ait, (quia non prædicantur de subiecto omnino prædicatione denotāte substantiam subiecti, nec sunt, in subiecto,) scilicet, quia non prædicātur de subiecto, denotādo aliqd extra substantiā eius, ut de indiuiduis accidentis ostendit. Et hæc, inquit,

est

est substantia singularis demonstrata, ut Sor. & Pla. Idem manifeste initio capitis de substantia Ari. asserit, cum substantiam indiuiduam quam primam etiam propriissime, & maxime uocat definiat (quæ neque de subiecto aliquo dicitur, neq; in subiecto aliquo est, ut aliquis homo, et aliquis equus.) Ex his cognitis patet, particularem, siue primam substantiam, sua natura uniuersalẽ nõ esse, quia ita substantiã ac essentiam subiecti significatet, non priuationem naturæ communis, sed, ut monstratum est, ipsam naturam. Præterea ex his, qua inferius, cap. 6. dicenda sunt, liquet: de singularibus definitionem superius assignatam intelligi: cum alteram contradictionis partem ueram, reliquam uero falsam in his, quæ uniuersalia sunt uniuersaliter, & in singularibus uerã ostendit: ut est Socrates albus, non est Socrates albus: in quibus particularia comprehenduntur: ut infra, quoniam contradictoriæ uniuersali opponitur particularis, ut omnes, & quidam non: nullus, et quidam, sed de uniuersalibus non uniuersaliter. idest indefinitis proprium diuersum concludit, dicens. {Quæcunq; autem in uniuersalibus non uniuersaliter, non hæc quidem uera, est, illa uero falsa: simul enim uerum est dicere, quoniam est homo albus, & non est homo albus &c.} Itẽ infra tantum enumerat, de quibus ostendit idem oportere negare negationẽ, quod affirmatio affirmauit, & de eodẽ inquit, {uel de aliquo singularium, uel de aliquo uniuersalium, & uniuersaliter, uel non uniuersaliter:} & exempla producens, dicit. Dico autem est Socrates albus, & non est Socrates albus: contradictionem ponens inter uniuersalem uniuersaliter, & particularem, ut omnis homo albus est, non omnis homo albus est, nullus homo albus est, quidam homo albus est. Vtorumq; igitur meminit, singularium. s. & particulariũ, quæ unica sunt definitione cõclusa, ut ab uniuersalibus differunt. Nec uerum ergo est particulare subiectum uniuersale esse secundum naturam: sed uniuersale, ut ad partem uniuersalis descendit: sic Plato homo uocatur, non simpliciter, & in communi sed ut ad certam, ac signatam materiam terminatur. Cum Comment. ergo hic. & Alex. primo priorum dicamus, propterea in libro priorum singularem reliquisse. cuius meminit hic: in isto uerò libro, omissa particulari, singularem finiuit: quoniam cum in essentia, siue ratione indiuidui, et singularis conueniant, ac unum indiuisum significent, proinde sumuntur: licet (ut diximus) unum certum indiuiduum: reliquum uerò incertum designet. Nunc ad rationes contra hanc responsionem adductas dicamus. primæ sic satis facimus. dato, quod singularis, si potest esse pars syllogismi, potest etiam esse conclusio, quæ imbecilliorẽ sequitur partem: contra positum inducta ratio non procedit: nam concesso, conclusionem syllogismi esse ignotam natura intellectui, & sensibus: id negatur, singularem quãdoq; ignotam non esse, sed perpetuo sensibus manifestam. Eodem enim uitioso argumento contra particularem arguerem, nam secundo de anima. 63. tertio de anima. 9. & 10. 33. & 40. & multis aliis locis, sensus est nedum singularium, sed particularium etiam: non ergo syllogismi conclusionem constituent ignotam natura. Ad utrunq; ergo dicitur, sicut esse, & existentia quorundam adeò perspicua est, ut sit præcognitio primo poster. secundo aliorũ, sic manifesta sit sensibus, ut a præcognitionis nomine secludatur. primo poster. quæ ad occulta tamen & abdita sensibus ipsis collata, demonstratione scitur, ut de esse Dei & materiæ primæ perspicuum est, & secundo poster. primo demonstratur: similiter accidentium propriorum esse a sensibus ipsis dignoscitur, primo poster. 196. Animæ tamen intellectiuæ an intelligere, proprium opus dicatur, uel commune cum corpore, tanquam dubium quæritur. primo de anima, 12. & 13. sic esse Dei, quod singulum, ac unum certum significat, quam abstrusum sit, ratione non indiget. Similiter ad secundam dicatur, ex singularibus & particularibus ignotis syllogismos posse constitui, quibus artes & scientiæ acquirantur. Nam septimo ethicorũ, 5. in arte morali (quia iam ostendimus in scientia) iccircò sapientes errare ac decipi in electionibus incontinentiæ accidit: quod cũ uniuersale cognouerint, et maiorem syllogismi, (quæ domina ac princeps rerum agendarum esse deberet) rectè cum singulari sensibus nota minore, non ordinant: sed minor uincit rationem & opinionem uniuersalem. cui, cum minor singularis sensa, uel sensata paruerit: in syllogismo concluditur continentia: si non subsit, sed præsit, incontinentia. Ex his manifeste sequitur syllogismum in moralibus ex uniuersali & singulari conflari: ut omne dulce gustare oportet, uel (ut effectiuum cholere) non oportet: minor est singularium, quibus sensus iam dominatur, & hoc est dulce, tanquam unum aliquid è singularibus &c. ergo &c. Simili modo tertia ratio diluatur, syllogismum ex his ignotis singularibus conclusionibus, & ex notis pręmissis sensui, syllogismũ effici intellectui seruientẽ: nam intellectus singularem non intelligere dicitur secundum propriam naturam: sed secundum priuationem naturæ communis: ita & particularem: nam de his simpliciter & mathematicè præmissæ nobis notæ, & sensatę ponuntur, & intellectu: licet natura etiam communes ponantur: nec tamen syllogismi esse pręmissæ negantur. Ad postremam respondeamus, syllogismum ex singularibus constantem, non semper procedere ex his, quæ ueræ præmissæ sunt pro præsenti tempore: sed quę magna temporis parte, ut omnis color est in corpore: hic est color. ergo &c. ita omnis homo est animal, ergo Sor. est animal: ut exempla utriusq; materiæ proferantur. Ex his patet, primo priorum primo, cum tres propositionum species numerentur, tanquam communia omnium instrumentorũ principia numerari: licet primum, ut ad syllogismum: secundo uerò, ut ad instrumenta alia ordinantur, siue referuntur: & si etiam regulantur dicto de omni, propositio uniuersalis, & minor singularis, ergo &c. ex loco ergo pro proprio syllogismi, syllogismus erit, ad ignotam conclusionẽ ta singularem deducens. Præterea Arist. primo poster. in antiquo commen. 39. & magno a 159. ad 169. multis rationibus probat uniuersalem demonstrationem potiorẽ esse particulari, idest singulari. Sed ad hoc ait Egidius & Albertus Magnus, particularem sumi pro minus communi non indiuiduo. Sed hæc responsio manifeste Auer. et Ari. & Themistio aduersatur. Auerroi quidẽ, intelligenti per demonstrationem particularem, eam, quę, ex, altera præmissa particulari conclusionem particularem concludit: in quit enim quod intendit per particularẽ ipsam, singularẽ non signatam clausura, siue signo particulari: ut hic suum sermonem particularis arctauit, & 160. exemplo Socratis canentis ostendit: atq; ad id probandum tres rationes antiquorum, licet falsæ, referebantur, primum probantes, ut Themistius ait cap. 40. particularem demonstrationẽ potiorem esse uniuersali: quoniã demonstratio, qua maxime scimus rem (uti est) præstantior est ea, in qua itã res nõ cognoscitur. sed per particularem maxime scimus rem, uti est: particulare enim per se amplius consistit, idest existit, & euidentius est: ergo potior erit uniuersali, ut Calliam esse animal rationale, & Coriscum musicum esse: quàm hominem, qui non consistit, nisi per alterum. patet ergo de singularibus antiquos particularem demonstrationem intellexisse. Hanc Arist. rationem dissoluens, non negat singularia non magis consistere, siue esse, ac existere uniuersalibus: nam subiectum dignius est esse, quam ea quæ sunt in ipsa, ut Commen. animaduertit, ex Ari. in prædicamento substantiæ, septimo metaphy. septimo sumens: quæ propriissime, & principaliter, & maxime substare dicitur. Nec similiter negat euidentiora esse uniuersalibus ut sensibus obuia: sed secundum rationem alteram dignitatis noscendę, uniuersalia singularibus conferuntur in qua

nihil magis in uniuersali, quàm in particulari uerum esse deprehenditur: uerum (ut Themistius explicat) nota per se iunctius uniuersali, quam particulari inest, idest, ut Cōment. intelligit, ac Themistium rectè declarans, ait, quod si ad notitiā & scientiā conferantur, præstantior uniuersalis erit particulari: quia hæc per se est, illa aūt singularium est per accidens, idest per alterum, ut exemplo trianguli primi subiecti, & specierum eius isoschelis ostendit. Quo exemplo puto illos fuisse deceptos, ut dicerent, particulare hic & singulare sumi pro his quæ minus cōmunia sunt quibus propria accidētia primum non competunt. Sed solutio ista iam superius infirmata est, & iterum ex sequentibus improbabitur. Secunda antiquorum ratio erat. demōstratio ea potior dicitur, quæ est eorum, quæ sunt: non autem eorum, quæ non sunt, nisi in alio, qualia uniuersalia sunt. Respondent. de uniuersali demonstrationem esse tanquam de eo, quod est: quia uniuersali non solum æquiuocum nomen respondet, sed ratio ac forma communis, & uniuersalis: quæ in singularibus existens in potentia, incorruptibilis perseuerat. Contra de singularibus ait, quæ uocat corruptibilia, siue caduca, infinita: quorum cognitio in sensu perficitur. Hæc aūt, non nisi de singularibus & particularibus, a speciebus, & a generibus distinctis intelligūtur: nam species & terminatæ, ac finitæ, & æternæ uocantur, & intellectui cognitæ: & his propria accidentia primum non insunt, sed per alterum: ita per accidens. Postremò sic arguunt. errores maximè circa uniuersalia, quasi a singularibus abiuncta, contingunt: et contra, particulare cognoscitur usu, & quasi manu tenetur. Hæc ratio clarè uniuersalia, quæ generibus ac speciebus conueniunt, a singularibus & indiuiduis separat, quæ ab omni communi dissentiunt, proptereaq; sensibus sunt perspicua: contra cōmunia, & minus communia. Hanc autem non soluit, quia eius responsio ex supra cognitis patet. Particularis ergo demonstratio non solum illa dicetur, quæ ex his constituitur, quæ sunt minus communia: sed etiam ex uere indiuiduis, singularibus, ac numero differentibus constat. Veris que enim propria accidentia, secundaria ratione, conueniunt, inde per partem, non uniuersaliter uera dicuntur, & per se. Quæres in textu, uniuersalis propositio an ex signo solo, uel etiam re signata sumatur? Respondetur ab utroq; desumi: ex significato, tanquam causa: ex signo, tā quam eo, quo natura communis, omni uel alicui inesse cognoscitur ac monstratur. Responsionem confirmo, nam ic circo Arist. ait. (Rerum quædam uniuersales, quædam singulares) quia ab ipsis rebus, tanquam causis, differentiam secundam accepit.

TEX. BOETHII.

Quando autem in uniuersalibus non uniuersaliter, non sunt contrariæ: quæ autem significantur, est esse aliquando contraria.

Quando autem in uniuersalibus non uniuersaliter, non sunt contrariæ: quæ autem significantur, est esse aliquando contraria.

Secundum modum indefinitarum assignat: quæ natura sunt uniuersales, nec uniuersali, nec singulari præfinitione, siue signo signatę: inquit, quod quando prædicata de subiectis enunciantur affirmatiuè, uel negatiuè uniuersalibus non uniuersaliter, non uocantur contrariæ propositiones in actu: sed quæ significantur ab illis contingit esse aliquando contraria. Sed postulabis, quid per hæc uerba significat? idest quando indefinitarum significata contraria fieri possint? Ammo. primum causam assignat, cur indefinitæ contrariæ non uocentur, quoniam quandoque illas esse ueras contingit, contrarias uerò nunquam. Sed licet causa sit uera, ignota tamen adhuc est, & inferius declaranda, ut. S. Thomas instituit, licet non contra id quod Ammonius dicit: sed quia contingit significata quandoq; esse contraria. Secundo arguit, idem de particularibus dicitur, esse simul ueras, quod concederet. non esse contrarias. Respondeo, nam sicut uniuersales ut uniuersaliter, contrarias appellauit, quoniam ab inuicem qualitate & quantitate uniuersa distarēt: ex opposita nūc causa, cū indefinitæ nō ita perpetuò differant: sed nec in uera qualitate: cum idem prædicatum non semper de eodem dicatur: ut homo currit, & homo, pro diuersis indiuiduis captus, non currit: similiter nec uniuersali quantitate: qua de causa non contrariæ appellantur. Sed cum indefinitarum significata (quæ res natura uniuersales sunt) uera ad idem de eodem relata, cū qualitate, & quantitate uniuersali sumantur: & quādoq; contraria fieri possunt. Dicit (aliquando) quoniam ista per se indefinitis perpetuò non conueniunt, ut indefinitæ sunt, nisi cum materia de inesse, & si signum etiam uniuersale ponatur, uel in materia fiant necessaria, quæ ut per se, & de omni uniuersales ac contrarias enunciationes cōstituit: in quo rectè aliqui sentiunt. Dicit (contingit) quoniam id indefinitis actu non conuenit, sed potestate: quatenus ex loquentium arbitrio & cogitatione, siue intelligentia, homo pro singulis hominibus currentibus desumatur uel non currentibus. propterea etiam addidit (fieri contingit) non quod ita actu sint, suapte natura, uera de omnibus, nisi in materia necessaria; nec sunt signis uniuersalibus, uel particularibus pręfinita, Sed petes, secundo huius, capite ultimo, has indefinitas contrarias uocat: bonum est bonum: & malum est malum. Ad hoc Ammonius rectè ait, hæc contraria non esse, propterea opinionem contrariam, & falsam non faciunt, sed ueram: quia (ut diximus) respondendo non ad idem de eodem subiecto ut uere contraria referuntur: sed contraria prædicata ad sua propria & distincta subiecta. Ista tamen quorsum ibi dicantur, non rectè ab Ammonio explicatur, ut suo loco, Deo annuente, dicemus. Ideirco ergo indefinitæ contrariæ non sūt, quia nec singularis, aut pręfinitus subiectus terminus est: nec illi signum aliquod adhæret, ut Ammonius ait. Vniuersales autem ut uniuersaliter simul falsæ de eodem subiecto dicuntur cū uniuersali signo ante finitæ, uel præsignatę. singulares uerò, & angulares ex diametro simul uerum & falsum diuidunt, ut una uera, reliqua falsa dicatur. Porphyrius, cur enunciationes indefinitę quandoq; contrarię esse possint, idest quæ ab ipsis indicantur: causam talem inducit, ut Ammonius refert, quam etiam approbat: affirmatio & negatio indefinita non necessario uere contraria indicant: sed quandoq; priuatiue opposita, aliquando contraria: ut homo uidet, & homo non uidet: homo est albus, & homo non est albus: quandoq; neutrum hoc est, disparata; homo non est lapis. Quia ergo indefinitæ significant quandoq; contraria, contrariæ quandoq; uocantur. Sed postulabis, si quod affirmatur, non semper contrarium est: neque negatio semper potest dici de eo, quod est contrarium rei affirmatæ: sed quandoq; de contrario, interdum de priuatione, aliquando de neutro: quid per se affirmatio, & negatio explicant, ac semper? Respondet primum de negatione, quæ id sibi propriè uendicat, tollere. s. id quod affirmatio prodidit: quod manifestat de priuatiue contrariis: pari & impari: & uere contrariis: nigro, & albo: & ueræ fiunt de his negationes: de pari quod nō sit impar: de albo quod nō sit album: non quia illa contraria semper enunciet, sed quia negationes necessariò comitantur contraria, quæ medio carent, in quibus negatio fit per se: mediata uerò contingenter, idest per alterum, ratione extremorum, quinto physic. Idem de priuatiuè oppositis manifestat Ammonius: quoniam huic rei, uidere, priuatiuè opponitur non uidere: uidere ergo ipsum, negatio sequitur non uidere, tā in dormiente ut opposita actio,

quam

quàm in cæco habente oppositam facultatem:ut in catulo proximè, uel recens edito:qui nondum potestatē productricem actus uisionis accepit. Nouissime negatio nedum ista priuatiuè opposita explicat, sed de eo etiam dicitur, quod nullo pacto capax est facultatis uidendi: ut de ligno, quod non uidet: nunc non priuationem, sed diuersitatem designat. Item cum subiectas quantitates, intelligere, mouere secundum locum, aperiunt, non contraria explicant: his enim nihil esse contrarium ponitur. Itaque Ammonius & Porphyrius noluerūt dicere, propterea significata indefinitarum esse contraria, quia referantur ad contrarietatem prædicati: ut S. Tho. dicit, quia, scilicet contingit prædicatū negari a subiecto, propter hoc quod inest ei contrarium: sicut si dicatur: homo non est albus, quia est niger &c. sed oppositum ex his uerbis declarant: non esse contraria significata, cum negationem & remotionem semper significent, & contingenter, ac quandoq; cōtraria. Sed a simili quis obiiceret: uniuersales ut uniuersaliter quandoque esse contrarias, quia non perpetuò uerè contraria: ut omnis homo est albus; nullus homo est albus: enunciant; sed quandoque priuatiuè opposita, quandoq; uerè contraria, quandoq; & disperata: ut omnis, uel nullus homo uidet: omnis, uel nullus homo est: uel non est lapis. S. Thomas aliter improbat, quia hic non agitur de rerum, aut opinionum contrarietate: sed propositionum. Sed ad hæc Porphyrius diceret, quamuis de rerum inter se collatarum oppositione hic non tractetur, sed in prædicamentis, & metaphysica: tamen de rerum contrarietate, ut ex ipsis enunciationes contrariæ in qualitate, & quantitate constituuntur, in hoc capite agi. Ad secundā similiter Ammonius diceret, non considerari hic de contrarietate opinionem: id enim (ut illis uidetur) in secundo huius tractabitur. Verū Ammonius non affirmat, indefinitas contrarias posse esse, quia significatiuæ contrariarum opinionum: sed (ut induximus) soluit instantiā cōtra ueram causam, quam explicauimus, quasi dicat, nihil obstare ei quod Ari. dixit, indefinitas non esse cōtrarias, sententiam, quam in secundo protulit libro: Nam arbitrari contrarias opiniones definiri, eo q contrariorum sunt, falsum est. Cuius causā adducens Arist. ait. (Boni. n.) quoniam malum est, eadem fortassis opinio est, etiam uera.) ubi usus est affirmare, indefinitas contrariorum esse. Sed soluit Ammonius (ut diximus) ex Arist. contrariā uerè non esse: cum non idem sit prædicatum, quod de eodem dicatur, uel negetur subiecto. Nec uerum est, ibi Aristo. loqui de contrarietate opinionū, quod fit primo top. octauo & nono: sed de enunciationum oppositione: & quia enunciatio in uoce cōsistit: ea enim quæ sunt in uoce sunt signa earum opinionum, idest cōceptionum, quæ sunt in anima. ut igitur sit perspicuum quæ enūciationum sit magis opposita, contradictoriè opposita, an illa, quæ ex prædicato priuante, uel indefinito consistit; ex his conceptionibus (quas ibi opiniones uocat) orditur, ut ex notioribus causisq; oppositionis enunciationum in uoce: primumq; quid nominis quæsiti prænoscit uerè contrariorū in mentis quando idem de eodem, non autem diuersorum prædicatorum de diuersis subiectis: ut bonum est bonum: & malum est malum: ita erit dicēdum in uoce. Nec ibi Ammonius loquitur de hac opinione: aliquid est bonum, & aliquid non est bonum, ubi idem est prædicatū: quoniā de his quæ diuersa sunt prædicata, dicta de diuersis subiectis, loquitur: ut supra retulimus. Præterea Porphyrius (quem diuus Thomas reprehēdit) explicat indefinitarū significata quandoque contingere esse, uel fieri contraria, quia quandoq; priuatiue opposita, quādoq; cōtraria, uel disparata significant. Enunciationes ergo, quasi dicat, indefinitæ contrariæ sunt quandoq;, quia uere cōtraria quādoq; explicant. Præterea ueram causam ostendit, sumptā ex qualitate, i. natura affirmationis, & negationis (quā supra cōmunem esse omni oppositioni uere mōstrauimus) cum dicit: quia indefinitæ penes terminos prædicatos, nō subiectos opponūtur: ut homo pro Sorte currit, & homo pro Platone non currit: opposito dicitur in eodem prædicato, sed diuerso subiecto. Hoc autem solum non sufficit: cum inueniatur ista conditio in contradictoriis, & singularibus, quæ tamen contrariæ non uocantur: sed addendum necessario est, ut idem sit prædicatum, quod de eodem subiecto uniuersalium affirmatiue & negatiuè dicatur. Cōtra hanc uerā solutionē Ammonius ambigit. infra enim Arist. dicet. {Hoc enim idem oportet negare negationem, quod affirmatio affirmauerit, & de eodē, uel de aliquo singularium, uel uniuersalium ut uniuersaliter, uel uniuersalium non uniuersaliter, ut homo est albus. homo non est albus.} Indefinitæ igitur enunciationes, eosdē terminos prædicatos habebunt & subiectos, ac uim eādem habebunt cum particularibus, quæ ueram cōtradictionē efficiunt, ut una pars uera, reliqua necessario falsa ponatur. Respōdet Arist. contrariū probaturum, quoniā simul ueræ cum sint, non potuerunt contradicere. Sed mihi solutio ista non placet: quoniam indefinita sit pars syllogismi & præmissa autem est enunciatio una, primo poster. 13. primo priorum primo; affirmatio, uel negatio, quæ idem re, non solum nomine, de eodem enunciat. Et infra cum indefinitas, ut interminatas, ac plura complectentes cōsiderat, tamen ait. {Non quidem hæc uera, illa uero falsa.} Sed seipsum deinc. ps declarans, ait. {Manifestum quoniā una negatio unius affirmationis est: hoc enim idem oportet negare, quod affirmatio affirmauit.} Sed si scrutaberis, si indefinita idem prædicatum re & nomine, de eodem enunciat, cum ex materia de inesse propositio constituitur, parem uim habet cum particulari: nā prædicatum, quod inest, de natura est accidentis quod actu inest subiecto: accidens autem cōmune particularibus & singularibus cōpetit. Si uerò in materia stat necessaria, indefinitam uniuersalis, ut uniuersalis, sequitur, eandemq; cū uniuersali uniuersaliter potestatem habebit. Dubium hoc ab Aristo. & Auer. primo priorum septimo pertractatur, ubi Aris. ait in Darii, & ferio, eundem esse syllogismum minori indefinita, & particulari sumpta, quoniam (ut Auerro. ait) uis indefinitę est uis particularis, non quia secundū naturam ac speciem eædem dicantur, nam tam primo priorū, quā hic, tanquam distinctas specie enumerauit. Item indefinita suapte natura indefinita, particularis uerò finita particulari signo uocatur. Præterea ex indefinita uniuersalis, eius natura integra, uniuersalis fieri potest, indefinita uerò nequaquā particularis efficitur, nisi destruatur, ac ex uniuersali, & natura communi ad particularem descendat. Sed hunc in modum eandem habere facultatem dicuntur q cum specie distinguantur indefinitæ & particulares significatū semuicem in omni materia consequuntur, ut Arist. per singula in omni materia necessaria, & de inesse exempla proponit, dicens. {Vt animal de homine prædicatur} ergo de aliquo homine. Rursus color est in corpore, ergo in aliquo corpore. Iccirco autem habere eandem uim cū uniuersali negatur, quia non se in omni materia consequūtur, nisi in necessaria, quia dictum de omni supponit: non autem in materia de inesse, in qua indefinitam uniuersalis non sequitur, ut homo est albus, ergo omnis homo est albus. Sed dices, ista his, quæ superius declarauimus, contradicunt: nam si indefinita idonea, ac apta natura est, de pluribus prædicari, cur eandem uim habet cum particulari, a qua plus differre perspicitur, quàm ab uniuersali, quæ cum cōmuni natura consentit? Hæc enim integra in utrisq; seruatur, at in particulari deperditur. Dicas, indefinitam, & particularem non propterea eandem habere uim affirmari, q in natura communi conueniant, in qua cum uniuersali uniuersaliter conuenit, quoniā (ut retulimus) specie ac natura dissentiunt: sed quoniam se in omni ma

teria consequuntur, ut exemplis Aristo. in prædicamēto substantiæ commonstrauit: quia secundæ substantiæ aut sunt in primis, aut dicuntur de primis. Hac ratione, indefinita eandem facultatem habebit cū singulari, quod idē esse definitione, & re, cum particulari mōstrauit: nā) alia omnia (inquit Arist. in prædicamēto substantiæ) aut de subiectis dicuntur, principalibus substantiis, aut in subiectis eis, sunt quæ (Cōm. ait,) sunt singularia: quia animal uere prædicatur de homine, propterea ꝙ dicitur de quodam homine, quia si de nullo, uel nisi de aliquo homine singularium, nec de homine, qui est species, uerificaretur. Ita color est in corpore, ergo in aliquo corpore: quia si nō in aliquo singulorum, nec omnino in corpore. Nam secundæ substantiæ non inueniuntur uerè, & existunt extra animam, nisi singularibus, & certis particularibus, non uagis, & infinitis. Sed dices, nonne uniuersalia omnia, & secundæ substātiæ etiam uniuersaliter præsignatæ sunt in primis substantiis? Cur ergo cum uniuersalibus uniuersaliter eandem potestatem non habent? Si enim omnis homo est animal, ergo & aliquis homo animal erit. Nam si de nullo singulorum, nec de homine omnino, & uniuersaliter. Ita si omnis color est in corpore, ergo & in aliquo corpore: quia si in aliquo singulorum non erit, nec in corpore simpliciter & uniuersaliter. In omni ergo materia, et necessaria, & de inesse, se consequuntur. Ad hoc Comm. primo priorum septimo dicit, quòd non consequitur ei in omni materia, scilicet quia consequutio ista non ualet, homo est albus, ergo omnis homo albus erit: sed indefinita particularem consequitur, non euadens naturam particularis, hoc est, indefinitæ significatum semper natum est inueniri in particulari, ut homo est albus, ergo aliquis homo est albus, & e contrario ualet. Obiicies contra rationem Auerrois, indefinita hac de causa non euadere naturā particularis, asseritur, quia ut uniuersale inuenitur, & existit in particulari, nō uno, & certo, sed omnibus: ita enim ratio Arist. in prædicamento substantiæ sequitur, homo est animal, ergo aliquis homo est animal. Nā probationē inducens, ait. Quoniam de nullo singulorum dicitur, nec de homine omnino, & simpliciter, idest ut uniuersali. Cōfirmatur quia si de uno certo indiuiduo indefinita, ex uniuersalibus constituta sumeretur, consecutio non ualeret, homo est albus, uel animal, ergo & Sortes, ut certū indiuiduum, est albus. Hoc posito, idem de uniuersali, ut uniuersaliter aliquis diceret, quod in omnibus particularibus inueniri ex uniuersali signo monstratur. Dicas, uniuersale actu inueniri in singulis primis substantiis ex uniuersali præfinitione significatur, sed in indefinita, nō actu, sed potestate ad omnia indiuidua, addito uniuersali signo cōtrahitur, uel ad aliquod indiuiduum, signo particulari finita: & merito accidentis communis (ex quo constat materia de inesse) indefinitæ significatum semper natum est inueniri in singulari. Hac ratione ut præmissam unum de uno idest subiecto indiuiduo, & particulari significare prædiximus. Vniuersale autem ut uniuersaliter, & unum de uno significat, idest unā naturā communem, nō tamē de uno, sed omnibus prædicat, uel inesse demōstrat. Sed hæc ad librum priorum propriè pertinent: hic ad declarādam naturā singularis, & uniuersalis, mutuò accepta ponātur

TEX. BOETHII.

Dico autem non uniuersaliter enunciare in iis, quæ uniuersalia sunt: ut est albus homo, non est albus homo: cum enim uniuersale sit homo, nō uniuersaliter utitur enunciatione. Omnis namq; non uniuersale significat, sed quoniam uniuersaliter.

Dico autem non uniuersaliter enunciare in his, quæ uniuersalia sunt, ut homo albus. Cum enim uniuersale sit homo, non uniuersaliter utitur enunciatione. Omnis *namque non uniuersale significat, sed quoniam uniuersaliter.*

Exemplis exponit uniuersalia non uniuersali signo prolata, & patet, ut homo est albus: homo enim & si uniuersale sit, non tamen utitur enunciatione uniuersaliter. Dicit non utitur, quasi actu suam naturam uniuersalē in singulis non exercet: quemadmodum princeps, qui posset singulis dominari, sua tamen potestate non utitur. Ammon. in eo quod Arist. inquit. {Cum enim uniuersale sit homo &c.} Vult quòd causam assignet, cur indefinitæ uniuersales non uniuersaliter dicantur: primum quia de subiectis uniuersalibus non uniuersaliter enunciant. Itē ibi. {Omnis namq; non uniuersale significat, sed quoniam uniuersaliter.} Vult quòd probet ex signo, omnis, quod etiam de signo, nullus, intelligit: sicut primo priorum primo, dictū de omni declarans ac finiens, similiter intelligēdum de dicto de nullo notauit. Causa ergo est, quoniam omnis, non uniuersale significat, sed quoniam uniuersaliter nam (ut Ammonius ait) uniuersale, species, scilicet unam quandam naturam significat, in qua comprehenduntur, ac uniuntur omnia indiuidua, quæ perpetua generatione succedente seruantur secundo de anima. 34. primo post. primo. Sed uniuersale signum, omnis, & nullus nō unam quandā naturam, in qua conueniūt & uniūtur, sed distribui illā unā significat omnibus, quæ a subiecto comprehendūtur, Vel hunc in modum textum inducas, quæres, homo non potest uniuersale signare, quoniam id signum uniuersale designat? Respondet falsum esse quod sumitur. cuius rationem assignat, quoniam omnis non uniuersale significat, sed quoniam uniuersaliter indicat illud uniuersale in omni, uel nullo comprehenso a subiecto inueniri.

TEX. BOETHII.

In eo uerò quod uniuersale prædicatur, id quod est uniuersaliter prædicari non est uerum: Nulla enim affirmatio uera erit, in qua cum uniuersale sit prædicatum, uniuersaliter prædicatur: ut est omnis homo, omne animal.

In eo uerò quod uniuersale prædicatur: id quod est uniuersaliter prædicari non est uerum: nulla enim affirmatio uera erit, in qua cum uniuersale sit prædicatum, uniuersaliter prædicari, ut omnis homo est omne animal.

Hanc particulam Comment. explicat ibi, {& nō diuiduntur enunciationes &c.} Nam ut Ammonius etiam dicit, aliquis petet, diuisæ sunt enunciationis species in contrarias, & indefinitas. Auer. etiam præintelligit contradictorias quæ ex uniuersali & particulari constituit parum infra monstrabit, & subcontrarias. Hi autem modi sumpti fuerunt ex propositionibus habētibus clausurā, idest signum adiunctum subiecto. Cur etiam nō distinguūtur ac numerantur hæ, uel aliæ enunciationis species ex præfinitionibꝰ, siue signis additis prædicato? Ad hæc uult Ari. dicere propterea signū prædicato non addere, ꝙ duo contra rectè instituta, ac normas, siue regulas artium, sequerētur: primum (quod Arist. explicat) quia propositio est falsa, ut exemplo indicatur, omnis homo est omne animal: aut si quandoq; uera, nulla artis necessitate, sed superfluè ponitur, ut longioribus uerbis Amm. aperit, & exēplis, quorum Auer. unum tantum accepit, ut omnis homo est quoddam animal, rationale, scilicet. Alij hunc in modum dubitationem inducunt, quoniam contrarias enunciationes supra posuerat, ex subiectis uniuersalibus ut uniuersaliter accipi: contra quis diceret, nam contrarietas est maxima oppositio in qualitate & quantitate uniuersali: hæc autem maxima esse uidebitur, cum ex signo uniuersali ad

dito

dito subiecto,& prædicato sumetur,non subiecto dumtaxat.Respondet Arist. id in contrarijs oppositionibus esse. impossibile fieri, quoniam affirmatiua semper esset falsa. Ex hac responsione,præter Arist.intentū concludit signum uniuersale non posse prædicato coniūgi, sed in contrarijs tātum,in quibus subiectum uniuersale uniuersaliter subijcitur,non debere prædicatum uniuersale uniuersaliter prędicari . Sed explicatio ista (quæ acuta uidetur) primum Auer. & Ammo. aduersatur , qui de omni enūciatione uniuersaliter intelligūt,dicens. Et non diuidunitur enūciationes ex parte coniunctionis clausuræ cum prædicato . Sic etiam Arist.indefinite proposuit,inquiens. { In eo uerò quod uniuersale prædicatur , id quod est uniuersaliter prædicari non est uerum. } Enunciatio autem habens prędicatum uniuersale,nedum in contraria,sed etiam cōtradictoria,indefinita,& sub contraria esse potest:nō igitur ad contraria solum Arist. sententia arctanda uidetur.Nec Arist. explicat,subiectum uniuersatim prolatum esse,sed prædicatum uniuersaliter prædicari,siue affirmari,tam de uniuersali uniuersaliter,quam non uniuersaliter sumpto, uerum non esse.Sensibus etiam patet,prædicatum uniuersale nedum contrarijs sed alijs omnibus oppositionibus dictis,& infra, dicendis competere : in his enim uniuersale uniuersatim prolatum enūciationem falsam efficiet.Cum Auer. ergo & Ammo. potius sentiendum. Posset tamen ita intentio Arist. explicari, quoniam dixit enunciationē necessario indicare cum inest prędicatum,aut inesse alicui uniuersalium,uel singulariū : si uniuersalibus inest,uel ut uniuersaliter,uel nō: ex uniuersalibus ut uniuersaliter contrarię constant: ex uniuersalibus non uniuersaliter,nō cōtrariæ . Quæres igitur si uniuersalia , uel res uniuersales , quibus enunciationes conflantur,quædam uniuersales ut uniuersaliter dicuntur,quædam uerò nō uniuersaliter:prędicata autem enūciationum omnium,quæ uniuersalia esse ponuntur,similiter diuidi possent in uniuersalia ut uniuersaliter, & non . Respondet. { in eo uerò prædicato , quod uniuersale prædicatur}quod aptum natura, de pluribus affirmari{ id quod est uniuersaliter prædicari } Idest affirmari non est uerum. Cuius probationem exēplo producto,& inductione confirmat.Quia nulla affirmatio uera erit,in qua, cum uniuersale sit prædicatum,uniuersaliter prædicetur. Et inductio ex eo uerbo signatur{ nulla affirmatio}quasi dicat inductionem in omnibus facta,monstratur , nullam affirmationē &c. Et exemplo uniuersalis ut uniuersaliter indicat,ut omnis homo est omne animal. Quod exemplum Suessam permouit ad Arist. sermonem de contrarijs coarctandum: id minime cogitantem,exemplum unico inducto singulari quandoq; procedere : nam singularem:& indefinitam falsam esse, in quibus prædicatum uniuersale ut uniuersale dicitur , ut sortes est omnis homo,uel aliquis homo, aut homo est omne animal, omnibus perspicuum,est ac explicatione etiam exempli non indigens.De uniuersali autem ut uniuersaliter ex parte subiecti,quodammo ambigua uidebatur iccirco relicta est, A qua solutione Ammonius non dissentit. Circa istam intentionē nunc quærit, cur a prædicato uniuersali negatur addi illi posse signum affirmatiuum,nō autem negatiuū? Dicas,actu& explicite signi uniuersalis affirmatiui Arist. meminisse,propterea quod falsa propositio reddebatur, alias autem , quæ uerę, sunt iccirco reliquit, quia superfluæ, ac nulli usui syllogismorum,ac arte factæ explicationi utiles uidebantur, ut Commē.& Ammo. asserit.Primi dicti talis ab Ammo.ratio assignatur,quoniam prædicatum uniuersale, quod affirmatiuè de subiecto sūpto uniuersaliter affirmatur,natura idoneum est de pluribus predicari,idest ut unā naturam significans , in qua supposita plura,& inter se distincta cōueniunt, ut uniuntur.Subiecta igitur tāquam materiæ plures sunt, prædicata uerò tanquam formæ in quibus formata conueniūt,ut plures homines participatione speciei,& formæ sunt unus homo.Itaq; subiecta suapte natura indicātur signis distribui, ac partiri,prædicata uerò,tāquam res uniuersales , ab una forma desumptæ,sine aliqua præfinitione signari.Ex his causa alterius dicti facile declaratur: signum.n. cum subiecto coniungitur,siue affirmans,uel negans uocetur,eandem ueritatem efficiet,quam si adiungatur etiam prædicato,ut in his prędicatis ab Ammonio explicatur,quæ a subiectis disparatis , siue aduersantibus seiunguntur , ut omnis homo , est nullus,uel aliquis lapis:hoc.n.idem ualet, quod nullus homo est lapis.Similiter enunciatio, in qua prædicatum uniuersaliter affirmatum dicitur de subiecto uniuersatim negato, ut nullus homo est omne animal , uel nullus homo est nullum animal : quæ æquiualent his , nullus homo est animal irrationale,& secunda omnis homo est animal. Similiter superfluè additur, omnis homo est quoddam animal,quoniam per differētiam animal ipsum contrahitur, ut homo sit animal rationale : ita omnis homo non omne animal,idest per eandem differentiam , omnis homo non est animal irrationale.Simili ratione istæ,quę de quodam homine affirmantur,ut quidam, uel aliquis homo nullus lapis,idem asserit,quod homo, uel nullus homo est lapis. Sic aliquis homo non omne animal. i. aliquis homo non est animal irrationale: & si dicas, quòd secūdo de anima. 4.diffinit animā, quod sit actus quidam, & huius corporis actus.Dicas,ut quandoq; Arist. signis contrahētibus consueuisse, ubi prædicatum ambiguum, siue multiplex dicitur,ut actus pro primo,& secundo,animam autem : affirmat actum esse,non secundum, sed primum: ita quendam,non omnem:sic corpus non omne,sed physicum, organis præditum . Ammonius autem hac de causa Aristo. addidisse actum quendam, notauit, ne actus ut prædicatum reciprocare idest cōuersim prædicari de anima, ut subiecto,indicaretur,ac differentiam quandam adducere necegere,ut subiecti finitionem conficeret:addēdum (ut diximus)tum additione illa indigere cum genus multiplex diuersis generibus competit, uel diminutionem quādam significat, primo ethic.primo omnis ars &c. bonum quoddam appetere uidentur,non simpliciter,sed propriæ naturæ conueniens.Ex his colligitur,non rectè eos dicere,qui conuenienter signa addi posse prædicatis affirmant, quoniam illis Arist,utitur, & quod ad explicationem cōferūt ueritatis , ut omnis homo est nullus equus ,uel econtrariò . Item omnis homo est aliquis homo &c . quia sua contradictoria est falsa,nō omnis homo est aliquis homo, uel aliquis homo non est aliquis homo:ipsa igitur erit uera. Prętera omnes particulares illius uniuersalis subijciuntur uerè alicui homini,idest hic homo,Scr.Plat. &c. est aliquis homo,ergo ipsa erit uera. Distinguunt itaque signa affirmantia,uel negantia: & hæc quædam uniuersalia, quædā particularia uniuersa hæc,ait posse prædicatis coniungi , quando ad ueritatem explicandam conducunt, & nō impediunt . Sed propria uidentur commenta : ea enim artis considerationi conueniunt, quæ ex paucioribus possibilibus ueram in omnibus, aut pluribus reddunt orationē, minimeq; superfluam:ars enim imitatur naturam,quę de possibilibus eligit quod melius & facilius est : ita & ars, tertio ethic.sexto superflua,si quæ sunt reijcit, potens paucioribus propositū assequi: sed in omnibus ueram orationem efficimus,non superfluam: Item manifestiorē,assumptis paucioribus, signo tātum addito subiecto,non prædicato,Hæc ergo artis naturæ conueniunt,nō alia: quod unico Auerroes exemplo commonstrat , ut omnis homo est animal, superfluè additur esse aliquod animal : animal enim ambiguū , siue multiplex non est,ut sic necesse signo particulari,uel imminuente distingui. Frustra ergo adiungitur prædicato. Signa enim inuenta ab arte fuerunt , ad aliquid,quod ita apertum non est,explicandum.Similiter ut supra tetigimus , cum dicimus nullus homo est lapis ,

prædicatum, lapis, uniuersaliter negatur, ac facilius paucioribus, quam dicendo, omnis homo est nullus lapis, negari intelligitur ab omni homine. Si id ergo per unicum subiecto additum signum clarius intelligitur, secundum ergo uanum, ac superfluum erit. Et si præter intentionem naturæ est, frustra fieri per plura, quod nedum æquè bene, sed melius fieri potest per pauciora, idq; inconueniens operibus naturæ dicitur, non ergo tanquam conueniens arti ponendum, signa prædicato coniungi. Amplius conueniens alicui, ut proprium distribuitur, proprium autem necessarium est, quod si artifex docere forte contempserit diminutus uocabitur. Reprehendendus ergo Arist. foret, qui modos oppositionum reliquit, quando signum additur prædicato. Si ergo illa omisit in eo libro, qui nedum ad syllogismos edendos dirigitur, sed ad uerum, ac falsũ in communi explicandum: tanquam inartificialia, scituq; & doctu indigna putauit. De his enim regulis, ac rebus pertractat, quæ de omni uera esse ponuntur. Ad rationem Arist. diximus, & exemplis, quæ & si uerum enuncient, ex uanis tamen, ac superfluis signis commonstrant. Item hic liber ad librum priorum, & posteriorum refertur, quibus huiusmodi uniuersales enunciationes nequaquam deseruiunt, primo priorum. Hi ergo uiri non arti conuenientia, & propria quærunt, sed miscent communia proprijs, & uera per accidens, cum per se. Verum non quærenda sunt tantum possibilia, sed propria, ac conuenientia, quæ ad artium, & scientiarum facilem, & non superfluam cognitionem conducant. Quæri etiam posset de numero signorum, an tria, ut Suessa, uniuersalia scilicet, particularia & singularia, ut Porphyrius cap. de genere: an quatuor, i. discreta, uel duo, ut Arist. uisus est hic, & primo priorum primo dicere, cum ait, alicui inesse, uel omni. Mihi dicendũ uidetur, sicut duæ tantum sunt res, quæ considerantur, definiuntur, & intelliguntur ab arte, ut in quæsito ex Auer. & Aristo. diximus: ita duo sunt tantum artificialia signa uniuersalia, quæ naturam uniuersalem uniuersaliter in cõprehensis a subiecto inueniri significant, & particularia, quæ naturam singularium non esse in aliquo, neque dici de pluribus, neque de aliquo indicant: nam (ut in quæsito prædiximus) sicut particulare nullum fictionem aliam habet nisi illam, qua per priuationem naturæ communis sibi attributam, ab intellectu cognoscitur, & ab arte consideratur, qua ratione priuatiua, uniuersali per se, & in quantum ipsum opponitur: ita nullum etiam signum habebit, nisi quo uniuersali oppositi signabitur: omnis autem alicui non, & nullus alicui, aduersari dicentur, idest omnis & non omnis, nullus, non nullus quemadmodum res uniuersales, & particulares ab his signis explicitæ, dici de pluribus, & non, ab Aristo. ponebantur. Singularia uerò signa, non artificialia signa ab Arist. numerantur, hic, scilicet, hæc, & hoc, uel iste, ille &c. quoniam signa ista rem tantum sensu peruisam ac notam, a, ad digitumq; monstratam ostendunt, ut primo poster. quarto patet: ubi hunc circulum, qui descriptus in puluere demonstratur, tanquam sensibus manifestum, præcognoscendum non esse monstrauit. Verum artificialia signa ad rem aliquam ignotam indicandam docentur: singularia uero qua, quatenus ad artem spectant, signo particulari signantur, aut, ut extra animam sunt, nullo indigent signo artificiali, nisi sensibus ostendente: licet ars uti possit singularibus signis, certam personam indicãtibus, ut sensibus ignotam, uel ad aliquã dignitatem monstrandam Socratis, hic est, de quo dicebã uobis: quod tamen per se sub ratione particularis comprehenditur: ut supra de singularis, & particularis definitione prædiximus: & in cap. ultimo huius primi, non tamen hæc signa sunt necessario ab arte docenda, sed sufficit cognitio habita in grammatica.

TEX. BOETHII.

Opponit autem affirmationem negationi dico contradictoriè quæ uniuersaliter significat eidem quoniam non uniuersaliter: ut omnis homo albus est, non omnis homo albus est: nullus homo albus est, aliquis homo albus est. 1

Opponi autem affirmationem negationi dico contradictoriè, quæ uniuersaliter significate idem quoniam non uniuersaliter, ut omnis homo albus est, non omnis homo albus est: nullus homo albus est, aliquis homo albus est.

Quoniam supra oppositionem contradictoriam circa qualitatẽ affirmationis & negationis descripserat, hic contradictoriam, uel oppositionẽ contradicentem penes quãtitatem subiectorum uniuersalium, & particulariũ explicat. Sed petes, si prius contradictorias: & contrarias declarauit, cur iterum repetit? Suessa respondet, illas utrasq; oppositiones rursus describere, ut uideatur, quomodo differunt. Sed fallitur, quia dato quod oppositiones easdem differentiæ assignandæ gratia, refricarit, non tamen eandem contradictoriam penes quantitatem uniuersalẽ, & particularem, ut fecit hic, sed qualitatem dumtaxat. Præterea si supra utrasq; oppositiones descripsit, differentia uideri facile potuit, quam descriptio propria continet. Diuus Thomas aliter dicit: cum supra uniuersales indefinitis cõtulerit, nunc comparare uniuersales cum particularibus & uniuersales inter se. Hæc responsio uerum declarat, Arist. tamen propositum non uidetur attingere, quoniam modos oppositionis distinguere, non cõparare constituit. Præterea uniuersales inter se, idest affirmatiuam uniuersalem ut uniuersaliter cum negatiua (sicut hic) superius contulit: quamobrem igitur repetit? Dicendum ergo Arist. aliam oppositionem exprimere, quam contradictione appellat circa quantitatem, ad cuius differentiam contrarias denuo erigit. Sed quæres, cur cõtradictionem circa qualitatem oppositione circa quantitatẽ præposuit? Dicas, oppositionem circa qualitatem, attendi circa affirmationem, & negationem, quæ primum constituunt principium notissimum, de quolibet dicitur esse uel non esse. Item quia contradictio in qualitate cõmunis est (ut ante monstrauimus) omnibus aliis oppositionibus: iccirco prę cognoscenda necessariu fuit, & tanquam notio, & cõmunior. Hac itidem ratione, a notioribus ante retulimus contrarias contradictorijs esse præpositas: nam contradictio in quãtitate non ita erat perspicua inter uniuersalem affirmatiuam & particularem negatiuam, & negationem uniuersalem, & particularem affirmatiuam, sicut nota erat in ambabus uniuersalibus uniuersaliter: cũ sit maior destructio uniuersalis, ubi autem solũ particularis. Sed quæres si contradictio oppositionem in qualitate & quãtitate cõtineat, contrarietas uerò solum in qualitate: quamobrem, contradictionẽ opposita contrariis hic Arist. prætulit? Dico quòd contrarietas circa uniuersam & singulorum quãtitatẽ opponitur, cum uniuersalis affirmatiua omni dicat inesse, negatiua autem nulli: sed contradictio solum opponitur in quãtitate uniuersali & particulari, ut una pars dicat omni, uel nulli prædicatum inesse, altera uerò alicui non inesse, uel inesse. Cum particulari autem negatiua, saltem in materia de inesse, stat simul uera particularis affirmatiuam. Sed nunquam contrarię patiuntur aliquã particularem cum sua opposita contraria esse ueram, cum pro omnibus affirmetur, uel negetur. Quæres igitur ab Arist. explicasti superius affirmationem negationi opponi contradictoriè, quatenus circa enunciationis qualitatẽ sumuntur: doceas nunc quomodo in quantitate inuicem aduersantur. Respondet, opponi affirmationem negationi contradictoriè, eam (uel affirmatiuam, uel negatiuam) quæ

uniuersaliter

uniuersaliter significat.s.prædicatum inesse, uel nō inesse subiecto, eidem quæ nō uniuersaliter. Dicit, (eidē,) quoniā infra seipsum declarat, ut supra notauimus: oppositio omnis (ut affirmationem & negationem supponit) idem de eodem negare, uel de eodem affirmare necessario debet. Dicit, (nō uniuersaliter,) quasi semper, particulare declarans, ut ad naturam communem per priuationē refertur. {Vt omnis homo albus} Exemplo oppositionē declarat in uniuersali affirmatiua, & particulari negatiua, quā per non omnis significat.i.quidam homo nō est albus: & in uniuersali negatiua, ut nullus homo est albus & quidā homo est albus, & patet. Obseruandum hic est (& si paruī momēti res sit) cū particularem negatiuā declarat, ait, (non omnis homo albus:) sed affirmatiuam producēs inquit, (aliquis homo est albus.) Nā dices, si particulare nō aliter finitur.intelligitur, ac ab arte consideratur, nisi ut illi priuatio communitatis, siue naturæ cōis tribuitur, ut non prædicari de pluribus de particulari prędixit, & hic nō uniuersaliter: & de affirmatiua particulari dixit, non omnia, cur non itidem dixit de negatiua particulari? Satis nūc fieri potest, propterea negationē signo uniuersali affirmatiuo præposuisse, quod negatiuā apertè significat, negatio autē si signo (nullus) ab Aristo. adderetur, nō ita perspicuū foret, affirmatiuā particularem constitui, licet particularis re uera affirmatiua efficeretur. Item non ita manifestè negatio per negationem exprimitur, ac declaratur sicut affirmatio per negationem præposita, primo topic. octauo. Nam affirmatio rem, ut totum quoddam significat: negatio uerò ut diuisum.

TEX. BOETHII.

Contrariè uero uniuersalem affirmationem, & uniuersalem negationem: ut omnis homo iustus est, nullus homo iustus est.

Contrariè uerò uniuersalem affirmationem, & negationem, ut omnis homo iustus, nullus homo iustus est.

Contrarias explicat, ut supra, ad diuersum tamē, ut docuimus, finem. Nam supra, ut modum oppositionis ex rebus uniuersalibus sumeret, ut uniuersaliter sūptis: hic idē modus repetitur, quatenus eius ad contradictionem discrimen appareat. Hos autem oppositionis modos tot esse, non plures, apertè monstratur: nam omnis oppositio, uel est in qualitate tantum. & ita contradictio omnibus modis oppositionū communis desumitur: aut in qualitate, et quantitate: & in quantitate, aut eadē uniuersali in utrisque ut contrariæ: aut circa qualitatem diuersam, & quantitatem eandem, ut subcontrariæ: aut circa qualitatem diuersam, & quantitatem, ut contradictoria: in uerbis illis. {Opponi quidem igitur affirmationem negationi dico contradictoriè ἀντιφατικῶς} Ammonius ex Porphyrio philosopho annotat, in aliis gręcis exēplaribus ἀποφαντικῶς enunciatiuè scriptum inueniri, quatenus ex hoc Arist. significaret, de ea affirmatione & negatione se intelligere quæ (contradictorie opponatur) quæ in enunciatione consistit, nō in simplicibus uocibus finito.s.uerbo, quod affirmationis nomen intelligitur, & infinito, quod ut negatio etiam intelligi consueuit. Sed Ammonius hanc secundam scripturam ex uerbis sequentibus improbat, quoniam hac ratione contrarię dici potuerunt enunciatiuè aduersari. Sed forte Ammonio Porphyrius responderet, ex eisdem statim subsequentibus uerbis se Aristo. explicare, de qua oppositione affirmationis & negationis intelligat, cū ait. {Opponi enunciatiuè affirmationem negationis eā dico, quæ uniuersaliter significat, eidem quæ non uniuersaliter, ut omnis homo albus, non oīs homo albus.} De oppositione igitur enunciatiua affirmationis & negationis (quæ inter uniuersalem, & uniuersaliter, affirmatiuam, & negatiuā particularem) intelligit, non contrariis. Aliter ergo secundam scripturam testillo ex uerbis sequentibus, & præcedentibus: de ea.n. affirmatione, & negatione Arist. loquitur, quæ enunciatiua est, quam supra dixit necessario ex uerbo constare. Itē. de rebus uniuersalibus loquitur, quæ insunt eidem subiecto, ac uniuersaliter inesse significāt. Nō igitur de oppositione simplicium uocum, uerbo.s.finito, & infinito. Præterea affirmationis, & negationis hic meminit, quam supra contradictionem uocauit, omnibus speciebus oppositionis communem: & species enunciationis distinxit, quas idem prædicatum de eodem, uel ab eodem subiecto re, nō nomine tantum, enunciare prædixit.

DE REGVLIS OPPOSITORVM CAP. VI.

TEX. BOETHII.

Quocirca has quidem impossibile est simul esse ueras. His uerò oppositas, contingit aliquando in eodem simul esse ueras: ut non omnis homo albus est, & aliquis homo albus est.

Quamobrem has quidem impossibile est esse simul ueras, his uerò oppositas contingit aliquando simul esse ueras, ut non omnis homo albus, aliquis homo albus.

Ammo. ait, ostendere Arist. quæ contradictoriè sibi obsistent ex his octo enunciationibus, quæ sumptæ sunt ex cōiunctione subiecti uniuersalis, impræfiniti, particularis singularis, affirmatiui, uel negatiui, dixitq; opponi cōtradictoriè uniuersales ut uniuersaliter, cū particularibus secundū diametrū, & singulares, sed non indefinitas, ac particulares, quæ eandem habere uim supra, & infra monstrabitur. Rationē adducit ex textu, quoniam non semper diuidunt uerum & falsum, sicut illæ quæ propriè cōtradicūt sed ambæ sunt ueræ. Sed explicatio ista propositum Ari. non attingit, quoniam nedum de uere contradicentibus oppositionibus loquitur, quæ uerū ac falsum enunciant, sed ēt de contrariis, quarum primum dispositionem in ueritate & falsitate docere cōstituit, uel ex superioribus colligit. Cum Auer. igitur intentio proponenda, qui in fine huius capitis colligit, tria de sumptis speciebus enunciationis docere Ar. statuisse: primū quādo sunt oppositæ.i. quū una re, non nomine tantum, alterā negat, ac destruit alterum, quot essent modi oppositionum, contrariæ, & contradictorię, & subcōtrariæ: tertiū nunc declarat, qualis sit dispositio earum (omnium.s. quas distinximus) in oppositione, in enunciando uerum, & falsum, i. cum superius pateat quid oppositio sit, ut cōis singulis speciebus, et cognitio specierum, nouissime sunt specierū opera propria cognoscenda, qua.s. ratione ad uerum ac falsum enunciandū se habeant. De contrariis ait. (Itaq; has) quas proximè posuimus, contrarias {Impossibile est simul esse ueras.} et de subcontrariis particularibus inquit. {His uero oppositas contingit aliquando in eodē simul esse ueras,} sed non pro eodem, ut infra dicemus, sed pro certis singularibus subintellectis. Quærunt quæ ratio assignari potest horum duorum? Dicunt ex natura contrariorum, quæ nūquam eidem possunt competere, ut album, & nigrum bene simul remoueri, ut uerè subiectum esse dicatur. Sed si ratio ista uniuersaliter procederet, una saltem pars esset uniuersaliter uera ponenda: sicut in omni contrario, uno posito in subiecto, alterum remouetur, præcipue in contrariis immediatis. Vniuersalis autem in omni materia nunquam uniuersaliter uera deprehenditur, quoniam proposito, quæ est de significato contingentium,

dest de inesse (quod accidens & non necessarium dicitur primo priorũ.4.14.24.quæsito tertio prioristico) universalis nunquam efficitur. Nam accidens ab Ari.definitur, in postprædicamentis quod paucioribus inest subiectis, & breuiori tẽpore.i.non omni, & semper. Nunquã igitur enunciationem universaliter ueram efficiet. Qua de causa cum hic (ut supra tetigimus) de enunciationibus de inesse ut communibus, tractet, de necessariis uero non primum nisi quatenus actu insunt subiectis. enũciationes de inesse universales universaliter non fiunt. Ex his igitur, quæ prædiximus, dispositio ista contrariorum potest concludi: si contrariæ ex universalibus, ut universaliter, constant, nunquam simul ueræ ponentur: animaduertendum est tamen (ut Ammonius & Auerroes aiunt) istam contrariorum dispositionẽ intelligi, quando in materia contingente.i.de inesse fiunt, non necessaria, uel impossibili. In his enim necessario si una est uera, reliqua necessario erit falsa: sed in materia de inesse, si una ponitur tanquam uera, reliqua falsa ponetur, sed non necessario, sed ex posito. Sed hic animaduertendum est, quod cum litera proprietatem contrariarum concludat, ad omnem materiam possunt extendi, ut regula per se uera, & de omni ab arte ponatur; licet in primis de propositionibus de inesse intendatur. Vniuersaliter autem est uera proprietas in omni materia ut nunquã contrariæ, idest tam affirmatio quam negatio simul ueræ dicantur. sicut simul ueræ sunt in, contrariarum oppositis quæ particulares, subcontrariæ, & indefinitæ dicuntur. Eodem enim modo sumendum contrarias impossibile esse simul ueras, quo modo de ipsarũ oppositis dicitur: aliquando contingere in eodem simul esse ueras: aliquando autẽ contingere subcontrarias esse simul ueras, de affirmatione & negatione intelligitur: ergo de contrariis affirmationibus, & negationibus impossibile esse.i.semper ueras esse necessario intelligitur. Sed dubitabis, si ista proprietas intelligitur de contrariis universalibus, ut simul adinuicẽ cõferũtur: ratio igitur superius assignata uera non erit.s.quia in materia de inesse, ubi prædicatum est accidens, quod in paucioribus subiectorum & temporum inest, propositio universaliter uera non sit: quoniam ratio illa concludit, universalẽ propositionem ueram non esse, diuisam, & unicam etiam, affirmatiuam, uel negatiuam: non ut affirmatio universalis negationi universali simul confertur. Item falsum est, enunciationem universalem, ut universaliter, uerã nõ esse: quoniam, ut supra monstrauimus, in hoc primo libro potissimum agitur de materia de inesse, & necessaria non nisi ratione, qua cum illa de inesse consentit: ut prædicatum actu competit ipsi subiecto. Supra autẽ res in universales & singulares distribuit, quas dixit inesse uel universalibus ut universaliter, uel non: exempla produxit in materia de inesse, ut omnis homo albus, nullus homo albus. Præterea in libro priorum in materia de inesse propositiones universales universaliter edũtur, ex quibus syllogismi universales consistunt. Ex his ad rationem adductam dicamus, & si materia de inesse sit suapte natura cõtingens, & accidens, quod actu plurimis subiectorũ non insit, uel temporum: potestate tamen, uel non impossibile est tamen inesse, quia primo priorum, 18. contingens, non necessarium est, eo tamen posito esse, uel non esse, nullum sequitur impossibile. Contingẽs, ergo quod ponitur inesse. ut inuentum est, enunciationem constituit de inesse: propterea assignata causa, ad uerba ac Arist. sensum conueniens non uidetur. Melius igitur respondendũ existimo, duabus ex causis contrarias simul esse ueras impossibile est esse, primũ ex cõtradictione affirmationis unius ad unam negationem collatæ, quæ cũ primum principiũ efficiant, de quolibet dicitur esse, uel non esse, hæc autẽ de nullo ambo simul possibile est prædicari: contrariæ igitur ut ex affirmatione, & negatione unius cõsistentes, hãc proprietatem participant, Sed contra dices, subcõtrariæ ex affirmatione & negatione cõstituũtur, quas quãdoq; simul esse ueras contingit. Item contradictionis poterat eandem proprietatem attribuere, quæ etiam ex affirmatione & negatione cõstãtur. De his autem Arist. aliã proprietatem assignat, necesse est alteram esse ueram, uel falsã. Ad primam superius diximus, & infra dicemus, si indefinitæ & subcontrariæ pro eodem subiecto & prædicato sumantur, propriè affirmationem & negationẽ descriptas superius cõtinebunt, quas impossibile est simul de eodẽ esse ueras, ut infra seipsum Arist. explicabit. Similiter ad secundam dicatur, licet contradictionis altera pars necessariò sit uera, uel falsa: si tamen simul sumantur, impossibile erit simul esse ueras. Secũda causa est, primam etiam continens, quoniam prædicatũ, quod inest, omnibus, uel nullis inesse signatur: ex quãtitate igitur universa, & qualitate affirmationis, & negationis, repugnantia maxima in contrariis sumitur, ut uere simul esse non possint: Contradices, in postprædicamentis quæcunq; tãquã affirmatio, & negatio opponuntur, his propriũ est solis, semper alterum eorum uerum, alterum falsum esse, quod falsum in universalibus contrariis erit. Dicas istud ambabus cõtrariis repugnare, nõ ratione affirmationis, & negationis; quia sequitur, omnis homo albus, uel non est albus, decimo met.15.sed ratione utriusq; universalis negationis, & affirmationis, quæ (ut Arist. in postprędicamẽtis affirmat differẽtia.8.& differentia.7.) in ipsis oppositis contrariis, priuatis, uel relatis non fit: & cõtrariæ quantitates in materia de inesse universaliter, & necessario omni susceptibili simul nõ inesse. Dices, in postprædicamentis, Arist. ait (cõtrariorũ, non necessariũ est, si alterum sit, alterũ esse) quia Socrates sanus Socrati languenti contrariũ est, cum non sit possibile utrunq; contrarium eidem inesse simul: contrariis igitur proprium est, simul ueras non esse. Dicas est quarto meta, nono apud, Auerroem. in Alex. 25. firmissimũ, ac notissimum principium esse, impossibile esse, ut idem simul insit, & non insit eidẽ, ac per idẽ &c. quę determinata sunt in elẽchis, & in lib. de interpretatione, ut Alex. notauit. Idem ex posito, & cõcessio in contrariis infert, cũ dicit. (Quod si fieri nequit, ut contraria simul insint eidem (additis cõditionibus, quæ in definitione cõtradictionis sunt positæ, ut insint eidem, per, idem, eodẽ tempore &c.) patet impossibile esse in contradictione, ut uera simul ponatur, simul esse, & nõ esse.) Vbi animaduertẽdũ ex Alex. rationẽ Arist. cõtrariis cõcessis, & notis uti, ac posterioribus, siue posterius aliquibus tamẽ notioribus proprietatẽ illã participantibus, ut cõtradictionis assignatæ contradictiones ponũtur, ac mutuò acceptæ a cõtradictione, cõtrariis ipsis adduntur. Ex his duo nostrã sententiã cõfirmantia colliguntur: primũ, contrarias impossibile est, simul ueras esse, propterea ꝙ primum principiũ notissimum, ac firmissimũ continent: cõtradictionẽ.s. affirmationem, & negationẽ, quas impossibile est, simul eidẽ inesse. secundum: eandem proprietatẽ omnibus conuenire oppositionibus, quæ affirmationem, & negationẽ eiusdẽ, de eodem secundum idem &c. necessariò cõplectuntur. Nam.10.met.15.16.&17.apud Alex. cõtradictio prior oppositio ponitur. itaq; contraria iccirco impossibile est simul esse uera quia priorem affirmationem, & negationẽ supponũt. Nã contraria priuationem, & habitum, hæc autem affirmationem, siue esse, & negationem, siue nõ esse, ante requirunt, ut oppositionem præcipuam: cõtraria igitur impossibile esse, simul esse ueras, ex primo principio firmissimo, ac notissimo patet: nec id primum habere ex natura rerũ contrariarũ, quæ priuationem ac cõtradictionem, nõ potentes simul esse ueras, priores supponũt. Itaq; proprietatem hanc non solis contrariis cõtrauenientem apponit, sed quia (ut ex Alex. retulimus) hoc cõtradictioni in qualitate sola ꝓpriè cõpetẽs, clarius in oppositione cõtraria ex ambab[9] universalibus explicatur, ac noscitur,

scitur, quam in contradictione ex una uniuersali tantũ, & particulari composita: sicut quarto meta. 25. uel. 9. ex cõtrariis confessis, & notis, de cõmuni contradictione quodammodo palam fecit: idem. s. nõ posse inesse, & nõ inesse simul eidem. Hæc de prima regula siue dispositione, pluribus quam institueram, dicta sint satis: & pauca de secũda subcontrariarum dicamus. Cur est ꝙ oppositas cõtradictoriè his contrariis aliquando contingat simul esse ueras? Suessa, a diuo Thoma etiam sumens, respõdet, secundam ex prima patere, quia si contrariæ non possunt esse simul ueræ, subcontrariæ non possunt esse simul falsæ. Cõsecutio ex opposito, & cõtradicentium enuntiationũ regula commonstratur: quoniam si hæ essent simul falsæ, ergo earum contradictoriæ ambæ uniuersales, ut uniuersaliter, essent simul ueræ: cõtradictionis enim est norma, ꝙ si una est uera, reliqua sit necessario falsa: ergo si contrariæ sunt simul falsæ, contradictoriæ erũt simul ueræ. Sed mihi ratio ista non placet, nam sic per regulam contradictionis dispositio secunda per primam concluditur, necesse dixisset de his oppositis cõtradictoriè, simul esse ueras, sicut in regula contradictionis dicetur. Necesse est alteram esse ueram, uel falsam. Arist. autem de subcontrariis dixit. {His uerò oppositas contingit aliquando} in eodem {esse simul ueras.} Necessarium autem non aliquando cõtingere dicitur, sed semper esse. Præterea ex uerbis met. Aristo. arguo, si contingit aliquando subcontrarias esse simul ueras contingit etiam aliquando non esse ueras. Nã primo priorum. 58. contingere dicitur, quo posito inesse, uel non inesse, nullum sequitur impossibile. Eo (argumenti ui) dato, sequetur ex positis Suessæ concessis, si subcontrariæ aliquando sunt simul falsæ (quod sensibus etiam patet:) Sorte currente, & Platone nõ currente, falsæ ambæ istæ dicẽtur, aliquis non currit pro Sorte, et aliquis currit pro Plat. inde sequetur cõtrarias simul necessario esse ueras, quod Arist. aduersatur, & uero. Item, si regulæ istæ, ut ipse fatetur, ex natura rerũ contrariarũ desumuntur, ergo sicut cõtraria non possunt inesse eidem uniuersaliter sumpto, ita nec simul uera esse, idest inesse eidem particulari ratione aliqua possunt: ut ex Ari. 4 meta. 9. uel 25. mõstrauimus, ut eidem, & ad idem, eodem tempore inesse ponũtur. Adhæc, si subcontrariæ, ut contradictoriæ uniuersalibus contrariis opponũtur, necessario ut affirmatio & negatio sũt contradictio enim superius dicta est, quæ affirmatione & negatione consistit. Sed supra retulimus, quarto meta. 25. uel 9. quod has impossibile est simul esse ueras. Igitur si ut contradictoriæ capiuntur, opposita dispositio illis cõpeteret; impossibile esse, simul esse ueras. Dicendum igitur cum Arist. hic in tex. & infra dispositionem istã nõ necessariò, ac semper subcontrariis conuenire, sed cõtingenter, & aliquando, ac per accidens: & non quatenus cõtradictoriè, uerèq; (ut descriptum superius est) opponũtur, in eodem, & pro eodem &c. sed pro singulis diuersis in affirmatione, & negatione subintellectis: & quia nõ regula est per se, ac de omnibus (ut Cõ. ait) uera, nisi in materia contingenti. i. de inesse, cuius prædicatũ est accidens, quod (ut retulimus) paucioribus subiectorũ ac temporũ inest: capite de fallacia accidentis quibusdam inest, quibusdam uero non inest: sicut contrariæ simul falsæ propterea dicebantur, & una non necessario uera, uel falsa, ꝙ ab his accidens inesse omni, uel nulli indicabatur, contra accidentis naturam, quæ a diuersa materia diuersorũ producitur, nõ ut accidens proprium, quod formam unam necessario ab agente consequitur. E contrario in materia necessaria inuenitur, in quasi particularis est per se uera, alia necessario falsa, quia idem ualent uniuersalibus contrariis in materia necessaria, uel impossibili, ut secundo celi. 49. & 59. octauo phys. 33 secundo top. 7. quarto top. primo, in ultimo: quas impossibile est esse simul ueras. Circa primam regulam dubitatur: primo priorum. 18. Aristo. ait, contingere omni, sequitur contingere nulli, quoniã ambæ & affirmatiuæ, & ueræ ponuntur: confirmatur quia Am. & Auer. asserunt has dispositionum regulas in materia de inesse fieri: & si de inesse, hæc constant ex prædicato, quod accidens est, & contingens, non necessarium. Dicas, hoc inter propositionem de inesse, & contingentem differre, ut optimè Auerro. in quæsito prionstico declarauit, quod de inesse est, cuius prædicatum est de natura contingentis quod dum actu inest de inesse uocatur. quatenus uero actu non inest, potest tamen inesse, uel actu adherens, ut potest non adesse, contingens propositio dicitur. Ex his patet responsio, nam hic de materia non contingenti sed de inesse propriè, ac potissimum loquitur: propositiones autem de inesse, primo priorum quarto, conuerti in oppositam qualitatem negantur. quod primo prior. 18. de uere contingentibus affirmatur.

TEX. BOETHII.

Quecunque igitur contradictiones uniuersalium sunt uniuersaliter, necesse est alteram esse ueram, uel falsam & quecunque in singularibus sunt, ut est Socrates albus, non est Socrates albus.

Omnes igitur contradictiones que uniuersalium sunt uniuersaliter, necesse est alteram earum esse ueram, uel falsam, & quecunque in singularibus sunt, ut est Socrates albus, & non est Socrates albus.

Dispositionem contradictoriarũ exponit, & clara est litera. Quæcunq; contradictiones uniuersalium uniuersaliter sunt, quas supra inter uniuersales & particulares fieri retulit, necesse est alteram esse ueram, uel falsam. Quæ dispositio ex natura primi principii prouenit. De quolibet dicitur esse, uel non esse, ut omnis homo inæqualis, uel nõ inæqualis, decimo metaph. 15. eandem dispositionem ueram ostendit in singularibus, quæ ueram contradictionẽ efficiunt, unius uerè de uno, ad idem, secundum idem, similiter, & eodem tempore, ut Socrates est albus, & nõ est albus. Dicit (necesse est) ut notaret dispositionem necessariam contradictioni in omni materia conuenire.

TEX BOETHII.

Quecunque autem in uniuersalibus non uniuersaliter, non semper hec quidem uera est, illa uero falsa est. Simul enim uerum est dicere, quoniam est homo albus, & quoniam non est homo albus: & est homo pulcher, & non est homo pulcher.

At uerò que in uniuersalibus non uniuersaliter, non hec quidam uera, illa uerò falsa est: simul enim uerum est dicere, quonian est homo albus, & quoniam non est homo albus, & est homo pulcher, & non est homo pulcher.

Oppositum de indefinitis ostendit, quas dicit simul esse ueras, non unam necessariò ueram, alteram falsam. Quæres, cur Aristoteles tacuit, indefinitas contingere aliquando esse ueras? Dicas, intelligi ex his, quæ superius de particularibus dixit, quoniam uno opposito, alterum quodammodo palam fit: modo si in uniuersalibus uniuersaliter contradictionis ita ponuntur, ut necesse sit alteram esse ueram, uel falsam: ergo cum dispositio ista ab indefinitis negetur, & opposita dispositio similis illi assignata superius de particularibus, indefinitis ita

datur, eædē igitur particulę in utrisq; ponendæ, ut in hūc modum dicatur. Quæcunq; uerò in uniuersalibus non uniuersaliter, non hæc quidem uera (necessario, scilicet) illa uerò falsa, quoniam est idest contingit aliquando, simulq; est uerum dicere, quoniam est homo albus, & nō albus: iam in ambabus similis ratio inuenitur. Idcirco enim in his affirmationem, & negationem aliquando ueram esse contingit, quod in materia de inesse fieri ab Auer. & Amm. & Arist. (ut exposuimus) dicitur. Nā significatū & prædicatum, quod accidens est, cum sine signo, ac indefinitè profertur, pro particulari accipi intelligitur: huic enim cōmune accidens inest. Præterea sicut particulares sunt ambæ ueræ, quia pro diuersis singularibus assumuntur, ita & indefinitę: & quia ut superius explicauimus, & infra Ammonius dicet, in omni significato cuiusq; materiæ se consequuntur, ut si homo sit albus, uel animal, ergo & aliquis homo, merito inseparabilis existentię. Non ita indefinita, & uniuersalis, uera, se mutuò inferūt. {Quoniam est homo albus.} Ammonius uult, indefinitarum dispositionem duobus exemplis ostendi, primo ex cōtrariis prædicatis in duabus affirmatiuis, pro diuersis singularibus ue homo est pulcher, & homo est deformis, quæ licet sit actu affirmatiua, potestate tamen est negatiua, ut declarabit inferius: idē enim ualet, homo est deformis, quod, nō est pulcher. Cui etiam dicto exemplo, alterum in litera addi potest, homo est albus, & homo est niger, idest non est albus. Secundo exemplo (ait) idem explicat in nō cōtrariis, sed quæ ad inuicem conferuntur, tāquam perfectū & imperfectum, ut homo est, & homo fit, quæ negatiuæ æquiualet, idest homo nō est. Hæc licet sint uera, ac ex Arist. decimo metaph. 15. (ut supra retulimus) approbata (nā opposita omnis contradictionem priorem supponunt) tamē hæc non in duabus affirmationibus, sed negationibus explicauit & tribus exemplis: primis duobus, quæ in cōtraria possunt dissolui: tertio ex his, quæ gignuntur, & sunt. Circa hæc quæ de indefinitis sunt dicta, Amm. longa digressione, & difficili, quærit duo, quomodo impræfinitæ, uel indefinitæ simul esse ueræ dicantur? Secundò quam uim habeant, particulariū, an uniuersalium? Hæc duo adeo obscure ponuntur, ut quidam aut reliquerit, ut Suessa, aut falsè, ac diminute perceperint. Primum Am. ad secundam dubitationem respondet, quoniam ex eius ueritate patebit solutio ad primam. Nos, ut a facilioribus inchoemus, eo quo sunt quæsita, ordine respondebimus: Ad primam igitur ita respondet (quia textus Arist. declaratur) indefinitas affirmatiuas, & negatiuas esse ueras simul affirmatio, & negatio est eiusdem prædicati de eodē subiecto, ut homo, uel aliquis homo est, uel nō est albus, non tamen pro eodem, sed pro singularibus, ab homine comprehensis, subintellectis. Sed huic solutioni Ammonius aduersatur rationibus antiquorum primū, quod imperfecta esset oratio, quoniam prædicatum idem de subiecto eodem non explicat ex se, sed per alterum, idest per partem, & inferius, ergo per accidens. Nam imperfecta dicitur, cuius ueritas pendet ex alio: indefinita autem ex alio sub intellecto singulari dependet: imperfecta igitur erit. Item secundo Aristo. non seruaret quæ ipsemet de oppositione affirmationis cum negationibus posuit, ut sint eiusdem, de eodem pro eodem, ad idem, re non nomine tantum. Ad hæc Ammonius ait, quod certa singularia particularibus, ac indefinitis (ut uera ponantur) subaudiri necesse est: nec primum obiectum in Arist. sequi imperfectam esse orationem: quoniam idem habet prædicatum, quod de eodem particulari, uel indefinito prædicatur subiecto: licet propter subiecti partes diuersas, idest singularia certa Anytum iniustum, & Socratem iustum. Contra instat Ammonius, ergo ex his particularibus, ac indefinitis non fiet uera contradictio. Illatum concedit, tanquā nihil inferens, quod uerbis Arist. aduersetur, nā quandoq; simul in ueritate concurrunt. Nouissime contradicit, quoniam primo poster. 12. decimo metaph. 15. contradictio definitur, cuius, secundum se, non sit medium. Præterea in post prædicamentis. & quarto meta. 9. & 15. necesse est alteram contradictionis partem esse ueram, uel falsam. Satisfacit, locis supra uocatis Aristot. loqui de contradictione propriè dicta, quæ semper uerū ac falsum diuidit: hic autem de cōtradictione communius loquitur, quatenus oppositio contradictoria, pro omni oppositione affirmationis & negationis eiusdem prædicati de eodem subiecto desumitur. Hæc Ammonii solutio, si intelligat contradictionem, quæ solum uidetur in nunc productis exemplis particularis, & indefinitæ, uerum affirmatiuam (ut supra docuimus) pro singularibus subintellectis diuersis, ueræ ambæ particulares, ac indefinitæ ponuntur. Qua responsione colligitur, uerum esse, quod contra Suessam prædiximus, particulares simul aliquando ueras, ac indefinitas sumptas non esse, ut contradictoriè propriè opponūtur, sed pro diuersis. Si uerò id negare constituit, quod in ipsis particularibus, ac indefinitis, contradictio propriè dicta non sit, falsum responsio continet, quoniam (ut supra tetigimus, & Deo uolente dicemus) Arist. commonstrabit quando altera contradictionis pars necessariò uera, altera falsa, cum pro eodem sumuntur prædicato, & eodem subiecto: Falsum itidem erit, si uelit in libro posterio. & in post prędicamentis contradictionem propriè dictam finiri: in hoc autem libro cōmuniter: quoniam illismet conditionibus definitur, quibus, ut est eiusdem, de eodem, ad idem &c. quam impossibile dixit simul esse uerā: & quarto metaph. 9. uel. 15. definitionem contradictionis (quam impossibile est simul esse ueram, cuius secūdum se nihil est medium, illam aufugiens) sumptam Arist. ait ab hoc libro, & primo elenchorum, ut optimè Alex. exponit, quarto metaph. 25. Eadem igitur propriè dicta cōtradictio in omnibus adductis locis consideratur: quare dicēdum necessario erit, particulares, & indefinitas in eodem simul esse ueras, non eodem secundum rem, sed nomen tantum, cum diuersa singularia subintelligātur. infra. n. eadem affirmatio, & negatio dicitur, in qua idem de eodem re, non tantum nomine prædicatur. Ad secundam principalem dubitationem respondet, primumq; opinionem ueram Arist. ponit, qui eandem habere uim cum particularibus asserit, tam in affirmatiua indefinita (in qua omnes etiam antiqui conueniunt) quam etiam in negatiua, a qua dissentire uidentur: quoniam (ut diximus) pro eodem significato sumuntur singulare, ut quidam homo est albus, & quidam non est albus: ita & in negatiua. Item sicut in materia contingente particulares simul uerum enūciant, ita & indefinitæ, quæ cum particularibus in ueritate se mutuò consequuntur. Dices id uerum in materia esse contingente, ubi prædicatum est accidens, quod singularibus inest, non generatim uerum. Hac de causa Ammonius generatim in omni materia quærit, item in affirmatione, & negatione, an ista uis insit indefinitæ cum particularibus propositionibus in communi, de quibus hic agimus, considerandum? Ut autem uis hæc uniuersaliter uera tam in affirmationibus, quàm negationibus commonstretur, a communi confesso secum cum antiquis ordiatur, rem omnem imperfectam ad eam potissimum rem accedere ac similem esse, quæ imperfecta est. Nam (ut dicetur) idcirco conclusio imperfecta, debiliorem, ac imperfectiorem partem cōsequitur, quoniam simile a simili prouenit, & defectus nō in causam primam, ac perfectam reducitur, sed secūdam imperfectam. Hoc dato, indefinitam ignobiliorē esse omnibus præfinitis, ostendit, quia ad præfinita confertur, tanquam materia informis ad ea, quæ sunt iam formā adepta. Nam signa indefinitā, ac ut imperfectā, & prius existentem, perficiunt. Ex quo principalis cōclusio, ac intenta deducitur. Assimilabitur ergo indefinita particulari

quæ

quæ imperfectior est universali. Dicent antiqui, & si id tā quam verum tecum ponamus, indefinitam, ut carentē finibus signorum, imperfectam vocari: item, ut imperfectam, propositioni deteriori similem esse ponendam: demus etiam particularem affirmativam ignobiliorem esse universali affirmativa: particularem tamen negativā potiorem esse universali negativa docemus, ac approbamus. Nam universalis negativa omnem subiectorum subsistentiam destruit: non ita particularis: ut aliquis non est albus: hæc enim in materia contingenti, idest de inesse, secum consistentiā particularis affirmativæ permittit, ut aliquis homo est albus. Itaq; antiqui ex hac similitudine negativæ universalis imperfectionis, indefinitā concludunt parē habere vim cum universali negativa. Secundo ex Ar. usu confirmant: indefinitam enim Arist. pro universali negativa, tertio phy. tertio sumpsit, dicens (Motus non est præter res ad quas est. Item secundo de anima. 136. infra (sensus alius præter quinque non est.) Igitur homo iustus non est, idem valebit, quod nullus homo iustus est. Ad hæc responsionem verā antiqui dederunt, quam aliqui improbāt, & nos ad primum dubium respondentes adduximus ac improbationes diluimus. Alio enim particulari subintellecto in materia de inesse simul veræ ponūtur: & infra ad exempla ex Arist. adducta, dicemus, in materia impossibili, sive necessaria fieri. Ammo. antiquis omnibus contradicit, ac universalem negativam potiorem esse particulari negativa his rationibus approbat: præmittit aūt quod mala, tanquam naturæ inconvenientia, adesse rebus ponūtur, ac ab enunciatione affirmativa explicata tanquam cōtra naturam existentia in subiectis, non expetenda, sed reiicienda sunt potius. Hoc constituto, propositam conclusionem deducit, in malis (quæ per affirmationē subiectis cōpetere, vel adesse ponuntur) negatio universalis ea omnia naturæ non convenientia reiicit: particularis autē aliqua, non omnia, tolli significat: universalis igitur negatio, omnia mala depellens, eligibilior erit particulari, ergo præstantior. Item, ex opposita affirmativa particulari, quod de universali negativa dixerat, confirmatur: nā si in eligendis malis particularis affirmativa præfertur, ut quæ minus malum, & particulare inesse subiecto inconvenienter declarat: ergo a maiori, negativa universalis, quæ universa mala, ac inconvenientia destruit, negatq;, eligibilior erit particulari, quæ plura relinquit, & partem tantum malorū repudiat. Nam sicut esse omnino, & simpliciter (quod universalis affirmatio explicat) præstat esse particulari, quod particularis enunciat, ita nō esse simpliciter, quodq; naturæ conveniens quandoq; non est (quod universalis negatio, tanquam malum, ac de medio tollendum declarat) præponendum erit non esse, ac malo fugiendo particulari, quod a negativa particulari signatur: optione enim malorum omnium facta, minus malū seligimus. Ex his Ammonius improbat, quod antiqui posuerant, particularem scilicet affirmativam deteriorē esse universali affirmativa, quoniam si indefinita eandem vim habet cū imperfectiori, ergo & cum universali affirmativa, quæ (ut deductū est) in malis (quæ inesse subiectis omnibus significat) minus eligenda est, ut deterior sua particulari. Nō igitur ex ratione imperfectionis, indefinita sentire, ac convenire cū particulari affirmativa mōstrabitur. Sed dices hanc rationem Ammonii in antiquos, contra se etiam esse, qui ait indefinitam, ut imperfectam, cum particulari imperfectiori convenire: verum si in malis universalis affirmatio deterior est, cum universali igitur indefinita conveniet. Ad hoc Ammonius animadvertens, respondet, universalem negativam particulari deteriorem non esse, si qualitate non differt, idest si ambæ negativæ ponātur, sed in quātitate collatis. dicendum, omnem universalem præstantiorem per se esse, ut totū præstantius est sua parte, & universale particulari, quæ penes quantitatem attenduntur, maiorē, vel minorem. Addit Ammo. (non ascitis rebus, de quibus decernunt) hoc est, nō assumptis, ac cōsideratis rebus, quas negatio universalis, & particularis enunciant: sic. n. per accidens, particulari, universalis negatio comparabitur, ac quandoq; particularis præstantior universali quandoq; e contrario deprehendetur: sicut res, quas explicant, quandoq; perfectiores, quādoq; minus perfectæ dicitur. Similiter affirmatio universalis negationi collata (per accidens ratione materiæ, quā enunciant, quatenus enunciant quod non est, esse) deterior erit negatione, quæ significat quod non est nō esse, sicut verum falso præfertur. Itaq; divum Tho. ad mentem Amm. dicere nō existimo: indefinitam non iccirco eandem vim cum particulari habere, quòd sit deterior: quoniam Amm. approbavit indefinitam deteriorem pro deteriori sumendam, sed pro deteriori per se, ratione propria instrumenti (intelligas in quātitate collati. i. universalis, & particularis.) sic. n. ex Arist. primo priorum retulimus conclusionem sequi partem deteriorem, verū non sumi oportere pro imperfectiori per accidens ratione materiæ explicatæ. i. pro ea enunciatione, sive propositione, quæ res potiores declarat. quod cōtingens, ac varium est. Hoc modo antiqui negationem universalem deteriorem particulari probabant, quia omnia destruit: si id. S. Tho. voluit dicere, illi consentio. Contra antiquos igitur optime sequitur: indefinitam affirmativam non pro particulari, sed pro universali posse desumi, cum omnia mala inesse subiectis enunciet. Ex his contra antiquos etiam sequitur, indefinitas simul esse veras, quandoque non esse, quoniam si indefinita idem valet universali affirmativæ, ergo particularis ad indefinitam refertur, sicut particularis ad universalem, quare contradictorie opponetur. Necesse igitur erit, alteram falsam esse, vel veram, nō ut diximus ambas veras. His declaratis, ad Arist. exempla, respondet, quibus indefinitam loco universalis assumit, verū esse, quia in materia impossibili fiunt. ut non possibile est motū esse præter res: quæ universali necessariæ æquivalet, necessario omnis motus est in rebus, ad quas est: nam motus a terminis tanquam differentiis distinguūtur, imo sunt ipsi motus, tertio phy. 4. & 9. similiter sensus præter quinque nō est, ubi per exceptionem (præter) signatur reciprocatio, sive quam vocant convertibilitas, ut omnes sensus exteriores sunt quinque, & quinq; sunt omnes externi sensus. Probat Ammonius in materia impossibili exempla producta fuisse, quoniam universalis propositio negativa in materia necessaria, & de inesse vera non est, sed impossibili. Sed petes iterum: hactenus approbatum non est, indefinitam idem valere particulari in omni materia, sed quādoq; universali in materia impossibili, & necessaria, ex qua inferre nō possumus generatim in omni materia ēt cōtingēte, de qua ergo hic potissimum agitur? Ad hæc Ammo. respōsurus partem falsam infirmat, quòd in materia contingenti indefinita idem universali non valeat, quia si idē duæ indefinitæ valerent universalibus, primū falsum sequeretur, universales ambas cōtrarias (quibus indefinitæ æquivalere ponūtur) veras esse, deinde sequeretur contrarias simul esse veras, sicut de indefinitis æquivalētibus Arist. posuit. Si autem dicatur, indefinitam idem valere in sola materia impossibili, petet, quod in qōne quæritur: an in omni materia idem valat. Dices in negationibus particularibus idē signari cum universalibus. Cōtradicit Ammo. quia voluntate factum, & forte consultum, ac diviū videtur, ut enunciatio indefinitæ affirmativa (habens subiectum quod idē significat cū signo, aliquis, vel nullū singulare capiēdo, quod actu signo particulari aliquo exprimatur) perfecta oratio sit, & verax, & nō idē dicatur de oratione indefinita negativa idē subiectū ac significatū habēte. Nam si indefinita affirmativa eandem vim habet cum particulari, ergo & negativa: quoniā negativa particula in oratione indefinita verbo coniungitur, non signo. quod

non habet: ergo illud idem prædicatum de eodem subiecto (a quo quantitas orationis habetur) negatur, quod antea per idem uerbum affirmabatur. Item conclusio sequitur deteriorem partem in quantitate, & qualitate: in darii autem & ferio (quæ dicunt) maiori existente uniuersali affirmatiua, uel negatiua, & minore particulari, siue indefinita conclusio particularis, et indefinita, tam affirmatiua quam negatiua consequitur, primo priorum septimo. Negatiua igitur non æquiualet uniuersali, nam si ita se haberet, uniuersalis conclusio eueniret. Ex his clare deducitur, in omni materia indefinitam idem particulari ualere, cū uniuersalis sit uerum in affirmatione, & negatione, & syllogismis, qui omni materia uerum ac falsum enunciāt uel concludunt. Quæres an hæc antiquorum opinio, quod indefinita negatio idem ualeat uniuersali, aliquem uerū, ac rectum sensum possit recipere? Respondet, ita uideri antiquorum rationes cum Ar. non altercari, sed idem cum illo sentire: nam sicut in particulari habente signum particulare, si negatio uerbo iungantur, reuera particularis negatiua, non uniuersalis efficitur, si aūt addita fuerit signo uoce tantum particularis uocabitur, sed re uniuersalis erit, ut non aliquis, uel non ullus, idem ualet quod nullus, non aliquis idque quod omnis: sicut uniuersalis cum negatione præmissa, non omnis, nō nullus, idem dicit quod aliquia non est, uel est. Ita & in præfinita contingit, si negatio additur uerbo, clare patet idem particulari ualere: si autem negatio concipiatur, uel intelligatur addi signo, ullus, uel aliquis, æquiualebit uniuersali. Sed statim obijcies, indefinita icirco impræfinita uocatur, quia nullo signo actu finitur? Respondet, & si actu non habeat, potestate tamē complectitur. Contradices, nam sic quantitate indefinitæ concepta, idem ualere utrique dicetur, sicut utrunque signū potest suscipere. Cōcedit illatum Ammonius, pro utraque particulari & uniuersali accipi posse, non solum per accidens (ut superius dicebatur) hoc est gratia materiæ impossibilis, sed per se indefinitæ competere, pro notionibus diuersis enunciantiū. Nam indefinita nullam in quantitate potestatem ex se se habet, nisi illam, quam ex nobis, qui enūciare uniuersale ut uniuersale, uel ut particulare statuimus, icirco ex nobis enunciare constituentibus indefinitas pro diuersis subintellectis certis particularibus, illas simul posse esse ueras dicemus, at alio atque alio mentis conceptu, hoc est, pro uniuersali intellecta negatiua, affirmatiuę ut particulari positæ contradicere affirmabitur. Petes, quando indefinita magis ad uniuersale declinare potestur? Respondet, tunc quando negatiuæ orationis principium a negatiua particula sumimus, ut in his productis supra exemplis monstratur: non est motus præter tres: nē non est sensus prçter quinque, licet infra contrarium seruari ab Ari. sentiat ut in exemplis patet. Postulabis: cur antiqui indefinita, pro particulari usi non sunt? Respondet, quia indefinita obscurius particularem designat. Similiter de negatiuæ usu dicebant: negatio enim & si bipartito sumatur, negatione addita uerbo, uel signo: illa ex signo negato, non omnis, non nullus, tanquam magis perspicua utebantur, & nos supra rationē tetigimus. Dices, Arist. primo priorum septimo, ex uniuersali negatiua maiore, & indefinita minore, indefinitam, idest particularem concludit. Respondet id uerum esse, quod Ar. indefinitam habentem subiectum uniuersale, & anceps ad particulare & uniuersale ut uniuersaliter, pro particulari desūpsit. Hæc Ammonius, quæ quasi latētia in occulto, ac tenebris circūfusa, alij reliquerunt: quę nos (studio inquirendi defatigati, ac multis obstructa difficultatibus, quæ in ipsis rebus, & obscura uersione sunt) non reliquimus. Sed quāuis plerique sint dubia, illud mihi magis obscurum uidetur quod Ammonius ait, indefinitam per se, pro uniuersali & particulari posse desumi, ut ad diuersas enunciantium notiones, siue conceptiones refertur non per accidens, ut in hac, uel illa materia, particularis in materia de inesse, & uniuersalis in materia necessaria, & impossibili dicitur. Nā quantitas propositionis ex rebus uniuersalibus, uel particularibus sumitur, ut prima radice quibus uel uniuersaliter, uel non uniuersaliter prædicata inesse ponuntur, ut supra ex Ar. declarauimus. Præterea si per se indefinita ad uniuersalē & particularē potest referri, cur ex ea syllogismus constans, uniuersalē inferre conclusionem in libro priorum non ponitur? Ibi enim singuli modi syllogismorū naturales ponūtur. Præterea si indefinitæ quātitas ex se certa non est, sed eam ex enunciantibus recipit, tot igitur syllogismi, a tot peritissimis uiris descripti, ambigui redderentur, quot essent, cum eorum enunciantium notio, & animi sententia lateat, quæ ex materia (in qua propositiones efficiuntur) clarissime patet. Item si indefinita est enunciatio affirmans, uel negans: in ea igitur est uerū, uel falsum, quod non ex nostris tantum notionibus pendet, sed rebus conceptis, ac uoce positione signatis. Item si negatio & affirmatio unum re, non tantum nomine indicant, cur a nostris notionibus distinguetur? Amplius, ut supra quoque retulimus, quantitas propositionis non solum ex uocibus ac conceptibus sumitur, sed etiam a rebus subiectis a prædicatis, quæ apta, & natura idonea sūt de pluribus prædicari, uel non. Indefinita enim ut Ari. dixit, ex uniuersalibus constat, quare natura idoneum subiectum uel prædicatum habebit, quod de pluribus natū sit prædicari ac ex re, quæ illi coniungitur, de inesse, uel necessaria ad quantitatem particularem uel uniuersalem, ab enunciante signo, iuxta propriam naturam cōuenientē coniuncto, actu descendet, nō nostris tantum conceptionibus. Ad hæc, dictū de omni & nullo icirco locus per se syllogismi ponitur, quod syllogismos in omni materia cōcludentes potest educere. Similiter igitur ratione indefinita, quia in omni materia particularē consequitur per se idem illi ualere dicetur: uniuersalis autem, quia in quadam tantum materia indefinitam consequitur, ideo per partem, et per accidens. Item si in prædicamentis tam in materia de inesse, quam necessaria, indefinitam sequi particularē mōstratur, non per accidens igitur, quod sexto metaph. quasi eo, uerum esse in paucioribus inuenitur, sed per se. Dices, primo priorum primo, indefinita est, quæ inesse, uel non inesse significat sine uniuersali, aut particulari, ut contrariorum eandem esse disciplinam. Dicas secundum propriam essentiam, & in actu nullā sibi actu cōpetere quātitatem particularem, uel uniuersalē ut uniuersaliter, sed communiorē esse particulari, ac specie ab illa distingui: secundum existentiam uerò, quatenus ipsa continens prædicatum necessarium, uel de inesse, non inuenitur mutuò, & reciproce, siue conuertibiliter, secundum existentiā, nisi in particulari, eandem uim habere cum particulari. Quæ declaratio eundem sensum efficiet, quem explicatio faciebat, ex textu nunc declarata: quod indefinita, & particularis nō alia ratione sunt ueræ simul de eodem, nisi ut sūt in certis particularibus mutuò. Secundum quod in Ammonio ambigo, idest, quod opinionem antiquorum concilians, ait, per particularem negatiuam non eam antiquos intellegere, in qua negatio uerbo coniungitur, sed uniuersali signo, ut non omnis, eaque uti. Quod ita esse illi credamus. Sed illud obscurū uidetur, quod de indefinita negatiua ex antiquis adducit, negationem particularem, scilicet, & indefinitam intelligi, quæ negationem habet additam signo, non aliquis, non ullus: quæ nomine tantum particularis, re uniuersalis uocatur: hanc inquit eādem habere potestatem cum uniuersali: illam uerò, quæ negationem habet additam uerbo, proculdubio idē ualere particulari. Mihi uidetur pugnantia cum antiquorum explicata sentētia dicere, nam ipsi in hunc modum probabāt negationem uniuersalem deteriorem esse particulari negatione, quia uniuersalis omnia supposita destruit, particularis, autē negatiua,

tiua, siue indefinita, certum particulare dumtaxat, aliud particulare signatũ relinquit, de quo affirmatio simul uera conceditur, siue datur. ut supra eorum exemplo monstrauimus. Vnde manifeste colligitur, indefinitam negatiuam sumpsisse, non ut se ipsa uniuersalis negatiua sit, singulorum subsistentiam destruens. Ex dictis potest clarè dignosci, causam adductam a diuo Thoma, quod indefinita pro particulari sumatur, ueram non esse, quia scilicet de uniuersali potest aliquid affirmari ratione sui ipsius, uel ratione contentæ sub eo; unde ad ueritatē eius sufficit, quod prædicatum uni parti conueniat. Hæc causa iccirco nō placet, quoniam quod de indefinita opinatur, ac uerũ esse commonstrat, idem de uniuersali demonstrat. Hac igitur ratione nedum indefinita, sed uniuersalis pro particulari per se etiam poneretur, quod superius infirmauimus. Hæc de digressione, quam ut clariorem facerem longius quam consueueram sum prouectus, ad quam inchoanturum futurus me traxit labor.

TEX. BOETHII

Si enim turpis est, non est pulcher: & si fit aliquid, non est.

Si enim turpis est, non est pulcher, & si fit aliquid, non est.

Quoniam exēplo hominis pulchri & non pulchri mōstrauerat affirmationem & negationem indefinitas simul esse ueras, sicut subcontrarias, uult nunc affirmationē & negationem, idest contradictionem in indefinitis pro diuersis simul ueram, ex contrariis positiuis quodammodo clarioribus, ut positiuis, ac magis confessis ostendere. Nā Arist. fecisse eidem proportione quadam de contradictione (quod impossibile sit, simul uerã, esse) ex contrariis, quarto metaphy. st. 15. uel nono supra monstratum est. Ita proportione quadã de indefinitis simul ueras esse, pro diuersis indiuiduis, ex cōtrariis explicat, quia decimo meta. 15. contradictoria oppositio ab omnibus aliis præsupponitur. Si igitur hominē conceditur uerè pulchrum & turpē esse, ut contraria, quæ maximè se uidentur ab eodem subiecto deiicere; id necessario dandum erit de pulchro, et non pulchro, quæ cōtradictoriè opponi uidentur, licet re uera nec contrariè, nec contradictoriè aduersentur: similiter de eo, quod est, & fit, quia si fit, aliquid, necessario sequitur, dum fit non esse. Sed petes, in secundo exemplo, hic Arist. (ut supra docuimus) de enunciationibus de inesse considerat: enunciatio autem, in qua prædicatũ non inest, sed potest inesse, de natura est contingentis, qualis illa uidetur, homo fit, idest non est, qui tamen potest esse, Dicas dũ prædicatum (quod fit) consideratur, ut nō existens actu in subiecto, propositionem negatiuam de inesse constituit: sed ut potest adesse, quod actu non inest, sic propositio contingens efficitur.

TEX. BOETHII.

Videbitur autem subito inconueniens esse, iccirco quoniam uidetur significare hæc, non est homo albus, simul & hæc nullus homo est albus. Hæc autem neque idem significat, neque simul necessariò.

Videbitur autem subitò inconueniens esse, propterea quod uidetur significare hæc, non est homo albus, simul & hæc, nullus homo est albus. Hæc autem neque idem significant, neq; simul necessariò.

Pari consensu omnes exponunt, obiectionem in dictis afferre, nam si indefinita negatiua idem significat, uel etiã uniuersali negatiuæ: positum autem superius est, indefinitam affirmatiuam particulari æquiualere: contradictoriè igitur opponentur: quas impossibile est simul esse ueras. Quare dispositio diuersa toto cœlo sequetur, non easdem simul posse esse ueras, sed impossibile. Respondet, interimendo id, propter quod falsum sequebatur indefinitam negatiuam, & uniuersalem, neq; idē signare, neq; simul necessario esse. Quæres cur non idem, neq; necessario simul esse dicantur. Ad primum dicit Ammonius, quoniã aliquid addit, quod propositiones sunt, quæ non idem significant. Sed responsio hæc petit quod quærimus, cur non idē significant. Clare igitur possumus dicere. quoniam uniuersalis negatiua nulli actu inesse significat, & per se, sed indefinita quandoq; alicui non inesse, cũ sit in materia de inesse, quæ idem tunc ualet particulari: quandoq; nulli inesse, cum in materia sit impossibili. Ad secundum, recte Ammonius ait: quoniam negatiua uniuersalis & indefinita particularis se mutuo non sequuntur, sicut indefinitæ affirmatiuę, & negatiuæ. Nam licet uera existente uniuersali, indefinita etiam uera ponatur, non tamen contra, ut Auer. primo priorum septimo affirmabit. Dixit, non necessario, quoniam gratia (ut dicunt materiæ impossibilis, uel necessariæ, & idem significant, ac se mutuo consequũtur in ueritate. Ex his etiam meminisse necesse est eius, quod superius de indefinitis, & particularibus annotauimus: hæc. n. eædem simul ueræ ponuntur, ut pro certis particularibus desumuntur: quæ ita differre propria specie ac natura dicuntur, ac primo priorum definiũtur, quod idem necessario ac secundum essentiam non significãt, sed mutuo in existentia. & necessario se consequũtur. Nam sicut indefinitarum affirmatio, & negatio pro diuersis singularibus simul ueræ ponuntur ita & particulares. In existētia igitur & ueritate se in omni materia consequuntur. Ex his etiam contra Ammonium sequitur, indefinitam in omni materia, existentia & mutua consecutione idem cum particulari ualere, non per accidens, sed per se, quoniam Ari. ait, necessario se mutuo consequi, in prædicamento substantiæ, nisi per accidens. i. gratia existentiæ intelligeres: sed per accidens necessario erit: Amm. in obiectionis uerbis animaduertit subito uideri: primo occursu, superficiē ac extrema tantum considerãti: uerum quasi dicat aliter apparebit interius speculanti: non hominem secundum se sed ad prædicata collatum: quæ cum accidētia sint, ac particularibus insint, uel species, & genera, quæ etiam in primis substantiis substant: idem significare cum uniuersali negatiua non affirmabitur.

TEX. BOETHII.

Manifestum est autem quoniam una negatio unius affirmationis est. hoc enim idem oportet negare negationem, quod affirmatio affirmauit, & de eodem, uel de aliquo singularium, uel de aliquo uniuersalium ut uniuersaliter, uel ut non uniuersaliter.

Manifestum autem, quoniam una negatio unius affirmationis est: hoc nempe idem oportet negare negationem, quod affirmatio affirmauit, & de eodem, uel de aliquo singularium uel de aliquo uniuersalium, ut uniuersaliter, uel ut non uniuersaliter.

Ammonius opinatur, quoniam Arist. oppositiones omnes est prosequutus, quod nunc quasi corollariũ colligit, docetq; unam affirmationem cum una negatione pugnare, & contra: Petes ab eo, quonam modo ex superius dictis colligitur? Ait, quia quamuis enũciationi uniuersali duæ aduersari propositiones appareant, uniuersalis cōtra

riè, & particularis contradictoriè, re uera tamen opponitur contradictoria, quia in omni materia: sed cõtrariæ in materia contingente simul falsæ ponuntur, non una necessario falsa, reliqua necessariò uera. Simili ratione particulari, uerè uniuersalis opponitur, sed alia particularia cõcurrit, simul existens uera. Sed Ammo. pace sit dictum, non aliquid colligit, sed normam seruandam in omni specie oppositionis proponit. Præterea si (modo suo) ex superius declaratis colligeret: rationem ac in omnibus inductionem, & exẽpla non poneret. Amplius si hac ratione colligitur, quod uniuersali, una re uera in omni materia particularis opponitur, nõ uniuersaliter de omnibus modis oppositionis colligeret, sed de contradictoriis tantum, quod uerum non est. Nam eius corollarii causam uniuersis oppositionibus competentem assignat, dicens idem oportere negari de eodem, quod affirmatio affirmauit, tã in singularibus, quàm uniuersalibus, ut uniuersaliter, cõtrariis, quàm indefinitis. Rursum quod nunc Arist. de omnibus speciebus oppositionum declarat, supra de cõtradictione affirmationis, & negationis monstrauit. Quamobrẽ eandem sententiam, tanquam manifestam, proponit. Sed cõtradictio, quã superius docuit, omnibus oppositionibus competit. Quare si hic tanquam corollarium esset ponendum, de omnibus (ut est rei ueritas) non tantũ de cõtradictione, concluderet. S. Thomas (sequens Ammonium) ait, quòd ostensis modis oppositionum diuersis, nunc intendit monstrare, uni affirmationi unam negationem opponi. Quæres, qua necessitate id de oppositionibus manifestat? Respondet (a quo Suessa) ut ex dictis pendentem obiectionem dilueret. Dicere enim quispiam posset, quoniam plures oppositionum species numerasti, quæ ex affirmatione & negatione consistunt, unam igitur affirmationem plures negationes oppugnant, ac aduersantur? Volunt quod cauillũ hũc diluat, quod uni affirmationi uerè, & primo una negatio opponatur. Quia si quis recte cõsideret, huic affirmatiuæ, omnis homo est albus, negatiua est sola ista, quidã homo nõ est albus, quia solummodo remouet. Obiicies, nonne uniuersalis negatiua remouet uniuersalẽ affirmatiuã? Respondet, non per se, sed per alterũ, hoc est, per negatiuam particularem quatenus ipsam includit, & uniuersalis nedum priuat, sed aliquid addit, ut nõ solum importat remotionem uniuersalitatis, idest nõ omnis sed remouet quãlibet partem eius. Hæc responsio non uidetur undequaq; perspicua: nam licet ex decimo metaph. t. 5. primam, & per se oppositionem, cõtradictionam esse ponamus, quæ ab esse, & non esse, hoc est, ab affirmatione, & negatione desumitur, non tamẽ ab uniuersali, ut uniuersaliter, & particulari, quoniã ista necessariò alteram priorem supponit. Iccirco enim ista, omnis homo albus, & quidam homo non est albus, contradicunt, ut necesse sit alteram esse ueram, uel falsam, quoniã istam complectitur, de quolibet dicitur esse, uel non esse, & unũquodq; uel album, uel non est album, æquale, uel non est æquale: non merito, omnis, & quidam. Nam si in materia contingẽte ista est falsa, omnis homo est albus, hæc necessariò est uera, non omnis est albus, ut negat uerbũ, uniuersali, negato, idest quidam homo non est albus. Nã cũ particulari negatione stat simul esse uerã particularẽ affirmationẽ, ut supra Arist. affirmauit de subcontrariis, & indefinitis. Item inconueniens uidetur, ex negatione partis non necessariæ, non reciprocæ, siue conuertibilis, totum uniuersum negari: ut si quidam homo non est albus ergo & nullus homo est albus. Sed cõtra. a negatione totius ad negationem suæ cuiusq; partis cõsecutio in omni materia fit necessaria, secundo top. 22. è contrario igitur uidetur dicẽdum propterea quidam homo non est albus quia nullus ponitur albus. Sed uniuersalis negatiua ic circò uera non datur, quod in materia contingente producitur, in qua etiã si uniuersalis affirmatiua ponitur falsa, sua particularis potest ut uera concedi: particularis autem, siue singularis uniuersalitate priuatur. Prima igitur oppositio contradictoria non ratione quantitatis, accipitur, sed affirmationis, & negationis, eiusdem, de eodem, re, non nomine tantum. Item in litera non intendit oppositiones (quæ primo sint, per se, & uerè oppositiones) adinuicem comparatæ, sed de singulis commonstrare, ut aliquæ enunciationes contradictoriè opponantur, & dispositionem habeant prædictam, necesse alteram ueram, uel falsam. Itẽ aliquæ contrariæ, quas impossibile sit, simul esse ueras, uel subcontrarias, simul aliquãdo ueras: in qualibet dictarum supra oppositionum id obseruari necesse esse, unam affirmationem uni negationi conferre. ut idem re ab una affirmetur, quod a negatione negatur, siue uniuersale ut uniuersaliter, fuerit, siue non ut uniuersaliter, aut singulare: Quæres, cur dicit, manifestũ id esse? Dicas, ex his, quæ superius de contradictione communi dixit, patere, ubi affirmationem, & negationem oppositam, contradictionẽ uocauit: oppositionem autem harum aperiens, dixit. {Dico autem opponi eiusdem de eodem, non æquiuoce &c.} Idem hic explicans, ait. Manifestum (quod de oppositionibus, ac earũ dispositionibus diximus) est, in primis hoc obseruato, quoniam manifestũ est, quod una negatio unius affirmationis est. s. opposita contradictoria, & hoc illi dicto respondet, contradictio est affirmatio, & negatio oppositæ. {hoc enim idem} causam assignat, quamobrem hanc conditionem oporteat obseruari, idest quod una negatio sit unius affirmationis opposita: nã unum, & idẽ: ergo se reciprocè consequuntur. Si igitur negatio negat idẽ, & unum: sed ad sensum perspicuum est, & superius declaratum, negationem idem de eodem negare, quod affirmatio affirmauit. unum igitur ab uno, a quo una negatio dicitur, negari necesse erit. {& de eodem} declarat idem etiam subiectum requiri, de quo affirmatio affirmetur uel a quo negationis prædicatũ negetur, inductione in omnibus oppositionibus facta, & quasi dicat non solum idem oportet negare, uel affirmare prædicatum, sed de eodem subiecto. uel de aliquo singularium, uel de aliquo uniuersalium, ut uniuersaliter, uel ut non uniuersaliter. Animaduertendũ in uerbis dicit (oportet) & (necesse esse) quia id inuenitur in omnibus oppositionibus, quoniam id conuenit ex eorum genere, idest ex contradictione affirmationis, & negationis, quæ ab omnibus præsupponitur: qua de causa, ut res oppositionibus necessaria, ab arte docenda est, quæ necessaria non omittit, primo post. 15. uel dicamus, ut supra id necessariũ esse, propterea quod contradictioni secundũ essentiam conuenit, ut sit oppositio eiusdem, de eodem, secundum rem &c. per se igitur, & necessario. Petes, si id dictum superius est, cur denuo repetit? Ex dictis iam patet solutio: nam supra ut declararet ut natura, ac definitio contradictionis; hic uerò, ut, ex eodem explicatione cõtradictionis pateat, quid necessario obseruandũ, ut uera sit in omnibus oppositio, quam distribuit ac dispositio in ueritate, & falsitate, quam de singulis oppositionibus assignauit. Si enim una affirmatio unius negationis, & contra, non erit, nequaquam unam necessario ueram, uel falsam, & impossibile est contrarias simul esse ueras, & subcontrarias quandoq; esse simul ueras. Nam si uniuersalis sumatur, ut illi plus una enunciatio opponitur (ut optime animaduertit Aue.) scilicet uniuersalis cõtrariè, & particularis cõtradictoriè, distinctam oppositionis speciem non constituet, nec propriam dispositionem habebit, quoniã ut uniuersali contrariæ iungitur, impossibile erit, simul esse ueras ut autem particulari contradictoriæ, necesse erit, alteram ueram, alteram falsam esse: Ita de particulari dicatur, quæ potest subcontrariè simul ueræ, & contradictoriæ, quam necesse est, alteram ueram alteram uero falsam. Hic igitur per unã negationem uni affirmationi oppositam, non primam declarare oppositionem

nem & maximam aliarum intendit, sed ut oppositiones specie diuersæ cum propriis dispositionibus habeant, & sint. Illud quod explicatum tam superius est, & hic inductione monstratum, anteponi necesse est.

TEX. BOETHII.

Dico autem ut est Socrates albus, non est Socrates albus. Si autem aliud aliquid de eodem, uel de alio idem, non est opposita, sed erit ab ea diuersa.

Dico autem, ut est Socrates albus, non est Socrates albus. Si verò aliud aliquid de eodem, uel de alio idem, non est opposita: sed erit ab ea diuersa.

Singularium prius exempla proponit: sed aliarum (ut Ammonius asserit) antequam exempla ponantur, ostendit, ad cuius differentiam productū sit, idem scilicet oportere negari, quod affirmatio affirmarit. sed cur singularium prius, aliarū uero, non nisi post rationē adductā, exempla tradiderit, non expressit. Causa igitur perspicua est, quia primo topic. sexto, septimo topic. primo. quinto meta. 11 septimo meta. 5. & 11. septimo meta. quinto & septimo, primo physic. 16. quinto phy. 34. & alibi sæpe, maximè sine dubio quod unum est numero, idem ab omnibus dici uidetur. Prius igitur exempla singularium protulit, quia de his apertum maxime est, unam negationem idem & unum maxime indubitanter de eodem negantem constitui. De reliquis uero uniuersalibus, quæ complectit plura uidentur, propterea tanquam quodammodo ignotū (antequam exēpla tradantur) ex opposito manifestat, dicens. {Si uero aliud aliquid de eodem, uel de alio idē, non est opposita: sed erit ab ea diuersa}. Ratio ex opposito ad impossibile, & confesse falsum, & inopinabile ducitur, quoniam negationem opponi affirmationi confessum, ac opinatum ab omnibus. Si autem prædicatū non, idem, sed aliud de eodem subiecto, uel ipsum prędicatum de alio subiecto (exemplum primi, homo est iustus, & homo non est albus: exemplū secundi, homo ambulat, & equus non ambulat) non dicetur oppositum quasi ab eodem se destruens: sed diuersum, quod negationem, tanquam ueram, compatitur, & habebit. Auerroes aliter rationem intelligit, si prædicatum & subiectum in negatione diuersum sit ab affirmatione, erit igitur affirmationi negatio alia, & negationi affirmatio alia. Consequutio est perspicua, quoniam negationi opposita danda est affirmatio, et affirmationi negatio, quæ inuicem se deiiciant: quod fieri nullatenus potest, nisi idem de eodem dicatur, uel ab eodem negetur. Vtraq; explicatio uera est, sed prima declarat, quid actu uerba textus enuncient, secunda, quid potestate contineant. Nam si prædicatum, uel subiectum aliud in utraq; sumetur, negatio affirmationi & contra, alteram destruens, ac expellens non erit ut opposita, sed diuersa. Si nōn opposita igitur est, alia negationi, & dāda affirmatio erit positum nanq; ab omnibus est, affirmationem opponi negationi, & e contrario.

TEX. BOETHII.

Huic uerò quæ est, omnis homo albus est, contradictio, est illa, quæ est, non omnis homo albus est: illi uerò quæ est, aliquis homo albus est, illa quæ est, nullus homo albus est. illi autem quæ est, est homo albus, illa quæ est, non est homo albus.

Huic uerò, quæ est, omnis homo albus est, contradictio est illa, quæ est, non omnis homo albus est: illi uero, quæ est, aliquis homo albus est, illa, quæ est, nullus homo albus est: illi autem, quæ est, est homo albus, illa, quæ est, non est homo albus.

Exempla aliarum nunc profert, duarum contradictoriarum, & unius indefinitæ: & patet. Cur exempla contrariarum reliquit? Dicas. intelligi ex ambabus uniuersalibus, quas, contradictionem duplicem explicans innuit. Huius euidens argumentum est, quod Arist. paulum infra concludens, quoniam una affirmatio uni negationi opponitur, de contradictionis, & contrariis colligit.

TEX. BOETHII.

Quoniam igitur una affirmatio uni negationi opponitur cō tradictoriè, & quæ sunt hæ, dictum est, & quoniam contrariæ aliæ, & quæ sunt illæ, dictum est: & quoniam non omnis uera uel falsa contradictio, & quare, & quando uera, uel falsa.

Quoniam igitur una affirmatio uni negationi opponitur contradictoriè, & quæ sunt hæ dictum est: & quoniam contrariæ aliæ: & quæ sunt illæ dictum est: & quoniam non omnis uera, uel falsa contradictio, & quare, & quando, uel falsa.

Conclusionem, siue epilogum tradit eorum, de quibus monstrauit id communiter seruandum esse, ut propriis rationibus, ac proprietatibus opponantur, & distinguantur unam affirmationem uni negationi aduersari, tam in contradictoriis, quàm etiam in contrariis, & quæ sint contradictoriæ, scilicet singulares, & uniuersalis affirmatiua, & particularis negatiua, uel uniuersalis negatiua. & particularis affirmatiua: aliæ etiam superius patent. Ammonius notat (dictum est) tam ex dictis, quam etiam ex dicēdis, ubi, quæ una sit affirmatio, & negatio, declaratur. Et quoniam non omnis uera, uel falsa contradictio, quando. s. fit in ipsis indefinitis: ideo dictū est {quare} quia non fiunt, nisi pro diuersis singularibus. {Et quando uera, uel falsa} cū scilicet pro diuersis etiam singularibus desumuntur in materia contingente, sunt ambæ ueræ: quū uero pro eisdē sumantur, una uera, reliqua falsa. Sed tunc communiter dubitant. S. Tho. & Suessa, quia quæ ab Arist. hic dicūtur, pugnare uidentur cum iis, quæ superius de indefinitis, ac subcontrariis affirmauit: dicas etiam cum his, quæ paulo ante collegit. non omnis contradictio falsa, sed aliquādo simul uera: & supra indefinitas, & subcontrarias affirmationes, & negationes quandoq; contingere simul esse ueras: hic uero ait. negationem indefinitam idem, ac unum negare (numero intellige cuius unum retinet) quod affirmatio affirmauit; quarto autem metaph. 9. uel 25. impossibile dicitur contradictionem de eodem simul esse ueram. Ammonius hic se ad digressionem remittit, ubi indefinitis contradictionem communiter inueniri, non proprie dictam asseruit. i. pro omni affirmationis, & negationis oppositione, quæ eiusdem est prædicati de eodem subiecto, non proprie dicta, quæ uerum falsumque diuidit. Sed hāc responsionem superius improbauimus, & improbationem confirmo, quoniam ipsemet uerba illa. {Manifestum autem, quoniam una negatio unius affirmationis est: & hoc idem oportet negare &c.} de oppositione contradictoria re uera, & propria explicauit, quam Arist. (ut approbauimus) nedum in cōtradictione uniuersalis, & particularis, uerum etiam in contrariis, & indefinitis exercuit & in conclusione collegit, cum ait, & contradictio indefinita quando falsa (simul intellige,) Præterea de indefinita probauit, & exemplo monstrauit, unam negationem uni affirmationi oppositam esse, ac idē negare quod affirmatio affirmauit, quæ contradictionis est definitio superius

assignata. Ex quo loco nunc dicta desumpsit, & Ar. decimo metaph. 15. contradictionis finitionē cum ait. Contradictio est cuius secundum se non est, dare mediū. Suessa uerum declarat, cū tradictionem in indefinitis positam esse pro eodem numero (ut asserit) puncto: sed contradictionem pugnantiam locorum non soluit: nam post contradictionem in indefinitis assertam ac positam recolligēs ait {& quando contradictio uera} S. Tho. similiter solutionem ueram expressit, a quo accepit Suessa: dicens q oportet, quod hic dicitur, intelligi quando negatio, ac affirmatio ad idem refertur siue quando affirmatur aliquid inesse homini ratione suppsius, idest quod per se, ut definitio, de homine prædicetur, uel de homine, & uniuersali, ratione sui singularis, & pro singulari eodem negatur. Ex quorum dictis confirmatur nostra sententia, quam contra Amm. supra tetigimus quod contradictio est eiusdem de eodem & pro eodem numero, non diuersis. Sed contra diuum Thomā quis posset obiicere, q statim post contradictionem indefinitarum edoctam, epilogum indefinitarum simul cum contradictoriis, & contrariis posuit, dixitq; contradictionem ueram esse. Ad hoc (quoniam diuo Thomæ & Suessæ consentio) ex eodem Arist. respondemus, quod epilogus, quem nouissime explicauimus, nō solū ad proxime dicta refertur, quoniam una negatio unius affirmationis est, sed etiam ad ea, quæ de speciebus oppositionū superius retulit, ut ex præcedentibus, quæ de contradictoriis, ac contrariis collegit, perspicuum est. Namq; de proxime dictis proponit. {Quoniam igitur una affirmatio uni negationi opponitur contradictorie.} De his aūt, quæ antea declarat, ait, {& quæ sunt hæ dictum est.} Ita de cōtrariis: & quoniam. s. una affirmatio uni negationi opponitur. hic patet, & quæ sunt illæ, dictum superius est. De indefinitis similiter inquit {& quoniā non omnis uera contradictio} quando ad specie, uel numero idem refertur, quod in proxime dictis probauit. {Et quando non omnis contradictio falsa} idest aliqua non est falsa, pro diuersis particularibus capta, ad superius dicta. Sic uerba sequētia de indefinitis asserta (ut Ammo. etiam explicat) & quando contradictio uera, uel falsa, intelligantur. Et quando non omnis contradictio uera, uel falsa, idest aliqua non sit uera, ad idem specie, uel numero, uel aliqua non sit falsa, ad diuersa relata. Sed dubitabis, cur tam breui oratione de eadem re, de indefinitarum proprietate ambigue docuit, ut sibi non conuenientia uideatur asserere. Dicendū indefinitarum enumeratā superius oppositionem, uim habere eandem cum subcontrariis, subcontrariæ uero non proprie opponuntur, ut ad inuicem conferunt, nisi secundario (ut dicunt.) primo enim (sicut una uere affirmatio, & negatio eiusdem de eodem re) contradictoriis opponuntur. Quia igitur subcontrariæ, & indefinitæ supra ad diuersas uniuersales. ac tota affirmantia, uel negātia coferuntur, hac de causa simul quandoq; ueras esse contingit, pro diuersis singularibus, ac partibus, sub diuersis totis cōprehensis. Hic uero, ut ueram habent oppositionem, & spositionem, specie distinctam ab aliis: sicut indefinitæ propositiones ab uniuersalibus, & particularibus distinguuntur, primo priorū primo, & ita particulares, quæ uere opponentur, ut una affirmatio, & negatio eiusdem, de codē re &c. ad singulares reduci, rationibus superius adductis, dicentur, & contradictorias uere.

DE AFFIRMATIONE ET NEGATIONE VNA. CAP. VII.

TEX. BOETHII.

VNa autem affirmatio, & negatio est, que unum de uno significat, uel cum sit uniuersale uniuersaliter, uel non similiter: ut omnis homo albus est, non omnis homo albus, est: est homo albus: non est homo albus: nullus homo albus est, aliquis homo albus: est, si album unum significat.

AT uerò una affirmatio, & negatio est, que unum de uno significat, uel cum sit uniuersale uniuersaliter, uel non uniuersaliter, ut omnis homo albus est, non omnis homo albus est: est homo albus, non est homo albus, nullus homo albus est, aliquis homo albus est, si album unum significat.

QVoniam in omni uera oppositione, ut distincta specie foret, & propriam dispositionem haberet, antepōnendum necesse erat, ut una affirmatio, & negatio, affirmans, uel negans idem de eodem, oppositæ ponerentur; nunc (& consentientibus omnibus) explicat, quæ, uel quid sit una affirmatio, uel negatio. Petit Ammo. supra definita est enunciatio una, eadē definitione, quæ hic, cur igitur denuo refricat? Ait diuerso fine descriptam ibi, ut discrimen haberet unius, & plurium enunciationum, nunc uero, præceptū accuratiore tradidit opera, inquiens. (una aūt est,) quæ unum prædicatum enunciat de uno subiecto, ut exemplo contradictoriæ affirmatiuæ uniuersalis, & particularis negatiuæ, secundò indefinitè, & tertio contradictionis uniuersalis negatiuæ, & particularis affirmatiuæ monstratur. Sed non uideo, quæ diligentior sit inquisitio cum utrobiq; definitio eisdem uerbis tradatur. Iccirco. S. Tho. Arist. propositum indicans ait. dictum esse uniuersalium gratia, tam quæ uniuersalia, ut uniuersaliter, esse dicuntur, quam ut non uniuersaliter: hæc enim propterea quod plurima complectuntur, uideri cuipiam potuissent, enunciationem unam non constituere, sed plures. Finis huius indiciū esse posset, q Arist. solum uniuersaliū exempla proposuit, de quibus ita clarum non erat, enunciationem unam efficere. Nisi quis diceret, per indefinitas intellexisse particulares, & per duas uniuersales, contradictoriarum loco positas, innuisse contrarias, de quibus, sicut uerum est, unam affirmationem negationi uni oppositam esse, ita & unam esse unum signantem, quæ propriè in affirmationem, & negationem partitur. Tertio ex Alexandro refertur, unam hic, quæ unum significat declarasse ne oppositiones unę æquiuoce crederentur: quoniam supra contradictionem declarans, dixit, affirmationem & negationem oppositas, eiusdem, de eodem, non ęquiuoce esse. Adde etiam ne quispiam crederet, unam esse coniunctione una, uel plures inconiunctæ, quæ reuera plura significant. Et quamuis ista superius pateant, ut ad notitiā contradictionis communis conducunt, hic tamen eadem (ut diximus) repetuntur, ut necessario obseruanda, ac ponenda erant: quibus oppositiones specie distinctę, ac ipsorū dispositiones propriæ noscerentur, quoniam in fine capitis huius concludet, quod in his enunciationibus, quæ æquiuocis nominibus concluduntur, necesse non est, hanc contradictionem uerā esse, illam uero falsam. {Si album unū significat.} Com. hanc particulam his uerbis exponit, si posuerimus quod homo, & albus, significent super unam intentionem, quasi dicat in exemplis adductis enunciationū unarum (omnis homo albus, uel homo albus) intellige tunc unum signare, cum album, tanquā prædicatum, unū significet, non quia ex albo, & homine per se unum cōflectur, quod ex substantia, & accidente non fit: sed album, ut prædicatū, unū (.i. unam intentionem, & formam significans) super unam intentionem subiecti designet, quasi dicat, tunc enunciationes prædictæ esse unæ dicentur, quum prędicatum albū unum subiectum significat nō duo, uel distincta, uel nomine uno signata. Itaq; Ar. non unitatem solum prædicati uoluit indicare, sed subiecti et, quod ex ratione, quā statim assignat, perspicuū esse potest, cū ait.

TEX. BOETHII.

Sin uerò duobus unum nomen positum est, ex quibus non est unum, non est una affirmatio, neque una negatio, ut si quis ponat hoc nomen tunica homini, & equo: quòd tunica alba est hæc non est una affirmatio, nec una negatio. Nihil enim differt hoc quam dicere, quoniam est homo equus, albus. Hoc autem nihil differt, quàm dicere, est homo albus, & est equus albus. Si ergo hæ multa significant, & sunt plures, manifestum est, quoniam & prima uel multa, uel nihil significat: neque enim est aliquis homo equus.

Sin autem duobus unum nomen inditum est, ex quibus non est unum, non est una affirmatio neque una negatio: ut si quis ponat hoc nomen tunica homini, & equo, quòd tunica alba est, hæc non est una affirmatio, neque una negatio: nihil etim differt hoc, quàm dicere, quoniam est homo equus albus. hoc autem nihil differt, quàm dicere, est homo albus, & est equus albus. Si ergo hæc multa significant, & sunt plures, manifestum est, quoniam & prima uel multa, uel nihil significat: neque enim est aliquis homo equus.

Ex opposito manifestat, prædicatum unum explicare tantum debere unum subiectum, non plura, specie, uel ratione distincta, quæ partes definitionis nō sint, ex quibus unum per se constituitur, ut animal rationale mortale est album, quia si plura subiecta designet, nō est una affirmatio. (ut si quis) exemplo ficto, possibile tamen, quod dixit commonstrat, ut si quis notatum tunicæ nomen imponat, qua & hominem, & equum significet, tanquam duo subiecta diuersa, ex quibus aduersantibus, seu disparatis (quæ dicunt) per se unum non constat: tunc non erit una enunciatio affirmans, uel negans, sed plures, ac tot esse dicentur, quot erunt significata. Nomen enim (ut superius diximus) ex diuersa significati positione distinguitur. Nihil etenim differt, duo illa subiecta, & coniuncta, ut nomine, siue coniunctim exprimere, homo equus est albus, uel diuisim, homo est albus & equus est albus. Quæ si ut diuisa sumuntur multa significāt, manifestum est, quoniā & prima in qua coniunctim subiecta concludebātur, uel multa, uel nihil significat. Quod multa tanquam clarum reliquit, cum nedum multa subiecta, sed aduersantia, seu disparata ponantur. Secūdum illatum commōstrat, quoniam ex his quæ non sunt, nihil unum, significans unā intentionem, & formam, construi potest. Sed homo, equus coniunctim accepti nihil sunt, quia neq; aliquis. i. nullus est homo equus. Simpliciter igitur, uel omnino nō erit. De eo igitur, quod omnino nō est, & impossibile est esse, nullum prędicatum uerè dicetur, neq; ipsum tanquam unum signabit. Ex his cognitis patet, eam conditionem (si albū unum significat) ad unitatem indicandam subiecti, non tantum prædicati, referri: subiecti quidem in actu, ut ex probatione monstrauimus: potestate, & uirtute, ac proposito, & instituto, ad unitatem etiam prædicati referri posse. Aristo. tamen iccirco subiectum expressit, quia de illo quodammodo latens erat, an ut unum signaretur a prædicato: illi enim signum distributiuum adiungitur, quod subiectum in multa dispertire uidetur: prædicatum uero signatur ut unum: utrūque tamen ad propositionem unam edendam requiritur.

TEX. BOETHII.

Quare nec in his necesse est hanc contradictionem ueram, illam uerò falsam esse.

Quare neque in his necesse est, hanc contradictionem ueram, illam uerò falsam esse.

Ex his dictis concludit dispositionem oppositam earum enunciationum, quæ non sunt unę, sed plures dicens. Quare neq; in his (quę unæ non sunt unum subiectū, scilicet & prædicatum signantes) necesse est hanc contradictionem, uel cōtradictionis partem ueram, illam uero falsam esse. Dicit {non necesse} quoniam quandoque gratia materiæ, & ex accidente, contingit unam partem contradictionis ueram esse, reliquam falsam, ut canis pro latrante currit, pro sidere cœlesti non currit. Ex his declaratis cōsequitur, in omni uera oppositione obseruari oportere, quòd una affirmatio. i. unum de uno significans, uni negationi opponatur: illa enim posita, oppositio & sequens dispositio ponitur: & ex nunc cognitis, ea remota, oppositio, & dispositio consequens remouetur.

DE FVTVRIS CONTINGENTIBVS, CAP. VIII.

TEX. BOETHII.

IN iis ergo quę sunt, & quę facta sunt necesse est affirmationem, uel negationem ueram esse, uel falsam. In uniuersalibus quidem uniuersaliter, semper hanc quidem ueram, illam uero falsam esse: & in his quę singularia sunt) quemadmodum dictum est:) in iis uerò quę in uniuersalibus non uniuersaliter dicuntur, non necesse est. dictum est autem & de his: In singularibus uero, & futuris, non similiter.

IN his quidem igitur, quę sunt, & quę facta sunt, necesse est, affirmationem, uel negationem ueram, esse, uel falsam: in uniuersalibus quidem uniuersaliter, semper hanc quidem ueram, illam uerò falsam esse: & in his: quę singularia sunt, quemadmodum dictum est. in his uerò, quę in uniuersalibus non uniuersaliter dicuntur, non necesse est. Dictum est autem & de his: in singularibus uerò, & futuris non similiter.

AMmonius (quem Suessa & partim S. Tho. sequitur) ait, quòd tradita enunciationū diuisione, quæ a subiecto desumitur, distinctis etiam ipsorū proprietatibus, nūc diuisionem aliam tradit, quæ oritur a prædicato, hoc est a uerbo. i. tempore, quod consignificatur a uerbo, ut alia tēpus præsens siue instans, alia præteritum, tertia futurum significet. Sed uenia tantorum uirorum sit dictum, diuisio enunciationis penes tempora, superius tradita ab Arist. est, tum ibi cum ait (est autē simplex enunciatio, uox significatiua de eo, quod est aliquid, uel nō est, quemadmodum tempora diuisa sunt.) Capite de uerbo etiam, similiter (sanabitur, & sanabatur) ubi species uerborū ab Arist. poni, cum Auer. diximus. Item cum de oratione dissereret, inquit. Necesse est, omnem orationem ex uerbo, uel casu uerbi constare, ut de uerbo antea dixerat. Præterea, si diuisionem addit, sumptam a tempore, quo uerum, aut falsum diuidi ostendatur, cur cōtrarias tacuit? quibus ēt necessario a tempore sumpta diuisio competit? Amplius aliud falsum adiecit, quatuor oppositionum species Arist. prædixisse duas contradictorias angulares, omnis, & non omnis, quidam, & nullus: tertiam indefinitarum: nouissimam singularium. Nam si duæ contradictoriæ numerantur, addendæ essent tertio, uel primo loco contrariæ: itaq; quinque, non quatuor numerandæ: Vltimum quod affirmat, est: tres harum oppositionum, quas numerauit, idest

duas contradictorias singulares, & indefinitas, in omni tēpore, simili modo. i. determinatè, & distinctè, ad uerum, uel falsum indicandum in omni materia se habere, ut contradictoriæ: uel simul uerum, ut indefinitæ in materia cōtingente: singulares uerò, licet in materia necessaria, & impossibili uerum, falsumq; diuidant, non tamen in materia contingente, & omni tempore, nisi in præsenti, & præterito, non in futuro: in quo, licet una singularium sit uera, uel falsa, non tamē definitè, & certò ut in præsenti, & præterito. Hoc postremo dictum hac de causa perplexum, ac falsum uidetur, quod uerbis Arist. ac rationi dissentit: inferius .n. quæ contingerent inconuenientia colligens, ait. (Hæc sunt, & huiusmodi alia, si omnis affirmationis, & negationis, uel in iis, quæ in uniuersalibus dicuntur, ut uniuersaliter, uel in his, quæ sunt singularia, necesse est oppositarū hanc quidem ueram. s. terminatè, esse, illam uero falsam.) Inconuenientia igitur isto dato sequuntur, ut in futuris, tā singularibus, quàm uniuersalibus, ut uniuersaliter, dictis, ponatur, hanc distinctè esse ueram, illam uerò falsam. & infra, (& in contradictione eadem ratio est, esse quidem uel non esse omne necesse est. & futurum esse, uel non: nō tamen diuidentem. s. certo dicere, alterum necessarium.) Vniuersatim igitur commonstrare constituit, ut omni contradictione, quæ in contingentibus. i. futuris accidentibus sit. definitè, certò, ac distinctè uerum ac falsum non diuidi. Nouissime sic in epilogo. siue conclusione capitis nuius concludit. {Quare manifestum est, quoniam non est necesse omnis affirmationis, uel negationis oppositarum, hanc quidem ueram (terminate. s.) illam falsam uero esse: non. n. quemadmodum in his, quæ sunt, sic se habent (certo uidelicet:) & in iis quæ non sunt quidem possibilius tamen esse, uel non esse.) Tanquam ergo non necessarium infert omnem affirmationem, uel negationem definite ueram esse, uel falsam. Non solum ergo a contradictione singularium, sed uniuersalium uniuersaliter abucit, in futuris contingentibus unam partem certo ueram uel falsam. Præterea rationi Arist. aduersatur, hic, & primo priorum 18. & secundo huius cap. 2. quia ad contingere omni, sequitur contingere nulli, & non omni, & ad contingere alicui, non alicui. idest nulli. Itaque in contradictoriis uniuersalibus ut uniuersaliter sumptis, similiter & in particularibus sequitur, quod antea declarauimus, quia per se ratio sequitur, si contingens est, ergo non necessarium: si nō necessarium, ergo contingit non inesse. Vtrunque ergo potest contingere, & omni inesse, & nulli, uel non omni. Quare si indefinite, nō certo, tam in uniuersalibus, quam singularibus sequitur, uerum esse uel falsum. Iure ergo ab utrisque quod terminate uerum, uel falsum significet, destruetur, ac infirmabitur. His tanquam falsis, reiectis, ab Auer. non dissentientes dicamus. (In his ergo &c.) Quoniam supra assignata est dispositio contradicentium enūciationum inter uniuersalem, & uniuersaliter, & particularem, ut inter singulares, dictumque est, alteram contradictionis partem esse terminate, & certo ueram, reliquam falsam. hæ autem primum fieri possunt in materia de inesse, de qua in hoc primo tractari, capite quinto, monstrauimus, & in materia necessaria, quæ inest omni tempore: tertio in materia contingente, cuius prædicatum est accidens, inhærens non actu subiecto, sed potestate, & in futuro. Igitur postulabis, in qua harum materierum monstratum est, contradictoriarum alteram terminate ueram alteram falsam? Respondet, & ut in summa tota huius capitis sententia prænoscatur, duæ tantum conclusiones ponuntur; prima dispositio ista solum uera deprehenditur in materia de inesse. de qua in hoc primo libro tractare ex instituto proposuit, cuius prædicata, uel actu insunt subiectis, uel in præterito infuerunt: & similiter (ut Auer. asserit) est in rebus necessariis: quæ licet per se hic considerari non intendantur, ratione tamē, simili, ac proportione quadam conueniunt, ut actu subiectis adhæreāt. Necessaria. n. enunciatio, quatenus prædicatum actu inhærens subiecto significat, sub propositione de inesse comprehēditur. Dispositio ergo, qua communis tribuitur de inesse, necessariæ comprehensæ ratione dicta sub de inesse (non natura significati per accidens, sed ut actu inest subiecto) conueniet. Secunda conclusio erit, ista proprietas propositionibus singularibus affirmatiuis & negatiuis. & contradictoriæ uniuersali, & particulari, in materia cōtingēti, quę in futuro uerificatur, certo ac determinate non conuenit, sed indefinite, ac interminate. Quæres an distinctæ tripartito enūciationes sumantur a rebus? Dicas quod sic, ut secundo huius, cap. secundo. Auer. asserit: ens. n. quoddam actu quoddam uero potestate: ita & enunciationes, quædam enunciant prædicatum actu adhærens subiecto, quædam potestate. Si actu, uel ut accidens, non necessarium, quod non insit omni, & semper: uel ut necessarium, quod omni subiecto, ac omni tempore inest. De prima conclusione ait. {In his ergo quæ sunt} actu. s. de inesse, quæ in tempore præsenti, actu adsunt subiecto {& quæ facta sunt} idest de inesse, quæ infuerunt {necesse est affirmationem, uel negationem ueram esse uel falsam.} Necessario inquit, idest ut in definitione syllogismi intelligitur, ut ex præmissis positis quatenus positę sunt, necesse sit terminatum aliud euenire. Simili hic ratione dicatur, necessario, idest definite, & distincte, ut infra hoc met capite seipsum declarat. Item necessario, hoc est, semper, ut infra. & tertio necessario, id est non ex arbitrio, & nostra uoluntate, ac cognitione tātum, dicente, ita esse, uel non, sed suapte natura, quia res extra animam terminatum habet ueritatem, idest esse inuentum, ut Commen. affirmat, siue enunciationem in se ipsa ueram æqualiter, & complete sciamus, siue non: hoc enim nihil ueritatem completam impediet, cum sit completæ inuentionis in seipso. Ex hoc textu colligite, enunciationem de inesse non solum eam appellari quæ uera est pro minimo tempore, nunc, & præsenti: sed etiam quæ in præsenti inest, & in præterito infuit. (In uniuersalibus quidem.) Potest tanquam nouæ rei explicatio designari, ut exposuimus, uel tanquam epilogus: ac dictum superius colligi. Nam quàm sæpissime annotauimus, dispositionem prædictam de enunciationibus de inesse, monstratam actu fuisse, licet uirtute, & alterius ratione, siue per alterum, de necessaria sit ostensa: ideirco subintulit {in uniuersalibus, ut uniuersaliter, semper (quod supra necessario dixit) hanc quidem uerā illā uero falsam esse: & in his quæ singularia sunt, quæ uerè contradictione sunt: quemadmodum dictum est. In his uerò, quæ in uniuersalibus non uniuersaliter dicuntur, indefinitis. s. non necesse est: dictum est etiam & de his.} Hæc quum per epilogum, & tāquam dicta superius collegisset, ad quorum differentiam dispositio explicata sit, de enunciationibus de inesse (quæ in pręsenti, & pręterito uere noscuntur) nunc aperit, inquiens {in singularibus uerò, & futuris} idest in materia contingente, non similiter se habet, ut una pars contradictionis necessario, & terminate sit uera, reliqua falsa. Postulabis, si (ut contra Ammoniū diximus) dispositio ista nedū de singularibus contingentibus, siue quæ non sunt, & in futuro tēpore esse possit. sed de uniuersalibus cōmōstrabitur, cur ergo de singularibus tātum proposuit? Dici posset, uniuersalia, ut uniuersaliter, comprehensa esse per id, quod adiecit de singularibus, & futuris: uel si hunc in modum intelligatur, de singularibus non de inesse, sed futuris, idest contingentibus, tunc dicamus, quod proponēs se declaraturum de singularibus, de uniuersalibus etiam se dicturum constituit. Nam si de quo magis uidetur inesse, & non inest, nec de quo minus. Magis autem uidetur duas singulares contradictorias ita in ueritate, & falsitate disponi, ut una sit necessario, et terminate uera, reliqua falsa, & non ita disponuntur: ergo nec uniuersales, ut uniuersaliter,

faliter, de quibus minus apparet, ita necessario disponentur. Quæ res, futura et contingentia sunt quæ possunt esse, & non esse: quæ autem huiusmodi sunt, caduca, et genita, uel generabilia sunt, hęc uerò singularia esse dicuntur. Dicas, primo de gener. primo, generabilia quædam simpliciter, & uniuersaliter, quædam in aliqua certa specie, et hæc secundo de anima. 34. primo polit. primo, non per se gigni dicuntur, sed per alterum, ratione singularium, ex quorum generatione perpetua, ratio specierum, siue specifica permanet, quæ non aliter gignitur, nisi ut species in ipsis indiuiduis, et singularibus distribuitur: quo modo etiam uniuersalis ut uniuersaliter, in singulis ex signis uniuersalibus dispertitur. Hac de causa de singularibus subiectis per se contingentiæ actu proponens, de uniuersalibus etiam intellexit, quæ in singularibus existentia, fieri, contingere, ac generari signantur, atq; ponuntur.

TEX. BOETHII.

Nam si omnis affirmatio, & negatio uera, uel falsa est: & omne necesse est esse, uel non esse; quare si hic dicat futurum esse aliquid, ille uerò non futurum dicat hoc ipsum: manifestum est quoniam necesse est uerum dicere alterum ipsorum, si omnis affirmatio uel negatio uera, uel falsa est: utraque enim non erunt simul in talibus.

Nam si omnis affirmatio, & negatio uel uera, uel falsa est: & omne esse, uel non esse necesse est. Si enim hic dicat futurum esse aliquid, is uerò non futurum hoc ipsum dicat, manifestum est quod uerum dicere alterutrum eorum necesse est, si modo affirmatio omnis uel negatio uera est, uel falsa: utraque enim non erunt simul in talibus.

Ammonius ait Arist. opitulari opinioni, quæ contingentiam destruit, ut eam confirmatam quoad fieri potest refellat. Sed explicatio ista non placet, quoniam ex prima hypothesi ad confessum, & sensu cognitum impossibile, licet mediate deducuntur, res necessitate contingere, dum affirmantur, ita terminatè in futurum esse, uel impossibilē exitum obtinere dum ita non esse negantur, contingenti sublato: quod contra certum sensuum iudicium est, ac omnes rerum contingentiā affirmantes: adeo ut nullius esse scientiam approbarint eorumquæ sensibus subiacent licet maximo errore labantur. Ex hypothesi igitur argum. si enim omnis affirmatio, & negatio sumitur uera esse, uel falsa, cōsequens istiusmodi inferetur, & omne necesse est esse, uel non esse. Consecutio sequitur, quoniam ex sermonum ueritate, rerum esse, uel essentia sequitur, ut Ammonius asserit, & ex falsitate, rerum existentiæ uel essentiæ, priuatio, Infra enim Ari. affirmabit affirmationem, & negationem ueras, uel falsas uocari, non ex nobis solū dicentibus, sed quia ita res sunt, ad quas explicandas ab artifice referūtur, Petes, in consequenti quem sensum efficiat, necesse est esse, uel non esse, an statim ex necessitate omnia in futurum contingere, uel quod necesse, determinatè, ac definitè, & certo euenire sumatur? S. Tho. respondet, utrunque complecti, ut omnia necessitate proueniant, aut terminatè esse uel non esse. Mihi uidetur, ex prima hypothesi, siue concesso, non quicquam diuersum concludi, quam illatum superius sit. In his, quæ sunt, & quæ facta sunt, necesse est affirmationem, uel negationem ueram esse, uel falsam. Vbi per necesse esse, terminatè, & definitè, ac certò unam partem intelligit esse ueram, uel falsam. Ita hic intelligendum existimo: si enim omnis affirmatio, & negatio uera, uel falsa terminate, & certò est, ut oratio, & uox significans, ergo & omne significatum a uoce, idest rem signatam necesse est terminatè ac certò esse, uel non esse: hoc est (ut Auerroes explicat) oportet in omni re, q; sit inuenta, uel non inuenta: cum ab eo quod res est, uel non est terminatè ac definitè, oratio affirmans, uel negans sit uera, uel falsa. Et quoniā dispositio ista ab aliquibus certò & definitè uera etiam in futuris concedi posset, iccirco arguit ex inuenta proprietate in affirmatione, & negatione, quæ in præsenti tempore efferuntur, quæ rem terminatè, & necessariò inueniri, uel non inueniri concludunt: ad eandem proprietatem in affirmatione, & negatione inferendam, quæ in contingentibus uerę, uel falsæ ponuntur in tempore futuro. Quasi in hunc modum Arist. arguat, sicut oratio affirmatiua, & negatiua necessariò & terminate uera, necessariò, & terminatè rem, siue esse concludunt, ita (ut ponitur, licet falsò) si hic ponat aliquid futurum esse, ille uerò non futurum, affirmando, uel negando, idem consequens inferetur, in rebus proportione, scilicet quadam inspecta manifestum est, quoniam necesse est, uerum dicere alterum ipsorum, scilicet terminatę ita in rebus esse. Consecutionem in contingentibus ex primo posito a nobis, & ueteribus approbat: si omnis affirmatio uera, etiam in futuro, uel falsa est, quasi dicat sicut per orationem signatur ita res inuentæ necessariò erunt, tam in præsenti, quam in futuro. Nam ut Auerroes ait, natura inuenti entis sequens est sermonem uerum: ut finis intentus, atque signatu: & sermo uerus sequitur ipsum inuentum ens, sicut signum, & effectus suum signatum, & causam. Et quoniā disiunctione usus fuerat, uera, uel falsa, cur non simul uera affirmatio, & negatio sit, ita commonstrat, utraque enim contradictionis pars non erunt simul, uera, scilicet, & inuenta in talibus uere contradicentibus, ut a subcontrariis & indefinitis distinguitur. Natura enim primi principii talis est, ut ex quarto metaph. nono, uel. 25. supra retulimus. Ex hac explicatione perspicuum est, in illis uerbis. {Si enim omnis affirmatio & negatio uera, uel falsa, est, & omne necesse est esse, uel non esse} non solum probasse uerum ac falsum diuidi, sed definitè uerum esse, uel non esse. Idem etiam uerum ac falsum certo diuidi, & definitè in tēpore futuro in subsequentibus commonstrauit, quum ait (Si enim hic dicat futurum esse aliquid, ille uerò non futurum dicat hoc ipsum, manifestum est &c.)

TEX. BOETHII.

Nam si uerum est dicere, quoniam album, uel non album, necesse est esse album, uel non album. Et si est album: uel non album, uerum erat affirmare, uel negare. Et si non est, falsum dicit: & si falsum dicit, non est: quare necesse est aut affirmationem, aut negationem ueram esse, uel falsam. Nihil igitur neque est, neque fit, nec à fortuna, nec utrumlibet, neque erit, neque non erit: sed ex necessitate omnia, & non utrumlibet.

Si enim uerum est dicere, quoniam aliquid est album, uel non album. necesse est id esse album, uel non album: & si est album, uel non album, uerum erat affirmare, uel negare. Et si non inest, falsum dicit, & si falsum dicit, non inest. Ita necesse est, aut affirmationem, aut negationem ueram esse, uel falsam. Nihil ergo neque est, neque fit, neque à fortuna, neque in alterutram partem, neque erit, neque non erit; sed ex necessitate omnia, & non utrumlibet.

Ammonius uult, quòd idem suppositum exemplis demonstrat, quod supra, hoc est, ad orationem ueram res etiam ueras sequi, & contra. Sed licet eundem sensum uerborum Aristotelis explicemus, sine tamen dissentimus, quoniam Arist. syllogismo tentatiuo contra sic opinantes procedit, primo topicorum secundo, ex propriis con-

cessis falsis etiam ad confesse etiam falsa, ac impossibilia & inconuenientia ducet. Itaque postquam probauit ex posito uero in materia de inesse, si affirmatio, uel negatio terminate est uera, ut signum, ergo & esse, ac res signata, necessario, ac terminate uera est: idem probauit sequi, licet falso, in materia contingenti, quæ in futuro tempore dicitur, contra eos, qui certo, ac definite opinantur, affirmationem, & negationem ueram esse, uel falsam. Nunc itaque arguit eos sic opinantes hoc ponendum falsum ab eis necesse esse. si affirmatio, uel negatio in futuris, & contingentibus uera, uel falsa est terminate: ergo in futuris sicut determinate enunciabimus, ita erit, & a contrario aut de enunciatione albi, & non albi in litera patet: & contra de esse albi, & non albi ad enunciationem ueram, uel falsam. Quæ ambo ab eis ponenda necessario sunt, ut falsa, & famosè falsa. Nam contingit nos aliquid affirmare, quod nunquam ita extra animam erit. Secundum etiam quod conuersum appellant, & e cōtrario dictum, falsum monstratur. constat. n. multoties, rem in se ueram esse, non autem non uere, sed falso orationibus explicate ut in rationibus topicis, falsis, & sophisticis, ac syllogismo ignorantiæ, ex contrariis principiorum uerorum perspicuum est. {Et si non est, mentitur, uel falsum dicit.} Idem falsum ponendum ostendit per conuersionem, ut uniuersaliter uerum monstretur, tam in uera affirmatione, & re uera, quam in negatione falsa, & non esse. Sed hic incipit e conuerso, non esse. s. falso, ad orationem falsam, & contra: supra ab affirmatione uera ad esse, & contra. {Quare necesse est, aut affirmationem, aut negationem ueram esse, uel falsam} Ex his dictis cōcludit primam hypothesim, quam opinantes, nedum in præsenti, & præterito, sed in futuris etiam & contingentibus ueram esse putabant, ut ex hac prima hypothesi, ut antecedente proximo, ac dato falso, in eo quod male sentiunt, arguātur. Antecedens ergo erit: quare si necesse est. i. terminatè (ut ammonius annotat. & nos supra ex Arist. explicauimus) aut affirmationem ueram esse, uel falsam: consequens erit: nihil ergo neq; est, neque fit, nec a fortuna, nec utrumlibet, neq; erit, neq; non erit, sed ex necessitate omnia, & non utrumlibet} quasi dicat, singula ergo contingētia destruentur, quæ primo priorum. 18. tripartito ab Arist. diuiduntur, in id quod plurima ex parte, uel in pluribus uerè contingit, ut canescere hominem, augeri, uel corrumpi uel nasci: secundo ad utrūlibet ex æquo, uel indefinitū, ut ambulare, & non ambulare: tertio quod raro cōtingit, siue casu fieri dicitur. Quæres an omnia ista contingentia destruentur. si determinate affirmatio, uel negatio uera, uel falsa in futuro ponetur? Ammonius ad omnia retulit, sed explicitè (ut S. Thom. ait) tantum duorum Aristo. dicit meminisse: tertium (inquit Ammo,) ex rei natura aboleri. S. Tho. intelligit, tertium remoueri, cum accidens in paucioribus idest a casu, & fortuna non esse, neq; fieri probauit: hoc enim inter cōtingens in pluribus, & necessarium interest, quod in paucioribus deficit, ut non canescere in senectute. Sed melius cū Arist. primo priorum. 18. conuertitur igitur in oppositam qualitatem utrunq; contingens: idest non necessario, & terminate unum est uerum, uel falsum: non tamen eodem modo, sed quod natum, siue in pluribus est, non ex necessitate dicitur esse: sic enim non ex necessitate contingit, nō canescere. Ex hoc ergo omne contingens remoueri dicitur, quod intulit, {sed ex necessitate omnia.} Nullum ergo contingens ab aduersariis cōcedetur, & hoc puto ammonium uoluisse signare, cum ait, omne contingens negari ex natura rei, quia cōtingens in pluribus suapte natura non necessarium dicitur. Sed quæ causa fuerit, cur tertium contingens non expresserit? S. Thomas dicit, quoniam contingens in pluribus, non excludit quin una pars sit determinate uera, uel falsa. Sed contra primo priorum. 18. conuertitur in oppositam qualitatem. Dicendum est igitur, hanc esse rationem tentatiuè ducentem ad impossibile, & notum ex fama etiam falsum in cuiusmodi cōtingens natum, siue plurima ex parte non est, quod uidetur, licet non sit, determinate esse uerum, uel falsum. Qua de causa ex illo omnes scientiæ, & artes procedunt: huius enim ut Ammonius ait ex Arist. secundo physic.) causæ sunt natura, & ars, quæ est etiam eorum, quæ plurima ex parte contingunt, sexto ethic. quinto, sicut casus in naturalibus, & fortuna in prælectione, causa sunt eorum, quæ raro contingunt: & electio eorum, quæ ex æquo, uel ad utrumlibet: circa quæ rhetorica, diuinans autem circa cōtingentia raro uersatur. Dicit (neque est, neq; fit,) ut uniuersatim negare contingentia concludatur, & modos eorum, quibus sunt in esse permanenti & quieto, & quibus fiunt, ac sunt in esse imperfecto uel a fortuna, uel ad utrūque. Petes si est, uel fit, contingens non est, sed de inesse, cuius prædicatum est de natura (ut diximus) contingentis, actu adhærens subiecto, cur ergo de his exempla proposuit? Ad hoc supra respondimus ex primo priorum 18. ubi contingens describitur, quo posito inesse, uel non inesse, idest quod cum sit, potest tamen non esse, uel cum non sit, potest esse. A fortuna ergo esse, uel fieri, contingens uocatur, quatenus potest non esse: & quod fit, ut potest non fieri. Et quoniam contingens propriè est, quod actu non existit, sed in futurum potest existere, & si actu sit, non nisi ex posito, quod ponit actu, nullum sequitur impossibile, sua tamen natura actu non inest. Iccirco contingens ex proprio tempore abiiciet, dicens {neque erit, nec non erit, sed ex necessitate omnia.} Postulabis, hæc ratio quæ necessaria inferat, an quæ simpliciter, & quæ suaptè natura sunt necessaria, an non secundum naturam: sed ut supra ex Arist. explicauimus, necesse est. i. certò, definitè, & determinatè omnia inueniri, non interminatè? Respondet Arist. per uerbum, quod statim subnectit {& non utrumlibet} quasi dicat, dixi sic opinantes inconueniens sequi, omnia tam a fortuna, & utrumlibet ex necessitate cōtingere, non quòd ipsorum, quæ eueniunt, natura sit necessaria, sed quia non eueniant, ut contingentia, idest quæ possint, & uel non possint contingere, sed necessariò, & definitè, ac certò; & hoc clarè Aristo. explicauit per negationem oppositam necessariò, idest terminatè, hoc est, non utrumlibet. Itaque alia ratione hic necessarium non accipitur, quàm supra, dum de his, quæ sunt, & fuerunt, dicebat necesse esse affirmationem, uel negationem, uerā esse, uel falsam: & infra omne quod est, dum est, necesse est esse. Sic omne, quod erit (ut terminatè futurum esse conceditur) necessariò, & terminate inuentionis erit. Sic Auerro, consecutionem intelligit, dicens (ergo si affirmatio, & negatio separant uerum a falso in rebus futuris, dicendo, quòd una earum sit perfectæ inuentionis in se: ergo & res futuræ necessariæ sunt in inuentione earum) & infra (sed erit, & non erit, esse rei necessariò, non possibile ut sit, aut non sit.)

TEX. BOETHII.

Aut enim qui dicit, uerus est: aut qui negat. Similiter enim, uel fieret, uel non fieret, utrumlibet enim nihil magis sic, uel non sic se habet, uel habebit.

Aut enim qui affirmauit, uerus est, aut qui negauit. Similiter enim uel fieret, uel non fieret, utrumlibet enim nihilominus sic, uel non sic se habet, uel habebit.

Quam retulimus consecutionem, ex eorū concessis nūc approbat, quam asserunt, qui affirmauit, uel affirmat aliquid fore uel negauit, aut negat terminate, uerus est. adde, uel falsus. Si ergo terminate uerum esse affirmantē uel negan-

negãte dederunt, nõ utrunq; interminatè, sed necessariò, definitè, & certò futurum contingens sequetur. {Similiter enim uel fieret, uel non fieret &c.} Consecutionis approbationem ex opposito manifestat, ut principalis ratio fortius roboretur: subintellectum oppositum est, quoniam si affirmãs, & negans terminatè, ac certò uerus non est, consequens hoc sequetur, quod in litera ponitur, scilicet q in futurum contingeret similiter, siue æque fieret, uel non fieret: hæc autem his, quæ ipsi dederunt, maxime aduersantur. Consecutionem hanc nouissimam ex finitione contingentis æquè, uel utrumlibet approbat, quoniam quod indefinitè, siue non certò contingit, nihilo magis sic, uel non sic se habet, uel habebit, idest æqua ratione contingit, cõtra datum ipsorum, quo affirmabant, necesse esse, in futuris affirmationem, uel negationem, uerã esse, uel falsam, q hic in concreto, siue coniuncto affirmante in eo quod fit, & potest non fieri, uel quod nõ fit, potest autem fieri, mõstrauit. Ex his perspicuum esse potest, quam falsè & præter Arist. intentum Suessa literam istam declaret. {Similiter enim &c.} Dicens, & ita similiter necessariò alterum fieret, uel non fieret, & ita demetur natura de inesse, quia utrumlibet nõ magis sic, uel nõ sic se habet de inesse, uel se habebit. Vlterius ex his dictis cõcludit, q de necessitate alterum est, & ita tolletur materia contingentiũ, & materia de inesse, & omnia erunt necessaria. Primum errat, rationem Arist. non intelligens, quam ex opposito fieri supra retulimus. Item, si ex isto dato q necesse est, omnem affirmationem, uel negationem, ueram esse, uel falsam, natura de inesse deficeretur, idẽ inconueniens Arist. sequeretur, qui hanc regulam in materia de inesse, tanquam uerum prædixit in his, quæ sunt, uel facta sunt &c. Preterea si ex hoc antecedẽte, si affirmatio ponitur uera terminatè in futuris, uel falsa, infertur natura necessaria, materiã de inesse, & contingentem depellens; de his ergo, quæ sunt, & fuerunt, natura necessaria, destruẽs materiam, ac naturam de inesse, concluderetur. De his enim (ut diximus) qui affirmat, est determinatè uerus, uel falsus: ita etiam & qui negat. Non ergo ex tota hac ratione concluditur, omnia esse secundum naturam necessaria, sed certò, determinatè, & definitè contingere, non indeterminatè, ut propriè contingenti tribuitur: licet infra ex hac positione omnia ex necessitate contingere deducetur. Itaq; (ut supra notauimus) in his uerbis (similiter fieret, uel non fieret, & utrumlibet nihilomagis sic, uel nõ sic se habet, uel habebit) non tangitur materia de inesse. sed de contingẽti, quæ primo priorum. 18. duas particulas continet, ut eo posito inesse, possit non inesse: secundo, ut eo posito non inesse, possit, in futurum adesse. Has ambas particulas illis uerbis complexus est Arist. {Vtrumlibet. n. nihilomagis sic, uel non sic se habet} quoad primam particulam, ut ita se habeat, ita tamen se non possit habere. De secunda at {uel se habebit cum se ita non habeat.} Ex hac ergo ratione, natura destruitur contingentis, non ut accidens quoddam est, quod ita inuenitur in de inesse, sed secundum propriam contingentis naturam, qua potest in futurum esse, & non esse, interminatè, ut ante mõstrauimus. Literã illam. {Similiter. n. uel fieret, uel nõ fieret.} Auer. explicat ibi. {Quia si transit illud &c.} Aliam uero. {Vtrumlibet. n. &c.} ibi. {Et quum non sit uerum in una oppositarum perfectæ inuentionis &c.} Ex cuius uerbis poterit nostra sententia, ac expositio confirmari, quæ eadem esse uidetur.

TEX. BOETHII.

Amplius autem, si est album nunc, uerum erat dicere prius, quoniam erit album. Quare semper fuit uerum dicere quodlibet eorum, quæ facta sunt, quoniam est, uel erit. Si autem semper uerum fuit dicere, quoniam est, uel erit: non potest hoc non esse, uel non futurum esse. Quod autem non potest non fieri, impossibile est non fieri. Et quod impossibile est non fieri, necesse est fieri. Omnia igitur, quæ futura sunt, necesse est fieri. Nihil igitur utrumlibet neque à fortuna erit: nam si à fortuna, non ex necessitate.

Præterea si album est nunc, uerum erat dicere prius, quod erit album. quare semper fuit uerum dicere, quod quodlibet eorum, quæ facta sunt, est, uel erit. Si autem semper uerum fuit dicere, quoniam est, uel erit; non potest hoc non esse, uel non futurum esse. Quod autem non potest non fieri, impossibile est non fieri, & quod impossibile est non fieri, necesse est fieri. Omnia igitur, quæ futura sunt, necesse est fieri, Nihil igitur utrumlibet, neque à fortuna erit, nam si à fortuna, non est ex necessitate.

Suessa (cui nec græcorum, nec latinorum explicatio satisfecit) nouum cõmentum, & falsum inuenit: ait enim q postquam Arist. approbauit, ut futuris cõtingentibus singularibus uerum, uel falsum terminatè non inueniri, nunc probat, in singularibus de præsenti alteram contradictionis partem certò & definitè etiã uerã non esse: ad id, q hanc responsionem afferat Arist. opinatur: cuilibet propositioni de præsenti, respondet aliqua de futuro: sed ex approbatis superius, patet, in futuris singularibus alterã contradictionis partem terminatè ueram non esse: neque ergo in præsenti, terminatè ueram ponendam. Explicatio ista uero, & Arist. pugnantia dicit: nam initio capitis huius Arist. hanc dispositionem (necesse est alteram contradictionis partem ueram esse, uel falsam) in his singularibus, quæ sunt, uel fuerunt, & antea cap. quinto tãquam ueram, & nulli dubiam posuit: quoniã singularia propriè contradictionem efficiunt, cuius necesse est, alteram partẽ ueram esse, uel falsam. Ex Arist. ergo uerbis, diuersa cõclusio, ab ea, quã probare cõstituit, infertur. Si enim cuilibet præsenti altera in futurum uera respondet: in his autẽ (quæ sunt) singularibus necesse est alterã contradictionis partem terminatè ueram esse, uel falsam. Ita ergo in propositionibus contingentibus, ac futuris dicẽdum, quod dictis superius aduersatur. Item, quæ sit huius partis intẽtio ac conclusio, perspicuum fit ex ijs, quæ in sequẽtibus colliget, inquiens, {omnia igitur, quæ futura sunt, necesse est esse fieri.} De futuris ergo tantum hic loquitur, non præsentibus. Cum Auerroe igitur, ac alijs uere dicamus, idẽ hic quod superius, alia ratione ex idem ualentibus propositionibus approbare: & q ex eorum positis arguit: primum ponit, quasi notum sensibus esse, et datum ab omnibus, si album est nunc in præsenti, uerum erat dicere antequam esse, quoniam erit: quia forma: & esse quæ per motum acquiritur, est actus eius, quod prius erat in potẽtia, licet non ad certum actum, & formam. ex hoc uno particulari in tempore præsenti, in quo sermo est uerus, & necessarius (ut Auerroes ait) idest ut ponitur terminatè uerus: ac ut per se, & de omni: ratio similis ex eorum posito inuenitur: quæ uniuersalitim uerum inductione demonstratiua in tempore etiam præterito, & futuro cõcludit. Quare semper fuit uerum dicere, quodlibet eorũ, quę facta sunt, quoniã est, uel erit. Hoc illatum ut ex primo assumpto necessario sequatur, atq; ut ex eo necessario etiã cõsequantur cætera, quæ in hac rõne dicentur, ex positis tãtũ antiquorũ accipitur, nõ sensu uero mõstratum. Ita enim uerus, & necessarius sermo est, ex certa & necessaria ac sẽpiterna ueritate, in præterito inferre certã affirmationem, uel negationem, uerã, uel falsam in præsenti, uel in

euenit, cum hæc negatio falsa sit, contingit affirmationem non ueram esse: itaq; non diuiderent uerum, et falsum. Ex dictis his liquet, quod Ammonius in cōnectēda litera ista cum præcedentibus, ait, dictis Arist. non concinere: ipse enim hanc responsionem cum superiori coniunxit, quasi illius ponatur solutio, dicēs quod cum superius sumpsit, cōtradictionis partes falsum, & uerum diuidere, quia simul esse ueræ non possunt, posset quis (ut contingens remoueretur) opinari, simul posse mentiri, ac falsas esse. Hanc responsionem inquit Aris. duabus rationibus improbare, quia impossibilis (ut corrigimus.) & quia non iuuat ad introducendum contingens. Sed qua nam ratione responsio ista superiori cōiungitur, cum illa unam tantum determinatè ueram, uel falsam concederet, hæc autem solutio neutras ueras? Præterea non est una solutio, quam in litera proxima explicauimus, & in subsequenti ponemus: hæc enim (ut Auer. asserit) ambas ueras esse fatebitur.

TEX. BOETHII.

Ad hæc si uerum sit dicere quoniam album est, & magnum: oportet esse utrunque. Si uerò erit cras, oportet fore cras. Si autem neque erit, neque non erit cras, non erit utrumlibet: ut est nauale bellum. oportet enim neque fieri nauale bellum, neque non fieri.

Præterea si uerum sit dicere, quoniam album est simul, & magnum, oportet esse utrunque: sin autem erit cras oportet fore cras: si autem neque erit, neque non erit cras, non erit utrumlibet: ut est nauale bellum: oportet enim neque fieri nauale bellum neque non fieri.

Litera ista nimium abstrusa uidetur, ad quam explicandam satis fecisse putabo, si probabilia saltē tetigero. Hæc Arist. uerba ibi explicari ab Auer. existimo: (& similiter sequitur, si sint ambo simul ueri &c.) quasi tertiam responsionem, quam supra in summa tetigimus, Arist. largiatur: utrasque, scilicet cōtradictionis partes in futuris, & cōtingentibus esse ueras. Primum ponit responsum, dicens. Ad hæc dicta si etiam hunc in modum dicatur, idest si uerum sit dicere, utrūque cōtradictionis extremum {ut quoniam aliquid album est, & magnū} tanquam affirmationem ueram: dat consequens, igitur oportet esse utrunque. Ita de negatione etiam adiiciendum, si aliquid album non est, & magnum, consequens hoc inferendū, quod (ut Ammonius recte perspexit) Arist. suppressit, & tanquam per affirmationem intelligendum reliquit. Itaque falsum hoc consequens sequeretur, ut Auerroes ait, ut sit aliquid inuentum, & priuatum simul, idest sit, & non sit: igitur simile falsum hanc opinionem sequetur, quod in secundam retulimus, contradictionis particulas non esse diuidentes uerum a falso in omnibus rebus, contra naturam primi principii, cum de his simul ambe dicantur. {Si autem erit cras &c.} Com. affirmat, contra hanc responsionem aliud impossibile fama notum, siue famosum inferre. Si enim ambo sermones sint ueri, natura igitur possibilis auferetur. Hoc Arist. indicans, ait. Si uero erit cras, oportet, idest necesse erit terminatę esse cras. Ita de negatione etiam inferendum, si aliquid non erit cras, oportet, idest necessario, & terminate non uerum erit cras. Quare tolletur natura possibilis ad utrunq;: ut tamen natura possibilis quæ futurum respicit, interminate, uera, uel falsa est. {Si autem neq; erit, neq; non erit cras, non erit utrumlibet.} manifestat idem impossibile sequi responsione dicente ambos sermones, siue contradictionis particulas simul falsas esse. Primum repetit responsionem superius positam, dicens. {Si autem neq; erit, neq; non erit} idest simul falsæ partes non explicantes esse quod est, uel non esse, quod non est: id consequens inferetur {non esse utrumlibet} idest natura potens interminate ac indefinite esse uel non esse. {Ut est nauale bellum.} Exemplo nūc dictum impossibile manifestat, ut exempli causa est nauale bellū, in quo impossibile indicatur, quia si ambo sermones sint falsi, nō erūt igitur terminate, & necessario, quare oporteret neque fieri nauale bellum, neque non fieri: itaq; utrumlibet interminate non erit. {Ad hæc si uerum sit dicere &c.} Ex dictis perspicuum est secundam rationem contra dicentes neutras ueras esse, ab Ari. adductam non esse, ut Ammonius ait, quem cæteri omnes sequuntur. Ita enim ratiocinationem formauit, dato illis, q̃ ambo sermones sint falsi, ergo eadem res simul ex necessitate erit, atq; non erit. Consecutionem primam affirmatiuam deducit: uult quod sumat (ut supra contra primam solutionem ponebat) ex orationum ueritate sequi euentum rerum, non solum in præsenti, sed etiam in futuro. Itaq; si quis dicat infantem cras nasciturum album & magnum fore: ita erit: ex necessitate igitur res erit. Secundam consecutionem, & consequens infantis albi & magni suppressum ab Ari. similiter explicat, quia ex orationum falsitate res etiam falsę sequuntur. Sed non uideo, quomodo ista ex dictis Aristo. in illos sequantur: illa enim responsio dicebat, quoniam neq; erit, neq; non erit terminate: sic enim putabant contra se non sequi, negare naturam contingentis, quod erit, uel non erit interminate, & indefinite. Arist. autem hic arguit ex antiquorum concessis (quo pacto syllogismus ducens ad impossibile constituitur:) ipsi autem non concedebant, infantem nasciturum, album, & magnum, uel non nasciturum eum illis cōditionibus, ut ex necessitate sequatur, rem eandem esse, uel non esse: sed nec nasciturum nec non nasciturum determinate ponebant. Præterea Ari. primum incipit ab eo, quod uerum est, dicere in præsenti, quod albū, et magnum est: unde intulit {oportet esse utrunq;} idest album, & magnum. Qua de causa Comm. non intulit, rem eandem non ex necessitate esse, & non esse: sed si ambo falsa simul sint, sequi ut aliquid sit non inuentum, neq; priuatum, idest ut Arist. intulit, ambas simul esse falsas. Itaq; naturam primi principii destruet, extra quod nihil est. Sed fa ita uult Aristo. arguere, si in futuris singularibus ambæ contradictionis partes simul sunt falsæ, igitur de præsenti aliquando simul falsæ erunt. Antecedens a contrario approbatur, quoniam si aliqua de futuro sunt simul uera, etiam de præsenti oportet aliquando esse simul uera: nam cuilibet de futuro, altera de præsenti respondet, tam uera, quam falsa. Sed ultra uitium commune (quo dictum est non arguere contra dicentes simul falsas esse) plura sunt istius expositionis propria: non enim ex propositionibus simul falsis, sed ueris procedit Aristotelis ratio, ut contra Amm. etiam diximus. Item non ex futuris, siue falsis, siue ueris responsionem refellit, sed syllogismum ex hypothesi inchoat ab his, quæ in pręsenti tempore proferuntur. Amplius antecedentis approbatio ex opposito falsa simpliciter est, & in re, de qua maxime loquimur. Non enim ualet, contrariæ uniuersales in materia contingenti, idest de inesse sunt simul falsæ: ut explicantur ab ipsis: igitur sunt simul falsæ in materia necessaria. Idem de particularibus & subcontrariis proferatur. Præterea in materia contingenti (de qua sermo præsens institutus ab Arist. est, ut supra ex primo priorum.18. prædiximus) ambę uniuersales sunt simul ueræ & tamen cap.4. eiusdem libri falsæ dicuntur in materia de inesse. Non igitur similiter ratio ualebit in præsenti, & præterito, & in futuro. Item, si ratio secunda foret contra dicentes, neutras contradictionis partes ueras esse, idq; quispiā opinetur, permotus his Arist. uerbis, quibus utitur cōtradicens. f. {. Primū enim quum sit &c.} deinde. {Ad hæc} ratio non a futuris, sed a præsenti incipere debuisset, quæ in hūc modū posset formari. Ex posito uero in præsenti, si uerū sit dicere, quoniā aliquid est albū,

& magnum, oportet uerè utrunq; terminatè esse. Si uerò aliquid ponatur futurum esse cras ex nostro instituto determinate: igitur ex necessitate positi oportet esse cras, id est certò, definite, & terminate: nō ambæ igitur falsæ erūt: Sed quoniam istud confiteri, ac ponere, aduersari uidetur ei, quod antea respondendo dixerunt, quoniā res contingentes neq; erunt, neq; non erunt: iccirco in subsequentibus uerbis commonstrat, contra illos posse concludi, non esse contingens utrumlibet, quod ex ea solutione seruare instituerant. Primum solutionem (quæ negare hoc nouissime de futuro positum uidetur) per aduersantem particulam repetit, dicens. (Si autem neq; erit, neq; non erit cras) ut initio respondentes posuerant (non erit utrumlibet) ut exemplo naualis belli producto perspicuum fit, quod nec certò fieri, neq; non fieri oporteret: quod experientiæ, sensuumq; testimonio aduersatur, & secundum famam falsum uidetur: ad quod refertur (ut tetigimus.) ratio ducens ad impossibile.

TEX. BOETHII.

Quæ ergo contingunt inconuenientia hæc sunt, & huiusmodi alia: si omnis affirmationis, & negationis, uel in ijs, quæ in uniuersalibus dicuntur, ut uniuersaliter, uel in ijs, quæ sunt singularia, necesse est oppositarum hanc quidem ueram esse, illam uerò falsam. Nihil autem utrumlibet esse in ijs, quæ fiunt: sed omnia esse, & fieri ex necessitate. Quare neque consultare oportebit, neque negociari: quoniam si hoc quidem facimus, erit hoc. si uerò non hoc, non erit hoc. Nihil enim prohibet, & in annum decies millesimum, hunc quidem dicere hoc futurum esse: illum uerò non dicere. Quare ex necessitate erit: quodlibet eorum uerum erat dicere tunc.

Quæ ergo contingunt inconuenientia, hæc sunt, & huiusmodi alia: si omnis affirmationis, & negationis, uel in his, quæ in uniuersalibus dicuntur, ut uniuersaliter, uel in ijs, quæ sunt singularia, necesse est oppositarum hanc quidem ueram esse, illam uero falsam. Nihil autem utrumlibet esse in ijs, quæ fiunt, sed omnia & esse, & fieri ex necessitate. Quare neque consultare oportebit, neq; negociari: quoniam si hoc quidem facimus, erit hoc: si uerò non hoc, non erit hoc. Nihil enim prohibet & in annum decies millesimum hunc quidem dicere, hoc futurum esse, illum uerò non dicere. Quare ex necessitate erit, quodlibet eorum quod uerum erat dicere tunc.

Epilogum facit eorum, quæ dixit, ut alia etiam noua incommoda adiungantur, quæ illos sequuntur, qui ponunt, omnis affirmationis, & negationis, uel in his, quæ in uniuersalibus dicuntur (cōtradictionis intellige uniuersalibus ut supra cōtra alios hūc locum citauimus) uel in his quæ sunt singularia, necesse est, terminatè. s. certò, & definitè, oppositarum hanc quidem ueram esse, illam uerò falsam. Hoc posito (ut supra patuit) consequetur, nihil utrumlibet esse in ijs, quæ fiunt, sed omnia esse, ut permanentia sunt, & fieri ut imperfecta {ex necessitate} idest terminatè, & certò semper. Ita consequens antecedenti simile colligetur. {Quare} Infert alia, ergo neq; consultari oportebit, quod fine posito inquirit de medijs potioribus, facilioribus, ac paucioribus, quibus ad institutum, ac positum finem, siue actionem, siue rem actam perueniat, tertio eth. quinto & sexto, & septimo metaph. 23. septimo polit. 13. Secundo nec negociari in actiua, & practica arte cōtinget ita actuū moralium principia, & artium factiuarum tollentur. Quæ manifestè falsa secundū etiam famam dicuntur. Consecutionem horum indicās ait. {Quoniam si hoc &c.} Quia si in futuris, & contingentibus suapte natura terminate uerum falsumq; ponatur. non necessarium igitur est consultari, & negociari. Nā septimo polit. 13. consultamus, ut terminate, sine errore fit actio, negociamur tidem, ut aliqua consequamur, quæ sine negocijs non assequimur. Nam ea nō sunt necessaria, sine quibus finis ac propositum potest haberi. Si autem ut ponitur) sine cōsilio, & negocijs, absq; errore, finē ac propositum possumus obtinere: consiliari igitur, & negociari necesse non est Propositio minor ex eorum posito fit perspicua, quoniam si facimus quidem hoc, siue consilio, siue non, erit hoc in seipso terminatè: si autem non hoc facimus, non erit hoc. Petes, ratio ista oppositum uidetur concludere, nam si quatenus facimus hoc, erit hoc, & quatenus nos non efficimus, non erit: nobis ergo positis, ac remotis, & aliquid facientibus, effecta sequentur: non ergo consiliari, & negociari tollentur. Ad hoc fortassis animaduertens Cōment. ita sententiam Arist. explicat (primum destruitur cogitatio, quam nomine consilii intelligit, ad auferendum, aliquid, ne cadat, si prohibeatur, ut si bonū aliquod futurum ponatur determinate, certoq; uenturū, si homo, uel nos facimus quod opportet. i. quod necessario in seipso definitè, & certò esse, uel fieri ponitur, illud necessariò erit: & si non facimus, quod non oportet, & necessario esse statuitur illud quod oportet non erit,) quasi dicat non ex nobis facientibus, uel non facientibus pendet, esse aliquid, uel nō esse: sed propterea ꝙ fore, uel non fore necessario ponitur in se ipso. {Nihil enim prohibet.} Obiectis in antiquo aliquis respondebit. uerè ac terminatè uerum dicturum in contingentibus, si in proximum tempus (in quo certum est uirtutis iudicium) suam ueritatis sententiam efferat. Contradicit Arist. approbatq; nihil prohibere, siue paruum, siue magnū temporis spaciū intercedat, ut ab hinc annum decies millesimum, uel mille hunc quidem dicere hoc futurum esse, illum, hoc est, alium uero non dicere. {Quare &c.} Infert nunc consequens, quod ex superioribus sequebatur, & ex assignata nunc solutione ponitur roboratum. Quare remoto consilio, & negocijs ex necessitate erit, quodlibet eorū quod uerum erat dicere certo tunc, antequam in seipsis consisterc.

TEX. BOETHII.

At uerò nec hoc differt, si aliqui dixerint contradictionem, uel non dixerint. Manifestum enim quod sic se habent res, etiam si non hic quidem affirmauerit quid, ille uerò negauerit. Non enim propter negare, uel affirmare, erit, uel non erit, nec in decies millesimum annum, magis quàm in quantolibet tempore. Quare si in omni tempore sic se habebat; alterum uerè diceretur: necesse erat hoc fieri. Et unumquodq; eorum quæ fiunt, sic se habebat, ut ex necessitate fieret. Si enim uerè dixit quis quoniam erit, nunc potest non fieri. Et quod factum est, uerum erat dicere semper, quoniam erit.

At uerò neq; hoc differt, si aliquid dixerint contradictionem, uel non dixerint: manifestum enim quod sic se habent res, etiam si non hic quidem affirmauerit quid, ille uerò negauerit. Non enim propter negare, uel affirmare, erit, uel non erit, nec in decies millesimum annum magis quàm in quantolibet tempore. Quare si in omni tempore sic se habebat, ut alterum uere diceretur, necesse erat hoc fieri: & utrumquodque eorum quæ fiunt, sic se habebat, ut ex necessitate fieret. Si enim uerè dixit quis,

quoniam erit, non potest non fieri, & quod factum est, uerum erat dicere semper, quoniam erit.

Dices contingens tunc negari uidebitur, cum unus prædixerit ita esse, uel non esse certo, ac determinatè: quando autem non ita dixerit, contingens nullatenus remouebitur. Hanc responsionem infirmat, quoniam neque hoc, cōtingenter aliquid esse, uel fieri impedit, quoniam ita se habent res, etiam si hic quidem non affirmauerit aliquid, alius uero negauerit: quia non propter affirmare, uel negare res terminate, & necessario erit, uel nō erit, etiam si multo ante tempore præcognouerit, quo tam longo temporis spacio, certi, ac definiti ueri iudicium haberi potest. Quasi Arist. dicat, quòd contradictionis altera pars ex necessitate proueniat, uel contingenter, ex materia enūciationis. i. a re ipsa desumitur, non a nostra prædictione, ab hinc decem annorum millibus facta, uel quantolibet tempore. {Quare si in omni tempore &c.} Ex omnibus prædictis conclusio principalis infertur: nam si ex ante probatis, & proprius aduersariorum concessis, & ratione simili, & necessaria. i. semper, eorum quæ sunt, & fiunt, alterum sic se habeat, ut uere, terminate, & certo dicatur, ergo necesse erat fieri. Ex qua uniuersalem, quasi inductione demonstratiua, concludit, ergo & unumquodq; eorum, quæ fiūt sic se habebat, ut ex necessitate fieret. {Si. n. uere.} Consecutionem hanc approbat ex dictis ipsorum æquiualētibus: qui. n. dicit quoniam erit, terminatè, & certò. s. quòd non potest non fieri, quod idem ualet, quod impossibile nō fieri, & necesse fieri, ut supra prædixit: hic uero conclusionē affirmatiuam necessariam manifestat per negationē præpositam, siue per oppositum cum negatione præmissa, quodammodo notiori. {Et quod factum est.} Vt dictum inconueniens in omni tempore uerum ex eorum concessis probetur, in his quæ præterito tempore facta sunt, manifestat. Qui. n. dicit aliquid esse futurum uere, & necessario (ut ipsi dederunt) erit tale: sed quod factum est, antequam fieret, uerum erat dicere, quoniam erit: quæ igitur facta sunt, ex necessitate facta sunt. Inductione ergo in omnibus temporibus, consilijs, negocijsq́, perspicuum est omnia necessitate quadam contingere, idest certò, determinatè, non ad utrumlibet.

TEX. BOETHII.

Si quidem hæc impossibilia sunt: uidemus enim esse futurorum principium, & ab eo quod consultamus, atque aliquid agimus, & quoniam est omnino in ijs, quæ semper actu sunt, esse possibile, & non esse similiter: in quibus utrunque contingit, & esse, & non esse. Quare & fieri, & non fieri, & multa nobis manifesta sunt sic se habentia: ut quoniam hanc uestem possibile est incidi, & non incidetur, sed prius exteretur. Similiter autem, & non incidi possibile est: non enim esset eam prius exteri, nisi possibile esset non incidi: quare, & in alijs generationibus, quæ secundum huiusmodi potentiam dicuntur.

Si quidem hæc impossibilia sunt: uidemus enim esse futurorum principium, & ab eo quod consultamus, atque aliquid agimus: & quoniam est omnino in his, quæ non semper actu sunt, esse possibile, & non esse similiter: in quibus utrunque contingit, & esse, & non esse. Quare fieri, & non fieri, & multa nobis manifesta sunt sic se habentia, ut quoniam hanc uestem possibile est incidi, & non incidetur, sed prius exteretur. similiter autem, & non incidi possibile est: non enim esset eam prius exteri, nisi possibile esset non incidi. Quare & in alijs generationibus, quæ secundum huiusmodi potentiam dicuntur.

Intendit Arist. syllogismum ducentem ad impossibile contra antiquos absoluere: nam cum ex opposito eius, quod ipse, tanquam uerum posuerat, respondentem, compulerit ad plurima impossibilia concedenda, infert, si hęc (quæ diximus, & nunc quodammodo manifestamus) impossibilia sunt: ergo impossibile erit id, ex quo sequūtur, cum secundo priorum primo, falsum per se non nisi ex falso sequatur. Hæc autē impossibilia ex hoc opposito opinionis ueræ sequuntur, si in futuris, & contingētibus, certò, terminatè, & definitè, una pars cōtradictionis uera, uel falsa ponatur. Si hoc ergo est falsum, oppositum erit uerum, ex ratione primi principii, idest, in futuris, & cōtingentibus manifestum est, quoniam non omnia ex necessitate uel sunt, uel fiunt, idest terminatè, sed contingūt alia ad utrumlibet, uel magna ex parte. Suspensio igitur huius literæ in ea parte completur. (Manifestum igitur est, quoniam non omnia ex necessitate uel sunt, uel fiunt.) inquit ergo, si hæc, quæ diximus, & nūc eadem explicamus impossibilia sunt, totum quod hæc antecedens sequitur, suspensiuè, & quasi per parenthesim est legēdum, ut antecedentis probatio, usq; ibi. (Manifestum &c.) Antecedens ex usis, ac sensuum testimonio, & apparētibus omnibus pluribus, uel sapiētibus approbet, quoniam esse perfectū futurorum principium liberum. s. ex his duobus operib. patet, quòd cōsulamus ex fine præcognito, quæ agēda a nobis, uel efficiēda sunt, eligentes: item propterea quòd aliquid liberè agimus, componētes, constituentes, atq; efficientes, quæ per consultationem ipsam antea consultauimus, non anima uegetante, non sensitiua, sed intellectiua, uel instrumento intellectus cogitatiua, ut tertio de anima 20. & 23. a Themistio copiosius declaratur. Commen. ergo uerè fatetur, ii, qui sic opinantur, concedunt impossibilia in fine repugnante, & diuersa ab eo, in quo creati sumus, libera. s. uoluntate, qua agere, & non agere possumus ac benè, & malè operari, innouamus aliquid, & desideramus. Ex his patet in hac parte Arist. institutum non esse, (ut Ammonius asserit) ostendere in rebus contingens esse, & in quibus uera contingentis natura cernatur: quoniam & si ista ab Aristot. explicentur, non ex instituto, sed ut ex impossibilibus positis, ac sensuum iudicio manifestis perspicuum fiat, oppositum opinionis ipsorum, tanquam uerum, probandum. Itaque etiam non dicendum, principali suo instituto probare quæ dixit impossibilia esse, sed ex his (quæ sensibus sunt aperta) impossibilibus, syllogismum ducētem ad impossibile uelle perficere, licet per quandam parenthesim, ut magis firmentur impossibilia esse, quodammodo approbet, ut ante notauimus. Nec tertio Arist. addendum, si hæc, quæ diximus nunc, impossibilia sunt, & absurda, ergo quæ superius diximus, absurda erunt. Dicimus. n. quòd (ut tetigimus) syllogismum ducentem ad impossibile perficit, ex his ante monstratis impossibilibus constitutum. Nam si hæc impossibilia sunt. De supra explicatis etiam impossibilibus intelligitur: horum enim probationem statim subintulit, dicens. Videmus enim esse futurorum principium. & ab eo quod consultamus, atque aliquid agimus: ad quæ duo supra deduxerat. Quare neque consultare oportebit, neq; negociari. {Et quoniam est omnino in his.} Ammonius uult Arist. commonstrare, in quibus rebus contingens inueniatur, nō in sempiternis. s. sed caducis, quæ ipsorum naturam in ortu, & interitu susceperunt, unoq; corrupto & altero genito. Sed dicas, monstrare tertiò impossibilia esse, quæ diximus, ex rebus iia, quæ non semper actu sunt, agūtq;, in quibus manifestè perspicimus possibile esse, & non esse. Quare in eisdem contingent fieri & nō fieri, quæ sunt uiæ ducentes ad esse, secundo physic. 14. secundo de

gene. quarto, septimo metaph. 24. Item si in his quæ semper actu non sunt, esse & non esse cõtingit, de quibus mi nus uidetur q̃ sunt permanẽtia, & perfecta: quare fieri & non fieri, quæ magis ad contingẽtiæ rationem, ut imperfecta, uidentur pertingere: ex duobus ergo tres in quibus cõtingens est, explicauit, q̃ non semper agunt: itaq; ex parte agentis aliquid contingere affirmabitur. secundo quia ambo hæc esse, & nõ esse per generationem, & corruptionem contingunt. i. non solum ex agente contrario, primo cœli. 20 sed materia, ut Comm. notauit. {Et multa nobis manifesta.} Manifestat exemplo multorum, quæ nobis sic se habere perspicua sunt. i. ut possibilia sint esse, & non esse, fieri, & non fieri. Et si unius tantum uestis exemplum proponat, ex simili tamen ratione, qua communiter ita se habent, de multis similem rationem habentibus intelligitur. Exemplum uestis adducit, quam possibile est incidi, tam ex natura agentis, quàm materiæ, ut Auerroes ait, quæ tamen non incideretur, sed prius exteretur, uel contereretur, uel inueterasceret, uel integra, & inconscissa seruabitur. Quare similiter possibile est, uestem non incidi, quia non contingeret illam integram, & inconscissam exteri, & inueterascere, nisi possibile esset non incidi. Motus enim est actus eius, quod extitit in potentia. Nam si impossibile esset non incidi, nũquam sequeretur de ueste illi respondẽs: quia destructo, & abiecto superiori, destruitur & negatur inferius. Potentia autem prior in eodem est actu imperfecto. Ea ergo a subiecto remota, remoueri actum necesse est. {Quare & in aliis generationibus, quæ secundum huiusmodi potentiam dicuntur.} Vnico exemplo producto de aliis eandem potentiam habentibus manifestat, quasi arguat, quæ eandem potentiam habent contradictionis originem, possunt esse, & non esse, fieri, & non fieri: sed in multis aliis generationibus, siue generalibus huiusmodi potentia inuenitur: possunt igitur indefinitè esse, & non esse, fieri, & non fieri. Vel sit inductio, quasi demonstratiua ex uno ad plura, uel omnia, quæ similem continent rationem. Quamobrem de uno uera, & de omnibus, secũdo topi. septimo, quarto top. primo, quæ tamen hic assumuntur, ut opinata, & credita, uera tamen, & sensibus manifesta.

TEX. BOETHII.

Manifestum igitur est, quoniam non omnia ex necessitate, uel sunt, uel fiunt. Sed alia quidem utrumlibet: & nihil magis, uel affirmatio, uel negatio uera. Alia uerò magis quidem in pluribus alterum: sed contingit fieri & alterum, alterum uerò minimè.

Patet igitur, quoniam non omnia ex necessitate neque sunt, neque fiunt: sed alia quidem utrumlibet, & nihil magis, uel affirmatio, uel negatio, uera, uel falsa: alia uerò magna ex parte, uel in pluribus alterum, sed contingit fieri, & alterum; alterum uerò minimè.

His (ut prædiximus) terminatur suspensio antecedentis. Si ergo quæ superius explicauimus, impossibilia sunt, & falsa, oppositum igitur uerum est: manifestè ergo consequitur, in futuris non omnia ex necessitate neq; esse, neque fieri, hoc est, terminatè, definitè, certoq;: sed alia utrũlibet. i. indefinitè, atq; æquè contingant. Quod explicans ait. {Et nihil magis uel affirmatio, uel negatio uera, uel falsa. Alia uerò magna ex parte.} Dices nonne sunt alia, quæ in pluribus, siue magna in parte contingunt? hæc ergo ex necessitate esse, uel fieri dicentur. Respondet primum per aduersantem particulam, quasi dubium innuens. Alia uerò magna ex parte: alterum quasi necessariò terminatè inest: inde solutionem tangens, unde eius contingentia, & incertitudo dignoscitur, inquit, sed contingit fieri & alterum in paucioribus, alterum uerò non: in paucioribus, scilicet, sed quasi dicat contingit in pluribus. Solutio igitur est, quamuis certò euenire possit in pluribus, siue plerunque, & magna ex parte; in paucioribus saltem potest non esse. Vel contra, cum plerunque non inest, in paucioribus inest. Sciscitaberis, cur conclusionem ex superius dictis recolligens, contingentis in pluribus meminit, ac apertè notauit, superius autem reliquit? Dicendum uidetur, rationem ducentem ad impossibile inferre falsum (quod uocant) famosum, & cõfessum ab iis etiam, quos redarguit. supra autem docuimus non ita perspicuum esse, magna ex parte contingens necessariò, & terminatè nõ esse. Hac de causa tanquam ex fama nimium impossibile non conclusit: hic uerò syllogismo iam perfecto, illatoq; impossibili, non omnia esse, & fieri necessariò: hoc impossibile ex opposito manifestans, enumeratione uerarum specierum, inquit, sed alia quidem utrunque contingunt, alia uerò magna ex parte: ut quo etiam numeratur, quod in paucioribus competit, ut supra S. Thomas asseruit, contra quem tunc insurreximus, quòd expresse non meminit, quia nõ ita confessum, ac ex fama falsum ab aduersariis ponebatur: hic uerò explicãdum oportuit, ubi ueritas declaratur. Item prædiximus, ut dubitatio solueretur, quæ contra ueram conclusionem posset opponi.

TEX. BOETHII.

Igitur esse quod est, quando est, & non esse, quod non est, quando non est, necesse est, sed non omne quod est, necesse est esse, nec quod non est, necesse est non esse. Non enim idem est, omne quod est, necessariò esse, quando est: & simpliciter ex necessitate esse. Similiter autem & in quod non est.

Esse igitur quod est, quando est, & non esse quod non est, quando non est, necesse est: sed non omne, quod est, necesse est esse, nec quod non est, necesse est non esse. Neque enim idem est, omne quod est, necessariò esse, quando est, & simpliciter ex necessitate esse. similiter autem & in eo, quod non est.

Quoniam dispositio cõtradictionis erat, esse in partem alteram necessariò ueram, uel falsam: & initio capitis huius posuerat, terminatè, ac certò ueram in propositionibus de inesse, quæ in tempore præsenti uel præterito terminatè ueræ ponuntur: ostenditq; superius, in futuris, & contingẽtibus, tam singularibus, quàm uniuersalibus contradictoriis, nõ necessariò, idest definitè, certoque, unam partem ueram esse, uel falsam: nunc proprietatem contradictionis, dictam superius (abiectam, ac infirmatam in contingenti materia) certò, & necessariò ueram in propositionibus de inesse (quæ in præsenti, aut præterito efferuntur) recolligit, atque concludit, quasi dicat cum ista proprietas contingentibus non cõueniat, propterea quòd actu subiectis non insunt: ergo esse, idest affirmatio significans prædicatum accidens, quòd actu inest, quãdo est, idest quãdo actu inest subiecto: & non esse, idest negatio, significans accidens non inesse, quando actu non inest, necesse est, idest necessariò pro eo tẽpore, & in illo subiecto inuenitur uera, uel falsa terminatè, certoq; suapte natura, affirmatio, uel negatio. {Sed non omne quod est.} Dubitationem per aduersantem particulam ac subsequentia uerba designat: dictum enim præcedens {esse quod est, dum est, & non esse quando non est, necesse est esse} perplexum, & occultum uidetur: in faciem enim consideranti hæc sententia indicari uidetur, significatũ de inesse necessariò ac perpetuò adhærere subiecto. Ad hoc animaduertens; respondet:

det: quæ solutio, ut facilius dignoscatur, quid per simpliciter necessarium intelligat, ante ponendum: Simpliciter primo elencho, quarto, id dicitur, quod in omni subiecto, tempore, ac loco, uerum deprehenditur: secundum quid autem finiti, quod in aliquo subiectorum, aut tempore, uel loco subiectis adhæret. His positis patet responsio, cum dicimus esse quod est, quando est, & non esse quod non est, quando non est; necesse est, non intelligitur necesse esse simpliciter, absolute in omni tempore, loco, & subiecto, sed secundum quid, idest aliquo tempore, & subiecto, dũ inest actu subiecto, a quo actu inexistente propositio de inesse id sibi proprie uendicat, ut necessario, idest terminate, ac certò inesse dicatur. Inquit, sed non omne quod est, scilicet de significato de inesse, necesse est esse: nec omne quod non est, necesse est non esse, simpliciter, & absolute, ut secundum naturam necessarium iudicetur. Ex hoc epilogo notate uerum esse, quod superius diximus, hanc dispositionem contradictionis prædictam (necessariò, idest terminate ueram esse, uel falsam) proprie ex instituto de contradictoriis de inesse, non necessariò pertractari, nisi ut in ratione communi actu inexistendi conueniunt, quòd supra latius disseruimus, & nunc ex Arist. uerbis, ac sententia confirmamus. Necessariæ enim propositiones, in quibus prædicatum in definitione subiecti, uel e contrario subiectũ in definitione prædicati consistit, simpliciter, non secundum quid necessariæ nuncupantur, cum per se, & de omni, idest non aliquo tempore & subiecto inesse ponantur. Ari. earum enũciationum hic meminit, quarum prædicatum actu inest subiecto terminate, & necessariò, secundũ quid pro eo tempore, idest quando inest: non quod secundum ueram essentiam sit necessarium. His cognitis patet, quã extra Ari. mentem Ammonius litteram istam cõnectat, qui uoluit Ari. propositum esse, infirmam ostendere rationẽ, siue rationem dissoluere, qua antiqui contingentis naturam deiecerant. Nam album, & alia huiusmodi nunc esse aut fuisse dicuntur, & necessariò, quia de his uerũ fuit dicere, illa aliquando fore. Vult quod ad hanc rationem respõdeat, si omnis propositio determinate uera, & necessaria simpliciter poneretur, natura contingentis corueret: non autem si uera ac necessaria secũdum quid siue aliquãdo (dum, inest) ponatur. Sed pace tanti uiri sit dictum, solutio ad propositiones de inesse, non contingentes, dirigitur: de contingentibus enim statim ab eodem dicetur, cõtradictionis partem necessariò ueram, uel falsam, non terminatè, ac certo, sed indefinitè, ac non certò: hoc enim proprietas de inesse, & contingentium differt. Præterea, ii qui in futuris terminatam contradictionis partem ueram esse, uel falsam existimabant, non aliter id credebant, quã Arist. opinatur de propositionibus de inesse, quas eo differre monstratum est, quòd terminatè, uel interminatè uerum falsumque significant. Ari. autem contra sic opinantes conclusit, si in futuris omnis affirmatio est uera, uel falsa definitè, & terminatè, sicut in propositionibus de inesse contenditur, omnia ex necessitate, non utrũlibet ac contingenter acciderent. Itaque (ut Ammonius declarauit) ea ratione, & aliis ex eodem posito procedentibus, natura contingentis destruitur. In præmissis tamen necessitas simpliciter non accipitur, nisi illa, quæ propositionibus de inesse tribuitur: hæc autem (ut hic. Ari. explicauit) secundum quid necessitas dicitur, non simpliciter. Item contingentis natura est (ut toties declarauimus) quæ non actu inest subiecto, sed potest inesse, uel si insit, potest nõ inesse: hæc autem contingentis ratio potens inesse, uel non inesse, ex hoc tantũ abiicitur, quòd terminate ad esse ponitur, & secundum quid necessaria, dum inest: nõ ergo simpliciter necessarium opus erit. Ex his etiam liquet Suessæ insomnium commentitium esse, quo credit, cum Aristot. quæstionem hanc terminasset, an in futuris, & contingentibus terminatè esset uerum, uel falsum, nunc uelle monstrare, an illis sit aliquo modo necessitas: primum quæ uult quod proponatur distinctio simpliciter, & secundum quid necessarii, in hac litera, quam nouissime explicauimus: inde ibi. { At in contradictione eadem ratio est.} uult qui distinctionẽ assignatam ad rem propositã applicet, simpliciter necessarium in contingentibus inueniri, cum indefinite, siue indeterminate sumatur, non tamen diuidentem dicere alterum necessarium. His iam superius contradiximus: nam. Ari. distinctionem necessarii ad enũciationes de inesse retulerat, dicens, esse quod est, necesse est esse, non quod substantiam habeat necessariam, sed secundum quid necessarium ponitur, dum inest. Qualis autem sit explicatio textus, modo dicamus.

TEX. BOETHII.

Et in contradictione eadem ratio est. Esse quidem, uel non esse omne necesse est: & futurum esse, uel non: non tamen diuidentem dicere alterum necessarium. Dico autem ut necesse est futurum esse bellum nauale, cras, uel non futurum esse. Sed non futurum esse cras bellum nauale, necesse est, uel non futurum esse futurum autem esse uel non esse, necesse est.

Et in contradictione eadem ratio est. Esse quidem, uel non esse, omne necesse est, & futurum esse, uel non: non tamen diuidentem dicere alterum est necessarium. Dico autem, ut necesse est futurum esse bellum nauale cras, uel non futurum esse. Sed non futurum esse cras bellum nauale necesse est, uel non futurum esse: futurum autem esse, uel non esse necesse est.

:: Declarare uult Commentator, explicata contradictionis proprietate in materia de inesse, nunc aperit, qua ratione in contingentibus habeatur. Primum illud ponit, in quo (tanquam in principio) omnes enunciationes conueniunt, in qualicunque fiant materia: id autem est, omne necesse est, uel esse, uel non esse, idest in præsenti de inesse, & necessaria. affirmationem, uel negationem, ueram esse, uel falsam: Similiter & in futuris omne necesse est futurum esse, uel non. Inquit ergo in contradictione, scilicet participanda, eadem ratio est, in qua uniuersæ oppositiones concinant. Primi enim principii conditio est. De quolibet dicitur esse, uel non esse, ut in secundo dicetur, & primo post, & quarto, met. declaratur: quod nunc his uerbis aperuit. { Omne necesse est esse, uel non esse } & quasi dicat non solum in materia de inesse, sed contingente & futurum esse, uel non { Non tamen diuidentem &c.} Differentiam explicat, qua similem contradictionis rationem, ac proprietatem participant, quasi dicat, & si in hac communi ratione uniuersa conueniant, differunt tamen, quoniam non diuidentem, idest distincte, definite, ac certo, necesse est alterum dicere, ut in propositionibus de inesse ante retulimus: sed in futuris indefinite uera dispositio ponitur. { Dico autem. } Vtrunque dictum exemplo naualis belli futuri commonstrat: primum id in quo singula simili ac eadem communi ratione conueniunt: dico quid nominis explicans: (dico autem, ut necesse est futurum esse bellum nauale cras, uel non futurum esse,) indefinitè scilicet. Differentiam uero iudicans, ait, sed non futurum esse cras bellum nauale necesse est, in affirmatione determinata, uel non futurum esse, in negatione certa: sed futurum esse, uel non esse, indefinitè, indistinctè, necesse est. Ex his contra Suessam arguitur, si ista contradictionis proprietas uniuersalium singulis in omni materia contradictionibus competit (quia necesse est omne esse, uel non esse; idcircò enim hæc dispositio, eadem ratione par-

ticipari ab omnibus dicitur:) ergo cum de propositione de inesse primum principium uerum sit:{necesse enim est ipsam ueram esse, uel falsam:} simpliciter necessarium aequa, ac eadem ratione ab ipsa de inesse participatur. Nõ enim hoc modo dicendum, simpliciter necessarium in futuris, & contingentibus inueniri, quia indefinitè ratio primi principii illis tribuitur: quia omne necesse est esse, uel non esse, etiam quae actu insunt, & sempiterna. Praeterea si simpliciter necessarium, per accidens. i. per alterum sibi cõtingit ratione contradictionis non ergo hoc inter necessarium, & de inesse, & contingentem interserit, quae (ut diximus) communis est omnibus. Item uerbo simpliciter necessarij deceptus uidetur, quod semper omni subiecto cõueniens est, ac secundum substantiam, & essentiam necessarium appellatur. Contingens autem naturae accidentis est, quae potest esse, & non esse. Amplius sicut contradictio contingentibus indefinite uera, uel falsa tribuitur necessariò ita propositionibus de inesse, definitè, ac certò, necessariò accidit. Ad haec illa mei natura, quae actu non inest, contingens uocatur, & de inesse, dum inest, sed esse, quod est, quando est, secundum quid necessarium dictum est: ergo ita de contingenti dicetur. Literam istam. {Et in contradictione eadem ratio est.} Ammonius uel in explicatam reliquit, uel hunc in modum intelligit: ut sicut in eo, quod est, dum est, necesse est esse, ly necessarium, bibartito distinguitur: ita eadem ratione in eo quod ex necessitate non est, idest in contradicente negatiua necessarium distinguendum simpliciter, absolute, & secundum quid. Si ita explicetur haec litera, manifestè uerbis, ac sententiae aduersabitur: nam antea id tetigerat, dicens. {Sed non omne quod est necesse: nec quod non est. necesse est non esse, simpliciter,} scilicet, ut se apertius explicat inquiens. {Nõ idem est, omne quod est, necessariò esse, quando est, & simpliciter ex necessitate esse.} Idem de contradicente negatiua indicans, ait, {similiter autem dicendum} scilicet & in eo quod non est.

TEX. BOETHII.

Quare cum similiter orationes uerae sint, quemadmodum & res: manifestum est, quoniam quaecunque sic se habent, utrumlibet sint, & contraria contingant, necesse est similiter se habere & contradictionem: quod contingit in ijs, quae non semper sunt, uel non semper non sunt. Horum enim necesse est alteram partem contradictionis ueram esse, uel falsam: non tamen hanc, uel illam, sed utrumlibet: & magis quidem ueram alteram, non tamen iam ueram, uel falsam.

Quare cum similiter orationes uerae sint, quemadmodum & res, manifestum est, quoniam quaecunque sic se habent, ut utrumlibet sint, & contraria permittant, necesse est similiter se habere, & contradictionem: quod contingit in ijs, quae non semper sunt, uel non sunt. Horum enim necesse est, alteram partem contradictionis ueram esse, uel falsam: non tamen hanc, uel illam, sed utrumlibet, & magis quidem ueram, non tamen iam ueram, uel falsam.

Quoniam explicata nunc contradictionis dispositio in contingentibus, quodãmodo obscura inchoantibus uidebatur, iccirco eam quodammodo manifestat ex rebus, pro portione quadam enunciationibus contradictoriis respondentibus: & si ratio a priori & caussis procedat, (res. n. uerae, uerarum orationum causae ponuntur) demonstratiua tamen non est, cum ad ignotum naturaliter non deducat: per se. n. notum est, in contingentibus propositionibus alteram ueram esse, uel falsam, indefinitè, & interminatè. Quia tamen quatenus in natura rerum ipsarum sunt priuationes & determinationes: esse, uel non esse, fieri, uel nõ fieri, ita sunt apud nos, ut Auerroes ait, propterea a rebus notioribus inchoat, ut ex eis ratio proportionalis. siue proportione, & similitudine quadam respondens efficitur. Ratio ergo est, orationes uerae ponuntur, quemadmodum & res contingentes, quae non semper sunt, uel non semper non sunt, harum necesse est alteram partem contradictionis ueram esse, uel falsam: non tamen hanc, uel illam definitè, & certò, sed utrumlibet, idest indefinitè, indeterminatè: ergo & contradictio orationum similiter erit. Arist. tamen primum proportionem ueritatis orationum ad res ipsas collatas praemittit, ut ex ea completam maiorem propositionem assumat. Quare manifestum est quoniam quaecunque res ita se habent, utrumlibet, idest indeterminate uerae sint, dum affirmentur, & contraria permittant, siue contingant, idest negationes, hoc est, ut sint, uel non sint, fiant, uel non fiant: ex hoc consequens infert. {Necesse est similiter se habere, & orationum contradictionem.} Maior ergo tota erit, quam Arist. ex hypothesi arguens explicauit: sicut res uerae utrumlibet, indeterminateq; sunt, uel non sunt, similiter orationum contradictio erit. Minor ibi. {Quod contingit in iis, quae non semper sunt.} Sed res, quae non semper sunt, & non semper non sunt, idest, quae aliquando non sunt, uel aliquando sunt, ita indefinite ad utrumlibet sunt, ut nece sit alteram partem ueram esse, uel falsam, indefinite, & interminatè: ergo & contradictiones. {Et magis quidem ueram alteram.} Quare res in minore assumpsisti res contingẽtes ueras indefinitè esse ad utrumlibet, tam esse, quã non esse: oppositum de contingentibus in pluribus, siue natis uidetur: in his enim non utrumlibet, ac aeque contingit esse, & non esse. Respondet, & si magis contingat ueram esse alteram, quae plurima ex parte solet contingere, ut in senectute canum hominem fieri: non tamen iam, certò, scilicet & definite, ueram, uel falsam, ut non possit (licet in paucioribus) aberrare. Ammonius literam hanc. {Quare cum similiter orationes uerae sint, quemadmodum & res &c.} ad simpliciter. & secundum quid necessarium retulit, quasi Arist. diceretur, sicut res simpliciter, & secũdum quid necessariae appellantur: ita & orationes, alias ex necessitate esse ueridicas absolutè, & simpliciter, ueluti eas, quae integra contradictione proferuntur, quale est ambulare Socratem, uel non ambulare (& in quibuscunque rebus, siue aeternis, siue corruptibilibus existẽtibus, siue non existẽtibus) uerum est: & si in quibusdam inquit, propter rerum naturam accidat, partem alteram contradictionis explicitè ueram esse, ut ignem esse calidum, alias secundum quid. Ex cuius sententia confirmatur, quod supra contra Suessam tetigimus, necessarium simpliciter, si esset de contradictione intellectum, omnibus enunciationibus conuenire, non futuris solum contingentibus, nisi indefinitè sumatur, sicut in ipsa de inesse, definitè, & terminate. Sed licet Ammonij expositio uerum contineat, non tamen Arist. propositum, ac finem assequitur: propositum enim Arist. est, quod initio capitis positum est, & in epilogo colligit, & in tractatu perquirit: id autem est, posito tanquam perspicuo, contradictionem communiter omnibus conuenire, perquirere, cui certò, ac definitè, uel indefinite conueniat. Quod cum supra tam multis ostenderit, nunc similitudine ipsarum rerum uerarum, indefinite, ac incertò contingentium, de orationibus manifestat. Et si necessitatem de propositionibus de inesse monstrauit, non nisi eo uerbo permotus quo utebatur in questione soluenda in enunciationibus de inesse, in his, scilicet quae sunt, & quae facta sunt, necesse est affirmationem ueram esse, uel falsam: & quod est, dum est, necesse est esse. Ne quis ergo deciperetur, existimans uer

bo

ko necessari, simpliciter, & absolutè necessarium intelligere; icci rco illud bipartito distinxit. In contingentibus uerò, quia non necessariò, & terminatè contradictionis partem contingit ueram esse, uel falsam, icci rco necessaria consideratione opus non erat. Et si de necessario proprio contingentibus ageret, illud secundum quid, non simpliciter esset, ut contra Suessam dicebam, cum prædicatum, quod non inest, & potest inesse, uel non inesse, non perpetuò potest inesse, uel non inesse.

TEX. BOETHII.

Quare manifestum est quoniam non est necesse omnis affirmationem, uel negationis oppositarum: hanc quidem ueram, illam autem falsam esse: non enim quemadmodum in ijs, quæ sunt sic, se habent & in ijs, quæ non sunt quidem, possibilibus tamen esse, uel non esse, uel quemadmodum dictum est.


Quare manifestum est, quoniam non est necesse, in contradictorijs enunciationibus, hanc quidem ueram, illam uerò falsam esse. Non enim quemadmodum in his, quæ sunt; sic se habent, & in his, quæ non sunt quidem; possunt tamen esse, uel non esse: sed quemadmodum dictum est.

Summam, siue epilogum facit eorum, quæ hoc toto capite dixerat, qui tunc maxime necessarius est, cum lõgius in narrando proceditur, tertio, reth. de epilogo. Primum colligit, quæ de contingentibus disseruerat. Quare manifestum est, quoniam non est necesse, idest terminatè & certo omnis affirmationis, et negationis oppositarum, hanc quidem ueram, illam autem falsam esse. { Non enim. } Manifestat ex opposita differentia dispositionis enunciationũ de inesse, quoniam affirmatio, & negatio non similiter se habent in his, quæ sunt de inesse, in quibus prædicatum actu inest subiecto, & in ijs possibilibus, quæ non sunt, actu, possunt tamen esse, uel non esse: sed ita se habent, sicut dictum est in cõtingentibus indefinite, & indeterminatè: in propositionibus autem de inesse, certo, & definitè, ac determinate. Multa hic ab expositoribus postulantur, de arbitrio hominum libero, quod de his, quæ aliquando futura sunt, consulendum existimat, de prudentia diuina, siue rerum humanarum procuratione, & prouidentia, prædestinatione, futurorum certa scientia. Hęc autem reliquimus, propterea quod longam orationem desiderant. hisque non naturali ratione credita credere debemus, sed fidem tenere, quam à summa ueritate, ac patribus, diuino lumine afflatis, accepimus. Horum cum euidentem, ac sensibus obuiam habere rationem non possimus, tanquam in aram confugiamus ad Deum, qui nec falli, nec fallere quenquam potest. Et si Deus nos ista scire, quæ latent, & obscuritate maxima inuoluuntur, argumẽtis, ac certis rationibus noluit, (ut Apostolus clamet, Quam incomprehensibilia sunt iudicia eius) cui nobis non liceat, his tantummodo credere, non inquirere ę præcipuè cum hic uix semidoctis, properantes ad maiora, loquamur ę iudicio igitur hæc, & euidentium rationum inopia, reticenda putaui.

Hæc de primo ad gloriam Dei,
matris uirginis, sanctorumque omnium honorem,
legentium utilitatem sint dicta.

HIERONYMI BALDVINI

IN SECVNDVM ARISTOTELIS DE INTERPRETATIONE LIBRVM EXPOSITIO.



DE ENVNCIATIONIBVS INFINITIS CAP. I.



VONIAM autem est aliquid de aliquid de aliquo affirmatio significans, hoc autem uel nomen est, innominatum, unum autem oportet & esse, & de uno id quod est in affirmatione (nomen autem dictum est: & innominatum prius non homo enim nomen quidem non dico: sed nomen infinitum, unum enim significat aliquo, modo: infinitum nomen quemadmodum, & non sanatur, non uerbum, sed infinitum uerbum) erit omnis affirmatio: & negatio uel ex nomine, & uerbo, uel ex infinito nomine, & uerbo.



VONIAM autem est affirmatio, omnis aliquid de aliquo significans: hoc autem uel nomen est uel innominatum. Vnum autem oportet esse, & de uno dici id quod est in affirmatione. (de nomine autem dictum est, & innominato prius: non homo enim nomen quidem non dico, sed nomen infinitum: unum enim significat aliquo modo infinitum nomen: quemadmodum & non sanatur, non uerbum, sed infinitum uerbum (Erit igitur omnis affirmatio, & negatio, uel ex nomine, & uerbo, uel ex infinito nomine, & uerbo.

QVÆRITVR primò, an liber secundus sicut latini. & Auer. putant, ex hoc loco initium sortiatur. Boethius totum de interpretatione librum in sex libros dispertit: primum de nomine, & uerbo: secundum de oratione: tertium de ueritate contingentium: quartum, cuius initium nunc. retulimus, in quo ir enunciationum modi numerari intenduntur. qui ex subiecto, uel prædicato, finito, uel infinito constituuntur: quintũ de nominibus & uerbis transpositis, quæ idem significãt sextum de enunciationum harum consecutione, quæ cum modo dicuntur, siue de modalibus. Sed contra arguitur. quia librorum diuisio ex diuersis narrationibus, & prohemijs tertio, rhetoricorum sumitur: hinc octo phy. libri octo sermones uocantur, qui ex proprijs prohemijs, & narrationibus constant. Propterea aliqui dicunt quòd. Cum duo tantum prohemia in toto libro ponantur. primum posuit cum dixit. { Oportet primum ponere, quid sit nomen &c. } quæ proposita, hucusque tractatibus distinctis expleuit, reliquum uerò hic, cum omnis affirmatio, & negatio, ex nomine, & uerbo, uel ex infinito nomine, & uerbo cõsistat, quarum consecutiones ad diuersa significata explicanda cum fiant, de his considerare proponit, atque considerat. Sed hæc solutio me ancipitem reddit. est in primis, Arist. sectio secunda, quæ habetur è Græco fonte deducta: prima enim est de nomine, & uerbo, & oratione, enũciatione, affirmatione, & negatione,

tanquam principijs, & ſpeciebus primis oppoſitionis conſiderandæ. Hæc enim omnia uno premiſſo prohemio, & tractatu cõpleuit. Secunda fuit ibi. {Quoniam rerum quædam uniuerſales quædam ſingulares &c. } Vbi ſecũdam ex rebus conceptis enunciationis differentiam conſiderare propoſuit, uniuerſalem, & particularem, & ex his conſtitutas oppoſitiones, ac conſequentes diſpoſitiones, ſiue proprietates, quæ differentiæ propriæ ex ſubiectis enunciationum deſumebantur: licet (ut ibi tetigimus) ex ſubiectis uniuerſalibus, ut natura idoneis prædicari, et ex prædicatis uniuerſalibus, non tamen ſigno uniuerſali diſtributis. Ex his ergo ſectionem Ariſt. ſecundam eſſe ad hunc locum (quem legimus) indiuiſam ac continuo legendam fore probamus: Vnico enim tractatu, ſiue ſermone, cõſideranda enunciationis differẽtia eſt, quæ ex ſubiecto uniuerſali ſiue ſingulari conſiſtit, affirmatio autem & negatio ex finito, et infinito ſubiecto uniuerſali, ſiue particulari deſumitur. Vnico ergo tractatu hæc ſingula cognoſcenda. Sic enim propoſitum, ſiue prohemium de rebus uniuerſalibus perfectum uidebitur, hocque relicto, imperfectum. Dices ſupra contra Ammoniũ tetigiſti, uniuerſalem propoſitionem nedum a ſubiecto uniuerſali, ſed prædicato etiam accipi, & ex ſubiecto, quatenus rationẽ continet prædicari idonei ſecundum naturam de pluribus prædicari. Cum hac igitur ſectione, nedum ſubiectum infinitum, ſed prædicatum, quod tertio adiacet, numerandum neceſſario fuerat, quod Ariſt. aduerſatur: A tertio enim adiacente ſectionem tertiam cap. Item ſectio ſecunda dicebatur de prædicatis & ſubiectis, ergo &c. Dicas, id prædicatum ſuperius explicari, quod enunciationem ex ſubiecto uniuerſali cõſtitutam non uariat, neque falſam, aut ſuperfluam efficit: hoc autem uerè apteque fieri dicitur, cum prædicatum uniuerſale non uniuerſaliter ſumitur, ſed tantum ut ſuaptæ natura eſt idoneum de pluribus prædicari. Quam predicati rationem neceſſe eſt intelligere tam in eo, quod actu ſubiectum enunciationis profertur, quam etiam in illo, quod prædicatũ aſſeritur. Item uniuerſale prædicatum non uniuerſaliter, ueram enũciationem cõſtituit, nedum in uniuerſali uniuerſaliter, ſed ſingulari, ut omnis homo eſt animal, & Sortes eſt animal. Item ſemper affirmatiuum efficit propoſitionem, tã actu quam etiam in potentia; non ſic enunciatio de predicato infinito, quæ actu eſt affirmatiua, ſed potentia negatiua; Quare non ita eſſe de enunciatione ex ſubiecto, & prædicato infinito dicetur; nam & uariam, ad diuerſam ſpeciẽ enunciationis conſtituet, & quandoque falſam, ut nõ hominem, eſſe non iuſtum idest priuatum forma, ac actu hominis, priuatum eſſe actu iuſtitiæ, cũ illam habere aptus homo non ſit, ut naturam humanam non continet. Sed contra quia dicet infra. { ſignificat autem hæc, omnis nõ homo eſt non iuſtus, idem, nullus non homo eſt iuſtus. } Dicas; non per ſe, ſed ratione negationis ſubiecti, quod nec, capax eſt habitus, nec priuationis. Iccirco tertiam ſectionem efficiet, & diſtincto procemio, & tractatu procedet. Ad rationem ergo in oppoſitum dicatur, non duo ſolum procemia: de rebus conſiderandis feciſſe, ſed tot, quot res erant diuerſæ: quas conſiderare diuerſis ſectionibus poſuit. Obijces iterum, in præcedentibus uerbis procemium fieri enunciationem omnem affirmatiuam & negatiuam, uel ex finito nomine, & uerbo, uel ex infinito nomine, & uerbo. Nominis autem ratione, tam ſubiectum Ariſt. quam prædicatum intelligit: nam initio literæ ait, { Quoniam autem affirmatio eſt aliquid, } idest prędicatum de aliquo ſubiecto ſignificans: hoc autem, ſcilicet tam prædicatum, quam ſubiectum uel nomen eſt, uel nomine uacans. Ex ſubſequentibus etiam patet, cum dicit, {Vnum autẽ oportet eſſe prædicatum. & de uno ſubiecto, id quod in affirmatione diximus, aliquid finitum, uel infinitum de aliquo indicare. } Sic etiam intelligitur, omnis affirmatio & negatio ex finito, uel infinito nomine, & uerbo conſtare. Ita enim diuiditur in affirmationem, & negationem ſecundi, & tertii adiacentis: nam ex ea concluſione uniuerſaliter illata (erit omnis affirmatio, & negatio, ex finito uel infinito &c.) primam ſpeciem intulit: quare prima eſt affirmatio, & negatio finita, deinde infinita ſecundi adiacentis: unde in tertia ſectione illam uniuerſalem ſupponens, affirmationem, ſcilicet & negationem ex infinito, uel finito prædicato conſtare, ait. Quando autem. eſt, tertio adiecit, fieri oppoſitiones etiam diuerſas ex predicato finito, uel infinito. Sed ad hæc reſpondeo, & ſi in prædicta uniuerſali, tam ſubiectum, quã prędicatum infinitum claudatur: tamen, ut conſtat ex infinito prædicato, propterea quòd diuerſam, ac quãdoque falſam enunciationem conſtituit, diſtincta ſectione tractabitur. Nec impedit, res in una propoſitione uniuerſali concluſas, libris diuerſis cognoſci: primo enim phyſ. uniuerſaliter præmittitur {quoniam contingit ſcire, & intelligere, uel cognoſcere circa res, quarum ſunt principia, cauſæ & elementa } circa quæ, prędicata & contingentia per ſe determinate proponit: illa tamen ſic uniuerſaliter propoſita diuerſis libris conſiderantur: ita hic, quæ ſub ea uniuerſali clauduntur, ſi ad infinitum ſubiectum referantur, poſſunt cum enunciationis, & oppoſitionis ſpeciebus prę cedentibus numerari, ſi uero ad prædicatum, quoniam (ut diximus) diuerſam ſpeciem penes affirmationem & negationem ſaltem in potentia, a ſubiecto infinito conſtituit, iccirco diuerſam ſectionem, tractatumque requirit. Secundò quæritur (hoc tanquam uero conceſſo, hunc ſecundum librum incipere, ac totũ in duas partes diſtribui, non in quinque ſectiones, ut habetur in Græco) quæ ſit libri huius intentio? Boethius in primis uult Ariſt. diuerſas propoſitionum categoricarum ſpecies numerare: Idem uidetur Ammonius opinari, cum dicit, nunc adere, quot ſunt illæ propoſitiones antea declaratæ, quæ ex ſubiecto & prædicato finito conſiſtunt, totidem fieri poſſe propoſitiones ex ſubiecto & prædicato infinito. Sed contra quia primo meta. ſecundo, primo topi. nono, ait quæ ita leuia, ac facilia ſunt, ut à quocunque poſſint cognoſci, contemnenda præcipit: hic uerò enunciationum numerus ita perſpicuus eſt, ut à quolibet ſciri poſſit: ſpernendus ergo ab arte, non docendus uidetur. Præterea, quod ad alterum ordinatur, per ſe finis, ac intentum non eſt: hunc autem enunciationum numerum, ad conſecutionum notitiam referet: per ſe ergo intentus non eſt. Sed quoniam idem cum Ammonio ferè uidetur Com. aſſerere, quod intendat hic Ariſt. enunciationum ſpecies declarare non totas eaſdem quot ſupra, ſed alias: inde in ſectione quarta ſpeciem aliam, & in quinta ſectione proprietates, ad diſpoſitiones; ait enim {Et poſtquam enunciationum quædam ſunt binariæ, quædam trinarię, & .i. omnes modos enumerat } iccirco pro his dici facile poſſet idaro, ita ad ſenſum nota, ac omnibus obuia, artem contemnere, ut artis explicatione non egeant, ſed ſenſu: huiuſmodi tamen nõ ſunt ſpecies ex ſubiecto, & prædicato finito, & infinito. inferius numerandæ: adeò enim abſtruſæ, & occultæ dicuntur, ut nedũ inchoantes, ſed ſapientes magna ex parte deliteant. Præterea, ſpecies numerare ad artis propoſitum pertinet, quæ principia, & partes per ſe, ac accidentia propria ſpeculatur. Ad ſecundam etiam diceretur quòd conſecutiones tradendæ, per ſe intentæ non ſunt, niſi ut ex illis ſpecies enunciationum diuerſæ, ac ipſarum diſtincta ſignificata noſcuntur. E contrario igitur erit quòd, conſecutiones, ad ſpecies diuerſas explicandas, non ad conſecutiones ipſæ ſpecies referentur. Secundo. S. Thomas reſpondet, poſtquam in primo de enunciatione ſimpliciter conſiderata determinauit, nunc de enunciatione tractabit, quatenus diuerſa conſiſtit ex additione aliqua ſibi facta in ſubiecto, uel prædicato, tãquam dictionibus,

uel

uel in compositione, in qua uerum, uel falsum in necessa-
rio, & contingenti consistit: tertio ex oppositione. Sed cõ
tra, quia has enũciationes diuersas nõ per se, sed propter
consecutiones intendit: per accidens ergo, non per se, ista
enunciationem diuersitas expetenda. Præterea primo hu
ius sectione prima, & secunda enunciationẽ distinxit per
aliquid additum ipsi subiecto, uniuersale particulare, ca-
pi. 5. & per compositionem affirmationis, & negationis:
tertiò per oppositionem contrariam, cõtradictoriam &c.
Verum quia S. Tho. his uerbis assentiri, ac cõuenire uide
tur cum iis, quos pauloante defendimus, ut species enun
ciationis, oppositio, & proprietas intendantur: propterea
ad rationes contra ipsum inductas dicatur ad primam, ut
antea declarauimus: ad secundam uero, non intelligi enun
ciationem simpliciter in primo libro consideratam, quod nul
la facta sit additio subiecto: uel quòd per compositionẽ,
& oppositionem distincta enunciatio non extiterit: sed
quia simpliciter. i. generatim, & communiter species, ac
oppositiones enunciationis assignatæ fuerunt, quas poste
rius tractandæ necessariò præsupponunt. Nulla. n. enun-
ciatio esse potest, quin sit affirmatio, uel negatio uniuersa
lis, uel singularis. Non ita propositio de subiecto, uel præ
dicato finito, uel infinito, in omnibus dicitur: similiter nec
de singulis necessaria, uel contingens affirmatio, uel nega
tio dicitur: neq; respondens oppositio contraria, & de præ
dicato infinito, contradictoriæ comparata. Alii asserunt,
per se intentum, ac propositum esse tractare de consequẽ
tiis: id approbant, quoniam enũciationis speciebus distin
ctis, & quæ, quotq; numero sint constituto, quomodo ad
consecutionem se habeant, considerare proponit. Hos qui
dam refellit, quoniam singula in hoc libro sub enunciatio
nis ratione considerantur, & ratione interpretationis rerũ
conceptarum per uoces clariores, non consecutionum,
quarum ratio in illatione ignotioris per rem notiorem cõ
sistit. Item de consecutionibus, quo pacto una alteram cõ
sequatur, in lib. priorum, & topic. tractatur, ut Auer. pri-
mo priorum. 1. confirmat. Itemq; secundo top. 22. ex pro
positione de subiecto, & prædicato infinito infert unam
de prædicato finito. Ad hoc dici posset, ibi a negatione su
perioris ad negationem inferioris procedere, non indefini
to subiecto, uel prædicato: uel si a priuatione infiniti supe
rioris ad priuationem inferioris, quæ contradictoria oppo
sitio sequitur, Ad rationem ipsorum respondet, quòd una
enunciatio ex altera potest inferri simpliciter, & in com-
muni ad librum priorum: ex probabilibus ad opinionem,
ad topicum: ex necessariis, ad demonstratorem: ex apparẽ
tibus, non existẽtibus ad sophistam, per se, non ad hunc li-
brum spectabit: Huic improbationi cõsentio, nisi sic opi
nantes assererent, hic consecutiones non ea ratione tracta
ri, ut simpliciter ex duabus perfectis propositionibus in
termino communi conuenientibus deducũtur, ut in syllo
gismo perfecto fieri dicitur, uel in exemplo, & inductio-
ne, tãquam syllogismis imperfectis: sed quatenus ex una
propositione de prædicato infinito ad negatiuam simpli-
cem consecutio uera deprehenditur, & ab affirmatiua sim
plici ad negatiuam de prædicato infinito &c. sicut in phi
losophia naturali docetur, ex motu æterno sequi necessa-
riò motorem æternum esse: non tamen ibi docetur, neces-
sariam consecutionem fieri ex operibus propriis ad pro-
prias causas, uel subiecta necessariò inferenda: sed a libro
post. & top. accipitur. Ita hic consecutiones docẽtur, ut in
contradictoriis una posita parte uera, alteram esse necessa
riò falsam ponendũ. Similiter in ipsis indefinitis dicẽdum
non doceri hic consecutiones, quæ ex syllogismis fiunt:
sed unius oppositę speciei enunciationis, ex altera; licet ad
explicandas diuersas species referantur. His responsioni-
bus infirmatis, propriam ponit: primum cõstituit, ea per
se ab arte considerari, quæ modum considerandi propriũ
diuidunt, ut quæ naturale, uel secundum naturam, ad na-
turalem attinere dicuntur, uel tanquam principia, uel effe
ctus, uel ex principiis cõstituta, uel horum species per se:
eiusdem. n. est artis considerare genus, & per se differen-
tias &c. modus autem considerandi enunciationis est, ut
uox est significatiua rerum. s. conceptarum. Considerare
ergo significata diuersa enũciationis, ut uox est significãs
ex arbitrio, ad hunc librum proprie pertinet. Intentio igi
tur erit considerare diuersa significata, quæ habent enun-
ciationes diuersę, quatenus hęc diuersa significata ueniũt
ex diuerso subiecto, & prædicato finito, siue infinito: ista
. n. modum considerandi enunciationis dispertiunt. Ad ip
sorum rationem respondet, quamuis Arist. se uelle consi-
derare de consecutionibus asserat, non tamen per se, sed ut
his, diuersa propositionũ significata cognoscat: nam pro-
pterea quòd ad affirmatiuam de prædicato infinito, sim-
plex negatio sequitur, non autem e cõtrario: iccirco diuer
sa habere significata noscuntur. Sed ut hæc solutio, & in-
tentio magis reddatur perspicua peto: intentio, siue subie
ctum huius libri secundi est, considerare diuersa proposi-
tionum significata, quæ ex subiecto, uel prædicato finito,
uel infinito proueniũt: si per diuersa significata, species di
uersas intelligit, idem dicet, quod S. Thom. & Ammon.
quos reprehendit, & nos accuratè defendimus, atq; Aris.
uerbis concordare probamus. Nam generis diuisione, spe
cies diuersæ conflantur, & inueniuntur, similiter ex conse
cutionibus, negatiuam simplicem, diuersam enunciatio-
nis speciem esse, ab affirmatiua de prædicato infinito, a
fine monstratur, quòd diuersa significant. Nã per se in hoc
libro, sicut in tota logica, instrumẽtorum notitiam, ad sciẽ
tiam, & artes relatam docemus. Itaq; non significata di-
uersa, sed organa, & species enunciationum diuersas, diui
sione inuentas, uel positas Arist. speculabitur: ad quarum
diuersitatem monstrandam consecutiones adducit. Siue-
ro diuersorum significatorum nomine, diuersas res conce
ptas, explicatas intelligat (non quasi ad habendas species
tanquam organa distincta, tunc (quod diximus) clare se-
quetur, non intendere Arist. instrumenta docere, sed fines
ac opera instrumentorum, quibus modus considerandi e-
nunciationis propriæ non conueniet, uocem esse significa
tricem a positione: nam significata signantur, non signãt.
Pręterea dubito, quomodo id uerum esse dicemus in hoc
secundo diuersa enunciationum significata considerari,
quæ ex prædicato, & subiecto finito, uel infinito sumun-
tur? Nam licet hoc detur, consecutiones ad species diuer-
sas inferendas, inferius numerandas fore, alia tamen (quæ
in quarta sectione, & quinta considerantur) sub hac intẽ-
tione contineri non possunt. i. sub diuersis significatis, quę
ex subiecto, & prædicato finito, uel infinito sequuntur: na
in quarta, & quinta sectione de modalium affirmatione,
& negatione, & ex his constituta oppositione, & conse-
cutione considerat, tanquam de diuersis speciebus enun-
ciationis sub propria ratione, ut uox a positione significãs.
Pręterea, in fine de oppositionum comparatione, quę ma
gis opponatur, contraria, & de prædicato infinito, uel pri
uatiua, an contradictoria? Hæc igitur cum sub uniuersa-
li intentione contineantur, scilicet enunciationum specie-
bus aliis, minus communibus, quàm illæ fuerunt, quas
primo libro constituit: iure intentio totius secundi libri,
(qui tribus sectionibus distribuitur) erit de speciebus mi
nus communibus, uel ex subiecto, uel prædicato finito,
uel infinito, secundi: uel tertii adiacentis: Item de nega-
tione, & affirmatione eorum, quæ cum modo dicuntur,
ac utrarumque dictarum specierum oppositione. His e-
tiam adiungentur enunciationes, quæ priuatiuæ dicun-
tur, quibus infinitarum consecutio explicabitur. Quot
igitur sunt propriæ sectiones, tot propria subiecta po-
nentur, quamuis sub una communi intentione (ut dixi-
mus) concludantur. His constitutis contra Ammonium
sequitur, non tot species hic uelle considerare, quot su-

pra, sed alias minus communes, quæ tamen priores supponit, & ad textum explicandum nunc redeamus.{Quoniam autem } ad habendam intentionem prædictam diuersorum prædicatorum, & etiam diuersarum in specierum sumptarum ex subiecto, & prædicato finito, uel infinito, secundi, uel tertii adiacentis: primum declarat, quot sunt enunciationes, quarum uult diuersitatem agnoscere: secundo instrumentis (ad hoc apte, ac proprie ducens) consecutiones proponet: & quoniam, ut inquit, ad habendum numerum propositionum maxime conueniens instrumentū est ipsa diuisio, secu do post.20. primo priorum, de diuisione, quæ in hoc a syllogismo differt, nam diuisio a magis cōmuni, syllogismus uero orditur a minus communi. Vniuersalem ergo propositionem apponens, ait.{Quoniam omnis enunciatio affirmatiua, & negatiua aliquod prædicatum enuncia de aliquo uno subiecto} inde partitur(hoc autem uel est nomen finitum.s. uel nomine uacans indefinitum) hinc species diuersæ tam ex subiecto, quàm prædicato finito, uel infinito sumentur, de secundo, uel tertio adiacente. In syllogismo literæ cum Suessa consentio quod conclusio approbanda est, omnis affirmatio & negatio est ex nomine, & uerbo, uel ex indefinito nomine, & uerbo: quoniam omnis enunciatio enuncians aliquod unū prædicatū de aliquo uno subiecto, ex nomine, & uerbo constar finito, uel infinito: omnis autē affirmatio, & negatio enūciat aliquod unum de aliquo uno omnis igitur affirmatio, & negatio uel ex nomine, & uerbo, uel ex infinito nomine & uerbo consistit. Petes, Ari. indefinitam propositionem assumpsit, quoniam affirmatio est aliquid de aliquo significans: non ergo est in syllogismo, uel diuisione (quod de re nota uerius puto(uniuersalis sumenda. Dicas, quod de affirmatione, tanquam uerum, assumitur, ex enunciatione una sibi necessario, ac per se cōuenire: una enim enunciatio ita superius definita est, ut aliquod unum de uno quopiam significet, Icirco Ari. patum infra notauit.{ Vnum autē oportet esse, & de uno quod est in affirmatione. } Si ergo oportet, ac necessariū est, per se, & de omni conueniet. Preterea con lusionem diuisione concludens, uniuersalem collegit, dicens { erit omnis affirmatio & negatio ex nomine, & uerbo, uel ex infinito nomine, & uerbo. } Præmissæ ergo, uirtute uniuersales esse dicentur. Iterum sciscitaberis, cur non ab enunciatione diuisionē orditur, sed affirmatione? cur etiam in affirmatione negationem intelligens (utrique enim per se tanquam speciebus enunciationis unius, conuenit, enūciare aliquod unum de uno) negationem in pręmissa subiecit, & in diuisionis conclusione collegit? Ad primum dicatur, secūdo poster.71. quod notior est generis definitio, cū in ipsis speciebus inferioribus cernitur, quàm in ipsomet genere: hinc in definitionibus inueniendis(quæ simpliciter ignotæ non sunt) uia compositiua utilior est, quod a te bus compositionibus, & notioribus incipit: Item, enūciare aliquod unum de uno, non omnibus enūciationibus cōpetit, nisi unis, quæ in affirmationem, & negationem proprie diuiduntur. Ad secundum etiam dicitur, eodem artis præcepto a notioribus processisse: sine controuersia enim de affirmatione ab omnibus datur, affirmationē aliquod unum de aliquo uno signare: non ita perspicuum de negatione uidetur, cum sæpe negatio alicui addita indefinitum cōstituat, quia unum simpliciter non uidetur signare: pręterea(licet tanquam res dubia proponatur) cum in primo lib. sit dictū, & hic Ammo. & Auer. ab Alex. sumētes affirmēt uerbum negatum idem re & numero indefinitum uocari: qua de causa tanquam perspicuum assumi non poterat, quod propositione uniuersali posita, diuisum est, scilicet, hoc autem prædicatum uel finitum est, uel infinitū: similiter subiectum, & uerbū, quia uerbū in ista diuisione comprehēditur, ut infra Arist. seipsum declarat. Nam tāquam apertum de affirmatione, & negatione cōcludit ex uerbo finito, uel infinito constare, quoniam præter uerbum nulla negatio est. Si igitur negatio simul cū affirmatione præsumpta fuisset, nec perspicuè nec uerè etiam diceretur. i. hoc autem uerbum negatū, uel finitum est, uel infinitū, cum(ut plurimi optnantur) perpetuò re, & existentia, siue subiecto inseparabili, idem sit uerbū negatū, & infinitum, licet ratione propria distinguātur: quare nec aliquod unum simpliciter designare ita perspicuè uideretur, nec clarè distingui posset in uerbum finitū, aut infinitum: affirmatio autem utrunq; apertè cōplectitur, & aliquod unum de uno significat, & uerbū, quo cōstat, quoddam finitum, quoddam uerò infinitum, addita negatione consistit. Sed contra, si infinitum, ergo negatū? Dic, ut in primo libro. Sed contra, quia similiter, & fortius dubitatur, quia in affirmatione nec perspicuè, nec uerè etiam dicitur, hoc autem uerbum affirmationis, uel est finitū uel infinitum: nam si infinitum est, ergo necessariò negationem constituit, non affirmationem. Dic, ut in primo libro adnotatum fuit ex quo loco sequentia in litera explicentur. Vel etiam dicendum cum Ammonio infra, non distinguit hic uerbum finitū, & infinitum: sed tantum subiectum, & prædicatum, & ita infra, intelligendus Arist. erit(quare omnis affirmatio, uel ex nomine finito, & uerbo finito, uel ex infinito nomine, & uerbo finito) ut primo libro tetigimus. Vel quod hic dictū de affirmatione ē actu, uirtute etiam intelligi de negatione, ut patet ex epilogo, quem efficiet, & concludet: sed affirmationem præmisit, de qua magis perspicuum est unum de uno explicare quod inde diuiditur in nomen finitum, uel infinitū. Quęritur, cur Arist. dixerit } affirmatio aliquid de aliquo enunciat) non alterum de altero. Respōdetur, quoniam aliquid unum enunciare, diuersum, ac alterum explicat: si enim prædicatum est aliquid, & unum, diuersum igitur necessariò erit. Secūdo petitur, cur nomen siue uerbum infinitum nomine uacans ab Arist. dicitur. Cum Aristo. primo libro respondetur, quoniam nondum ab antiquis nouatum nomen, ac impositum fuerat. Diui Thomæ solutio & Ammonii est, iccirco nominis expers uocari, quia nō aliquod positiuum nominat cum aliqua terminata forma, a qua nomen imponitur, sed solum remouet determinationem formæ, quam finitum nomen significat. Sed contra arguitur, quoniā hęc solutio causam assignat, cur indefinitum uocetur, non autem cur nomine uacet.{ Vnum enim } Obiicet quispiam supra cap.4. affirmatio est enūciatio una, unum de uno significans: si ergo indefinitum nomen non unum significat, ac formam, & essentiam unam: non ergo ab affirmatione signabitur, ac ex illa consistet. Relicta parenthesi, ad obiectum respondet, minorem distinguēs, indefinitum nomen non unum simpliciter ab una forma sibi imposita, & positiua significare, sed unum quodam modo. i. priuatiuè, sicut negatio, ens, quodāmodo, se primo met. t4. 4. me.2. uocatur, ut priuatio entis: adde tu(ut in primo multis docuimus) indefinitū nomē quodāmō unū non simpliciter unū signare, quia non actū, & formā, sed potentiam, & priuationē significat. à quibus quodāmodo res unæ(in potentia ad unā formā) ac priuatę terminata & finiente forma, dicuntur.{ Nomē autem dictum est, & innominatū prius & c. } Cur nomina ista non explicet, se excusat quòd ex proposito primo lib. ponūtur, & hic proposito exemplo commōstrat nomen, & uerbū indefinitū nō simpliciter nomina, et uerba, sed ut priuationes uerborum, & nominum appellari, ut nō homo nomen simpliciter, & absolute non dicitur, ut actum, & formam definitam significans, sed nomē, indefinitum, idest rem indefinitam, siue infinitam, ac interminatam proprio actu designans, idest materiam, idest potestate ens, & priuationem propriæ, ac terminatæ naturæ, essentiæ, & formæ. Hac ratione diximus, indefinitum nomen contingere siue cōpetere, & dici de ente, idest potentia, quę etiam secundum se

eius

ens, primo phys. 75. & 79. uocatur: & similiter inueniri in ente potestate, & nõ ente actu. Et non sanatur.} Idem de uerbo declarat, absolutè uerbum non appellari, sed indefinitum. Conclusionem principalem diuisione inuentã recolligit, dicens. {Erit igitur omnis affirmatio, & negatio, uel ex nomine, & uerbo, uel ex infinito nomine & uerbo.} Vbi intelligendũ nõ est copulatiuè, omnem affirmationem & negationẽ esse ex nomine & uerbo finito, uel infinito, quoniam affirmatio esse non potest, quæ constibit ex uerbo infinito, quod idem re est cum negato, licet non necessariò, & cõuersim, ut primo libro tetigimus. Sed sensus erit, omnis itaq; affirmatio erit uel ex nomine & uerbo finito, uel ex infinito nomine, & uerbo, dũ negatur quod idem re est cum negatione ipsa, licet nõ è con uerso: & licet hic Auer. dicat, nõ discerni locum partis negatiuæ & partis declinationis, non inquit nõ esse diuersũ sed esse eũdẽ locũ. i. idem re uerbũ, cui utraq; negatio cõiugatur: licet differãt, ut primo lib. tetigimus, & ex Aris. usu, in rebus, quæ fiunt, & generantur, confirmauimus. Similiter omnis negatio, uel ex uerbo finito, antequã negetur, uel secundum ratione diuerso ab infinito, uel a finito uerbo dum tantum est negatum, non infinitum, terminatam actionis, siue esse priuationem significans. Quæ omnis latius primo libro tetigimus capite de uerbo, ubi alius sensus huius literæ assignatus: licet secunda Ammonii solutio sit securior & magis perspicua: uide ibi.

TEX. BOETHII.

Præter uerbum autem nulla affirmatio, uel negatio. est enim uel fuit, uel erit, uel fit, uel quæcunque alia huiusmodi uerba, ex ijs sunt: quæ posita sunt, consignificant enim tempus.

At præter uerbum nulla affirmatio, uel negatio est: est enim uel fuit, uel erit, uel fit, uel quæcunque alia huiusmodi uerba, ex ijs sunt, quæ posita sunt: consignificant enim tempus.

Dicet aliquis Aris. ex tua ratione, ac posita diuisione colligitur, affirmationẽ aliquod prędicatũ unũ de aliquo uno subiecto signantẽ, ex nomine finito, uel infinito constare, quod dictum est, finitum esse, uel infinitum non autẽ ex uerbo? Respondet id necessario sequi, uerbũ enim in affirmatione prædicatũ coniungi subiecto significat, & negatione disiungi: semper enim ut forma, est nota eorũ, quæ dicuntur de alio. Si igitur uerbum in prædicta diuisione, uel syllogismo expressum nõ est, tanquam clarum, ac necessariò intelligendum relictum est, quia præter uerbũ nulla est affirmatio, uel negatio: uel intelligere secũdũ Ammonium: uide supra cap. de uerbo:} Est enim uel fuit uel erit, &c.} Quòd præter uerbũ nulla sit affirmatio, uel negatio, inductione in omnibus uerbis, quibus constat omnis affirmatio, & negatio, manifestat. Omnis enim affirmatio & negatio ex his uerbis cõponitur, quę rẽ in esse producto. siue perfecto, uel in motu, & fieri, secundũ definita tẽpora, cõsignificãt. Sed hæc, est, uel fuit, uel erit, uel fit significans rem in motu, ut albifico, uel quæcũque alia huiusmodi uerba, ex his sũt, quę posita sunt, idest tãquã positiones per se notæ superius assignatæ, idest hæc omnia sunt uerba, quoniã cõsignificãt tẽpus. Ex uerbis igitur omnis affirmatio, & negatio necessariò constituitur e his enim remotis, & positis, affirmatio ponitur, ac remouetur. Nota per uerbum (fit) nõ intelligi cõtinẽs, quod non est, & potest esse: rectius enim per uerbum futuri temporis signaretur, erit, scilicet, sed (ut in primo libro prædiximus) intelligitur uerbũ significãs rem in fieri, & in motu. Inductione posita, ratio, potest in hunc modum cõponi,

Quæcunque ex his necessario constãt, quæ consignificãt tempus præsens, præteritum, & futurũ, rem inesse, uel fieri, ex uerbis consistunt. Omnis, affirmatio, & negatio est huiusmodi: ergo &c. Quæ ratio tanquam omnibus perspicua relinquatur. Animaduertendum in ea litera. {Vnũ enim significat aliquo modo infinitum nomen.} Quod Ammonius ait (a quo diuus Thomas, accepit) adiectum esse quodammodo, ut ostenderet, non unam naturam signare, sicut nomẽ finitum: quod approbat: hoc enim uel unum genere, uel specie, uel numero unum ostendit, quorum finitum est quodlibet, non ita infinitum. sed communicationem dumtaxat eorum omniũ, quæ præter id sunt, quod a finito nomine designatur: hoc ipso, quia nullum ipsorum id sit, quod ipsum finitum. Quamobrẽ nominis expers, & infinitum, priuatiuũq; uocatur eius, quod a finito nomine significatur. Hęc met uerba primo libro ex eodem retulimus, ac improbauimus: non enim ideirco indefinitum quodammodo unũ significat, quod communicationem eorum omnium indicat, quę præter id sunt, quod a nomine finito signatur: ita enim idem negationi, siue contradictioni ualeret, ac de quolibet (quod ipsum non est) diceretur: quare non terminatam priuationẽ, ut Aristot. infra, & primo priorum ultimo, sed negationem simplicem diceret: De quolibet ergo, lapis, uel non lapis, æquale, non æquale, iustum, non iustum affirmari posset. Præterea album fit ex non albo, non omni, & contingenti, sed terminata priuatione, quæ a simpliciter nõ ẽte, hoc uerè distinguitur, duodecimo meta. 11. quod priuatio in terminata inuenitur materia, & subiecto. Amplius duodecimo metaph. a. 19. ad. 29. proportione quadam in omni genere, siue prædicamento, rerum principia, potẽtia, scilicet actus, & priuatio propria comprehenduntur: indefinitũ autem priuationem, & potentiã indicat, quæ terminatum actum respiciunt, ac ad formam, & proprium oppositum referuntur, ut longioribus uerbis primo huius ostẽdimus, ex primo phys. a. 42. infra. Sicut ergo nomen finitum, unum genere, specie, uel numero actũ, formam, & effectũ indicat, ita indefinitum priuationem, & potentiam, siue materiam signat, quæ secundum se, res infinitæ, sine propria forma, & termino appellantur, ut recte Alex. octauo metaph. 3. animaduertit. Cum Auerroe ergo dicamus, unum quodammodo nomen infinitum signare. i. priuationem terminatam eius actus, quem finitum nomen expresserat: adde (ut ante retulimus) & materiam, ac potentiam, in qua, inseparata consistentis, priuatio inuenitur: nam sicut potentia, & priuatio quodammodo entia, ita quodãmodo una dicuntur: actus uero, & simpliciter, ac absolute ens, & unum uocatur: licet actu per se priuationem significet, & materiam, ut inseparabili existentia consistentem. Petit hic Suessa, quãta sit propositio, cuius subiectũ finitum est, & infinitum? Respõdet antiquorũ peripatheticorum responsione, uniuersales esse, propterea quòd de infinitis dicuntur. Sed iterum petitur, an quantitate solũ differant, uel etiam qualitate? Respondent aliqui, quantitate tantum differre, quoniam infinita de pluribus, finita uero de uno: sed qualitate conueniunt, cum ambæ affirmatiuæ ponantur. Contra, quia indefinita non est quanta negatio enim infinitum constituens, totum arte impositum destruit, uoce naturali relicta: quantitas autem propositionis efficta artis arbitrio est: negatione ergo adueniente destruitur. Secundo falsum assumunt, indefinitum plura, siue infinita alia a finito signare, cum illa plura potestate tantũ significet, non in actu: ut uox pura naturalis relicta ad plura significãda põt imponi, actu uero tantũ unã finiti priuationem designat. Nouissime secundum dictum infirmatur, qualitate, scilicet non dissidere: quia affirmatione, & negatione differunt simplicium rerum, ac terminorum, quæ in post prædicamentis contradictionem constituunt; qualitate igitur distinguũtur. Boethius respõde

propositiones huiusmodi nec qualitate differre, cum ambæ sint affirmatiuæ, nec quantitate: quantitas enim esse subiectum supponit, ut homo est, homine esse: infinitæ uerò subiectum ipsum necessario non existit, ut non homo est licet aliud ab homine, idest capra, bos &c. ponatur existere, ut singularis & particularis exẽplo (proportione quadã) innotescit: huius enim Sortes est, subiectum inueniri signatũ Sortem, scilicet, & ante requiritur: huius uerò aliquis homo est non necesse est Sortem existere, sed alium a Sorte. Secundum dicit Boethius, differre has propositiones proprietate, & definitione consistentis, & non consistentis subiecti: Sed quidam Boethio aduersatur, eodẽ exemplo approbans, infinitam quantam non esse, quoniã sicut singularis non quanta, particularis uerò quãta uocatur: ita infinita non quanta, finita quanta dicetur. Præterea si qualitate, uel quantitate nõ differunt, eædem ergo, ac synonima erunt: nullam enim differentiam habent, nec ex subiecto, tanquam materia, cuius est quantitas, nec ex uerbo (cuius est qualitas) tanquã forma, prędicatum cum subiecto nectẽte. His reiectis solutionibus, propriam ponit, differre qualitate fundata in cõtradictione non uera existente in compositione orationis affirmatiuæ, uel negatiuæ, uerbo negato, uel affirmato: sed proportionali siue proportione contradictionis cõcessa, quia finitum formam artificialem significat, quam abnegat infinitum: sicut proportione quadam, compositionẽ, quã affirmatio iudicat negatio destruit. Itaque negatio addita, quæ infinitum nomen, siue prædicatũ, siue subiectũ constituit, ab affirmatione finiti nominis qualitate differre dicitur, nõ formaliter (idest negatione addita uerbo, quod forma orationis uocatur) sed per accidens, negatione addita parti, subiecto, uel prędicato: ergo per accidens, idest per partem, non per se, idest per uerbum ab inuicẽ distinguuntur. Et ex his demum concludit, indefinitum nomẽ non actu significare infinita, sed priuationem tantũ illius artis, quam artifex finito nomini indidit, eo, quod habebat, interempto, nihilq; nomen infinitum noui significati præter priuationem, acquisiuit. Verũ hæc solutio, quod infinita quanta non sit, obscura, & Aris. consona non uidetur: nam infra ex uniuersali supra collecta tanquam conuenienti diuisionis medio, intulit tres oppositiones binas primam affirmatiuam, & negatiuam de subiecto finito, quod cũ prius sit indefinito, iure intulit, quòd prima est affirmatio, & negatio ex subiecto finito: deinde indefinita affirmatio, & negatio ex subiecto finito, & infinito, tertio uniuersalis affirmatio, & negatio ex subiecto finito, & infinito, ut patet in litera {homo est, homo nõ est, nõ homo est: non homo non est. omnis homo est, omnis homo non est:} semper præferens uerbum, ut clarior reddatur oratio affirmatiua, uel negatiua. Et eadem ratio est in iis temporibus, quę extrinsecus sunt, idest præteritis & futuris. Quare autem singulares, & particulares nõ numerauit infra dicetur. Ex his igitur liquet, quantam infinitam ab Arist. numerari, indefinitã. s. & uniuersalẽ, nõ homo, & omnis nõ homo. Sensibus etiam est perspicuũ, illas quantitate differre, homo est, & omnis non homo est, & qualitate proportione superius explicata. Ratione etiã cõfirmatur, quãtitas enim proportionis, est numerus eorũ, quæ a subiecto contineri dicuntur: sed ita in his propositionibus indicatur, non homo est, uel omnis homo nõ est: quantæ ergo necessario erunt. Ad rationẽ ergo in oppositum, quæ talis erat, indefinitum nomen totũ artificiale remouet, quod inuenit in nomine finito, quantitas artificialis res est: ergo &c. maiori in hunc sensum concessa, dicatur indefinitũ nomẽ totũ illud deiicere quod rem positiuam, actum, formam, essentiamq; significat, non illud quod ars ad priuationem formæ & potentiam (ad ipsum actum directam, ac relatam) significandã effinxit: ergo ita cõclusio concedatur, quantitatem eã remoueri, quæ actũ & formam finiti nominis indicat, non illã, quæ priuationem, & potentiam denotat. Itaq; negatio indefinitũ constituens, ac positiuum, siue actum deiiciens, uocẽ naturalem omni artis impositione uacantem non linquit, sed illi priuationi, ac potentiæ nomen indefinitũ imposuit. Quãtitas ergo & actũ, ac formã finiti nominis indicãs, & priuationem, ac potẽtiam explicans, arte effecta res est: Ad secundam rationẽ respondeo, nomẽ infinitum nõ iccirco plura potestate signare, quod uox pura, & naturalis relicta, possit nouari ad plura significãdũ, quoniã (ut in primo lib. tetigimus) priuationi actus, & formæ nomẽ indefinitũ impositũ ẽ ad significãdã priuationem formæ, & potẽtiam, ad eandem formam relatam: priuatio autem, ut opposita formæ, omnis illa complectitur, quæ sub actu opposito cõtinẽtur, ut non homo priuationẽ naturæ humanæ, omnibus singularibus hominibus cõpetẽtẽ, significat, cum potentia: similiter, omnis non homo. i. omnis priuatus humana natura, ad quam est in potẽtia. Ab una ergo priuatione, & potẽtia significata, quãtitas diuersa desumitur, ibi definita, uniuersalis, uel particularis, ut ad finitũ nomẽ quantũ indefinitũ, uniuersale, uel particulare refertur. Ad tertiã dicimus, qualitate affirmationis et negationis distinctas propositiones finitas & infinitas etiã esse, licet nõ sẽper, ut primo lib. prædiximus quæ sumuntur a uerbo ut ratio antiquorũ probabat. Optimè aũt fatemur: qualitate secũdũ proportionẽ dicta differre, secerni, ac dissentire. Ad rationẽ Boethii quatenus nostrã positionem infirmat, ẽt respõdemus: non. n. necessario quãtitas priuationis, & potentiæ (qua oẽm, uel aliquã priuationẽ, siue potentiã explicamus) supponit subiectum finitũ existere: bene ante requiritur, uocem naturalem existere, cui priuationis, & quantitatis priuatiuę nomen imponitur. Boeth, ita superioribus rationibus satisfaceret: primę quidẽ, quia non alterius explicãdi gratia, singularis. i. Sortis, & particularis produxit, nisi ad hoc cõfirmãdũ, quod quãtitas propositionis subiectũ ipsum propriũ, non alterũ consistere, siue existere præsupponit: nil putãs differre, quantũ ne sit, ad artem pertinens, uel nõ pertinẽs: & exemplum, quod ad suã sententiã confirmandã adducit, est particularis quę quanta est. Ad secũdam, synonyma nõ esse, uel eadẽ, cũ rationibus distinguantur. Sed Boethii ratio hũc in modũ posset refelli: particularis, est quãta, ergo & infinita, ut aliquis hõ est animal, pro hoc, uel illo. Qualis qualis aũt ratio sit Boethii mihi ita respondendũ uidetur, enũciationes infinitas, & finitas, qualitate negationis, & affirmationis secũdũ proportionẽ dicta distingui: præterea quantitate mensurãte habitũ, actum, formã, & essentiã nominis finiti, & priuationem, ac potẽtiam propriis subiectis cõmunem. Nomẽ enim infinitum, quod ad priuationem significandum nouatum est, nõdum ab artifice habuit qualitatem, negatione addita, sed quãtitatem, quæ qualitatẽ priuationis cõsequitur. Si qualitas enim erit priuatio actus generis, cõmunis erit pluribus speciebus, si uerò erit nouissimę speciei, communis est indiuiduis: unum enim & plura, entia uniuersa cõsequitur. Quale igitur est ens tale unũ etiam erit, & plura. Quantitas ergo uel diuersa erit, respectu diuersorum mensuratorum, uel eadẽ in utrisque diuersa mensurans, ut de tempore uerbi infiniti superius dictũ est, idem esse manens in utrisque, uel diuersum ad diuersa mensurata relatum secundum formam eadem, secundũ uero materiã diuersa quantitas est. Suessa aliter antiquorum rationẽ dissoluit, quod indefinitũ nomẽ infinita relinquit sub indifferentia, idest disiunctiue, hoc, uel illud, nõ illatiue, idest (ut dicit) copulatiue. Sed contra, quoniam secundum unicam rationem aiunt signari omnia, quæ nõ sunt nomen finitum: ergo ex eorum assertis poterit inferri, non homo est, uel non homo non est, ergo capra, &c. bos, & omnia alia, quæ homo non sunt, ut in una ratione conuenientia, possunt inferri. Præterea illatiue, ac copulatiue

tiue

tiue Arist. interpretantur antiqui, cum ait. {Quoniam similiter in quolibet est, & quod est, & quod non est:} & si non dicerent, ex Arist. uerbis copulariue, & uniuersaliter prolatis, et nunc citatis infertur, quoniã contingit, in quo libet ente, & non ente inueniri, idest tam in priuatione, quæ per se non ens, quàm potentia, quæ ens per se, etiam appellatur uel quod actu inueniatur, uel contingat inueniri: sicut prædicatum, naturam communem significans, uel actu inest subiecto, uel aptum est, siue cõtingit inesse. Quæritur, cur Arist. casus uerborum (relictis casibus nominis) meminit dicens, (præter uerbum, est, fuit, uel erit, nulla est affirmatio, uel negatio,) non autem collegit, erit ergo omnis affirmatio, & negatio ex nomine finito uel infinito, uel casu nominis? diuus Thom. respondet quod ideo nominum casus reliquit, quod casus nominum (etiã additis uerbis) non constituunt enunciationem uerum & falsum significantem: quoniam casus obliquus rectum non continet, sicut tempus præteritum, & futurum continet præsens: qua de causa uerum, et falsum potest exprimere. Sed contra, quoniam obliqui possunt in rectos dissolui, quibus oratio significans uerum, & falsum cõponitur, ut Catonis est equus. i. Cato est, cuius est equus. Item principale inuenitur in secundario, uel quod secundo, & posterius dicitur: rectus ergo concluditur in obliquo. Idẽ casus dicitur, quia cadit, siue descendit a recto. Amplius, nihil inter casum uerbi, & nominis interest: tota enim uerbi, & nominis definitio in utrisque inuenitur, licet primum in rectis, secundo in obliquis inueniatur. Sicut ergo casus uerborum uerum, & falsum non indicant, nisi quatenus præsens concludunt, ita casus nominum, ut dissoluũtur in rectos. Respõdetur ergo, quod propterea nominum casus omisit, quod propositione intellecta de uerbis, etiam de casibus nominis intelligitur, uel quia clarius id erat de casib. uerbi, ꝙ ex eis finitis, uel infinitis, affirmatio, & negatio componatur. In his. n. temporibus præteritis, & futuris, & si præsens contineatur, ut principale, rectumq́; sine tamen expressa in rectum dissolutione: non ita de obliquis uidetur casibus nominum. Adde etiam in conclusione intelligẽdum fore, uel ex nomine, uel casu nominis, sicut ex uerbo, uel casu uerbi: De uerborum autem casibus expresse notauit, ꝙ ex ipsis cõstaret oratio, nõ nisi ut clare mõstraret, si collegit, omnem affirmationem, & negationem ex nomine, & uerbo finito, uel infinito constare, cum solũ de nominibus meminisset, id iure fecisse, propterea ꝙ præter uerbũ, & casus uerborũ, nulla affirmatio, & negatio constituitur. hinc datur intelligi, idem clare, & expresse de uerbis positum, intelligendum etiam fore de casibus nominum, qui sub nominibus tanquam species sub genere continentur. Notandum ex Ammonio, & Boet. (præter uerbũ nulla affirmatio, et negatio) id dicere, quod supra (necesse esse omnem orationem enũciatiuam ex uerbo constare,) ubi uerbum sumptum communius fuit: nã proprie uerbum solum finitum est, quod in propositionibus permanet. In enunciatione autem idem subiecto, & re est uerbum negatum, & infinitum ratione distinctum, Cum. n. per seipsum profertur, indefinitum est, cum uero in negatione, siue enunciatione positum est, negatũ uocatur. quod autẽ uerbũ in oratione positum, negatũ, non infinitum reddatur. Boethius rationibus approbatur: primũ quoniam uerbum extra orationem priuationẽ actus designat: in oratione uerò actum disiungentẽ prædicatum ab ipso subiecto: quod proprie negationi tribuitur, ac uerbo negato. Item, si uerbum in oratione infinitum maneret, talis enunciationis distincte Arist. meminisset. Præterea in nullo uariatur ueritas enũciationis, siue utamur particula infinitante uerbum, uel negatiuam orationem efficiente. Propterea ex diuo Thoma colligitur uerbum indefinitum in oratione infinitum manere; sed Arist. illo nõ uti, nisi ut negato: ac semper accipi consueuisse in simpliciorem intellectum, prout est magis in prõptu, idest pro uerbo negato, quod simplicius, ac communius est. Boethius uero nec uult manere, ac esse uerbum indefinitum, nec artes illo, ut indefinito, uti aliquando posse: quod duabus rationibus approbat: primum, quoniam negatio addita uerbo principale significatum nõ destruit actũ scilicet uerbi, sed compositionem tantum prædicati cũ ipso subiecto, priori actu uerbi finiti manente. uerbum igitur, quod manebit, finitum dicetur. item, si uerbum indefinitum maneret, nõ posset unum aliquid de aliquo uno signare. His declaratis, literam illam {Præter uerbum autem nulla est affirmatio & negatio.} Explicant: uoluit Arist. commonstrare, differentiam enunciationis affirmatiuæ, uel negatiuæ, ex parte uerbi non posse desumi. quoniam uerbo constare, omnibus enunciationibus cõuenit, nullaq́; præter uerbum potest cõsistere, neque loco uerbi potest infinitum substitui. ex qua differẽtia enunciationis sumatur, ut ante probarunt: itaq́; nec ex finito, uel infinito diuersa enunciationis species numerabitur. Sed arguitur contra Boethium & diuum Thomam, quoniam Arist. supra distinxit nomen, & uerbum, finitum & infinitum: inde ex data diuisione, tanquam perspicuus, in conclusione collegit. {Erit ergo omnis affirmatio, & negatio, uel ex nomine, & uerbo, uel ex infinito nomine & uerbo,} Si igitur inde probaret, non posse sumi differentiam ex uerbo finito, uel infinito, probaret oppositum eius, quod ante distinguendo posuerat. Item Auerroes species enunciationis enumerans, ex uerbo finito, & infinito desumit. Præterea, si enunciationes ex uerbo, ipso non distinguũtur, superflue ergo repetit, quæ in primo libro prædixerat. Amplius contra Boethium arguitur ex Auer. & ratione: quoniam compositio prædicati cum subiecto in affirmatione effectus est proueniens ab actu uerbi tanquã propria causa ergo in ipsa negatione destrui nullatenus põt nisi causa propria destruatur: nã proprium reciproce sequitur subiectum, ut effectus proprius, causam eius, primo top. quarto: priuatio autẽ actus. uerbum infinitum constituit: necessario ergo in oratione manebit indefinitũ: ut continens causam propriam diuisionis prædicati a subiecto. Quam rationẽ primo libro diluimus, cap. de uerbo, ideo nihil nunc addendum putamus. Amplius octauo physi. 8. 15. cum idem sit agens, idest negatio destruens, idem passum, idest uerbum, cum debita dispositione, idest immediate negans uerbum: si prius ergo uerbum cum negatione erat infinitum, & nunc necessario erit. Dicas nõ idẽ esse passum necessario, & semper; & si idem re, tamen ratione diuisum. Pro ueritate primum supponitur (ut primo libro retulimus cap. de uerbo,) uerbum duo significata complecti, alterum, ut proprium actum tempore mensuratum signare, {alterum uero}, quod tantum habet, dum in oratione consistit, signare compositionem, quam sine extremis nõ est intelligere: atq́; secundum, effectum esse primi: negatio igitur primo, tanquam causa, necesse est negari secundũ, tanquã effectum. Confirmatur, quoniam negatio destruit artificiale, quod inuenit artificiale in affirmato uerbo, nedum compositio est, sed actus cõpositionem efficiens: totum ergo a negante particula destruetur: Præterea, infinitum impositionem finiti nominis destruit, qua actum designat, relinquendo ipsum indifferẽs ad significandum entia, & non entia. Sed hęc rationis sententia a nobis supra, & primo lib. reiicitur, quoniã nomẽ indefinitũ non imponitur illi uoci naturali, cum nomẽ finitum primũ impositũ est, sed illi priuationi, quæ finito nomini, aut uerbo cõiungitur. Itẽ prima impositio nõ destruitur, sed noua imponitur & priuationi adiungitur. Ex his cõcludẽdũ cum Alex. & Ammo. uerbũ infinitũ idem re esse cũ negato, differens ratione, superius explicata. Ex his, obiectis Boethii, & S. Tho. respõdetur: Ad primã, negatio cõpositionẽ destruit, non ergo destruit actũ. in hac

ratiooe manifestum peccatum deprehenditur: negato etenim effectu proprio, causam propriam negari etiam intelligitur. Ad secundum, iccirco distinctæ species ex uerbo finito, & infinito numeratæ non sunt, quia eædem subiecto dicuntur, atq; quot modis unum, totidem alterũ distribuitur. Ad tertiam, Arist. utitur uerbis negatiuis, ut notioribus, cõmunioribus, & simplicioribus, primũ principium, componentibus. Ad quartam licet enũciatio ex uebo finito composita, aliquod unũ de uno, medio actu positiuo, declaret, negatiua tamen ex uerbo infinito cõsistẽs, unum de uno significat, medio actu quodammodo uno. s. priuationem actus uerbi signãte, Hæc dici possent, quæ quamuis uera esse uideantur: ut tamen speculandi, ac acutius rem perspiciendi materiam præbeamus, ambigimus, quanam ratione uerum deprehẽditur, infinitum uerbum idem re esse, ac inseparabili (ut dicũt) existẽtia cum uerbo negato: & ꝙ indefinitum causam propriam exprimat, ac contineat, quamobrem uerbum negatũ compositionem, siue disiunctionem, ac priuationem prædicati a subiecto significet? Si enim ut causa propria, & effectus proprius comparantur, nõ poterit ergo esse propositio negatiua, quin illa sit etiã infinita: & hoc consequẽs, primũ id inconueniens sequi uidetur, quod cum in primo libro distincta, ac numerata species enunciationis negatiuæ fuerit ut effectua proprius: ibidẽ æquè cõmunẽ infinitæ speciem numeratam esse oportebat: Præterea, negatiua non erit communior species infinita, cuius contrariũ ex Arist. primo priorum ult. & infra in hoc libro monstrabimus: & ratio est similis de prædicato, & uerbo: negatio enim atque actus uerbi negati, & affirmati, de quolibet dicitur tã esse, quàm non esse: nõ ita actus indefiniti, quod certam priuationem, in terminato subiecto aptã existere, & ab agente terminato gigni, significat. Amplius supra ex primo physi. primo, de gener. & alibi sæpe, monstrauimus, Arist. uti uerbis negatis, tanquam indefinitis, ut priuationem terminatam oppositam actui, & potentiam indicat, atq; tunc propriè dicetur uerbum, negatum non simpliciter, & in communi, sed ut ad terminatam speciem infiniti restringitur. Itaq; actus uerbi priuatio, non propria causa ponẽda est, quamobrem prædicatum a subiecto negetur, si priuationẽ terminatã, ac potẽtiam terminati actus significet, quod indefinito uerbo conuenire prædiximus: sed causa propria est illa negatio, siue priuatio, quæ uniuersatim prędicatũ separat a subiecto quocunque. Quare dandũ uidetur, actũ uerbi causam propriam esse in affirmatione, cur prædicatum cum subiecto iungatur, eiusq; negationẽ, siue priuationem, cur disiungatur, ac separetur in negatione communi, quæ principium primum constituunt. Verum quidem esse asserimus, in oratione uerbum infinitum manere: ex uerboq; negato mutuo recipere, ut ex actu priuatiuo prædicatum separet a subiecto: ratione tamen propria (ut priuatio terminata prædicatum separat a subiecto, in oratione indefinita) ex uerbo infinito composita dicitur, atq; tunc idem re, & subiecto est cum uerbo negato, licet ratione distinctum.

TEX. BOETHII.

Quare prima est affirmatio & negatio, est homo, non est homo: deinde est non homo: non est non homo. Rursus est omnis homo: nõ est omnis homo: est omnis non homo, non est omnis non homo. Et in ijs (quæ extrinsecus) temporibus eadem ratio est.

Prima igitur est affirmatio & negatio, est homo, nõ est homo: deinde, est non homo, non est non homo: itemq; est. omnis homo, non est omnis non homo, & in ijs, quæ extrinsecus sunt, tẽporibus eadẽ est ratio.

Tota litera superius explicata est, colligit enim tres enunciationis species primam affirmatiuam, & negatiuã, & indefinitam ex uerbo negato: secundam affirmationem & negationem & subiecto finito, & infinito, quæ indefinitæ, quantæ uocãtur: tertio uniuersalem ex subiecto etiam finito, & infinito. Dubitatur hic, cur indefinitã, & uniuersalem enumerat, particulari relicta? Respondetur quoniam particularis ad indefinitam reducitur, ut eandẽ uim habens, primo priorum septimo. uis enim & natura enunciationis est, enunciare uerum. uel falsum: eandem autem ueritas, & falsitas cum indefinita, & particulari cõsistit, ut homo est, & quidam homo est, & homo non est, & quidam homo nũ est. Enumerans ergo hic enunciationes (quatenus habẽt diuersa significata) particularem subticuit, ut primo priorum dicto iam loco commonuit. Petitur secundo cur singulares omisit? Quidam dicunt, iccirco relictas, quia quantæ non sunt, quas hic numerare, tanquam diuersas instituit. contradicit quidam, quoniam si quantitate non differunt, differunt tamen per finitũ, & infinitum, tamquam diuersa significata, & ideo ipse respondet, has reliquisse, propterea ꝙ hunc librum ad librũ priorũ direxit, ac retulit, cui singulare nõ seruit. Sed huic responsiooi quispiam aduersabitur, quoniam primo libro enunciationes ex quantitate subiectorũ distinguens singularis, & particularis tã meminit, ex significato, & natura distinguens qua singulare & particulare nõ aptum de pluribus prædicari: indefinitũ uero, ut uniuersale, ꝙ idoneum est natura dici de pluribus. Nisi quis diceret, eandẽ ueritatem, & significatum habere, quæ a rei existentia sumitur, quam proprie enunciatio de secundo adiacente significat, secundo poster. 33. & si de tertio adiacente prædicata pertractat, non nisi ut ad existentiam referuntur, ut esse iustum, uel non iustũ, uel iniustũ. Sed contra quia prędicata de tertio adiacente non semper ad existentiam referuntur, sed quandoque essentiam explicant: dici posset, singulares relictas esse, quia de illis perspicuum est, determinatam priuationem signare, cum unicum, ac determinatum actum significent: signum quod in ultima sectione, inductione quæstionẽ proponens, quæ istarum sit magis opposita, contradictoria, an contraria, infinita, nel priuatiua; singularis exemplũ produxit, et uniuersalis, ut uniuersaliter: uniuersalis autem hic meminit, & indefinitę propterea quod sub se multa concludunt: ideo non ita apertũ uidetur, quod terminatã priuationẽ terminatæ formæ, ac actus significent: iccirco numeratæ nõ sunt singulares quarum determinata priuatio sensibus est perspicua sub indefinita tamen comprehensa est: quoniam indefinitæ subiectum infinitum esse non potest, nisi pro eodẽ sumatur particulari: ut in sectione quinta dicetur. Sed hic uidetur esse contradictio in uerbis Aue. hæc enim uerbum esse prædicatum affirmat, nõ autem in quæsito de termino? Respondetur, ut in primo itidem dictum est ratione intentionis (in quam, tanquã nomen potest dissolui) prædicatum uocari, quod est uerbi significatum peraccidẽs, & quod separari potest a uerbo: non autem ratione significati per se, quod nunquam potest ab actu uerbi seiungi dum in oratione est, semper & ubiq; signatũ, & semper est nota eorum, quæ dicuntur de alio, uel sunt in alio.

SECTIO TERTIA.

TEX. BOETHII.

QVando autem, est, tertiũ adiacens prædicatur, dupliciter dicuntur oppositiones. Dico autẽ, ut est iustus homo est tertium. dico adiacere nomen: uel uerbum in affirmatione. Quare ob id ipsum quatuor erunt illæ, quarum duæ quidẽ ad affirmationẽ & negationem se habebunt secundum consequentiã, ut priua-

tiones:

tiones: duæ uerò maximè. Dico autem quoniam est, aut iusto adiacebit, aut iniusto: quare etiam negatio, quatuor igitur erunt.

QVando uero, est, tertium adiacens prædicatur, dupliciter dicuntur oppositiones: dico autem, ut est iustus non, est, tertium dico adiacere nomē, uerbum in affirmatione: Propterea quatuor erunt illæ, quarum duæ quidem ad affirmationem, & negationē se habebunt ordine ut priuationes, duæ uerò minimè. Dico autem quoniam est, aut iusto adiacebit, aut iniusto: quare etiam negatio, quatuor igitur erunt.

TErtiam hic sectionem, siue librum orditur enunciationis, de tertio adiacente, inquit ergo quòd quādo ipsū, est, tertium adiacens prædicatur, dupliciter fiunt oppositiones si ex prædicato indefinito, & finito, & uerbo affirmato, & negato sumantur, sicut duæ effectæ sunt in enunciatione binaria, ubi est, non prope, & iuxta tertium indicatur, sed ipsum tanquam prædicatum ponitur. {Dico autem} Declaraturus oppositiones, terminos explicat, quid nomine tertii adiacentis signetur, idque exemplo declarat, dicens (Dico autem, ut est iustus homo ipsum est, tertium dico compositum esse, siue coniunctum, & positū esse) idest intelligo ipsum, est, tertium iuxta, & prope iacere, cum tanquam tertia particula compositum in enunciatione dicatur, ut ista ab enunciatione binaria distinguantur: ubi, est, tanquam secunda particula posita est, non tertia a subiecto, & prædicato, actu, & expressa ratione distincta. Non quòd Arist. sensus sit dicere, uerbum, tertium sibi enunciationis locum ascribere, actu, uel potestate, cū actu primum illi locum tradiderit, & suapte natura, siue potestate medius illi conueniat: sed quod iuxta tertium, prædicatum, idest ipsum iustum poni significetur, ut inferius aptius se declarat, cum ipsum, est, iusto, uel non iusto adiacere monstrabitur. Itaq; non explicandum, ut diuus Thomas exponit, qui dixit, est, quandoque per se prædicari, ut in secundo adiacente, quandoque non per se prædicari tanquam principale prædicatum, sed ut principali prædicato coniunctum, ad connectendum ipsum subiecto, ut tertia dictio prædicatum unum faciens principale simul cum alio prædicato: Nam uerbum, quod tertio adiacet, nec per se, neque simul cum alio, prædicatum constituit, cum semper sit nota eorum, quę dicuntur de alio. Item quod iuxta iacet prædicato, nō est prędicatum. Propterea dicimus, uerbum tertiū adiacens uocari, non quòd locū sibi tertium uēdicet, sed quod iaceat iuxta, uel prope tertium, quod uerè prædicatum uocatur, cuius, uerbū semper est nota, quod de altero prædicatur. {Nomen, uel uerbum,} Quæres, si uerbum, est, adiacet tertio prædicato, quot modis contingit esse hoc tertio loco positum prędicatum? iuxta quod uerbum ipsum, est, positum esse conceditur? Respondet, uel nomen esse, ut iustum, uel uerbum, quod tamē articulo præmisso profertur, ut uim nominis habeat, ut uerbum est amo, uel lego: quod secundum propriam rationem uerbum non est, sed nomen. Petit secundo, quomodo in trinariis bifariam fiunt oppositiones? S. Thom. respondet, quia in aliis binariis una tantum fit oppositio penes uerbum, eodem subiecto manente, ut est homo, non est homo: sed in trinariis bifariam fient, eodem subiecto manente finito, ut homo est iustus, homo non est iustus, & homo est non iustus, & homo non est non iustus. Contra arguit, quia si oppositio sumitur penes uerbum affirmatum, & negatum, non duæ, sed una utrobique oppositio constituitur: si uerò penes finitum, & infinitum, sicut hic duæ sunt, ex parte prædicati desumptæ, ita ibi duæ erunt ex parte subiecti finiti, & infiniti, & uerbi affirmati, & negati. Respondet duas per se fieri oppositiones, quæ trinariis, (quatenus trinariæ sunt) conuenire dicentur, tertia uero oppositio dicitur penes subiectum, & prædicatum finitum, & infinitum, quæ trinariis competit non per se, sed ex ipsa binaria. Postulant, cur exempla proferens, perpetuo ferè primum uerbum, secundo prædicatum, nouissimè subiectum apponit. Respondent aliqui, ut Suessa, quia sequitur ordinem magis determinabilis, cuiusmodi est uerbum, inde prædicatum, postremò subiectum. Sed contra, quia maxime determinabile subiectum dicitur, uerbum autem, & prædicatum (tanquam formæ) determinant. Nec dicendum ut alii, quòd ordinem notabilitatis sequatur: nobilius autem prædicatum est uerbum. ex quęsito enim de termino, uerbum nedum principale esse prædicatum negatur, sed nec ratione aliqua prædicatum: nam culpa, siue unio prædicati dicitur: non ergo prædicatum: sicut unio lignorum ex clauo, lignum non dicitur: & instrumentum principalis significat, non est illud idem significatum, ut instrumentum fabri, non est faber: uerbum autem instrumētum est uniēs prædicatum: ergo prædicatum non erit. Respondet igitur locum uerbi quendam sibi conuenire natura, scilicet medium extremorum positum esse, quoniam secundum essentiam conuenit, ut sit semper nota eorum, quæ dicuntur de alio, uel sunt in alio. Alium locum habet, non conuenientem sibi natura, ut extremum enunciationis ponatur: sicut locus proprius, ac secundum naturam conueniēs medio termino, est ille, quem in prima figura retinet: non secundum naturam uero, in media, ac postrema figura: cum uel bis prædicatum, uel bis subiectum ponatur. Itaque uerbum primum retinens locum, atque extremum, innaturalem habet positionem: quod ab Aristo. si fit, non nisi alicuius explicandi gratia, fieri dicitur. Nam si prædicatum, uel infinitum subiectum præponeret, dubia enunciatio fieret, an affirmatiua, uel negatiua consisteret. Sed non undequaque clarum hoc dictum uidetur, constare ex subiecto, uel prædicato finito, & infinito, oppositionem esse, quæ trinariis conuenit, & per accidens, idest per ipsam binariam, quia oppositiones etiam binarię per se non sumuntur ex subiecto finito, uel infinito, sed uerbo, quod tanquam per se prædicatum apponitur: sicut trinarię nuncupantur ex uerbo, quod tertio adiacet. Nam in hoc omnis enunciatio conuenit, ut ex subiecto consistat. Bina igitur oppositio isto modo sumetur; prima ambabus cōmunis sumitur ex uerbo affirmato, & negato: secunda autem, tanquam uera, ac arti seruiens, oppositio propria, uel sumpta ex parte subiecti, uel prædicati dicetur. Item infra Arist. postquam de binariis, & trinariis egit (de binariis dico ex subiecto infinito, & finito, de trinariis uerò ex subiecto finito, & prædicato finito, & infinito) enūciationes distinguit, quæ ex subiectis infinitis consistunt solum, ex prædicatis uerò tam finitis, quàm etiam infinitis: ergo trinariæ ex subiectis infinitis non constant per accidens, idest per ipsas binarias, sed ut trinariæ: sic enim ueram oppositionem efficiunt, ut si hæc falsa non homo est iustus, illa uera non homo non est iustus. Item si illa, non homo est non iustus, falsa, hæc uera, non homo non est nō iustus. {Quare quatuor erunt hæ, uel illæ &c.} Infert conclusionem intentam ex dictis, numerum, ac species diuersas enunciationis, cum ait, quapropter quatuor erunt propositiones, cum duæ sint oppositiones, quæ necessario inter binas enunciationes uersantur. Arist. hanc conclusionem (ut omnes conueniunt) approbat ibi. {Dico autem, quoniam, est, aut iusto adiacebit, aut non iusto: quare & negatio: quatuor igitur erunt.} Quia quando, est, adiacet, siue adhæret tertio prædicato, iusto, uel non iusto, idest finito, & infinito: duæ erunt affirmatiue: quare & negatio fieri potest de prædicato finito, & infinito: cum primo libro sit dictum, omne quod contingit, affirmare, etiā

contingit, negare. Quare si duæ oppositiones sunt, quatuor enunciationes erunt. { Quarum duæ quidem &c.} De huius textus explicatione, ac sententia a ueteribus scripta sunt multa; quam tamen breui nos conficiemus cum Auerroe, qui sumpsit a Porphyrio, cui Boeth. & S. Thomas assentiunt. Petes enim ab Arist. duæ iam positæ oppositiones, & quatuor propositiones quonam modo se habeant in consecutione ad affirmationem, idest quòd una posita, ponatur altera, & ad negationem, idest quòd una remota, necesse sit alteram remoueri. Respondet, duas alteras secundum affirmationẽ necessario consequi, quod in primi priorum calce apertius declaratur, ad affirmatiuam simplicem ex prædicato finito, composita negatio sequitur, ut homo est iustus, ergo homo non est non iustus: & affirmationem de prædicato infinito, sequitur negatio simplex: ut homo est non iustus, ergo homo non est iustus. Sed e contrario, a positione negatiuæ de prædicato finito, consecutio non fit ad affirmatiuam de prædicato infinito, ut homo non est iustus, ergo homo est nõ iustus. Similiter nec ualet, a positione negationis de prædicato infinito, ad positionem affirmatiuæ simplicis, ut homo non est non iustus, ergo homo est iustus. Harum omnium consecutionum ratio assignatur communiter, sed clarius ab Auerr. quoniam in primis a positione inferioris ad positionem superioris arguimus, ut est homo, ergo animal: in duabus uero affirmationibus non ualentibus a positione superioris ad inferioris affirmationem arguimus, ut est animal, ergo homo. Nam hæc, homo non est non iustus, communioris est ueritatis illa, in qua dicimus, homo est iustus. Negatiua enim de tribus dicitur, scilicet de homine & iudice iusto, non priuato iustitia, & de puero, ac idiota, qui priuati non sunt: is enim priuari aliquo dicitur, qui aptus est illud habere, & tempore terminato, quales nec pueri, nec idiotæ dicuntur. Prima autem affirmatiua tantum prædicatur de homine iusto. Simili ratione negatiua simplex amplior, siue communior est affirmatiua de prædicato infinito, quòd negatiua inuenitur in tribus, in crudeli, & in paruulo, & non ciuili, qui nec iusti, nec non iusti dicuntur, cum iustitiæ, priuationem non habeant, quæ est ablatio formæ a subiecto, quæ illi in esse tali tempore apta dicitur. Prima autem affirmatiua, homo est nõ iustus, non nisi de homine carente actu recto iustitiæ, idest de tyranno. Ex his itaque patet, duas recte ad consecutionem habere, secundum affirmationem, idest quod ad affirmatiuam simplicem, sequatur negatiua composita, & ad affirmatiuam declinatam sequatur negatio simplex. Item quod duæ recte se habent secundum negationem, a remotione negatiuæ declinatæ, ad negationem affirmatiuæ simplicis: & remota negatiua simplici remouetur etiã affirmatiua declinata, negato enim superiori, inferius negari necesse est. Sed nota pro iis regulis quodammodo intellectu difficilibus, negatio, & affirmatio tunc intelliguntur destrui, quando ex negatione fit affirmatio, uel econtrario, affirmatio fit negatio, tunc prima regula explicetur, a remotione negatiuæ declinatæ, idest infinitæ, ad negationem affirmatiuæ simplicis, consecutio ualet, hoc est, si ualet, homo est non iustus, (quæ est destructa negatiua infinita) ergo homo non est iustus. (quæ est negata, & destructa affirmatio simplex.) hæc regula & consequentia, uirtute eadem est cum prima, quam Arist. numerauit, ab affirmatiua de prædicato infinito, ad negatiuam simplicem est consecutio recta: & uirtute eundem continet locum, & regulam, quoniam ab inferiori, ad superius arguit: superius enim negatum fit minus commune suo inferiori etiam negato: hanc regulam, & consequentiam Auerr. declarat ibi {similiter cum ponitur, &c.} secunda consequentia uera destructiue, hæc est, a remotione negationis simplicis ad negationem affirmatiuæ infinitæ (destructis ambabus in qualitate) quia si ualet, homo est iustus (quæ est destructa negatio simplex) ualebit ergo homo nõ est nõ iustus (quæ ẽ destructa affirmatio infinita) & hæc consequentia eadem est uirtute cum secunda superius posita, & eadem ratione probatur, quia prima est minus communis, & uera de uno, secunda est uera de tribus. { Duæ uero minime.} Hoc est duæ minime se consequuntur, quo ad affirmationem, & negationem idest non econtrario ualent: in primis quo ad affirmationem, (ut ante monstrauimus) a positione negatiuæ simplicis, ad positionem affirmatiuæ de prædicato infinito quia prima est uera de iudice iniusto, peruerso, idiota, & puero, secunda uero de uno, idest de iudice tantum peruerso, siue iniusto. ergo arguimus a magis communi, ad minus commune, quæ consequentia fuit prima explicata tanquam falsa ab Arist. Item secundum affirmationem non ualet, a positione negatiuæ infinitæ. homo non est non iustus. ad affirmatiuam simplicem, ergo homo est iustus: cuius ratio similis est, quia illud quod est consequens, & communius, sumitur antecedens, & minus commune, nam prima est uera de tribus, scilicet de iusto, puero, & idiota, secunda autem est tantum uera de iusto. Item quoad negationem duæ minime ualent. Prima a negatione affirmatiuæ simplicis, ad negationem negatiuæ infinitæ. Item secunda a negatione affirmatiuæ de prædicato infinito, non ualet, ad negationem negatiuę simplicis, pro quarum facili imaginatione prænota (ut diximus) quod tunc affirmatio negari, & destrui intelligitur, quando fit affirmatio: & econtrario, tunc destruitur negatio, cum fit affirmatio: & ideo non recte sequitur prima consequentia. homo non est iustus. (quæ est destructa affirmatio) ergo homo est non iustus (quę est destructa negatio) quia prima est cõmunior & tribus conueniens, secunda uero tantum uni, idest iudici iniusto. arguitur ergo a communiori ad minus commune, & fit fallacia consequentis. Nec secunda recte consequitur, homo non est non iustus (quæ est destructa affirmatiua de prædicato infinito) ergo homo est iustus (quæ est destructa negatiua simplex.) ratio similis est, quia prima est uera de tribus secunda uero tantum de uno, ergo arguitur a magis communi, & consequenti ad minus cõmune, & antecedens. Auer. has duas consecutiones falsas secundum negationem non posuit: sed alias duas, quæ falsæ erant secundum affirmationem, & ordine diuerso, quam nos declarauimus: nam secunda præpostero ordine declaratur, ab Auer. in paraphrasi, ibi { sed cum consyderat} secunda consequentia falsa secundum affirmationem fuit, a positione negatiuæ infinitæ, homo non est non iustus, ad affirmatiuam simplicem, ergo homo est iustus: cuius rationem assignat ex prima consequentia affirmatiua uera, quia negatiua declinata, idest infinita est magis propria in falsitate, idest falsi proprior, & minus communis: sed affirmatiua est communior in falsitate: quasi dicat arguimus a magis communi ad minus, & fit fallacia consequentis. Nota quòd semper in his consequentiis in affirmando arguimus a positione superioris ad positionem inferioris; in negando uero, a negatione inferioris, ad negationem superioris, quorum naturam, ac contrariam dispositionem secundo, topi. 22. docemur {Ve priuationes &c.} Simili secundum proportionem, in priuationibus manifestat, duas oppositiones, & quatuor propositiones, modo superius explicato, in consecutionibus finitas, & infinitas se habere: quoniam consecutiones ambæ conueniunt in hoc, quod sunt priuationes subiecto, & tempore terminato, licet sexto top. 1. in fine, & postprædicamentis, & ex Alex. 10. metaph. 15. hoc inter priuationem proprie dictam & infinitam interesse, quod priuatio carentiã habitus cum admixtione contrarii explicat, infinita uero priuationem actus, & potentiam terminatam licet in subiecto & re inseparata consistant.


Intelle-


TEX. BOETHII.


Intelligimus uerò quod dicitur ex ijs, quæ subscripta sunt. Est iustus homo: huius negatio est, non est iustus homo. Est non iustus homo huius negatio est, non est non iustus homo. Est enim hoc in loco, & non est: iusto & non iusto adiacet. Hæc igitur quemadmodum in resolutiuis dictum est, sic sunt disposita.

Intelligi uerò licet quod dicitur, ex ijs, quæ subscripta sunt, est iustus homo, huius negatio est, non est iustus homo: est non iustus homo, huius negatio est, non est non iustus homo: ipsum nanque, est, hoc loco, atque ipsum non est, iusto, & non iusto adiacebit. Hæc igitur eo ordine sunt disposita, quo inresolutorijs dictum, est.

Declarat quo nos possimus intelligere, quòd de duabus oppositionibus, & quatuor propositionibus, ac earũ consecutionibus dixerat, ex subscripta, siue descripta Figura, uti se in ultimo libri priorum explicasse declarat. Vbi notandum Aristot. enunciationes non ponere eo ordine, quo se inuicem uere sequuntur, sed ea ratione, qua tanquam affirmatio & negatio opponuntur, secundum latitudinem, ac locum contrariarum, & subcontrariarũ: sed consecutio recta fit secundum longitudinem diametri, & situm contradictoriarũ, ut in descripta figura prima perspicuum est. Ex quibus etiam facile patent exempla libri priorum, si loco iusti, bonum, & non iusti, non bonũ, uel æquale, siue inæquale ponatur.







In his enim omnibus productis exemplis uerbum ipsũ est, & non est tertio adiacet. Suessa uerò aliter figuras describit, affirmationem, & negationem transpositas secundum diametrum, & consecutiones secundum situm subalternarum, quæ clarior est: cui Com. ascribit dicens: componi figuram habentem quattuor latera, & quod ponuntur oppositæ ipsarum super duo in latitudine tabulæ, & non oppositæ super duo latera, quæ sunt in longitudine tabulæ, ita ut sit affirmatiua simplex cũ negatiua declinata super latus unũ; & negatiua simplex cum affirmatiua declinata super latus unum, idest alterum. Et infra inquit. {Et illæ in quibus consecutio non ualet, sunt oppositæ secundum modum contrarietatis. & secundum modũ contradictoriarum, ut dictum est} Huic etiam Ari. assentiri uidetur, qui inferius dicet, sed non similiter angulares, id est (ut Ammonius habet) per diametrum oppositas, ueras esse. Quæ uerba optime Auerroes intellexit, idest quæ sunt oppositæ secundum modum contradictoriarũ. Addidit ipse ex Arist. supra primo libro, & secundum modum contrarietatis: contrarias enim impossibile est simul ueras esse: & primo priorum ultimo dicit, sequatur au-

tem id quod est a, & non conuertitur? & id quod est b, sequetur d, & non conuertitur.

TEX. BOETHII.

Similiter autem se habebunt & si uniuersalis nominis sit affirmatio ut omnis est homo iustus, negatio, non omnis est homo iustus, omnis est homo non iustus: non omnis est homo non iustus. Sed non similiter angulares ueras esse contingit. Contingit autem aliquando.

Simplices.

A Homo iustus est. C Homo iustus non est.

Priuatoria.

C Homo iniustus non est. A Homo iniustus est.

Infinitæ.

C Homo nõ iustus nõ est. A Homo nõ iustus est.

Vniuersales & particulares affirmationes & negationes.

Simplices.

A Omnis homo est iustus. C Non oĩs homo est iustus.

Infinitæ.

C Non omnis homo est non iustus. A Omnis homo est non iustus.


Similiter autem se habebunt, & si uniuersali nomine constet affirmatio, ut omnis est homo iustus, negatio huius est non omnis est homo iustus: omnis est homo non iustus negatio est non omnis est homo non iustus. Sed non similiter quæ per diametrum sunt oppositæ ueras esse contingit, contingit autẽ aliquando.

De enunciationibus iam tribus expletis, in primis numero ipsarum, quod quatuor sunt: secundo, ipsarum consecutionibus: tertio, situ, quem retinent in figura enunciationes indefinitæ: nunc quonam modo se habeant in uniuersalibus manifestat, ait quæ similiter se habere: modum non explicat, uel quia inferius declarabitur in amobus uniuersalibus, uel quoniam ex superius declaratis perspicuum est: Nam ad positionem affirmatiuæ subiecti uniuersalis, ut uniuersaliter, de prædicato finito, ad negatiuam de prædicato infinito, consecutio est recta, ut omnis homo est iustus, ergo omnis homo non est non iustus: uel non omnis homo est iustus, id est si omnis homo est iustus non est priuatus iustitia, & si omnis non est priuatus iustitia, ergo & quidam homo non est priuatus iustitia: & non e contrario, non omnis, siue quidam homo non est non iustus, ergo, omnis homo est iustus. Non enim uere consequitur, si quidam homo non est priuatus iustitia, ergo omnis homo habet iustitiam. Item, si omnis homo, non est non iustus, non propterea sequitur, omnem hominem esse iustum propter habitum medium (ut Com. & Ammonius dicunt.) Item, omnis lapis non est priuatus iustitia, non tamen est iustus, de quo exemplo dicemus infra. Similiter ualet, omnis homo est non iustus, ergo non est iustus: uel non omnis est iustus, non contra: quia omnis lapis non est iustus, & non ciuilis, & tamẽ falsum est esse non iustum, cum nõ sit priuatus, & aptus habere iustitiam. Item nõ ualet, aliquis homo non est iustus, pro puero, & in ciuili, ergo omnis homo est non iustus. Quæritur, an negatio simplex, quæ affirmatiuam de prædicato infinito consequitur, & negatio indefinita, quæ affirmatiuam simplicem sequitur, attendatur penes negationem additam signo, uel uerbo, hoc est, omnis homo est iustus, an negatio huius, sit non omnis homo est iustus, uel omnis homo non est iustus, arguit in utramque partem: primum sumi debere penes negationem additam signo, qua sic Arist. explicauit. Item, eadem ueritas manet, si negatio signo addatur, uel uerbo. In aliam etiam partem arguitur, quod addenda sit uerbo quoniam hic intendit uniuersales describere, ut uniuersaliter: negatio uero præposita signo, æquiualet particulari: Præterea Arist. dixit, uniuersales cum indefinitis similiter se habere, quæ superius describuntur: negatio autem uerbo in indefinitis adiungitur, ergo & in uniuersalibus. Amplius Com. ait: & canon communis in scientia harum consecutionum, est, quod omnes propositiones istarum conuenientes in quantitate (quæ est signum) & diuersificatæ in qualitate (quæ est affirmatio, & negatio) sunt consequentes se, ut communius sequitur proprium: sed illæ quidem, in quibus consequentia non ualet, sunt oppositæ secundum modum contrarietatis, & secundum modum contradictoriarum, ut omnis homo est iustus, & nullus homo est iustus omnis, & non omnis homo est iustus, per regulam contrariarũ, & contradictionis, superius positam. Respondet ergo, negationem uerè posse addi tam signo, quam uerbo: quoniam inductione facta in omnibus patet, eandem in utrisque ueritatem manere. Amplius ita Arist. fecit. adducitur autem talis ratio quia negatiuæ uniuersales debent esse tales ut negetur uniuersalitas: quod fit per negationẽ additam signo: tamen, & si utrunque rectè fieri possit, Arist. tamen non addidit, nisi signo: Primum, quia ipse uniuersales negatas, ac destructas enumerat, quæ non destruuntur, nisi per negationem additam signo secundo, quia clarũ erat ueras consecutiones existere, quã do negatio additur uerbo, & dubium, quando additur signo. Ex his ad obiecta respondet: ad primum quod propterea Arist. uniuersales, negatione addita signo, distinxit, quod non uniuersales positiuas, sed destructas describere constituerat, quod non fit, nisi negatione addita signo. Ad secundum, quod non similiter se habet in indefinitis (ubi nulla destruenda uniuersalitas est) & in uniuersalibus, ut uniuersaliter. Ad tertium Com. licet dicat eandem quantitatem in oppositione manere, nec uariari, intellige secundum quantitatis formam, id est quod formaliter dicitur, hoc est, non uariari quantitatem, quæ secundum formam a priori quantitate distinguitur: bene tamen uariatur in quantitatem, quę per æquiualentiam sequitur: ut exemplo huius monstratur, omnis homo est iustus, ergo non omnis homo est non iustus. Hæc enim in quantitatem distinctam, & contrariam uariari non dicitur sed quæ ad illam uniuersalem consequitur quam quidem responsionem approbandam tanquam ueram, existimo, negationem addi posse tam uerbo, quam signo: adducta tamen ratio non undequaque certa uidetur. quoniam Arist. consecutiones superius de indefinitis subscriptas, in uniuersalibus intendit disponere: consecutiones autem penes affirmationem, & negationem desumebantur, quę a uerbo, tanquam forma enunciationis, sumuntur. Præterea, ratio consecutionum dictarum a priuatione, & habitu proficiscitur, quæ necessario in eadem se quantitate sequũtur: quare si omnis homo est iustus, igitur non est priuatus iustitia. Amplius, si destructas uniuersales, intenderet, non uniuersales, sed particulares exprimeret. Ad hæc, Auerrois sententia obscura, & adhuc inexplicata uidetur: quo modo enim eadem formaliter, siue, secundum formam quantitas remanet, si ex uniuersali particularis, specie distincta, enunciatio sequitur? Et si iccirco secundum formam uniuersalis, & particularis distincta non sunt, quia particularis uniuersalem consequitur: simili ratione dicetur, affirmationem, & negationem declinatam: affirmationem etiam infinitam, & negationem simplicem consequentem, eandem secundum formam uocari. Istæ enim negationes, forma diuersæ, & affirmationes per se, & de

omni

omni sequuntur. His rationibus ego permotus, ita respondendum existimo, negationem tam signo, quam uerbo posse coniungi, tam in enunciatione indefinita, quam etiam uniuersali, quæ quantitatibus diuiduntur, primo libri sectione secunda, & primo priorum primo, quoniã per se, & de omni, uerum deprehenditur, quod ad positionem proprii habitus, remotio priuationis sequitur: non autẽ contra: cum, detur status subiecti medius, quo nec sub habitu, nec priuatione consistat, in post prædicamentis, ut inferius de contrariis uniuersalibus uniuersaliter ab Arist. declaratur: Auerroes ergo hanc forte habitus, & priuationis rationem intendens, inquit { canon communis in scientiam harum consequentiarum est, ut omnes enunciationes conuenientes in quantitate, } idest in signo { diuersificentur in qualitate, } idest ut una sit affirmatiua reliqua negatiua saltem uirtute: diuersum aũt ratione signum est, omnis, & non omnis. Sed cur signo, non uerbo coniunxit? Dicas, obscuram, & occultam cõsecutionem uideri, cum uniuersatim exprimitur, claram autem, atque perspicuam, cum particulatim, negatione addita signo, profertur. Nam optimè, & aperte consequitur, omnis homo est iustus, igitur omnis homo non est priuatus iustitia: sed in ea, quæ e contrario dicitur, sed non contra, omnis homo non est non iustus, idest omnis homo non priuatur iustitia, igitur omnis homo est iustus. Hæc abstrusa, uidetur: quia si omnis homo non priuatur iustitia, habere illam uidetur: non similiter in particularibus euenit, quorum si aliqua non priuantur iustitia: nõ propterea sequitur, omnem hominem iustum uocari. In uniuersali igitur dari medium indiuiduum non uidetur, quod nec iustum nec non iustum uocetur. Ne igitur ex ignotis consecutiones describeret, negationem signo, non uerbo coniunxit. Dices (ut antea cum ceteris diximus) medium dabitur subiectum, quod nec iustum, nec non iustum dicetur, ut lapis lignum. &c. Dicas, uerum est huiusmodi inanimata, nec iusta esse, nec non iusta: sed proprius iustitiæ habitus, & priuatio certum subiectum supponit a quo consecutio uera est, uel falsa sumenda lapis autem, & lignum, & alia huiusmodi, iustitiæ terminata subiecta non sunt, quibus modo habitus, modo priuatio insine. Ex his igitur Auerroes diceret, quantitatem eandem manere, non actu semper expressam, sed potestate, ex æquo numero priuationis, & habitus, & dicta ratione superius, particulatim ab Arist. numerari. Hæc nostra sententia ab Ammonio confirmatur, qui negatiuam infinitam propterea communiorem simplici affirmatione cõfirmat, quòd contingit, saltem ex posito, in medio esse habitu, ut subiectum, nec iustum, nec non iustũ dicatur, rectius dicas hic Ari. exempla protulisse contradictoriarum uniuersalis uniuersaliter, & particularis: & quòd, ut Com. ait, eadem quantitas in omnibus remanet contradictoriarum: de contrariis uero inferius pertractabit, eadem quantitate uniuersali ut uniuersaliter conseruata, & uariata solũ qualitate affirmatiuæ in negatiuã ut latius infra dicetur. { Sed non similiter } Quoniam, ut superius in descriptione figuræ tetigimus, consecutiones prædictæ in subalternis, non in contrariis, & contradictoriis, siue subcontrariis sumebantur: quæret igitur quispiam, cur in his consecutiones non doces? Respondet, quoniam consecutiones, quæ in angularibus, siue quæ secundum diametrum opponuntur, non contingit similiter ueras esse, ut se inuicẽ consequantur, ut communius sequitur propriũ: per se intellige: & de omni: Nam aliquis homo est iustus & non omnis homo est iustus (quæ secundum diametrũ contradictoriarum pugnat) non similiter per se, semper, & de omni, uerum significant. Sic ad eadem referamus, non similiter subcontrariæ, per diametrum oppositæ ueræ sunt, ut se tanquam inferius, & superius consequantur, ut quidam homo non est non iustus, pro homine iusto, & pro puero, & inciuili. Similiter quidam homo non est iustus, pro homine iniusto, puero & inciuili, non tamẽ pro eo qui habet iustitiam. Contingit tamen aliquando aliquem hominem non esse non iustũ, pro puero, & inciuili, & aliquem non esse iustum, pro eisdẽ, nec priuatis, nec habentibus habitum iustitiæ. { Contingit autem aliquando, } Pro hac litera explicanda, primũ sciendum angularium nomine, siue secundum diametrum oppositarum, ne dum contradictorias uerè intelligi, sed contrarias, & subcontrarias, quatenus affirmationem, & negationem includunt, quæ secundum diametrum oppositæ nominantur, nõ collatæ inter se, quia sic subcontrariæ sunt: sed ut contrariis singulæ opponuntur. Sensus igitur est quòd particulares subcontrariæ inter se collatæ (quæ oppositæ uniuersalibus contradictorie, & secundum diametrum ponebantur) hæ ergo subcontrariæ, tanquam superius, & inferius, se inuicem non sequuntur, & non similiter ueras esse contingit: contingit autem sic secundum diametrum oppositas, aliquando ueras esse: non quando pro uerè contradictoriis desumuntur, quarum necesse est tam in affirmationibus, quam negationibus alteram necessariò ueram, alteram uerò falsam esse, ut Ammonius animaduertit: nec pro uerè contrariis, quas impossibile est, simul esse ueras: sed pro subcontrariis, quæ alterum extremum sunt oppositarum secundum diametrum: de his enim superius dictum est, & infra dicetur, cũ pro diuersis sumuntur quòd subcontrarias simul ueras esse contingit. Itaque regula hæc non secundum formam, & per se, uera dicetur, sed per accidens, gratia materiæ: quia ista, non omnis homo est nõ iustus (quæ æquiualet isti, aliquis homo non est non iustus) uera est pro homine non existente priuato iustitia, & hæc, non omnis homo est iustus, idest quidam homo non est iustus (quæ cõtradicit illi, omnis homo est iustus) & uera est pro homine non habente iustitiam, idest puero, & inciuili, ac tyranno. Cur autem contrariarum regulæ non meminerit? Auerroes ait quoniam illas ad librũ priorum reseruauit: uel quia infra declarabũtur in ãbabus uniuersalibus, omnis homo est non iustus, ergo nullus homo est iustus, quæ uidentur locum habere contrariarum. Mihi etiam secundo nunc ita dicendum occurrit, primum pono figuram descriptam hunc in modum fuisse, ut loco contrariarũ, uniuersalis affirmatiua simplex, & affirmatiua de prædicato infinito ponatur: ex his ergo patet, ambas affirmatiuas esse.





Aliquis homn non est non iustus.

Aliquis hnmo non est iustus.

actu: contrariæ autem ex affirmatione,& negatione necessario constituuntur. Regulam ergo contrariarum relinquit, quia uerè,& actu contrariæ nõ sunt, & quatenus uirtute negationem uniuersalem complectuntur, cum regula contrariarum infra doceatur: nam infra cum contrariis infinitis ponuntur: sed nunc tanquam contrariæ nõ numerãtur, quia ignotæ sunt esse tanquam affirmatio, & negatio: quod infra patebit: consecutionibus declaratis: hæ duę oratinnes, quasi idem significãt: Ammonius literam illam. {Contingit autem aliquandn &c.} Ita declarat, uult Arist. quod in figura descripta differentiam ponat, qua impræfinitę.i.indefinitæ siue signo uniuersali prolatæ, differant ab uniuersalibus, ut uniuersaliter sumptis, quod indefinitas secundum diametrum nppositas.i. secundum situm contradictoriarum simul uerum significare contingat; non autẽ uniuersalem finitam affirmatiuam, & negatiuam particularem, siue uniuersalem affirmatiuam infinitam, & particularem negatiuam simplicem. {Nisi aliquando} Non intelligas, inquit, ambas, ut in indefinitis, sed aliquas negatiuas contentas sub uniuersalibus affirmatiuis, ut omnes conuenimus: & hoc (ait) uerum est in materia contingente.i. de inesse, intellige, ut primo libro retulimus, ex primo priorum, t8. Nam in materia uere contingenti contingere omni, & nulli, & alicui non inesse contingit. Sed licet hæc differentia uera dicatur, tamen ab Arist. non intenditur: particula enim (autem) ad id clarè refertur, quod immediate prædixerat, angulares nnn similiter esse ueras, contingere autem aliquando. Igitur prima expositio, tanquam uerior teneatur. Quæ dicit hic Gaietanus, facile ex uera figura improbantur: sicut.n. angulares contradictoriæ affirmatiuę nunquam sunt ueræ in quacunq; materia, ita & negatiuæ, ut contradictoriæ sunt: similiter & indefinitæ. Item ipse falsam figuram describit, ut ex litera perspicuum est. Nec etiam dicendum (ut ipse infra respõdet) ibi {angulares nnn similiter ueras esse cõtingit.} quod per angulares intelligit ambas affirmatiuas contrarias.s. omnis homn iustus est, & omnis homo est non iustus: quia impossibile est contrarias simul esse ueras, Sed angulares secundum affirmationem, & negationem subcontrariarum in materia contingenti, contingit aliquandn esse ueras. Sed contradiximus iam ex litera, Contingit autem aliquando ueras esse illasmet.s. quas prædixerat, quod aduersans particula indicat. Item dicit, (non similiter ueras esse contingit) quasi dicat ueras quidem esse contingit, sed non similiter, ut aliæ, quas prædiximus.

TEX. BOETHII.

Hæ igitur duæ oppositæ sunt. Aliæ autem duæ ad non homo, quasi subiectum aliquid additum, ut est iustus non homo, non est iustus non homo, est non iustus non homo, non est non iustus non homo. Plures autem his non erunt oppositiones. Hæ autem extra illas, ipsæ secundum se erunt, ut nomine utentes eo quod est non homo.

Hæ igitur duæ oppositæ sunt, aliæ autem duæ cum hoc non homo, quasi cum subiecto aliquo addito, ut est iustus non homo, non est iustus non homo: est non iustus non homo, non est non iustus non homo. Plures autem iis oppositiones non erunt: hæ autem extra illas, ipsæ secundum se erunt: ut nomine utentes eo, quod est non homo.

In græco habetur hic titulus: de sex infinitis subiectis propositionum, quem sic explicandum existimo, ut duo subiecta hactenus enumerata in enũciatione binaria affirmatiua intelligantur & negatiua: quatuor uero nunc in enunciatione trinaria, duo in affirmatione, & negatione habente prædicatum finitum, reliqua uero duo in habente prædicatum infinitum. Exemplum primi superius patet: non homn est, non homo non est: aliorum uerò quatuor hic Arist. meminit. Primum epilogum ponit duarum oppositionum, quæ ex subiectn finito, & ex prædicatn finito, & infinitn sumuntur, ut in cõsecutionibus explicauit: quarum duæ ex prædicatn, & subiecto finito, duæ uero ex prædicato infinitn desumebãtur. Inquit hæ igitur duæ oppositæ sunt nppositiones, quæ ex quatuor enũciationibus componuntur {Aliæ autem duæ,} Alias duas oppositiones enumerat, quæ quatuor constant enũciationibus, ex quatuor subiectis infinitis compositis. Inquit, aliæ autem duæ nppositiones, cum aliquod tertium prędicatum ad non hominem, quasi subiectum, positum, siue additum est, ut exemplo monstratur duarum enunciationum, quæ ex subiectis infinitis, & prędicatis finitis consistunt, ut non homo est iustus, non homo non est iustus; De aliis duabus ex prædicatis, & subiectis infinitis dicit, (non homn est non iustus, non homo non est non iustus.) Nota ex Ammonio, & Com. duas ex subiectis infinitis, & tertiis prædicatis finitis simplices appellari; cæteras uero ex subiectis, & prædicatis infinitis, compositas: quoniam primæ ex prædicatis simplicibus constant, reliquæ ex prædicatis particula, non infinitãte, compositis. Secundo in uerbo {quasi cum subiecto} considerant, non simpliciter subiectum, sed quasi subiectum uocari, quia non ens & priuatinnem significat. Posset etidem dici, noo imminuentem particulam esse, sed explicantem, quomodo aliæ duę nppositinnes sumantur ex tertio prædicatn, quod additum est ad non hominem tanquam habentem rationem subiecti, non prædicati: quoniam si imminuentem particulam uoluisset signare, illud idem imminuens adderet prædicatis, quæ quasi prædicata dicuntur: quia similiter nnn ens, & priuationem significant {Plures autem non erunt.} Manifestum sufficientem numerum enũciationem ex subiecto infinito, & tertio adiacente, quia existente enũciatione de subiecto infinito, uel ex prædicato sem

per

per infinito. dices, datur tertia enunciationis species ex tertio mēbro desumpta, subiectis existentibus infinitis, semper enunciatio affirmatiua, & negatiua cōponitur: uel ex prædicatis ambobus finitis, uel infinitis. Respondetur ꝙ tertia necdum datur (ut deducit Ammon.) uel ex uno prædicato finito, & reliquo infinito: quod Arist. non expressit. Si uero dicatur, tanquā exprimendū intelligi: cōtra Arist. sequitur, non duas solum oppositiones ex subiecto infinito desumi, sicut duæ ex subiecto semper finito positæ erant, sed tres. Ad hoc dicendum uidetur, ꝙ ex illa affirmatiua de subiecto infinito, & tertio adiacēte finito, & negatiua de prædicato infinito, nō oppositio, sed recta fit consecutio: quia si exposito datur, nō homo est iustus, nō erit opposita non homo nō est non iustus, sed cōsequens: quia si ponitur priuatum humanitate, iustum esse, ergo non homo, idest priuatus humanitate, non erit priuatus iustitia. Si autem è cōtrario fiat affirmatiua de prædicato infinito, & negatiua de prędicato finito, erit etiam consecutio superius explicata ut non homo est nō iustus, ergo non homo non est iustus. Si uerò negatio fit ex prædicato finito, & affirmatio ex prædicato infinito, ut non homo non est iustus, & non homo est non iustus, oppositio non est per se uera, uel quia ambæ ueræ per accidens ut supra. Si enim aliquis humanitate priuabitur, non ergo est iustus. Similiter alia, si priuatur humanitate, & proprio priuabitur habitu: ergo tanquam non oppositam ab Ari. omissam putamus. Si uero sumatur negatiua de prædicato infinito, & affirmatiua de prædicato finito, non sequitur consecutio, nec fit aliqua oppositio: ambæ enim sunt falsæ ut non homo non est non iustus, & non homo est iustus, idest priuatum humanitate non esse priuatum iustitia & priuatum humanitate esse iustum. {Ipsæ enim secundū se erunt.} Vt rectè Ammonius asserit, propterea Arist. has enunciationes de subiecto infinito enumerat, quoniā perfectę sunt in enunciādo, ac distinguūtur ab iis, quæ ex subiecto finito constituunt: quibus in significādo uerum uel falsum non egent. Quæ igitur secundum se sunt, separatæ, scilicet in esse: & opere tanquam distincta numeranda sunt: huiusmodi autem sunt enūciationes de subiecto infinito, quæ utuntur non homine, tanquam subiecto, &c. De minori inquit, hæ enim extra illas sunt, id est distinctæ, & ipsæ secundum se separatæ, erunt utentes subiecto, ut nomine eo, quod est nō homo, idest ut distinctum subiectum habentes, a quo enunciationes etiam distinguūtur. Sicut enim syllogismus a propositionibus primo priorum. 14. distinguitur: propositiones autem a terminis: ita oppositio ex enunciationibus, & hæ ex subiecto, uel pręedicato, tāquam extremis, & terminis componentibus distinguuntur. Dices, quomodo infinitæ enūciationes sunt extra finitas, & secundum se esse dicātur, cum priuatio, quarto metaph. secundo, septimo metaph. decimoquarto, nō intelligi possit, nec esse, nisi ut ad habitū propriū referatur ut non ens, ad ens? Dicas licet priuatio nec difiniri, nec esse, nec intelligi possit, nisi ad proprium habitum referatur propriam tamen essentiam habet, ac distinctam formam ab habitu, ut & de substantia & accidente perspicuum est. Accidens enim esse, & definitione a substantia pendens, propriam habet essentiā formam, & naturam, ut existentem in alio, & aptam natam existere. Sic indefinitum priuationem significat propriam, a qua esse secundum se, & extra finitam asseritur ac ab illa distinguitur, licet semper referatur ad illam, ut priuatio ad habitum.

TEX. BOETHII.

In quibus uerò est non conuenit, ut in eo quod est sanum esse, & ambulare: in iis idem facit sic positum, ac si est adderetur: ut est, sanus est omnis homo, non sanus est omnis homo: sanus est omnis homo homo, non sanus est omnis non homo.

In quibus uerò, est, non componitur, ut in eo quod est ualere, & ambulare, in iis idem facit sic positum, ac si, est, apponeretur, ut ualet omnis homo, non ualet omnis homo: ualet omnis non homo, non ualet omnis non homo.

Ammo duas huius literæ explicationes aliorum adducit, & improbat; prima eorum est, qui opinantur, in propositionibus trinaria, si loco, est, aliud uerbum apprædicatū, siue tertio adiacens ponatur, ut ualet, aut ambulat eundem ordinem & consecutionē fieri, quæ fiebant, cū ipsum, est, tertio adiacens ponebatur. Hanc expositionē infirmat, quod ab Arist. sententia, & subtilitate discedit. Itē exēpla non ponit trinarum, sed binarum: neq; ordinē prioris antecedentis: & posterioris cōsequentia in his propositionibus ponit. Item nullum uerbum præter, est, apprædicatum, siue tertio adiacens constitui potest: quod duobus Arist. obseruatis dictis confirmat: primum, quia superius semper ipsum, est, apprædicatū uocauit, ac posuit. præterea primo priorum primo, terminum finiens, dixit, terminum esse, in quem dissoluitur propositio, prædicatum, atq; subiectum: subdit adiciendo, & diuidēdo; esse, uel non esse. Quare uerbum, est, prædicatum uocauit addendo, soliusq; uerbi substantiui, est, nō alterius meminit. Mihi uidetur in hoc cū Ammonio sentiēdū, quod exempla hic non de trinariis, sed binariis producantur: omnis homo ualet, omnis homo non ualet. Suessa in hoc Ammonii sententiam referens Ammonium non intelligit: nam putat Ammonium hæc intelligere uerba substantiuis, & adiectiuis proxime dicta in propositione trinaria, quod clarè Ammonio aduersatur, hic, cum primā expositionem refellit: & infra propriam opinionem adducens, ait. (Per hęc uerba Arist. insinuit nos docere, in his propositionibus, quæ loco, est, aliud uerbum actu prædicatū habent (non apprædicatum, ut ante probauimus) & subiecto infinito utuntur, simili in utrisq; uerbis, substantiuis, & adiectiuis, negatio fit negante particula addita uerbo, ꝙ actu prædicatur, nō ualet, nō ambulat, nō est.) De binariis igitur Arist. nunc dicta uerba Ammonius explicat. Sed hoc Amm. dictū non probo, hæc Arist. uerba referri ad uerba adiectiua tantum, cū secundum se prædicata ponuntur in propositione binaria: primum ex uerbis Aristo. absolutè prolatis permotus, nedum de binaria cum Ammonio, sed trinariis literam istam intelligo. Nā ait. (in quibus autem ipsum, est, nō conuenit, ut in eo uerbo patet. quod est ualere, uel ambulare) in iis idem facit sic positum, ac si, est, adderetur. In omnibus ergo uerbis idem fieri affirmat, ubi, est, nō additur, siue componitur, non tanquam per se actu prædicatum, nec ut apprædicatum, ut in binaria, siue trinaria inuenitur. Amplius sermo Aristo. non arctatur, ut solum propositio utriusq; uerbi ad negationē siue oppositionem afficiendā intelligatur: nam ait, in iis omnibus, in quibus, est, nō apponitur, sed aliud, idem uerbum appositum facit ac si, est, adderetur: sed, est, positum non solum oppositionem facit, tam in binaria, q̄ in trinaria, sed etiam ad ordinē & consecutionem potest referri, si primum cum finitis affirmatis, deinde cū infinitis iungatur, ut si homo fit iustus, ergo homo nō fit homo iustus, & si planta gignitur ex non ente, ergo planta, & cętera caduca, non generantur ex ente. In his enim propositionibus, & aliis huiusmodi (quæ possent adduci) nedum oppositio, sed consecutio, ac ordo perspicitur. Pręterea quæ subtilitas Aristotelis uideretur, si hoc

ipsum (quod Ammonius fecit) doceret, hunc in modum negationem fieri, si, non, particula, uerbo iungatur, tam in substantiuo, quã adiectiuo? Nonne superius istud quã sæpissime docuit, cum initio dixit, (hircoceruus enim significat aliquid, sed nondum uerum, aut falsum, si non addatur esse uel non esse, simpliciter, uel secundũ tẽpus?) Et capite de uerbo, tunc uerbum significare esse & nõ esse, idest affirmationem, & negationem, cum esse, & non esse cum extremis coniungitur: & simplex enũciatio est uox significatiua de eo, quod est aliquid, uel non est. Et nouissime initio secundi asseruit. (Præter uerbum autem nulla est affirmatio uel negatio.) Exempla autem producẽs, nedum substantiua uerba, sed alia adiectiua, quæ posita, ac definita uerba superius esse declarat ꝙ consignificant tempus. Inferius etiam, sectione quarta, de his disserens, quæ cum modo dicuntur, hæc etiam uerba dr binariis, & trinariis repetit, dicens. {Et in quibuscunq; esse nõ additur, idem faciet, quod pro eam dicitur, ut homo ambulat, uel homo non ambulat.} Hæc de secundo adiacente: de tertio autem ait. {Nihil enim differt, dicere hominem ambulare, idest homo ambulat, & hominem ambulantem esse.} Vbi clare oppositionem in illis de inesse penes uerbum desumit, tam in binariis, quam trinariis asserit. Nihil autẽ impediet, ibi in partem falsam arguere, quoniam ex his, quæ uera sunt in propositionibus de inesse, in partem falsam arguit, forsan ita uideri in propositionibus modalibus, a quibus tamẽ dissentiunt. In modalibus igitur problema est, cui addẽda sit particula negatiua, an uerbo, uel modo? Sed in ꝑpositionibus de inesse (de quibus nũc loquitur) res dubia nulli uidetur, an uerbo, quod secundum se prædicatur, addenda sit, uel quod adprædicatur, & tertio adiacet: Dices, uerba hæc nouissima, contra Ammonium adducta pro Ammonio faciunt, quoniã solum oppositionem ex simili secundum proportionem nos docet. Dicas, primum ex eo posito nos docere, penes quid oppositio desumatur, scilicet modum, non uerbum, quo constituto, consecutionem ac ordinem antecedentis, & consequentis enumerat: Nam uniuersaliter explicato, ꝙ sicut in illis dr inesse, per esse, uel, non esse, negatio & affirmatio constituitur, ita in modalibus, per negationẽ ipsi modo coniunctam. Inde de consequentiis infert) cõsequentiæ uero secundum rationem fiunt, cum ita ponuntur,) idest ordine numerantur. Similiter nunc, cũ oppositionem, consecutionem, & ordinem enunciationũ posuerit, semperq; in omnibus hic, est, uerbum expresserit, alia uerò uerba adiectiua reliquerit: nunc idẽ fieri per utraq; uerba tam oppositionem, quam consecutionem, et ordinem manifestat, ut supra ex usu, & experientia Arist. commõstrauimus. Verbi autem substãtiui propterea meminit, quod primũ omniũ est uerborum, ab aliis præsuppositum, uniuersalius, ac notius, a quo primũ nouissimũ principium constituit. Ad primam rationem Ammonii dicitur, & si exempla nunc de binariis producantur, nihil tamen differt (ut Arist. ait) binarias in trinarias posse dissolui, ut homo est ualens. Ad aliam, qua probat, uerbum aliud nullum adiectiuum, posse apprædicatũ, siue tertio adiacens fieri: ad primam eius confirmationem exemplorum iam diximus: ad alterum primi priorum, suo loco (Deo annuente) dicemus. Nunc breuiter respondemus, terminum definiri, in quem dissoluitur propositio, tãquã in partes, quæ habent termini rationem, idest extremorum: hęc enim est communissima ratio termini, quinto metaph. 22. Verbum autem propositionis extremum nõ dicitur, sed unio, ac coniunctio extremorum. Propterea dici, tanquam in prædicatum, & subiectum, quę uerę extremi rationem participant. Quæ autem subdũtur de uerbo, esse, & non esse, non quasi adiiciendo, & diuidendo terminum in uerbum, & nomen, prædicatum, & subiectum, sed dissolutionem propositionis significat, affirmatiuæ, in qua apponitur esse, uel negatiuæ, in qua adiicitur, siue ponitur non esse, negatione separante prædicatum a subiecto, ut coniuncta. Apponitur ergo esse, & non esse, non tanquam extremum, sed tanquam extrema coniungens: non tanquam id, in quod, tanquam in extremum, propositio dissoluitur, sed ut prædicatum cum subiecto coniungens, uel ab illo disiungens. Secundũ aliorum expositionem Ammonius refert, qui uolunt, quod Arist. quærat, an sicut in trinariis negatio non uerbo, sed prædicato coniuncta, negationem nõ efficit, sed affirmationem: ita in binariis negatio addita uerbo, quod actu prædicatur, nõ ut negans, est, uerbum, quod in adiectiuis potestate concluditur, sed participium, in quod potest adiectiuũ dissolui, ut homo non ualet. idest est non ualens, an ista sit affirmatio, uel negatio. Huic expositioni rectè Ammonius aduersatur, quoniam res hæc, tanquam perspicua in dubium, siue problema, uertenda non est: cum nihil obtingat, & accidat, quamobrem in utrisque sit tanquã res diuersa petenda. Item, nihil horum Arist. explicat: suam: ac nostram expositionem ante posuimus. Inquit igitur. (In quibuscunque uerò, est, non componitur, ut in eo uerbo, quod est ualere, & ambulare, in iis idem facit, (idest ꝑ oppositionem, ubi sola oppositio ponitur, non consecutio, ut in binariis ex subiecto finito, & infinito perspicitur, in quibus oppositio, non consecutio ab Arist. posita, est per se, nisi cum tertio prædicato nomini coniũguntur) ac si ipsum, est, adderetur. Exempla autem producit in his in quibus perspicue oppositio cernitur, ut omnis homo ualet, omnis homo non ualet, & omnis non homo ualet, omnis non homo non ualet. non consecutio & ordo, nisi, cum alio coniungantur, per oppositionem tamen & consecutio, & ordo etiam intelliguntur.

TEX. BOETHII.

Non enim dicendum est, non omnis homo, sed, non, negationem ad id quod est, homo, addendum est, omnis enim non uniuersale significat, sed quoniam uniuersaliter Manifestum est autẽ ex eo, quod est sanatur homo, nõ sanatur homo: sanatur non homo, nõ sanatur nõ homo. Hæc enim ab illis differunt, eo quòd uniuersaliter nõ sũt: quare omnis, uel nullus nihil aliud consignificat quam uniuersaliter de nomine uel affirmationem uel negationẽ: ergo & reliqua eadem oportet apponi.

Non enim dicendum est, non omnis homo, sed (non) negatio ad id, quod est homo addenda est: omnis enim non uniuersale significat, sed quoniam uniuersaliter. Manifestũ est enim hoc ex eo ꝙ est, ualet homo, non ualet homo, ualet non homo, non ualet non homo: hæc enim ab illis differunt, quòd uniuersaliter non sunt. Quamobrem ipsum omnis, uel nullus, nihil aliud consignificãt, quàm uniuersaliter de nomine uel affirmationẽ, uel negationẽ fieri. Cætera igitur opportet apponi.

Quoniam proximis exemplis, uniuersales negatiuas enumerãs, negatiuam particulam addidit subiecto infinito nõ signo, cum dixit, ualet omnis non homo, nõ ualet oĩs non homo: superius autẽ consecutiones uniuersaliũ enunciationum declarans, negationem apposuit signo: cur hic de uniuersalibus nõ expresserit, rationem adducit: primũ proponẽs in ipsa propositione infinita quæ subiectũ habet uniuersale, dicendum non esse, non omnis: sed negatio, non, addenda est subiecto, quod est homo, ac dicendum,

dum omnis non homo ualet, uel nō ualet. {Omnis enim} Dictum nunc approbat: primū ponendū, aliud esse significare uniuersale, idest (ut cōmuniter dicitur) significare, formam, & naturam, & speciē, quę apta est de pluribus prædicari, supra sectione secunda: aliud signare uniuersaliter, idest quod illa forma, natura distribura, pluribus insit. Quod alii explicant, est significare naturā uniuersalē, signo uniuersali determinatam, uel uniuersalē naturā existere distributam, ac diuisam in multis, uel omnibus. Secundo ponendum, in ipsa infinita negatiua uniuersali, nō solum negari compositionem oportet, quod fit per uerbū & qualitas enunciationis uocatur, sed negari etiā quantitatē, quod uniuersatim non insit. Tunc Arist. sententia (ut in summa dicamus) hęc est, infinita. uel indefinita uniuersalis, ut negatiua reddatur, subiecto infinito addenda negatio est, nō signo, quia tunc infinita uniuersatim negatur cū tota natura uniuersalis negatur. i. quando nulli inesse signatur, uel oī non inesse: ꝙ ex primo dato manifeste cōsequitur. Si uerò negatio signo coniungeretur, nō destrueretur tota natura uniuersalis, neq; uniuersatim inesse omnibus indicaretur, sed quo ad partē dumtaxat, hoc est, aliquibus non inesse: ut non omnis homo ualet. idest quidā homo non ualet. Ad efficiendam ergo uniuersalem infinitam negatam, negationē oportet addi subiecto nō signo. Secundo dicatur, ꝙ non intendimus infinitam uniuersalē componere, & constituere, sed destruere, ac deiicere, & ex uniuersali particularem efficere, ergo negatio addenda erit signo, non ipsi subiecto: quod supra Arist. docuisse monstrauimus. Nam subiecto addita, sola qualitas enunciationis, idest cōpositio destruitur, quia de affirmatione negationem constituit, eadē uniuersali quantitate manente. Idem de enunciatione particulari dicendum, cum infinita particularis fieri instituitur, negatio erit addenda subiecto, non signo: quia si signo iungatur, uniuersalis, non particularis reddetur, ut non aliquis homo ualet, idest nullus homo ualet. Primum Arist. tradit rationis fundamentum, siue radicem: secundo applicat. de radice, inquit. {Omnis enim non uniuersale significat, sed quoniam uniuersaliter. manifestum est.} Fundamentum hoc explicat quatuor enunciationes assumens, indefinitas, sine aliquo signo, siue impræfinitas: quæ duas oppositiones cōstituūt unam simplicē ex affirmatione, & negatione de subiecto finito, ut homo ualet, homo non ualet. alteram uero compositam, ex affirmatione, & negatione de subiecto infinito, ut non homo ualet, non homo non ualet. Altera ex parte, quatuor uniuersales superius iam numeratæ signētur, duæ simplices affirmatæ, & negatæ de subiecto, finito duæ uerò compositę de subiecto infinito. {Hæc enim ab illis.} His descriptis, quorum est differentia cognoscenda, differentiam explicat, dicens (hæc) scilicet impræfinitę siue indefinitæ, eo ab uniuersalibus, ut uniuersaliter, differunt, ꝙ uniuersaliter non sunt, idest non uniuersaliter omnibus inesse signantur: cum sit dictum sæpissime, indefinitas idem ualere particularibus subcontrariis. Poterit ergo, hac uera concessa, homo ualet, aliquem hominem ualentem, aliquem etiam non esse ualentem, concedi. Patet ergo indefinitas, sine uniuersali signo prolatas, & si subiectum habeant, quod aptum est de pluribus prædicari, tamen, quòd actu non habent, ut uniuersatim inesse signentur, quod habent ab uniuersalibus, signis, omnis, uel nullus. {Quamobrem.} Principalem radicem concludit: quare si indefinitæ de uniuersali subiecto nomine non dicuntur actu, nisi quatenus uniuersali signo, omnis, uel nullus, pęsiniuntur: quare, omnis, uel nullus, non uniuersale significant, quod indefinitæ significare dicuntur, sed quoniam uniuersaliter. {Cætera igitur apponi.} Quoniā de signis uniuersalibus intulit, illa consignificare, affirmationem, uel negationem de uniuerso nomine fieri; negatio autem, & affirmatio, prima sectione, cap. quarto, has contradictionis proprietates participant, ut de eodē, ad idem, secundum idem dicantur. Quæres ergo ab Aristo. cur ista non expressisti, cum diceres, ipsum, omnis, uel nullus, cōsignificare, affirmationem, uel negationem de nomine subiecto, eodem, scilicet, secundum idem, ad idem &c.? Respondet, breuitatis causa fecisse, quoniam si consignificare negationem, & affirmationem asserui, quibus contradictio constituuntur: necesse igitur erit apponi cætera eadem, idest, ut subiectum, & prædicatum sit idem, secundum idem &c. quæ necessariò contradictio præsupponit, ut ante primo libro monstrauerat. Iccirco per ipsam particulam, (ergo) collegit eadem addenda fore, quæ contradictionis definitioni iunguntur. Et hāc literam rectè, mea sententia Ammonius explicauit. Gaietanus, & Suessa aliter literam illam exponunt. {Non enim dicendum est, non omnis homo &c.} uolunt enim quòd hunc cauillum siue dubitationem dissoluat, qua aliquis postularet, an ipsum, non, addendum sit ipsi, omnis, uel nullus, an ipsi homini, si enunciatio reddi debeat infinita, siue de subiecto infinito? Et fortasse argueret sic, uniuersale potest fieri infinitum: omnis, & nullus sunt uniuersalia: ergo &c. Tunc uolunt Arist. obiectionem diluere, dum minorem syllogismi reiicit, omnis, & nullus, uniuersalia non esse, sed uniuersalis pędicationis notas dumtaxat, ut ante sectione secunda, capite quinto, monstrauerat. Sed icciro expositio ista non placet, ꝙ Arist. propositum, ac intentum, non est, commonstrare quando enūciatio sit infinita, uel ex subiecto infinito consistat, sed quando est uniuersalis negatiua, iam posita, & numerata infinita, negatione subiecto uniuersali coniuncta, non signo, quod uniuersale non est, sed nota quòd prædicatum omnibus, uel nullis inhæreat. Item, aut intelligit non posse enunciationem constitui infinitam, idest de prædicato infinito, & hoc dictis superius aduersabitur, ubi non omnis homo est non iustus, non omnis homo non est non iustus, descripsit. Si uerò (ut uidetur) intelligit de subiecto infinito, problema non est: cum illud infinitum reddatur, cui negatio additur: tunc autem, cum dicitur, non omnis, negatio non subiecto, sed signo coniungitur, quod formam simplicem, ac naturam non explicat, sed quoniam uniuersaliter insit. Ex quo fortassis dubitatio hæc dilui posset an signa, tam uniuersalia, quàm particularia, infinita constitui possint. Quę dubitatio hic inuenta non est, bonitatis tamen gratia quæri posset. {Ad quod ita dicendum uidetur: primum ponatur (ut diximus) infinitum, priuationem, & potentiam, actus, & formæ terminatē signare: Secundo, omnis, & nullus, aliquis, &c. nō formam aliquam simplicem & actum significat, nisi impositionem, qua inesse prædicatum omni, uel nulli, aut alicui contento sub subiecto, signatur. Ex his ergo deducitur, signa ad compositionem, siue qualitatē, & quantitatem enunciationis referri: quare simplicem formam non habet per se, nisi per accidens, idest per partes enunciationis: quæ etiam ratione partium redditur infinita, ut primo libro declaratum est. Ita signa, cum nullam ab impositore formam simplicem habeant, nisi ad compositionem relatam: igitur ratione partium (quæ talem simplicem formam designant) infinita redduntur, ut omnis non homo est, uel non est iustus, omnis homo est iustus, uniuersalis infinita dicitur: similiter, omnis homo non est non iustus. Secundum se autem infinita non sunt, quoniam, non omnis, ad compositionem suapte natura, & ab impositione relatum, non priuationem significat æque communem, ut sunt habitus, & priuatio, sed habitum particularem, non omnis, idest aliquem non esse. Confirmat Suessa, quoniā signa non sunt entia, & nomina, sed signa entium, ac nominum appellantur: infinita autem entium positiuorum ac nominū priuationē significant. Obiicies, non propositio icciro per accidens infinita. i. ratione partium dicitur, ꝙ negatiua particula illis con

fungi non poteſt: ſignis autem adiungitur:igitur per ſe infinita reddentur. Confirmatur, ſicut uerbũ, quod inter extrema poſitum eſt, ſiue ut in oratione eſt, ad compoſitionem relatum, ex negatione addita: per ſe infinitum aſſerimus: ita de ſignis dicendum uidetur. Præterea, quomodo ualet, omnis, & nullus, non uniuerſale ſignificat, ſed quoniam uniuerſaliter, infinita igitur reddi non poſſunt? Nã aliquis inferet, ergo particularia infinita fieri nullatenus poſſent, quæ uniuerſale non ſignificant. Itẽ, ſicut uniuerſale formã, ac habitum indicat, hoc eſt, rem, quæ apta eſt, de pluribus prędicari, & particulare, ꝙ non: tanquã priuationem propriam naturę communis, quæ potentia continet uniuerſalem formam, aptã dici de pluribus: ſimiliter, omnis, & nullus ſignificant, quoniam uniuerſaliter, ut habitum, & non oĩs, quoniam non uniuerſaliter, ut priuationem naturæ communis, quæ particularibus, ut aliena priuatio attribuitur, ut in quęſito Aue. ſectione ſecunda mõſtrauimus. Ad primum quidam reſpondet, & ſi negatio illis addatur, non propterea fieri infinita, quia nomen infinitũ nihil determinatum ponit: negatio autem addita ſignis uniuerſalibus, particularia infert, quę terminatæ res ſunt. Petes ab eo, negatio nihil ponit, cur igitur terminatam rem dicet? Reſpondet, non ex ſe aliquid ponere, ſed ratione eius, cui iungitur: non eſt igitur contra rationem particulæ negatiuæ ponere aliquid terminatum: bene tamen infinito repugnat. Reſpõſio hæc infirmata ſæpius eſt quoniam infinitum, priuationem quodammodo unam ſignificat, quæ res terminata quodãmodo dicitur: ſicut ens, & quodammodo una uocatur: non omnis, autẽ priuationem eius, quod uniuerſaliter ineſt, ſignificat: terminatũ igitur quidpiam. Item negatio in illo, cui iungitur, nil aliud põe efficere, quam negare, priuationem nullam ſignificãs: infinitans aũt negatio priuationem deſignat terminatam in re habẽte potentiam ad formam, relatam, cuius priuatio dicitur. Si ergo negatio quicquam deſignat ratione alterius, cui coniungitur, a maiori ſignabit infinitas ipſa negatio. Itaq; nos ad primum ſimul, & quartum dicamus, quamuis negatio ſignis poſſit coniungi, ac priuationem ſignificet eius, quod eſt uniuerſaliter: illa tamen priuatio ad aliud non refertur, ꝗ̃ ad cõpoſitionẽ prædicati, quod uniuerſaliter ineſſe diſtributo ſubiecto notatur. Per hæc patet ſolutio ad ſecundum: uerbum enim & ſi compoſitionẽ ſignificet, ut inter extrema cõponitur, tamen actũ uerbi proprium explicat, ratione cuius, negatione adueniente, infinitũ efficitur. Ad tertium, gratis concedimus, conſecutionẽ nõ ſequi, ſignis uniuerſalibus cõprehenſis nõ ſignificant uniuerſale, ergo non poſſunt conſtitui infinita: quoniam non ens (quod uniuerſale non eſt) ſi pro indiuiduis ſumitur, eſt infinitum: quia ens oppoſitum, rem poſitiuã & actum ſignificat: non ita ſigna ſincathegorematica: Ar. ergo intentum non eſt, probare (ut ante docuimus) ſigna omnis, & nullus, effici infinita nõ poſſe, ſed ut uniuerſalis negatiua infinita remaneat, negationem non addendam fore ſignis, ſed ipſi ſubiecto, uel prædicato: propterea ꝙ hæc formam ſimplicem indicant, non tantũ ad compoſitionem & enunciationem relatam. Signa uero nullã formam, actu, ſignificant ſecundũ ſe, quia uel uniuerſaliter inеſſe, uel non uniuerſaliter exprimunt, tantumq; ad compoſitionẽ explicandam dicuntur ac referuntur: Iccirco illa conſtitui infinita. hæc uero ſigna non poſſunt. At ſi negatio ipſa addatur ſubiecto, infinita uniuerſalis, ut uniuerſaliter, affirmatiua, uel negatiua manebit, non aũt ſi ſigno, quia ita, & qualitatẽ compoſitionis mutabit, de affirmatione negationem conſtituens, uel contra: ſimiliter & quãtitatem, ex uniuerſali particularem. Inſtabis, hæc enũciatio non eſt (cum dicimus omnis homo) & tamen, omnis, non uniuerſale ſignificat, ſed quoniã uniuerſaliter. Dicas, tunc non ſignare quoniam uniuerſaliter, niſi prædicatum aliquod medio uerbo iungatur, quoniã ſignificat uniuerſis ineſſe, quæ ſubiectũ, tanquã inferiora cõplectitur: ineſſe aũt prædicatum ſubiecto, medio uerbo, in cõpoſitione neceſſario dicitur. Non ergo ſignum (inuentum ab arte) erit cum extra cõpoſitionem profertur: neq; ſignũ diſtribuẽs prædicatum in conuenit ſub ipſo ſubiecto. Hoc Aue. ſentit, cum ait. (Negatio ſigni uniuerſalis aufert iudiciũ uniuerſale, quod continet ſignum uniuerſale: ſed pars declinationis. i. negatio, aufert uniuerſale, & non iudiciũ uniuerſale.) Signum. n. non ſignificat ſubiectum uniuerſale eſſe ſedꝙ iudiciũ intentionis uniuerſalis eſt uniuerſale. i. ſignis cognoſcimus, et iudicamus, intẽtionem uniuerſalẽ in uniuerſis cõprehenſis a ſubiecto, inueniri uel (cum negãtur) non uniuerſaliter inueniri: Eandem enim uim habet negatio addita ſignis, quam habet negatio in particularibus, & indefinitis, addita uerbo. Semper ergo ad cõpoſitionẽ refertur. Et ſupra Ar. non omnis homo eſt iuſtus, negationem uocauit; ſicut pars declinationis. i. negatio infinitãs aufert, & priuat naturam, actum, & habitum, ꝙ nomen finitum ſignificat: & ſignificat priuationem actus, & formæ in materia terminata, ut ſupra. Hæc ergo cauſa fuit, quod uniuerſalem enunciationem infinitam uocauit, ratione ſubiecti uniuerſalis negati, cui ſignum ſiue negatione coniungitur. Nam ſi extra orationem uniuerſaliter poſſet ſignare, ſimilia poſſemus aſſerere his, quæ de uerbis ſuperius aſſeruimus: mihi ſufficiat dubium tetigiſſe.

TEX. BOETHII.

Quoniam uerò contraria eſt negatio ei, quæ eſt, omne eſt animal iuſtum, illa, quæ ſignificat, quoniam nullum eſt animal iuſtum: hæ quidem manifeſtum eſt quoniam nunquam erunt neque ueræ ſimul, neque in eodem. His uerò oppoſitæ, erunt aliquando: ut, non omne animal iuſtum eſt, & eſt aliquod animal iuſtum

Quoniam autem contraria eſt negatio huic, omne eſt animal iuſtum, ea quæ ſignificat, quoniam nullum eſt animal iuſtum: hæc quidem perſpicuum eſt, quoniam nunquam erunt, neque ueræ ſimul, neq; in eodem his uerò oppoſitæ erunt, aliquando. ut non omne animal iuſtum eſt, & aliquod animal eſt iuſtum.

Cõnſecutiones, quas ſuperius docuit in enũciationibus numeratis de tertio adiacẽte, poſitæ ſunt in indefinitis, ſiue in ipſis imprædefinitis: in uniuerſalibus autẽ, ut uniuerſaliter ibidem ex lib. priorum deſcriptis, ſimiliter ſe habere affirmauit: non tamen illas expreſſit, niſi tantũ oppoſitionem inter uniuerſalem, & particularem; ſed hic eaſdẽ conſecutiones explicaturus eſt in ambabus uniuerſalibus, q̃ tanq̃ contrariarum ſitum obtinere uidentur, ut omnis homo eſt nõ iuſtus, ergo nullus hõ eſt iuſtus. Item in ambabus ſubcontrariis particularibus, aliquis homo eſt nõ iuſtus, ergo non omnis homo eſt iuſtus, ideſt quidam homo nõ eſt iuſtus: quę locum ferè ſubcontrarium participãt. Propterea, ne conſecutiones ponendæ, quaſi uerè contrarię numerentur, diſpoſitionem cõtrariarum, & ſubcõtrariarum, in primo libro aſſertam, repetit, ut uiſis omnium enunciationũ oppoſitionibus, ſecũdo cõſecutionibus, doceat q̃uo ad uerũ, & falſum explicandũ ſe habeãt, ad quod enũciatio (ut finem) refertur. Item, ut conſecutiones in omnibus oppoſitionibus ueræ perſpiciantur, primum in enũciationibus indefinitis, ſecundo contradictoriis, tertio nunc in cõtrariis, & ſubcontrariis: de diſpoſitione ſimpliciũ ex ſubiecto, & prædicato differens. primum enunciationes ponit, inde diſpõnem; de propoſitionibus, ait. (Quoniã uerò cõtraria eſt negatio huic, oẽ animal eſt iuſtum, hęc, uel ea, quę ſignificat, quoniam nullũ animal eſt iuſtum,) diſpõnem ponẽs, inquit{ hæ quidẽ perſpicuũ eſt, quoniã nunq̃ erũt, neq; ue-

re simul neq; in eodem.} Peteres, an ad idem utraq; particula referatur? Ammo. & Psellus duas expositiones adducunt: prima est, ut contrariæ neq; simul ueræ sint in uerbis, neq; in eodem hoc est in rebus: secunda aliorum est, per illa duo, nō aliquid superuacaneum designari sed per illa uerba, tum simul, tum in eodem conditiones oppositionis describi: quæ primo libro ita finiuit, ut sit eiusdem, de eodem, secundum rem, ad idem similiter & in eodem tempore. Quam ueriorem existimo, quoniam ueritas cōtrariarū, sicut omnis oppositionis, a rebus ipsis attēditur, quæ causa ueritatis enunciationis dicuntur. Hanc secūdā expositionem, productis exemplis, confirmant, quoniam si contrariæ non simul & eodem tempore desumātur sed pro diuersis, ambæ sunt ueræ, ut omnis homo est iustus, pro seculo aureo, & nullus homo est iustus, in seculo ferreo. Hęc exempla Suessa, tanquam uera, produxit: Ammonius tamen illa refellit, quoniam mutatio nullum habet locum in uniuersalibus, quæ circa singularium naturam spectantur. Item philosophus in demonstranda ueritate, non debet uti figmentis, nisi quandoque ex supposito, proportione quadam inuenis procedat. Cōfirmatur Ammonii improbatio, quoniā propositio de inesse, cuius prędicatum est accidens, nunquam uera est in omnibus subiectis uniuersalis affirmatiua, uel negatiua. Accidēs enim non inest, nisi (ut supra retulimus) paucioribus subiectorum & temporum, nisi ex posito. Dicit ergo {nunquam} ad tempus referens oppositionis naturam, siue proprietates {neq; simul} ad locum {neq; in eodem} referens ad idem subiectum, Ex quibus cętera dantur intelligi, quę oppositioni conueniunt ut supra Arist. semper intelligenda monstrauit, cum ait (ergo & reliqua eadem oportet apponi.) {His uero oppositæ.} Subcontrariarum dispositionem apponit quę contradictoriè opponuntur ipsis contrariis: primum dispositionem enuncians, inde propositiones, inquit (his uero oppositæ, erunt ueræ aliquando.) Quæres cur easdem conditiones non retulit in subcontrariis, quarū in ipsis contrariis meminit? Dicas (ut in primo libro prædiximus) cum subcontrariæ quandoq; simul ueræ ponuntur, pro diuersis indiuiduis, in materia de inesse sumuntur. Præterea hic Arist. non expressit, simul quandoq; ueras esse in eodem: falsum enim dixisset. De subcontrariis dicit, ut nō omne animal est iustum, i. quoddam animal non est iustum, & aliquod animal est iustum.

TEX. BOETHII.

Sequuntur uerò & hæ, eam quidem quæ est, omnis est homo nō iustus, hæc, nullus homo est iustus: illā uero quæ est, aliquid est homo iustus, opposita, quoniā nō omnis homo est non iustus, necesse est enim aliquē esse.

Sequuntur uerò & hæ, eam quidem, omnis homo est non iustus, hæc nullus homo est iustus: illam uerò, aliquis homo est iustus, opposita, quoniam non omnis homo est non iustus: necesse est enim aliquem esse.

Assignatis, & positis oppositionibus contrariis, & subcontrariis, ac ipsarū dispositionibus in enunciationibus de subiecto & prædicato finito, quæ similem oppositionē & dispositionem continent, in significando uerum, & falsū, nunc consecutiones enumerat ambarum uniuersaliū, ut uniuersaliter, & particularium subcōtrarium simili modo quo supra assignatæ fuerunt in enunciationibus impræfinitis, siue indefinitis, & cōtradictoriis, quasi cōtradictoriis ut cōsecutiones illæ per se, & de omni ueræ, inductione in omnibus enūciationibus facta, perspiciūtur. Inquit ergo {sequūtur uero} quasi dicat, nedū indefinitæ, & aliæ (quas retulimus) similiter ab enunciatione de prædicato infinito, ad negatiuam simplicem, sed uniuersales ut uniuersaliter, & particulares, hoc est, hanc omnis homo est nō iustus, sequitur hæc negatiua simplex, ergo nullus homo est iustus, si prima uniuersaliter uera ponatur: illā uero aliquis homo est iustus, i. affirmatiuam simplicē sequitur hæc, ergo non omnis homo est non iustus. Quod probat per eā, quæ idem ualet uniuersali negatæ de prædicato infinito, dū ait. {Necesse est enim aliquem esse} quasi dicat necessario ad particularem affirmatiuam de prædicato finito, sequi negatiuam simplicem particularem, de prædicato infinito, negatione addita signo. Illa enim. s. nō omnis homo est iustus, idem ualet huic, aliquis homo non est nō iustus, per negationem præpositam cōtradictoriæ. Propterea Arist. intulit, necesse est enim necessitate cōsecutionis, ab inferiori ad superius differendo, aliquem esse. Iustum, idest si aliquis homo ponitur iustus, necessario cōsequitur, ergo aliquis homo non est non iustus. Notandum in textu Auer. & aliorum plurium latinorum habent literam deprauatā, & falsam, quæ dicit {sequuntur uero hæ, eam quidē, nullus homo est iustus, hæc, omnis homo est non iustus:} itaq; ex enunciatione, quæ per se, & uerè est antecedens, faciunt consequentem, e conuerso igitur est legenda, ut recte Psellus, & Argirop. ex uero græco textu ad uerbum in latinum uerterunt. omnis homo est non iustus, ergo nullus homo est iustus: aliquis homo est iustus, ergo non omnis homo est non iustus. Si enim aliquis habet iustitiæ habitum nō erit priuatus illo: sed necessariò, si aliquis est iustus, dū est, siue dum ponitur iam in esse, necesse est esse, ut necessitatem consecutionis affirmat, non per se, & simpliciter necessarium. Ex his patet, quam false exponant moderni, dicentes, hic uelle Aristo. manifestare, quod ad negatiuam angularem contrariam de prędicato finito, sequatur uniuersalis affirmatiua de prędicato infinito. i. ad hāc, nullus homo est iustus sequitur hęc, omnis homo est non iustus. Primum enim Arist. aduersatur, qui superius dixit ad enūciationem tam indefinitam, quam uniuersalē simplicem de prędicato infinito, ad negatiuam simplicem, consecutionem ualere, non contra: quoniam deceptio secundum consequens fieret, a positione superioris, ad positionem inferioris. Itē, dantur termini, siue nomina, in quibus consecutio falsa dignoscitur: nam uerè dicitur, nullus lapis est iustus, hæc tamen non sequitur, ergo omnis lapis est non iustus: quoniam lapis iustitiæ priuationem nō significat: si enim lapis priuaretur iustitia, rēt aptus natus suscipere illā. Præterea, pugnantia cum textu græco producunt Gaietanus duas responsiones adducit, unam Alberti, alteram propriam. Albertus ait, cum constantia subiecti sequi ad negatiuam uniuersalem, affirmatiuam nō autem absolutè. Ipse uerò respōdet supra Arist. esse locutum de infinita enunciatione, quo ad suū totale significatū, ad formam prędicati reductum, quod minus cōe est, ut lignū est homo non iustus, & negatiua superior, lignū nō est homo iustus. Sed hic loquitur de ipsa infinita formaliter sumpta. i. per se, ratione, qua prędicatū infinitum dicitur, tam de his, quæ sunt, q̄ his quæ nō sunt. Sed hæc respōsio (quę Amm. est) inferius improbabitur: similiter illa Alberti quia hic sermo est de cōsecutionibus p se, sicut supra, ut patet ex uero textu gręco. Suessa, licet in prima consecutione uniuersalis negatiuę simplicis, ad uniuersalem affirmatiuam de prædicato infinito, rectè explicauit: in secunda tamen subcontrarium, extra uerum textum gręcū exposuit. Nam arguit a negatione particulari de prædicato infinito, ad affirmatiuam particularem simplicem, ut nō omnis homo est non iustus, ergo aliquis homo est iustus: quæ consecutio per se uera non est, sed per accidens, ut parum infra cum Aristo. declarabimus, scilicet, in singularibus, quæ medium habitum non permittunt, nec iustitiæ, nec iniustitiæ. Sed in his, quæ sunt apta nata, & in tēpore, quo apta nata sunt suscipere habitum: si tunc ali-

quit non est non iustus, idest non est priuatus iusticia, af
firmatio simplex, gratia materiæ, & per accidens cōseque
tur, ergo aliquis homo est iustus: ut si Socrates exēpli lo-
co, ponatur non esse non iustus, erit ergo iustus: sed non
per se, ut diximus, & in textu sequenti dicemus. Ammo.
hic aliter literam illam declarat. { Necesse est enim ali-
quem esse. } Vult enim sicut ex affirmationibus simpli
cibus, negatiuæ infinitæ sequuntur, ita etiam è cōtrario:
atq; in hanc sententiā literā explicat, dicens, aliquis homo
est iustus, ergo non omnis est non iustus, idest aliquis ho-
mo non est non iustus. Ex uerbis autem sequentibus ap-
probat, ad negatiuam de prædicato infinito, sequi etiam
affirmatiuam: quoniam Arist. ait, hanc negatiuam ne-
cessario sequi, aliquem hominem esse. s. iustum. Sed expo
sitio ista uerbis textus non conuenit. non enim nouā con
secutionem adducit, sed primo positam approbat: cuius
manifestū argumentū est particula (enim) quæ eius, quod
dixerat, causam significat: quia antecedēti posito, aliquē
hominem esse iustum necesse est igitur, dum est aliquis iu
stus aliquē iustum esse: & ita uere consequitur, & per se,
aliquē nō esse priuatum iustitia. Ex hac in particularibus
assignata expositione, uniuersaliter Ammonius infert
non solum in enunciationibus præfinitis, idest uniuersali
bus, ex affirmationibus sequi negationes, sed etiam ex ne
gationibus affirmationes. Quod corollarium ut clarius di
gnoscatur, difficilem, & abstrusam digressionem aggre-
ditur: in primis ponens, tanquam communiter cōfessum
& uerū, nomē indefinitum uere inueniri in his, quæ sunt,
& non sunt, ut hircoceruo: tunc quærit in hircoceruo, et
aliis, quæ non sunt, negatio uniuersalis uera est, non autē
infinita uniuersalis affirmatio, idest, nullus hircoceruus
est iustus, nō tamē omnis hircoceruus est nō iustus. Qua
re non iustum non dicitur de hircoceruo, & aliis, quæ non
sunt. In partem (quam ueram existimat) arguit primum
ex uerbis textus, quæ ante retulimus: ait enim ex hac, ali
quis homo, non est nō iustus, necessario cōsequi, aliquem
hominem esse iustum; si igitur necessario sequitur, ergo
per se, & de omni: tam ergo particularis, quàm uniuersa
lis sequetur. Secundo, idem ex infra dicendis confirmat:
nam Ari. dicet, uniuersalis affirmatio de subiecto, & præ
dicato infinito, idem significat cū negatiua uniuersali de
subiecto infinito, & prædicato, finito ut hęc, omnis non
homo est non iustus, idem significat illi, nullus nō homo
est iustus: & quia eadem spectantur in enūciationibus,
quæ subiectum habent finitum: nam differentia earum,
quæ se mutuò consequuntur, non a subiecto desumitur.
Tertio, repugnat primo principio, (ex his, quæ sunt, &
nō sunt) aliquid affirmari, quod neque sit, uel non hoc sit.
De quolibet enim dicitur esse, uel nō esse. ergo, cū nō bo
nū dicatur de his, quæ nō sunt, nihil cōstitui potest, quod
non dicatur bonum, uel non bonum. Consecutionē hanc
manifestat ex differētia finiti, & infiniti: id enim quod cer
to, ac terminate affirmatur, finitis cōuenit, quibus aliquid
actu, & natura impartitum est: terminate igitur: infinita
uero aliquid terminatum non habent. Ex his colligit, er
go esse non iustū, non solū uerū deprehenditur in homini
bus iniustis, & medio habitu præditis, & nondum aptis
natura habitum consequi, idest in pueris: sed etiam in la-
pidibus & hircoceruo &c. Obiicit, absurdū, & monstrū
uideri, uerbum, est, dici de eo, quod non est. nam de quo,
est, prædicatur, ipsum esse, ante ponēdum est. Si ergo hir-
coceruus est non iustus, hircoceruus igitur erit? Respon-
det, falsam esse, quibus additur, est, ipsum esse, constitui
oporteret: nam negationibus additur quibus rem non esse
in aliquo, siue non inesse monstratur: licet tāquam uerum
ponendum, est ubi per se prædicatur de secundo adiacen-
te dicat esse, ut hircoceruus est: Nunc autem, est, dicit
aliquid inesse, ut infra Arist. declarabit. Homerus est poe
ta; ita hircoceruus est non iustus) idest hircoceruus, quē
mente concipimus) de quo etiam finita nomina prædica
mus, opinabile esse, & nominabile. Igitur de quo aliquid
est prædicatur, esse necesse est, saltem in cogitatione: ita
quarto metaph. secundo, septimo metaph. 14 de ente cō-
siderat. & non ente, & priuationibus, quæ aliquo modo,
& in cogitatione entia nūcupantur. Obiicies, ex dictis su
perius patet, quod affirmatio infinita, & finita negatio nō
reciprocant, idest non conuertuntur: diuersam ergo ha-
bent uim, atque non idem significant. Respondet, iustius
est opinari, diuersas esse enunciationes. atq; diuersam ip
sarum esse uim, propter diuersam qualitatem propositio-
num, affirmationis, & negationis. Sed cum neq; hoc (de
quo magis uidetur quod diuersæ sint) existimet aliquis: ergo
nec ex illo diuersæ dicentur. quod adinuicem non recipro-
cant. Quod ex hoc maximè confirmatur, quoniam sicut
affirmatio non est causa affirmationis, qua primo posita
res ponatur: ita negatio non est causa negationis (cum ser
mo de propriis habeatur, quibus etiam remotis, cętera,
quæ propter consequuntur, remoueri necesse sit.) Sed quod
similes sint ipsarum conuersiones (idest finitæ negatiuæ,
& infinitæ affirmatiuæ) ratio non est, quod uerum referant, si
ue explicent in eisdem terminis, siue nominibus, ut patet
in negatione uniuersali, quæ propterea ad seipsam com-
meat, siue conuertitur, quod discretionem, siue absolutam di
uersitatem earum rerum significat, ex quibus cōponitur
ut omnis lapis non est iustus, & omne iustum non est la-
pis. Si ergo similes & eædem, non propterea sunt quod ue-
rum explicant in eisdem, sed quia ex diuersis & dispara-
tis consistunt, ergo nec diuersæ conuersiones dicētur pro-
pterea, quod diuersa significent, sed quia uniuersalis affirma
tio non disiunctionē prædicati a subiecto, sed coniunctio
nem prædicati communiorις designat: etiam si infinitum
coniungat. ad se ipsam conuerti non potest, quoniam præ
dicatum infinitū dicitur inesse subiecto, quod infinitudi-
ne uacat. Propterea, cum dicimus, omnis lapis est non iu
stus, latius patet, siue communius est non iustū, lapide ip
so: quia infinitum (ut initio diximus) tam de ente, quam
non ente dicitur, & prædicatur: finitum uero tātum de
ente: itaque si non iustum competit omni lapidi, ut enti,
non tamen lapis omni non iusto. Sed aliquis nunc assertis
denuo aduersabitur: nam superius Arist. ex Ammo. mente
sententia, explicauit, simplicem negationem communio
rem esse affirmatiua de prædicato infinito. Respondet, nō
dici negationem prædicati finiti esse per se uniuersaliorē
affirmatione prædicati infiniti, ratione, scilicet prædicati
quoniam id falsum est, ut ante monstrauimus: ut hæc, nō
est iustus, & illa, est non iustus. Sed Arist. loquitur de inte-
gris propositionibus: si quandoque ut prædicata suman
tur, tunc uniuersalis negatio uniuersalior erit affirmatio-
ne: quia negatio est uera in iis, qui non sunt homines, ut
canis non est homo iustus. Sed affirmatio falsa est, canis
est homo non iustus. non ratione prædicati, nō iusti, quod
de omnibus dicitur, sed ratione totius integrę propositio
nis, quæ ponitur prædicatum, scilicet hominis. Nam ea di
cit homines non iustos esse, quæ homines non sunt, ut ca
nes &c. & ita homines esse. Nouissimè cōtradicit, ex ulti
mo primi priorum: ei propositioni, in qua dicimus aliquid
inæquale, uel non æquale, aliquod subiectum subesse,
quod non ęquale, uel inæquale uocatur: nihil autem su-
besse ei, quod non est æquale, idest negatiuę simplici. Re-
spondet, hæc statui in his, in quibus uerbū, est, per se præ
dicatur. Ex his postremo cōcludit, hæc, quæ nunc dicta
sunt in uniuersalibus, in impræfinitis, siue indefinitis etiā
enunciationibus uera deprehēdi, si solam prædicatorū il
lorum ad subiectum coherentiā attēdamus: non aūt quan
do totas propositiones prędicatas cepetimus, que ex prę
dicato finito, & infinito cōsistūt. Nā ratione prędicatorū,
quicquid iustū nō est, necesse est esse non iustū, & est con
trario. Hæc Amm. de cuius opinione, licet alias sepe a me

multa

multa, & quæsita, & disputata sint, nullus tamen eorum (quos uiderim) digressionem hanc explicauit, nec rationes hic adductas dissoluit, nec solutiones, quas obiectis contra se dedit, aliquis infirmauit. Ego, ne (sicut plerique) ad unius auctoritatem conferam, eius digressione tam cognita, rationibus satisfaciam, & responsa falsa reiiciam. Primum a fundamento, & basi siue radice, perperam intellecta fere ab omnibus, ordiamur: infinitum (ut sæpe docuimus) non iccirco infinitum uocari, quòd sine discrimine de omnibus prædicetur, uel aptum sit prædicari tam de iis, quæ sunt, ut non homo, de capra, boue, quam de his etiam, quæ non sunt, hircoceruo &c. quod primo libro declaratum est. Nec secundo quod negatione nomini, siue uerbo finito côiuncta, uox pura remaneat, ut possit imponi ex noua positione ad significandum tã ea quę sunt, leonem, capram &c. quam etiam quæ non sunt, hircoceruum &c. Nam (ut primo tetigimus) nomen infinitum) ut nomen est ab impositione, ab Arist. nouata) propriam nominis finiti priuationem non indicabit, neque actu aliquid significatum habebit proprium. ut uox pura relicta, & nondum facta nota ad aliquid explicandum: sed ea tantum signabit, quæ nouus impositor naturali uoci tradiderit: & si possit imponi ad significandum tam entia, quæ non entia. Non ergo terminatam, ac propriam priuationem signabit, ut toties Auerroes explicauit. Propterea primo libro ita literam Aristo. declarauimus. infinitum dici, quoniam similiter contingit, uel aptum natum est dici, uel similiter competit, & inuenitur in eo quod est, siue in ente, idest subiecto proprio, & materia, quæ substantia per se dicitur, & ita ens per se, uel id quod est: & de eo, quod non est, hoc est, de priuatione proprii actus, & formę, quę primo physi. 75. & 79. per se non ens appellatur. Hoc dato, perspicuum fit indefinitũ hac de causa uocari, quod non de unica tantum re prædicatur, quę sit, sed pluribus, quæ interminatę uocantur, & sunt, hoc est, quæ termino, ac forma, siue proprio actu priuantur: quo modo Alex. octauo meta. tertio, materiam indefinitam uocauit, & non ens, & primo phy. sexcentis in locis, etiam priuationem, & cum priuationem significet (in post prædicamentis, & quinto meta.) proprium necessario subiectum, in quo inuenitur priuatio, præsupponitur. Itaque infinitum priuationem significat, quæ in materia terminata consistit. Ex hiaad primum argumentũ Ammonii respondemus, quod ex uerbis Ar. explicatis desumitur, non necessaria consecutione concludi ex negatiua simplici, idest de predicato finito, affirmatiuam de prædicato infinito, nisi per accidens, gratia materiæ. Nam ex posito particulari existente iusto, per se sequitur non esse non iustum: sed non contra: quia si per se e contrario sequeretur, ergo uniuersaliter sequeretur, idest etiam in uniuersali propositione, nedum in singularibus aptis natis in tempore, quo apti nati ponuntur. Cuius cõtrarium Aristo. in litera sequenti explicabit: bene tamen ex posito particulari, quod est iustum, sequi non esse non iustum, hoc est, priuatum non esse iustitia, quia positum est de inesse, necessario, & terminate, & in actu, aliquem esse iustum: ergo necesse est, aliquem esse iustum, habentem habitum iustitiæ: ergo aliquis positiua iustus, non erit non iustus, idest non erit priuatus iustitia. Est ergo consecutionis probatio, ut retulimus, non conuersio aliqua a prima diuersa: & si esset, non per se, sed per accidens cõsecutio diceretur. Ad secundum latius infra, nunc pauca dicamus: propterea idem, enunciationes signare, omnis non homo est non iustus, & nullus non homo est iustus, quoniam ad negationem proprii subiecti, sequitur etiam priuatio proprii habitus: & quia homo propriè iustus ex certo habitu dicitur: ad eius ergo priuationem, (quam, non homo, significat) necessario sequitur, (ut idem significans) priuatio habitus, idest non iusti. Eademque proportione consequitur, nullum non hominem, idest priuatum natura humana, esse iustum, cum proprius habitus à natura proprii subiecti non disiungatur. Hinc sequitur uerum non esse, quod abstrusum potentius intulit, cum eadem spectentur in enunciationibus, quæ subiectum habent finitum: nam illæ erunt, omnis homo non iustus, & nullus homo est iustus, quæ tanquam superius, & inferius se consequuntur, ut superius ex Arist. & Auerroes patuit. Ratio etiam quam inducit, uera non est, differentiam earum enunciationum, quæ se mutuò consequuntur, non a subiecto desumi: nam clare in assignatis, & productis exemplis contrarium patet, ex priuatione subiecti proprii, negari proprium habitum: & quòd subiecto non existente priuato, nec se consequentes redduntur, neque idem significant, sed maximè aduersantia, & contraria. Si uero intelligat, eadem spectari in enunciationibus, quæ subiectum habent finitũ, hoc est, in illis, quas paulo ante monstrauimus, omnis homo est non iustus, & nullus homo est iustus: idem in affirmatiua de prædicato infinito, & negatiua simplici, ut omnis homo est non iustus, ergo nullus homo est iustus: tũc non idem signabunt: cum simplex negatio cõmunior sit affirmatione simplici: quoniam prædicatum priuationẽ terminati habitus, idest iustitię, in terminata materia, siue subiecto, consistente significat: negotio uerò nihil terminatum enunciat. Ad tertium: & si repugnet primo principio, quòd, aliquid ipsum aufugiat, quod non dicatur esse iustum, uel non esse iustum (de quolibet enim dicitur esse, uel non esse) non tamen de quolibet prædicatur esse iustum, uel esse non iustum: detur habitus medius ut supra Arist. & primo priorum ultimo retulit: quoniam esse uel non esse omnibus competunt quę sunt, & non sunt: non iustum uero tantum priuatis iustitia, siue priuationi iustitiæ, & subiecto, ac materiæ tantum, quę interminatæ dicuntur, idest non habentes terminum, formam, & actum: non uocantur aũt interminatæ, quia nõ propriæ priuationes, & potentiæ sint, sed quia innumera sint contenta sub illis nominibus infinitis non apta nata actũ suscipere, ut Ammonius opinatur. Infinita ergo nomina, terminata, & numero duo significata concludunt, & indicant. non autem significant ens quodlibet, & non ens, quæ apta nata non sunt, ut false de non iusto Ammonius collegit: Hæc de respõsione ad eius argumẽta sint satis: nunc de responsis, quæ dedit obiectis, contra se adductis, pauca dicamus. Primæ obiectionis responsione, tanquam uera, relicta, de tribus aliis differemus. Obiecit enim secundo, quod cõuersio diuersa instrumẽtũ est ad cognoscendum significatum diuersum: Arist autem superius dixit, ab affirmatione de prædicato infinito ad negationem simplicem consecutionem ualere, non conuerso, non reciproce, idest non conuerti. non igitur de quolibet dicitur non iustum, sed de terminato subiecto, & priuatione: non esse autem iustum communius dicitur. Respondebat, diuersum enunciationum dictarum significatum, asserendum non esse, propter diuersum conuersionem, quòd se non reciprocè consequuntur, quia iustius diuersum significatum haberẽt, ex qualitate affirmationis, & negationis diuersa, idest quia una ipsarum est affirmatiua, reliqua negatiua: sed ex hoc diuersę non sunt, cum ambę de non ente dicantur, ergo nec ex diuersa conuersione diuersa signabunt: quia eadem conuersio enunciationis ad se ipsam est disiunctione uniuersali prædicati a subiecto: sed non eadem conuersio in affirmatiua, est ex coniunctione prædicati infiniti communioris cum subiecto finito, minus communi. Sed hæc responsio nec uera, nec perspicua est: nam diuersa conuersio non reciproca, necessario ex his terminis constat, qui non reciprocant, siue non conuertuntur: & quia prædicatum communius est subiecto (ut ipsemet Ammonius dixit de infinito præ

dicato ut ad finitum subiectum confertur) oratio autem habens prædicatum communius, diuersum significatum complectitur, ab ea, quæ minus commune significat. Itē, nedum diuersam significant, quia una est affirmatio, reliqua autem negatio: sed quia altera habet prædicatum infinitum, quod priuationem significat in terminato subiecto: ipsa uero negatio simplex prædicatum potest disiungere ab omni subiecto, & ente, & non ente. Præterea, concessa causa, quare ad seipsam uniuersalis negatio conuertatur, quia uniuersatim prædicatum à quolibet subiecto disiungit: adde (ut ante monstrauimus) affirmatio uero prædicatum infinitum cum subiecto priuato, & terminato, ac apto nato coniungit: ergo inde negatio communior affirmatione erit. Si uero, quis asserat cum Ammonio, prædicatum infinitum esse communius, enunciatio ergo tota communior erit, quæ a prædicato communiori (eodem in utrisque subiecto manente) communior redditur. Tertiæ obiectionis solutioni, neque argumentum, neque sensus, neque perspicuum ullum reloquuntur: nam ex productis exemplis Arist. patet, enunciationes illas inductas non esse, quæ integræ prædicata ponantur, sed eas tantum, quæ ex finitis, & infinitis prædicatis simplicibus constant. Si igitur ratione eius, quod ponitur prædicatum infinitum, enunciatio communior fieret, ab affirmatiua de prædicato infinito, ad negatiuam simplicem consecutio non ualeret, sed contra: cuius manifestum contrarium dixit: duæ uero minimè, quia illa communior esset: ut homo est non iustus, ergo homo non est iustus, non è conuerso; quia natura prædicati infiniti priuationem determinati habitus, & formæ significat, quam affirmatio coniungi terminato subiecto, & materiæ indicat: negatio uero prædicatum finitum a quolibet uere potest disiungere: sed musicum non fit ex quolibet non musico, sed terminato, ut latius primo libro tetigimus. Ratione igitur prædicati priuati, coniuncti cū subiecto terminato, & finiti disiuncti, uel quod potest disiungi a quolibet omnino non ente, uel ente, una communior, reliqua minus communis uocatur. Nouissime obiectionis responsio: quanto in errore uersetur, hoc maxime liquet, quoniam de his in primo priorum, ultimo, enunciationibus loquitur, de quibus hic: nam superius dixit {hæc igitur sic sunt disposita, siue descripta, quemadmodum in resolutoriis dictum est} sed hic de tertio adiacente sumuntur, ubi uerbum per se prædicatum non est. Item, cur rationem conamur adducere in his, quæ sensuum testimonio patent? In resolutoriis enim de his propositionibus loquitur, quæ de tertio adiacente dicuntur, ut ait, nec esse non æquale, & non esse æquale idem: huic. n. quod est non æquale, subiacet aliquid. Quæres ab eo, quid est illud, quod subiacet? Respondens ait hoc est inæquale, idest subiectum priuatum æqualitate: illi uero, negatiuæ nihil eò quòd æquale, uel non æquale non omne est: æquale uerò, uel non esse æquale, omne, idest omne est æquale, uel non est æquale, ubi, est, iuxta æquale tertiū, uel non æquale disponitur. Item, lignum est non album, & lignum non est album, non idem significat: & quod, a est bonum, uel album: & quod unumquodque est non album: aut quoniam omnia sunt non alba, falsa &c. Ex his patet, opinionem longe meliorem fuisse, Ammonium his ueris, ac necessariis rationibus permotum, exquirere quæ constantissimè dicerentur, quam maluisse eam sententiam, quam adamauit, pugnacissimè defendere.

TEX. BOETHII.

Manifestum st autem etiam quoniam singularibus si uerum est interrogatum negare, quoniam & affirmare uerum est: ut, putas ne Socrates sapiens est? non Socrates igitur est non sapiens. In uniuersalibus uero non est uera, quæ similiter dicitur, uera autem negatio est: ut putas ne omnis homo sapiens est: non omnis igitur homo nō sapiens est: hoc enim falsum est, sed non igitur omnis homo sapiens est, uerum est. Hæc enim opposita est, illa uerò contraria.

Illud uerò etiam perspicuum est quoniam in singularibus si uerum est interrogatum negare, quoniam & affirmare uerum est, ut putasne Socrates sapiens est? Non: socrates igitur nō sapiens. In uniuersalibus uerò non est uera, quę similiter dicitur: uera autem negatio est, ut putasne omnis homo sapiens est? Non: Omnis igitur homo non sapiens est. hoc enim falsum est. Sed, omnis igitur homo sapiens; uerum: Hæc enim opposita est, illa uerò cōtraria.

Cum antea positæ sint consecutiones in ipsis im præfinitis, & proximis uerbis in uniuersalibus, & subcontrariis particularibus: atque hucusque explicatum sit, consecutionem per se, & simili ratione de omnibus fieri, ab affirmatiua de prædicato infinito ad negatiuam simplicem; petet nunc aliquis, an in singularibus e contrario disposita ualeat? hoc est, a negatione simplici, ad affirmationem de prædicato infinito, ut in singularibus eandem potentiam, & ueritatem contineant: ut in eisdem sint ambæ ueræ. Nota tamen ex secunda expositione, hanc dubitationem per se non intendi, nisi ut declaretur proprietas contradictionis inter singulares finitas & infinitas: & inter uniuersales similiter finitas & infinitas: quod hucusque non fecit ut infra dicemus. Quam dubitationem dissoluens, duas in summa conclusiones, siue dicta ponit. In singularibus enunciationibus (quæ habent subiecta apta nata, & in tempore, quo ita disposita sunt, ut possint habitum, uel priuationem suscipere) manifestum sensibus est, quoniam quasi dicat non solum consecutio fit ab affirmatiua de prædicato infinito ad negatiuam simplicem, sed etiam è contrario: si uerum est interrogatum negare in enunciatione simplici, quoniam & affirmare in enunciatione affirmatiua de prędicato infinito, uerum est, ut putasne Socrates sapiens est? Si dicat, non, dicendo Socrates sapiens non est, ex ista sequetur, Socrates igitur nō sapiens, si aptus natus est, & tempore illo consistit, quo aptus est disponi per habitum uel priuationem. Nam (ut Auerroes ait) accidit tunc singularibus, ut in ipsis habitus, siue priuatio inueniantur, tanquam contradictiones diuidentes uerum à falso: & priuatio eandem uidelicet, siue potentia habet cum negatione. Sed consecutio ista per accidens dicitur, non per se: quoniam non de omni, ac uniuersatim ualere Arist. affirmabit, sed tantum in singularibus, quę in ea dispositione ponuntur, ut medium habitum, iustitiæ, uel non iustitię non suscipiant: ita quandoque, & gratia materiæ, non uniuersatim ualebit, ut secundum formam, & per se uera esse monstretur. Secunda conclusio est. In uniuersalibus enūciationibus non est uera consecutio, quæ similiter dicitur, à negatiua simplici ad affirmatiuam de prædicato infinito: non per se igitur, quæ uera de omnibus præsupponitur: quare duæ primæ singulares (ut quandoq; simul ueræ saltem per accidēs & gratia materię) possunt tanquam unum contradictionis extremum assumi: non ita negatiua uniuersalis simplex interrogata ut uera, & affirmatiua de prædicato infinito: quia illę duę nec per se, nec quandoque & gratia materię sunt ueræ. {Vera autem.} Declarat nunc quod sit uerum contradictionis extremum uniuersalis affirmatiuæ positę falsæ, dicens quod uera est negatio contradictoria, ea. scilicet quę est non omnis homo sapiens est, ut infra dice-

tur

tur{ Vt putas ne omnis homo,}Quia dixit in singularibus si uerum est interrogatum negare, & affirmare uerũ est: sed in uniuersalibus non est uera quæ similiter dicitur (idest uniuersaliter,& si uerum est interrogatum negare, uerum sic etiam affirmare, tanquam unum contradictionis extremum uerum uel falsum : quia consecutio esset uniuersaliter uera : & per se) hoc ipsum exemplo nunc manifestat, quod falsum sit assumi tãquam unum cõtradictionis extremum. Item falsum est esse unum membrum contradictionis necessariò diuidens uerum a falso: ut necesse sit uel affirmationem uniuersalem simplicẽ finitam falsam,& negatiuam uniuersalem finitam:& affirmationem uniuersalem infinitam(tanquam unum cõtradictionis extremum) ueram esse:quia(ut dicet) opponuntur tanquam cõtrarię quas impossibile est esse simul ueras : Item hoc falsum consequens est nam falsum est uniuersaliter, omnem hominem esse priuatum sapientiæ habitu . simul omnem hominem sapientem non esse: cũ dentur habitus medii eorum, qui nec actu sapientes, nec non sapientes,idest priuati dicuntur, ut pueri & non ciuiles.{ Sed non omnis igitur . Reiecta uniuersali illa, quæ per se non sequitur, idest uniuersali affirmatiua de prædicato infinito ; quæ per se non sequitur uniuersalem negatiuam, tanquam unum consequens contradictionis extremum, nunc (ut Auerroes recte percepit) dat illam quæ per se, & uerè contradictoriæ opponitur : dicto nostro , omnis homo est sapiens , quæ fuit primum interrogata, & est, Non omnis igitur homo sapiens est: quæ idem ualet huic , aliquis homo non est sapiens { Hęc enim opposita est,illa uero contraria. }Approbat nunc particularem negatiuam ut per se ueram, opponi affirmatiuæ positæ falsæ :& non uniuersalem negatiuam simplicem & affirmatiuam de pręedicato infinito, quæ falso tanquam unũ contradictionis extremum desumebantur : ratio est quia hæc particularis est opposita contradictoriæ,illa uero uniuersalis negatiua & affirmatiua infinita, est contrariæ opposita : igitur nulla istarum duarum potest apponi tanquam unum contradictionis extremum:quod necessario diuidat uerum a falso : sicut ponitur in singularibus præmonstratis: Sed hanc expositionem hoc dubium manet: si Arist. propositum erat, per se consecutionem inquirere quæ inter negatiuam simplicem,& affirmatiuam uniuersalem de pręedicato infinito, fiebat, cur reiiciens affirmatiuam uniuersalem de pręedicato infinito, tanquam illam quæ per se non consequitur negatiuam, non eam tradidit quæ per se sequebatur negatiuam uniuersalem : sed uerã dixit esse, uniuersalis affirmatiuæ negationem, quam postea explicauit ? Erit igitur uera: non omnis homo est sapiens,idest quidam homo non est sapiens. Nec etiam per se consequentem uniuersalem affirmationẽ expressit, scilicet omnis homo est sapiens, ergo omnis homo non est non sapiens, uel non omnis homo est non sapiens ? Ad hæc iam diximus non intendi cõsecutiones assignari per se, illæ enim superius patent : tam in subcontrariis, quam etiam in contrariis: quarum ratione patere possunt etiã in cõtradictoriis : sed per se primo intendit proprietatem contradictionis finitarum & infinitarum apponere, ex cuius uno extremo, patent quæ sunt per se consequentię, et quę per accidens : ut ante monstrauimus. his rationibus forte permotus Com. aliter literam istam intelligit : ibi : (iamq; ueniunt loca &c.) Quasi dicat postquam ostẽdit supra quoniam modo se habeat dispositio contrariarum & subcontrariarum, in explicando uerum, & falsum: dixitque similiter inueniri , ut in simplicibus uniuersalibus ut uniuersaliter, se habebat, idest contrariis, quæ nunquã simul in eodem erunt ueræ , sed subcontrarias oppositas illis contradictoriè, fore aliquando ueras: ostendit etiam consecutiones per se uniuersalium, & subcontrariarum : nunc uult ostendere, quomodo inueniatur alia dispositio contradictoriarum, quę ex affirmatione, & negatione cõsistit : quarum alteram necesse est ueram esse, uel falsam Et quoniam contradictio maxime inter singulares attenditur, & uniuersalem, ac particularem : propterea ab illis orditur . Animaduertendum est tamen(ut Auerroes ait) in singularibus aptis natis, & in tempore, quo ita disposita sunt, ut uel habitum , uel priuationem recipiant: in his ita dispositis cõtradictio fit, inter affirmationem simplicẽ una ex parte : & negationem simplicem, uel affirmationem de prædicato infinito, ex parte altera : uerbi causa . affirmatiua simplex, Socrates est sapiens, est una cõtradictionis pars : altera uero, Socrates non est sapiens, uel, Socrates est non sapiens: quo differt a contradictione, quæ in simplici affirmatione, & negatione, primo libro, monstrata est . Dispositio igitur singularium contradictorie oppositatum, tam in simplicibus, quam in ipsis infinitis propositione quadam respondet : si extremum unũ contradictionis uerum, reliquum necessario falsum: ut Socrates , uel est sapiens, uel non est sapiens. Hoc tamen interest inter contradictionem singularium simplicium,& infinitatum (ut diximus) quod in simplicibus, si affirmatio falsa ponatur, tãtum negatiuam simplex uera, (tanquam alterum contradictionis extremum) ponenda est : & e cõtrario : in ipsis uero infinitis singularibus tantum & nõ in uniuersalibus , si affirmatio simplex fuerit falsa , & negatiua simplex erit uera, & affirmatio de prædicato infinito. Huius autẽ differentiæ causa, ac ratio est (ut Auerroes inquit) quia singularia apta nata, in tempore illo disposita sunt, uel habitum, uel priuationẽ suscipere: & ita contradictionem constituunt, in illo tempore, scilicet uel esse iustum, uel non esse iustum, & non iustum. uel ratio ex Arist. desumatur: quia ad affirmationem de prædicato infinito, sequitur negatio simplex : negatio etiam in singularibus & si per se simul uera esse non possit cũ affirmatiua de pręedicato infinito, tamen per accidens, quandoque contingit esse simul ueras: ut Auer. ait. sicut subcontrariis conuenit, quandoque esse simul ueras; non per se, ut affirmatio & negatio eiusdem, sed sub tali dispositione, ut ad diuersa indiuidua in tali materia referuntur: ita proportionaliter negatiua simplex , & affirmatiua infinita in unum contradictionis extremum concidunt nõ per se, in omnibus , sed in singularibus, quorum proprie est apta nata esse quandoque habitum quandoque priuationem suscipere : non uniuersalium : Primum ergo Aristo. contradictionis dispositionem, ex primo libro, & in hoc textu repetenda supponens, secundo quod si affirmatio simplex(ut unum contradictionis extremum) falsa ponatur, alterum uerum erit, extremum adducit, ut differens, ac distinctũ ab extremo contradictionis simpliciũ & uniuersalium ut uniuersaliter: Dicens ergo,(manifestũ est) uel sensibus, uel ex superius explicatis in dispositione cõtrariarum, & contradictoriarũ, uel melius, ex his , etiam quæ in hac litera explicãtur, non solum dispositio contrariarum, & subcontrariarum : sed etiam perspicum est in contradictoriis(quoniam in singularibus) aptis natis(si uerum est interrogatum affirmatum negare.) idest si uera est negatiua simplex : & idem interrogatum affirmare uerum est , ut ambo unum contradictionis extremum sumuntur . quare contradictio, non solum sumitur, ut in simplicibus singularibus quę solum inter affirmationem & negationem, quia in singularibus propositionibus infinitis, contradictio etiam sumitur inter affirmatiuam simplicem, & affirmatiuam de prædicato infinito : ad quam per se consequitur negatio simplex . quare inquit , manifestum est, ex his consequentiis superius assignatis, quod si uerum est interrogatum unum contradictionis membrum negare, & affirmare uerum est : non quod affirmatio negationem per se consequatur , sed est uerum accidens, idest quæ talibus aptis natis, non per se, & de omni,

In uniuersalibus, quæ similiter proferũtur, idest uniuersaliter & similiter etiam, idest tanquam unum extremum contradictionis, suarum particulatium.} Vt putasne,} Interrogatione premissa, petit, putasne, tanquam uera ponenda est hęc affirmatiua singularis, Socrates, sapiens est? Respondet. non, idest affirmatiua non uera, sed negatiua, Socrates non est sapiens: igitur Socrates est non sapiens, hoc ex, nedum ad illam affirmatiuam falsam. Socrates sapiens, est sequitur, tanquam alterũ contradictionis extremum, negatio simplex uera: sed etiã affirmatiua de prædicato infinito.{ In uniuersalibus uero, } Volens eandem contradictionis proprietatem in uniuersalibus commonstrare: primum ostendit, in quibus enunciationibus similis dispositio unius extremi ueræ negatæ, & affirmatę orationis haberi non possit, scilicet in his, quæ similem quantitatem uniuersalem, ut uniuersaliter. continent. Inquit ergo, (In uniuersalibus uerò non est uera quæ similiter dicitur,) idest non uere diuidit uerum a falso, ut si alterã uniuersalem affirmationem interrogatam est uerum negare: (quæ erit, nullus homo sapiens est) & affirmare uerum erit eandem uniuersalem de pręedicato infinito tanquam unum cõtradictionis extremum: quo omnis homo est non sapiens, idest falsum est quod tanquam unum contradictionis extremum illæ duæ sint simul quãdoque ueræ, scilicet simplex negatio uniuersalis, & affirmatio uniuersalis de pręedicato infinito, ut altera contradictionis pars: quæ similiter, idest uniuersaliter dicuntur; & similiter, idest ut simplex negatio, & declinata affirmatio tanquã unũ contradictionis extremũ in uniuersalibus ut uniuersaliter desumantur sicut ambæ uerę in singularibus dicebantur, quandoque, non semper, & de omni: { Vera autem negatio est} Petes ab Arist. si affirmatione uniuersali simplici existente ac(ex interrogatione) posita falsa & uniuersalis negatio simplex, & affirmatio de prædicato infinito non est uera, adeò ut necessariò sit uera, idest diuidens uerum a falso, quæ est illa, quæ sic necessariò ueras? Respondet, uera autem negatio est, quasi signum uniuersale negatur, idest in qua particularis negatiua concluditur { Vt putasne omnis homo sapiens est? Petitionibus explicat quod similiter in uniuersalibus ut uniuersaliter uerũ nõ est si uniuersalem affirmatiuam simplicem falsã interrogatam est uerum negare, quod & affirmare uerũ sit: quia consequentia esset per se. Item falsum esse quod sit tanquam unum contradictionis extremum uerum: inquis putasne omnis homo sapiens est? Si respondens dicas, non, idest non ueram esse uniuersalem affirmatiuam simplicem, sed uniuersalem negatiuam, tunc infert falsũ esse, ex hoc inferre similiter affirmationem uniuersalem ueram de pręedicato infinito tanquam unum cõtradictionis extremum, scilicet omnis igitur homo est non sapiens. {Hoc etiam falsum est.} Contradicit: quia falsum est, quod illud, tãquam unum extremum uerum sumatur, scilicet negatio uniuersalis per se consequens affirmatiuam uniuersalem de prædicato infinito: quia (ut dicet) contradictorias petimus quarum necesse est alteram partem esse ueram uel falsam: illa autem uniuersalis affirmatiua infinita(quæ similiter dicitur, uniuersaliter)contrariæ, non contradictoriæ aduersatur: quæ diuersas habent proprietates: itaque falsum illatum contradictionis mẽbrum asseritur non uerum. quia ambo extrema sunt falsa;{Sed non omnis igitur homo sapiens est uerum est,}Dat illud contradictionis extremum, quod uerum necessario est, si affirmatio uniuersalis simplex falsa, ex interrogatione ponatur: Et est particularis negatiua, quam supra negationem uniuersalis signi uocauit. Inquit, sed uerum contradictionis extremum affirmatiuæ uniuersalis simplicis est, nõ omnis homo sapiens est.{ Hæc enim opposita est, illa uero cõtraria,} Manifestatur hanc negationem uniuersalis idest particularem negatiuam necessario, ueram esse, non illas duas uniuersales, quas explicauimus: quia oppositarum contradictoriè, si una est falsa, reliqua necessario uera: illa ergo affirmatione uniuersali simplici, falsa, hæc uniuersalis signi negatio: siue particularis negatio, quę contradictoriè opponitur, necessario uera erit: illæ uero duæ, tanquam contrariæ, non necessario ueræ: cum nunquam simul ueræ, sed falsæ ambæ uniuersales in materia de inesse ponuntur. Quæres, quæ utilitas prouenit, si loco alterius extremi contradictionis, tam negatio simplex singularis, quam affirmatio de prædicato infinito sumatur? Respondet Com. ad duo posse conferre: Ad syllogismos edendos: si enim petentis propositum fuerit, ut sibi a respondente affirmatio de prædicato infinito ponatur, ille uero negatiuam concedat, potest loco eius accipere affirmatiuam declinatam in singularibus, & perficere in syllogismo, qui ex minore negatiua non constat, sed affirmatiua. qualis est illa ꝓpositio primo phy. 10. Quod est præter ens, est non ens, ut Auerroes ibi notauit. Secunda utilitas erit in concludendo contra negantem aliquod esse contradictorium: si enim affirmatio detur de prædicato infinito, ergo & negatio simplex loco unius extremi contradictionis. & è contrario, in singularibus, aptis natis, et tempore congruo, quo sub priuatione, uel habitu disponuntur. Postulabis secundo, si proprietatem, siue dispositionem contradictoriarum inquirit, quæ inter infinitas, & finitas uersatur. cur illas omisit. tantumque contradictoriarum simplicium meminit? Dices fortè, contradictionem his assignatam infinitarum non esse, quia supra descriptę fuerunt, cum dixit, est omnis homo non iustus, non omnis homo est non iustus, Sed ibi uniuersalium ambarum finitarum, uel infinitarum contradictio posita est non ut finitæ contradictionis extremum, ad infinitam cõfertur. Dicendum igitur erit, contradictoriam uniuersalis affirmatiuæ finitæ, omnis homo sapiens est, hanc esse, quidam homo est non sapiens: quæ idem ualet huic, quidam homo non est sapiens, uel non omnis homo est sapiens. Sed hanc, non omnis homo est sapiens, iccirco posuit, quia actu est negatio de prædicato finito. & particularis(de qua superius dixit) in singularibus, si uerum est negare aliquam particularem, uel singularem, uerum est etiam affirmare, Petes tertio. cur supra contrariarum enunciationum, & subcontrariarum proprietatem ostendens, contrariarum tantum finitarum meminit. non infinitarum? Superius diximus quod, similis in utrisque proprietas inuenitur: nunc aliud addimus, quoniam superius explicauimus, non esse contrarias actu, nisi affirmationẽ & negationem, quæ similiter proferuntur, idest uniuersaliter. Affirmatio uero uniuersalis simplex, & affirmatio de prædicato infinito, actu contrariæ non sunt, nisi potestate prout ad uniuersalem affirmatiuã de prædicato infinito, uniuersalis negatiua simplex consequitur. Ne igitur Aris. ex ignotis procederet, assignata dispositione cõtrariarum, & subcontrariarum, consecutiones earum subintulit, ex quibus paterent, quæ essent contrariæ uirtute; & quæ etiam subcontrariæ, hoc est, cõtrariæ, sunt uniuersalis affirmatiua una ex parte, & uniuersalis affirmatiua de prædicato indefinito(quam uniuersalis negatio simplex consequitur)ex altera: subcõtrariæ parte ex una particularis affirmatio simplex, ex altero uero extremo, affirmatio de prædicato infinito, quam sequitur negatio simplex per se, & e contrario, non nisi per accidens, ut retulimus. Iccirco proprietas contrariarum, & subcontrariarum, patet ex consecutionibus uniuersalium contrariarũ & subcontrariarum. Ex hac etiam litera declaratur, affirmatiuam de pręedicato infinito. quam simplex uniuersalis negatio sequitur, contrariam affirmatiuæ simplicis nũcupari. Item de subcontrariis particularibus, ac singularibus liquet, quę aptę natę dicuntur, & in tempore, proprio, sub priuatione, uel habitu disponuntur, tunc si ue-

rum

rum est affirmare, & negare per se uerum est, & e cõtra per accidens tamen. Et hoc ut paterent etiam quæ contradictoriæ sunt uirtute, scilicet affirmatio particularis de prædicato infinito & negatiua simplex, quæ per se illam consequitur una ex parte & uniuersalis affirmatiua, ex altera: uel negatiua singularis simplex & singularis affirmatiua ut unum contradictionis membrum quod quandoque contingit simul esse uera, & affirmatiua uniuersalis parte ex altera: secunda in uniuersalibus nõ est uera, quæ similiter dicitur, scilicet si uerum est negare, uerum est etiam uniuersaliter affirmare, tanquam unũ contradictionis extremum; quia sic inferri posset non contingenter & quandoque simul ueras esse, ut in singularibus, sed per se & de omni. In hac igitur litera exempla traduntur contrariarum, subcontrariarum, & contradictoriarum actu quæ antea, dum consecutiones explicabantur, implicite, siue potestate proponebantur: itaque illic assignari nõ poterant, nisi consecutiones, & contradictoriarum proprietas in hac litera traderentur. Si quis autem primam expositionem uellet amplecti, ad dubium ita respondeat: propterea illam infinitam uniuersalem consequentem per se negatiuam simplicem non dixisse, quoniam nulla de prædicato infinito negatiuam simplicem per se consequi poterit, quæ similiter tanquam unum contradictionis extremum uniuersaliter dicitur: quia non affirmatiua uniuersalis (ut diximus) declinata, omnis homo est non iustus, nec aliqua particularis negatiua de prędicato infinito, aliquis homo non est non iustus, quia hæc affirmatiuã particularem consequitur, quæ uniuersali negatiuæ simplici contradicit: bene tamen consequitur particularis affirmatiua declinata, scilicet quidam homo est non iustus: quia hanc sequitur, aliquis homo non est iustus: uel non omnis homo est iustus: quam Arist. ueram esse, idest uere cũ sequentem prædixit: licet non per se, sed per accidens, ut ante notauimus, nullus homo est sapiens, ergo quidam homo non est sapiens, ergo quidam homo est non sapiens, in aptis natis &c. Non igitur enunciationem illã infinitam reliquit, quę uniuersalem negatiuam simplicem consequi poterit, illo primum posito, si uerum est in singularibus negare, uerum est etiam affirmare. Si autem ueram per se consequentem infinitam ab Arist. postulares, aliam dare non poterit, nisi particularem negatiuam simplicem, quam expressit: & aliam non habẽt contradictoriam nisi particularem affirmatiuam simplicem: Nam si per se consecutio fieret, uniuersaliter in omnibus sequeretur, & ita in his, quæ similiter dicerentur uniuersaliter, a negatiua simplici uniuersali, ad affirmatiuam de prædicato infinito, necessaria consecutio fieret: uel rectius dicas quod iccirco non dedit contradictoriam uniuersalis negatiuæ, uel uniuersalis affirmatiuæ infinitæ, quia illa non est nisi particularis affirmatiua, scilicet omnis homo est non iustus & nullus homo est iustus (tanquam unum contradictionis extremum) contradicunt illi, quidam homo est iustus: quæ non est nisi una propositio: ad quam, tanquam unum extremum, negatio non cõsequitur: secus est in affirmatiua uniuersali simplici, cui cõtradicit tam negatiua simplex singularis, quam, etiam affirmatiua de prędicato infinito. ideo Arist. solum meminit contradictoriæ uniuersalis affirmatiuæ, non negatiuæ, quoniam contradictoria negatiuæ patet superius.

TEX. BOETHII.

Illæ uerò secundũ infinita contra iacentes nomina & verba (vt in eo quod est homo, vel non iustus) quasi negationes sine nomine & verbo esse uidebuntur, sed non sunt. Semper enim uel veram, vel falsam esse necesse est negationem. qui uerò non homo dixit, nihil magis quàm qui dixit homo, sed etiam minus, uerus vel falsus fuit, si non aliquid addatur.

Quæ uerò secundũ infinita nomina, & uerba sunt opposita, ut in hoc non homo, nõ iustus, quasi negationes sine nomine, & uerbo esse uidebũtur, sed non sunt eum enim semper uel ueram, uel falsam esse necesse sit negationem; qui non homo dixit, nihil magis, quã qui dicit homo, sed etiam minus, uerus, aut falsus fuit si non aliquid addatur.

Com. & Ammonius non dissentiunt: uoluit Ari. obiectionem diluere quæ ita ex præcedentibus potest inferri: Superius enim perspicuum est, sicut ex prædicato nomine infinito, in enunciatione affirmatiua, sequitur simplex negatio: & ita merito prædicati infiniti, & finiti, oppositio affirmationis, & negationis efficitur: similiter etiam alicui posset uideri ex subiecto infinito, & finito posse negationem constitui ut infra ex ista, omnis non homo est non iustus, sequitur negatiua de subiecto infinito, nullus non homo est iustus. Itaque non erit repetitio eorum, quæ de simplicibus nominibus, initio primi libri, de nomine, & uerbo predixit: id enim de nominibus compositis, natura infinitis expressit. Et si ex definitione nominis, & uerbi (quorum nulla pars separata significat) id excludi posse significetur, alterius tamẽ propositi, siue finis gratia, utrobique reiicitur, ibi, quod separatim eius pars significare aliquid uidebatur; nunc quod potestatem habere negationis, & affirmationis existimatur. Primum Ari. dubium, quod opinari quispiam posset, tangens, ait, (hæ enim uoces, quæ oppositæ sunt, secundũ nomina, & uerba infinita,) quæ, scilicet aduersantur finitis (quod exemplo commonstrat in non homine, tanquam subiecto, & non iusto, tanquam prędicato: uerbum relinquens, quia non ita perspicuum est, negationem non constituere) quasi negationes esse uidebuntur, ratione, quam supra tetigimus. {Sed non sunt.} Opinionem falsam nunc reiicit, non ita esse, ut falsò quispiam opinatur: cuius rationem adducit, quoniam semper necesse est, negationem ueram, uel falsam esse. Sumptio, siue minor, extra sumatur: sed nomina, & uerba infinita per se, nullo uerbo coniuncto, nec uera, nec falsa dicuntur: ergo negationes non erunt. Maior ex prima, & secunda sectione, Cap. quarto, et quinto, desumitur: tum quia id enunciationi (per se, & proprie conuenit, in qua est uerum, uel falsum) ut generi negationis, ergo semper, & necessario, idest per se singulis speciebus conueniet. Sed melius referendum semper & necessarium ad negationem, ut est pars contradictionis, quam semper est ueram, esse, uel falsam: non ita contrarias se habere: quę, licet, ut enunciationes, contradictoriæ sint ueræ, uel falsæ diuisim, simul tamen impossibile est, esse ueras. {qui non homo,} Minorem prædictæ rationis apponit, productoque exemplo a maiori negatiue ratiocinatur. Si de quo magis uidetur inesse, non inest, nec de quo minus: magis autem uidetur quod nomen finitum significet uerum, uel falsum: & non significat: ergo nec infinitum, de quo minus uidetur. Quod Auerroes approbat. Nomen enim infinitũ priuationem significat, & indefinitam inuentionem; nomen autem finitum, significat habitum, & formam inuentam actu: sed tunc maxime uerum signatur, quando aliquid actu extra animam inuenitur. Dicit ergo, Qui uerò non homo dixit nihil magis, scilicet uerum explicat. quam qui dicit homo ut finitum: sed etiam minus uerus, uel falsus fuit, proferens infinitum, quam finitum. {Si non aliquid addatur,} Quæres quando infinitum nihil magis, sed etiam minus uerũ, aut falsum significat? Respondet, si infinitum, ut per se, ac di

fluctū, ad finitum confertur, & hoc ait, nisi aliquid addatur, idest uerbum quo magis uerum, aut falsum signabit: licet ambo in hoc ipso cnnueniant, quod si secundum se, ac ab aliis diuisa sumantur, nisi uerbum addatur, negationes, aut affirmationes non erunt: quoniam sine proprio enunciationis, uero, & falso, & forma enunciationis, idest uerbo priuantur,

TEX. BOETHII.

Significat autem, est omnis non homo iustus, nulli illarum idem, nec huic opposita, quæ est, non est omnis nō homo iustus: ea uero quæ est, omnis non iustus nō homo est: illi quæ est, nullus est iustus non homo, idem significat.

Significat autem hoc, omnis nō homo iustus, nullo modo illarum idem: neque hæc opposita huic, non est omnis non homo iustus: hæc autem, omnis non iustus nō homo: huic, nullus iustus nō homo, idem significat.

Quoniam Arist. supra enunciationes secundi adiacentis, de infinito, & finito subiecto, & oppositiones distinxit: consecutiones autem ipsarum non tradidit, quoniam illas non habent, nisi quatenus cum illis enunciationibus coniunguntur, quæ ex prædicato infinito consistunt: iccirco cognitis oppositionibus, & consecutionibus enūciationum de tertio adiacente: perspecta etiam dispositione contrariarum, subcontrariarum, & nouissime contradicentium: nunc ad consecutionem illarum accedit, quæ ex infinito constant subiecto, & prædicato finito, uel infinito. Arist. autem primum ostendit, quæ enunciationes sese consequi recte non possunt, nec alicui opponuntur. secundo, quæ consecutionem contineant: quæ autem consecutionem non habet, hæc est, omnis non homo est iustus, idest affirmatio uniuersalis de subiecto infinito, & prædicato finito, quæ nulli illarū (quas superius diximus de subiecto finito) idē significat, neque uniuersali affirmatiuæ simplici, nec negatiuæ, ut omnis homo est iustus, uel nullus homo est iustus: uel uniuersali affirmatiuæ de prædicato infinito: omnes enim illæ supponunt subiectum esse: de quo dicuntur uel habitus, uel priuatio, uel a quo aliquod prædicatum disiungitur. {Neque hæc opposita huic, est: omnis non homo non est iustus.} Volunt quod secundam enunciationem remoueat, quæ ei nunc explicatæ opposita est, negatione addita, uerbo, ut hæc negatiua uniuersalis de subiecto similiter infinito, omnis non homo non est iustus, nulli illarum dictatum ex subiecto finito, idem significat, ut possint illa necessario cō sequi: singulæ enim subiectum esse actu, non priuatum supponunt. {Hæc autem, omnis non homo est non iustus idē significat huic, nullus non homo est iustus.} Quoniā, ut Auerroes annotauit, & ex modo declaratis colligitur. inter modum enunciationum, quarum subiectum est infinitum, & modum enunciationum, quarum subiectū est finitum, nec consecutio nec oppositio inuenitur: quia non contraria, nec contradictoria, uel subcontraria, quę subiectum actu, & idem necessario prærequirunt: similiter nulla dictarum simili ratione consequuntur: propterea si qua consecutio inuenitur, erit inter enunciationem affirmatiuam, habentem subiectum, & prædicatum infinitum, loco antecedentis, & inter negatiuam, etiam habentem subiectum infinitum, & prędicatum finitum. Quæ consecutio, proportione quadam, respondet illi, quā superius explicauit, scilicet ab affirmatione de prædicato infinito ad negatiuam simplicem. Iccirco idem ita significat, omnis non homo est non iustus, ergo nullus non homo est iustus. Eodem enim subiecto infinito manente (a quo negationem non fieri ante monstratum est) affirmatiua enunciatio constituitur de prædicato infinito, quam negatiua de prædicato finito, per se, ac necessario sequitur. Item superius talem consecutionis huius rationem induximus, quoniam à priuatione proprii subiecti, ad priuationem proprii habitus, & formę procedimus: subiecto enim proprio priuato habitum remoueri necesse est. Ex his facile diluitur dubitatio, cur aliqua dictarum supra ex subiecto finito, idem illi negatiuæ uniuersali, de subiecto infinito, scilicet omnis non homo non est iustus, idem non indicet: natura hæc sequitur illam, omnis non homo est non iustus. Dicas, ut ante notauimus quod Arist. affirmauit hanc negatiuam, omnis non homo non est iustus, nulli illarum idem signare, quæ habebant subiectum finitum hæc autem nunc dicta, omnis non homo non est iustus, consequens ponitur affirmatiuæ de subiecto, & prędicato infinito. Idem enim consequens ualet, omnis non homo non est iustus, & nullus non homo est iustus, quæ per se, & necessario consequuntur affirmationem de prædicato, & subiecto infinito. Ex his etiam perspicuum est. quam ob rē illæ consecutiones superioribus continua serie iunctæ non fuerint, ubi dixit quarum duæ se habent ad consecutiones, duæ uerò minime. Respondet Ammonius, quod continuitatem præceptionis, & consecutionis diremit differentia nominum, & uerborum infinitorum a negationibus. Sed melius dicendum uidetur, necessario post omnes consecutiones, & proprietates, has consecutiones legendas fuisse: nam si iunctæ superioribus essent, ex ignotis procederet, cū ait, affirmationem, & negationem uniuersalem de subiecto infinito, & prædicato finito. nulli illarum dictarum uniuersalium & particularium idē significare. Præterea, istarum uera, & per se consecutio, pendet ex consecutione, quæ de uniuersalibus enunciationibus est prædicta: qua de causa, uniuersalium consecutionē supponit. Amplius, consecutio & oppositio enunciationum de subiecto, & prædicato infinito, quæ in uniuersalibus, indefinitis, & particularibus fit, ut composita necessario illas subsequitur, quæ tantū constant, uel ex subiecto, uel prędicato finito, uel infinito, quoniam est magis composita. Superius aūt, primum consecutio per se in indefinitis posita est, deinde in uniuersalibus, & particularibus, postremo in singularibus finitis, & infinitis: quæ omnes (ut habentes subiectum finitum) simpliciores uocantur. Petes tertio, quonam modo uerum sit, quod Auerroes ait dicens & non est inter modum enunciationum, quarum subiectum est infinitum, & inter modum enunciationū quarum subiectum est finitum, consequentia, nec oppositio: Aduersari enim uidetur sibi, & Arist. cum primā oppositionem narrauit, quæ est oppositio affirmationis, & negationis, de secundo adiacente, ex subiecto finito: secundam uero distinxit inter affirmationem, & negationē de subiecto infinito, non homo est, non homo non est. Responsio. Hæc ita inter se conuenire monstrantur. supra enim in enunciationibus, quæ habent subiectum infinitū in utrisque, oppositio sumebatur: hic autem habentes subiectum finitum, ad alias conferuntur, quæ habent subiectum infinitum, & idem: & ita aliam oppositionē non habent, nisi illam, quam, relata ad uerbum suscipiunt. Si hæc est falsa, non homo est; opposita erit, uera non homo non est: uel e contrario: pro ente enim in actu, prima est falsa, & secunda est uera: pro ente uero in potentia, prima est uera, secunda est falsa. Et licet hic sermo sit de enunciationibus de tertio adiacente; supra autem, non nisi de secundo, ratio tamen omnium eadem est, quia negatio dicet esse eiusdem de eodem, & ita quęlibet oppositio, contradictoriam, præsupponit.

Tran/

TEX. BOETHII.

Transposita uerò nomina, & uerba idem significant: ut est albus homo: & est homo albus. Nam si hoc non est, eiusdem multæ erunt negationes: sed ostensum est quoniam una unius est. Eius enim quæ est, est albus homo, negatio est, non est albus homo: eius autem quæ est homo albus, si non eadem est ei, quæ est, est albus homo: erit negatio, uel ea quæ est, non est homo albus: uel ea quæ est, non est homo albus. Sed altera quidem est negatio eius, quæ est, est non homo albus: altera uerò eius quæ est, est albus homo. quare erunt duæ unius. Quoniam igitur transpositio nomine & uerbo eadem fit affirmatio, & negatio, manifestum est.

Transposita uerò nomina, & uerba idem significant, ut est albus homo, & est homo albus alioquin enim si hoc non est, eiusdem plures erunt negationes. Sed ostensum est, quoniam una unius est: huius quidem enim est albus homo, negatio est, non est albus homo: huius autē est homo albus, si non hæc eadem est illi, est albus homo, erit negatio, uel, nō est nō homo albus, uel hæc non est homo albus. Sed altera quidem est negatio hæc, non est non homo albus, huius, est non homo albus: sed patet igitur quod hæc altera huius, est albus homo: duæ igitur erunt unius. transpositi nominis, & uerbi, eadem fit affirmatio & negatio.

Omnes expositores conueniunt: quod cū Arist. sæpe ordinem naturalem pronunciationis mutant, ut primū uerbum, deinde prædicatum, nouissimè subiectum in oratione protulerit; quæres, an cum diuerso ordine pronunciationis, diuersa etiam in sententia constituatur enunciatio? Si enim distincta ex hac transpositione enunciatio fieret, esset, ut distincta species a superioribus, artis necessitate cōsideranda. Arist. ergo huic obiectioni respondens ait, huiusmodi enunciationes, tanquam species diuersas, distinguendas non esse, quia nomina, & uerba trāsposita idē significant: quare cum idem significent, unam enunciationem constituent: ergo non plures, & oppositas. cū idem sibi ipsi non auersetur, nec plura ex eodem constituantur: ut exemplo monstratur, est albus homo, est homo albus. {alioquin enim si hoc non, eisdem plures erunt negationes.} Propositum manifestat ratione ducente ad impossibile, ex propriis aduersantis concessis. Quia si non idem signarent transposita, sed diuersas enunciationes efficerent, ut affirmationem, & negationem: uni ergo affirmationi plures æque primo contradictoriæ opponerentur, quòd confessæ falsum est, ut prima sectione, cap. quarto, & infra cap. secundo dicetur. Vnum enim per se primo, opponitur uni, quia huius, est albus homo, negatio est, non est albus homo. {Huius autem, est homo albus, si non hæc eadem est illi, est albus homo.} Consecutionē ducentem ad impossibile ostendit exemplo, quia si huius est homo albus, uel si hæc nō est eadem illi, est albus homo, sit data a respondente negatio, uel hæc, non est non homo albus, idest negatio de subiecto infinito, & prædicato finito: uel hæc, non est homo albus, idest negatio de subiecto, & prædicato finito. Sed prima negatio, altera, & diuersa de subiecto infinito, quæ est, nō est nō homo albus, est negatio huius affirmatiuæ de subiecto similiter infinito, est non homo albus. Sed illa altera negatio de subiecto, & prædicato finito, scilicet non est homo albus, est negatio huius affirmatiuæ eiusdē subiecti & prædicati finiti, scilicet est albus homo. Ex his datis negationibus consequens impossibile colligit: Quare erunt duæ negationes unius affirmationis: hoc autem cōsequens falsum est, & impossibile: ergo ex quo sequitur: falsum enim non sequitur, nisi ex falso: si consequens ergo falsum, ergo oppositum contradicens est uerum, per regulam contradicentium positam, quod erit id, quod initio, tanquā uerum, posuimus, & nouissimè nunc colligimus in epilogo Quare, quoniam transpositi nominis, & uerbi, eadem fit affirmatio & negatio, manifestum est: si tantū ordine pronunciationis, & situs mutentur, & (ut Arist. seipsū explicabit) si oratio una permaneat ex prædicato uno, & eodem subiecto, ac ueram subiecti naturam retineat, ut Cōmen. affirmat, & Ammonius. Nam si ex eodem prædicato, & subiecto una enūciatio nō maneret, quæ habet trāspositionem nominum, & uerborum, eorundem, consequens impossibile minimè sequeretur: eius enunciationis affirmatiuæ (quæ una, & eadem non daretur) duas esse negationes. Ratio enim ducens ad impossibile, ex opposito eius, quod uerè antea ponebatur, & altero per se uero, ad incommodum, respondentem deducit. Petit Ammonius nomina, & uerba huius enunciationis transposita, omnis homo est animal, & omne animal est homo, non idem significant. Et rectè soluit, de ea terminorum, siue nominum transpositione pręsentem sententiam intelligi, quæ eandem naturā (ut diximus) subiecti retinet, & prædicati, quod non ex primo, uel secundo loco diiudicamus uel ex eorum rationibus propriis, ut dicuntur de alio uel alia de ipsis. Item si præfinitione, idest signum, uel articulum habeant, subiecta dicuntur: si uero ista non habeant, uel non possint habere prædicata uocantur. Itaque si signū quod suapte natura subiectis tribuitur, prædicatis iungatur. subiectum non manet, nec pręedicatum, cui signum alienum coniungitur: ut cum diximus, omnis homo est animal, & omne animal est homo. Similis ratio est de negatiua particulari, quæ apta est uerbo coniungi: propterea si alteri coniungatur, sensum diuersum efficiet.

DE CONIVNCTIS, ET DIVISIS ENVNCIATIONIBVS. CAP. II.

TEX. BOETHII.

At uerò unum de pluribus, uel plura de uno affirmare, uel negare, nisi sit unum aliquid, quod ex pluribus significatur, non est affirmatio, uel negatio una. Dico autem unum: non si unum nomen positum sit, non sit autem unum aliquid ex illis: ut homo est fortasse & animal, & bipes, & mansuetum, sed ex his unum fit: ex albo autem, & homine, & ambulare non est unum. Quare nec si unum aliquid de his affirmet aliquis, erit affirmatio una, sed uox quidem una, affirmationes uerò multæ: nec si de uno ista, sed similiter plures.

Hoc autem unū de pluribus, uel plura de uno affirmare, & negare, nisi sit unum aliquid, uod ex pluribus declaratur, non est affirmatio una, neque negatio: unum autem dico nō si unum nomen positum sit non autem sit unum aliquid ex illis, ut homo est fortasse & animal, & bipes, & mansuetum. Sed ex his unum fit. Ex albo autem, & homine, & ambulante, non fit unum. Quare neque si unum aliquid affirmauerit aliquis de his, non una affirmatio, sed uox quidem una, affirmationes uerò plures: neque si de uno ista dicantur, sed similiter sunt plures.

QVid Arist. ex his declarare cōſtituat expoſitores laborant: aliquid enim exiſtimant, quod poſtquā declarauit, quid accidat enunciationi, quod eius ueritatem nō tollit, nunc illud proponat, quod enunciationi attributū, eius ueritatē imminuit, cum, accidit ſibi pluralitas, & multitudo. Sed cum hoc prima ſectione ſit explicatum, cur iterum repetat, non aperiunt. Sueſſa uerius, ut dicemus, & proprius uidetur ſcopum attingere: dicit enim quod cum Ariſto. uelit tractare de ordine, ſiue cōſecutionibus a diuiſis ad coniuncta & contra, reſumit breuiter, quæ longioribus primo libro dicta ſunt de enunciatione una, uel pluribus: & regulam explicans, quando una ſit affirmatio, uel negatio, ait, quod quando prædicatur unum de multis, aut multa de uno, niſi illa multa ſint aliquo modo unū, aut cōiunctione, aut ſubiecto, aut deſcriptione, aut definitione enunciatio una non erit. Sed uerè damus Sueſſæ declarationem hanc, quoniam pacto enunciatio una ponēda ſit plurimum conferre conſiderationi, quæ de coniunctis, & diuiſis habenda eſt, quamobrem ad illā poteſt referri, ut nos infra dicemus: declaratio tamen non placet: nam ad coniuncta, & diuiſa prædicata noſcenda, unum per ſe non per accidens confert, quomodo per accidens ſunt unum ſubiecto, & coniunctione una. Ammonius uult de enunciatione una differere, non ut dicta ſuperius repetantur, nec quia ſupra de ſimpliciſsimis, & communioribus id Ariſt. dixerit, nunc de tertio adiacentibus: ſed quia ſuperius ad interrogationem negatiuam iunctā eſſe monſtrauit affirmationem tranſpoſitam de prædicato infinito: idq; interrogatione præmiſſa dialectica una, declarabatur. Quare pernoſcendum eſt, quæ nam ſit interrogatio una dialectica, ut, id quod ſupra rudius; nunc articulare iterum declaretur: quare circunſpectiores reddemur, ne una reſponſione, ſed pluribus dicamus interrogationi nō uni, ſed uel æquiuocè, uel pluribus uocibus diuerſa ſignantibus. Sed quia interrogatio dialectica una, cognoſci non poteſt, niſi prius regulæ unius, & nō unius enunciationis noſcantur, hac de cauſa conſiderationem, prima ſectione habitam, unius, & plurium enunciationum, repetendam conſtituit. Sed hæc Ammonii contextio, & intentio, non ad per ſe, ſed per accidens intentum refertur: interrogatio enim una dialectica, quæ ſit, in topicis declaratur, primo topicorum tertio, ut infra Ariſto. affirmabit, Item (ut infra dicemus) ex interrogatione dialectica, unius partis problematis, contra quam arguamus, uel unius præmiſſæ, & partis contradictionis acceptæ, quod nunc de enunciatione dicimus, confirmabit: ad alterum ergo confirmandum refertur. Amplius, non ſolum hic interrogatio dialectica per accidens declaranda, ſed ad illud ibi explicandum refertur, quod ex accidenti, & per acidens uerum eſſe retulimus: quonam pacto, ſcilicet, ad negationem ſimplicē affirmatio declinata ſequatur. Dici poſſet, quoniam dixit, tranſpoſita nomina, & uerba eandem, & unam affirmationem, uel negationem ueram, uel falſam ſignare: quæret igitur aliquis, quando tranſpoſita prædicata, & ſubiecta idem aliquid indicent, ac unam enunciationem conſtituant, ut illic ſit una, una per ſe primo opponatur? Reſpondet, quando prædicatum eſt unum aliquid, ideſt per ſe, uel unam ſimplicem intentionem, ac formam ſignificans, tunc una ſit affirmatio, uel negatio: in qua ſi nomina tranſponantur, idem, ac unum ſignabunt. Si uerò plura ſignabunt, unica uoce, uel pluribus, nō idem ſignificabunt. Sed huic expoſitioni aliquis aduerſabitur: cum enim nomina enunciationis æquiuoce, ſiue plurimum tranſponuntur, idem ſignificāt: dū enim prædicata remanent prædicata, & ſubiecta manēt ſubiecta, eadem manebit oratio, uera, uel falſa, ut canis currit, & curit canis: ſimiliter homo eſt albus muſicus, & albus muſicus eſt homo. Manebit ergo eadem oratio, manantibus eiſdem ſubiectis, & prædicatis. Præterea, tranſpoſita nomina, & uerba, eadem manentia, nō unam enunciationem concludunt, ſed eandem (qualis qualis antea fuerit) permanere, ut Auerroes explicauit. Igitur ſi enūnciatio plures erunt plures manebunt, ſi eadem, & una, ſimiliter. Non igitur ut nomina ac uerba tranſpoſita idem ſignificent, ita iungi neceſſe eſt, ut unum aliquid gignant atq; conſtituant. Dicendum ergo eſt cum Sueſſa quæ nunc ab Ariſtot. proponuntur, ad inferius dicenda referri: non quaſi uelit de nouis ordinibus, & conſecutionibus pertractare, ſed ſimilem dubitationem dilueret, quæ ſuperius facta eſt, uidelicet ſi prædicata plura, de uno dicuntur, uel unum de pluribus, ita ſe omnia habent, ut unum prædicatum fiant, alia uerò, minimè, quæ ratio, & cauſa ſiue differentia eſt, quamobrem ex illis pluribus diuerſæ ſpecies enunciationis non fiant, ſicut ex prædicato diuerſo finito, & infinito? Reſponſio erit, quoniam illa prædicata, & ſi plura uoce dicantur, uerè tamen ſignificato ſunt unum: iccirco numerandas non eſſe enunciationes diuerſas ex illis pluribus prædicatis, cum unum per ſe prædicatum efficiantur. Et quoniam id maximè deprehenditur ſimpliciter, & ſemper uerum in affirmatione una, & per ſe, ut in fine huius quæſtionis mōſtrabit: ideo nūc, primum oſtendit, quando proprie fiat enunciatio una per ſe, ſcilicet quando unum prædicatum de pluribus, ut genus de ſpeciebus, uel ſpecies de indiuiduis, uel quando plura prædicata de uno, ideſt definito de definito dicūtur ex quibus unum aliquid, uel quid ſit, ideſt per ſe, quod ſecundum eſſentiam prædicatur. Nam ſupra de uerbo differens, ait, uerbum eſſe notam eorum, quæ dicuntur de alio, uel ſunt in alio, ideſt eorum, quę dicuntur ſecundum eſſentiam, uel nomen tantum. Ita in anteprædicamentis dicitur, quędam dici de alio, ideſt ſecundum rationem, & eſſentiam, ac per ſe quędam ſunt in alio, quæ infra Ariſt. explicabit, illaq; per ſe prædicari, iſta uerò per accidens, dici. Inquit ergo: (At uerò non eſt affirmatio, uel negatio, una, quando unum de pluribus, uel plura de uno non affirmare uel negare continget, niſi ſit unū quid,) ideſt eſſentialiter, uel ſecundum eſſentiam, quod ex pluribus ſignificatur: Itaque non explicandum unum, quid (ut Sueſſa) uel unum ſubiecto, & coniunctione & c. quia ex illis per ſe plures affirmationes, uel negationes efficiūtur: neq; plura accidētia quæ de uno dicuntur ſubiecto, unum aliquid conſtant, ut infra Ariſtot. explicabit, dicens. (ex albo autem, & homine, & ambulante, non eſt unum:) illa tamen coniunctione ſunt unum. De uno igitur hic intelligit, quod, ſecundum eſſentiam ex illis pluribus conſtituitur. {Vnū autem dico.} Explicat nomen, quid per unum uelit intelligi: inquit, dico autem unum, non ſi unum nomen poſitum ſit illis pluribus, ut cōtingit æquiuocis, & non ſit autem unum, ſcilicet per ſe conſtitutum, ut ex his unum fiat ſecundum eſſentiam. { Vt homo eſt fortaſſe, & animal, et bipes, & manſuetum. } Exemplum quaſi interiecta parētheſi ad utrunq; dictum negatum, & affirmatum producit, ut homo eſt animal, & bipes, & manſuetum, ut definitio intelligatur de proprio definito: illa enim plura prædicata complectitur, quibus unum aliquid, non nomine tātum conſiſtit, ſed unum quid, ideſt ſecūdū eſſentiam cōſtitutum. Dicit (fortaſsis) quoniam declararet, quonam modo ex pluribus definitionis partibus, i. genere, & differentia, unum quid ſecundum formam, & eſſentiam efficiatur, ad librum ſeptimum, & octauum meta. 15. & 16. pertinent. {Ex albo autem.} Exemplo oppoſito manifeſtat, quæ ſunt illa prædicata plura, ex quibus unū aliquid non efficitur. Quod Ammonius intelligit de his prædicatis, quæ actu multitudinem cōtinent, quod exemplis duobus productis commonſtrat, ideſt definitionis hominis, ſcilicet animalis, bipedis, manſueti, & hominis albi, & ambulantis;

lantis

lantis: quorum plures actu sunt uoces uel per se, in definitione essentiam explicantes, uel per accidens, ut homine ambulante, diuersa accidentia, & significata significantes: Putat enim Ammonius, Arist. in illis uerbis, bis unius meminisse, semper diuersi, primum cum dicit, (unum autem dico non si unum nomen positum sit) quod uult intelligi de uno re, & nomine. Secundo cũ ait. {Non sit aũt unum aliquid ex illis.} de diuersis actu uocibus, & significatis. Quod contra alios approbat. quia si Arist. declararet, unũ non tantum nomine, sed potissimum significato esse debere, idem, quod dixisset superius, reficaret. Sed expositio Ammonii dubia: aliorum uero (quos improbat) propius uidetur ad ueritatem accedere. Nam uerbum illud, {Dico autem unum, non si unum nomen positum sit} de eo nomine intelligitur uno, quo uel plura dicũtur: uel unũ de pluribus: hoc enim unum explicare constituit. Nomẽ ergo impositum pluribus intelligitur. Diuersa igitur significata cum uno nomine intelligũtur. Praeterea, hæc uerba ex dictis primo libro habentur exposita: una affirmatio dicitur, aliquis homo est albus, si album unum significat. Si uero duobus unum nomen impositum sit, ex quibus nõ est unum, ut nomen tunica homini, & equo, nõ fit una affirmatio, uel negatio. Nomẽ ergo ut æquiuocũ, diuersis significatis imponitur, & non fit constitutum ex eis unũ aliquid. Nam aduersatiua illa particula, sed, sit unũ ex illis, manifestè declarat, nomen pluribus significatis impositum. Exẽpla autem Arist. de partibus definitionis producta, non ad explicandũ idem nomen æquiuocũ quod posset imponi, referuntur, sed ad explicandum hanc affirmationem, unum quid efficit ex partibus pluribus definitionis, ex hac opposita negatione præmissa, qua affirmatio quodammodo palam fit, primo top. octauo. (unũ sit, nõ quasi unum nomen positum sit, &, uel, sed non sit unũ aliquid ex illis. Ita ex exẽplo (partibus definitionis) opposito, scilicet homine albo ambulante, non unũ per se, uel unam formam significans fieri, significatur, sed per accidens. Itaq; non erit inutilis eius, quod dixerat, repetitio, sed dicti superius ex negato opposito declaratio. Neque tamen negamus, si illa plura unam uocem actu nõ habeant, ut æquiuoca, sed plures, ex illis unum aliquid per se, uel secundum unam simplicem formam, fieri nullatenus posse: quod etiam Auer. & Arist. confitetur. {Quare nec si unum aliquid &c.} Corollariè colligit de his, quæ plura significant, ex quibus unum aliquid nõ efficitur: nõ esse affirmationem unam, sed plures: aut uocem quidem esse unam his diuersis significatis, quibus unum nomen impositum esset. Ex quibus uerbis clarè liquet cõtra Ammonii expositionem, & si illa plura significata per se plura nomina habeant, tamẽ ut unũ aliquid assumi nõ possunt, nisi æquiuocè, ut ex antiquorũ posito sequitur, & ratione inferius explicanda notabitur. Inquit ergo. (Quare nec si unũ aliquid affirmet aliquis de his, erit una affirmatio,) ut habens plura, & diuersa subiecta: (sed uox quidẽ una erit, affirmationes uerò plures.) ut habẽtes plura subiecta: (nec una affirmatio erit,) si ista plura, tanquã prædicata dicantur de unũ subiecto: (sed erunt similiter affirmationes plures, ex pluribus, & diuersis prædicatis cõstantes.) Circa dicta nũc quærit Suessa, illa propositio, homo est albus ambulans, & aliæ huiusmodi plures (de quibus aliquid unum, uel plura de aliquo uno subiecto dicuntur, ex quibus unũ aliquid nõ conficitur) quomodo plures uocentur? Responsionem adducit Auerrois in paraphrasi, plures esse, uelut æquiuocas. Contra arguit, quia istæ nõ faciunt paralogismum: Item, quia istæ nõ distinguendæ sunt, ut æquiuocæ: Item ex his pluribus saltem fit unum subiecto: non ita contingit æquiuocis. Ex eodem Comment. respondit, cum æquiuocis conuenire, quatenus ex parte subiecti, uel prædicati, plura significat, sicut æquiuoca: in cæteris uerò, quæ tribus rationibus, explicantur, ab inuicem distinguuntur. Sed primum peto a Suessa, si affirmationes, uel negationes hoc modo sũt plures, ut plura, ratione diuersa, significent (quibus communis est una uox, ut Aristo. asserit) æquiuoca igitur erunt, a definitione ad definitum. Præterea, illa plura subiecta, uel prædicata diuersa, ex quibus unum per se, uel secundum unam formam non constituitur, assumuntur, ut unum prædicatum, uel subiectum: sed cum unum forma, & re per se significata non sint, erunt igitur unum ex imposito unico nomine, ut prima sectione, cap. quarto prædixit: & hic iterum, ad diuersum tamen propositum, reiterauit. Amplius nihil differt, dixisse hominem esse album, & musicum, ut res diuersas, quibus non est unum, & hominem, & equum, quibus nomen tunica impositum sit: sed ex his fiunt enunciationes plures, ut habetur ex definitionẽ æquiuoci: ergo & hæc, quæ nunc Arist. explicauit. Item, si multas intentiones significant, idest formas, quæ propriè intelliguntur, tertio de anima nono, non materia, duodecimo metaphysi. decimoquarto, ergo proposito distinguenda maximè cum significata multa laterent, primo elenchorum sexto, secundo elenchorum tertio, sexto topicorum sexto, primo topicorum decimotertio, sexto topicorũ decimooctauo. Amplius, si plura significata sunt diuersorum generum, non subalternatim positorum, primo topicor. decimotertio, faciunt multiplex distinguendum: & similiter diuersæ species, quas uocant disparatas, si ut unum prædicatum sumuntur, non conueniens in aliquo uno per se, uel unica forma: ergo illis non attribuitur aliud commune, nisi uox una, multiplex distinguendum efficiens, si lateat: uel si sensibus est perspicuum, iam distinctione non eget: cum ipsius natura æquiuoca sensibus pateat. Nec alia eius ratio uerum assumit in antecedente, nõ fieri paralogismum ex illis pluribus significatis quoniam natura syllogismi est, ut unũ medium terminũ re eundem contineat, non nomine tantum: diuersa autem significata ita unum non sunt: ergo medius terminus fieri nullatenus possunt: quod est contra syllogismum, uel paralogismum facere. Nam syllogismus est enunciatio, una unitate medij termini, ad unã formam de uno subiecto significans. Tertia itidem ratio facile improbatur, & soluitur: non necessariò enim infertur, aliqua sũt eadem subiecto, ut diuersa genera prædicamentorum, ergo non æquiuoca: ergo non, ut multiplex, distinguentur quæ eadem subiecto ponuntur: & hæc met prædicata, album, & ambulans, eadem uoce, ratione differentia, ab Aristotele nuncupantur, & eadem subiecto. Item posset uera arbor, depingi, tunc autem pictura, & arbor unum subiecto, & existentia essent: arbor tamen æquiuocè de uera, & picta arbore diceretur. Nec ualet ista igitur distinguenda non sunt, quia distinctio per rationem per se, non per existentiam, rem per accidens, sumitur. Entia enim per se, ab entibus per accidens distinguuntur, primo physicorum septuagesimoquinto & septuagesimonono, quæ tamẽ sunt eadem subiecto, & inseparata existẽtia continentur. Dicendum igitur erit, diuersa significata, ex quibus unum aliquid, uel secundum formam unam simplicem, uel unum secundum essentiam fieri non potest, si ut unum sumuntur, quatenus in illo uno significato dissentiunt, in uno tantum nomine conuenire, sicq; uerè æquiuocum facere. Quæ autem pluribus uocibus explicãtur, quæ non unam enunciationem, sed plures efficiunt, non ideo negantur æquiuoca esse, quia nõ distinguendæ, si tanquam unæ ponantur, nec quia paralogismum. i. contra naturã, & opus syllogismi non efficiãt: nec quia quandoq; contingat, easdem non esse subiecto, & cõsistentia: sed quia unam uocem non habent. Vnũ tamen asserimus, Arist. hic diuersa significata sumpsisse, ut unius prędicati re diuersi, & nomine tãtũ cõuenienti unum habẽtiũ ex posito respondẽtis, nõ unum signare si unũ nomen

sit positum. Item quia dicit, quare nec si unum aliquid de his affirmet aliquis, erit affirmatio una, sed uox quidem una, ergo ut æquiuoca uere ab Arist. desumuntur.

TEX. BOETHII.

Si ergo dialectica interrogatio responsionis est petitio, uel propositionis, uel alterius partis contradictionis, propositione rò contradictionis est unius pars, non erit una responsio ad hæc: neq; enim interrogatio una, nec si sit uera. Dictum est autem de his in Topicis. Simul autem manifestum est, quoniam nec hoc ipsum, quid est, dialectica interrogatio est: oportet enim datum esse ex interrogatione eligere, utram uelit contradictionis partem enunciare, sed oportet interrogantem determinare: utrum hoc sit homo, an non hoc.

Quare si interrogatio dialectica, responsionis est petitio, uel propositionis, uel alterius partis contradictionis: propositio uerò est unius pars contradictionis, non utique est una responsio ad hæc: neq; enim interrogatio una, neq; si sit uera. Dictum est autem in topicis de his: Simul autem manifestum est, quoniam neq; hoc ipsum quid est interrogatio est dialectica. Oportet enim datum esse ex interrogatione eligere utram uelit contradictionis partem enunciare: sed opportet interrogantem constituere, utrum hoc sit homo, an non hoc.

Petunt hic, an litera hęc aliquid inferat, uel quod ante dixerat approbet. Mihi uidetur & posset ex dictis superius aliquid impossibile colligi, et ex collecto impossibili, & falso, quod dictũ est supra facile confirmari. Nam aliquid ex superioribus colligi, tum ex Arist. in litera, tamẽ ex Ammonio, & Auer. patet. Illud autem, quod Arist. infert, non est, ut Suessa dixit, ꝙ plurium enunciationũ non est una responsio: sed hoc ꝙ plures ponuntur, hoc consequens falsum consequitur, quod etiam ab ipsis respondẽtibus conceditur esse falsum, scilicet non esse unam responsionem topicam: quam respondens, tanquam unã, & certam, interroganti concedit. Ratio igitur literæ, secundum Auerroem, & Ammonium, hunc in modo ponenda, formandaq; erit. si plura de uno, uel unum de pluribus ęquiuocum est, tanquam prædicatum, uel subiectum, non est igitur opportunum, in his enunciationibus pluribus, ut sit interrogatio, & quæstio dialectica. Cuius consecutionis Arist. in litera probationem adducit ex his, quæ in topicis declarantur. Propterea ex hypothesi, siue in conditione prolata particula arguit, dicens. (Si interrogatio dialectica, est petitio responsionis, aut propositionis,) idest (ut Ammonius explicat) unius partis cõtradictionis, quã actu profert, uel alterius partis contradictionis, quã actu nõ protulit, sed potestate. Sumit secundo, sed propositio est pars contradictionis unius, quæ ex duabus hic dictis propositionibus, siue enunciationibus constat. {Vtiq; .} Dat cõsequens confessum, siue assertum etiam ab aliis respondentibus falsum. {Vtiq; non est una respõsio ad hęc} idest ad propositionem, unam interrogatam ut alterã partem contradictionis, quia enunciationes plures, ex his cõstant prædicatis, siue subiectis, quibus unum aliquid non consistit: Consecutio patet, ex positis: quia si dialectica interrogatio est responsionis petitio, unius, uel alterius partis contradictionis: contradictio autem est negatio eiusdem, de eodem &c. non æquiuocè: Si igitur enunciationes, tanquam genera, plures ponuntur, non sequetur responsio dialectica una. {Nec si sit uera.} Dicet forsitan aliquis, tunc sequi, dialecticam responsionem unam nõ esse, quando plures oratio est falsa, non autem quando ponitur uera: Improbat, nec etiam est una responsio, si sit illa oratio multiplex uera, idest uerè inesse illa plura significata ponantur, ut hominem esse album, musicum, ambulãtem: quasi arguens a maiori negatiuè. Si de quo magis uidetur inesse, & non inest: nec de quo minus: sed magis uidetur responsionem dialecticam (cum constat ex pluribus uere inexistentibus, ꝙ unam enunciationem, & responsionem efficiat, & non facit: ergo nec de quo minus. Minor patet primo top. 13. sexto top. 18. & 22. ex his pluribus, ex quibus nihil natum est fieri. Nam ait. Quædam enim sic se habent ad inuicem, ut nihil ex eis unum quid fiat, & & linea, & numerus. De uno ergo hic secundum essentiã (ut ante retulimus) intelligit, non uno coniunctione, uel subiecto: nam illa nullum unum prædicatum constituũt, ut accidẽs unum, uel ut genus, uel ut proprium, aut definitionem. {Dictum est autem in topicis de his.} Cur ista tã breuibus explicet, rationem adducit, quoniam inquit, dictum est longius de his in topicis, primo top. tertio quid sit propositio, ac ꝙ non fiat interrogatio, & responsio ex his, quæ constituunt multiplex, primo top. 13. sexto top. 18 & octauo top. primo, etiam patet. {Simul autem manifestum est.} Ex primo illato falso alterum infert, quod etiã ab ipsomet respondente falsum, & impossibile affirmatur Si enunciationes plures ponũtur, non solum consequitur non esse unam responsionem, sed nec ipsum prædicatum quid est, siue terminus, ut ex eo propositio constituta est, poterit esse interrogatio, siue problema, aut quæstio dialectica. Cõsecutionem Arist. approbat, quoniã primo top. tertio, oportet ex interrogatione petentis datum esse siue concessum ipsi respondenti, ut eligere possit, utram uelit contradictionis partem enunciare, & asserere: sed oportet interrogãtem determinare, idest determinatè, an homo sit hoc. s. animal, uel nõ, petere. Quasi dicat, & sit interrogãs optionem det respondenti asserere affirmatiuam, uel negatiuam, terminatum tamẽ prædicatum, & certum signãtem, ac continentem, & unum aliquid explicantẽ nõ plura indeterminata, ex quibus unum aliquid non cõsistit. Enunciationes autem plures nõ sic explicate prædicata terminata ponuntur, sed penitus multiplicia. Non igitur erunt interrogatio dialectica, tanq̃ propositio, unam, uel alteram contradictionis partem inquirens: uel tanq̃ quęstio siue problema, quo definitio, uel genus, uel accidẽs unũ, uel proprium quæritur. Hoc autẽ consequens contra communiter uisa, omnibus, pluribus, uel sapiẽtib⁹, & ipsismet respondentibus, falsum & impossibile affirmatur. Postulabit hic aliquis, si ex, quid est, problemate, alia quattuor primo top. tertio, numerata etiã intelligit, cur solum problematis definitionis, siue termini meminit? Dicas Arist. institutũ fuisse, ex propriis concessis, ac uisis, uia topica, approbare, enunciationẽ unam non esse, in qua unum de pluribus, uel plura de uno, unum aliquid non efficiant: id q; fecit rõnibus superius annotatis: & nunc proximè ad duo cõfessa impossibilia, ex propriis eorum concessis, deduxit: sed perspicuũ est ex his potissimum prædicatis, siue subiectis, enunciationem unam constitui, quæ unũ aliquid. i. secundũ essentiam, ut se Aris. explicat infra, & sexto topic. 18. Hoc aũt in primis definitio efficit, septimo meta. 42. octauo metaph. 15. & 16. genus autẽ, & accidẽs & si quæstionẽ, & enunciationẽ unã efficiant, nõ propter proprium uerò accidens, ut aliqua diuersorũ prædicamentorum complectens, non ita per se unum uidetur efficere. Qua de causa illud unũ delegit prædicatũ, unũ per se secundum essentiam, ex quo problema, siue quæstio efficitur dialectica, ex proprio, & certo prædicato cõsistẽs. Ex his cognitis patet, perperam hanc literã ab Ammonio explicatam fuisse, qui uoluit id, quasi corollarium hunc in modum adductum ex superioribus esse. Nam si dialectica interrogatio huiusmodi est, ut petitio sit propositionis, aut alterius partis cõtradictionis, & talis interrogatio sit,

ut detur,

ut detur, permittaturq; respondenti, utrā partem respondere cōtradictionis uelit: sed ipsius, quid est, interrogatio huiusmodi non habetur, sed tantum expostulat, propriæ, & certæ naturę rei explicationem: ergo ipsius, quid est, non est interrogatio dialectica. Explicatio ista manifeste aduersatur his, quæ primo top. tertio, ab Arist. asseruntur ubi ex diffinitione propositionē, & problema fieri exemplis productis affirmat.{ Differt enim (ait) propositio, & problema: si enim dicitur: putasne animal gressibile bipes definitio est hominis? propositio fit. Si autem, animal gressibile bipes, definitio est hominis, uel non? problema fit.} Similiter autem & in aliis, scilicet, genere, accidente, & proprio. Sed quia forte Ammonius his tam perspicuis & omnibus notis uerbis Arist. mouebatur, subinfulsit.(uerum si ipsius quid est, interrogationem dialecticam fieri, uel formare libeat, oportet nos interrogare ex eis finitionis prædicatis, quæ actu rei finitæ conueniunt, interrogando affirmatiuam, uel non conueniunt, negatiuam petendo.) Sed si Arist interrogationē problematis ipsius, quid est, accepit, ut in his prædicatis consistit, quæ actu illi cōueniunt (nam quid est, ex genere constat, & differentia, quæ actu insunt definitæ rei) cur est, quod ipsum quid est interrogationem esse dialecticam infirmauit? Non igitur (ut diximus) id improbatur simpliciter, sed dum ratiocinatur ad hominem contra quem arguit. Præterea, non probat ipsum quid est, non esse interrogationem dialecticam ratione quam Ammonius ex litera sumpsit: quia interrogatio, scilicet dialectica sit petitio propositionis, uel alterius partis contradictionis, & huiusmodi, ut permittatur respondenti, utram uelit partem contradictionis respondere, qualis non est, definitio: Sed si enunciationes sunt plures, sicut non erit una responsio dialectica, ita nec petitio erit problematis ipsius, quid est; similiter & aliorum: quia ista unum certum prędicatum significant, non illæ propositiones, quæ plures dicuntur. Ex his etiam colligitur quàm præter Arist. intentū Suessa hanc literam cōnectat, cum uelit, quod probet quæstionem demonstratiuam, quid est, non esse interrogationē dialecticam: quoniam hæc utranq; partem contradictionis interrogat: demonstratiua uerò, unam tantum partem. Sed contra, quia dicit. (Simul autem manifestum est) quasi ex eodem antiquorum posito, duo simul impossibilia cōsequantur. Præterea, quem scopū, siue finem assequi posset Arist. si istud probaret? & quid pręcedentibus, & subsequentibus uerbis prodesset, quæstionem demonstratiuam non esse quęstionem dialecticā? Amplius ipsum, quid est, quod explicat definitio, problema, siue quęstionem dialecticam etiā efficit: cur ergo ad quæstionem demonstratiuam arctauit Ad hæc, si de quæstione demonstratiua, siue necessaria aliquid inferri fas esset, idem concluderetur, quod supra de interrogatione dalectica, non unam esse sed plures: quod forsan ex illis uerbis potuisset deduci, cum ait. Nec si uera sit, & demonstratiua: sed ratio non esset a maiori negatiuè, & non ex ita manifestis procederet. Præterea illa uerba supra explicata, si ergo dialectica interrogatio responsionis est petitio, ab ipso exponuntur, ut sit petitio responsione, quę conuenit ipsi problemati cum modo contradictionis, sic, aut non: in qua utraq; pars contradictionis inquiritur. Sed inconueniens expositio: quoniam responsionis petitio, non solum problemati conuenit, sed etiam propositioni, ut uni parti contradictionis, uel alteri, nō simul tamen, ut infra dicemus; nam, Ammonius cōtrouersiam Alex. Aphrodisiei, & Iamblici refert: ille enim sequens hūc locum dixit, interrogationem dialecticam, esse unius partis contradictionis: idem etiam Arist. primo top. tertio dixit. Iamblicus uerò, ea sequens, quæ in procemio resolutoriorum dicuntur, idest primo priorum primo, & primo poster. cap. quinto, in antiquo; & commen. 13. in magno; inquit enim.{ Differt autem demonstratiua propositio a dialectica quoniam demōstratiua, sumptio alterius partis cōtradictionibus est: dialectica uerò interrogatio contradictionis } idest, ut primo posteriorum dialectica uerò, quæ similiter est accipiens utramlibet. Nam cōtradictio ex affirmatione, et negatiōe cōsistit. Soluit Ammonius, sumens ex Arist. primo top. tertio, interrogationem dialecticam unam cōtradictionis partem actu interrogare, reliquam autem non actu, sed potestate. Quæ solutio insanum, uerumq; sensum posset deduci, si dubium & contradictio moueretur de interrogatione dialecticæ propositionis, non problematis. Nam propositio terminatam propositionem requirit actu, licet utranq; similiter (diuisim tamen) possit assumere. Ita enim propositio, & problema primo top. tertio distinguuntur, quod propositio unam tantum petit actu contradictionis particulam, sed similiter affirmatiuam diuisim, uel negatiuam: problema uerò utranq; simul respondenti proponit, utrā uelit respondendo pronunciet. Sed si dubitatio de interrogatione dialectica, communi tam propositioni, quàm problemati, haberetur, responsio uerum non diceret: quoniam problema utranq; contradictionis partem actu respondenti proponit, putas ne animal gressibile bipes definitio est hominis, uel non? Propositio autem unam tantum expostulat actu, sine tamen differentia, siue similiter utramlibet, diuisim tamen, affirmatiuam, uel negatiuam. Distinctionem igitur petitionis dialecticæ in propositionem, & problema, nunc explicasse dicatur.

TEX. BOETHII.

Quoniam uerò hec quidem predicantur composita, ut unum omne predicatum fiat eorum que extra predicantur: alia uerò non, que est differentia? De homine enim uerum est dicere & extra animal, & extra bipes: & hec ut unum, & hominem, & album, & hec ut unum, sed non si citharedus est, & bonus, etiā citharedus bonus. Si enim quoniam utrunque uerum esse oportet, simul utrunque: multa inconuenientia erunt. De homine enim & hominem uerum est dicere & album: quare & omne. rursus si album ipsum, & omne. quare erit homo albus, albus. & hoc in infinitum. Et rursus musicus albus ambulans: & hec eadem frequenter implicita. Amplius: si Socrates est, & homo: & Socrates, Socrates homo, & si homo & bipes, erit homo bipes. Quoniam igitur si quis simpliciter dicat complexiones fieri, multa accidit dicere inconuenientia manifestum est.

Sed quoniam alia sic dicuntur composita, ut unum omne predicatum fiat, eorum que extra prædicantur, alia uerò non, que huius rei est differentia? De homine enim uerum est dicere, separatim & animal, & bipes: & hec ut unum; & hominem, & albū, & hec ut unum. Sed non si cerdo citharedus est, & bonus, etiam cerdo citharedus bonus. Si enim quia utrunque uerum est, esse oportet simul utrunque; multa, & inconuenientia sequentur. De homine enim & hominem uerum est dicere, & album, quare & omne: rursus si album ipsum, & omne, quare erit homo albus, et hoc infinitum: itemq; musicus albus ambulans: & hec frequenter implicita in infinitum. Preterea si Socrates, Socrates est, & homo: & Socrates. Socrates homo: & si homo, & bipes, erit homo bipes. Patet ergo quoniam si quis simpliciter dicat complexiones fieri, multa accidit dicere inconuenientia.

Rectè mea sententia Ammonius, Psellus, & Cōmen. exponunt, cur hic Arist. quæstionem hanc ordiatur, quando a pluribus prædicatis, quæ seorsum, siue diuisim de subiecto dicuntur, liceat illa inferre coniunctim, tanq̃ unũ prædicatum; uel è contrario, ab ipsis coniunctis liceat inferre diuisa. Causam hanc afferunt, quoniam propositionem unam uocauit, in qua unũ de pluribus, uel plura de uno dicuntur, ex quibus unum quid fieret, non nomine tñ tum res diuersas signante. quæret nunc aliquis, quando ex illis pluribus prædicatis unũ aliquid potest cōstitui? præterea, quando ita plura sunt prædicata, ex quibus unũ aliquid non consistit? nos autem addidimus supra, ut cum constet enunciationem unam ex illis pluribus, effici, non affirmemus necesse fore, enunciationem distingui, tāquã in species, diuersas: in unam habentem unũ prædicatum & aliam habētem plura. Propterea ergo si propositio est una, in qua unum de pluribus, uel plura de uno dicuntur. & ly, plura, declarata sunt, quando ex his pluribus oatũ est unum aliquid fieri: iure nunc quæritur, quando ualet inferri, ex pluribus unum aliquid effici? ut una sit enunciatio, non solum quando unum de uno, sed etiam quando plura de uno, uel contra dicantur. In summa solutio erit, tunc plura prædicata unam intentionem, siue prædicatũ constituunt simpliciter, & semper: quando in prædicationibus non est aliqua contrarietas; & secundum se prædicantur, non secundum accidens; & quorum alterum in altero, actu, uel potestate non continetur, nec alterum propriis rationibus destruit: Dubitationem igitur positurus qua differentia, & causa perquiritur, quãobrem diuisa prędicata & coniuncta unum efficiãt, alia uerò minimè, primum (ut Ammonius animaduertit) esse rerum, siue prædicatorum, & subiectorum supponit, quorũ causam assignare constituit; non ut naturaliter ignotam, ut demonstratione aliqua indigeat, sed dando eam: nem tantum, & regulam in mente seruandam, ne errando uagemur. Et quoniam secundo de anima. 19. quando res plures sunt, quarum causa inquirenda est, tunc ipsarum esse ante cognitũ est, quum distinguuntur, ac numerantur: distinctio enim & numerus, esse terminatũ, & proprium præsupponit, ac exhibet: Iccirco Aris. prædicata distinguit, dicens. { Quoniam uerò hæc quidem prædicantur composita, ut unum omne prædicatum fiat } ex numero horum prædicatorũ, quæ extra, siue seorsum, & diuisa prędicantur: { alia uerò non: } hoc est, alia uerò eorũ, quæ seorsum & diuisim prædicantur coniuncta: uel si prædicantur coniuncta, non tamen, ut unũ omne prædicatum fiat. Itaq; hæc duo, quæ numerantur Arist. ad quatuor dispositiones prædicatorum plurium, siue ad mēbra possunt reduci, quæ de uno subiecto dicuntur. Prima, cum prædicata separatim uera dicũtur, & coniunctim, ut unum omne, siue aggregatũ ex eis constituatur prædicatum: & sunt illa, de quibus superius diximus, quæ enunciationem unam componitur: & sub primo membro, assignato ab Aristo. continentur. Nam tria reliqua, quæ Auerroes numerauit, sub secundo clauduntur membro, alia uerò non. Secũdum enim membrum est, prædicata plura, cum separantur, uera: similiter cum aggregantur, sunt uera: sed aggregatum ex eis non est prædicatũ unum, nisi per accidens, ut homo albus ambulans. Tertium est, prædicata multa, cum separãtur, sũt uera, & cum coniunguntur, sunt etiã uera, sed superuacanea, siue superflua, & risum mouẽtia, ut Sortes est homo, & albus, & homo albus: nugando tamen infertur, Sortes est homo albus albus. Nouissimum, cum separantur prædicata sunt uera, ut Sortes est bonus, & citharœdus: at cōiuncta sunt falsa, ut sit bonus citharœdus. Quintum posset adiungi eorum, quę uerè prædicantur coniuncta, sed falsò diuisa, ut homo est mortuus, & Homerus est poeta: est tamen falsa, diuisa, homo est, & Homerus est. Sed Auer. de his prædicatis multis loquitur, quæ ut diuisa prædicantur, ut sit partitio in litera, eorum, quæ extra, siue seorsũ & diuisim prædicantur, hæc prædicantur composita, alia uerò non. Huius autem postremi a nobis additi in præcognitione, nec Cōmen. nec Aristo. meminit: quoniam eius esse non ita positiuum, & perspicuum est, in adiecto opposito, & contrarietate consistens: quare in præcognoscendo esse numerandum non fuit: uel quia ex diuisis etiam composita declarantur: quæ dantur etiã intelligi ex Arist. uerbis. { Alia uerò non } idest non sunt de numero eorum quæ falsò prædicantur extra, quæ uerè prædicantur coniuncta; uel quia non omnium specierum esse, noscendum ante est, quod est omnibus obuium: ut φ homo mortuus non sit, & Homerus. { Quæ huius rei est differentia? } Posito esse eorum, de quibus causam inquirit, ponit quęsitũ quæ est differentia, idest quæ ratio, & causa huius tam diuersæ dispositionis prædicatorum? { De homine enim. } Exemplis nunc inchoantibus monstrat esse eorum prædicatorum, quæ antea numerauimus, primi membri exempla proponens, inquit. De homine enim separatim tanquam uno subiecto, uerum est dicere multa prædicata extra & animal, & extra bipes, & hæc ut unum. idest coniunctum, & cōgregatum ex illis est uerum (non adhuc explicans, an unum per se, secundum essentiam, uel non per alterum, sed propter seipsum inhærens, prædicatione prima.) Quod ex alio producto exemplo mōstratur. { Et uerum est dicere hominem, & album, & hæc ut unum. } Circa hæc nouissime dicta primum peto, quomodo de homine uerum est dicere hominem, & album: nam idem non dicitur de ipso: qua igitur ratione, de homine hominem prædicabimus? Secundo, ista duo prædicata, hominem & album nunquam tãquam unum prædicatũ dicentur: plura enim diuersorum prædicamētorum unum prædicatum per se non constituunt, quinto metaph. septimo, sed per accidens: cur igitur dixit, & hæc ut unum? Ad primum dicatur in secundo exemplo hominem, tanquam unum subiectum desumi, quod ad album significans simplicē formam tanquam unum prædicatum, confertur. Itaq; albũ, unum est prædicatum, non aliqua diuersorum generũ continens: quod licet per se non inesse subiecto dicatur, idest primo modo dicendi per se, ut prædicatum, secundum essentiam ac rationem subiecto conueniat: bene tamen per se idest non per alterum, sed primo per seipsum, de quo infra dicemus. Itaq; neq; aliqua prædicatio eiusdem hominis de seipso sequetur, sed albi de homine, & hæc unũ sunt: non prædicatum unum, ad hominem, tanquã unũ subiectum, collata: sed unum sunt, quia album, ut unũ prædicatum, de homine, ut subiecto unico predicatur. { Sed non si cerdo citharœdus est, & bonus etiam citharœdus bonus. } Exemplum proponit quartæ dispositionis, siue membri eorum prædicatorum, quæ uera sunt, cum diuisim ab inuicem proferuntur, & falsa sunt, cum congregantur, siue tãquam unum prædicatum dicuntur, inquit. Sed non si diuisim uerè dicatur, coriarius, siue cerdo, uel sutor, & bonus, etiam coniunctim uerè, tanquam unum prædicatum, dicatur, & coriarius bonus. { Si enim quoniam utrunq; uerum, esse oporteat simul utrunque. } Quoniam exemplo monstrauit, ex prædicatis diuisis, & ueris, inferri non posse, illa uera etiam esse coniuncta: tanto minus ut unum sint prædicatum: exemplo autem negatiuo rem particulatim esse falsam ostenditur, cum a parte ad partē procedat, secundo prior. 24. primo rheto. cap. 4. Iccirco nunc ratione ducente ad impossibile, uniuersaliter cōmonstrat, a prædicatis diuisis coniuncta inferri, arti non conuenire: quoniam nondum falsa sequuntur, ut exemplo producto monstrauimus, sed nugantia, & superuacanea: Arguit igitur si enim propterea φ utrũq; prædicatum uerum est, diuisim, et seorsum, esse oportet simul utrumq;, idest utrũq; simul & coniunctim uerum dat consequens, multa, & inconuenientia erunt. { De homine enim & hominē uerum

est

est dicere, & album.} Ex antiquorum concessis consecutionem ostendit exemplis, idest in materijs, sensibus manifestis, ut Commen. exponit: quoniam de homine tanquam uno subiecto, & hominē uerum dicere, & album diuisim. Rursus si album ipsum separatum ab homine, de Sorte dicatur, & omne, uel uniuersum coniunctum, uerum sit etiā affirmare: ut non solum detur à respondente, uerum esse, Sortem esse hominem, & albū, diuisim, & coniunctim: sed etiam, Sortem esse hominem, album, quasi unum prædicatum diuisum, & etiam album, & ita oē coniunctum, dat consequens nugationem complectens: quare erit homo albus, albus, in infinitum. {Itemq; musicus albus ambulans.} Eandem consecutionem commonstrat in his etiam prædicatis, quę uera sunt, dum diuisa, & coniuncta dicuntur, sed negationem, ac risum mouentia, dum coniuncta ponuntur. Inquit, rursus secundo exemplo monstratur incommodum sequi, si musicus albus ambulans uerè diuisim, & coniuncta dicātur, de Socrate. & hæc multa prædicata eadē frequenter implicita, & contexta, modo omnia diuisa, modo aliqua ipsorū, modo omnia desumantur, & iterum unum solum, ut Sortes est musicus, & albus ambulans: ergo est musicus albus ambulans: & si hoc totum, ergo est ambulans: ergo Sortes musicus albus, ambulans. Et ita in infinitū hæc prædicata implicita proferantur. {præterea.} Tertio exemplo nugationem committi ridiculam, & inconueniens arti sequi commonstrat, si socrates est Socrates, & homo diuisim, ergo coniūctim Socrates Socrates homo: Item si Socrates est homo diuisim, & bipes, ergo erit homo bipes. Et ita intellige implicari, & coniungi posse prædicata in infinitum, In his autem productis exemplis non solum (ut Auer. ait) sequitur ridiculositas, siue risus, & superfluum, sed inconueniens, & repugnans arti. Continere enim risum dicuntur, cum, nugantium modo, idem sæpissimè repetant, & per idem declarent: Item superuacuum siue superfluum, cum enunciationem cum paucioribus posset constitui, tā multis efficiant: & tertio sermonem ociosum, non attingentem finem: nouissimè inconueniens, & arti, ac scientiæ aduersantia continent, ut prædicata in infinitum, procedant, quæ concipi mente non possunt, primo poster. in antiquo com. 35. secundo metaph. cap. de causis: quod autem illa prædicata possint diuisa, & coniuncta, modis infinitis disponi, primum ex antiquorum datis perspicuum est: secundo quæ per accidens sunt, indefinita ponuntur, sexto metaph. quarto. Petes, in exemplis si propositio ponitur uera, in qua de homine hominem prædicamus, ergo uera erit communis illa sententia: nulla uerior propositiō illa in quā idem de seipso prędicatur. Dices cum Auer. & Ammonio, quod per hominē Sortē, uel alterū particulare designat: non ergo homo de homine, sed homo de Sorte, uel alio indiuiduo prædicatur. Vera quidem solutio est, sed statim illi tertium exemplum productum de Socrate aduersatur: nam ait. Amplius, si Socrates, Socrates est, & homo: ergo sequetur, & Socrates Socrates homo. Vbi manifestè Socratē indiuiduum, de Socrate indiuiduo prædicatum constituit. Si igitur indiuiduum (quod nullatenus prædicatum est, sed tantum subiectum) prædicari asserit de seipso; cur speciem, idest hominem, ut naturale prædicatum, de homine prædicari negabitur? Propterea mihi ita respondendum uidetur, enunciationem, in qua idem de seipso prædicatur, non enunciationem simpliciter appellari in qua (artis modo) uerum, & falsum significatur, sed in qua uerum exprimitur cum nugatione, uel risu. Et tecircò Arist. istam, tanquam ueram, non posuit: sed tanquam nugantem ueram ex antiquorum concessis. Syllogismus enim ducens ad impossibile (ut sæpe prædiximus) ex aduersariorum datis procedit. Quod etiam ex uerbis subsequentibus confirmatur: nam ex antiquorum datis assumitur Sortē esse Sortem, & hominem album esse & album, & hominem, & ita hominem esse hominem album album &c. {Patet ergo quoniam.} Colligit, dicta inconuenientia sequi manifestum esse exemplis productis: si quis ponat temerè simpliciter, omnino, idest uniuersaliter complexiones fieri ex pluribus prædicatis diuisis, unum coniunctum constitui.

TEX. BOETHII.

Quemadmodum autem ponendum est, nunc dicimus. Eorum igitur, quæ prædicantur, & de quibus prædicari accidit, quæcunque secundum accidens dicuntur uel eodem, uel alterum de altero: hæc non erunt unum: ut homo albus est, & musicus: sed non est unum album, & musicum: accidentia enim sunt utraque eidem. Nec si album, musicum uerum est dicere, tamen non erit album musicum unum aliquid: secundum accidens enim album musicum, quare non erit album musicum unum aliquid. quocirca nec citharœdus bonus simpliciter, sed animal bipes: non enim secundum accidens, Amplius: Nec quæcunque insunt in altero: quare neque album frequenter, neque homo, homo animal est uel bipes, insunt enim in homine animal, & bipes. Verum est autem dicere de aliquo & simpliciter: ut aliquem hominem, hominem, aut aliquem album hominem, hominem album, non autem semper. Sed quando in adiecto quidem aliquid oppositorum inest; quod consequitur contradictio, non uerum sed falsum est: ut hominem mortuum, hominem dicere. Quando autem non inest, uerum. An etiam quando inest, semper non uerum est, quando uerò non inest, non semper uerum est? ut Homerus est aliquid: ut poeta: ne ergo est, an non? Secundum accidens enim prædicatur est, de Homero (quoniam enim est poeta) sed non secundum se prædicatur de Homero, ipsum est. Quare in quibuscunque prædicationibus neque contrarietas inest, si definitiones pro nominibus dicantur, & secundum se prædicantur, & non secundum accidens, & in his aliquid, & simpliciter uerum erit dicere. Quod autem non est, quoniam opinabile est, non est uerum dicere esse aliquid. Opinio enim eius est, non quoniam est, sed quoniam non est.

Quemadmodum autem ponendum est, dicimus nunc. eorum igitur, quæ prædicantur, & de quibus prædicari accidit, quæcunque secundum accidens dicuntur uel de eodem, uel alterum de altero, hæc non faciunt unum, ut homo albus est, & musicus. neque unum est album, & musicum: accidentia enim sunt utraque eidem. Neque si album, musicum uerum est dicere. Tamen non erit album musicum unum aliquid; secundum accidens enim album musicum; quare non erit album musicum unum aliquid. Quamobrem nec sutor bonus simpliciter, sed animal bipes, non enim hæc secundum accidens. Amplius nec quæcunque insunt in altero: quare neque album frequenter neque homo, homo animal est uel bipes: insunt enim in homine animal bipes. Verum est autem dicere de aliquo, & simpliciter, ut aliquem hominem, hominem: aut aliquem album hominem, hominem: album: non autem semper. Sed quando in adiuncto quidem aliquid oppositorum inest, quod contradictio sequitur non uerum, sed falsum est, ut hominem mortuum, hominem dicere. Quando autem non inest, uerum. An etiam quando inest, semper non uerum est: quando uerò non inest, non semper uerum

est? ut Homerus est aliquid, ut poeta: utrum ergo est, an non? Secundum accidens enim prædicatur, est, de Homero (quoniam est poeta) sed non secundum se prædicatur de Homero ipsum est. Quare in quibus prædicationibus non inest contrarietas si definitiones pro nominibus dicantur, & secundum se prædicantur, & non secundum accidens, & in his aliquid simpliciter uerum erit dicere. Quòd autem non est, quoniam opinabile est, non uerè dicitur esse aliquid. Opinio enim est, non quoniam est, sed quoniam non est.

Adductis rationibus in utranque partem, quibus probauit, uniuersatim non posse concludi ex prædicatis diuersis, atque diuisis idem prædicatum coniunctum: nunc soluit ex alibi dictis, & declaratis, quæ tanquam principia artis ponuntur. Propterea (inquit), quemadmodum ponendum est, nunc dicimus. {Eorum igitur &c.} Dat nunc regulam negatiuam prædicatorum, & subiectorum, dicens, Quæcunque prædicata, & subiecta secundum accidens proferuntur (quam propositionem uniuersalē per partes eius, quod secundum accidens dicitur, explicat, ex quinto meta. septimo de uno, & ente) aut quando ambo accidentia prędicata accidunt uni tertio subiecto, uel quādo unum accidens de altero prædicatur: hæc prædicata utroque modo distincta, & diuisim accepta, ac plura, non erunt unum, nec unam enunciationem efficient: sed (ut infra dicetur) per se esse dicunt, in primo modo dicendi per se {Vt homo albus est; & musicus.} Exemplo primæ partis commostrat, quando sunt plura per accidens: quia insunt uni subiecto inexistentia tantum eadem, quæ accidens appellani secundo post, 33. ut homo albus, & musicus diuisim dicitur: sed non est illa tanquam unum prædicatum per se, siue simplex, idest album, & musicum nō est unum: quod probat: nam quæ alicui accidunt, ut eidem subiecto habenti plures, & diuersas formas, ac rationes, unum aliquid non constituunt. Eadem enim tantum subiecto, diuersa sunt ratione: & quæ accidunt, ut extranea à ratione subiecti, unum aliquid non efficiunt: Minor in textu: album autem, & musicum eidem accidunt subiecto: unū igitur prædicatū per se non constituunt. {Nec si album musicum uerum est dicere,} Idem ostendit de secundo modo accidentium, quorum alterum de altero prædicatur: inquit, nec si uerum est dicere, album esse musicum, illa duo uera existentia, unum aliquid per se, siue simplex, non erunt, quia sunt unum per accidens, idest per consistentiam, siue existentiam eius in quo sunt, non unam formam, siue intentionem constituentia. {Quare.} Infertur conclusio necessario: non est igitur album musicum unum, aliquid secundum essentiam per se, uel unum simplex. {Quamobrem.} Ex hac cognita uera regula dubitationes propositæ diluuntur: iccirco enim nō sequitur aliquis est sutor & bonus, ergo est sutor bonus simpliciter & per se, ac absolutè: licet secundum quid bonus possit esse secundum mores, non artis peritiam: quia, scilicet hæc secundum accidens unica existentia coniunguntur, cum in ratione subiecti non continentur, nec unam simplicem intentionem ac formam significant. {Sed animal bipes.} Quod negauit à prædicatis per accidens, per oppositam regulam infert de prædicatis per se, quæ secundum essentiam prædicantur, quasi dicat. Sed hæc prædicata, animal bipes, & diuisa, et coniuncta, tanquā unū aliquid sunt, simpliciter, & per se, in omnibus uera. Cuius uerā causam assignat, quia non secundum accidens prædicantur: quia insunt in ratione hominis, tanquam genus, & differentia: quæ unum simpliciter, & omnino constituūt, secundum rationem, & semper: non secundum unicam tantum formam, accidente subiecto, ut homo est albus: album enim licet non per alterum insit accidens, siue subiectum, non tamen simpliciter, singulis partibus, et semper inest. {Amplius nec quæcunq;.} Vt Auerroi & Ammonio, ac cæteris omnibus placet, secundam dat conditionem, quando ex pluribus distinctis prædicatis, & subiectis, non liceat inferre unum aliquid per se coniunctum quod uere sit unum secundum essentiam, uel secundum simplicem formam: & est, quando prædicata ita inuicem disponuntur, ut unum actu, siue potestate concludatur in alio, uel contineat aliud. Non enim tunc arguimus, siue differimus à diuisis, ac diuersis prędicatis ad coniuncta: sed a coniunctis potius ad coniuncta. Diuisa enim debent esse per se, diuisa, non se concludentia actu, uel potestate. Ex hac conditione aliæ rationes soluuntur, quibus aliqua multoties, & in infinitū repeti uidebantur. Ait ergo (Amplius nec quæcunq; insunt in altero prædicato, actu, uel potestate, illa licet proferri diuisa, tanquam uera, et per se, ut unum aliquid iuncta.) Et rationum solutionem adducens, dicit, (quare nec album frequenter,) scilicet est homo, et albus: ergo est homo albus: Item, est homo albus: ergo est homo albus, albus: nam in illa, homo albus album inerat. Similiter non sequitur, aliquis homo, Sortes, scilicet est homo, et est animal, et bipes: ergo Sortes est homo animal bipes: quoniam in homine animal bipes, actu, ac secundum essentiam continetur: nec bipes tanquam differentia, animal tanquam genus actu continet secundum rationem: nec animal, ut genus, bipedem tanquam differentiam, continet, nisi potestate, non includente actum: (quomodo hic continere potestate intelligitur) cum actu contenta prædicata secerni non intelliguntur, ut in homine animal rationale mortale. {Verum est autem dicere.} Ammonius, et Auerroes uolunt, Arist. tradere conuersum eius, quod superius dixit, (homo est,) postquam docuit, quando ex pluribus, et diuersis prædicatis liceat idem et unum aliquid prædicatum inferre, semper, ac sine nugatione, siue nugis, et aliquo superuacaneo: nunc declarat, quando uerum sit dicere, ex prædicatis coniunctis unum aliquid simpliciter, idest diuisim, et hoc sēper et necessario. Has enim regulas ars ipsa considerat, quę uel semper ueræ, uel plurima ex parte ueræ ponuntur. Hanc autem propositionem reciprocè ueram hac de causa commonstrat, ut uniuersatim uera ex eadem per se causa monstretur. Si enim prædicata per se subiecto conueniant, uel per se inuicem prædicentur, enunciationem unam, ueram, et semper, ac per se ueram constituent. Veri autem uniuersaliter et semper, instrumentum est ipsa conuersio uniuersalis in quibuscunque productis exemplis, compositis, diuisis: quæ per se oppositionem non dicunt, et per se insunt. Et quoniam de prædicatis diuisis differens, retulit, non iccirco, quod diuisim uere inesse ponuntur, ergo per se, ac semper inesse, ponenda esse coniunctim: similiter hic ostendit, uerum esse, prædicata coniunctim de aliquo dicere, et simpliciter, id est, diuisim licet non per se, ac necessario, siue semper: ut exempli causa, aliquem hominem, idest Sortem, aut aliquem album Platonem, coniunctim dicimus uere, et diuisim, et hominem esse, et album. Sed cum homo, et album simul desumpta, per se unum non sint, non necessario et semper ueram unam enunciationem efficient. Propterea infert, non autem semper ueram, scilicet inferunt coniunctam enunciationem ex pluribus prædicatis, tanquam unum aliquod consistentibus. {Sed quando in adiuncto, siue adiecto.} Illaturus Aristoteles, quādo ex coniunctis pluribus prædicatis liceat necessario, et semper enunciare illa diuisa, tanquam unum, ac unam orationem edentia, primum posuit, quandoque ueram enunciationem ex coniunctis prædicatis constitui, sed non semper ueram diuisam: nunc ponit negatiuam, quando non uera, sed falsa semper di-

uisa

uisa reddantur: & tunc est, quando in prędicato, quod adiectum, siue adiunctum est, aliquod oppositorum, id est quod subiecto opponatur, inest, & illud adiunctum oppositum contradictio consequatur, ut communis oppositio, tunc, non uerum, sed falsum semper intelligendum est: quod exemplo commonstrat, ut hominem mortuum, scilicet cum adiecta particula, rationem ueram hominis destruente, absolutè, uerè hominem dicere. Notat hic Ammonius, & Auerroes, oppositorum nomine, nedum adiectum oppositum contradictoriè, sed contrariè, uel priuatiuè, uel relatiuè intelligi posse. Ammonius uero rationem assignat, cur tantum contradictionis meminerit: quoniam, inquit, cõtradictoriarum communis est oppositio. Posset positio confirmari, nomine oppositorum, singula oppositorum genera Aristotelem tetigisse: nam inquit, sed quando in adiuncto quidem aliquod oppositorum inest, quod consequitur contradictio: contradictio autem contradictionem non sequitur, sed est ipsamet contradictoria oppositio, quę ut communior, alia opposita comitatur. Non dum igitur contradictionem apposuit, quæ contradictio, ut communis oppositio, comitatur: quod uerbis Arist. in litera explicatur. Sed cur exemplum aliorum oppositorum non protulit, nisi quia nec uera, neque perspicua sunt? Quoniam ualet album est nigrum, ergo album est. Similiter cæcum est uidens, & pater est filius, ergo est: quia supponunt subiectũ esse, non destruunt: Ideo intelligenda ea opposita sunt quæ rationem subiecti destruant, ac contradictoriè destruant: propterea oppositorum meminit, quæ sequitur contradictio: illa etiam si nõ ponantur, uerum diuisum semper non erit: ut si homo albus niger non est, uel homo cæcus, uidens non est, & pater non est filius, non sequitur, ergo homo est, uel non est. Illis enim oppositis non uerè contradictoriè, primo priorum, ultimo, aliquid subest: non autem oppositis, quæ uerè contradictio sequitur, quæ ab esse, desumitur: substantiam subiecti, uel priuationem eiusdem significãs, siue negationem omnino. Nisi diceres, exempla aliorum oppositorum non esse referenda ad subiecta, sed ipsamet opposita: & tunc composita propositio negatiua uera erit, ut album non est nigrum: cæcum non est uidens: pater non est filius: sed diuisim est falsa, ergo album non est, uel cæcum non est, uel pater non est. Et ratio falsitatis eadem erit, qua prædicatum rationem oppositam continet. Sed his exemplis etiam diceretur, exempla non esse enunciationum compositarum, quibus prædicata subiectis coniungi significentur, sed potius disiungi. Et ideo ad rationem in oppositum posset responderi: quando in adiuncto prædicato inest aliquid de numero oppositorum, non omnium, sed quod contradictio sequitur, propriè dicta, inter ens, & non ens, omnino, &c. tunc non uerum, sed falsum sequetur, ut patet in exemplis ab Arist. commonstratis {Quando autem non est, uerum.} Quæres si adiunctum prædicatum, oppositam rationem naturæ subiecti significans, falsam enunciationem diuisam constituit: an quando nõ inest prædicatum contradicens subiecto, uera reddatur? Respondet, sicut ex adiecto prædicato, contradictoriam, siue oppositam rationem dicente, enunciatio diuisa fit falsa: ita ex negatione oppositi contradictorii fit uera. Ideo inquit (Quando autem non inest, uerum An etiam quando inest, semper non uerum est: quando uerò non inest non semper est?) Quoniam, ut prædiximus, conditio semper, & per se, ac de omnibus uera perquiritur, qua cognita, à diuisis unum coniunctum, & ex coniunctis diuisa prædicata inferuntur, ut unum aliquod hæc autem explicata conditio, ut prædicatum adiectum, contradictoriam subiecto rationem non indicet, non semper, ac in omnibus uera ponetur, sed aliquando tantum, & in quibusdam: uera enim semper, & in omnibus est illa negatiua cõtradicens conditio, qua posita, uerum non ponitur: & ea remota, uerum etiam semper ponitur. Sed dicta conditio ita non est: quoniam, licet adiuncto contradictorio prædicato ipsi subiecto, idest mortuo (sensu, & ratione) carenti, homini sensus, & rationis participi, non uerum, sed falsum semper fit: eo tamen prædicato contradictorio non adiuncto, ut Homerus est poeta, ut patet etiam in exemplis oppositorum assignatis supra, non semper uerum diuisum exprimitur: Propterea addenda erit secunda conditio, semper, & in omnibus uera, scilicet ut sint prædicata coniuncta per se. Problema ergo siue quęstionem supponens, an quando inest prædicatum contradictorium, non semper, & in omnibus uerum, sed falsum fit? Quando uerò non inest fit semper uerum? solutionem adduci, significatam per illam particulam (an) qua in suis problematibus solutionem adducere consueuit. Responsio autem est, si prædicatum adiunctum, oppositam, et cõtradicentem rationem complectitur, exprimitq;, nunquã uerum, sed semper falsum erit: ut de homine mortuo, exemplo monstrauit: quo exemplo confirmatur, quod superius diximus, adiectum prædicatum esse contradictorium uere non alia opposita. Si uerò adiunctum, contradicens, & oppositum prædicatum non erit, non necessariò, & semper, siue in omnibus uerum erit. Soluens ergo simul, & petitionem significans, ait (An etiam, quando inest, semper non uerum est: quando uerò non inest, non semper uerum?) Huius autem secundæ partis exemplum commonstrans, inquit (ut Homerus est aliquid, ut poeta) Ex hoc exemplo nunc petit, an semper sit, uel non sit? ut semper liceat inferre, Homerus est poeta, ergo Homerus est, uel non est. {Secundum accidens enim prædicatur &c.} Nunc rationem adducit, quam ob rem non uniuersaliter uerum fit, si prædicatum contradicens subiecto non coniungatur, non semper diuisim uerum esse: quoniam illa, quæ per accidens prædicantur, & non per se, siue per naturam propriam uniuersaliter uera non sunt sexto meth. quarto, & octauo, sed in paucioribus tantum quæ autem per se, de omnibus. Minor in litera: Sed, est, uerbum, secundum accidens prædicatur de Homero: non semper igitur, & de omni. Quod ex opposito per se manifestat: quoniam Homerus est poeta, hoc est, nomen poetæ uerè inesse significatur Homero: sed non per se, secundum substantiam & naturam propriam Homeri: qua extra animam consistere dicitur: & per naturam subiecti, qua ipsum subiectum est {Quare in quibus.} Colligit duas conditiones: negatiuam non sufficientem per se, inferre coniunctum, & diuisum, uerum: & aliam affirmatiuam, per se, & semper uerum dicentem. Quare in quibuscunque prædicatis, neque contrarietas inest. {Si definitiones pro nominibus dicantur,} Postulabis, unde dignoscam adiuncta prædicata opposita esse: quæ consequatur ratio contradicens subiecto? Respondetur, si rationes idest definitiones, uel descriptiones pro definitis dicantur, quę nomina appellantur, primo phys. quinto, sexto, top. 14. 15. 19. secundo, top. quinto {Et secundum se.} Secundam ponit conditionem, necessario requisitam, ut semper, & de omni, coniunctum & diuisum, uerum reddatur ut prædicata secundum se prædicentur, & non secundum accidens. Com. tribus uerbis, tenebris circunfusis, per se, secundum se, & non per accidens explicat: per se, idest propter seipsum, prædicatione prima, & non secundum accidens, idest non per aliud. Ammonius etiam, à quo Auerroes, & alii accepisse uidentur, exponit secundum se, idest non quod prædicari secundum essentiam requiratur, sed per naturam: in his prædicationibus, duas conditiones habentibus, aliquid coniunctum, & simpliciter, idest diuisim erit uerum dicere semper, & de omni. Quod dedit intelligi per illa uerba, quæ retulit. {Quare in quibuscunque prędicationibus &c.} de quo infra dicemus, Quod autem non est, quoniam opinabile est, non uere di-

citur{Per epilogum collecta, per ſe, & ſemper uera conditione, qua ſemper uerum eſt: prędicata, ut unum aliquod coniunctum, & diuiſum dicantur, & è contrariò: nunc obiectionem contra dicta ſuperius addit, ut præcedens conditio hoc indicio confirmetur. Non ſolum.n. (illa poſita) quæ præceſſerunt, inſtantiæ diluuntur: ſed quæ poſt aſſignatam conditionem emergunt. Dubitatio autem eſt: de eo enim quod non eſt, uerè, coniunctim aſſerimus, quoniam eſt opinabile: non eſt autem uerum dicere eſſe, uel quoniam eſt aliquid ſubſiſtens, ſcilicet extra animam ue opinio ſumpta eſt eius, quod non eſt. {Opinio enim eius eſt, non quoniam eſt, ſed quoniam non eſt.} Reſpondet, cauſam inducens, quam ob rem uerum non ſit, ſi aliquid non ens, opinabile eſt, ſimpliciter, & diuiſim, ergo non ens eſt. Ratio autem, & cauſa, ex eadem uera ſemper, & neceſſario conditione deſumitur: quoniam prædicatū, eſt, quod conſiſtentiam extra animam indicat, & opinabile, non ſunt prædicata per ſe, ac unum aliquid explicantia. Nam opinio, uel opinabile, uera de non ente, non eſt per ſe, quatenus per naturam ſuam extra conſiſtit, ſed quoniam non eſt: non quòd ex his Ariſt: uelit concludere, opinionem tantum eſſe eorum: quæ non ſunt: cum primo top. primo poſſit etiam eſſe eorum, quæ ſunt, & neceſſario ſunt primo poſt. 199. comm. magno Auerroist apud Themiſtium cap. 48. & 49. Sed ut monſtraret, in his quæ non ſunt (de quibus eſſe tantum opinabile, & quinto de republica. dicitur) quoniam prædicata coniuncta per ſe, non ſumuntur, in quātum ſunt, ſed quoniam non ſunt, .i. per accidens coniungi dicetur eſſe opinabile cum his; quæ ſunt. Nam (ut retulimus) tam his, quæ ſunt, quam his, quæ non ſunt, poteſt competere: nullis tamen per ſe; ſimili ratione Com. oſtendit, non eſſe, quod ipſe, non inuentum, appellat, de his, quæ ſunt, Sorte, uel Platone, non uerè dici per ſe poſſe, quia non per ſe de eo exiſtente, ue exiſtens eſt, prędicatur, ſed ut confertur ad alterum aduerſum, ſiue diſparatum, quod ipſum non eſt per ſe, ut Sortes non eſt paries, ergo non eſt (ſicut de tribus oppoſitis ſuperius diximus) propoſitione rationis non ualet: quoniam non eſſe per ſe Sorti non conuenit, ut eſſe ſimpliciter extra animam deſtruit. Quærunt primum, cur Ariſto. dixerit, per ſe, & non ſecundum accidens? Sueſſa interpretatur quia æquè principaliter prædicata de ſubiecto dicantur. Sed contra, quia per ſe de homine genus, & differentia prædicantur, non æquè principaliter: ſed prius genus, tā quam communius, poſtea differentia: uel ſi primum prædicatum ſumatur, ideſt proprium, & reciprocum, ſiue conuertibile, de quo primo poſter. conſiderat, prius differentia, quàm genus dicetur. Dicendum igitur, declarationem eſſe per ſuum oppoſitum, quod cum negatione prolatum, alterum quodammodo palam facit, ut ſecundo, phyſi. tertio, natura eſt principium motus, & quietis, per ſe, & nō ſecundum accidens primo poſt. octauo ſcire ſimpliciter, & non ſophiſtico modo. Petunt ſecundò, quomodo intelligenda ſit illa ſecunda conditio, ut prædicata coniuncta, ſiue diuiſa, unum aliquid ſint per ſe, uel ſecundum ſe. Auerroes in paraphaſi intelligit, prædicari per ſe, ideſt prædicatione prima, propter ſe, ideſt abſolute, & propter ſe ipſum: non accidens, ideſt propter aliud ab ipſo ſubiecto. Quod Ammonius explicauit, per ſe non per eſſentiam, ſed per naturam intelligi uolo: eo maximè Ammonius permotus uidetur, quod Ariſto. ſuperius dixit, quòd de homine uerum eſt dicere, & extra animal, & extra bipes, & hæc ut unum, ſcilicet per ſe: hominem & album, & hæc ut unum. Album igitur, ut unum, per ſe, de homine dicitur: non per ſe, autem primo, uel ſecundo modo, ut ſecundum eſſentiam de homine prædicetur, ſed per ſe, ideſt propter naturam ſubiecti: & primò, non per alterum ab ipſo ſubiecto diſtinctum. Sed contra, quoniam quinto metaph. apud Alex. t. t. & Commentatorem, ſeptimo, unum per accidens, nondum illud uocatur, quando duo accidentia eidem ſubſtantiæ accidunt, ut album, & muſicum Coriſco: ſed etiam quando unum accidēs uni ſubiecto tribuitur, ut homo eſt albus. Præterea, ſicut unum accidens commune, per naturam ſubiecti, ſubſtantiæ tanquam primo ſubiecto, media quātitatis ſuperficie ineſt, ita & duo accidentia, quæ nullum adinuicem ordinem habēt, ut album, & muſicum: quæ æquè primo poſſunt ineſſe: ſubiectum enim ad accidentia, tanquam differentia, uel materia omnium æquè primò ſuſceptiua, confertur. Si igitur enunciatio per accidens ex duobus accidentibus conſtituitur: ergo ex unico etiam accidente. Ab Ariſt. dicimus hominem, & album, ut unum dixiſſe nō quòd explicaret tunc, an prædicatum unum per ſe fie uel per accidens: ſed inferius explicandum reliquit quòd ſemper in quibuſcunq; prædicationibus, ſiue prædicatis, in quibus non ineſt contradictio, & per ſe, & non ſecundum accidens inſunt, in his tanquam unum aliquid, diuiſim, & coniunctim fieri poteſt. Item ſermo Ariſto. eſt de pluribus prædicatis, quæ & diuiſa, & coniuncta prædicari poſſunt: album autem, unum tantum eſt prædicatum, de homine, tanquam uno ſubiecto. Dices fortaſſis hominem, & album, tanquam duo prædicata, de homine. i. indiuiduo prædicari, ut ſe quinto metaph. 7. explicauit, hominem album de homine, ideſt Coriſco tanquam ſpeciem & accidens, de indiuiduo prædicari. Sed hoc forſitan dato, noſtra improbatio confirmatur: unum enim per accidens quinto meta. dicitur, quando unum, uel duo accidentia de ſubiecto, uel ſubſtantia communis, & accidens de indiuiduo prædicatur. Non igitur ex exemplo producto, unum per ſe prædicatum poſſet concludi, ſed per accidens tantum. Niſi diceres (ut literam illam explicando tetigimus) Ariſt. propoſitum, ac intentum fuiſſe, exemplis monſtrare, in quibus prædicatis diuiſim uerè unum inſertur, & coniunctim, ſcilicet cum de homine, uel indiuiduo, & animal, & bipes extra, & cōiunctim aſſerimus, tanquam unum: & hominem, & album, & hæc tāquam unum, uerè dictum non per ſe, & ut de definitione uerum aſſerimus. Quod poteſt: ex uerbis ſubſequentibus confirmari, Sed non ſi cerdo, uel coriarius eſt, & bonus, diuiſim uerum eſt, non tamen, ergo eſt cerdo bonus. Quoniam (ut dicebat Auerroes) enunciatio eſt uera diuiſim, falſa uerò coniunctim: neutra tamen per ſe. Poſterius autem diſtinguet, per ſe unum illa eſſe debere, quæ unum aliquid diuiſa, & coniuncta conſtituunt. Poſtulant, an cōſecutio rectè ſequatur, a tertio addiacente ad ſecundum adiacens: uidetur enim iuxta Ariſt. ſententiam conſequi, quoniam ſi propterea Homerus eſt poeta, ergo Homerus eſt: non ens, eſt opinabile, ergo non ens eſt: conſecutio recta non eſt, quoniam prædicata per accidens aſſumuntur: ubi igitur prædicata erunt per ſe, quæ actu inſunt ſubiecto, neceſſariò conſequetur ex tertio per ſe adiacentibus ad ſecundum adiacens. Ad hoc Sueſſa reſpondet, in propoſitionibus, ſiue enunciationibus contingentibus, quarum prædicatum non actu ineſt, ſed in futurum poteſt ineſſe, a tertio adiacente ad ſecundum non ualet, ut Sortes poteſt eſſe albus, ergo eſt albus. In propoſitionibus autem de ineſſe, & neceſſariò ineſſe: propterea quòd prædicatum explicāt, quod actu ineſt ſubiecto, neceſſariò ualet, homo eſt albus, ergo eſt: homo eſt animal, & bipes, ergo homo eſt. Si ſeruentur (ut ait) duæ, quas Ariſt. explicauit, conditiones: ut prima quòd quando prædicatum eſt contradicens ſubiecto, ratio non ſequatur: ſecunda, quòd per ſe, ideſt æque primò inſint ſubiecto: ob defectum primæ non ſequitur, homo eſt mortuus ergo homo eſt: ob defectum ſecundæ etiam non ualet, tantum homo eſt riſibilis, igitur tantum homo eſt: quia non æquè primò de tātum homine prædicatur riſibile & eſſe: quoniam eſſe, prædicatur ratione riſibilis, quod cum homi/

homine reciprocatur, siue conuertitur. esse uerò communius est simpliciter sumptum. Conclusionem secundam confirmat in propositionibus de inesse, quia requirunt subiecti existentiam, constantiam, siue consistentiam. Nam Auerroes primo priorum affirmat, de inesse est possibile, quod in actum deuenit, ad actum autem exiens, prædicatum non est, nisi subiectum existat. Item primo priorum secundo, propositio de inesse, in hoc à necessaria distinguitur, quod de inesse, plurimum temporis inest subiecto, necessaria uero semper. Præterea, si de inesse, subiecti constantiam non requireret, non differret a contingente, Consecutionem probat ex primo priorum, de qua suo loco, Deo annuente, dicemus. Ex his ad rationem Esculani respondet: ille enim existimat, per se, & necessario, & semper, à tertio ad secundum adiacens non ualere. Tunc enim à compositis ad simplicia consecutio non necessario sequitur, quando prædicata non eodem modo sumuntur, est, autem cum tertio adiacet, ueritatem dicit propositi, idest inesse: secundo uerò adiacens, actum explicat existendi. Respondet, eodem modo utrobique, esse, desumi, nec uariari, sed dicere ueritatem enunciationis. Secundo, a tertio ad secundum adiacens arguitur a secundum quid, ad simpliciter, idest ab esse animal, ad esse simpliciter: non igitur per se ualet. sed decipit potius, ait, ab inferiori arguitur ad superius, idest ab esse, contracto ad animal, uel album, ad esse simpliciter. Causam erroris ipsorum adducit, quia putant, non eodem modo sumi, esse, in coniuncta propositione, & diuisa, quod falsum est. Tertio, ablato per accidens prædicato, potest remanere per se, ac necessario inexistens: hæc autem propositio, homo est animal bipes, est per se, & necessaria: illa autem, homo est, per accidens: ergo &c. Sed respondet & dicit illam, homo est, non esse, per accidens, quasi contingentem, quia iam exiuit in actum: non etiam necessariam, sed de inesse, simpliciter. Quarto nullo homine existente, uera est propositio, homo est animal, uel rosa est pulcherrima florum &c. Satisfacit, negat enim nullo, homine existente ueram esse, illam, homo est animal &c. Contra arguit Esculanus: necesse enim est, alteram contradictionis partem ueram esse, uel falsam. Si igitur, nullo homine existente, hęc uera non est, homo est animal, ergo illa necessario uera erit, homo est non animal. Respondet, hęc. primo priorum ultimo, contradictoria non esse, esse animal, & esse non animal: sed esse animal, & non esse animal. Itaque de hõmine non existente non prædicatur esse, animal, uel esse non animal: sed esse animal, aut non esse animal. Sed mihi solutio hæc Suessæ non placet: primum enim pręter Aristotelis institutum uidetur petere, an gratia materiæ semper ualeat arguere à tertio ad secundum adiacens: sed postulandum potius est, an semper uerum sit, ut ex pluribus prædicatis diuisim acceptis, liceat unum quid, idest secundum essentiam, & unicam formam inferre, & ex illo uno coniuncto inferre plura diuisa, quæ unum aliquid sint semper, necessariò, & per se? Hoc enim modo quęstio hæc (quam constat esse maximam) non tenui, ac leui adhibita diligentia, petenda, ac soluenda est, ut Aristoteles soluit, & petiit. Sensus igitur uerus Aristotelis est, quod tunc necessario ex pluribus prædicatis licet inferre unum totum, & coniunctum, quando sunt pręd icata per se, unũ per se, naturam, ac formam signantia: non quando sunt unum per accidens. Qua de causa Aristoteles affirmauit, album est musicum, unum esse per accidens, non plura prędicata quæ per se unum constituant: illa tamen est propositio de inesse. Non loquitur igitur propriè de prædicatis coniunctis, & diuisis, ex quibus propositio de inesse cõsistit: Nam propositio de inesse (ut ipsemet ex Auerroe confitetur) est contingens reductum, siue quod deuenit ad actum: est igitur naturæ accidentis: accidens autem, siue unum, siue plura ponantur per accidens unum constituunt quinto meta, septimo. Idque maximè confirmatur, quoniam hic de pluribus prædicatis diuisis, & coniunctis Philosophus loquitur: quæ cum accidentia sunt, æque primo uel non primo subiecto adhærentia, per accidens unum efficiunt. Item facile perspici potest, unde omnis iste natus sit error, cõdicta ab Aristotele explicantur, cumq; propositum, ac causa quæstionis motæ superius aperitur: ut dubitationem, scilicet istam dilueret. Vnam enim enunciationem esse prædixit, in qua unum de uno, prædicatur quæ potest esse de inesse, & necessaria: uel in qua plura de uno uel unum de pluribus dicitur, quæ sic plura ponũtur, quæ apta nata sunt, unum aliquid constituere: quæ solũ est propositio necessaria. Quæret igitur quispiam, quæ sunt hæc prędicata, quæq; subiecta? Iam aperuit supra, non omnia posse unum aliquid fieri, nisi quæ sunt per se, ac unã cũ subiecto formam, & essentiam explicantia: nec aliquod contradicens naturæ subiecti significent: tunc .n. semper, & necessario, ex pluribus unum aliquid secundũ essentiam fieri, & uere sic unum, & coniunctum, in plura prædicata diuisa proferri, siue enunciari poterit. Quod tãtum uerum in enunciatione necessaria deprehenditur. Ex his facile rationibus respondetur Suessæ: quibus conclusionem secundam probabat: eo dato, quod ex tot Ari. & Auerrois adductis locis confirmat: propositionem de inesse constantiam subiecti supponere, & uere inferri posse homo est albus, uel musicus, ergo homo est: prædicata tamen non essent apta nata, unum per se constituere: quoniam (ut diximus) prędicatum album est accidens: est, etiam cum secundum se prædicatur, existentiam indicat, quæ per demonstrationẽ, quia, terminatur secundo post. 33. quinto metaphysic. 14. primo top. cap. de accidente, octauo dis. in solu. dub. primę. Itaque prædicatum propositionis de inesse, quod exiuit in actum, consistentiam subiecti per se non requirit, sed ut materia, & subiectum formam accidentalem substentans, eandem existentiã habens, ut accidens, quod unum per se non constituit. Præterea, quod illi differendi gratia dedimus, non undequaque uerum est: nam ista, Homerus est poeta, uel Homerus fuit poeta, uel Arist. fuit philosophus. Propositiones sunt de inesse, quæ consistunt ex his prædicatis accidentibus, quæ sunt, sed etiam quæ fuerunt: ut primo libro in illis uerbis scripsimus. {In his igitur, quæ sunt, & quæ facta sunt, necesse est affirmationem &c.} Non igitur semper subiectum propositionis de inesse, suam consistentiã præsupponit. Per hęc patet solutio aliarum rationum: necessaria ab illa de inesse distinguitur ex natura prædicati per se, quod inest actu omni tempore, omni loco, & subiecto: de inesse uero prædicatum est naturæ accidentis, quod actu inest subiecto &c. non tamẽ subiecto, quod semper existit, sed quod uel est, uel extitit: semper tamen per accidens, unum constituens. Ex hac obscura sanè, & ignota hactenus ueritate; & iudicio meo (ni fallor) nunc illustrata, ad difficilem rationem primum in oppositũ inductam respondeo: eadem ratione permoueor, ut negem, propterea non ualere, Homerus est poeta: non ens est opinabile: ergo Homerus est, & non ens est: quoniam prædicata per accidens coniunguntur. Ita non ualet, homo est animal, & bipes, ergo homo est: quoniam, est, cum per se prædicatur, existentiam simplicem denotat, ut in hoc quæsito Auerroes declarauit. Nunc de Esculani rationibus pauca dicamus, ut uisis responsis Suessæ atq; ex ueritate cognita infirmatis, firmè superius dicta, pbemus. Nam cum ad primum respondet, est, eodem modo desumi in tertio, & secundo adiacente atque in prædicatis quæ coniunctim, & diuisim sumuntur, quatenus ueritatem dicit propositionis, & inesse: primum Auerrois aduersatur, qui Auicennam idem dicentem, hunc in modum refellit: quoniam non Argueremus à prædicatis diuisi ad coniuncta, sed a coniunctis ad coniuncta. Quæ Auerrois ratio

potissimum contra procedit, qui putant, est, tanquã prædicatum ad alia per se prædicata conferri, ex quibus unum aliquid natum est fieri: non contra nos, qui sepissimè declarauimus, uerbum nedum prædicatum per se non uocandum uerum nec predicatum in communi: sed notam duntaxat, prædicatum cum subiecto nectentem. Nobis igitur ita sentientibus, erit tutum asserere, uerbum eodem modo in prædicatis per se diuersis, & coniunctis desumi: quoniam uerbum, est, siue aliud a sum, es, est, semper connectunt prædicatum cum ipso subiecto & tunc diuisim, simpliciter siue extra dicuntur, cum una pars essentiæ, genus, siue differentia, de subiecto, uerbo medio, prædicatur. Tunc uero coniunctim, cum omnia per se prædicata medio eodem uerbo nectente, iunguntur: semper tamen in enunciationibus. Ex hac improbatur secundæ rationis solutio, qua dicit eam rationem, homo est animal, ergo est: ab inferiori ad superius procedere, hoc est, ab esse tali, ad esse simpliciter; & in communi. Nam si, est, tanquam per se prędicatum accipitur, per accidens conuenit. Item si ueritatem in coniunctis, & diuisis, explicat enunciationis, cum secundum se prædicatur; signabit illud prædicatum inesse, in quod, est, tanquam in suum participium soluatur, homo est, idest homo est existens: & ita prædicatum per accidens explicabit: quod Arist. scopo non consonat. Quare utrobique non eodem modo sumetur, ut nota uniens prædicatum per se, & existens per accidens. Item Com. dixit à secundum quid ad simpliciter argui. Tertia similiter responsio improbatur: quoniam si illa propositio, homo est, de inesse, ergo significatum prædicati accidens est, quod propositionem per accidens unã constituit: sermo autem presens ad per se prædicata refertur. Quarta responsio huoc in modum reiicitur: quoniam posito hoc, nullo homine existente, hæc est uera per se, homo est animal, sed non illa, homo est: antecedens negauit, quod nullo homine existente hæc uera dicatur, homo est animal. Responsionem hanc Esculanus reiecit, quoniam necesse est, contradictionis alteram partem ueram esse, uel falsam: ergo homo erit animal, uel non animal. Respondet, has sibi inuicem contradictoriè non pugnare, esse animal, & esse non animal: bene esse animal, & non esse animal. Sed prima responsio ex hac nouissima infirmetur: si enim necesse est, contradictionis alteram partem ueram esse, uel falsam: ergo si falsa erit hæc affirmatio per se, homo est animal: uera erit igitur per se eius negatio, homo non est animal: hoc autem absurdum per se non consequitur, sed per accidens: posito, species æternas esse. Ex dictis superius reiicietur instantia, tantum homo est risibilis, ergo tantum est: quia, est, non est prædicatum per se, ut retulimus. Obiicies, homo tantum est animal rationale, & risibile, ergo tantum est animal, non ualet: prædicata tamen omnia sunt per se. Dicas, propositionem coniunctam cum exceptiua particula ueram non esse, nisi ratione eorum prædicatorum, quæ cum subiecto proprio conuertuntur: ideo tantum homo est animal rationale mortale, ergo tantum homo est animal rationale & tantum est animal risibile. Animal autem, & si per se homini tribuatur, non tanquam proprium prædicatum Non ergo dicendum, ut Suessa, iccirco hæc non ualere, quoniam esse, & esse risibile, non æquè primo dicuntur. Nam licet illi consentiam, propositionem cum exceptiua particula positam, ueram esse duntaxat in prædicatis, quę æque primo conueniunt, non tamen id possumus in omnibus per se prædicatis asserere: quæ, tanquam genus, & differentia, & definitionem constituunt, quæ æque primo definito non competunt. Ut plura igitur prædicata diuisim, ac extra producta unum aliquid secundum essentiã edant, necessario, & semper requiritur, ut sint per se primo modo, uel secundo modo dicendi per se, in enunciatione necessaria, non de inesse duntaxat. Ad quam conditionem affirmatiuam per se ueram, & necessariam, nõ habentem substantiam, alia (quam prima posuit) potest reduci. Si enim adiectum prædicatum contradicentem rationem naturæ subiecti designat, non per se prædicatum dicetur. Quod fieri potest, nondum in affirmationibus coniunctis, ut Homerus est poeta, ergo Homerus est: sed etiam in negatiuis, ut homo non est. Quibus Arist. & Auerroes aduersati sunt, ut contra antiquos loquentes, qui a quocunque diuiso posse unum coniunctum inferri putabant: similiter ex quocunque coniuncto diuisum. Contra Aristo. non nisi ex prædicatis, & per se &c. in quibus uerba numerandi non sunt: cum sermo sit de prædicatis simplicibus, ut Com. initio sui quæsiti notauit: de quo breuiter id tantum exponam, quod supra patefactum nõ est. Nam quando ex diuisis semper, & necessario unum per se prædicatum efficiatur, & hæc diuisa, & composita uerificentur, necessario eisdem conditionibus aperit, quibus nos superius ex Arist. explicauimus. Dubium tamen Auicennæ contra Aristo. & expositores omnes inducit: Auicẽna enim putauit, una sola conditione pręmissa omnem dubitationem excludi: conditio autem est, ut significatum idem subintelligatur in prædicatis diuisis atque coniunctis. Tunc enim ait enunciatio, quæ diuisim, & extra uera profertur uera etiam erit coniuncta, ut Sortes est medicus & speculatiuus: ergo est medicus speculatiuus: speculatiuum intelligentes semper idem in medicinę scientia, non rebus aliis. Sic quæ uera erunt coniuncta, uera etiam dicentur diuisa, ut Homerus est poeta, ergo Homerus est: & si homo est mortuus, ergo homo est: ut uerbum, est, sẽper idem significet, copulam, scilicet prædicati cum subiecto. Similiter, non ens est opinabile, ergo non ens est. Dices philosophus inquit, in his productis exemplis sensum falsum accidere. Respondet Auicenna, id Arist. affirmasse propter consuetudinem & usum loquentium, nõ quod ita sit annexum ipsis rebus. Qua consuetudine, & usu loquentium errant, qui credunt, similiter, quendam hominem rationalem, quendam uero irrationalem, siue rationis participem, uel expertem. Error igitur ex falsa opinione contingit. Petes cur hunc errorem, undecunque ortum, Arist. non reiicit? Ait, quoniam ars (qua Philosophus semper procedit) non speculatur errorem, qui per accidens prouenit: sicut nec regulas, siue res ducentes, & ueras per accidens, edocet. Comm. posito tripartito membro, significati omnino diuersi, & omnino eiusdem, & secundum quid eiusdem, & diuersi, primum tanquam omnino in compositis, & diuisis diuersum excludit: secundum uerò (quod est conditio, quam addidit Auicenna) approbat Com. semper fieri sensum uerum, tam in coniunctis, quam etiam in diuisis. Sed in hoc improbatur: quando enim significatum in diuisis, & coniunctis est penitus idẽ non est diuisio, sed compositio in potentia, & subintellecta ex signo, quod eidem penitus significato tributum est licet non sit expressa copula: prædicatum cum subiecto coniungens. Sed processus à diuisione ad compositionem est translatio à multitudine ad unum: & à compositione ad diuisionem, est translatio à complexione ad dissolutionem, idest, à secundum quid ad simpliciter: quod Suessa negauit. Itaque non omnino idem significatum semper potest manerę, quod ex ipsa compositione, & diuisione sæpe diuersum efficitur: ut falsa quandoque composita sit, quæ uera erant diuisa, & contra, ut exemplis. Arist. patuit. Sed prædicata secundum magis, & minus differentia, idest ut totam, uel partes essentiæ, & diuersos gradus formę proprios, & communes explicantia, tunc sunt apta unum aliquid coniunctum secundũ essentiam constituere, cum per se, & non per accidens coniunguntur, sicque eandem formam, & essentiam explicant. Hæc de quæsito dicta sufficiant.

His

DE ENVNCIATIONIBVS MODORVM possibilis, contingentis, impossibilis, & necessarij. Cap. III.

TEX. BOETHII.

His uerò determinatis, perspiciendum est quemadmodũ sese habent negationes, & affirmationes ad se inuicem: hę scilicet quę sunt de possibili esse, & non possibili: & de contingenti, & non contingente; & de impossibili & necessario. Habent enim aliquas dubitationes; nam si eorum, quę complectuntur, illę sunt sibijnuicem oppositę contradictiones, quęcunque secundum esse, & non esse disponuntur: ut eius, quę est esse hominem, negatio, est non esse hominem, non ea, quę est, esse non hominem: & eius, quę est, esse album hominem: ea quę est, non esse album hominem, sed non ea quę est esse non album hominem: si enim de omni aut affirmatio, aut negatio est, lignum erit uerum dicere esse non album hominem. quod si hoc modo, & in quibuscunq; esse non album hominem, quod si hoc modo & in quibuscunq; esse non additur, idem faciet quod pro esse, dicitur: ut eius quę est, homo ambulat, non hęc, ambulat non homo, negatio erit, sed hęc, non ambulat homo: nihil enim differt dicere, hominem ambulare uel hominem ambulantem esse: quare si hoc modo ubiq;, & eius quę est possibile esse, negatio erit, possibile non esse, sed non ea quę est non possibile esse. Videtur autē idem posse, & esse & non esse. omne enim quod est possibile diuidi uel ambulare, & non ambulare, & non diuidi possibile est. Ratio autem est, quoniam omne quod sic possibile est non semper in actu est, quare inerit ipsi etiam negatio. Potest igitur & non ambulare quod est ambulabile, & non uideri, quod est uisibile. At uerò impossibile est de eodem oppositas ueras esse enunciationes; non igitur eius quę possibile est esse, negatio est hęc, possibile est non esse. Contingit enim ex his, aut idem affirmare: & negare simul de eodem, aut non secundum esse uel non esse, quę apponuntur, fieri affirmationes, & negationes. Si ergo illud impossibile est, hoc erit magis eligendum. Est igitur negatio eius, quę est, possibile esse: ea quę est, non possibile esse, sed non ea quę est, possibile non esse. Eadem quoque ratio est, & in eo quod est, contingens esse, etenim negatio eius est, non contingens esse, & in alijs quoq; simili modo, ut in necessario, & impossibili.

His ita constitutis considerandum est, quemadmodũ se se habeant negationes & affirmationes ad se inuicem: ea, scilicet quę sunt de possibili esse & non possibili, & de contingenti & non contingenti & de impossibili, & necessario. habent enim dubitationes aliquas: Nam si eorum, quę complicantur, illę sunt sibiinuicem oppositę contradictiones, quę secundum esse, & non esse, disponuntur, ut eius quę est, esse hominem, negatio est: non esse hominem, non ea quę est, esse non hominem; & eius quę est, esse album hominem, ea quę est, non esse album hominem; sed non ea, esse non album hominem. Si enim de omni aut affirmatio aut negatio est, lignum erit uerum dicere esse non album hominem, quod si hoc modo est, & in quibuscunque esse non additur idem faciet quod pro esse dicitur, ut eius, homo ambulat, non hęc, ambulat non homo, negatio erit, sed hęc, non ambulat homo, nihil enim differt dicere hominem ambulare, uel hominem ambulantē esse; quare si hoc modo est ubiq; & eius quę est possibile esse, negatio erit possibile non esse, sed non ea quę est possibile non esse: uidetur autem idem posse & esse & non esse, omne enim quod est possibile diuidi uel ambulare, & non ambulare & non diuidi possibile est: ratio autem est, quoniam omne quod sic possibile est, non semper in actu est, quare inerit ipsi etiam negatio. Potest enim non ambulare quod ambulandi uim habet, & non uideri quod uisibile est. at uero impossibile est, de eodem ueras esse oppositas affirmationes & negationes: non igitur huius, possibile est esse, negatio erit hęc, possibile est non esse, contingit enim ex his aut idem affirmare & negare simul de eodem, aut non secundum esse uel non esse quę adiunguntur, fieri affirmationes, & negationes. Si ergo illud impossibile est, hoc erit magis eligendum. Est ergo negatio huius, possibile esse, ea, non possibile esse: sed non ea possibile non esse, eadem quoque ratio est, & in eo quod est contingens esse, nanq; eius negatio est non contingens esse: & eodem pacto in alijs, necessario & impossibili.

Hic quarta sectio inchoat: quę (ut initio huius secundi libri tetigimus) a specie enũciationis diuersa distinguitur, quę cũ adiuncto mō siue modalis uocatur: propterea Com. dicit ꝙ de tertia nunc differentia Ar. considerare cõstituit: postquam supra (ut Am. & Psellus ac omnes consētiunt) de duabus alijs speciebus ac proprietatibus disseruit de secundo adiacente ex subiecto finito uel infinito: & de tertio adiacente similiter finito uel infinito: licet primam speciem cum secunda sectione coniunxerim. Primium autē quod Amm. Aue. & cęteri pręcognoscũt quid sit modus est enim uox, quę quo pacto prędicatum insit subiecto designat: uel (ut Com. quod idem est) est dictio significans qualitatem, idest dispositionem inuentionis prędicati cũ subiecto. Obicies: non ne omne aduerbium, hanc uerbi dispositionem significat: ad compositionē prędicati cum subiecto relatam? Respondet Am. quod & si modi, infiniti ferme numero sint, qui tamen uniuersales maxime sint, & rerũ naturę familiarissimi, quatuor ab Ar. assumũtur (de quo infra dicemus) necessarium, possibile, contingens, & impossibile. Petit secundo quid inter possibile & contingens intersit? Ait ꝙ proprie possibile, idest quod potest esse & non esse, solo nomine differt a uero contingenti: sed simpliciter possibile, i. uniuersaliter acceptum, communius est contingente proprie sumpto: quod ex infra dicendis ab Ari. approbatur, sed infra hoc tantũ expressum uidebimus contingens sequi ipsum possibile: nam de consecutionibus ait: illam enim possibile est esse, sequitur ea, contingit esse. prima, ergo solutio uera est, possibile & contingens cum proprie desumuntur, idem re, & nomine tantũ differre, cumq; etiam possibile proprie sumitur, & contingens simpliciter, pro eo quod est natum alicui contingere, siue inesse, non homo uel illo proprio modo, tunc contingens cõmunius ponitur: quõ primo priorũ. 4. in sectione Auer. necessarium & non necessarium. i. de inesse, & possibile, contingere dicimus. Itaq; magis exprimitur, contingens cõius esse possibili. quã contra: licet infra dicatur possibile amplius esse necessario &c. Pręterea contra primã dubitationem (qua tria uel quattuor modos generatim enumerat) Auer. aduersatur, qui duos duntaxat expressit: necessariũ & possibile. Petes ab eo. cur alij. s. cõtingens et impossibile: & intra uerum & falsum, ab Arist. numerantur? Soluit, duos modos genere ac principia esse: sed alios uel hos sequi, uel uirtute in his continerι: nam uerum, siue opportunum, necessarium sequitur, impossibile etiam cũ necessario numeratur: nam quod necessarium est, uel necessarię est inuentionis, ut hõ necessario est aial bipes: aut necessarię priuationis, quũ necessario predicato aduersãte (quod disparatũ appellant) priuatur: ut hõ non est equus: quod dictum sumpsit ab Ari. primo prior. 4. ubi equũ homini ex necessitate nõ inesse monstrauit: sic est necessario falsum, hęc etiam sequitur: cum uel prędicatum impossibile inesse, quod τι sit, significat: aut quod non necessario inest, quod insit necessario. Vltra suscitatur Amm. qualis

ter modi differant à materiis, cum materiæ quædam sint necessariæ, quædam impossibile, contingentes aliæ? Respondet: materias in natura ipsarum rerum spectari, quæ sunt in propositionibus. i. in prædicato quod semper inest subiecto, aut nunquam, aut aliquando sic, & non: Dicuntur autem ideirco materiæ, quoniam sicut sine materia impossibile est quidquam consistere, ita enunciationes sine his partibus (ut materia) non consistunt: modi uero in hoc consistentiam habent, quod a nobis pronunciantur necessario inesse, impossibile uel contingenter inesse. ex his corollarie infert, sæpius euenire (quod ad materiam attinet) ueram esse propositionem, ob additum autem modũ ementiri: quoniam modi adduntur terminis, propositionem externe complentibus, ut quod sol moueatur. uera, quod cõtingenter, falsa: Obiicies, modi ut signa propria materierũ, affines dicuntur esse materiis: non ergo materiæ contingẽti addi poterit modus necessarius, uel contra? Respondet non semper modos proprios affines materiis adiungi oportere: cuius rationem adducit: nam sicut cuiq; liberum est, de quocunq; subiecto, quodlibet prædicatum asserere: cũ aliæ enunciationes ueræ aliæ falsæ ponantur, ita quemcũque modum, cuilibet materiæ coniungere licet. Sed licet assignata differentia, tanquã uera ponatur quod materiæ, relationem prædicati ad subiectum, quibus constat enunciatio explicent, modus uero sit signum manifestius, externe, talem habitudinem siue coniunctionem prædicati ad subiectum significans, signum tamen proprium dicitur, quod propriam naturam significat. Præterea si propterea quod aliqua in uoce consistunt & ex nostra constitutione dependent, hoc uel illo modo, uero uel falso, possunt artis regulis explicari: sicut ergo modus necessarius adiungi poterit materiæ contingenti, & modus contingens materiæ necessariæ, ita prædicatum contingens subiecto necessario & falsum uero, utrunq; enim (ut nomen & uox ex instituto significans) in externo signo consistit, unum tamen ut materia enunciationẽ constituens, alterum uero ut signũ partes constituentes, ac inuicem collatas, declarans: Non hoc ergo corollario, modi a materiis distinguentur. Si ergo arte procedimus, non ex arbitrio procedemus, cuique materiæ, siue discrimine, signa propria adhibentes, sicut nec quæcunq; prædicata cuicunq; subiecto, si uero econtrario fiat, non artis ac scientiæ præcepta docebimus, sed regulas ad errorem ducentes. Quærit Am. an sit alius modus præter hos? Aliqui expositores existimant præter modum necessarium & contingentem, annumerandum quoq; fore modum de inesse qui ante necessarium et contingentẽ, primo prior. 14. ab Arist. numeratur. Aduersatur Am. ex uerbis Arist. Primum, quoniam Arist. ait, {Dictis ac explicatis his}. i. modi expertibus {nunc de habentibus modos cõsiderandum.} nam primo lib. oppositiones quas hic de modalibus declarare constituit, penes esse, & non esse, desumpsit ac diuersas species numerauit, has aũt penes modos, non esse. Præterea modus dicitur, qui quo pacto prædicatũ insit subiecto, declarat: de inesse autem, non istud enunciat, sed existendi tantũ qualitatem declarat. Quæres si de inesse qualitatẽ eius, quod inest uel in alio existit, enunciat: cur est quod modus non sit? nam modus descriptus est supra, quod uox esset qualitatem & dispositionem significans, qua prædicatum inest subiecto. Ac hoc dicendum per modum explicari dispositionem & qualitatem propriam ac per se ex natura rei significatæ, distinctam a cæteris, ut est contingens & necessarium, de inesse aũt qualitatem declarat, qua prædicatum est, existit, uel inest subiecto inesse autem prædicatum subiecto, si communi ratione sumatur, locum constituit accidentis, secundo top. in quæsito, & primo top. 5. si uero proprie consideratur, est eiusdẽ naturę cum contingenti, hoc enim solo distinguitur, quod idem significatum & accidens dum actu non inest, contingens uocatur: actu adherens subiecto, dicitur de inesse: quoniam ergo de inesse communiter tam a necessario præsupponitur, quod actu inest, quam a contingenti, ideo speciem ac modum alium non constituit: nam simili ratione affirmatio, & negatio, modi uocandæ non sunt, propterea quod qualitatem prædicati de subiecto uel a subiecto, communem, non propriam indicant: quæ autem a Suessa contra hanc opinionem dicuntur, nulla sunt, ac ex tempore tantum asserta. Tertio Amm. arguit, si de inesse, aliquẽ distinctũ modum efficeret, imperfecta esset tractatio uniuersalis de propositionibus modalibus hic & in lib. prior. si modos uniuersales omitteret, nam neq; hic inter modos explicitos numerantur, nec etiã in lib. prior. cum de mixtione syllogismorum dissereret, mixtionem enumerauit de inesse, tanquam cum modo coniunctæ, sed de inesse cã tum, cum prædicatum naturæ contingentis, actu inest subiecto. Dices primo prio. 2. omnis propositio aut eius est quod est inesse, aut necessario inesse aut contingenter inesse. De inesse, ergo inter alios modos Ari. enumerauit. Ad hoc respondet Amm. illic diuisionem propositionum absolute omnium fieri, non modorum: ita primo prior. 14. diuersa (secundum rationem propriam) significata de inesse necessario & contingenti monstrauit, a quorum duobus, undequaq; distinctis, proprii modi tanquam signa sumuntur: significatum etenim contingentis, commune accidẽt est, quod actu non inest, necessarii uero accidens propriũ, uel substantia per se quę actu inest, de inesse aũt quasi medium ponitur: significato. n. accidente cõi, cum contingenti consentit, ut uero actu inexistit subiecto, cum necessario conuenit. De numero enunciationum perquirunt de quo Am. hic com. primo, & sectione. 2. com. primo disserunt de quibus (Dei bonitate) forsitan in fine libri, singula colligendo, dicemus. Postremo quęritur: quę diuisio sit istarũ per modos sine affinibus significatis, an per materias seu significata, an per utrunq;? Amm. hic uidetur asserere, non semper materiebus affines modos adiungi oportere: & hic Suessa, ait, quod hęc quomodo nulla est, cum qualibet tritum dictatum sit modalis materialiter, uel formaliter. i. modalis secundum habitudinem, non aũt secundum modũ expressum actu. Sed contra, quoniam ista necessaria diceretur, necessario homo est albus. Ad hoc animaduertens Suessa respondet, non esse necessarium materialiter, sed de necessario signo & formaliter. Responsio hæc ex rationibus sequentibus reiicitur: quoniam falso signo, falsa enunciatio constituitur, aliter. n. est quam extra signatur. Præterea sicut hæc falsa est propositio, & ab arte repudiatur; omnis Sortes currit: quoniam signum uniuersale, naturæ non uniuersali coniungitur, ita si necessarium signum contingenti siue de inesse tribuitur. Item hoc modo sumitur hic necessarium & contingens, quomodo infra in assignandis oppositionibus & consecutionibus utitur, & in primo prior. cum de mixtionibus necessarii, contingentis, & de inesse loquetur, ad quem librum hæc considerata ab Aris. referũtur: sed oppositiones, cõsecutiones, & mixtiones, eas contingentes, & necessarias præsupponunt, quæ tales cũ modo & significato ponantur, ergo &c. Amplius signa et regulæ artis, tales esse debent, ut imitentur naturã, sic Au. figuris syllogismorum, ac uniuersis regulis aliis asserit, huiusmodi ergo propositionem esse, dicendum est, quæ pars est necessaria syllogismi quæ per regulam & locum, siue dictum de omni, deducitur: pars. n. necessaria conformari, assentiri debet suo toti. Ad hæc si signum ab arte institutum propterea fuit, ut propositionem necessariam, ex materia & signato atq; signo constitutam exprimeret, si ergo opus proprium non consequitur ociosum siue superuacaneum erit. Itẽ ars ea signa notauit, atq; inuenit, quæ ad explicandum conducunt: non igitur sat inchoantibus erit dicere, hanc propositionem, homo est animal rationale, esse necessariam, sed ita esse, manifesto inditio, declarari & manifestari: modi ergo tanquam notiora signa, significata

pro-

propria explicantia, a propriis materiis separāda nō sunt: sicut.n.imperfecta materia est sine forma ita significatum siue proprio signo. His notatis, ad literę explicationem accedamus: quæres de propositionibus coniunctis cum modo sive modalibus, quid considerare constituit Arist. Ammo. & Com. conueniunt, duo esse. Primum quēadmodū oppositiones se habeant. penes uerbum, ut sumebātur in propositionibus de inesse, an penes modum? & hoc primum philosophus proponens ait ({his uero cōstitutis perspiciendum siue considerandum est, quemadmodum sese habeāt negationes & affirmationes ad se inuicem:) & explicans subiecta, de quibus hæc consideranda sunt, ait:(hę.s. quæ sunt de possibili esse, & nō possibili, & de cōtingenti & non contingenti, & de impossibili, & necessario.) Secundum erit de diuersis, ipsarum modalium, penes modū oppositum, consecutionibus: quonam pacto in ueritate, & falsitate se habeant: ad quæ, instrumenta logica referūtur: ut simili ratione supra fecit de enunciationibus ex prædicato finito, uel infinito compositis. {Habent.n. dubitationes aliquas: Dices quemadmodum affirmatio & negatio se habeant, scitu facile esse ex his quæ tractata sunt, in oppositionibus de inesse: respondet Arist. hac de causa, has oppositiones eius sua considerādas de modalibus esse, quoniam habēt dubitationes aliquas, quare tāquam difficilia artis necessitate considerāda sunt, primo.n.metaph.2.primo top.9. primo de gene.5. quæ facilia, eiciuntur ab arte sed nō difficilia: quorū argumentū & signum est, aliquas dubitationes habere. Dicit (aliquas) ut nō penitus sint difficilia, & quōtea sint demonstratione inquirendæ, ut naturaliter ignotæ æquales numero his, quæcūq; uere scimus, sed quodammodo tantū ignotæ. {Nam si eorum quæ cōplicantur} Ponit (ut Com. & Ammo. uult) rationem topicam ad partē falsam: quæ ex principio existimationis, & apparenti, non uerè existenti procedit: quæ internam ueritatem non perspicit, sed externam superficiem tantū: sicut imaginationi solum obiectam: ex sensu.n. errante procedit, qui sicut in sibi notis propositionibus de inesse, oppositionem penes uerbum affirmatū, & negatū fieri inspicit, ita a simili iudicat contingere in modalibus, conclusio autem rationis est ibi. { Quare si hoc modo ubiq;} ubi in summa ratio ista colligitur: si hoc modo ubiq; & in omnibus de inesse affirmatio & negatio sumitur, quādo uerbū negatur uel affirmatur, ergo & ita erit in enunciationibus coniunctis cū modo: de antecedente ait. { nā si eorum quæ cōplectuntur} in enunciationibus.s.de inesse{ illæ sunt sibi inuicem oppositæ contradictiones, quæcūq; disponūtur, secundum esse, & non esse}.i.uerbū affirmatum uel negatum, ut patet exemplo, ut huius, esse hominē, negatio est, non esse hominē, & eius quæ est esse album hominem, ea non esse album hominem. {Sed non ea, esse nō album hominem.} Quasi per parenthesim, antecedens hoc manifestat: per negationem ferè singulorum: quibus posset uideri, negationē alteri posse coniūgi, quā uerbo: nam si illa de uerbo negato negatio, affirmationis huius non est, homo albus est: uel ea erit de prædicato infinito, uel de subiecto infinito, uel illa (quam pro antecedente posuimus) de uerbo negato: non primum, nō secundum: tertiū, ergo asserendum uidetur: a destructione partium singularum: quibus uidetur negationem posse coniungi ad positionem tertii remanentis: addenda ergo negatio uerbo nō subiecto, uel prædicato. Sed ratio nos (per fallaciam consequentis) decipit: quoniam singula non enumerat; quartum.n. quod inferius explicandum est, ut dubitationes soluantur, addi necesse est: quoniam addi poterit modis: q præter hęc tria dicta, ponuntur. Primum ergo absolute negat responsionem, quæ dicit, negationem posse prædicato coniungi dicens: {sed non ea} est negatio {esse non album hominem}.i. in qua dicitur; homo est non albus: loco cuius Auerro. aliud exemplum producit: homo est non iustus. {Si.n. de omni aut affirmatio uel negatio.} Contra arguit, quoniā ex superius dictis manifestum est de quolibet ueram esse affirmationem uel negationem, sed non de quolibet uerum est affirmare album, uel non album, iustum uel non iustum: nam de ligno etiam diceretur esse non album hominem: & non iustum hominem quod est in fine impossibilis, ut Auer. assent. Sed postulabis: quoniam exemplū, hāc propositionē assumpsit: homo est nō albus, uel homo est non iustus: inferendum, ergo fuerat de ligno, uel esse album uel non album, iustum uel non iustum: non integrā propositionem, ex subiecto priori diuerso, & prædicato compositam. hoc.n. maxime confirmare uidetur: quod superius Gaietanus & Ammo. asseruerat: iccirco infinitum prædicatum non de omnibus affirmari, quatenus integrā enunciationem ex subiecto finito & prædicato infinito constitutam complectitur: licet ex se aptum sit de ente & non ente quolibet prædicari: quod maxime ex exemplo nunc producto poterit confirmari: hac enim ratione non album hominem, de ligno dici, extremum impossibile existimatur. quoniam falso, homo tanquā res aduersa, siue disparata, de ligno inanimato prædicatur: non ratione nō albi, non iusti: ex quo exemplo puto Amm. & alios plerosq; deceptos fuisse: ad dicendū id, quod supra tam multis reiecimus. Ad hoc ex uera radice superius explicata dicatur: propterea Arist. totū loco prædicati sumpsisse.s. nō album hominē: & Com. nō iustum hominē: quòd primo priorū ult. (ut sæpe notauimus) infinito sēper aliquid subiacet: est.n. priuatio formæ in subiecto apto: priuatio autē semper subiectum proprium comitatur, ac sequitur: hac de causa, ergo si non iustum de ligno dicatur, & non album, ergo & homo, loco subiecti proprii positū: de quo tātum, tāquam de proprio subiecto, priuatio iustū & non iustū. apta nata sunt diuidere uerum & falsum determinatè: quare in oppositum Ammo. ratio inducatur: quia non iustum, nō album, subiectum terminatū ac priuatū supponunt: iccirco nō de omnibus aptum natum est prædicari, sed de priuatione & subiecto proprio duntaxat. Preterea rō Arist. ex affirmatione & negatione procedens (ut de quolibet sit uera affirmatio & negatio) ex per se affirmatione & negatione procedit, non ratione adiūcti subiecti finiti: hoc tamen priuationi necessario subiacet, ut, in quo inuenitur terminata infiniti priuatio. { Quòd si hoc mō est, & in quibuscunq; aliis.} Ostēso in trinariis negationē uerbo esse iniungēdam, non prædicato, nūc, ut inductionem perficiat in actu binariis, ubi adiectiua secundū se proferūtur, idem ostēdit: negationē nō subiecto, sed uerbo iungēdam: ex simili, ergo arguit in trinariis, ubi, est, extrema cōiungens ponitur, ad inferendum in binariis: cum ait, {quòd si hoc mō}.s. negatio in trinariis sumitur, ubi esse coniungitur actu: ergo & in quibuscunq;, esse, nō dicitur, siue nō additur, illud uerbum adiectiuum secundū se positum, quod pro esse ponitur {idē faciet}.i. similiter, negante particula uerbo cōiuncta, negationē efficiet: non autem quādo additur subiecto: quod exemplo commōstrat {ut eius: homo ambulat} nō hæc negationem, de subiecto negato siue infinito: {ambulat nō homo} sed hæc {nō ambulat homo. Nihil.n. differt dicere hominē ambulare, & ambulātem esse.} Approbat idem fieri in utrisq; ubi, est, expresse dicitur in trinariis, & in binariis, ubi potestate & implicite cōtinetur: quia ubicūque, est, siue esse dicitur, negatio sit addita negāte particula ipsi uerbo: sum, es, est. non prædicato siue subiecto: sed quando enunciationes binariæ proferūtur, ex adiectiuis uerbis compositæ, nullam differētiam faciunt siue ipsarum uerba secūdum se prædicētur, siue in suum participium dissoluātur, quoniā semper, est, uerbū cōtinent, actu uel ptāte. {Quare si hoc mō ubiq;.} Inductione pene i omnibus facta, quòd negatio addēda sit uerbo, nō prædicato siue subiecto. tertium membrū cōcludit {quare si hoc mō ubiq;}.i. in omnibus

se habet, ut negatio uerbo, non aliis partibus enunciatio nis iungatur: ita se habebit in modalibus, quare eius possibile est esse, negatio erit, possibile est non esse, ubi uerbū negatur: sed nō ea, non possibile est esse. {Videtur autem idem posse esse & non esse.} In aliam partem ueram, moue re topici arguit: ut partes diuersæ facilius decernantur: atq; eodem assumpto principio, hanc positionem Arist. reiicit quo suam alii confirmabant: De quolibet. n. uera est affirmatio uel negatio, & de nullo ambæ simul: de eodem autē dicitur possibile esse, & possibile non esse, quæ ab aliis affirmatio & negatio ponebantur, illa, ergo non erunt affirmatio uel negatio. minor in tex. tanquam sensibus manifesta profertur: cum dicitur (uidetur sensibus obuium,) idem posse esse, & non esse. {Omne. n. quod est possibile diuidi &c.} Particularem siue indefinitam ex sua uniuersali uera ratiocinatur, & approbat, quoniam omne quod possibile est diuidi uel ambulare, possibile est etiam non diuidi & non ambulare, ergo idem possibile est esse, et nō esse, quoniam ambulare idem est, uel nihil differt, & ambulantem esse, ut parum ante nos docuit. {Ratio autem est.} Ratione necessaria siue demonstratiua nunc approbat, quod sensibus, & inductione sensibus manifesta superius commostrauit: qua de causa, ratio demonstrans ignotum naturaliter, dicenda nō erit, sed necessaria, ac firmior aliis duabus ante relatis: cum ex ratione, siue definitione possibilis, & æquipollentibus necessarii cōponatur, quæ clarius, primo prior. 18. in sectione A uer repetitur. ratio; ergo est: quoniam quod sic possibile est, i. uerum, ac proprie sumptum, non semper in actu est: hoc est (ut Comm. exponit) non necessariæ inuentionis, & primo prio. 18. nō est necessarium, quod idem ualet, quod non semper esse, sed non necesse esse, æquiualet, per negationem contradictorio præpositam, possibile non esse: quare hæc conclusio infertur: ut eidem & omni, quod possibile diuidi, & ambulare, ac esse, inerit etiam ipsi eius negatio. i. quæ ab antiquis negatio ponebatur: nam quod potestate prædictum est ambulandi, potest etiam non ambulare, & quod potest uideri, uel quod uisibile est, potest etiam non uideri, ut ex sua æquipollenti monstrauimus: possibile, ergo non necesse, ergo possibile nō esse: hæc de probatione minoris eius ratiocinationis, quam supra formas unus. de tali on nunc dicit.} At uerò impossibile est de eodem, oppositas ueras esse affirmatiōes & negationes.} Ergo illæ, quas antiqui tanquam oppositas contradictionē prædixerunt, uere affirmationes & negationes non erunt: de conclusione dicit: (non ergo eius, quæ est, possibile est esse, negatio est hæc possibile est non esse.) {Contingit. n. ex his &c.} Ex his quæ nunc proponuntur compleri potest ratio ducens ad impossibile, quasi dicat: illata conclusio impossibilis est: ut idem simul de eodem contingat affirmare, & negare, ergo falsa est positio, ex qua hoc impossibile sequitur: quare elegenda magis uidetur illa sententia, quam impossibilia nulla sequuntur, negationem in modalibus sumendam ex modo esse, non uerbo uel Arist. utranque positionem proponit: antiquorum autem sententiam, cum impossibili consequente, cum ait. {contingit enim ex his} antiquorum assertis, aut idem affirmare & negare simul de eodem, aut non, secundum esse, uel non esse, quæ apponuntur. i. secundum uerbum affirmatum & negatum fieri affirmationes & negationes: quæ est opinio & sententia Arist. in enunciationibus cum modo coniunctis. {Si ergo illud impossibile.} Simul nunc antiquorum sententiā reiicit, & suam tanquam ueriorem confirmat: ubi ex certo top. cap. secundo, & secundo cœli primo notandū, eligibilium locum unum hunc esse; id, eligendi potestate data, deligendum magis esse, quod impossibile non est: minor in litera; si ergo illud} antiquorum assertum {impossibile est} ut antea ratione necessaria approbamus, nūc rursus (post certam & demonstratiuam ratiocinationem, loco topico ex hypothesi superius posita, & quarto metaph. topice & tentatiue monstrandum) manifestamus: ergo si illud impossibile est, hoc quod est uere a nobis assertum, erit magis eligendum, ut non secundum uerbum negatum & affirmatum, esse, uel non esse, negatio desumatur, sed secundum modum dumtaxat. uero. n. omnia consonant, primo top. 10. ex quibus uniuersaliter de omnibus modis cōcludit: {Est ergo negatio huius: possibile esse: ea non possibile esse, sed non ea possibile non esse} rationem assignat: cur idem quod manifestum est de possibili, non tidem de contingenti, impossibili, & necessario explicet: quia eadē ratio per se omnibus competit: quare si de uno monstretur, de omnibus monstrari intelligitur. 4. top. ult. 2. top. 7.

TEX. BOETHII.

Fiunt enim quemadmodum in illis esse, & non esse oppositiones, subiectæ uerò res, hoc quidem album, illud uerò homo, eodem quoque modo hoc in loco esse quidem, & non esse, ut subiectum sit: posse uerò, & contingere appositiones determinantes (quemadmodum in illis esse, & non esse) ueritatem, & falsitatem. Similiter hæ in eo quod est esse possibile, & esse non possibile: eius uerò quæ est, possibile est non esse, negatio est non ea quæ est, non possibile est esse, sed ea quæ est, non possibile est non esse, & eius quæ est, possibile est esse, non ea quæ est, possibile est non esse, sed ea quæ est, non possibile est esse. Quare & sequi se se inuicem uidebuntur, possibile est esse, & possibile est non esse: idem enim possibile est esse, & non esse. Non enim contradictiones sunt sibijnuicem huiusmodi, possibile est esse, & possibile est non esse. sed possibile est esse, & non possibile est esse, nunquam simul in eodem ueræ sunt, opponuntur enim, neque ea quæ est possibile non esse, & non possibile non esse, nunquam simul in eodem ueræ sunt. Similiter autem & eius quæ est, necessarium est esse: negatio non est ea, quæ est, necessarium non esse, sed ea quæ est, non necessarium est esse; eius uerò quæ est, necessarium est non esse: ea quæ est, non necessarium non esse, & eius quæ est, impossibile esse, non est ea quæ est, impossibile non esse, sed hæc, non impossibile esse: eius uerò quæ est, impossibile non esse, ea quæ est non impossibile non esse. Vniuersaliter uerò (quemadmodum dictum est) esse quidem, & non esse oportet ponere quemadmodum subiecta: negationem uerò, & affirmationem hæc facientem, ad esse, & non esse apponere, & has oportet putare esse appositas dictiones, possibile, & non possibile: contingens, non contingens: impossibile, non impossibile: necessarium, & non necessarium, uerum, non uerum.

Vt enim in illis esse & non esse appositiones sunt, subiectæ uero res, hoc quidem album, illud uero homo; eodem quoque modo hæc in loco esse quidem & non esse, ut subiectum sit: posse uero & contingere appositiones determinantes (ut in illis esse, & non esse) ueritatem & falsitatem. similiter hæ, in eo, quod esse possibile, & esse non possibile: eius uero possibile est non esse, negatio est, non ea quæ est, non possibile est esse, sed ea, non possibile non esse: & eius, possibile est esse, non ea, quæ est possibile est non esse, sed ea non possibile est esse: quare, & sequi se se inuicem uidebuntur, possibile est esse, & possibile est non esse: idem impossibile, est esse, & non esse: non enim contradictiones sunt, sibi inuicem huiusmodi impossibile est esse, & possibile est non esse: sed possibile est esse, & non possibile est esse nunquam simul in eodem ueræ sunt:

oppo-

opponuntur enim neque ea possibile non esse, & non possibile non esse, unquam simul in eodem uera sunt: Eodem modo, & eius, necessarium est esse, negatio non est ea, necessarium non esse; sed ea, non necessarium est esse: eius uero, necessarium est non esse, ea, non necessarium est non esse. & eius, impossibile est esse non est ea, impossibile est non esse, sed haec, non impossibile est esse: eius uero, impossibile non esse, ea, non impossibile non esse. Vniuersaliter uero (sicuti dictum est) esse quidem & non esse, oportet ponere quemadmodum subiecta. haec uero negationem & affirmationem facientia, ad esse & non esse, apponere. & has oportet putare esse oppositas enunciationes, possibile & non possibile, contingens & non contingens: impossibile, non impossibile, necessarium non necessarium: uerum non uerum.

Assignata nunc ratione, quamobrem negatio in modalibus non sumenda sit ex uerbo negato nunc proportione quadam, a propositionibus de inesse desumpta, rationem adducit: cur negatiua fiat enunciatio, si negatio modo iungatur, non uerbo: ad hoc autem declarandum, primum ponit: sicut in illis de inesse uerbum affirmatum et negatũ sunt appositiones siue additiones, non quasi apposita, sed apponentes, atq; addentes, siue attribuentes prædicata subiectis: sed res quæ subiiciuntur, huic additioni, siue attributioni uerbi, circa quas attributio siue additio ista uersatur, sunt album, tanquam prædicatum, & homo tanquã subiectum: hinc uerbum forma ab Auer. appellantur: subiectum uero & prædicatũ, materiæ, subiectæq; res, in quibus ista additio fit, nuncupantur: formæ enim propriũ est, & uniri subiecto, secundo de anima tertio, & partes uniras complecti, & unire: primo de anima. 81. & 82. prædicatum uero atq; subiectum, materiæ iccirco dicuntur, quod uel apponitur, i. prædicatum, uel cui prædicatũ apponitur idest subiectum, & res quæ coniunguntur, uel a ptæ sunt, per uerbum coniungi dicuntur: quod conueniens est materiæ: hac de causa affirmatio & negatio in propositionibus de inesse penes uerbũ affirmatum & negatũ sumuntur, a quo modum & qualitatem compositionis prædicati cum subiecto (uerbo medio) sortiuntur: ita modus se habet ut additio; esse, uero & non esse, ut subiectum fit: cui, modus tanquam forma & additio attribuitur: manifestius cõpositionẽ ex uerbo affirmato, uel negato, productam, declarans, quæ tanquam materia se se habet, siue res subiecta, circa quã modi attributio fit. Ex his ratio cõponatur. Negatio illi parti iungenda est, quæ tanquã forma, & additio se habet, extrema coniungens, uel tali ratione coniungẽs, modus autem huiusmodi est: ergo &c. Inquit, quemadmodum in illis de inesse fiunt appositiones, siue additiones, et attributiones. s. ipsũ esse, & non esse, sed subiectæ res quæ adduntur, hoc quidem album, ut prædicatum est, illud uero homo, tanquã subiectũ, {Eodem quoq; modo,} Proportionem uerbi ad modos nunc confert: eodem quoq; modo esse, & non esse, ut subiectum efficiuntur, sed posse & contingere, appositiones fiunt, determinantes uerũ & falsum, s. contingenter uerum uel falsum quemadmodum in illis de inesse propositionibus, esse, & non esse, uerum & falsũ, simpliciter & in communi, determinabant, ita. s. prædicatũ in subiecto inueniri, ut per enunciationẽ designabatur, uel ita non inueniri. {Eius uero, possibile est non esse.} Huiusmodi oppositionẽ penes modũ desumptã, ueram ostendit inducendo singulos modos, Primum incipit a possibili: In quo contradictionis oppositio, ita fieri dicitur: cum simplex affirmatio de modo & dicto. i. uerbo, simplici negationi aduersatur: in qua tantum modus negetur, non uerbum: uel quando compositæ negationi de dicto, opponitur negatio etiam composita ex modo & dicto: ut cũ possibili ex uerbo negato, negatio possibilis additur ex eodẽ uerbo negato: non ergo negatio ex uerbo erit attendenda, sed modo, inquit, eius, possibile est non esse, negatio est, non ea, non possibile est esse, quasi negatio contradictionẽ constituens, ex uerbo sumenda, sit; sed ea, non possibile est non esse. Psellus rationem adducit: cur huius, possibile est non esse, non ea sit negatio, non possibile esse: quoniã hæc assignata negatio, huius est, possibile est esse: Sed huic forsan rationi, aliquis aduersabitur: nam idem possibile est esse, & non esse: ergo si huius possibile est non esse negatio est non possibile non esse: ergo non possibile esse. Dicas non possibile esse idem ualere impossibili esse & necesse non esse: hac de causa ut ipsis negationibus possibilis, dictum, siue uerbum, eodem modo sumendum est, ut uera enunciatio maneat: at possibili posito in aliquo, idem potest esse & non esse: quia remanet constans natura possibilis, cum aũt possibile negatur, possibile in naturam uertitur impossibilis: ac necessariæ priuationis prædicati ab ipso subiecto: hac de causa in affirmatione impossibilis, necessarii, & negatione possibilis (quod impossibili æquiualet) uerbũ eodẽ modo teneri ac sumi necesse est: cũ ad esse, uel non esse, sint necessario terminata. {Et eius possibile est esse, non ea, possibile est non esse.} Nunc assignare uolens eam, quæ econuerso posita est, possibile est esse, non possibile est esse. Primum assignat affirmationẽ & negationem possibilis, non esse affirmationem possibilis, ex uerbo affirmato uel negato: quia (ut dictum est supra, & nunc iterum repetitur. hæc se se inuicẽ consequuntur, atq; idem possibile est esse, & non esse, quare contradictiones sibi inuicem nõ sunt, quas impossibile est simul ueras esse. {Quare.} Concludit ergo perspicuum esse, huiusmodi contradictiones non esse: possibile est esse, & possibile non esse: sed possibile est esse, & non possibile est esse: hæc enim nunquam simul sunt ueræ in eodem: quoniam opponuntur. Idem ostendit de possibili non esse, et non possibili non esse. {Necessarium est esse.} Idem manifestat de necessario esse cuius negatio non est, necessariũ non esse, quia illa idẽ ualet impossibili esse, quæ nunquã uera esse simul possũt, necesse esse, & impossibile esse: sed negatio est, non necessariũ est esse: similiter necessarii non esse, negationẽ dicit, eẽ non necessariũ non esse. {Et eius impossibile &c.} Idem de impossibili esse, commonstrat: cuius negatio non est, impossibile est non esse, quoniã hæc æquiualet, necesse est esse, necesse aũt esse, & impossibile esse contrarie non contradictorie opponuntur: sed negatio est, non impossibile est esse: & impossibilis non esse, negatio est, non impossibile non esse. {Vniuersaliter uero,} Inductione in omnibus modis perfecta, uniuersaliter colligit quod superius positũ est: in enunciationibus coniunctis cũ modo, esse, & non esse, ponenda esse, tanquã subiecta, quæ determinanda sunt, hæc aũt facientia affirmationẽ & negationes. i. modos apponendos siue addendos esse tãquã formã determinantẽ cõpositionẽ prædicati cũ subiecto, uerbo est intermedio, ad esse, & nõ esse, tanquã subiecta et materias quæ determinãtur. {Et has oportet putare esse oppositas enunciationes.} Vt longioris sermonis epilogũ faceret, non integris enũciationibus (ubi uerba nectũtur) sed tantũ in dictionibus exẽpla ac inductionẽ proponit, ait q; oppositas per se dictiones esse: possibile, nõ possibile: contingens, non contingens: impossibile, non impossibile: necessarium, non necessarium: uerum non uerum: ubi statim aliquis dubitabit: quia quæ nunc ab Arist. colliguntur, aduersari uidentur his, quæ superius explicata sunt, de numero modorũ quos duos tantũ genere, uel quatuor tantum ab Ari. numerari specie, omnes fere expositores dixerunt: cur ergo hic uerum & falsum inter modos enumeratur? Ad hoc Ammo. animaduertens, & Psellus, ait, quod uerum & non uerũ, iccirco Aristoteles addidit, ut ex his duobus moneret, præter quattuor dictos alios modos

innumerabiles esse; sed quatuor his fuisse contentum, ratione quam superius explicauit: quia illi maxime uniuersales fuerunt: & maxime rerũ naturæ familiarissimi. Sed mihi responsio ista non placet: quatuor modi tanquam maxime uniuersales numerati fuerunt, cur uerum & falsum eeliquit, quæ (ut ipse opinatur) Aristot. tanquam modos enũciat, qui uniuersaliores sunt quatuor præassignatis ab illis distincti? nam uerũ & falsum ab omnibus aliis supponuntur. Præterea nonne uerum & falsum, familiarissima esse enunciationũ dicentur, quæ uel tanquã differentiæ uel propria accidentia in definitione enunciationis ponuntur? Ita igitur satisfactio quoniam Arist. proportione quadam accepta a propositionibus ueris & non ueris (idest de inesse, ab esse & non esse, quibus negatio additur, tanquam formę addenti, ac adiungenti prædicatum cum ipso subiecto) declarauit similiter negationem modis addendam, propterea nunc eorum omnium, quæ de modis quatuor docuit, & de esse, & non esse. i. uero & non uero, conclusionem collegit: quorũ proportione negationis additæ uero & non uero. i. esse & non esse, perspicuũ fit, negationem eandem, modis addendam fore, non uerbo: non itaq; uerum & non uerũ, tanquam modi ponuntur, sed ut affirmatio uel negatio, uerum uel falsum, enunciant: in propositionibus ergo de inesse, sicut ipsum esse, & non esse, determinant affirmationem uel negationẽ: ita & modi, esse, & non esse. Quæunt, an uerba & modi sint appositiones & prædicata: Suessa respondet, aliorum prius responsum adducens: non dici simpliciter prædicata, sed formalia prædicata. Hos ipse refellit. Primum, quia peripatheticorum loquendi modũ non seruant. Item prothesis græce, appositionem significat: appositum aũt prædicatum uocatur. Item Commen. uerbum magis esse prædicatũ affirmat quàm subiectum. Sed contra quia si per additionẽ intelligit prædicatũ, quod apponitur, ergo prædicatum album, etiam appositio, idest prædicatum appositum diceretur, non subiecta res. Præterea Arist. se ipsum declarat, quomodo esse, & non esse, contingere, & posse, appositiones uocentur: ut ueritatem & falsitatem determinantes, quod propriũ est formæ, tertio phy. 59. Ex hac ergo proprietate, appositiones dicuntur uerba, atq; modi, q̃ compositionẽ prædicati ad subiectum determinant, nõ quia ipsa sint prædicata (ut tam multis primo libro docuimus) sed appositiones, siue additiones, attributiones, non tanquam res additę, sed quibus addi prædicata, & uere apposita, subiectis signatur. Amplius Auer. in paraphrasi nõ affirmat, uerbum prædicatum uocari, sed negationis terminum iungi cum re, quæ est in prædicatione loco formæ quæ est uerbum inuentionis, non cum re, quæ est loco materiæ, quæ est prædicatum: sicut modus additur, uerbo, & clarius rationem assignans primi dicti, in carentibus modo, ait: illud est, quia uerbum significat qualitatem dispositionis prædicati cum subiecto: non ergo uerba & modi prędicata dicuntur, sed appositiones, determinationem ac qualitatem dispositionis signantes prædicati cum ipso subiecto. Quare non contra peripatheticorum uerbum, ac græcum loquuntur qui modos & uerba, formas determinantes (proportione quandam) appellant, non prædicata: cum semper sint nota eorum, quę dicuntur de alio uel sunt in alio: non ergo uerba, formæ dicuntur appositæ, sed ut causa, ac unionem prædicati cum subiecto signantes, ut sermo similitudinẽ, non idẽ significet. Quærunt quid sit possibile uerum, distinctum a necessario? quod petendum esset primo priorum. 4. 14. 18. secundum sectionem Auer. ex his locis talis descriptio sumitur: quod non est necessarium loco generis, quo posito inesse, uel non inesse, nullum sequitur impossibile, loco differentiæ: itaque non solum uerum est, de eo quod est in potentia, & non est in actu saltem per accidens (ut opinatur Suessa) sed etiã de eo quod est inuentum & non inuentum. Id tamen est secundum Arist. sententiam intelligendum, per accidens non per se, primo priorum. 4. 14. Illud enim consideratũ; ut actu existens, propositionem de inesse constituit: sed quod est, conceptum ut potest nõ esse, uel quod non actu est, quatenus potest esse, rationem possibilis induit: quæ pars alia possibilis ponitur: quo non existente necessario posito tamen esse uel non esse nullum sequitur impossibile. Petunt an modales uariari possint per sensum diuisum atq; compositum. Respondent uariari quidem posse: sed hoc differre, quando modis præcedit uel subsequitur, est de sensu composito: quando autem medium continet locũm; est de sensu diuiso: Exemplum primi: possibile est album esse nigrum; uel album esse nigrum possibile est: cum sumitur pro accidente disparato siue aduerso, quod nunquam potest in alterius naturam conuerti: iccirco falsa est: exemplum, secundi, album possibile est esse nigrũ uera, quoniam subiectum refertur, quod nunc existens sub albedine, alias potest existere sub nigredine. Sed hi improbantur. quoniam nulli firmæ radici innituntur, nomina enim & uerba, siue prædicata & subiecta, dũ eadẽ manent subiecta uel prædicata, & uerba, idem uerũ significant. at modus, uel prædicato, uel uerbo confertur (ut nos docuimus) ubicunq; ergo erit, idem uerum signabit: sicut uerbum, uel priori, uel medio, aut nouissimo loco ponatur, eandem ueritatem significat. Præterea. Aliud dictum falsum adiungunt. modales, quando sunt de sensu composito, esse de inesse: sed quando sunt de sensu diuiso, tunc esse modales: Nam contra: quia natura entis possibilis proprie est quæ non existit actu, sed potestate, & si actu (ut diximus) non nisi ut potest non esse: ergo illa metres non est actu & potentia, maxime in necessariis & impossibilibus: Præterea (ut supra retulimus) hic modales ponũtur, quæ tales sunt ex materiis significatis, & ex modis tanquam propriis signis: semper ergo eodem modo sumuntur, ut utrunq; sensum efficiunt. Postulant, an enunciationes modales sint quantæ? uniuersales, particulares indefinitæ: &c. Breuiter dicas, si nullo expresso signo enũciationes ponantur: necessaria, & impossibilis, æquiualẽt uniuersali, contingens uero & possibilis particulari, uel indefinitæ: si autem ex signo quantitas attendatur, ex his iudicanda erit, quę dicta sunt primo libro, uel sectione secunda: Nouissime sciscitantur: cur solum oppositionis contradictoriæ non contrariæ & subcontrariæ meminit? Ad hoc Suessa respondet: quia loquitur de modalibus secundum se totis: quæ ut sic singulares sunt: nam modus (a quo quantitas sumitur) prædicatum est secundum Boethium. dictum autẽ totum, quod subiicitur, singulare est: singularia autem ad inuicem, solum contradictoriè opponuntur. Sed quanto in errore opinio ista uersetur, ex his perspicuum esse potest. supra enim ex primo priorũ monstrauimus, & in inferius declarandis, Ari. de modalibus oppositionem, & consecutiones docere: quatenus ex materia significata, & modis tanquam signis, clarius ac manifestius significantibus, componuntur: si ergo materia necessaria, & impossibilis (ut ipsemet Suessa fatetur) æquiualẽt omni & nulli, uniuersales igitur erunt: possibiles uero, uel particulares, uel singulares, aut indefinitæ, quibus aliquando esse, & non esse, tribuitur. Præterea si modus dispositionẽ & qualitatem inuentionis prædicati cũ subiecto designat, uel necessario, ergo omni subiecto tempore, & loco uel impossibile erit alicui conuenire &c. ergo omni uel nulli dicetur inesse: uel alicui sic, alicui non. Nec ratio (quam ex Boethio sumere se affirmat) est uera: quoniam & falsum assumit: modum prædicatum uocari: sed additionem esse, siue appositionem determinantem, quo nam modo prædicatum insit subiecto: determinatio aũt ista, uel explicat prædicatũ inesse omni, uel nulli subiecto uel saltem alicui. Nec etiam si daretur modũ, prædicatũ, esse simile uerbo: propterea tota propositio singularis eẽt

dicenda

dicenda: si enim prædicatum per se est, omni conueniet, uel si impossibile, ab omnibus remouebitur: si per accidens alicui saltem continget: non ergo tantum singularis reddetur. Amplius istę contradictione opponuntur, necesse est esse, & possibile est esse, sicut necessarium, & non necessarium. Istæ autem non opponuntur sicut singulares, sed sicut necessariæ, quæ idem ualet quod omnis, possibile, quod aliquis, necessariò non est. Ad hæc fit hic mentio necessariæ & impossibilia, quæ æquiualent omni, & nulli, hæc autem oppositionem contrariam faciunt. Item penes possibile, quod idem potest esse, & non esse: quæ subcontrariam oppositionem in particularibus edunt: Dicendum ergo mihi uidetur, Arist. propositum non fuisse, oppositionum species contrarias, contradictorias inter uniuersalē & particularem, & subcontrarias assignare, sed contradictionē in commune: quæ ex affirmatione & negatione desumitur: quæ communis est singulis oppositionis speciebus: In hoc enim tantum enunciationes de inesse, affirmatiuæ uel negatiuæ ab enunciationibus cum modo coniunctis dissentiunt: assignata ergo in modalibus, affirmationis et negationis conditione ac natura diuersa, cæterę oppositionum species perspicuæ fiunt; ex his quæ sectione secunda Aristot. docuit. in reliquis enim conueniunt, ut ex infra dicendis manifeste monstrabitur. ubi dicetur, hanc, possibile esse, sequi contradictoriè non impossibile esse: & hanc, impossibile esse, sequi contrariè necesse non esse, & subalternè (ut dicunt) non necesse non esse.

TEX. BOETHII.

Consequentiæ uerò secundum rationem fiunt cùm ita ponuntur: illam enim quæ est, possibile esse, sequitur ea quæ est, contingit esse, & hæc illi conuertitur: & non impossibile esse: & non necessarium esse: illa uerò quæ est, possibile non esse, & contingens non esse, ea quæ est, non necesse non esse, & non impossibile non esse: illam autem quæ est, non possibile esse & non contingens esse, ea quæ est, impossibile esse, & necesse non esse: illam uerò quæ est, non possibile non esse, & non contingens non esse, ea quæ est, impossibile est non esse, & necessarium est esse. Consideretur autem ex subscriptione quemadmodum dicimus.

Prima descriptio consequentium.

I	III
Possibile esse	*Non possibile esse.*
Contingens esse	*Non contingens non esse.*
Non impossibile esse	*Impossibile esse*
Non necessarium esse	*Necessarium non esse*
Possibile non esse	*Non possibile non esse*
Contingens non esse	*Non contingens non esse*
Non impossibile non esse	*Impossibile non esse*
Non necessarium non esse	*Necessarium esse*
II	IIII

Hæ igitur impossibile, & non impossibile, eam quæ est, contingens, & possibile, & non contingens & non possibile sequuntur quidem contradictoriè, sed conuersim. Eam enim quæ est, possibile esse negatio impossibilis sequitur, negationem uerò affirmatio: nam illam, non possibile esse, ea quæ est, impossibile esse, affirmatio enim est, impossibile esse: non impossibile uerò negatio. Necessarium uerò quemadmodum se habet considerandum est. Manifestum est enim quoniam non eodem modo, sed contrariè sequuntur: contradictoriè autem sunt extra. non enim est negatio eius, quæ est, necesse non esse, ea quæ est, non necesse est esse, contingit enim ueras esse utrasque in eodem, Quod enim est necessarium non esse, non est necessarium esse.

Consecutiones uerò secundum rationem fiunt, ita statuentibus, hanc enim possibile esse, sequitur ea, contingit esse, & hoc cum illo conuertitur, & non impossibile est esse, & non necessarium esse. Illam uerò possibile non esse, & contingens non esse, ea, non necesse non esse: & non impossibile non esse, Illam autem, non possibile esse, & non contingens esse ea, impossibile esse, & necesse non esse: Illam uero non possibile non esse, & non contingens non esse, ea, impossibile non esse, & necesse est esse: consideratur autē ex subscriptione quod dicimus.

Antiquorum descriptio quæ habetur in litera græca.

Prima descriptio	*Tectia.*
Possibile esse	*Non possibile esse*
Contingens esse	*Non contingens esse*
Non impossibile esse	*Impossibile esse*
Non necesse esse	*Necesse non esse*
Secunda.	*Quarta.*
Possibile non esse	*Non possibile non esse*
Contingens non esse	*Non contingens non esse*
Non impossibile non esse	*Impossibile non esse*
Non necessarium non esse	*Necesse esse*

Hæc igitur impossibile, & non impossibile, eam quæ est contingens & possibile, & non contingens & non possibile sequuntur quidem contradictoriè, sed conuersim. eam enim possibile est esse, negatio impossibilis sequitur: negationem uero affirmatio. nam illam, non possibile est esse, ea, impossibile est esse sequitur, affirmatio enim est impossibile esse: non impossibile uero negatio. necessarium uero, quemadmodum se habet, considerandum est, manifestum est enim quoniam non eodem modo, sed contrariè sequuntur. contradictoriæ uero separatim. non enim est negatio eius, necesse non esse. ea, non necesse esse, contingit enim ueras esse utrasque in eodem, quod enim necessarium est non esse, non necessarium esse.

Explicato primo modo, idest quo enunciationes cum modo coniunctæ, ad inuicem opponantur, nunc ad secundum accedit, quo nam pacto, in diuersis oppositionum speciebus ad uerum falsumq; explicandū se habeant, an negatione præposita, ut in contradictoriis, uel postposita, ut in contrarijs se se consequantur. Primum aūt (ut Cōm. & Ammonius aiunt) consecutiones famosas præponit: secundum rationem quam didicimus: ut negatio semper modo, non uerbo iungatur: consecutiones autem ueræ quibus Ari. cum antiquis consentit, sunt illæ quæ sunt de possibili & contingenti. quæ tanquam eadem, & reciproca siue conuertibilia capiuntur. similiter quæ de possibili & impossibili contradictoriæ sed ab antiquis dissentiet in necessario: quod contrariæ impossibili oppositum non contradictoriè, consequente ad possibile: nam hæc ueritas erit: possibile & contingens est esse, ergo non impossibile, ergo non necesse non esse: non ut antiqui opi

nantur, non necesse esse, similiter falsum erit quartum mēbium positū in fine secundæ partis descriptionis antiquorū ut infra patebit: inquit ergo (& consequentiæ fiunt, secundū rationem) negationis adiunctæ modo ita ponentibus. Petes cur consecutiones istas antiquorum enumerat, eum falsæ ponantur? Dicas ex eodem Arist. primo top. nono quod eorum opinio reiicienda non est, quæ ratione procedit: hæc autem consecutionū sententia secundum rationem procedit, licet non in singulis ueram: quare repudianda non fuit, in his præsertim quæ uera dixerit: licet in addito falso inferius improbabitur: ex omnibus autē ipsorum dictis, ueritas Aristot. confirmatur: qua dictum est, negationem modo, non uerbo coniungi: Antiquorum ergo hac ratione opinantium consecutiones iste ponuntur: Illam possibile esse, sequitur ea contingit esse, & hæc illi conuertitur, id est contingit esse ergo possibile esse: cum propriè contingens et possibile desumantur: non autem si unū propriè, alterum uero communiter: tertio. ergo non impossibile esse: cōtradictorie negatione præposita, & uere consequitur: quarto ergo non necesse est esse, in qua Aristot. ab antiquis dissentit: quia non contradictorie sumptum necessarium, sed contrariæ impossibili, cum præposita negatione & postposita, possibile sequitur, idest non necesse non esse: ut infra dicetur: quoniam non impossibile esse, contrarie opponi dicetur, non necesse non esse, propter negationē postpositam: nam præposita negatio in utroque supponitur, in postposita uero dissentiunt. { Illam uero, possibile non esse. } Ponit consequentes possibilem & contingentem affirmatiuam de modo, & negatiuam de uerbo, siue dicto. Illam possibile non esse, & contingens non esse, tanquam antecedentem, ea consequitur non necesse non esse, secundum famam, & falso, sed uere, non necessarium esse, & non impossibile non esse { Illam autem, non possibile esse. } Ponitur consecutio negatiuæ simplicis: ubi modus, non uerbum negatur. Illam autem, non possibile esse, & non contingens esse, ea sequitur impossibile esse, necesse non esse. { Illam uero, non possibile nō esse. } Assignantur nunc consequentes negatiuæ possibilis, cum modus & uerbum negatur. Illam uerbo non possibile non esse, & nō contingens non esse, ea sequitur, impossibile non esse, necesse esse, ut patet in descriptione quam superius annotauimus. { Hæc ergo impossibile. } Descriptis consecutionibus antiquorū secundum rationem, nunc quid ueri contineat, quid ue falsi considerat: conceditque uera esse, quæ dixere de contingenti, possibili, & impossibili, quod contradictorie cum negatione præposita consequatur, atque relicto possibili & contingenti, quæ se conuersim sequuntur, ad impossibile nunc accedit: de quo has regulas (ut omnes consentiunt) ponit: hæc ergo impossibile, & non impossibile, eam enunciationem contingens & possibile, & esse & non contingens & non possibile: tanquam antecedentem sequuntur contradictorie, sed conuersim, siue ordine obuerso, uel uerso modo, idest (ut Aristotel. se ipsum declarat) eam enim affirmationem possibilis, possibile esse, negatio impossibilis sequitur, non impossibile esse, non autem eo ordine quo sunt in litera posita, ne affirmatio impossibilis, affirmationem possibilis consequatur: Itaque affirmationem possibilis, negatio impossibilis consequatur: & negationem etiam possibilis, affirmatio impossibilis, similiter consequatur: quod exemplo declarat: nam illam negatiuam possibilis, non possibile esse, ea sequitur, impossibile esse: & conuerso: hæc enim est affirmatio impossibile esse: non impossibile uero negatio: { Necessarium uero. } Nunc illud declarat, in quo ab antiquis dissentit: & sicut impossibile consequens, ipsum possibile, declarauit contradictorie, negatione præmissa, proferri debere, ita nunc necessarium ut consequens impossibile manifestat: Primum proponit dicens, necessarium uero quemadmodum se habeat an contradictorie, uel contrarie, ad ipsum impossibile collatum, considerandum est. { Manifestum est, enim } Duo manifesta dicta ponuntur primum negatiuum, manifestum est enim quoniam non eodem modo, scilicet contradictore, impossibile & necessarium sequuntur, ipsum possibile, sed necessarium contrarie, contradictorie uero non. Quæres unde perspicuum & manifestum est, non sequi contradictorie: sed contrarie dicas ex infra dicendis, & primo libro: ubi ab nulli, omne, non sequitur nisi contrarie, sic impossibile, & necessarium, si impossibile ergo uere sequitur possibile contradictorie, necessarium ergo uere non sequitur, nisi contrarie. { Non enim est negatio eius. } Rationem dicti negatiui Aristotel. nunc assignat quod, scilicet ad hanc possibile esse, quæ affirmatiua simplex est, non recte consequitur contradictorie non necesse esse; ratio autem illa supponit, quod ad possibile esse, ut affirmationem, sequitur non necesse esse, ut negatio possibilis cum uerbo affirmato, & quod negationem possibilis, cōtradictorie etiam sequitur affirmatio necessarii. cum dicto siue uerbo negato, hæc, scilicet necesse non esse (ut ipsimet cōfitentur) similiter ergo possibile & necessarium se habebit, ut possibile & impossibile, quæ ordine obuerso, se inuicem sequebantur: possibile esse, ergo non impossibile esse, non possibile esse, ergo impossibile esse: hæc enim se consequuntur tanquam affirmatio & negatio: sic, possibile esse, ergo non necesse esse. Item possibile esse, ergo necesse non esse, quæ clare patent ex antiquorum concessis in prima & tertia descriptione: his ergo antiquorum positis arguit: si non necesse esse, sequeretur ipsam enunciationem, possibile esse, ergo tanquam negatio sequeretur, oppositæ affirmationis, quam ipsi fatentur sequi negationem possibilis, scilicet necesse non esse, ergo illæ non necesse esse, & necesse non esse se habent tāquam affirmatio & negatio quæ contradictorie ipsam possibile esse, & & non possibile esse consequerentur, in litera tantum consequentis, negationem apposuit, dicens: (non enim est negatio eius affirmationis, necesse non esse, ea quæ est non necesse esse:) cuius statim probationem adducit: contradictionis natura hæc est, ut una parte existente uera, reliqua sit necessario falsa: sed has contingit ambas est ueras in eodem: quia quod est necesse non esse, non necesse est esse: ut in omnibus aduersis, siue disparatis speciebus perspicuum est: hominem enim necesse est non esse belluam, & hominem non necesse est belluam esse hæc mihi uidetur intenta ratio literæ, quæ latuit multos, quam optime, animaduertit Auerroes. ibi (qui non est negatio dicti nostri, necesse est ut non inueniatur, quod consequitur ex dicto nostro non possibile est esse dictum nostrum non necesse est esse, quod consequens ex dicto nostro, possibile est esse) quasi dicat ad contradictoria possibilis, sequi deberent etiam contradictoria necessarii, & non necessarii: comodo quo antiqui ponebant: sed hæc consequentia non contradicunt: non ergo non necesse esse, & necesse non esse, contradictorie ad possibile, & non possibile consequuntur: ergo per æquiualentem impossibili contrarie cum negatione postposita consequetur. licet præposita negatio intelligatur ue communis impossibili & necessario, non impossibile esse, ergo non necesse non esse, ex his liquet quā falsa expositio Suesse, qua uult quod hic soluatur nescio qualis obiectio: cum manifeste litera causam assignet eius, quod proxime dixerat: ut particula (enim) reddens causam significat. & Auerroes (& illud est quia &c.) Item parum infra Arist. se exponit, a quo Comm. accepit ubi clarius hanc rationem percipies.

TEX. BOETHII.

Causa autem huius est, cur non sequitur similiter cæteris: quoniam contrariæ, impossibile esse, necessario redditur

tur idem ualens: nam quod impossibile est esse, necesse est hoc, non quidem, esse sed potius non esse, Quod uerò impossibile est non esse: hoc necessarium est esse, quare si illa similiter sequuntur possibile, & nō possibile: hæc econtrariò, quoniam non significant idem, necessarium, & impossibile, sed quemadmodum dictum est) conuersim.

Causa autem cur, non sequitur necessarium similiter cæteris est quoniam contrariæ, impossibile, esse redditur idem ualens: quod necessarium, nam quod impossibile est esse, necesse est hoc, non quidem esse, sed non esse. quod uero impossibile est non esse, hoc necesse est esse, quare illa similiter sequuntur, possibile & non possibile: hæc econtra; quoniam non significant idem, necessarium & impossibile, sed conuersim quemadmodum dictum est,

Duo superius dicta ab Arist. ponebantur: primum, negatiuum, non sequitur possibile contradictorię. Alterum affirmatiuum, sed contrarię: assignat rationem primi. ex antiquorum concessis, quia si contradictorię sequitur eã, possibile esse, illa non necesse esse, ergo, & eam, & non possibile esse, contradictorię sequeretur necesse non esse, ergo consequentia (ex eorum etiam positis) essent contradictoria: nam si antecedentia contradicunt, ergo ęquipollentia consequentia contradicerent: quod falsum, & fama etiam falsum esse monstrauit. nunc causam secundi dicti affirmatiui, & primi proponit, cum ait: causa autem cur non sequitur necessarium similiter cæteris, scilicet contradictorię, sed contrarię, hæc, scilicet est, quam dicemus, quoniam impossibile & necessarium cõsequuntur ipsam, possibilem & contingentem orationem, quatenus idem ualentia sint æquiualentia cum possibile: & necessarium cum impossibili: sed (ut diximus) impossibile (quod immediate consequitur ipsum possibile & contingens) tunc idem ualet, quando cum pręposita negatione profertur, & contradictorię: necessarium uero, & impossibile, idem ualere ostenduntur, cum contrarię proferuntur, ergo sic ipsum possibile consequentur: minor in litera (quoniam contrarię, impossibile esse, redditur idem ualens) quod necessarium quod exemplo commonstrat & sensibus: (nam quod impossibile est esse, necesse est hoc, non quidem esse, sed potius necesse est non esse:) & hæc duo consequuntur, non possibile esse: alterum, scilicet impossibile contradictorię, alterum uero necesse non esse, contrarię{ Quod uero impossibile est non esse, } Consequẽtia nunc assignat, non possibilis non esse: quæ quarta descriptione ponuntur: nam hanc, non possibile & non contingens, non esse, contradictorię (sequitur ut idem ualens). impossibile est non esse: & hæc, impossibile non esse, reddetur contrarię idem ualens huic, necesse est esse, ergo ita sequentur. { Quare si illa similiter sequuntur. } Conclusionem nunc colligit dicens (quare si illa) scilicet non impossibile, & impossibile (similiter) idest contradictorię semper negatione præposita modo (sequuntur possibile & non possibile) ut negatio impossibilis affirmationi possibilis, & contra respondeat (hæc) quæ nunc explicauimus, de necesse non esse, & necesse esse (econtrario) consequuntur, idest negatione postposita; cuius nunc rationem etiam repetit: (quoniam necessarium & impossibile, non idem significant) cum; scilicet contradictorię proferuntur sed conuersim, siue ordine obuerso) non simili, ei ordini contradictorio, quem diximus de possibili & impossibili (sed quemadmodum dictum est,) idest contrarię. Peter cur Arist. explicans necessarium, idem ualere cum impossibili, quando contrarię disponitur, id in tertia & quarta descriptione monstrauit, non prima siue secunda, idest in his quæ consequuntur, non possibile esse, & non possibile non esse? Dicas illis ultimis duabus descriptionibus, Arist. ab antiquis non dissentire: bene in primis duabus: circa necessarium contradictorię positum: ut ergo ex concessis, & notioribus procederet à duabus ultimis descriptionibus cæpit: quæ propterea sic disposita, non possibile esse, & impossibile esse, uerum enunciant, quia contradictorię disponuntur; & necesse non esse, contrarię, sic non possibile non esse: & impossibile non esse, & necesse esse.

TEX. BOETHII.

At certè impossibile est sic poni contradictiones necessarij. Nam quod est necessarium esse, possibile est esse: nam si non negatio consequetur, necesse enim est aut afirmare, aut negare, quare non est si possibile esse, impossibile est esse: igitur impossibile est esse, quod necesse est esse: quod est inconueniens. At uerò illam, quæ est. possibile esse: non impossibile esse, sequitur. Hanc uerò ea, quæ est, non necessarium esse: quare contingit quod est necessarium esse, non necessarium esse: quod est inconueniens. At uerò neque necessarium esse sequitur eam, quæ est, impossibile esse: neque ea quæ est, necessarium non esse. Illi enim utraque contingit accidere, harum autem utralibet uera fuerit, non erunt illa uera: simul enim possibile est esse, & non esse. Si uero necesse est esse, uel non esse, non erit utrunque possibile: relinquitur ergo non necessarium non esse, sequi eam quæ est, possibile. Hæc enim uera est, & de necesse esse. hæc enim fit contradictio eius, quæ sequitur illam, quæ est non possibile esse: illa enim sequitur eam quæ est impossibile esse, & necesse est non esse, cuius negatio est, non est necesse non esse. Sequuntur igitur & hæ contradictiones secundum prædictum modum, & nihil impossibile contingit sic positis,

Secunda descriptio;

I	III
Possibile esse	*Non possibile esse.*
Contingens esse	*Non contingens non esse.*
Non impossibile esse	*Impossibile esse*
Non necessarium non esse	*Necessarium non esse*
Possibile non esse	*Non possibile non esse*
Contingens non esse	*Non contingens non esse*
Non impossibile non esse	*Impossibile non esse*
Non necessarium non esse	*Necessarium esse*
II	IIII

An impossibile est sic disponi contradictiones necessarij? nam quod est necesse esse, possibile est esse: sin minus negatio consequetur: necesse enim est aut affirmare aut negare: quare si non possibile est esse, impossibile est esse, igitur impossibile est esse quod necesse est esse, quod est inconueniens. At uero illam possibile esse, non impossibile esse sequitur; hanc uero ea, non necesse esse. quare quod est necesse esse continget non necessarium esse, quod est inconueniens. At uero neque necessarium esse, sequitur eam, possibile est esse. neque ea, necesse non esse, illi enim utraque contingit accidere. horum uerò utrumuis uerum fuerit, non uera etiam erunt illa. simul enim possibile est esse & non esse; si esse uel non esse necesse est, non erit utrum-

que possibile: relinquitur ergo, non necesse non esse, sequi eam, possibile esse: hec enim uera est, & de necesse esse: hec enim fit contradictio eius, que sequitur illam, non possibile esse. Illam enim sequitur impossibile esse, & necesse non esse, cuius negatio est, non necesse non esse: sequuntur igitur & he contradictiones ut dictum est & nihil impossibile contingit, sic disponentibus.

Secunda Arist. Descriptio: ex Greco, uirtute deducta.

Prima.	*Tertia.*
Possibile esse	*Non possibile esse*
Contingens esse	*Non contingens esse*
Non impossibile esse	*Impossibile esse*
Non necesse non esse	*Necesse non esse*
Secunda.	*Quarta.*
Possibile non esse	*Non possibile non esse*
Contingens non esse	*Non contingens non esse*
Non impossibile non esse	*impossibile non esse*
Non necesse esse	*Necesse esse*

Ammonius. Auerroes. ac cæteri oēs conueniunt. Aris. iterum uelle probare illam, possibile esse, non posse consequi, non necesse esse: Primum proponit topice inquirendo, quoniam ratio (ut decemus) non est undequaque uera, sed quodam posito, quod posterius ab eodem Arist. declarabitur. proponens igitur ait (an impossibile est sic poni contradictiones necessarii,) scilicet contradictoriè, ut antiqui in prima & secunda descriptione ponebant: ratio autem literæ, ex unico assumpto procedit, quod ratione ducente ad inconueniens approbat, scilicet. Ipsam, necesse esse, consequi, possibile esse: ergo ipsam possibile esse, non sequitur, ut opinantur antiqui non necesse, esse, tanquam æquiualens: quia nullum idem potest esse consequens affirmationis, & antecedens negationis æquiualentis: nam si ad possibile sequitur necessarium contradictoriè, scilicet non necesse esse, igitur necesse esse, sequeretur non possibile esse, sic enim contradictoriè idem ualerent: si ergo ad necessarium, sequitur possibile, non igitur per negationem præpositam æquipollent: ut falsò dixerunt antiqui. de antecedente posito ait (nam quod est necesse esse, possibile est esse)(sin minus) Hoc positum ratione ducente ad impossibile manifestat, quia si ipsam, necesse esse, non sequitur possibile esse eius ergo contradictorium consequetur, non possibile esse. consecutionem manifestat, quia necesse est de quolibet aut affirmare, aut negare. quare si, ex dato, necessariam, non sequitur possibile esse, quare non possibile esse, ergo impossibile esse: ergo impossibile est esse, quod necesse est esse: quod est inconueniens: & aduersarii etiam tanquam falsum existimant. ut de eodem ambæ contrariæ sint ueræ { At uero illam possibile esse &c. } Iterum aduersarium ad inconueniens & confesse falsum deducit. si ipsam, necesse esse, impossibile esse sequatur, & non datum, possibile esse: nota quod tentatiue procedit ex proprijs concessis, & non ex extraneis primo top. secundo, primo elencho. secundo, nono, & 11. refellendo id in quo male uidentur dicere: primum tamen ponit, tanquam uerum illatum ex prædicto impossibili, quòd ad ipsam necesse esse, sequatur, possibile esse. secundo ponit quod antiqui in prima descriptione ponebant, scilicet illam, possibile esse. sequitur, non impossibile esse: hanc uero, ut ipsi, licet falso, putabant, sequitur: non necesse esse. quare a primo ad ultimum, necesse esse, non necesse esse, sequetur. quod est inconueniens. ac rerum naturæ repugnans, & confessum maxime falsum, cum duo contradicentia de eodem simul dicantur.

ne dum duo contraria, ut superius inconueniens, concludebat. Sed postulabis, qualis hæc ratio sit, ut ipsam, necesse esse, possibile esse sequatur? namq; aut possibile sumitur, quod simul est cum actu, quodq; nunquam separatur ab esse, aut sumitur pro uero possibili quod positum est conuerti cum contingenti, quòd nō semper est cum actu, & esse, sed quod non est, potest autem in futurum adesse: si primo modo sumatur, ipsum necesse esse, non sequitur possibile & contingens uerum, de quo antea antiqui philosophi loquebantur: sed potius contrariè, impossibile non esse, & contradictoriè, non possibile non esse. Item non secundo modo. quia Arist. sibi ipsi aduersantia diceret qui infra ait quòd ipsam, necesse esse, non possibile nō esse consequitur: non autem possibile uerum de quo uerum est, ut possit esse uel non esse. ergo necessarium posset esse & non esse. Item ipsum possibile superius & commune necessario ponitur, quod esse & actū nō abiicit. sed semper est cum actu & esse. Ad hæc Suessa respondet, sumi in præcedenti ratione unica, quam ipse in binas partitur, pro possibili alio (quod uocant,) idest pro eo possibili quod necessarium sequitur, simulq; perpetuo est cum esse & actu; non pro contingenti ad utrunque. Sed primum errat, quod unicam rationē in binas dispertit. Præterea cur æquiuoce Arist. in ratione alia loquitur, ubi manifeste possibile sumitur pro contingenti, ad utrumlibet: cū ait necesse esse, uel necesse nō esse, nō sequi ipsam possibile esse, quoniam illi, possibile esse, utraque contingit accidere, esse & non esse: sed tā necesse esse quam necesse non esse, terminatū esse significant. Aliter Gaietanus respondet eodē modo possibile in utraq; ratione desumpto possibili communi, necessario. & uero possibili ad utrūq; quod dicitur simul possibile esse & non esse, & illi utraque contingit accidere. quia quicquid actu uerificatur de inferiori, potestate, siue permissiue uerificatur de superiori, ut permittente sibi aduenire utranque partem: esse necessarii, & non esse contingentis. Sed contra solutionem hanc dubito, quoniam possibile sic definitur, quod simul potest esse & non esse. ut accidens, quod potest adesse & abesse primo top. quarto, sicut infra dicetur, simul possibile incidi & non incidi. Præterea de eo possibili Arist. loquitur quod destruitur, si illi ponitur tanquam consequens & æquiualens, necesse esse uel necesse non esse, quod est æquiualens illi, impossibile esse, possibile autem quod propriè destruitur, tanquam ex oppositis differentiis: ex necessario & impossibili, est contingens siue possibile ad utrunque: nam primo priorum. 18. apud Auerroem. Possibile distinctum contra necessarium, idest quod necessarium non sequitur, ita ab Aris. definitur, quod non inest actu, ut necessarium, eo tamen posito in esse, nullum sequitur impossibile: primum loco generis, ut priuat un existentia per se: sed dato & posito per casum, quod insit, uel non insit, nullum sequitur impossibile: uice differentiæ ponitur. ut enim ponitur in esse, differt ab impossibili, quod nunquam est, & ita a necesse non esse. Vt autem ponitur, non in esse, differt a necessario: hæc duo, ergo propriè, tanquam consequentia, uel ut eadem, uel quæ inuicem sine mutuo consequerentur possibile esse, illud destruerent possibile, quod ad utrunque se habet, ac distinguitur a necessario: nam infert Arist. si necessarium sequeretur, eam, quæ est possibile esse: possibile non erit necessarium: quia hoc dicit tantum esse, illud uero esse & non esse: sed necessarium dicit esse actu, ergo possibile dicet esse & non esse etiam actu: Similiter non esse: ut terminatum: modo ex necesse esse, non destruitur possibile commune necessario & uerè possibilis: sed possibile ad utrunque ad hæc dicitur: non erit utrunque, idest possibile: non erit commune possibili & necessario: & ita destrueretur natura possibilis, ut commune est necessario & possibili ad utrumq;, aliud concludit ex posito falso:

so: Postremo dubito contra ea, quæ a me etiam inferius cum Ammonio explicantur: nam de eius possibilis consecutionibus tractat; quæ mutuo & inter se æquipollent, ac se mutuo consequuntur: sed consecutiones ac æquipollentiæ possibilis, hic assignatæ, mutuo ac se inuicem, ultro citroque se consequuntur, cum contingenti siue possibili ad utrunque (quod non actu existit tanquam res necessaria, & si ponatur in esse, propter positum, nullum impossibile sequitur) ergo propriè possibili communi necessario & uero possibili non conueniunt: nam ait primo priorum. 18. necessarium contingere dicitur æquiuoce, idest diuersa ratione quam hic desumatur, prout ex Arist. dicitur, de mistione contingentis & necessarii ac de inesse, & quod contingens hoc sit, quod definitum sit, non necessarium: probat: quia de quolibet est uera affirmatio uel negatio: & hic similiter Arist. facit: cum ergo ei, quæ est de negato possibili, & contingenti, scilicet non contingit inesse, (ut æquipollentes dicantur) ergo & impossibile inesse, & necesse non inesse, quæ uel eadem sunt, aut se mutuo consequentes. ergo de affirmato possibili, oppositæ affirmabuntur, scilicet contingit inesse, ergo non impossibile inesse, non necesse non inesse: aut eadem sunt, uel erunt, aut se mutuo ultro citroque consequentia, quia de omni uera est affirmatio uel negatio, ergo de contingenti necessarium, uel non necessarium affirmabitur: cum ergo falso dicatur necessarium, ergo non necessarium non inesse: erit ergo contingens, non necessarium non inexistens: & non necessarium non inexistens, est contingens, de quo conuersiones in oppositam qualitatem subinfert, tam definitæ, quàm indefinitæ: contingere inesse, simul cum eo quod est contingere non inesse: & contingere omni, simul cum contingere nulli: quæ uera non sunt, nisi de uero possibili ad utrunque: ergo istæ æquipollentiæ, siue consequentiæ, mutuo ad inuicem, ultro, citroque conuertuntur cum possibili, non communi, & possibili, ad utrunque, sed tantum cum possibili ad utrunque, de quo primo priorum. 18. tractatur, idest de possibili ad inesse, ut distinguitur a necessario; cum ergo illæmet consequentiæ assignentur ab Arist. hic, ergo de possibili ad utrunque uere propriæ erunt, non de communi, siue quod dicunt, alio: Amplius quod non necessario non inest: ad sensum putatur de eo ante supponi: prædicatum non inesse subiecto: sed non necessario non inesse: quia ex posito, ac dato siue concesso potest poni inesse, cuiusmodi necessarium non est: quod semper actu inest subiecto, definitio autem communioris, conuenit per se omnibus contentis sub definito, ergo, uel hic Arist. loquitur de possibili ad utrunque, uel in primo priorum de possibili communi necessario & uero possibili: In partem arguitur oppositam quasi demonstratiue: hic parum infra Arist. affirmabit: non necesse non esse, sequi eam quæ est, possibile est esse. Item ait: hoc enim uerum est de necesse esse, si ergo dicitur æquipollens de possibili, & uera dicitur de necessario, ergo possibile ut cõmune considerabitur, non propriè ad utrũlibet. Ad dubium igitur principale dicatur consecutiones possibilis ab Arist. assignatas, conuenire possibili, prout quoddam commune analogũ est, possibili uero ad utrunque & necessario, ut dicit non repugnantiam: sic.n. utrisque communiter conuenit: & hoc significat non esse, & non necesse non esse, quæ uera sunt tam de possibili, quã etiã de necessario ut actu inest, & non impossibile est prædicatum inesse subiecto, propter quod tam necessarium, quam possibile ad utrunque, differũt ab impossibili, licet possibile ad utrunque per se & propriè, cum non insit, non impossibile sit ut accidens non inesse, sed necessarium, nõ impossibile est inesse, quia actu inest ut res necessaria; nã intelligentiæ & Deus sunt & intelligunt, ergo possunt esse & intelligere: quia non impossibile est illas esse, uel intelligere, quod alii uocant possibile logicum, non physicum, idest non repugnans, quod ex naturis propriis oritur, non aliis attributis. Item Arist. ait. quod est in actu est uere possibile, quod autem uere inest alicui, non per attributionem alterius conuenit. Præterea integra æquipollentia, non impossibile est inesse, non necesse non inesse, uera est tam de possibili ad utrunq; quam necessario, ergo non secundum partem, siue secundum quid possibile conuenit, cuius hic æquipollentiæ assignantur. Responsio ergo erit, licet ipsam possibile esse ad utrunque, sequãtur, non impossibile esse & non necesse non esse. aut tanquam eadem, uel se mutuo & ad inuicem consequentiæ non tamen solum & propriè quarto modo, sed uera sunt etiam de necessario, ut infra Arist. affirmabit. Sed instabis ex particula, mutuo & ad inuicem conuertuntur: Dicas non intelligi conuerti siue se mutuo consequi conuersione simpliciter, omnino & secũdum totum, siue uniuersatim, sed secundum partem, ut omne contingens sit non impossibile inesse, & non necesse non esse, sed non econuerso. Signum. quia Arist. primo priorum conclusit: erit ergo contingens non necessarium, et non necessarium contingens, quæ conuersio indefinita est, æquiualens particulari in materia contingenti: Obiicies quia parum infra ex eadem conuersione uniuersaliter intulit; accidit autem omnes propositiones, quę secundum contingẽs sunt conuerti ad inesse et non inesse, omni et nulli, et omni, et non omni etc. eodem modo et in aliis, cuius rationem assignat. quoniam enim contingens, non est necessarium non esse uel inesse, quare si id conuenit contingenti ad utrunque, tanquam propria definitio, qua differt a necessario, per hoc quòd non est necesse esse, sed non existens necessarium et in actu, sed contingens non inesse, ergo per se, et de omni conueniet, et ita conuersio erit simpliciter, et uniuersatim uera. Dicas id intulisse ex natura non necessarii, ad quod sequitur, contingens non inesse, et ad contingens non inesse, sequitur contingens inesse, ex natura contingentis. quod potest adesse, et abesse, non ex non necessario non inesse. nam postquam Arist. ex communibus consecutionibus intulit: possibile esse distinctũ ab impossibili, scilicet quo posito inesse, propter hoc nullum sequitur impossibile. nam ipsum possibile sequitur negatio impossibilis, scilicet non impossibile esse, non necesse non esse: hoc ergo uerè distinguitur ab impossibili: deinde ibi. { De omni enim affirmatio, aut negatio uera est. } manifestat contingens distingui a necessario, quoniam de illo negatio necessarii prędicatur conuersim, siue reciproce, scilicet contingens, non necessarium, et econtrario ex quo de non necessario, et contingenti intulit, conuerti in oppositam qualitatem, ut contingere omni, conuerti cum contingere nulli etc. Sed contra hoc obiectio remanet, quoniam non necessarium, non est propria definitio, et differentia contingentis et possibilis ad utrunque: nam non necessarium uerum est, tam de uero possibili, quàm etiam de impossibili: erit igitur addenda propria differentia: ut non sit necessarium non inesse, quo propriè ab impossibili, et ex hoc quòd inest actu ex posito, et per se non existit, distinguitur a necessario: sed hoc dato, quòd differentia sit possibilis ad utrunque, scilicet non necesse non inesse, ergo conuertetur simpliciter. Respondeas esse differentiam possibilis, qua differt ab impossibili, sed qua conuenit cum necessario, secundum non repugnantiam saltem: si uero quis pugnacissimè uelit instare in uerbis illis, aut eadem sunt, aut se mutuo et ad inuicem conuertuntur, Intelligat de his æquipollentiis, quæ consequuntur ipsum possibile ad utrunque, non de ipso possibili quod est antecedens, scilicet de illis duobus, non impossibile esse, et non necesse. Illa enim duo uniuersatim se inuicem consequuntur, aut eadem sunt: si uero dicas illa Arist. dixisse uera esse de tribus, scilicet contingit inesse, non impossibile inesse et non necesse non esse, quòd aut

eadem sunt, aut, se mutuo & ad inuicem consequẽtia. Dicas (ut supra) non conuerti mutuo simpliciter, & secundum totam, & integram rationem possibilia ad utrunque: sed tantum secundum non repugnãtiam, non impossibile esse quod conuenit necessario & possibili ad utrunque: itaque tam primo priorum quam hic consecutiones apposuit quæ conueniebant possibili ut commune quoddam est, tam possibili ad utrunque, quam, necessario. {At impossibile est sic disponi necessarii.} Noua literę expositio posset referri: quæ tamen non tanquam omnino ueram proponit, quia consequenti literæ non concordat: ex posito est. Nam aliquis ab Arist. sciscitabitur. Declarasti qualiter disponendæ sunt contradictiones possibilis: quatenus ad contingens, impossibile, & necessarium cõferuntur. Similiter improbasti, illam possibile esse, nõ sequi contradictione non necesse: declara nunc contradictiones necessarii, ut ad possibile conseruotur: an impossibile sic, contradictione necessarii ita contradictorie poni: ut ipsam, necesse esse, contradictorie consequatur non possibile esse: sicut antiqui opinabantur ipsam, possibile esse, sequi posse, non necesse esse? nam infra Arist. ostensurus est contradictiones & consecutiones necessarii quodq; simili ratione, contrarie consequetur, non possibile non esse: nam in contradictionibus aliis contingentis, & impossibilis antiqui ab Arist. non dissentiunt: & ex hac improbatione, qua Arist. reiicit, necessarii contradictiones, non sic etiam ponendas esse contradictorie, improbabitur etiam ipsam, possibile esse, contradictorie non sequi, non necesse esse: hac ratione, quoniam contradictionum æquiualẽtium, si una æquiualet alteri contrarie, & è conuerso idẽ ualebit; ut si hæc, omnis homo non currit, idem ualet illi, nullus homo currit, negatione postposita, ita è contrario: nullus homo non currit: ergo omnis homo currit: sic ipsam possibile esse, contrarie sequitur non necesse non esse, sicut infra dicetur. ipsam, necesse esse, sequetur æquiualens, non possibile non esse, contrarie: non contradictorie non possibile esse: id itaque Arist. ostensurus, quia res non penitus perspicua, sed interius postulanda est, quã ad propositum explicandum assumit, iccirco illam tãquã quodammodo dubiam petit: & approbat: & ratio, quam intendit, hæc est: ipsam enunciationem antecedentem, necesse esse, sequitur possibile esse: non ergo eius contradictoria, non possibile esse: ex quo præcedens improbatio confirmatur: si hæc non æquiualet necessario non possibile esse: contradictorie posita, nec econuerso. idest non necesse esse, idem ualebit, et, quæ est, possibile est esse. {Nam si non.} Quia assumptum ad probandum inũctum quodammodo difficile erat, nõdum explicatum, inferius autem & petendum & indicandum, propterea illud ratione ducente ad inconueniens manifestat: quia si non sequitur possibile, ergo impossibile: ergo idem, quod est necesse esse, impossibile erit esse: Item cum ex sequatur ipsam, possibile esse, non necesse esse, ergo idem quod necesse est esse, erit non necesse esse: quæ explicatio Arist. ex concessis antiquorum procedit partim (ut supra dixi) ex proprio illato per impossibile, propterea possibile sũ psic sequi ipsam necesse esse: ut possibile uniuersale quoddam est ad necessarium & possibile ad utrunque: ad eius negationem uere sequitur, ergo impossibile est esse: neque necesse est assumere eodem modo possibile, quo antiqui cœperunt, cum ipse nunc ex uero principio improbet ipsam, necesse non sequi contradictorie non possibile esse: ex quo uero principio, opinio infirmatur, & assumptis propriis antiquorum cõcessis, illos etiam improbat in quo male uidẽtur asserere, de possibili esse, quòd illam sequatur non necesse esse: sic enim uera non esset de necessario secundum indifferentiam quòd scilicet non impossible sit inesse, idest non repugnans. {At uero neque necesse esse, sequitur eam, possibile est esse.} Destructo quòd eam quæ est possibile esse (ut commune est necessario & possibili ad utrunque) non sequitur non necesse esse: nunc duas alias reiicit: quod ipsam possibile esse, nõ consequatur, ea quæ est necesse est esse, uel necesse non esse: ut ex hoc inferius concludatur a sufficienti partium enumeratione, ergo sequitur non necesse non esse: proponit & at uero neque necesse esse, sequitur eam. possibile esse; neque hanc possibile esse, sequitur ea, necesse nõ esse. {Illi enim.} Ratione utriusque talẽ inducit: quæ sunt opposita, se inuicem tanquam idem significantia, non se sequuntur: sed possibile esse, & necesse esse siue necesse nõ esse, oppositarũ conditionum ponuntur, non ergo se tanquam æquiualentia consequuntur. Minor in litera explicatur, quoniam illi idest possibili uero (de quo antiqui loquebantur) utraque cõtingit accidere interminate. scilicet esse uel non esse, non sumẽdo secundũ non repugnantiam tantum, idest possibile quod sequitur necessarium, ut commune analogum. quod etiam commune est uero possibili & contingenti: quod nundum est, & potest esse, uel ei, quod est, & potest non esse sed harũ scilicet necesse esse, uel necesse non esse, utrumuis illorũ uerum sit siue ambo simul non uera etiam erunt illa, scilicet necesse esse, uel necesse non esse, quod uere consequantur eam, quæ est possibile esse, cuius rationem adiungit. {Simul enim possibile est esse & non esse} syllogismus autem litera præponit minorem more græcorum. Illud est possibile, quod simul potest esse, & non esse: sed quod necesse est esse, uel necesse, non esse, non est utrunque, esse, scilicet & non esse, sed uel esse uel non esse certũ & terminatum, ergo nullum illorum duorum sequetur, possibile esse: de quo loquebantur antiqui: {Relinquitur ergo} Intenta conclusio nunc infertur diuisione sufficienti ain præmissa omniũ partium, quæ ex necessario fieri possunt, nam ipsam, possibile esse, sequitur, uel non necesse esse, uel necesse esse, uel necesse non esse aut nouissime, non necesse nõ esse: Sed cum sufficienter tria membra antea sint reiecta, relinquitur, ergo quartum dicendum, scilicet non necesse non esse, sequi eã, possibile esse: & Auerrois ait. (Ad demonstrandũ hoc utitur diuisione,) idest ut etiam Ammonius asserit, sufficienti partium enumeratione, & demonstrandum, idest ostendendum hoc, non ut ignotum naturaliter, demonstratione, indigeat, sic demonstrare, pro ostendere quam sæpissime ab Arist. obseruatur primo cœlo. primo. Item hic utitur diuisione, quæ primo priorum. 29. secundo post. secundo, secundo phys. tertio, tertio phys. 12. secundo de anima. 12. secundo post. 19. non solum demonstrat, sed syllogistice quidquam ostendit: quia a toto ad partes procedit, & a positione unius oppositi ad destructionem alterius, quæ est ratio topica primo top. nono. & sexto top. 14. {Hæc enim uera est & necesse esse.} Ammonius Boethius, & Auer. asserunt, pro de hæc, Arist. approbare, nullum incõueniens apparere. si non necesse non esse, sequatur ipsum possibile: quoniam quod uere sequitur antecedens, sequitur necessario consequens: sed non necesse non esse, uerum est de necesse esse, quòd est antecedens possibilis ergo uerum erit de possibile esse, quod est consequens, ut supra præmisit, & infra manifestius explicabit. Sed dubium manet. Si, non necesse non esse, uera est de necesse esse, ergo oppositum eius sequetur, quod supra Arist. improbabit: ipsam possibile esse, non consequi posse: necesse esse, nam si, non necesse non esse, consequitur, necesse esse, igitur consecutio illa recte ualebit possibile est esse, ergo, non necesse non esse, igitur necesse est esse. a primo, ergo ad ultimum ualebit: possibile esse, ergo necesse est esse, quod antea contra antiquos reiecit. Ad hoc ita dicendum uidetur. Aliud esse, uerum esse de aliquo, aliud uere alterum consequi, tanquam idem ualens quod reciproce, siue conuertibiliter consequatur, ut album, & aliter, uere de homine dicimus,

mus, non tamen reciprocè conuertibiliter, ut æquiualens. Ita nunc dicimus, de necesse esse, uerum esse dicere, nō necesse non esse: sicut esse possibile, de necessario dicitur, tamen tanquam cōe genus, uel quod uere in subiecto illo, necesse esse, inuenitur. non autem reciproce ut æquiualēs, ut in quocunq; unum uerum sit, & alterum uerū esse. necesse sit: nam licet (ut Amm. ait) quod necessariam habet subsistentiam, & actum, non necessario habeat priuationē eius, & quod est necessario animal, non necesse est non esse animal, econuerso tamē non ualet: hoc non necesse est non esse, aliquid, ut hominē non necesse est non esse albū, tamē non sequi conuersim ut æquiualens: ergo necesse est hominem esse album, cum, non necesse nō esse, cōe sit, necessario, possibili, & de inesse. Huius responsionis, manifestum argumentum esse potest id quod in sequenti litera sequitur. {Hæc. n. fit contradictio eius, quæ sequitur illam, non possibile esse.} Vbi ratio inducitur qua probatur: q̃ hanc, possibile esse, sequitur ea, non necesse non esse: nondum tanquam aliquod cōe quod insit possibili, & non reciproce prædicet, sed quod conuertibiliter, & ut æquiualens sequitur: ut ab uno ad reliquum, & contra liceat ratiocinari: ratio autem est illa, quā superius ex isto loco retulimus, si necesse nō esse (quæ est affirmatio necessariꝫ) sequitur negatiuam possibilem, hoc est non possibile esse, ergo affirmatiuam possibilem, sequi debet negatio ꝗ que respōdens affirmatiuæ necessariæ: scilicet hāc, possibile esse, ea non necesse non esse: hæc. n. negatio est contradicens illi, necesse non esse. maior de foris capiatur. Ad contradicentia antecedentia, referenda sunt consequentia, quæ etiam contradicant: sed possibile, & non possibile contradicūt, & ipsam, non possibile, sequitur contradictionis pars affirmatiua, necesse non esse: ergo ipsam, possibile esse, ea, necessario, & reciproce, & æquiualens cō sequetur, negatiua necessarii. s. non necesse non esse. Inquit ergo, {hæc. n.} s. non necesse non esse. {fit contradictio}. i. negatio contradicens eius, quæ sequitur illam non possibile esse. i. negatiuam possibilem. {Illa. n. sequitur ea,} Probat ex dictis ac antiquorum concessis, illam, non necesse non esse, negatiuam esse, eius quæ sequitur negatiuam possibilem, quia illam, non possibile esse, contradictorie sequitur impossibile esse, & necesse non esse, contrarie. cuius negatio est, non necesse non esse. ex his infertur conclusio. {Sequūtur igitur & hæ contradictiones, ut dictum est (. s. contradictorie, & cōtrarie,) & nihil impossibile contingit sic dispositis.} Hoc indicio contradictiones sic positę confirmantur, q̃ illas nihil impossibile & falsum, cōsequitur: antiquorū autem cōtradictiones, & falsa, & impossibilia innumera sequebantur: tertio autem top. de eligibilibus: secūdo cœli 2. & infra, cap. 3. Eligenda illa opinio est, quam nullum inconueniens sequitur, sed illi tanquam ueræ omnia consonant. primo ethi. 10. Circa dicta ambiget aliquis. Dictum est supra. & hic in conclusione colligitur, ipsam, possibile esse, sequi, non impossibile esse, contradictorie: sed nō necesse non esse, sequi contrarie, non contradictorie, hic uero Arist. uidetur sibi pugnantia dicere: hæc. n. non necesse non esse, fit negatio, & contradictio eius, necesse non esse: contradictorie igitur ista sequuntur illas possibile esse, & non possibile esse, hac de causa. n. ratio ualet, quia contradicentium antecedentium contradicentia etiā sequuntur consequentia: cur ergo contradictorie non sequuntur? Prętcrea negatio præposita, & postposita, ęquiualet subalternæ nō cōtradictoriæ, uel cōtrariæ. Itē primo prio. 18. probatur, de quolibet est uera affirmatio, uel negatio, ergo cū de non possibili inesse, uerū fit, impossibile inesse, & necesse non inesse. Igitur de possibili opposita negatio dicitur, non impossibile inesse, & nō necesse nō inesse. Dicas, ut primo lib. retulimus, omnem oppositionē cōtrariam, præsupponere contradictoriā. non. n. contrariæ ueræ opponūtur, nisi sint eiusdē, de eodem, ad idē, similiter &c. Illæ igitur necesse non esse, & non necesse non esse, contradictionē efficiunt, & una tanquā affirmatio, sequitur possibile, reliqua ut negatio sequitur possibile: tamen nō ut sunt sola affirmatio uel negatio modi, necesse & non necesse: sed ēt negatione addita uerbo, per negationem autem postpositam mō, fit contraria oppositio. Dices si nō necesse non esse, negationem habet præpositam & postpositam, quo modo sequitur ipsum impossibile cōtrarie? Dicas quando impossibile contradictorie sequitur ipsam, possibile esse, negatione præposita sequitur, quando autem impossibile sequitur nō possibile, sine præmissa negatione, semper igitur differunt per negationem præpositam, sed impossibile & necessarium per negationem postpositam. Quamobrem contraria oppositio constituitur: in negationem autem premissa, tam impossibile quam necesse esse conueniunt: cum sequuntur ipsam, impossibile esse, non autem cum sequuntur, non possibile esse: licet alteri ipsorum negatio necessario postponatur, qua semper dissentiunt: ut contrariæ opposita.

TEX. BOETHII,

Dubitabit autem aliquis, si illam que est, necessarium esse, ea que est, possibile esse, sequitur. Nam si non sequitur, contradictio sequetur, que est non possibile esse. Et siquis hanc non esse dicat contradictionem, necesse est dicere possibile non esse, sed. utræq; falsæ sunt de necesse esse. At uerò rursus idem uidetur esse possibile incidi & non incidi: & esset, & non esse quare erit necesse esse, cōtingens non esse: hoc autem falsum est.

Dubitabit autem aliquis, si illam, necesse esse, ea que possibile est esse sequatur; nam si non sequitur, contradictio sequitur, que est, non possibile esse: & si quis hanc non esse dicat contradictionem, necesse est dicere, possibile non esse, sed utræque falsæ sunt de necesse esse. at uero uicissim idem uidetur possibile incidi & non incidi, & esse & non esse, quare erit necesse esse, contingens non esse: hoc autem falsum est.

Ammo. Auer. & cæteri omnes consentiunt: quoniam probando antiquos præsumpserat, ipsam necesse esse, sequi possibile esse: nunc id manifestat, tanquam quodam modo occultū: iccirco habitu topici tentatiui inductus inquiit; ducendo ad incōuenients: hic est enim unus modorum, quo principia artis quodammodo inchoātibus ignota, ab artifice explicantur. primo top. primo in fine, primo top. 2. inquit ergo. {Dubitabit autem aliquis, si illam} ut antecedentē enunciationē, & minus cōem. s. necesse esse ea sequatur possibile esse cōtorie? inquit: {dubitabit} non quasi qōnem demōstratione inquirēdā proponens, ut. 2. pos. signū est, q̃ ueritatē & solutionē, nō nisi exēplo & inductione uel hmōi uia facili, non demonstratione aliqua manifestat, exēplū. n. & inductio, potius ratio est rethorica, primo prior. 24. 23. primo retho. 4. & topica uel ut topica hic accepta, q̃ demonstratiua: quare problema intelligēdū uirtute est an possibile esse, sequatur ipsā, necesse esse uel non? cuius argumentum uel signum est, q̃ ad utranq; partem rationatur. Ad expositionem Ammonii & Auerrois. {Nam si non sequitur: contradictio sequetur, quę est non possibile esse.} In partem affirmatiuā nūc arguit, ratione qua superius arguebat ducēte ad inconueniēs, quia si non sequuur ipsam, necesse esse, ea, possibile est esse: ergo eius negatio contradicens, scilicet, non possibile esse, igitur duo contraria erunt simul uera, scilicet necesse esse, & impossibile est esse: quod inconueniens: consecutio patet ex Arist. supra ex regula contradictionis: de quolibet. n. ueram necesse est affirmationē uel negationē esse. {Et si quis hanc non dicat esse contradictionem,} Huic Arist.

rationi dicent forte antiqui: contradictionem, siue negationem possibilis, non esse, non possibile esse: negatio modo, sed aliam: contra Arist. arguit quia his ita respondentibus necesse est dicere, si contradicent possibili nõ est negatiua de modo, erit ergo negatiua de dicto, siue uerbo cum contradictio necessario sit inter affirmationem & negationem, negatio autem addi non potest, nisi modo uel uerbo, ut ante monstratum est: quare negatio huius, possibile est esse, erit hæc, possibile est non esse. {Sed utræq; falsæ sunt.} Vnico argumento utranq; partem cõtradicentem infirmat: quoniam utręq; negationes oppositę falsæ sunt de necesse esse. Primum quidem tãquam cõtrarium secundum esse, quod licet non sit uera negatio possibilis esse, tamẽ falsum est de necesse esse: quoniam necesse esse, perpetuo esse significat & actum: nũquam non esse. {At necto uicissim, idem uidetur esse, possibile incidi & non incidi, & esse & non esse.} In partem oppositam negatiuam nunc arguit: ipsam necesse esse, non sequi, possibile est esse: quoniam ut supra, & primo lib, cap. sexto, primo priorum. 18. ipsam: possibile esse, sequitur possibile esse, & nõ esse, ergo si possibile sequetur ipsam, necesse esse: necesse esse, simul uerum erit cum possibili nõ esse, quod ipse met Arist. tanquam falsum contra antiquos reiecit, & nũc cõtra ipsum, non solum tanquam falsum, & nõ existens sequetur, sed etiam tanquam ex fama falsũ, quod ipse met falsum esse, concessit: ad quod falsum ratio ducẽs ad impossibile debet referri: inquit. At quidẽ uicissim, uel contra, in altam partem oppositam idem impossibile inferentes arguamus. nã ad sensum uidetur, & confessum ab omnibus est, idem posse{ incidi & non incidi}.i. in accidentibus demutari, {& esse, & non esse}.i. in substantia cõmutari: ex hoc dat consequens{quare erit necesse esse, cõtingẽs non esse}.i. quod perpetuo est: ac in actu subsistit, contingens erit ac potens non esse, quod iam falsum asseruit.

TEX. BOETHII.

Manifestum est autem quoniam non omne possibile uel esse, uel ambulare, etiam opposita posse: sed est in quibus non sit uerum, & primum quidem in ijs, quæ non secundum rationem possunt: ut ignis calefactiuus est: & habet uim irrationalem, quæ igitur secundum rationem potestates sunt, eædem plurium etiam contrariorum sunt: irrationales uerò non omnes: sed (quemadmodum dictũ est) ignem non est possibile calefacere, & nõ: neq; quæcunq; alia semper agunt: alia uero possunt & secundum irrationales potestates simul opposita suscipere. Sed hoc huius gratia dictum est, quoniam non omnis potestas oppositorum susceptiua est, neq; quæcunq; secundum eandem speciem dicuntur. Quędam uerò potestates æquiuocæ sunt: possibile enim non simpliciter dicitur, sed hoc quidem quoniam uerum est, quod in actu est: ut possibile est ambulare, quoniam ambulat iam: & omnino possibile est esse: quoniam iam est in actu quod dicitur esse possibile. Illud uerò quoniam erit actu ut possibile est ambulare, quoniam ambulauit, & hæc quidem in solis mobilibus est potestas illa uero & in immobilibus: utrunq; uero uerum est dicere possibile ambulare, uel esse: & quod ambulat & agit, & ambulabile est. Sic igitur possibile non est uerum de necessario simpliciter dicere, alterum autem uerum est, quare, quoniam partem uniuersale sequitur, illud quod ex necessitate, consequetur posse esse, sed non omne.

Perspicuum est autem, non omne possibile, uel esse, uel ambulare, etiam opposita posse, sed in quibusdam non esse uerum, & primum quidem in ijs, quæ non secundum rationem possunt, ut ignis calefactorius est, & habet uim irrationalem. quæ igitur secundum rationem sunt facultates eædem plurium etiam contrariorum sunt, irrationales uero non omnes. sed (quemadmodum dictum est) ignem non est possibile, & calefacere, & non: neque alia omnia quæ semper agunt. alia uero secundum irrationales potestates, simul possunt opposita suscipere. sed hoc huius gratia dictum est, quoniam non omnis potestas oppositorum susceptiua est, neque quæcunque secundum eandem speciem dicuntur. quędam enim potestates æquiuocè sunt, possibile enim non simpliciter dicitur, sed hoc quidem, quoniam uerum est, quod in actu est. ut possibile est ambulare, quoniam ambulat iam, & omnino possibile est esse, quoniam iam est in actu quod dicitur esse possibile, illud uero, quoniam erit in actu. ut possibile est ambulare, quoniam ambulabit. & hæc quidem in solis ijs quæ suos habent motus est potestas, illa uero & in immobilibus. utrũque uero uerũ est dicere possibile ambulare uel esse, & quod ambulat & agit, & ambulare natũ est. sic igitur possibile non est uerum de necessario simpliciter dicere. alterum autem uerum est. quare quoniam partem uniuersale sequitur, illud quod ex necessitate, consequetur, posse esse: sed non omne.

Descriptio necessarij.

Prima.	*Tertia.*
Necesse esse	*Non necesse esse*
Non possibile non esse	*Possibile non esse*
Non contingens non esse	*Contingens non esse*
Impossibile non esse	*Non impossibile non esse*
Secunda.	*Quarta.*
Necesse non esse	*Non necesse non esse*
Non possibile non esse	*Possibile esse*
Non contingens esse	*Contingens esse*
Impossibile esse	*Non impossibile esse*

Conueniunt omnes Arist. ad solutionẽ dubitationis accedere: & ut rationum cõtrarietas explicetur, nomen possibilis æquiuocum siue multa significans, ante distinguendum est: solutio autem in summa hæc est, possibile, aliud quod simul est in actu, siue in rebus sit, quæ sempiternæ sunt, siue in his quæ simul cum operationibus corrumpũtur: ut igne &c. Aliud quod simul non est in actu cum subiecto, sed potest esse, & non esse, in futuro. primum ipsam, necesse esse, consequitur: non secundũ: Quoniam igitur possibilis æquiuocatiõe, dubitationes procedũt, illud primum distinguit, ne intellectus fallatur ambiguo: possibile autem maxime in rebus & subiectis perspicuum est. Iccirco penes illas, distinctio sumitur. Primum summit tã quam manifestum in rebus inanimatis, ac rationis expertibus ut igne &c. ac alijs, quod non nomine possibile uel esse uel ambulare, posse etiam opposita, scilicet non esse, & ambulare, quasi dicat. aliqua sunt, quæ tantum unũ possunt sua effectrice uirtute producere: & in quibus non sit uerum, opposita posse: & primum patet in rebus quæ ratione uacant, quæq; caducę sunt, & sensibus manifestæ, ut ignis calefactiuus est, & habet uim irrationalem, & potestatem terminatam ad esse, & calefacere: nam actiuum calefaciendi principium est & forma, & natura: quæ per se & necessario, est unius motus principium primo cœli octauo, secũdo phy. tertio, secundo de anima. 24. Amm. ambigit: in uerbis illis, (manifestum quoniã nõ omne, possibile uel esse, uel ambulare, posse etiã opposita,) scilicet

non

nõ esse,& nõ ambulare: nam alterum istorum ambulare & progredi, nõ cõuenit nisi rebus animatis, quorum motus in opposita fieri possunt, respõdet Amm. ibi ꝙ non in ambobus his ipsis quæ accepta sunt loco exẽpli, id quod dicitur, intelligendum existimat Arist. quod probat ratione, quam diximus, quoniam ambulandi facultas, non solum ambulandi, sed oppositi quoq; est, nõ ambulãdi, sed ex his ostendere nobis uult in quibusdam, quæ possibilia dicuntur, esse, unicam facultatem non ancipitẽ ad esse, & non esse: quæ consequetur ipsam, nec esse esse. Sed hæc responsio ab Arist. notam non abijcit: ꝙ exempla falsa produxerit, & nihil explicaotia. Dici igitur potest cũ Arist. infra cũ inquit (potestates quædam æquiuoce sunt) quod possibile quidem nõ simpliciter dicitur, sed hoc quidẽ quoniam uerum est, quod in actu est: uel existens est: quod simili exemplo ei, quod nunc explicatum est commonstrauit, ut possibile est ambulare, quoniam ambulat iã. s. actu & omnino possibile est esse, quoniam iã est in actu, quasi dicat Arist. tunc nõ omne. i. aliquod possibile esse, uel ambulare, unum posse producere, non opposita dicitur, cum consideratur ut est de inesse, & tam actu, siue ad motũ siue ad esse relatum: nam omne quod est, dum est, necesse est esse: & terminatum habet actum: non oppositum nõe efficere, nisi ratione materiæ qua potest, quod nunc est nõ esse, & quod nunc ambulat, in futurum non ambulare: et ita non quatenus est, & ambulat actu: & est de inesse propositio. sed ratione potentiæ actiuæ uel passiuæ, & ut sit uere possibilis. {Quę igitur secundũ rationem sunt facultates} Nunc explicat quæ sunt illæ ees, siue potestates effectrices, a quibus possibile ad utrunq; desumitur. s. a potestatibus quæ secundum rationem operantur. i. potentiæ electiuæ, istæ enim ex cõsilio possunt hoc uel illud eligere. Bonum & malum, bene & male, siue etiã ad facultates rationis compotes referas, quæ artes efficiunt mouẽdo animam ad producendum per artem medicinæ ualetudinẽ & morbum. Quæres huius dicti causam: Dicas, ad hũc librum non pertinere: sed ad nonum meta. 4. apud Alex. apud Cõm terrio ubi talem causam assignat: quia potentiæ rationis participes, sunt scientia quædam. i. cognitio. i. cum certa scientia & cognitione effectrices: scientia autẽ non solum simul habitum, sed priuationem cognoscit: licet non eodem modo, sed habitum per se & magis, priuationem uero per accidens & minus, sexto topic. 14. Dices non ne rationis expertia, ut ignis uirtutem habet & potẽtiã ad opposita, calefacit enim & refrigerat absens? Dicas cum Auer. & Alex. & Arist. per se non nisi unũ posse procedere: licet per accidẽs, ut absent est, uel ob aliquod impediens, uel quia nõ sit passum, uel non debite dispositum sed denominatio non fit nisi a proprio fine & opere. 2. de anima. 49. uel a propria forma. 2. phys. t. 1. & 12. uel actu octauo met. 7. & propria natura apta nata. 2. cęli. t. 08. nõ ab eo quod per accidens conuenit. {Irrationales uero nõ omnes.} Explicat per oppositũ irrationalium facultatũ effectricium, quod proxime de potẽtiis rationalibus dixerat: simulq; manifestat, quæ sũt illę potẽtię, a quibus possibile determinatũ ad esse, & actum desumitur, quod sequitur necessarium, inquit, irrationales uero non oẽs, sed quædam ad unum efficiendũ aptæ natæ sunt: ut (quemadmodum dictum est) ignem non est possibile calefacere, & nõ calefacere. {Neq; alia quæcunq, semper agunt} Ut breuiter se expediat ab uniuersorum inductione, quæ terminate unũ efficiunt, ex cautela, similium. i. quæ eandem naturæ rationẽ participãt, uniuersa cõcludit: quæcunq; semper agunt, uel elementa uel corpora cœlestia. Sed postulabis, cur dixit irrationales potentiæ, non omnes: sed quędã, determinatæ suot ad unum efficiẽdum? Dicas primo eth. 18. sexto eth. 2. septimo poli. 15. ꝙ irrationale est duplex. aliud uegetabile, non particeps rationis. aliud concupiscibile & omnino appetibile: quæ per se irrationalis uocatur, sed rationalis, quatenus rationi obediens & temperans est. Quasdam, ergo irrationales dixit, unũ posse, nõ opposita facere, ut ab irrationalibus his facultatibus sermonẽ nunc dictũ exciperet: quę ut animæ, uel rectius ut partes animę, ad opposita, non ad unũ feruntur secundo de anima 14. irrationales autem potentię, quę a natura simplicium ueniunt, quæq; semper idem agunt & unum, illæ sunt quę opposita non producunt: non ita est concupiscibilis siue cogitatiua. Ammo. dubitat de Diis, si ue intelligentiis, quę si semper unum efficiunt, rationẽ non habent: aut si habẽt, opposita ac mutationi subiecta producerentur. Respondet cum Alex. quod etiam ab eodem Alex. habes, nono meta. 4. cogitatricẽ hoc logo, accepiã esse rationem, idest quòd per rationalem intellectũ & cogitatiuam intelligit: quæ ab imperfecto ad perfectum, a propositionibus ad conclusionem progreditur: qualis nostra est, nõ intellectualem in se, omnino, quę actu uno simplici, semper stante, cuncta intuetur: qualis est deorũ mẽs cuius operatio est concurrẽs, idest eadem cum substãtia: quibus nõ rationis nomen, sed mentis apte conueniet: nobis autem hominibus, ratio ab imperfecto ad perfectum à pręmissis ad conclusionẽ procedens tribuitur: agẽsque cum discursu: licet uere theologi nostri ab istis dissentiãt. {Alia uero possunt & secundum irrationales potestates, simul opposita suscipere:} Datis potẽtiis irrationalib⁹, quæ ad unum feruntur, a quibus ut effectricibus, possibile sumitur determinatũ ad unũ, assignatis etiã potestatibus rationalib⁹ effectricibus, a quibus possibile ad utrũq; producitur, nunc ad eas potestates explicandas accedit, quę inanimatorum, & passiuę uocantur: quę ut potentię contradictionis, simul possũt opposita suscipere. Quæres, cur irrationales effectrices potẽtię, unum tantum, non opposita possunt efficere, passiuę uero facultates, opposita possunt suscipere? Dicas causam huius ad altiorem artificem pertinere: pro nunc tamen dicamus: quia potentiæ istæ irrationales (præcipue ut sunt elementorum) considerantur: ignis & similium quæ semper agunt: elementorũ autẽ potentia est materia primo cœli primo, tertio cœli. 67. quæ suapte natura capax est quarumcunq; formarum et contradictionis, nono metaph. 17. septimo meta. 22. octauo metaph. 4. secũdo de generatione. 51. 62. & 63. primo de generatione 10. 13. 17. 23. A forma autem propria, qua differunt, terminata habent actionem, nono metaph. secũdo, secundo de anima. 24. primo cœli. 8. {Sed hoc huius gratia dictum est, quoniam non omnis potestas oppositorum susceptiua est.} Quæres de fine & proposito, cuius nã gratia ista ponẽda fuerũt? respondet ad id primũ indicandum (quoniam nõ omnis potestas est oppositorũ susceptiua). i. passiua. sed quędam actiua utrorumq; oppositorum, ut rationalis; quædam uero passiua irrationalis susceptiua, non actiua contrariorum. Itẽ ut antea poneretur non quæcunq; possibilia secundum candẽ speciem, & rationem, ac formam, possibilia nuncupari, sed alia secũdũ rationem diuersam, ad urũq; oppositorum referri, per potentiam actiuã, alia per passiuam. Item alia ad unum tantũ oppositorũ, alia ad utrunque: species enim forma, & ratio, idem dicuntur re. {Quædam enim potestas æquiuoce suot.} Manifestius explicat, quod paulò ante posuerat, scilicet icciirco distinctum esse possibile, ut pateret non omnem potentiam receptiuam esse: sed quandam actiuam, quandam uero passiuam: & ꝙ quæcunque potentiæ nõ secundum eandem rationem dicuotur, idest uniuoce, sed quędam potestates æquiuoce sunt. Itaq; litera hęc, legenda est continuè, cum pręcedenti quam explicat, quasi dicat cũ possibile nõ secundum eandẽ rationẽ, sed æquiuocũ sit necessario distinguendũ primo top. 14. primo cœli, 100. {Possibile. n. nõ simpliciter dicitur.}. Proposito fine et artis necessitate, qua potestates distĩguẽdæ sũt æquiuoce, nunc rationẽ adducit, cur, potestate, siue possibile, non

undum eandem rationem, sed æquiuoce sint: quæ enim non simpliciter. i. uno modo, ac secũdum unam rationem & formam, actus dicuntur, uel potentiæ, sed quasi dicat pluribus modis, uno secũdũ actum, altero secundũ potẽtiam. Item uno modo secundũ actum inuentũ in æternis, & secundum potentiam inuentam in caducis & currupti bilibus non secundum eandem rationẽ dicuntur, sed æqui uoce. i. analogice. i. secundum proportionem ad unũ, & ab uno. Minor in litera. (possibile enim non simpliciter dicitur). i. uno modo ac ratione: sed hoc quidem uno modo possibile dicitur (quoniã uerum est). i. uere existit, ac conuenit subiecto, sed quoniã esse, uerũ conuenit etiam uero possibili, ut possibile est me ambulare, uerũ dicimus possibile, iccirco clarius explicat hunc primum modũ possibilis: quoniam uerum est, quod in actu est, siue ens & existens in subiecto: ut propositionem constituit de inesse: ut possibile est ambulare, quoniam ambulat iã, (& omnino possibile est esse, quoniam iã est in actu: quod existens in actu, iam dicitur esse, possibile) dixit: omnino. i. in summa omnibus similibus modis comprehensis sub isto modo. s. possibile esse, dicitur, quod iã est in actu: quocũq; uerbo dicatur, quod uerbo, sum, es, est, cõprehẽditur. { illud uero quoniã erit actu: } Dato modo sumpto ab actu, & de inesse, nunc alium tradit, qui sumitur a potentia & futuro, inquit. { Illud }. i. aliud uero possibile est, quoniã erit actu ut possibile est ãbulare, quoniã ambulabit: { Et hæc quidem in solis iis quæ suos habent motus est potestas. illa uero & in immobilibus. }. Petes: hic secundus modus proxime dictus eorũ, quæ nõ sunt actu, & in præsenti, possunt tamẽ esse in futuro, in quibus subiectis rebus est uerus? similiter & primus? Respõdet quod hæc secũda potestas in solis mobilibus est, illa uero prima, non in solis mobilibus, sed etiam in immobilibus. Petes. 12. meta. 5 mobilia bifariam sunt corruptibilia, & nõ corruptibilia; de quo istorum uerus secundus hic modus est? Cõm. respõdet: de utrisq; intelligi posse: differentia tamẽ (ut inqt) est. quoniã in rebus nõ corruptibilibus, renouatio est necessaria, sed in rebus corruptibilibus, essentia siue existẽtia, futuræ innouandæ rei, nõ est necessaria: licet Amm. uideatur sentire contrariũ: cũ dicat solum ea esse hic intellecta mobilia, quæ generationi ac corruptioni debentur siue subduntur, ac subiiciuntur: quæq; separatam uim, & aptitudinẽ habẽt ab actu: cuiusmodi sunt solum corruptibilia: hanc Ammo. sententiam, ex literæ uerbis cõfirmo: quoniam ait secundum modum uerum esse in ipsis mobilibus, primum uero in ipsis immobilibus: immobiliũ autem nomine, non intelligimus deos, ac intelligibiles causas, siue intelligentias cum mobilia corpora, corporibus conferantur: corpora ergo cœlestia, per immobilia intelligimus: corpora aũt cælestia moueri secundum circulum, & locũ, ac diuersum ubi dicuntur: & immobilia nuncupãtur motu, quo substantiã per generationẽ acquirat: et corruptione deperdant: ergo per mobilia, curruptibilia intelligi oportebit: nisi dicas nihil inconuenire, cõferre corpora mobilia intelligentiis immobilibus, corpora. n. priuationem siue aptitudinẽ priorem habent actu: sed intelligentiæ semper eidẽ intelligũt actu, nõ cras intelligẽt, quod hodie non intelligant. Itaq; licet secũda potestas sit propriè in ipsis corruptibilibus, tamen etiã in incorruptibilibus: solis tamen mobilibus corporibus: sed prima tam in corporibus mobilibus, q̃ etiã non corporibus agentibus. Sed iterum circa primam potestatem aliquis dubitabit: an illa tantum sit uera in immobilibus, idest quæ corruptibilia non sunt. Nam Amm. & Auer. in solis incorruptibilibus & æternis, inueniri existimant. In oppositum uidentur primum exẽpla, quæ de corruptibilibus proferuntur, ut possibile est ambulare, quoniam ambulat iam, & de igne ac similibus dixit supra determinata esse tẽtum ad unũ. Præterea uerba textus idem uidentur signare, cum dicunt. { Illa uero prima potestas & in immobilibus. } Vbi per illã coniunctiuã particulam { & } innuit eã potestatem non solum esse in rebus corruptibilibus, sed etiã & in ipsis incorruptibilibus. Item secunda in solis mobilibus, prima aũt, & quasi dicat nõ in solis mobilibus, sed etiã in aliis immobilibus. Itẽ huius sententiæ, in uerbis sequẽtibus causã adducit, cũ ait. { Vtrũq;. n. uerum est dicere, possibile ambulare, uel esse, & quod ambulat & agit; & ambulare natũ est. } agere, referens ad immobilia, incorporea, & corporea incorruptibilia. Ambulare, autẽ ad mobilia corruptibilia. Vbi particula { de } quæ ambigua est { ad, uero, et n. } uertẽda est: nũc. n. ut uerũ sensũ efficiat, sic uertisse interpretẽ Magẽtini cõperi, cũ ait { nã utrunq; uerum est. } Cõfirmatur etiam ex præcedentibus uerbis, quibus hanc primam potestatẽ Arist. explicauit. {. Sed hoc quidẽ quoniã uerum est quod in actu est, ut possibile est ambulare, quoniam ambulat iam: & omnino uel in summa possibile est esse, quoniam iã est in actu, quod dicitur esse possibile. } Vbi ex actu, possibile infertur, per particulam (quoniam) quæ causam significat: nam nihil est actu, nisi fuerit possibile fieri, tertio enim phys. 6. & 16. motus est actus entis in potentia: necesse ergo est quod mouetur, uel est, possibile esse, hoc aũt inter corruptibilia & incorruptibilia interest, q corruptibilia quãdoq; priuationẽ & potentiam habẽt tẽpore priorẽ actu, nono meta. 20. & 12. meta. 32. æterna aũt potẽtiã semper actui coniunctam: licet corruptibilia cũ iã mouentur, & in actu iam sunt simul potentiam & actum contineant. Sed dices: litera illa, utrunq;. n aliter habetur in græco. s. { Vtrunq; enim uerum est dicere, nõ impossibile ambulare uel esse & quod ambulat & agit & ambulatiuũ est & c. } Dicas ex his uerbis, causã ad idẽ adducere: quamobrẽ quod ambulat iam in actu, uere dicatur possibile ambulare, uel esse, idq; explicat per suam æquiualentem: quia utrunq; uerum est dicere, quoniam non impossibile ambulare uel esse: ergo necessario sequitur sua æquiualẽs, possibile est ambulare uel esse (ut supra monstratum est) & hoc per suam idem ualentẽ de possibili denuo indicauit: cum inquit, & quasi dicat uerũ est ambular, uel iam est aliquid actu, ergo non impossibile est ambulare uel esse: quia sequitur ut æquiualẽs possibilis, quod commune est necessario & uero possibili: quasi dicẽs non repugnantia inessendi: sic enim possibile de necessario dicitur: quasi non impossibile sit inesse, quod actu necessario inest, quasi dicat, & quod ãbulat & agit in actu (quod ad primũ modum) & quod ambulatiuum siue gressibile est (quo ad secundum.) uerum enim de utroq; modo est dicere: æquipollentem possibilis, scilicet nõ impossibile ambulare uel esse: ergo uerum erit de utroq; dicere possibile, cui æquiualet: itaq; potes hanc causã ad utrũque possibilis distinctum modũ referre: ut dicas: Vtrunq; enim, scilicet modum, uerum est dicere, non impossibile ambulare uel esse: ergo uerũ erit dicere utrunq; esse possibile, & quod ambulat, & agit, & gressibile esse: qua de causa utro modo hæc litera explicetur, non laborandum (ut Amm.) quod ad diuersa, litera referatur: quoniam eiusdem explicatio erit per æquiualentia. Nam Ammonius uoluit. si litera legatur cum possibili. s. { Vtrunq; autem uerum est dicere possibile ambulare. } Vult. conuenientiam utriusq; modi assignari. ut dicatur possibile tam quod non est, & potest esse, q̃ etiam quod iam est actu. Si autem alio modo legatur, scilicet pro possibili, nõ impossibile, scilicet. { Vtrunq; uero, uel enim uerum est dicere, non impossibile ambulare uel esse. } id ponere Aristo. ad excusationem eius, quod antea dictum est, scilicet, cur in prima tabella antiquorũ, sub hac possibile esse, posuerit hãc, non impossibile esse, illã uero transposuerit, nõ necesse eẽ. loco cuius posuit illã, non necesse nõ esse, quasi dicat, ponitur ut æquiualẽs possibili: ubi ex dictis Am, satis dubitatio quædã perspicitur, quã iam ante præuiderã:

quamuis

quamuis autē secunda, sit explicatio coacta, et necessaria non sit, ut docuimus, tamē circa dicta in prima antiquorū descriptione sic ambigit: cur cum possibili esse, sicut ponitur non impossibile esse, non iterū ponatur, non necesse esse? nam primo priorum. 2. 4. 18. possibile definitur; quod non est necessariū esse, uel non esse, ergo a definitione ad definitum ualebit: est possibile, ergo non necesse est. Subtiliter respondet Ammo. quasi dicat eius possibilis consecutiones antea tradebantur, quæ utriq; significata possibilis congruebant (hoc est) quæ conueniebant possibili (quod simul est cum actu, & sequitur necessarium) et possibili uero) quod nondum actu est, sed potest esse, possibile autem sic commune, sequitur, non impossibile esse, contradictorie, & non necesse non esse, contrarie: quod etiam supra uerum esse de necessario asserebat, sicut de possibili: sed non necesse esse, licet sequatur uerum possibile ad utrunq;, nō tamen sequitur possibile, quod sequitur necesse esse, cum ipsum deijciat: & uerum significet in reliquis duobus, scilicet possibili ad utrūq; et in ipso impossibili, quod dicitur non necessarium primo prior. 18. ergo possibile uere dicetur de impossibili, & contradictorium de contradictorio, sicut enim possibile ad utrunq; non consequitur ipsā, necesse esse, ita etiam non necesse esse, non sequitur possibile commune. Iterum probat Ammo. quia ipsam, non necesse esse, potius et conuenientius sequitur, non contingēs non esse: Sed contra, quia primo prior. 18. Arist. ait, erit igitur contingens non necessarium & non necessarium contingens. & infra, quoniam contingens non est necessariū, non necessarium uero contingit non inesse: quia negatio præposita contradictorie, ut non omnis, æquiualet, quidā non, non ergo sequitur non contingit non inesse. Itē contrarium patet in secunda et prima descriptione necessarij: non contingit non inesse, ergo impossibile non inesse, ergo necesse esse. Petit secundo, an sicut possibile, ipsam necesse esse, consequitur, ita & contingens? Respondet & uere si contingens sumatur pro uero contingēte ad utrunq;, non sequitur necessarium, sed ab illo distinguitur. Si uero contingens sumatur pro eo quod commune est ad contingens, quod in actu est, & non repugnat inesse & quod nō est, sed potest esse, sic iuxta Ari. sententiam hic, & primo prior. 4. contingens sequitur necessarium. nam necessariū, non necessarium & possibile contingere dicimus: & superius dixit, possibile esse, conuerti cum contingenti, si possibile, ergo sic cōmune, ipsam necesse esse consequitur, ergo & contingens. Itaque necessarium non abijcit subsistendi modū quo prædicatum adest subiecto, sed subsistendi modum accidentalē: & hoc uerum contingens sequitur, non necesse esse, et non impossibile esse: ut in prima antiquorū descriptione dicebatur: sed non sequitur omne possibile, ut ante docuimus. Quærit tertio, si hanc, possibile esse, ea sequitur, non impossibile esse, et non necesse esse (cū. s. possibile sumitur, quatenus ad utrunq; refertur) cur illā in prima descriptione, non necesse esse, postposuit? loco cuius posuit, non necesse non esse? præmisit uero illam, non impossibile esse: cur ergo non hanc necesse esse, præposuit illi, non impossibile non esse: cum idē ualeat, non necesse esse, & non impossibile non esse, contrarie? Dicerem facile, non dissentiens a prædictis, si daretur, ipsam possibile esse ea sequeretur cōtradictorie, nō necesse esse: utriq; consequi posset, non impossibile nō esse, contrarie, & posterius posset locari, sed nos ante tetigimus, id uerū esse de possibili uero, quod ad esse & non esse refertur, non aūt de possibili, quod cōe est uero possibili & necessario: de hoc. n. tantum contradictorie uerum est, non impossibile esse, modo negato, & dicto affirmato. sic recte hanc consequetur (ut cōe est) possibile est esse, ergo non impossibile est esse, de necessario. n. uere etiā dicimus: non impossibile esse, ut hō est animal, ergo non impossibile est esse animal, licet non econuerso: quia hominē non impossibile est esse albū, nō tamen necesse est esse album, sicut. n. possibile cōius est necessario, ita non impossibile esse, & non necesse non esse, cōiora sunt necessario: postposuit ergo illud tanquam falsum infra reijciendum. sed quomodo antiquos maneret qui consecutiones dederunt possibilis ueri: ad quod assignari potest secunda Amm. responsio, ut a nobis explicata est. Amm. autem duas & abstrusas rationes assignat: cur primum posuerit, non impossibile est esse, quia primū collocata est in dispositione tabellæ: iccirco prius eius danda erat conuenientia, & consecutio, ad possibile, quā non necessarij, quod posterius collocatum est, qua de causa, ridiculum uidetur, non curare consonantiam, conuenientiā siue æquiualentiam posterioris cum prioribus. i. non necessarij posterius collati, cum prioribus. i. prius collocati possibili & nō impossibili: cum idem accedere debuisset. hoc est cum equipollentia utriusq; quæreretur, non assignare illam eius, quod primo dispositum est in tabella: sed econtrario assignare, quo nam modo prius collocatum, non impossibile: est, possit uideri consentaneum i. æquiualens, cum posteriori. i. posterius collocato, non necesse esse. Secunda rationem assignat, præmittens magis differre, contingens & possibile, ab impossibili, quam a necessario. quoniam impossibile quasi rei subsistentiam destruit: & prædicatum non inesse, subiecto significat, nec inesse posse: sed necessarium cum possibili conuenit, quia utrunq; prædicatum & inesse significat, & hoc modo inesse, licet in modo proprio inessendi, necessarium a contingenti & possibili distinguatur, magis ergo possibile & contingens expunguntur, siue reiciuntur (ut opposita et diuersa) ab impossibili, quam necessario: Ex hoc ulterius infert, quamobrem hæc, non impossibile esse, erit magis iuncta ipsis possibile esse & contingens esse, quam non necessaria: consecutio explicatur: quoniam negatio præposita impossibili, omnem differentiam destruit quam inuenit, & idem ualentem enunciationem concludit: quare sicut impossibile destruebat rei subsistentiam, & modum subsistendi. i. q. non inesset prædicatum subiecto, & quod inesse non posset, ita non impossibile, cum possibili, in utroq; coniungitur, non ita non necesse esse, quod & si modum inessendi necessarium destruat, & neget uerum possibile ad utrūq;, non tamen negat contingere, & posse prædicatum inesse subiecto. nam & si album, non necessario insit homini, inest tamen ut res contingens, ut res non necessaria: ratio ergo posset hunc in modum formari. Ea sunt primum ponenda, quæ magis redduntur idem ualentia: sed possibile esse & non impossibile esse. redduntur magis coniuncta & idem ualentia, quam possibile esse & non necesse esse, ergo prius collocanda: minor patet ex corollario primo, & secundo: sicut possibile, contingens, & impossibile affirmata, magis expunguntur & aduersantur, quam possibile & necesse esse, ita possibile & non impossibile magis coniunguntur & idem ualere monstrantur, quam, cum negatur impossibile, quam cum negetur necesse esse: iccirco hac relicta. s. non impossibile esse, ut consequente & magis idem ualente, illam non necesse esse, alio transtulit: & non impossibile esse, in tabella siue prima descriptione & secunda reliquit. Hæc mihi uidetur Am. dicere. Sed contra, quia ipsi possibili ad utrunq;, magis redditur idem & æquiualens non necesse esse, ut conuertibile primo prio. 18. quam non impossibile esse quod æquiualens est possibilis communis necessarij, & possibilis ad utrūq; nam non necessarium, est differentia, non impossibile est genus, differentia autem est magis eadem speciei quam genus. {Hoc itaq; quidem possibile non est uerum de ipso necessario simpliciter dicere, alterum autem uerum est: quare quoniam partem uniuersale sequitur, illud quod ex necessitate consequitur, posse esse, sed non omne.} Distinctio possibili tanquam multa signante nomine, nūc explicat quis modus duorum sequatur ipsum necessarium: inquit,

itaque hoc: possibile simpliciter idest uuliter: unico uerbo utrunq; significatū concludens, non est uerū de necessario dicere, sed alterum uerum est dicere: quatenus possibile ad unum secundum non repugnantiam tantū refertur. {Quare quoniam.} Colligit conclusionem, simulq; rationem adducit: cur ipsam, necesse esse, ea, possibile esse, sequatur: quoniam uniuersale suam partem siue particulare cōsequitur: possibile aūt uniuersale quoddā est: quare illud quod ex necessitate est, consequitur eam, quæ est posse esse, i. possibile esse, sed non omne, significatum possibili: s. ad utrunque & quod non est, & potest esse, sed unū tantū significatū. Dices hæc duo quæ ab Arist. colliguntur, sibi aduersari uidentur: nam si possibile tanquam commune genus & uniuersale de necessario dicitur, simpliciter ergo & uniuersaliter sumptū dicetur, non alterum significatū tantum quod terminatum ad unum, actu est in æternis & incorruptibilis: non enim communius dicitur necessario, nisi secundum non repugnantiam, quatenus de uerbo necessario & uerbo possibili dicitur. Ad hoc ita respondendum uidetur: quando genus uniuocum est, naturam utrisque significatis communem significat, atque illam per definitionem designat, quando autem genus analogum est, ut ab uno uel ad unum refertur, tunc commune dicitur, non ab una natura communi, sed ab uno tantum nomine, cum essentiali & necessario ordine, prioris per se ad posterius: ita possibile genus & uniuersale, necessariј & ueri possibilis ponitur, cuius manifestum indicium est: quoniam supra narrauit: illud significatum possibilis, necessarium consequi, quod in actu ad unum terminatum est, & uerum deprehenditur etiam in æternis, quod manifestius in sequēti litera declarabit: necessarium prius esse possibili uero: quoniam necessariū semper est actu, & in rebus æternis, prioribus natura rebus corruptibilibus & mobilibus: nihil autem uniuoce conuenit actui & potentiæ: æterno & corruptibili, nisi nomen commune sumptum ab ordine necessario unius prioris & causæ, ad alterum tanquam effectum. Ex his patet solutio dubiј & rationis, nam analogum, cōmune secundum uocem, non naturam aliquam, dicitur, et tunc, ut commune, in alterius definitione concluditur, cū primum analogatum complectitur, ad quod per se commune analogi nomen refertur, per quod sunt & dicuntur cætera analogata, quarto metaph. secundo, uel dicas commune est possibile utrisq;, secundum non repugnantiam quia non impossibile est inesse: prædicatum quod necessario, inest, uel potest inesse, sic non necessario non inest ut supra ex primo prior. 18. retulimus, & hæc non repugnātia, analoga ratione superius dicta conueniet.

TEX. BOETHII.

Et est quidem fortasse principium quod necessarium est, & quod non necessarium est omnium, uel esse, uel non esse, & alia quemadmodum horum consequentia considerare oportet.

Tertia descriptio.

I	III
Necessarium esse	*Non necessarium esse*
Non possibile non esse	*Possibile non esse*
Non contingens non esse	*Contingens non esse*
Impossibile non esse	*Non impossibile non esse*
Necessarium non esse	*Non necessarium non esse*
Non possibile esse.	*Possibile esse*
Non contingens esse.	*Contingens esse*
Impossibile esse	*Non impossibile esse*
II	IIII

Manifestum est autem ex his quæ dicta sunt, quoniam quod ex necessitate est, secundum actum est: quare si priora sunt sempiterna, & quæ actu sunt, potestate priora sunt, & hæc quidem sine potestate actu sunt, ut primæ substantiæ: alia uerò cum potestate, quæ natura priora sunt, tempore posteriora. alia uerò nunquam actus sunt, sed potestates solum.

Itaque est profecto principium, quod necessarium est, & quod non necessarium est, omnium, uel esse uel non esse, & alia quemadmodum consequentia, considerare oportet: manifestum est autem ex his, quæ dicta sunt, quoniam quod ex necessitate est, in actu est: quare si priora sunt sempiterna, & quæ actu sunt, potestate priora sunt, & hæc quidem alia sine potestate actus sunt, ut primæ substantiæ: alia uero cum potestate, quæ natura priora sunt, tempore posteriora. alia uero nunquam actus sunt, sed potestates solum.

Cum Ammo. omnes expositores conueniunt: Ari. uelle Stoicos increpare: qui propositiones possibilis et contingentis præposuerunt propositionibus necessariј: nam re uera econtrario esse debet: ut primum in tabella propositiones necessariј describantur: non solum (ut Ammo. ait) quia necessarium est antecedens, & minus commune, possibile uero est consequens & uniuersale genus, sed et quia necessarium est semper actu, atq; inuenitur in sempiternis & actibus puris, possibile uero inuenitur in his, quæ sunt partim actu, partim in potentia, uel semper in potestate: ita hos sequendo explicanda litera Ari. est, ut primū probet, procedere debere, necessarium, non autem ipsum possibile, quia necessarium et non necessarium sunt principiū omnium, uel esse, idest corū quæ sunt actu, ut in propositione de inesse, uel eorum quæ non sunt. i. in propositione de possibili: ergo primum in tabella, describendæ sunt propositiones necessariæ, affirmatiuæ et negatiuæ, et alia quēadmodum sint horum consequentia & posteriora, considerare oportet, Auer. autem dicit: consequentia ad li. priorum Arist. distulisse: ex scientiis autem speculatiuis monstrare necessarium principium esse omnium aliorum: ibi. {Manifestum est autem ex his quæ dicta sunt} Primum sumit quod dictum proxime est. s. quod ex necessitate est, secundū actū est: tunc ex scientiјs speculatiuis assumit (ideo hypothesi utitur) & inquit. si priora sunt sempiterna his s. quæ sempiterna non sunt, sed caduca & corruptibilia. Itē secūdo, si quæ actu sunt, priora sunt ĳs, quæ potestate sunt necessariū, ergo quod actu tam est, & in sempiternis subiectis proprie inuenitur, prius erit. Minor exemplo producendo monstrabitur, cum dicet: ut primæ substantiæ, quæ intelligentiæ nominantur, semper actu existentes, & sempiternæ, octauo ph. à 45. ad 53. infra. Et duodecimo met. 41. infra possibilia autem & alia a quibus sumi potest ipsum possibile, uel actus sunt cū potestate coniuncti, idest quę si sunt actu, possunt non esse, uel sunt potestate solū, ergo necessaria priora sunt possibilibus, quæ uel partim in potentia sunt, uel solum in potentia. Dubitabis, unde pateat sempiterna priora esse corruptibilibus? Dicas octauo physic. 57. infra, & similiter actum priorem esse potentia, nono metaph. 13. infra, & ꝙ res necessariæ sint actu, sempiterno tēpore, octauo phy. à 45. ad 53. infra. 12. met. à 19. infra. & 12. met. 41. infra. {Et hæc quidem sine potestate actus sunt.} Vt diximus exēplo cōmonstrat: quæ sunt illa sempiterna actu, & priora his, quę sunt in potentia: atq; tres gradus rerū distinguit: duos extremos, alterum medium, qui utriusq; fere conditiones participat: primus extremus corū est, quæ sunt actu sine potentia materiæ primæ: hæc aūt dicuntur substantiæ primæ. 12. me. 29. i. intelligētiæ, quæ primæ iccirco uocantur, qm̄ causæ effectrices, &

tanquam fines, & formæ, perfectiua & primo cauſantes ſunt, ideſt primæ ſunt perfectione, & cauſalitate (ut aiũt) itaque non primæ ſubſtantiæ (indiuidua quæ ſub prædicamento conſiſtunt) intelligendæ ſunt: nam hæc ſub ſecundo medio gradu entium continentur: quem explicat ibi { Alia autem. } Vbi gradus medius tangitur eorũ, quę ſunt actu completo, ſed ſimul cum poteſtate, hoc eſt, quãuis ſint actu, potentia tamen habent ad non eſſe. & hæc, (ut Comm. uult) ſunt res quę ortum & interitum, ſiue generationem & corruptionem ſuſcipiunt: illæ enim, quatenus actu ſunt, genitæ ſunt: ratione autem materiæ primæ in poteſtate ſunt, ut non ſint, ac corrumpantur, ſic indiuidua & primæ ſubſtantiæ actu ſunt cũ genita tã ſunt, & potentia. Indiuidua tamen non dicuntur in actu uel potentia cõpleta, ut ad ipſam ſpeciem conferuntur: nam ſic primo de gen. 13. & 18. ſecundo de anima. 34. generatio unius eſt corruptio alterius: & econuerſo, ſed in actu unicum indiuiduum dicitur eſſe, quod per generationem acquiritur, primo enim de gen. 55. acquiſita forma & termino, ceſſat motus: licet Ammonius uelit ſecundum hũc gradum, uerum etiam eſſe in his corporibus: quæ ſemper mouentur, quorum potentia, tempore actum præcedit: ut ſol prius tempore ſub ariete mouetur quam tauro &c. { Quæ natura priora ſunt, tempore poſteriora. } Peres de his, quæ medium gradum participant, ac actum completum cum potentia retinent, quomodo illi actus priores ad potentiam conferuntur? Reſpondet eorum quæ generantur & corrũpuntur actu completo, actus priores natura infra perfectione ſunt, ſed tempore poſteriores: ut clare nono meth. 13. & 15. patet: quæ enim priora ſunt generatione, poſteriora ſunt perfectione: nam ſeptimo meth. 35. ens in potentia aut nil eſt, aut poſterius perfectione eſt, ſic de cælo dicendum, ut ad motum confertur { Alia uero nunquam actus ſunt, ſed poteſtate ſolum. } Tertiũ & extremum gradum rerum declarat earum, quæ nunquam ſunt actus, ſcilicet completi: ſed poteſtate ſolum, ideſt poteſtati ſemper admixti. Quæres quæ huiuſmodi ſunt: quę tantum ſunt in poteſtate nunquam in actu? Aliqui dicũt, ueſtem eſſe, quæ nunquam incidetur. Sed contra, quoniã res quæ eſt in actu completo, & admixtam habet poteſtatem, tempore priorem qua poteſt non eſſe: cum ſecundo gradu, neceſſario numeratur. Item ueſtis licet nunquam incidetur actu, poteſt tamen incidi: non ergo ſolum eſt poteſtate. Ammonius primum retulit gradũ ad ſinceros actus ab omni mutatione & motu. ſecundũ ad corruptibilia & ad mobilia, quæ ſemper mouentur, & incorruptibilia ſunt, quatenus habere dicũtur aptitudinem lationis ad cancrum, & alia ſigna, tempore priorem actu: licet neceſſario conſequentem ut Comm. dicebat: cum quo nũc aſſentiri uidetur: tertium uero gradum, tantum in potentia exiſtentium, ad duo retulit, ſcilicet quantitatem cõtinuam diuiſibilem eſſe in infinitum, & numerum poſſe in infinitum augeri, quæ actu fient, inquantum infinita ſunt: Auer. addidit his motum. horum enim trium, nunquam potentia euacuat actum: ſed natura, & eſſentia eorum eſt tertio phyſ. ſexto ut ſemper potentiam habeant permixtam ſiue coniunctã cum actu coniuncto potentiæ tertio phyſ. 57. & 58. ab eodem Auerroe & ab Ariſt. nono meth. 11. primo de gen. nono. Ex his patet hunc nouiſſimum gradum, non ita intelligendum eſſe, ut tantum ſit poteſtate, ita ut nullatenus actum imperfectũ ſaltem admittant: cum etiam Ammonius dicat: nec tamen deficit in ipſis, uel diuidẽdi progreſſus uel augendi, ideſt actũ aliquem diuiſionis & augmenti habent, ſed non completum: ipſum enim rationi repugnat, cum ſint entia incompleta & imperfecta, ſemper poteſtatem ſiue aptitudinem retinentia. ex oppoſito tertij gradus, ſecũdus intelligi debet: eorum, quæ actum completum habent, formã, & terminum, ſimul tamen cum potentia, tempore tamen priore actu: ſicut in tertio gradu, oppoſitum cernimus, ſcilicet nunquam actum completum, formam & terminum nec potentiam tempore priorem actu. hæc de textu ſufficiant, cum laude Dei & omnium ſanctorum. Ego uero non ingratum putarem literam illam. { Itaque eſt profecto principium omnium uel eſſe uel non eſſe. } ad alium finem, ac propoſitum poſſe referri. Nam ſi propterea arguendi erant antiqui (in tabella, ſiue deſcriptione enunciationum cum modo coniunctarum, non præpoſuiſſent ſiue docuiſſent, illam, neceſſe eſſe, & quia ut antecedens pars eſt, & inferius poſſibili: & principium & cauſa, tanquam res æterna, & in actu) Igitur Ariſt. etiam arguendus eſſet, qui primo libro oppoſitiones enunciationum de ineſſe deſcribens, primum poſuit uniuerſales contrarias: deinde particulares ſubcontrarias: et confirmatur hunc ordinem iure eſſe ſeruandum: quia in aſſignandis oppoſitionibus, communiores anteponuntur minus communibus, per & negationẽ præpoſitam ſiue poſtpoſitam æquiualẽt atque æque communia fiunt: cum ergo ab Ariſt. hic intendantur & oppoſitiones modalium aſſignari, & ęquipollentiæ illarum, eo ordine quo ab inuicem opponũtur, communiores ergo proponendæ fuerunt, ut Ariſt. & antiqui fecerunt: Ariſt. autem oppoſitiones proponens, antepoſuit poſſibile & impoſſibile: quod ratione iterum cõfirmatur, quia prima oppoſitio eſt contradictoria. ſi ergo modi primum ponendi, qui contradictorie aduerſabantur ut poſſibile & impoſſibile, contraria autem modaliũ oppoſitio, neceſſario cõtradictoriam præſupponit, ut Ariſt. fecit: licet non penitus ita ſit in propoſitionibus de ineſſe, in quibus oppoſitio contradictoria affirmationis & negationis, prius, tãquam communior ponitur: in quo ſimiles ſunt: Inde contraria ambarum uniuerſalium tertio cõtradictoria uniuerſalis & particularis, & ratio eſt: quia cõtraria uniuerſalium, non neceſſario præſupponit contradictoriam uniuerſalem & particularem in oppoſitione in æquiualendo: contrarium dictum eſt de poſſibili, & impoſſibili, & neceſſario: quia neceſſarium contrariẽ oppoſitũ, ſupponit non poſſibile, ut contradictorie oppoſitum, & poſſibile tanquam communius prædicatum. Pręterea ſi quæ priora natura ſũt & minus cõmunia, ut æterna, prius diſponi, ac doceri deberent; ergo metaphyſica eſſet ſciẽtia prima, quam prius cæteris deberemus addiſcere: illa enim de primis ſubſtantiis, æternis, & cauſis omniũ quæ ſemper actu ſunt, conſiderat. 12. metha. 29. Amplius ſi cõſequentia alia ſunt, ipſum neceſſe eſſe, cur illa non tradidit, ad librum priorum (dicente Auerroe) diſtulit? His igitur ergo permotus, literam illam ad aliud propoſitum ac finem aperio: quoniam cum Ariſt. ante dixiſſet ipſam, neceſſe eſſe, tanquam partem, conſequi poſſibile, tanquã uniuerſale; ne quiſpiam exiſtimaret, genus, uniuocum, & uniuerſale eſſe; & ita prædicari oportere (ut commune eſt æqua ratione) tã de poſſibili uero ad utrunque, quam poſſibili quod ad unum actu terminatũ eſt, ſimiliter nec alterum poſſibilis diſtinctum membrum, ſed commune utrique. prædicari de neceſſario æqua ratione oportere, iccirco ſtatim monſtrauit, poſſibile quod dictum eſt, uerũ eſſe de neceſſario & uero poſſibili, analogum uniuerſale genus eſſe, non uniuocum genus autem analogum & uniuerſale de primo analogato per ſe prædicatur, ut ordinẽ ad ipſum explicat, principii & cauſæ, actus, uel ſempiterni, ad alterum, principii, cauſati, potentiæ ſiue corruptibilis, nam (ut tetigimus) nihil uniuoce conuenit per ſe principio, & cauſæ, & cauſato, actui, & potentiæ, æterno, & corruptibili: quomodo ſunt neceſſarium quod aſſeritur eſſe principium omnium, alia uero quemadmodum ſunt conſequentia, ideſt poſteriora, conſiderare oportet: nõ dicit alia quomodo ſint conſequentia in conſecutione. id enim non explicat, ſed reliquit tanquam id quod ſuperius poteſt ex deſcriptione clareſcere: declarat autem

quomodo necessarium (ut existens secundum actũ) prius sit ipso possibili: quia sempiterna priora sunt corruptibilibus: & quæ actu sunt, priora sunt his, quæ potestate: sed necessaria sunt actu, & sempiterna: quod maxime ostenditur de primis analogatis necessariis, idest primis substãtijs, hoc est, intelligentijs, quæ actus puri sunt sine potestate: qua potentia materiæ, nihil est sempiternum, & actu, sed corruptibile, & in potẽtia: possibilia uero sunt in potẽtia, uel corruptibilia, ut in duobus ultimis gradibus rerũ ostendit quare manifeste consequitur: possibile (quod de necessario tanquam principio, & causa dicitur, omnium aliorum, ut ente sempiterno, & in actu) analogum genus & uniuersale esse: quod tantum cum alio possibili uero, communem non repugnantiæ rationem participat: & ut dicitur de possibili ad utrunque, non nisi cum assentiali ordine ad alterum significatum actu, sempiternum, principium, & causam dicendum est, idest ipsum necessarium: Vel clarius explicetur: propterea possibile commune genus analogum dicitur, quia secundum non repugnantiam commune est: ut significat non impossibile inesse: & non necesse non inesse: sed ut dicitur de necessario, prius, & secundum quòd actu inest: ut uero de uero possibili ad utrunque, posterius, ut de ente in potentia: & ita est genus & ratio communis ab uno & ad unum. Si hæc uera sunt, gratias Domino referamus, qui mentem ad explicandum uerum illuminat: Ex his patet solutio dubitationis, qua quærunt an necessarium, possibili uel contingenti collarum sit particulare? Respondet Suessa. Illa posse ad supposita temporis, & rei, quæ uere inferiora sunt, comparari. Primo modo (cum necessarium in omni tempore sit) uniuersale esse, contingens uero cum in aliquo tempore sit uerum, particulare dicetur; sed contrario modo est si ad supposita rei conferantur, cum possibile tam de necessario quam uero possibili prædicetur: necessarium uero non Sed contra quia possibile quod dicitur de necessario, cum hoc, quòd communiter ut non repugnans in esse; de necessario dicitur; est in actu, qud uerum est semper, ergo omni tempore erit, ergo possibile est uniuersale tam ad omnia supposita siue subdita comparatum quam etiam tempora, quatenus ad alterum significatum refertur: ut existens in actu, ut causa & principium cæterorum præterea: possibile quod dicitur iam de necessario & uero possibili ad utrunque, dicit non repugnantiã inessendi, idest non impossibile in esse, & non necesse non in esse; hæc autẽ non repugnantia (ut communis utrisque) non significat prędicatum quod insit aliquo tempore, sed indifferẽs est ad necessarium, quod omni tempore inest, & uerum contingens, quod aliquo tempore inest: ut uerò dicitur de necessario, actu, omni tempore inest: ut de possibili ad utrunque, idest aliquo tempore.

SECTIO QVINTA.

QVÆ MAGIS APTÆ ENVNCIATIONES CONTRARIÆ DICANTVR CAP. IIII.

TEX. BOETII,

VTRVM autem contraria est affirmatio negationi, an affirmatio affirmationi, & oratio orationi, quæ dicit quoniam omnis homo iustus est, ei quæ est, nullus homo iustus est: aut omnis homo iustus est, ei quæ est, omnis homo iniustus est: ut est, Callias, iustus non est Calias iustus, Callias iniustus est: quæ harum contraria est? Nam si ea, quæ sunt in uoce, sequuntur ea, quæ sunt in anima: illic autem contraria est opinio, contrarij (ut quoniam omnis homo iustus est, ei quæ est omnis homo iniustus est) etiam in ijs quæ sunt in uoce affirmationibus necesse est similiter sese habere: quod si neque illic contrarii opinio contraria est, nec affirmationi erit contraria, sed ea quæ dicta est negatio. Quare considerandum est, quæ opinio falsa opinioni ueræ contraria est: utrum negationis: an certe ea, quæ contrarium opinatur. Dico autem hoc modo: est quædam opinio uera boni, quoniam bonum est: alia autem, quoniam non bonum est, falsa: alia uerò quoniam malum, similiter falsa: quæ harum contraria ueræ: & si est una, secundum quam contraria? Nam arbitrari contrarias opiniones definiri, eo quòd contrariorum sunt, falsum est. Boni enim quoniam bonum est, & mali quoniam malum est, eadem fortasse opinio est etiam uera, siue plures, siue una sit. sunt autem ista contraria: sed non eo quòd contrariorum sint, contraria sunt, sed magis quòd contrariè.

VTrum autem aduersa est affirmatio negationi, an affirmatio affirmationi, & oratio orationi, quæ dicit, quoniam omnis homo iustus est huic, nullus homo iustus est: an omnis homo iustus, huic, omnis homo iniustus. ut est Callias iustus, non est Callias iustus. Gallias iniustus, utra harum aduersa est? Nam si ea quæ sunt in uoce, sequuntur ea quæ sunt in anima. illic autem contraria est opinio de contrario (ut quoniam omnis homo iustus est, huic, omnis homo iniustus est) etiã in ijs quæ sunt in uoce enunciationibus, necesse est similiter se se habere: si autem neque illic contrarij opinio aduersa est, nec affirmatio affirmationi erit contraria, sed ea quæ dicta est negatio. quare considerandum est, qualis opinio falsa, opinioni ueræ aduersa est. utrum negationis an certe ea quæ contrarium opinatur. Dico autem hoc modo. est quædam opinio uera de bono, quoniam bonum est, alia autem quoniam non bonum est, falsa. Alia uero quoniam malum similiter falsa. quæ ergo harum aduersa ueræ? & si una, secundum quam aduersa? Itaque arbitrari contrarias opiniones quoniam contrariorum sunt, falsum est. de bono enim quoniam bonum est, & de malo quoniam malum est, eadem fortasse opinio est, etiam uera, siue plures siue una sit sunt autem ista contraria, sed non eo quòd contrariorum sint contraria sunt, sed magis quoque contrarie.

HIc orditur sectio quinta, in qua adeò abstrusa sunt omnia, ut Ammonius, & alii plures, hunc librum Arist. esse negarint; cum aduersantia hic, & aliis libris ponantur. Qua de causa singulas autoris (quẽ Arist. esse non opinatur) rationes uitiosas esse, illis respondẽdo, monstrabit: aut (inquit) si ab Arist. fuisse descriptũ ponatur, nil aliud facere, quam ut rationibus probabilibus auditores exercear: non tamen quòd tanquam uere ponantur: et in hanc sententiã obscuris uerbis, Alex. Afrodisieus uidetur accedere. Qui ait. 10. metap, 15. in principio (quòd cum ita sit, hoc est, quod contradictio sit magis oppositio, quam priuatio & contrarietas, ergo non uideo, cur, quidam sic præcipiant, cum ipsi placeat contrarietatem magis opponi, quam contradictionem: tamẽ gratia exercendi auditores dixisse in Quinta sectione libri de enunciatione, (idest de interpretatione cuius subiectũ enunciationem posuimus) contradictionem magis opponi quam cõtraria. Cuius uerba in hoc pro Ammonio adducta sunt quòd rationes assignandæ, proponendæ sunt, ut auditores exerceantur; falsæ tamen erunt; ut Ammonius opinatur;

natur: propterea inquit Porphyrius contempsit exponere: & illi soluendi opus ac onus incumbere. Sed opinio hæc nec uera est, nec proxime ad uerum accedit, cum eadem in omnibus libris dicantur: ut improbando solutiones Ammonii, clarè uidebitur. uerba Alex. manifeste Ari. contradicunt, si uelint asserere ipsi Arist. placere contrarietatem magis opponi simpliciter circa unumquodq;, per se, & primo: quàm contradictionem: nam manifeste probatur. 10 metaph. 15. 16. totum oppositum: licet contraria (ut tex. 15. ipsemet Arist. explicauit) sint magis opposita & aduersa ut sub eodem genere & circa idem subiectum ad inuicem conferuntur, quoniam sic sunt oposita tantum species in actu. nisi uelint asserere (non uideo cur quidam ita præcipiant, cum ipsis placeat sic opinantibus contra ueritatem Arist. contrarietatem magis oppositam esse quam contradictionem & eosdem sic falso opinantes dixisse:) in quinta sectione de interpretatione, Ari. exercendi auditores gratia dixisse cōtradictionem magis oppositam esse quam contrariam. quicquid tamen sit maxima est in ipsa intentione ac proposito sectionis obscuritas: ut alii uel illam inuenire diffisi sint, uel patim inuentam recte non explicent. Auerroes acutius intuens ait, hic Ari. uelle quartam enunciationis speciem explicare: quæ ex prædicatis contrariis componitur, scilicet bono & malo iusto uel iniusto: cum enim tres tantum species superius explicatæ sint, prima de subiecto finito & infinito: secunda, de prædicato similiter finito & infinito ut habitu priuatione: tertia, de ea quæ cum modo coniungitur: quarta, & nouissima remanebat, quæ ex prædicato constat cōtrario. Sed postulabis: nonne alia est species enunciationū priuatiuarum, idest æqualis, & inæqualis, iusti & iniusti? dicas hæc posse considerari ut in cōmuni ratione priuationis conueniunt: quæ definita est in post prædicamentis & 15. meth. ut est negatio in terminato subiecto apto nato & tempore terminato: & sic eodem tractatu priuatiuæ oppositæ considerantur, cum enunciatione finita & infinita: huius manifestum indicium est, quod supra Arist. de consecutionibus infinitarum considerans, dixit, (quatuor igitur erunt: quarum duæ quidem ad affirmationem & negationem se habebunt secundum consequentiam, ut priuationes, duæ uerò minimè:) si autem considerentur: ut priuatiuæ oppositæ simul re, existentia, & subiecto contrarium continent, ut iniustum non solum priuationem iustitiæ, sed habitum oppositum & contrarium qui est habitus prauus iustitiæ quem iniustitiam appellamus, tunc cū contrariis numerantur propriè dictis: ut speciebus & actibus qui sub eodē proximo genere subiecto recipiuntur. qua ratione quartam speciem ab Auerroe numeratā constituent: primo autem phy. a. 41. ad. 47. infra cū dixit oē quod fit a contrario in contrarium fieri dicitur: nomen contrarii communius cœpit, pro opposito continēte tam infinite quam priuatiue & uerè contrarie opposita: ens ex non ente, musicum ex non musico & in musico, et album ex nō albo & nigro. Sed petes secundo, de speciebus prædictis duo considerare proposuit, oppositionem contradictionis primam, scilicet affirmationem & negationem, quibus positis, modos alios contrariarū ex ambabus uniuersalibus & contradictoriarum ex uniuersali & particulari, & subcontrariarum, cur, ista de quarta hac specie non præposuit? Ad hoc animaduertens Auerroes respondet: quod orationes contrarie, idest quarum prædicata sunt contraria, sunt quinque modis oppositæ, secundum affirmationem & negationem; primum contrariæ inter uniuersales, secundo, contradictoriæ inter uniuersalem & particularem, tertio, inter singulares, quarto, inter particulares subcontrarias, scilicet inter indefinitas: harum omniū inquit præcessit dictum: hic igitur tanquam superius explicatas dereliquit. Sed quæres, ubi ista superius declarantur? respondeas quod contraria, quatenus eadem subiecto sunt cum priuatiue oppositis, ut non album, non iustum cum nigro, & iniusto continente contrarium habitum iustitiæ & cum infinitis, declaratur, quum de enunciationibus constitutis ex prædicatis finitis & infinitis disseruit: nam (sicut ibi monstrauimus) infinitum nomen terminatam priuationē significat in materia terminata siue subiecto: quā in postprædicamentis expressit: in qua opposita priuatiue conueniunt: licet contrarium experiantur. quam ob rem ambo ab Ari. contraria nuncupantur: iam hic quam etiam. primo phy. 41. ad. 47. infra. Itaque in hac communi ratione efficiendæ negationis conueniunt: cum negatio additur uerbo non prædicato: & sicut una negatiua potestate non actu est, ita & reliqua: ut totiens Arist. refricauit: ibi, est non iustus homo, huius negatio est, non est, non iustus homo. Item infra (illæ uero secundum infinita contra iacentes nomina & uerba, ut in eo, quod est non homo, non iustus, quasi negationes uidebuntur, sed non sunt) et infra, (eius, esse hominē album, negatio est non esse album hominem, sed non ea esse, non album hominem,) ut ibi rationibus indicauit. uerum ergo Com. asseruit quod prædicata enunciationum (quatenus comparantur in affirmatione & negatione) iam præcessit dictum supra. quo etiā tractatu intelliguntur contraria uere, ut rationem communem priuationis & habitus complectuntur, ut infra dicetur, sed ut contraria proprie considerantur, eo modo opponuntur sicut ille de inesse. quarum oppositionem & modos oppositionum, primo libro, sectione secunda descripsit, ac posuit. Sed iterum quæres, si hæc, quarta species cum duabus aliis speciebus ac earum proprietatibus superius explicata est, cur hæc, quarta sectio distinguitur ac separatur? dicas cum Auerroe, non solum illa quæ diximus de quarta specie explicare Arist. statuisse, sed comparare illam ex prædicato contrario, uel complicante contrariū, negationi, modo tractatus quo alia conferuntur, siue (ut aiunt) tractatus eligibilium. posterior est tractatu in quo aliqua per se docentur, ac difiniuntur. Item quoniam ista quæstio præsupponitur etiam à modalibus, quarum est negatio & contradictoria & sequens enunciationem ex prædicato finito uel infinito. Item affirmatio & negatio ex prædicato contrario, iure ergo Arist. nouissimum illi quæstioni locum attribuit: Sed interrogabis, quæ actu sic intentio huius tractatus? Conueniunt omnes cum Ammonio et Auerroe, propositum huius esse, quod Arist. initio sectionis proposuit, quæ harum, scilicet orationum sint magis oppositæ et longioris differentiæ affirmationis positæ ueræ ut omnis homo est iustus, an negatiua uere contradictoria uel affirmatio uere contraria, uel contrarium continens, hoc est, an hæc nullus homo est iustus uel illa omnis homo est iniustus, ut continens habitum prauum iustitiæ tanquam ueræ contrarium, uoluntq; quod sæpē rationibus approbet contradictionem ueram, magis oppositam esse contraria propriè dicta: Et hæc ipsorum intentio posset uerbis Arist. confirmari tum in prohœmio tum etiam ex his, quæ in epilogo colliguntur, et in tractatu cōsideratur: nam contradictionis ueræ oppositionem proposuit: cum, ait (an contraria est affirmatio negationi, uel affirmatio, affirmationi contrariæ: ut illi, omnis homo est iustus, an hæc magis opposita, et aduersa dicitur nullus homo est iustus, uel omnis homo est iniustus uel malus.) Item in epilogo (quare si in opinione sic se habet, et sunt hæ, quæ sunt in uoce affirmationes et negationes notæ earum quæ sunt in anima, manifestū quoniam affirmationi contraria quidem negatio est quæ de eodem uniuersaliter: ut ei, quoniam omne bonum, bonum est, uel quoniam omnis homo bonus est, ea opponitur nullum bonum, uel nullus homo bonus est contrarie) similiter de contradictoriis inter uniuersalē et particularem affirmat. præterea sic etiā comparata siue collata quæstio, siue problema tractatur. Ego & si plurimū dubitem, tam fiden-

ter contra tot peritissimorum uirorum sententiā iam perscriptam asserere, tamen ex uerbis ac sententia Arist. existimo quamuis oppositio contradictoria uera circa unumquodq; tam ens, quàm non ens, comparetur oppositioni contrariæ ueræ, non tamen hæc est primum intenta hic ab Aristo. comparari? Secundum dictum sit, ibi intendi comparationem negationis, quæ uirtute sequitur ipsam affirmatiuam de prædicato infinito una ex parte, & inter affirmatiuam de prædicato contrario uel priuatiue opposito ut complicante contrarium parte ex altera: hæc enim duo circa terminatum subiectum uersantur, et quasi pro eodem te & subiecto ab Arist. desumuntur. Eo autē maximè ad id asserendum permoueor, quoniam problema de eo primum intelligendum est, cuius, quid nominis quæsiti ante tractatum præponitur: sed infra (ut dicemus) ibi (nam arbitrari contrarias opiniones) præcognoscitur quid nominis contrariorum uerè, contraria non intelligi diuersa prædicata de diuersis subiectis de quibus tanquā superiora uel conuenientia de inferioribus, bonum est bonum & malum est malum, prædicantur, sed de his, quę contrarie de eodem subiecto dicuntur, ac se inuicem ab eodem subiecto driciūt. Item consequentibus uerbis ibi (si ergo est boni quidem, quoniam bonum, opinio, alia autem quoniam non bonum est) præcognoscit non quamlibet opinionem contradictionis siue contradictionem in uoce considerare, in qua prædicatum asseritur inesse subiecto, quod tamen non competens est neque potest competere: ut homo est lapis uel lignum iustum, sed quod est terminatum finitum uel infinitum: ut hoc bonum est bonū uel est non bonum: quod terminatam priuationem & potentiam indicat. quod etiam clarius explicat (sed in quibus est fallacia, falsum error) hæc autem sunt, ex ijs ex quibus sunt generationes: sed generationes sunt ex oppositis terminatis priuatione & habitu: & potentia terminata: quare ex his etiam fallaciæ, falsumq; erunt. Tunc arguas; sed uera contradictio est circa quodlibet uera uel falsa, et non ex terminata priuatione & materia constituitur: non ergo de uera contradictione præcognitio est problematis: sed de negatione sequente hoc bonū esse non bonum, ex qua negatione terminatæ priuationis in materia terminata, non negatur omne predicatum quod subiecto non cōpetit, nec potest competere, sed quod priuationem terminatam finiti subiecti significat: quæ apta nata est, in terminata materia ad formam, qua iam priuari signatur: negatio est illa ex qua fit deceptio: maxime enim decipimur ex priuatione propria, & potentia. Item illa negatio est propter in iis, ex quibus sunt generationes, ex non ente fit ens: ut iam multis primo libro monstrauimus, idest ex terminata priuatione & potentia quam infinitum nomen significat: at negatio contradictoria ex non ente simpliciter etiam fit in postprædicamentis, & 10. metap. 15. non terminata priuatione: hoc etiam ipse Ammonius infra tex. tertio concedit ex illis literæ uerbis inferri, ut ipse rationem Arist. (quam putat secundam esse) soluendo uitiosam ac falsam ostendit: non de negatione per se primo concludere, quæ est simpliciter non entis, sed de priuatione & habitu in materia prima, ut ad generationem cōferatur substantiæ: uel ex non albo, idest priuatione albi, intellige admista, contrario, idest quod priuatum albedine est nigrum uel medium si ad generationem siue motum accidentium referatur. Item problema infra de opinionibus tanquam uiis notioribus, exemplo indicans ait (dico autem hoc modo, est quędam opinio uera huius boni, quoniam bonum est, alia autem quoniam non bonum, est falsa: alia autem quoniam malum, similiter falsa:) quærit quæ harum est magis per se in eodem, contraria & opposita affirmatiuè ueræ? affirmationi igitur ueræ, negatio sequens prædicatum infinitum una ex parte confertur: & affirmatio ex prædicato contrario, parte ex altera. Item tex. quinto, Ammonij: affirmatiuæ ueræ, huius boni quoniam bonum est, dicit duas esse falsas: sed unam per se, scilicet bonum esse non bonum: ratione qua propriam formæ bonitatis & essentiæ priuationem significat: sed alia bonum est malum, est falsa per accidens: quia nisi quatenus existentiam contrarij & formæ & actus contrarij ponit existere in subiecto: non quia priuationem propriæ formæ & essentiæ indicet, sicut hoc bonum, idest iustitia est bonum, est uera enunciatio per se: & illa hoc bonum est non malum: est uera per accidens, quia non negat & indicat priuationem propriæ formę bonitatis, sed malitiæ cum qua, simul existentia, & subiecto, bonum non consistit: ratione ergo existentiæ, ergo per accidens ut infra dicetur. præterea infra semper nominibus indefinitis utetur: ut explicando literam ostendemus, confirmatur ex Ammonij responsione, quam conatur, tex. quarto responsioni Arist. assignare: ubi tribus modis responsionem uitiosam demonstrat: primum illam bonum esse malum falsam per se & primo esse, secundo comparationem problematis incongruam esse, cum non comparentur in contrarietate affirmatio & negatio: sed quæstio rationis compos nullatenus est: quia comparantur contraria contradictoriis, quæ in ratione contrariorum non conueniunt, sed magis comparandæ essent in oppositione communi utrisque oppositionibus, ut fit. 10. meth. 15. idest affirmatiuæ ueræ, quæ sit magis opposita pugnans, seditiosa: & longius absit, & sit ab illa remotior, negatio contradictoria, uel affirmatio contraria? Tertio ertare argumentum affirmat, quia non de ea diuersitate in præsentia nobis agitur, qua simpliciter non ens à simpliciter ente dirimitur: quod, scilicet fit in affirmatione & negatione contradictoria: quod bifariam approbat, quia non enti simpliciter, non obstat contrariū, idest non contra ponitur, ut actus & forma existens. Itē nec idoneum & aptum natum est aliud quidpiam prædicatum, ut contrariū prædicari de non ente simpliciter, cū contraria prædicentur de indiuiduo existente, in actu: sed agitur de oppositione illa tum cōtrariorum, tum infinitorum nominum aut uerborum ad finita: quæ oppositio in particularibus inest entibus. Dices tu Arist. uocauit contradictionem siue negationem, respondet quòd infinita nomina & uerba cum in oratione ponuntur, negationem efficiunt tam de ente quolibet, quam non ente: & ita non dicuntur negationes simpliciter non entis. Relicto primo errore, quem Ammonius annotauit de quo suo loco dicemus, de secundo & tertio nunc pauca notemus: non enim aliquis error in ratione deprehenditur, si problema propositū recte percipiatur: nam affirmatio contraria, & negatio sequens prædicatū infinitum, in oppositione, seditione, pugna, & longiori differentia comparantur: ut optime Commen. & Argiropolus intelligit: & si pro contrario desumatur, non uere contrariis existentibus sub eodem genere, & in eodem subiecto in actu: sic enim comparatio inconueniens esset: sed pro contrario, idest opposito, eorum: quæ se tollunt, communi tam contrariis priuatiue, quam etiam ueris contrariis actu existentibus in particularibus: quomodo primo phy. a. 41. ad. 47. infra & alibi sæpe ab Arist. dicitur omne quod fit a contrario in contrarium, idest in generatione subiectarum ex non ente in ens, idest à priuatione infinita ad habitum finitum: ad quē est in potentia: & in motu aliorum accidentium habentium contrarium à uere contrario in contrarium simul cum infinita priuatione, idest ex non albo quod est nigrum & terminatum. si uero commune sit problema negationi ueræ & contradictoriæ, tunc pro opposito etiam sumitur: quo modo comparatur. 10. metaph. 15. & 16. Amplius quorsum res tam perspicua, & fere omnibus obuia, in dubiū & problema uertenda est? quum manifeste in post prædicamentis cap. de oppositis asseratur, & . 10. meth. 16. contradictionis partem in omnibus ueram esse, uel falsam. siue

ue subiectum de quo dicitur sit, siue non sit: qua ratione primo post. 13. 10. meth. 15. contradictio dicitur cuius secundum se non est dare medium, de quo pars altera non dicatur: nec medium habet subiectum, ut est in contraria uere & infinite siue priuatiue oppositis: primo priorum ultimo. Item quarto met. octauo & apud Alex. 24. firmissimum principium omnium est circa quod fieri non potest ut quis decipiatur quia notissimum est: ut singuli circa ea, quæ non cognoscunt, decipiuntur. Arist. autem tex. tertio, Ammonii dicet opinionem de qua hic agitur, non esse illarum affirmationum & negationum, quæ existimant aliquid prædicatum competere, quod non competens est, neque potest non competere: sed in illis in quibus est deceptio: & hæc esset dicet illa in quibus generationes fiunt: deceptio uero non contingit nisi ex priuatione & potentia & contrario, quod idem est quandoque existentia cum infinito. Item ea ex quibus generationes fiunt, non sunt nisi priuatiue & infinite opposita in materia terminata: ut affirmatio fiat ex actu proprio & finito, ad quē est generatio, negatio uero ex non ente infinito: quod dicitur uel inest, aut inesse potest: tam non enti per se, idest priuationi, quam enti per se, idest in potentia. itaque uerba illa, te. tertio ad quid nominis contrariæ affirmationis finitæ & negationis sequentis ex prædicato infinito necessario referenda sunt: Ex his igitur patet, per se problema considerandum proponi, affirmationi ueræ: omnis homo est iustus, quæ magis contraria sit & aduersa circa idem terminatum subiectum, an negatio, quæ potestate consequitur affirmationem falsam de prædicato infinito, omnis homo est non iustus, idest nullus homo est iustus, an uero affirmatiua etiam falsa ex prædicato contrario, omnis homo est iniustus, uel malus. Primum dictum etiam patet, et si oppositio uere cōtradictoria cōparetur oppositioni contrariæ infinitæ & contrariæ uere ex prædicato contrario, non tamen per se, & ex proposito: sed secunda intentione, nec etiam (ut alii asserunt) solum confertur contrariæ ueræ: sed etiam contrarię, idest opposite infinitæ. ratio autem præter illas quas assignauimus, est: nam licet infra te. sexto, & octauo, Ammonii, bis Arist. mentionem faciat de uera contradictione quod sit maxima & prima omnium oppositio circa unūquodq; tam ens quam etiam non ens, non ens, non nisi ut ex illa nota maiori oppositione, tam extensione subiectorum ad entia & non entia, quam uehementia non entis simpliciter, clarescat, per accessum maiorem ad ipsam uere contradictoriam, negationem sequente ex prædicato infinito, magis aduersari propositio ni constitutæ ex prędicato contrario, quæ ambæ in eodē terminato subiecto siue materia contrariæ nuncupantur primo phy. 2. 41. ad. 47. infra & tex. octauo nihil differe ait si singulariter siue uniuersaliter dicta superius de contradictoriis proferantur: quia & similiter ex simili ratione intulit esse in non bono, idest in propositionibus constitutis ex prædicato infinito: ad quas sermo refertur. ad alterum ergo declarandum, contradictio circa unumquodq; consideratur, non ut per se tanquam ignota noscatur, cum sit notissima omnibus, longioris esse differentiæ, & distantiæ, non solum in eodem subiecto, sed omnibus entibus & non entibus: dubitatio autem & problema, alicui fortsan ratione uidebitur, quoniam tam contraria uere, quam etiam priuatiue opposita, idest infinite opposita circa terminatum subiectum fiunt: contraria autem. 10. meth. 14. maxime in subiecto eodem differunt, ac distare ultimis ac extremis dicuntur differentiis: priuatio autem & habitus in materia, licet fiant in eodem subiecto, & materia, tamē non plurimum distare uidentur: quod est uerum, si ea opposita conferantur, quæ sub eodem genere posita, & in actu, maxime propriis differentiis & ultimis differunt, sed priuatio & habitus differunt ut negatio in materia siue terminato subiecto, ac magis accedens ad non ens & summā ac primam oppositionem contradictoriam: hoc modo ergo affirmationi ueræ, Callias est iustus, confertur negatio contradictoria, ut sequens propositionem de prædicato infinito, & affirmatiua de prædicato contrario, in contrarietate, idest oppositione quæ est circa idem & terminatum subiectum in quo apta nata sunt recipi: & propterea illas comparasse in contrarietate, quia primo phys. ambæ contrariæ, idest oppositæ circa eandem materiam siue subiectum uocātur, & ambæ ad contradictionem uerā tanquam primam regulam & summam oppositionem conferuntur: ad literam itaque accedamus primum notantes problema, quod Ari. sine collatione aliqua protulit, comparatiue intelligendum esse, ut optime Alex. 10. meth. 16. & hic Ammonius: & Commen. intelligunt: sumentes ab Arist. infra, hoc est, cum affirmationi ueræ, omnis homo est iustus, duæ enunciationes falsæ opponantur, negatio contradictoria, ut sequitur enunciationem de prædicato infinito, & contraria circa idem subiectum uel terminatā materiam, ut omnis homo est iniustus uel malus, quæ harum duarum est magis falsa, & ita contraria, idest opposita & distans circa idem: sicut ambæ istæ comparantur, infra tex. sexto, & octauo negatio infinita, & affirmatiua contraria parte ex una, ad uere contradictoriam, parte ex altera: non ut maior oppositio, sed maxima, non circa idē, sed circa singula, infra tex. quarto Ammonii: quæ additio sumpta ab Arist. est infra tex. quarto cum ait (quare magis erit falsa de bono ea, quæ est negationis opinio, quam ea, quæ est contrarii) addendo etiam particula secundum se in eodem, uel terminato subiecto & materia ex eodem tex. quarto ubi bonum, est bonum, secundum se ueram appellat: sed bonum est non bonum secundum se falsam & oppositam: sicut uerè contradictoriam, non ut sequens infinitam, est secundū se falsa maxime circa unumquodq;. Notandum secundo (ut ante tetigimus) per esse contrarium, non intelligi de illis uerè contrariis positiuis, & in actu, quę posita sub eodem genere maxime differunt, sed de opposito communi contrariis, infinitis, & proprie contrariis ex tex. quinto, quæ circa idem terminatum subiectū plurimum differunt; uel si contradictionem ueram complectimur, ut secunda intentione, propositam, & collectam atque ad explicandum alterum: tunc contraria, idest opposita intelliguntur, ut maxime differunt uel circa idem, uel circa unumquodq; cum affirmationi, negatio & affirmatio contraria aduersetur, considerandum utra illarum sit magis contraria, idest opposita, alterum non compatiens, & secundum se aduersa: quoniam autem collaturū problema est, & supponit necessario aduersari, & opposita esse quæ ex superius dictis perspicua sunt, & hic exēplo manifestanda, iccirco Arist. hæc præsupponens, initio petit (utrum contraria,) idest opposita & aduersa magis & secundum se affirmatio est, negationi contradictoriæ sequenti enunciationem de prædicato infinito in eodem uel terminato subiecto, uel contradictio simpliciter circa unumquodq;, aut affirmatio affirmationi ex cōtrario prædicato, uel priuatiue opposito, ut necessario complicante in eodem subiecto contrarium? {Et oratio orationi, quæ dicit.} Exemplo commonstrat problema propositum in affirmatione & negatione, ut in oratione consistunt, non simplicibus nominibus: an, scilicet magis aduersetur affirmatio, quæ dicit omnis homo est iustus, huic negationi contradictoriæ (ex uerbo negato quod etiam præsupponitur ab uniuersalibus contrariis) nullus homo est iustus, quæ sequitur hanc (ut supra monstrauit) omnis homo est non iustus: nam iustum & non iustum habitus sunt et priuationes. quæ non insunt nisi terminato subiecto rationali: licet esse iustum & non esse iustum de quolibet prædicetur: uel prædicari possit: ut esse & non esse, priuationē terminati actus iustitiæ non significat ut actus uerbi, uel eius priuatio nō refertur ad prædicatū in relatione ad de-

terminatum subiectum aptum natum ab agente proprio: sed ad interminatum subiectum & quodlibet: uel illi affirmatiuæ, omnis homo est iustus, magis opponatur illa, omnis homo est iniustus, ut significat habitum contrariũ & prauum? Item exempla proponit in singularibus: in quibus maxime res aduersari uidemus: sicut exempla in contrariis uniuersalibus ut uniuersaliter dedit, quæ nunquam in eodem simul sunt uera: quod non ita perspicuum est in particularibus & indefinitis: quæ pro diuersis sumi cõsueuerunt: propterea ex obseruatione Ammonii infra tex. octauo, notandum: ab hoc loco infra Aristo. non mentionem facturum, nisi de singularibus: cum semper, bono, posito in subiecto, in græco articulus, idest hoc, ante ponatur: licet tex. octauo infra de uniuersalibus contrariis & particularibus ut contradictorie opponuntur uniuersalib⁹ inquit, ut Callias est iustus, huius negatio est Callias non est iustus, quæ sequitur illam Callias est non iustus, affirmatio autem contraria est Callias est iniustus: ut priuatiue oppositum, complicat contrariũ: sicut cæcum priuationẽ uisus cum contrario positiuo: hucusque litera suspensiue legenda, est: tunc proposita quæstio & exemplis monstrata, uerum proponatur: utra harum duarum falsarum exẽplo monstratarum contraria magis, & aduersa affirmatio ni ueræ est, negatio contradictoria quæ prædicatum tantum uerum habet in eodem terminato subiecto, an affirmatio ex prædicato contrario? ut una existente affirmatione uera, altera sit secundum se falsa negatio, scilicet ratione sui & magis falsa? affirmatio autem contraria, nec ita falsa, nec per se falsa scilicet ratione sui, sed per alterum siue per accidens falsa? Ex his patet problema positiue & sine collatione legendũ non esse, ut Gaietanus existimat: qui explicat problema positiue non comparatiue: & contrarium quoddam proprie dictum confingit quod ex ipsa enunciatione siue eius significatione desumitur: nam enunciatio est significans oratio cum uero uel falso, id est in qua est uerum uel falsum: quæ solum & proprie contrarie opponuntur: hoc, scilicet modo quod alterum nec in ueritate, nec in falsitate compatitur alterum in eadem re, ad idem similiter &c. quæ (ut ait) communis est oppositio tam omnibus contradictoriis uniuersalibus ut uniuersaliter, quam etiam contrariis uniuersalibus ut uniuersaliter: sicut communis est enunciatio omnibus suis speciebus: & illa communis oppositio contraria, dicitur formalis: quia sumpta ex forma & essentia enunciationis, ut significatiua ueri uel falsi: sed secunda oppositio contradictoriarũ & contrarium uniuersalium cum signo uniuersali, ab eo nominatur modalis. tunc quærit, quare illa oppositio sumpta a uero uel falso, solum dicitur oppositio contraria proprie & strictissime dicta, non priuatiue opposita, uel contradictorie? Respondet quia significationes ueri uel falsi positæ sunt: ut significationes duarum enunciationum, ut significantiũ entia positiua, sed priuatiuæ & contradictoriæ oppositionis, alterum extremum est omnino & per se non ens: non etiam est relatiua oppositio: qua correlatiua simul sunt uera: ergo a sufficienti partium enumeratione, non erit alia oppositio nisi contraria. Secundo ex natura conceptionum approbat: quia conceptiones falsæ, id est inadequatæ, non expellunt ueras & adequatas & contrario, nisi ut contrarie apponuntur: sic & significationes enunciationis inadæquatæ, idest falsæ & ueræ propriæ cõtrarie opponuntur: consecutio patet ex Aristot. arguente hic ex conceptionibus, ad significationẽ in uoce: His præmissis, titulum siue quid nominis problematis præcognoscit, utrum affirmatiuæ ueræ, contraria sit formaliter in significando uerum & falsum, negatiua contradictoria, uel affirmatiua constituta ex prædicato contrario uel priuatiue opposito? Sed Gaietanus primum decipitur in nomine contrarii: quod proprie conuenit his, quæ posita sub eodem genere tanquam species actu & positiuem maxime differunt, & in eodem subiecto mutuo recipiuntur. 10. meta. 14. communiter autem infra definiuntur: ut ad terminatam materiam, siue subiectum referuntur, ac circa idẽ fieri & maxime distare dicuntur, siue ut habitus & priuatio siue ut duo positiui habitus primo phy. a. 41. ad. 47. infra quinto phy. septimo communissime autem ut hic, pro oppositione communissima, quæ communis est tam contradictioni, quam oppositioni priuatiuæ, quam etiã contrariæ: ut. 10. metaph. 15. & 16. declaratur, quæ communissima oppositio non consistit in duobus positiuis entibus: sed in esse, & non esse, ente & non ente, & maiori distãtia, & differentia, ut clare sexto metaph. nono habetur apud Alex.: quoniam id quod ut uerum, est ens, & id quod ut falsum, est non ens: quæ in compositione & diuisione Ar. explicat sexto metaph. nono uel non esse, idest falso, per affirmationem & negationem componentem & diuidentem: præterea ex diuo Thoma (quem sequitur) patet, lectione nona primam enunciationis diuersitatem, esse ex forma uel modo enunciandi, idest significandi: secundum quod dictum est enunciatio, uel est affirmatiua per quam scilicet enunciatur esse, idest uerum ut differentia entis lectione octauo tex. ultimo: uel est negatiua, per quam significatur aliquid non esse: Ex his igitur patet: primam oppositionem uersari circa esse siue ens, & non esse siue non ens, ut quarto metaph. de quolibet dicitur esse, uel non esse, idest conueniens, uel aduersans, repugnans, ac ipsum oppositum pellens: præterea uerum & falsum (ut sunt etiam affectus mentis sexto metaph. nono apud Ale. ab Arist.) uerum, ens appellatur: falsum uero non ens: prima ergo diuersitas enunciationis ex ipsa forma enunciandi, uel modo uere enunciandi esse, ut false enunciandi non esse & non conueniens, potius contradictoria oppositio sumitur, ut communis est omnibus contradictoriis uniuersalibus & particularibus & singularibus, & cõtrariis uniuersalibus ut uniuersaliter: itaque quæstio siue problema Arist. esset, an affirmatiuæ ueræ, contraria sit formaliter, id est opposita contradictorie (communi cõtradictione sumpta a forma uerbi negati uel affirmati? quod uerbum est ut forma & modus distinguens affirmationem & negationem) sit dico contraria, idest contradictoria uniuersalis negatiua, uel singularis contradictoria, uel contraria ex prædicato contrario, uel priuatiue opposito? Confirmatur quia Aristo. propterea contradictionis nomen proprie indidit, quia his maxime conuenit, quæ se in ueritate & falsitate destituunt, non compatiuntur: sed in nullo ambæ simul quarto metaph. 25. sunt ueræ, sed negant, priuant, ac se mutuo destruunt: Sed ad hæc ouuissime dicta aliquis respondebit uerum non solum explicari per affirmationem sed etiam negationem, ut eadem lectione etiam dicitur: similiter falsum per affirmationem & negationem: Dicas uerum id esse, sed non primo & respectu eiusdem, sed secundo, & respectu diuersorum sexto metaph. octauo ut etiam primo libro scripsimus. Item hoc nunc dato uerum tam per affirmationẽ quam negationem posse explicari: similiter & falsum; tamen primo libro distinctũ est, uero opponi falsum, & negationem: ut significantem uerum, probatum est opponi affirmationi significanti falsum, & econtrario: ubi fit talis ratio: omne quod negat ac destruit aliquid, opponitur aduersaturque illi, quod destruit: minor in textu ex quattuor enunciationibus explicata, sed contingit omne destruere, priuare, negare, non compati, quod quispiam uere uel false affirmauerit, ergo omni affirmationi circa uerum & falsum significandum, opposita est negatio & contra: & secundum proportionem & comparationem ad rem ex qua dependet ueritas & falsitas intellectus & enunciationis: quia cum enunciatur aliquid esse uel non esse secundum congruentiam rei, est uera, oratio, alioquin est oratio falsa: hæc. S. Tho. similiter dicit, quod una uni tantum opponatur circa uerum

signi-

significandum uel falsum, sectione secunda. similiter oppositio priuatiuè oppositorum, declarata est secundo lib. simul cũ oppositionib' & proprietatibus infinitarũ: quæ sicut se habẽt in oppositione affirmationis & negationis, ita etiam in cõsecutione ueritatis & falsitatis: quoniã ambas potestate negatio sequitur communior, & in ueritate magis opposita: quia ilę i. infinita & priuatiue opposita complicans cõtrarium. ueritatem, uel falsitatem significant in subiecto terminato: at negatio (eiusdem de eodẽ, uera uel falsa maxime circa singula) uera uel falsa esse potest, uel sua affirmatio: qua de causa communior per se dictis duabus: tum extensione subiectorum, tum uehemẽtia oppositionib' inter ens & nõ ens: Preterea ipsemet initio lectionis, 13. asserit Arist. declarare oppositionem contrariam, quam proprie & strictissime sumptam appellat, eã esse in opinionibus: quæ secundum affirmationem & negationem eiusdem de eodem attenditur: inquit enim Aristo. intendit q; sola oppositio secundum affirmationem & negationem constituit contrarietatem earum opinionum, inquantum oppositio est quæsitum quod quæritur de cõtradictionibus & contrariis; Sed illud quęsitum contradictionem constituit, ut pręd iximus: ex his patet, natam eẽ comparationem negationis cõtradictoriæ, oppositam esse suæ ueræ affirmationi, sicut hæc nota erant de infinita & priuatione opposita & cõtraria affirmatione, ut ad negationem & uere contradictoriã conferebantur: bene dubium erat de infinita & priuatiue opposita, ut complicãte & continente contrarium, quæ magis & per se affirmationi in ueritate. i. inesse & falsitate & nõ esse opposita esset atq; aduersaretur, ac secundum se. i. ratione sui alteram deiiceret, & non compateretur in eodem terminato subiecto, quod aptum natum est suscipere pręd icatũ uel priuationem illius. Per hæc patet solutio duarum rationum, quas Gaietanus adduxit, quoniã semper oppositio ueri est in ente siue conueniente proprie, & falsi in nõ ente, siue nõ conueniente, & ita ut non entia, per relationẽ ad entia siue ad habitũ sunt in mẽte, sexto meta. octauo, Cõm. & nono apud Alex. 6. top. 15. ad superiora accedere potest, quarto meta. 25. apud Alex. contradictionis opiniones ut sunt in mente, cõtrariæ dictæ sunt, i. pugnãtes sunt esse & non esse ut Alex. affirmat se ad calcem secundi de enũciatione remittẽs. contrarium igitur cõiter pro pugnante & opposito sumitur non strictissimè & proprie. Item ut est inter esse & non esse, idest competens & non competens, sit ueri uel falsi: nam affirmatio contraria propterea est falsa, quia non competens ut iniustum, quia negat uirtutem iustitiæ competẽtem subiecto &c. res autem non competens, per se primo explicanda est ab ipsa negatione. secundario ad affirmatione: sicut uera ab affirmatione: Præterea si cõtrariæ in ueritate & falsitate sunt enũciationes & opiniones, ratione qua se non compatiuntur ut entia positiua, igitur contraria propositio quæ confertur negatiuæ contradictoriæ, esset magis contraria, quia magis accedit ad entia positiua, quæ se non compatiuntur in eodem subiecto. Amplius si ex significatione, enũciatio habet, ut entia positiua significet, igitur nunquam significabit nisi contradictoriè, nunquã contradictorie, i. non entia uel priuationem, cuius contrarium ad sensum patet de cõtradictione esse & non esse communi omnibus contrariis uniuersalibus & contradictoriis inter uniuersalẽ & particularem, quas ipse uocat modales, licet S. Thomas ex modo uel ex forma enunciationis sumptam diuersitatem, uo cet illam, quæ ex uerbo desumitur, quod est quasi forma enunciationis, & assimilatur modo & additioni tanquam formæ: non signo quod materiæ & subiecto coniungitur, idest ex modo affirmandi esse uel negandi non esse, affirmatio enim & negatio quasi modi dicuntur, quia additæ uerbo, modum significant, communem tamen, quo prædicatum insit subiecto, uel a subiecto separetur. Item Ari. lectione octaua, ex significatione, affirmationem significãtem esse, & negationem significãtem non esse, mõstrauit dicens, (est autẽ simplex enunciatio uox significatiua de eo, quod est aliquid uel non est.) & infra, affirmatio est enunciatio alicuius de aliquo & negatio est enũciatio alicuius ab aliquo. ergo utraq; ex significatione, & una nõ esse uel non inesse, & altera esse uel inesse significat. Præterea hic distinguuntur contradictio & contraria ut sunt in uoce significatiua, igitur ut significatiua altera habet ut non ens simpliciter, alia uero contraria ut ens significet. nam si significare in communi, ens positiuum signaret, ergo cum per se enunciatio ut significans uerum uel falsum conueniat singulis speciebus, non esset aliqua species significans non ens & non positiuũ, quia communia per se, non acquirunt in suis inferioribus rationem contradictoriam & repugnantem proprio generi. Item oppositio ut est in opinione & in mente siue in anima, dicitur ab Aristot. quædam pugnans, & aduersans a alteram non compatiens. quædam contradictoria, quædam uerè contraria: non igitur omnis opinio opposita uere & strictissime contraria & entium positiuorum dicitur. Respondet ad hoc nouissimum Gaietanus, opiniones considerari posse trifariam. primo modo secundum id quod sunt absolute. secundo, secundum ea quæ representant. tertio, secundum q representata sunt in ipsis opinionibus. relicto primo, qui ad præsentem speculationem non pertinet, de secundo ait. quòd secundum representata à conceptionibus in secunda operatione intellectus inuenitur oppositio contradictoria, priuatiuè opposita, & cõtraria. ut Sortes est uidens, non est uidens. Sortes est cæcus, & Sortes est luscus. si autem opiniones sumantur tertio modo ut representata sunt in opinionibus, ut entibus realibus & positiuis, sic omnis oppositio est cõtraria, quia unumquodque est in aliquo per modum eius in quo est. infert tamen, illas esse proprie hoc modo contrarias, quæ plurimum differunt in ueritate & falsitate, circa idem, simaliter &c. quomodo est contradictio, non contraria, uel priuatiuè opposita: Responsio quidem acuta. sed ad propositum Aristotelis minime pertinens. nam quæstio, quam mouet de opinionibus & conceptibus est, tanquam de uiis, deseruientibus ad eas affirmationes, & negationes consistentes in uoce: non est de illis opinionibus, siue conceptionibus prout res sunt in anima uel mente concipiente, non referente conceptiones ad res conceptas: quoniam sic ad logicum modum considerandi non spectant: sed ad auctorem considerantem de anima & operibus eius secundum se: sed ut res conceptæ in anima prout earum similitudines & simulacra, ad significata referuntur. nam initio libri præmisit {& quarum hæ,} scilicet conceptiones {sunt similitudines res omnibus eædem sunt.} Item sicut in anima aliquãdo est intellectus sine uero uel falso, aliquando cui necesse est alterum inesse. non loquitur de uero & falso prout solum sunt in anima, sed per comparationem ad rem, à qua pendet ueritas intellectus & enunciationis in uoce; nam tam hic, quam ibi sic Aristotelem intulit, (ita & in uoce, ut significatiua rerum conceptarum, quarum sunt signa, conceptiones.) ergo in anima, non aliter hic à logico considerantur, nisi ut referuntur ad significata per uocem. Itemq; quarto metaphysi. uigesimoquinto, apud Alexandrum manifestat idem esse, atque non esse, fieri non posse, ut quispiam existimet uere & si ita ipse dicat uoce. cuius rationem ab inferiori ad superius addit. si contraria eiusdem de eodem ad idem non possunt eidem simul inesse, & contrariæ opiniones sunt quæ contradictoriæ opponuntur, & aduersantur, ut decimo metaphy. decimoquinto etiam dicet, ergo patet impossibile esse, simul idem esse atque non esse eundem existimare. antecedens rationis ut confessum & notum tanquam inferius manifestat; habebit enim contrarias opiniones simul, qui

circa hoc est deceptus, dum putat cõtraria simul eidẽ inesse, conclusionem iterum approbat, quia omnes, qui demonstrant, ad hanc dignitatem & opinionem ultimã demonstrationes reducunt. prima igitur oppositio est circa esse & non esse, iterum ut sunt in opinione, quæ nunquã uera dicetur, nisi quatenus ita cõcipit, sicut in re est, uel nõ est, similiter falsa: Ad hæc, instrumentum assumit nomen à fine, si igitur enunciatio significatiua instrumentum logicum est, & ita secundo intellectum, nonten sortientur a rebus significatis atq; cõceptis: si igitur significata aliqua sunt per se, non entia, ergo & signa atq; cõceptiones: quæ a logico non considerantur, nisi ut organa & signa: non propter se cognoscenda, uel cognita, sed ut adminiculantia, & ad alterum referuntur: hoc est ad explicandum res artium & scientiarum: primo topic. nono. Amplius, nono metaph. tertio, & apud Alex. quarto. sciẽtię & intellectus cognoscentes ut ostendentes duo contraria: non ostendunt & cognoscunt illa eodem modo, sed unum per se, ut habitum, alterum uero quodammodo per accidens: quod approbans ait: quoniam negatione & ablatione contrarium ipsum ostendit: quia contrarium est priuatio & hęc, scilicet priuatio est ablatio, ut potest ex definitione multoties asserta, & infra, decimo metaph. 15. contrarium igitur non est in conceptu nisi quodammodo per accidẽs, ut priuatio: & priuatio non definitur & est in conceptu formationis, siue definitionis, nisi ut negatio & non ens, licet non simpliciter (ut infra dicemus, ut simpliciter sit contrarium priuatio, & priuatio simpliciter sit negatio,) sed quædam &c. decimo metaph. 15. & 16. uerum igitur & falsum ut sunt in mente & a logico tanquam uię & causę considerata: non considerantur ut entia positiua, neq; significationes enunciationis, ut sunt in mente solum, sed in uoce significatiua, & relata semper ad res cõceptas, itaq; si problema esset de contrarietate conceptuum, ut sunt in anima solum, non referente conceptus ad res conceptas, problema non logicum esset, sed alterius artificis: & si sic daretur contrarium, non esset proprie dictũ, sed communissime pro opposito & aduersante: Item collatiue problema legendum est ut legit Alex. decimo metaphy. 15. quarto meta. 25 & Ammonius & Commen. Item Auerroes ait. (quonam pacto in ueritate & falsitate opponantur, & modi oppositionũ dictum est supra, tam primo libro quàm etiam in secundo:) nam primo & secundo libro monstratum est: affirmationem ueram opponi negationi falsæ & econtra, quando idem prædicatum re, non nomine tantum, ad idem similiter &c. opponitur eidem subiecto: sed tunc prędicatum uere affirmatur de aliquo, ut Sortes est iustus, cum idem re est oppositum in ueritate & falsitate, quando idem negatur de eodem Sorte, ut Sortes nõ est iustus. non autem illud seruatur cum de eodem Sorte uere prædicatur bonum & malum contrarium, neq; idẽ prædicari uidetur: sed bene cum comparatur prædicatum infinitum prædicato contrario uel priuatiue opposito, quod contrarium in pluribus idem re continet, ut septimo physi. septimo, primo physi. à 41. ad 47. infra, album fit ex non albo quod idem re est, priuationẽ infinitã continens, & nigrum tanquam cõtrarium: dubium igitur est de negatione contradictoria sequente prædicatum infinitum, & affirmatione constituta ex prędicato contrario, & priuatiue opposito dicente contrarium, ad quod sequitur etiam contradictio, quasi eiusdem prædicati re, de eodem subiecto: licet ré uera idem ratione non sit, & in generatione, subiecto etiã & re, ac existentia distinguantur. Hęc dicta sint à nobis ut imperitis & bonitatis gratia. scio enim illos eorum opinionem non relicturos, quam ex prima parte, quæstione decimaseptima, artic. quarto, ex diuo Thoma sumpserunt, & nostra obiecta uera esse cõcedent: si ad res significatas, non ut sunt in anima referantur. {Nam si ea, quæ sunt in uoce, sequuntur ea, quæ sunt in anima.} Suessa uult aliam secundam quæstionẽ mouere philosophum; cui etiam Gaietanus consentit, sed Ammonius quem sequi se putat, uult Arist. docere rationem ac uiam: qua existimemus maxime oppositas enunciationes a causis notioribus procedendo, idest à conceptionibus, quas primum mente, siue anima cogitatrice concipimus & cognoscimus, ad enunciationes maxime oppositas & aduersas in uoce; nam cũ oppositio maxima, quæsita sit in enũciationibus affirmatiuis & negatiuis, quarũ esse in uoce consistit. uoces autem (primo huius) pendent à conceptionibus in anima notioribus, quoniam primum cognoscimus, postea nominamus primo phy. quinto, hoc modo initio huius libri processit, dum præcognosceret dari uoces incõplexas nomina, & uerba, Item complexas orationem enunciationem, affirmationem & negationem, dicens, {est autem quemadmodum in anima aliquando quidem intellectus sine uero & falso &c.} ita etiam & in uoce, sic in ultimo huius capitis colliget, {quare si in opinione sic se habet, & sunt ea quę sunt in uoce affirmationes & negationes notæ earum, quę sunt in anima &c.} quare dubitatio alia non est, sed eadem à conceptionibus notioribus pendens: est enim enunciatio uox a positione res conceptas significans. quamobrem contra Gaietanum intulimus, si in enunciatione (ratione qua significatiua est ueri uel falsi) comparatio fit in contrarietate, non sumitur contrarium strictissime & proprie ab Arist. sed communissime uel communiter: quia semper ad significata refertur, uox significatiua, & si in mente uerum uel falsum concipiãtur, non nisi ut uiæ & ad significanda per uoces, ut res conceptas ab arbitrio & artifice logico referuntur: ideo si problema clarius perspiciendum est in enunciationibus, quæ in uoce consistunt, primum uidendum est in conceptionibus, quas (ut continentes res conceptas) uoces ipsæ significant: ex his etiam sequitur, non dum motam quæstionem diluere, ac soluere; sed præcognoscere uiam, qua a facilioribus & notioribus procedamus: Proponens igitur uiam ait: nam si ea, quæ sunt in uoce sequuntur tanquam signa & notæ, ea, quæ sunt in anima cogitatrice, tanquam radices notiores. {Illic autem.} Explicat illud ad quod uia hæc facilius nos deducit. totum igitur repetatur ut antecedens: si ea, quæ sunt in uoce, sequuntur ea, quæ sunt in anima: illic autem, idest in anima si magis & per se in eodem terminato subiecto, contraria & aduersa in ueritate & falsitate significanda est opinio contrarii, idest quæ ex prædicato contrario fit & hoc est: si in anima est magis & per se, aduersa & opposita opinio falsa ex prædicato contrario ipsi opinioni ueræ affirmationis, quam aduersetur opinio negationis sequentis ex prædicato infinito, conclusio ibi sequetur, etiam in his affirmationibus, quæ sunt in uoce, necesse est similiter se se habere. quod exemplo (quasi intersecta parenthesi) explicat: ut quoniam omnis homo iustus est: ei magis & per se, aduersetur, omnis homo iniustus est, tanquam priuatiue oppositum contrarium idem re complicans: quam, scilicet negatio sequens ex prædicato infinito, quam etiam contradictoriam uocat Aristo. septimo physicorum septimo, & infra sæpissimè. {Quòd si neque illic de contrario opinio contraria est &c.} Præsupponit oppositionem in uoce sequitur necessarium oppositionem in conceptibus, & opinionibus, tanquam in causis notioribus & propriis: nam primo de anima decimotertio, & alibi sæpe, quando a positione antecedentis, sequitur consequens: & a negatione antecedentis sequitur etiam negatio consequentis, consecutio est necessaria, & propria: & si a negata causa antecedente procedat, consecutio erit a causa propria, ut hic. infert, igitur ex negatione oppositionis inuentæ in opinione, ut causa: quòd si neque illic opinio contrarii falsa & priuatiue oppositi (ut complicantis contrarium) contraria, idest ma-

gis

gis opposita & aduersa est, inde sequitur, ergo nec affirmatio simplex & uera, affirmationi falsæ constitutæ ex prædicato contrario aduersa per se, & magis in eodem terminato subiecto erit. sed magis ea, quæ dicta est negatio contradictoria ut sequens ex prædicato infinito. sic enim est negatio eiusdem prædicati de eodem terminato subiecto, cui est aptum natũ adesse. {Quare considerandũ est &c.} Nunc conclusionem uiæ notioris concludens, dicit: quare considerandum est, qualis opinio falsa, opinioni ueræ cõtraria est, idest opposita & magis aduersans, nec se cõpariens, ac magis ad falsum & non ens ac rem conceptam explicandam accedat? utrum opinio, quæ est negationis sequentis ex prædicato infinito uel uerbo infinito, an certe ea, quæ contrarium opinatur? {Dico autem hoc modo &c.} Exemplo explicat hanc prçcognitam uiam, dico autem hoc modo, est quædam opinio uera huius boni quoniam bonũ est, idest iustitiæ, q bona dicatur, alia est opinio falsa quoniam hoc bonum est non bonum, ex prçdicato infinito, (quæ contradictoria ut existens eiusdẽ prædicati & subiecti per se: ut iustitia est non bona: quam sequitur iustitia non est bona) alia uero opinio falsa est: hoc bonum est malum, idest contraria: petitur igitur nunc in conceptibus, qui in secunda operatione intellectus consistunt, quæ harum est contraria, magis opposita ueræ affirmatiuæ? hoc bonum est bonum, idest iustitia est bonum an ea contradictoria bonum est non bonum, quæ idẽ ualent in eodem terminato subiecto apto nato, iustitia non est bona? uel contraria, hoc bonum est malum? idest iustitia est malum? ex hoc exemplo superius confirmauimus, per se problema considerandum proponi, in opinionibus tanquam in uiis & enũciationibus in uoce quæ magis cõtraria sit affirmationi ueræ, an cõtraria falsa ex prçdicato contrario, uel priuatiue opposito, ut complicante contrarium una ex parte, uel negatio contradictoria, quæ uirtute sequitur propositionem ex prædicato infinito? { Et si est una, secundum quam? } Hanc literam ita Ammonius intellexit. nam aliquis dicet: tres opiniones enumerasti, affirmationis ueræ, bonum est bonum, idest modestia est bona, una ex parte, duas alias modestia non est bona, & modestia est mala, parte ex altera, tanquam falsas: modo istas duas falsas, quandoq; contingit in unam falsam opinionem enunciationis concurrere, ut de eadem re dicatur falsò, negatio contradictoria, & affirmatiua cõtraria, quod maxime perspicitur in contrariis immediatis, pari & impari: nam quod falso dicitur par, falsè etiam dicitur non esse par, talem igitur sensum hæc litera habet, & si quandoque illæ duæ opiniones falsç in unam, & candẽ concurrant, subiecto, & existentia, inseparatæ, tamen rationibus differunt, ut contradictoria, & contraria. petendum igitur est: secundum quam rationem illa una re, subiecto, & existentia, magis sit opposita, aduersa & contraria, opinioni ueræ affirmationis? Aliam ego possem assignare expositionem, quæ proportione quadam cum hac Ammonii conuenit, nisi quod fine distinguitur, ut ad diuersum per se, intentum problema dirigitur, (ut tam copiose supra monstrauimus) quoniam primo physic. à 41. ad 47. infra, quinto physic. septimo, decimo metaphy. decimosexto, in motibus qui fiunt ex uere positiuis contrariis de subiecto & affirmatione, in subiectũ et affirmationem, idest etiam in habitum & positiuum contrarium sub eodem genere & in eodem subiecto, non album, non musicum &c. ut priuationem infinitam significant, una res sunt subiecto & existentia, cum contrario, quod est nigrum, & immusicum (si non album, non musicum, dicitur non omne, & contingens, sed quod est simul existens nigrum & in musicũ) una igitur opinio fiet ex utrisque oppositis falsis hæc, scilicet album fit ex non albo, idest non fit ex albo, & album fit ex nigro (licet hic contradictio & contraria sint ueræ & affirmatio falsa, album fit ex albo & musicum fit ex musico.) Ad hæc ergo se Aristoteles referens ait, & si una fit enunciationis opinio ex prædicato infinito & contrario, plures tamẽ sunt rationibus sumptis ex prædicato infinito & contrario. sensus ergo problematis erit, si una, re est, & plures secundum rationes & formas, secundum quam istarum est magis opposita & per se, primo, in eodem terminato subiecto? Sed explicationes istæ mihi dubiæ sunt. quia eodem modo quo una opinio est, eo modo petitur si secundum unam est contraria & aduersa? si igitur una est subiecto opinio contradictionis & contraria, secundum illam peteret, secundum quam est magis contraria? Præterea, secundum quam, plures esse opiniones supponit? Sed Ammonius diceret pluresesse ratione, licet unam subiecto. Aliter igitur improbatur, quia siue problema de contradictione uera circa unumquodque intelligatur & contraria uera, siue (ut nos opinamur) de cõtradictione ut sequente prædicatum infinitum, & uera contraria circa terminatum subiectũ, quæstio est, quæ primo & per se, ac magis aduersa & opposita sit, in unoquoque secundum primam opinionem uel in subiecto terminato apto nato priuationem suscipere, uel contrarium: sed quamuis in eadem re subiecto & existentia, (hoc est) in contrariis immediatis, existente falsa affirmatiua ex contrario prçdicato composita falsa etiam sit negatiua contradictoria, quia (ut superius explicauit) ad affirmatiuam de prçdicato infinito & priuatiue opposito, sequitur negatiua simplex (siue per se, siue per accidens ut infra) negatio autem communior est, inde ne dum de priuatiue oppositis & infinitis, sed uere contrariis dicitur, decimo metaph. 15. quarto metaph. 25. in Alexan. nono metaphy. quarto, in eodem Alex. qua de causa non una opinio dicerentur reciproce siue conuertibiliter, sed plures subiecto & existentia. nam licet in terminato subiecto numero, uerum sit parẽ esse, una ex parte uel imparem & non esse parem parte ex altera, non tamen econtrario. esse enim imparem tantum de numero dicitur: sed non esse parem, dici potest de singulis. ita proportione quadam esse non album, & non musicum, & nõ iustum, & esse nigrum & immusicum & iniustũ in habẽtibus contrarium, simul re & subiecto, & existẽtia deprehenduntur, & sunt: sed in generatione substantiæ (ubi tantũ est priuatio & habitus) infinita propositio cõmunior est circa terminatum tamen subiectum aptum natũ suscipere prædicatum. dicendum igitur est, cum sit dictũ, affirmationi ueræ, duas alias aduersari ut falsas, negatiuã contradicentem, & affirmatiuam cõtrariam, dicet quis, illas duas æque primo aduersari & oppositas esse? contradicit Arist. ex hypothesi concessa superius primo lib. cap. 5. & 6 Auer. & secundo cap. 1. decimo meta. 14. primo coeli. 10. unũ uni per se primo, & magis opponitur, siue circa unũquodq;, siue in terminato subiecto cõparatio fiat, & quãdo oppositio maxima circa singula, siue circa terminatũ subiectum, octauo physi. 62. summum. n. & maximũ, ut terminus unũ est. 10. met. 14. si igitur duæ opiniones enunciationum prædictæ falsæ, oppositæ sunt ueræ, non æque primo, cum una, per se primo, uni opposita sit, inquit ergo, & si una est opinio contraria uere, per se opposita, uel maxime circa singula & unũquodq;, secundum quã ut unã & primam illarum duarum contrarietas & oppositio maxima attendetur? quam expositionẽ Gaietanum adduxisse conspexi uel secundũ intentionẽ nostram, & si una affirmatio uni per se primo & magis circa terminatum subiectum opponitur, secundũ quã illarum oppositio per se, primo in terminato subiecto attendatur, an secundũ cõtradictoriã, ut sequentem per se, ex prædicato infinito, uel secundum contrariã? circa dicta primum Am. annotauit. {Nã, si ea quæ sunt in uoce &c. } Vbi particulam indicantẽ cãm {nam} asserit positam esse pro, ergo, quõ initio libri dictũ est: (sunt quidẽ igitur ea, quæ sũt in uoce signa &c.) ita hic

Ammonius legit (si ergo &c.) mihi uullatenus litera mu
tanda uidetur: quoniam hęc propositio hic assumitur, tan
quam uia à conceptibus notioribus & causis procedēs, un
de ad eius rationem dicatur quòd licet nullam eorū, quæ
sunt dicta superius, causam assignet, tamen dicendorum
inferius causam significat, sic in ultimo huius capitis colli
git (quare si in opinione ita se habet, & sunt ea quę sunt
in uoce affirmationes & negationes, notę earum quę sunt
in anima, manifestum &c.) ubi per eā quam diximus pro
positionem ut causam, ita esse in uocibus intulit, & si, pro
quare, & ergo, desumitur, causæ ad proprium effectū con-
secutionem significat. Petes secundo si datur cōtradicens
opinio negatiua & affirmatiua, & contraria, ergo negatio
erit in mente & ita oratio & enunciatio necessario in mē-
te ponenda: respondeas, Arist. hic non uocare opinionem,
enunciationem, affirmationem, uel negationem sed opi-
nionē, conceptum affirmationis & negationis, & quę cō
trarium opinatur. oratio igitur in mente siue enunciatio,
non oratio uere dicenda est, sed conceptus, siue opinio af-
firmationis, siue quæ contrarium opinatur, non quod sit ipsa
affirmatio uel negatio contraria. nā supra ex opinione con
traria intulit, (necesse est similiter se habere in his affirma
tionibus, quę sunt in uoce,) et infra (& sunt hæc affirma
tiones & negationes quæ sunt in uoce &c.) tertio dubita
bis si bonū est bonū, & bonum non est bonum, enuncia-
tiones sunt in quibus idē prædicatur de se ipso. igitur Ari.
enunciationes in quibus idem de se ipso dicitur, non reie-
cit: dicendum, in subiecto rem bonam intelligi. ita enim
se ipsum infra Arist. explicat, dum ait, nullum bonum uel
nullus homo est bonus: similiter Am. & Auer. explicant,
uitam esse bonam uel modestiam esse bonam uel malam
uel esse non bonam. nam hic Aris. loquitur de infinite &
contrarie oppositis, quæ necessario pręsupponunt subie-
ctū cui insunt: sed hic nominibus transcedentibus siue cō
munibus utitur, quasi eisdem, ut maior oppositio cogno-
scatur dum bonum non esse bonum asserimus, uel malū,
uel non bonum, quæ ab omnibus falsa ponuntur, habitus
autem modestię, siue iustitiæ, quodammodo ignotum est
& particulare quodam bonum: sed cum dicimus bonum
est bonum. i. res est bona, cōmunibus & uniuersalibus utē
mur subiectis, in quęstione quæ uniuersatim ab Ar. quęri
tur uel circa unumquodq;, ut alii, uel circa terminatum su
biectum. {Nam arbitrari cōtrarias opiniones.} Quid hic
Arist. uelit expositores dissentiunt, alii nanq; uolunt Ari.
soluere & primam rationem adducere (ut Am. ac alii cō
plures) qua probetur affirmationi ueræ non opponi siue
contrariam esse affirmatiuam contrariam; sed negatiuam
contradictoriam: sed nec uerba literæ, nec intentio Arist.
eorum dictis conueniunt, pręterea ratio quam efficiunt, fi
ctum aliquid est, & cogitatione depictū: quod sentientes cū
literam explicabimus, nec existimādū etiam) ut confingit
Suessa Aris. soluere dubitationem secundam, qua de cōce
ptibus & opinionibus quęrebatur: solutio autem est, nō
dici contrarias opiniones quia contrariis prędicatis, de cō
trariis etiam subiectis dicantur, ut de liberalitate quoniam
bonum est, & de auaritia quoniam malum, sed quia de ea
dem re, prædicata contrarie enuncientur, ac diuersa aliquē
de eadem re opinentur; ut de uoluptate quod bonū sit, ut
Epicurus dicit, & quod malū, ut Stoicus, sed supra Suessam
reiecimus, nam (ut Amm. ait) qui putant præstare oppo
sitionem contrariam, & magis aduersari, quam contradictoriā
non affirmant opiniones contrariorum prædicatorum de
diuersis subiectis, sed cōtrariorum de eodem subiecto, de
quo, contra Ammo. etiam infra dicemus, quia id Ar. no-
luit præcognoscere. Item secunda quęstio non erat illa,
quam legimus, sed illa met, quam initio capitis pręcogno
uit & eandem in conceptibus & opinionibus notioribus
mouit, tanquam in uia. Item si quæstionem secundam di
lueret, sententiā antiquorū deiiciens, suam, tanquam uerā
constitueret: hoc est, non dici opiniones contrarias, quia
contrariorum prędicatorum sunt, de subiectis diuersis &
contrariis, sed quia de eadem re, contrarie enuncientur, ut
uoluptas est bonum & eadem sit malum: sed hoc Ari. ēt
dicens, nū solueret quæstionē, quam mouit, an affirmatio
ni eiusdem subiecti ueræ, magis aduersetur et opposita sit
negatio contradictoria uere, uel sequens ex prædicato infi
nito, uel affirmatiua ex prædicato contrario. Ad hæc po-
stremo adducta Ammonius animaduertens, inquit. Aris.
uelle criminari, ac uanum eorum iudicium refellere, qui
existimant pugnam uehementissimam posse desumi con
trariarū opinionum, eo quod de rebus tanquam subiectis di-
uersis & contrariis pronuncientur contraria prædicata:
quod Amm. dictum gratis concedo: non ut soluat (ut in-
quit Suessa) nec ut primo argumento arguat, ut existimat
ipse: sed ut motæ quæstionis quid nominis apertius expli
cet. nam aliquis postulabit quo nā modo contrariæ enun
ciationes & opiniones intelligantur, quibus conferuntur
contradictorię uere: uel sequentes enunciationem & prę
dicato infinito: an sicut ponuntur habere diuersa prędica
ta ut omnis homo est iustus, & omnis homo est iniustus,
similiter etiā habere debeant diuersa subiecta: & ita pos-
sint in opinione per se, et maxime circa unumquodq; uel
in opinione maiori circa terminatum subiectum ad con-
tradictionē cōferri: respondet Arist. non esse secundo mo
do, ut diuersa prædicata contraria, uere de diuersis subie-
ctis extra animam uel in opinione dicantur (ut tamen re-
feruntur ad res extra animam) ut bonum de uita, & ma-
lum de morte &c. primum igitur Aristot. infert & ponit
sensum motæ quæstionis falsum, dicens, (itaque arbitrari
contrarias opiniones definiri, eo quod ex cōtrariis prædi
catis, contrariorum etiam sint subiectorum, falsum est,
cum ipsorum definitio sit, ut posita sub eodem genere,
maximè distent, & apta nata sint suscipi in eodem subie
cto, a quo mutuo se expellunt, ac nunquam sunt simul in
eodem uera:) huius rationem adducens, ait. {De bono
enim quoniam bonum est & malo, quoniam malum est.
eadem fortassis opinio est.} Quæ ratio producto exem-
plo, perspicitur, quia huius boni, idest continentiæ, quo
niam bonum est, & huius mali, idest petulantiæ, quoniā
malum est, eadem fortassis opinio est etiam uera: sed con
traria nec eadem sunt, sed diuersa. Item nunquam simul
uera in eodem simul, quo ad uerba, dicit fortassis, (ut
Commentator inquit) quia uirtutes & opposita illarum,
plurimum se consequuntur: si unum bonum, reliquum ma
lum, de quo in libro ethicorum disseritur, licet aliquan-
do res dubia uideatur, quando uni uirtuti plura opponun
tur, ut liberalitati, auaritia & prodigalitas (ut dicunt) uel
effusio superflua quæ ad uirtutem liberalitatis collata, ma
la ambo dicuntur: sed unum oppositum ad alterum com
paratum bonum quodammodo nominetur alterum uero
malum, uel dixit (fortassis) quia (ut in sequentibus se de-
clarat) nō omnino eadem opinio est, cum pluribus prædi-
catis & subiectis utantur, sed quasi eadem opinio (ut Am.
ait) nō solum quia uerum simul fateantur, sed etiam quia
ab uno sensu promantur: unoq; animi affectu, quasi dicat
una opinio & eadē est, ab uno fine, & quamuis plures sint
enunciationes ex diuersis subiectis & prædicatis constan
tes, proportione tamen conueniunt, ut simul uerum affic
ment, quare opposita nō dicuntur. Item sunt una et eadē
opinio ab uno sensu & affectu proferētis artificis, qui bo
num de uita, & malum de morte concludit, non ut oppo-
sitis se deiicientibus, negantibus, & expellentibus, sed ut
se consequentibus, & inferētibus, itaq; tanquā synonima
eadem & uera sumentur. Vel tertio dicas eandem opinio
nem esse, qua bonum de bono habitu prædicatur, scilicet
modestia uel iustitia & malum de contrario habitu boni
tatis, quoniā secundū essentiā habitus bonitatis conuenit
bonū esse: in ethicis ergo & idē: fortassis aūt dicit, quia id

decla-

declarare ad altiorem artificem pertinet. Item quod unũ contrarium sit bonum, reliquum malum, in physicis: ergo uerum referatur ad finem (ut ex Ammo. diximus) tam eũ quem enunciatione aperiũt, quam etiam, quem artifex sensu, & affectu explicare constituit. {Siue plures siue una sit &c.} Obiicies, quomodo illę opiniones, quæ ponuntur cõtrariorũ prædicatorum, de contrariis subiectis, sũt eadẽ opinio? si enim diuersæ sunt enunciationes ex diuersis prædicatis & subiectis e õposito, ergo diuersæ opiniones & conceptiones, si ea, quæ sunt in uoce, sunt signa eorum quæ sunt in anima: respondet Ari. quod siue plures ponãtur siue una sit opinio, semper habetur intentũ contra illos, quod cõtrariæ opiniones, ita definiri nõ possint, ut sint cõtrariorũ prædicatorũ de subiectis contrariis & diuersis: nam sic non recte præcognoscitur quid nominis quæsiti. i. quid sint ipsa uera contraria quibus comparanda est oppositio contradictoria. sunt enim uere contraria, quæ sunt apta suscipi in eodem, & re uera, licet plures sint opiniones secũdum materias prædicatorum & subiectorum, sunt tamẽ una proportione finis (ut diximus) quia simul uera, & quia ita a mẽte & cognitione artificis cõcipiũtur, & uolũtate per uoces pronunciantur. non ergo dicendum ut Gaietanus, quod una sit opinio secundum habitum, & plures secundum actum, nono metaph. tertio, nam glosa & Ar. citata sententia, uera est de uere contrariis quæ in eodem subiecto apta sunt recipi, & unum per alterum quodam modo definitur, in eodẽ subiecto. hic autẽ diuersa cõtraria prędicata, ad diuersa subiecta conferuntur, quorum dicitur esse eadem opinio proportionaliter, siue secundum actum siue habitum scientiæ. nam sicut actu, uere concipimus & opinamur, modestiam esse bonum, ita petulantiã esse malũ: similiter eodẽ habitu moralis scientiæ uerę intellectus cõsiderat de iustitia bonum & de iniustitia malum, & si unum per alterum definitur, simul etiã actu cõcipiuntur. {Sunt autem ista cõtraria &c.} Dices si istę opiniones & enunciationes sunt rerum contrariarum, igitur erunt contrariæ? respondet posito antecedẽte, tanquam uero, mors enim & uita, iustitia & iniustitia, liberalitas & auaritia in moralibus, extra animam etiam sunt contraria: ut bonũ & malũ, atq; res contrariæ: sed consecutionem non probat: ergo opiniones sunt uere contrariæ: quoniam contraria prædicata non assumuntur, secundum essentiam & proprium opus contrariorum, quod in eodem terminato subiecto producunt, ut sint apta suscipi in eodem subiecto: ac se deiiciant & expellãt, mutuò ab eodẽ subiecto: sed unũ assumitur ut sequens tanquam idem secũdum essentiã alteri. {Sed magis quod contrarie:} Ista particula difficilis, aliter ab Auer. aliter ab Ammo. explicatur: ab Auer. quidem, ut sit explicatio eorum quæ tãquam diuersa prædicata conferuntur ad diuersa subiecta. quasi dicat mors & uita, iustitia & iniustitia &c. (de quibus bonũ & malum dicuntur) contraria quidem hæc, sed non quod contrariorum esse contraria, idest & si mors & uita bonũ & malum ad inuicem comparata, contraria sint, scilicet mors uitæ, & bonũ malo, tamen hæc non ita assumuntur, in opinione, & considerantur, quatenus contrariorum prædicatorum sunt, ut se deiicientium & expellentium mutuo ab eodem subiecto. {Sed magis quod contrarie se habent,} idest magis secundum situm quem habent contraria extra animã assumuntur & ut sunt res extra animam contrario modo & situ se habentes & existẽtes, scilicet mors & uita, bonum & malum, non autem ut in eodem subiecto terminato dicũtur a quo mutuò se deiiciũt & expellunt, sed bonum de uita & malum de morte. Ammonius autem aliter explicat, quoniã ex hac particula uoluit primum argumentũ deduci quod tanquam falsum dissoluit, inquit: sed magis existimare cõtrarias opiniones oportere, quatenus de rebus eisdẽ contrario modo enunciãtur. quomodo se habẽt affirmatio negatioq;, ut sequentibus ostenderetur. itaq; Amm. uoluit per hanc particulam Arist. declarare, quæ essent uere cõtrariæ & oppositæ opiniones, quæ. s. tãquam affirmatio & negatio in eadem re opponãtur quasi dicat Ar. sed magis opiniones cõtrariæ & oppositæ dicendę sunt, quod cõtrario modo se habent, ut affirmatio. Sed explicatio ista non uidetur literæ consonare. quoniam negationis nõ meminit, nec illã affirmationi ex prædicato contrario in hac litera comparauit, sed tantum uoluit quid nominis uere contrariorum ante solutionem cognoscere, prius definitionem aliis assignatam infirmans; nam dixit, boni quoniam bonum est & mali quoniã malum est eadem fortassis opinio est, ex quibus patet loqui de uere contrariis, ut una ex parte consciuntur contradictoriæ oppõni, in communi oppositione, & illa affirmatiue cõtraria, non quod cõtrariorũ esse cõtraria dicerẽtur, ut se expellentia &c. sed magis quod cõtrarie, siue cõtrario modo cõsisterẽt, & cõtra obiecta ponerentur, nõ tamen ets ad inuicem in opinione uel extra animam comparari, sed ut contraria prædicata inter se ad idem subiectum a quo se deiiciant, sed dicta cõtraria ab antiquis ad prædicata conferuntur, tanquam ad sua naturalia conuenientia prædicata per se illis ut superiora genera competentia, quę uere de illis subiectis dicuntur, itaq; illa particula) sed magis) est expositio negatiuæ aduersatiuæ, sed non quod contrariorum esse contraria ponantur sed magis quod cõtrarie: quo etiam explicatur, quonã modo illa, mors & uita (ad quę sequuntur bonum & malum) concessa sint esse contraria, quasi contra posita & obiecta, non tamen quod ad cõtraria subiecta, prædicata contraria conferantur, ut quatenus, contraria sunt, ab illis subiectis mutuo se expellentia: ex his etiam sequitur contra Gaietanum, mitto literæ non intendere explicare contrarietatem opinionum non attendi penes contrarietatem materiæ circa, quam, quoniam id necessarium est, ut prediximus, sed non attẽdi penes contrarietatem materię diuersorum prædicatorum collatorum ad diuersa subiecta, ad quæ conferuntur, ut prædicata eadem & uere dicta de illis: at contraria uere non conferuntur ad subiectum, ut eadem illi, sed ut opposita, & se deiicientia, & nanq; simul uera circa idem subiectum. præterea ratio quam intendit Arist. non est, contrariorum est eadem opinio secundum habitum, licet diuersa secundum actum: sed contrariæ opiniones non sunt eadem opinio &c. nam (ut tetigimus) maior est etiam uera de uere contrariis: quæ sub eodem genere continentur in eodem subiecto. Item est eadem opinio habitualis ueri & falsi, & diuersa secundum actum: sed Arist. hic eãdẽ esse opinionem affirmat boni, quoniam bonũ est, & mali quoniã malum est, idq; tanquam impossibile esse de uere contrariis opinatur, non ergo per esse eãdem opinionem, uel non eandem intelligit secundum habitum, uel secundum actũ, impossibile igitur erit, ad quod Arist. antiquos deducit, quod cõtraria, de eorũ subiectis tanquam eadem, & per se, cõuenientia illis dicantur. Itẽ secunda eius ratio primæ aduersatur. s. cõtrariæ opiniones nõ sunt simul ueræ, sed opiniones contrariorũ quandoq; sunt simul uerę, siue una secundum habitum & plures secũdum actum &c. uam minor nũquam est uera de uere cõtrariis, circa quæ opinio uersatur nisi quando diuersa contraria prædicata, ad subiecta cõparãtur: de quibus tanquam prædicata eadem dicũtur: & uere illis cõueniunt, præterea ibi. {Sed nõ in eo quod cõtraria, sed magis in eo quod cõtrarie (uel cõtrario mõ) se habent.} Vult quod cõclusionẽ uerã apponat, ubi declaret contrariã opinionẽ, nõ attẽdi, in eo quod cõtrariorũ sũt, tanquam materiæ circa quã, sed opiniones cõtrarię sũt magis, in eo quod cõtrariæ enũciãt aduerbialiter. i. uere & false, primũ explicatio improbatur, quoniã nullum conclusionis est signũ. Itẽ id, illa particula negat. {Sed nõ in eo quod cõtrariorũ sunt.} Quod affirmat. {Sunt autem ista contraria, sed non &c.} Similiter. {Sed magis.} Id affirmat, quod ante negauit

sed non in eo q contrariorum sunt, sed prima affirmatio ponebat, diuersorum prędicatorum contrariorum de diuersis subiectis, esse opiniones contrarias. quatenus ad subiectas comparantur ut eadem illis, & uere conuenientia, ergo ponetur. {Sed magis.} ut declarans, quomodo concessæ & dictę sunt esse contrarię opiniones diuersorum prędicatorum. s. ut obiecta, & contra posita siue disposita inexistentia, ut bonum malum, iustitia, iniustitia. prætertea supra Arist. dixit, boni, quoniam bonum est, & mali, quoniam malum est, opiniones contrarias esse ut hic, sed tamen simul ueras igitur data sua expositione, sicut esse simul uerę opiniones dicuntur, ratione significatorum, boni, quoniam bonum est. &c. ergo ita problema intelligendum est, quod initio posuit, quę sunt contrariæ uere per se, & magis, tam enunciationes, quam etiam opiniones .s. quæ se non compatiuntur in uirtute & falsitate, ut referuntur ad sua significata. sic enim dicetur, oppositionem contradictoriam magis oppositam esse, contraria: ut una falsum dicit eiusdem prędicati de eodem per se subiecto. Ex his patet uanam esse Ammo. solutionem quam tradit rationi ut falsæ Aristo. quamq; ipse ex litera ista confinxit. nondum enim Aristo. arguit contra antiquos: sed adhuc quid nominis contrariorum & contrarietatum opinionum pręmittit. sicut in textu sequenti, quid per contradictionē intelligat: quæ in oppositionem ad inuicem cōparantur, & solutio quam Ammo. tradidit, ibi (aduersus hęc &c.) est uera pręcognitio quam Arist. ex isto textu uirtute deduxit, q contrariæ opiniones existimandę ac definiendę non sunt, ut sunt diuersorum contrariorum de diuersis subiectis, sed de eodem subiecto itaq; non, hęc Ammo. solutio, sed uere pręcognitio de contrariis opinionibus, ut sunt uerorum contrariorum comparandorū cum contradictoriis, non contrarii & oppositi, in quibus contraria uera oppositio & contradictio cōparantur quę per se, non ita est, ut se in ueritate & falsitate non compatiuntur: sed reiiciunt, ac se mutuo destruunt, ut primo libro, quod uere est reiicit quod non est, & quod uere non est, quod falso est, &c. & unum de uno secundum rem.

TEX. BOETHII.

Si ergo est boni quidē, quoniā est, bonum, opinio, alia autem quoniam nō bonum est: est uerò quoniā aliquid aliud est quòd nō est, neque esse potest. aliarū quidem nulla ponenda est: neque quacūque esse quod nō est opinātur, neq; quecūque nō esse quod est: infinitæ enim utraq; sunt, & quę nō esse opinātur quod nō est & quæ nō esse quòd est. Sed in quibus fallacia est, hæ autem sunt ex ijs, ex quibus sunt generationes ex oppositis uero genrationes, quare etiam fallaciæ.

Si itaque estquidem, de hoc bono quoniam bonum est opinio. alia autem quoniam nō bonum, est autem alia quoniam nō inest, neque potest inesse. harum igitur aliarū nulla ponenda; neque quecūq; competere quod nō competens est existimat, neque quecūq; non competere, quod competens est. infinitæ enim sunt ambæ, & quæcūque competere existimant, quod non competens est; & quæcunque non competere, quod competens est sed in quibuscunque est deceptio. hæc autem sunt, ex quibus generationes, ex oppositis autem generationes: quare & deceptiones.

Ammo. quem fere omnes sequuntur uult, quod secundum argumētum ad propositum problema tradatur: quo comparatur contradictio oppositioni affirmatiuę contrariarum falsarum, in oppositione maiori, ratio literæ ita deducitur. si unum uni per se, primo contrariarum est; ergo affirmationi uere, maxime aduersatur, & opposita est negatio cōtradictoria, nō affirmatio ex contrario prædicato composita: consecutionem hanc approbat quoniam infinitæ, siue interminatæ & incomprehensibiles sunt illæ, quę affirmatiuæ contrariæ aduersantur (hoc est) infinitæ affirmationes & negationes contrarię sunt. nam huic bonum, idest modestia est bonum, cōtrariæ & aduersæ sunt hæ affirmationes, bonum est malum, & fugiēdum & noxium. Item infinitæ negationes. s. bonum non est eligendum, non utile, non amandum: sic itaq; literam explicabunt. si, itaq; opinio est uera de bono, quoniam bonum est. i. modestie quod bona sit, alia autē falsa cōtradictorie quoniam modestia nō est bona, alia aut falsa cōtrarie opposita, quoniam existimat prædicatum quod non cōnexit siue non inest, neq; potest inesse. s. modestiam esse malā, non eligendā &c. {Harum quidem &c.} Ponit conclusionem probandam. harum quidem ergo aliarum. i. contrariæ & non contradictorie oppositarum, nulla ponenda cōtraria & per se primo diuersa, quas denuo clarius distinguens, ait, neq; quęcunq; enunciationes cōtrariæ affirmatiuæ, quę existimant prędicatū subiecto cōpetere, quod non competens est, ut modestia est mala, fugienda & noxia, neq; quęcunq; negationes contrariæ, quæ existimāt prædicatum subiecto non inesse, uel nō competere, quod competens est, ut modestia non est bonum, non eligenda non utilis, non amanda, de consecutionis probatione mox quit. iccirco prædictę affirmationes contrariorū & negationes nō sunt contrariæ & oppositæ per se, primo, quia infinitæ. interminatæ, sunt ambæ: & quæcunq; existimāt prædicatū cōpetere, quod non competens est, & quæcunq; existimant non cōpetere, quod competens est: {Sed in quibuscunq; deceptio est &c.} Petes qua regula utentes, inuenimus illam unā & primā definitæ & terminatæ pugnantem & contrariā? Respondet ex principio & prima radice deceptionis, & erroris, si enim radix est, & principium, ergo primum, finitum, & unum erit: inquit: sed prima & magna oppositio est in quibus est deceptio, error & suadela. {Hæc autem ex quibus generationes.} Petes quibus est deceptio? respōdet hęc autem sunt ex quibus generatio, siue natiuitas est. i. ex affirmatione qua ab ente in non ens per corruptionem accedimus, & ex negatione qua ex non ente ad ens per generationem mouemur, ens autem & non ens affirmatio & negatio contradictoria ab Arist. dicitur, quinto phys. 7. infert Amm. sed generationes sunt ex his oppositis ut terminatis & finitis, quare finita erit cōtrarietas & oppositio: qua de causa pręcipua erit contradictionis oppositio: sed explicatio ista non placet Ari. enim non arguit ut approbet affirmatiuæ uere magis oppositā & aduersam esse cōtradictoriā q affirmatiuam ex prædicato cōtrario constitutam. nulla enim comparatio facta est negationis ad affirmatiuā uere contrariā sed tātū de negationibus existimātibus non inesse quod inest, & de affirmationibus existimantibus inesse quod nō inest, neq; pōt inesse, quę etiā possūt esse infinite, quādo idem quod antea affirmabantur, non negetur: quare existimo si problema propositū intelligatur de uera cōtradictione, ut collata uere contrariæ, tunc iterū præcognoscit de qua negatione & affirmatione loquatur, ea. s. i qua idem terminate negetur quod antea affirmatum de eodē est &c. ut si bonū. i. modestia uere sit bona: negatio fit tantum illa, modestia nō est bona, & falsa, & nulla aliarū ponēda sit, negatiua uera uel falsa, respectu primæ neq; quęcunq; existimat prædicatum nō inesse quod cōpetens est, neq; pōt competere. s. modestia nō est qualitas, nō est ens nō est eligibilis, uel quæ negat prædicatū quod nō inest, pōt tamē inesse ut modestia nō est alba, neq; quęcūq; affirmatio falsa existimās illud inesse, q tamen nō compe-

tenus istæ modestia mala uel modestia est lapis &c. quia ambæ sunt infinitæ & innumeræ ac incõprehẽsibiles: sed illæ quæ sunt terminatę, in quibus propriè fit deceptio. circa .n. fallaciam elenchi, & apparentiam contradictionis eiusdem de eodem secundum idem &c. omnis error ac fallacia prouenit primo elenchorum quarto uel quinto ut ibi inductione in singulis fallaciis commonstratur. hæc autem determinata negatio ex oppositis terminatis generationis monstratur. quæ quinto phy. septimo inter affirmationem & negationem uersatur. Itaque non arguit ad problema. sed quid per contradictionem, hic comparandam uere contrariæ intelligat, præcognoscit. sicut antea quid nominis uerorum contrariorum antea cognouit, non intelligi quando diuersa pędicata de diuersis dicuntur subiectis, sed de eodem subiecto. ita hic negatio & affirmatio terminatę sumendæ sunt. ut idem negetur de eodem secundum idem ad idem &c. quod antea affirmabatur. ita de affirmatione dicendum a qua expositione non longe abest Gaietanus cum Ammonius autoris rationi (quam ipse confinxit) tanquã fallæ respondeat ibi, (ad hæc ergo dicendum.) ubi quattuor modis errare rationem ostendit. primum, concesso per se primo unum uni oppositum esse negat tamen minorem contrariam affirmatiuam ex contrario constitutam, bonũ est malum terminatam non esse quia sicut falsa negatio terminate opposita est, illa, quæ negat idem prædicatum competere eidem subiecto, quod tamen competens est, scilicet bonum non est bonum. ita affirmatio falsa, & contraria (existimans inesse uel competere prædicatum contrarium eidem subiecto, cui tamen non conuenit, scilicet bonum est malum) terminate opposita contrarie est. Item secundo magis terminatam esse illam quę contrarium explicat, idest affirmationem, contraria, quam contradictionis negationem. quia infinita sunt & incompræhensibilia, quæ negatione significantur hinc enim quarto metaph. 25. in post prædicamentis 10. metaph 15. & 16. & alibi sæpe, contradictio, esse uel non esse, necessario, circa quęlibet, tam quę sunt, quã ea, quæ non sunt falsum a uero diuidit: unumquodq; enim uel est bonum, uel non est bonũ: sed quod ab affirmatione contraria indicatur finitum ac terminatum in subiecto etiam terminato est. tertio & si principium & radix fallaciæ fit ex errore illo qui in contradictione euenit ut primo elenchorum quarto & quinto, ab Arist. sufficienti inductione monstratur, sed non quatenus inter ea, quæ per contradictionem sunt opposita, plurimum spacii intercedit. quia in his decipi non contingeret. ergo in similibus atque iis, quæ inter se natura proxima sunt, maxime nos decipimur ut si quis lupum aspexerit, canem potius quam leonem esse putabit. sic oratores accusantes, uirtutes ad proxima uitia transferunt. cautum, timidum, & frugi hominem, auarum dicentes. sic defendentes uitia ad proximas deducũt uirtutes prodigum, liberalem, & audacem, fortem uocantes; qua de causa dictio principium deceptionis non est. quatenus eius nihil est secundum se dare medium, ut inter ens & non ens ab Arist. sumitur. 10. metap. 15. primo post. 13. sed quatenus similium esse uidetur. quasi ex hoc uelit inferri, ergo maior erit oppositio contrariè oppositorum, quam contradictorie. nam contrarie opposita in genere, & subiecto simul ac eodẽ conueniunt. quam ob rem magis decipiunt. quarto ad hęc, generatio omnis absolute, ac uniuersaliter sumpta, ut compræhendit tam generationẽ substantiæ quam etiam accidentium ex oppositis fieri dicitur, idest priuationibus, quas negationes declarãt quinto phys. septimo, non quod sint ipsæ meræ negationes, quæ nedum uerum & falsum diuidunt in terminato subiecto, sed in quolibet, tam ente quam non ente quinto metaph. 15. & in post prædicamentis, tertio phys. 24. Itẽ cum id quod fit, habet contrarium, tunc id quod fit, ex nõ albo & non musico &c. istæ negationes non album, contrarium significant potissimum uel inter medium, quod ex contrariis constat, idest ut indicant nigrum uel immusicum. Confirmatur ex Aris. 10. metaphysicorum. 16. ubi ait, generationes ex contrario in materia fiunt quæ contraria aut forma & habitus una ex parte, aut formæ priuatio dicitur. ita primo physicorum a. 41. ad. 47. omne quod fit tam per generationem substantiæ quam motum etiam accidentium, ex oppositis & contrariis terminatis in subiecto fit & materia, quæ potestate potest utranque suscipere, non ergo ista quæ hic Arist. dixit, propriè generationi conueniunt, sed omni generationi. & si generatio sit simpliciter entis, et substantiæ primo de gene. 11. &. 12. non propriè etiã negationi conueniunt, sed priuationibus, non complicantibus contrarium: Hæc de obiectis Ammonii, quæ tunc diluemus cum nostram & tertiam huius literæ expositionem dicemus: existimo enim ista, quæ in hoc textu ponuntur, non referenda esse ad explicationem contradictionis ueræ, quę communis est, & uera de ente & non ente quolibet, sed de illa, quæ sequitur enunciationem ex pędicato infinito. hanc enim initio huius textus præposuit dicens, si itaque est quidẽ huius boni, quoniam bonum est opinio, scilicet uera, alia autem falsa quoniam non bonum, negatio autem addita prædicato, infinitam enunciationem constituit: quasi dicat hæc infinita quæ uera dicitur in generatione uel substantię ex non ente in ens, uel econtrario quæ est in negationem & affirmationem explicantur, comparanda est cum affirmatiua cõtraria, ut dicet: {Est autem alia &c.} Nunc illas distinguit negationes, quę terminatum prædicatum à subiecto non separant, quod aptum natum sit & in potentia, illud pędicatum suscipere, uel eius priuationem. (est inquit, autem alia opinio negationis non sequentis ex prædicato infinito, sed quoniam est prædicatum, quod actu non cõpetit, siue non inest, neque potest inesse. ut homo non est albus,) uel si copulatiue legatur, quod nõ inest nec potest inesse ut homo non est aliter, hoc enim prædicatum negatum neque inest neque potest inesse. nam sæpe prædiximus nomen infinitum prædicari, siue competere posse, tam enti per se, idest potentiæ, quam non enti per se, idest, priuationi quæ apta est suscipi, & esse in terminato subiecto, & propterea illud prædicatum quod non competit terminato subiecto, neque potest competere, infinitum, non erit, neque oppositum, ex quo generatio ipsa procedit, {Harum igitur aliarum &c.} Has distinctas opiniones tunc reiicit. primum ostendens quę negationes & affirmationes non ponendæ ac conferendæ sunt cũ contrariis, dicens (harum quidẽ igitur aliarum) a primis duabus nulla ponenda est, idest præcognoscenda à nobis ut cum contrariis comparetur, & illas iterum in affirmationes & negationes falsas distinguens, (at nec affirmationes quæcunque existimant prædicatum competere, quod non cõpetens est,) adde ut supra neq; potest competere ut bonũ est non lapis, uel bonum est linea, uel quantitas neq; quæcunque negationes ponendæ falsæ, quæ existimant non competere prædicatum, quod competens est, neque, scilicet potest competere: ut bonum non est habitus, non est qualitas uel homo non est aliter quæ ut negata, neque insunt subiectis, neq; possunt inesse. rationem assignãs ait; quia infinitæ, interminatæ & incomprælhensibiles huiusmodi fieri possent, sed nos terminatas inquirimus existentes in terminato subiecto, quod possit suscipere & prædicatum, quod tanquam habitus affirmatur, & nomẽ finitũ uel priuationem eiusdem habitus. qui & si nõ inest, possit tamen adesse illi terminato subiecto, quod est in potentia ad utrunque contrarium: quasi Arist. arguat unum uni cõtrarium & oppositum est, sed illæ negationes præter primam & aliæ etiam affirmationes interminæ & infinitæ sunt, non ergo hic ponendæ a nobis, ac cum contrariis comparandæ, sicut enim contrariæ hic conferuntur, ut

sunt interminato quod potest utrunque contrarium prædicatum suscipere, ita infinitæ illæ sunt à nobis ponendæ, quæ insunt terminato subiecto. quod potest utrunque prædicatum finitum & infinitum suscipere, non ut negatio uere contradictoria, quæ uera esse potest in quolibet ente & non ente, ac interminatum habet subiectum. {Sed in quibuscunque est deceptio.} Alii uolunt quòd tertia ratio siue argumentum ponatur, sed clare aduersans particula (sed) his contradicit quasi id nunc de contradictione sequente prædicatum infinitum afferat, quod ante negauerat. ante autem posuerat, præter illas terminatas prima duas, affirmationem ueram, & negationem falsam, bonum est bonum quam sequitur bonum non est bonum, alias opiniones, non esse ponendas uere oppositas & contrarias, nunc Ari. explicat quæ sunt illæ terminatæ contradictoriæ oppositæ, quę sequuntur ex prædicato finito & infinito, postquam supra explicauit quid nō essent omnibus enim fere in rebus, quid non sint, citius quam quid sint, percipi potest, quid ergo de infinite contrariis sentiat, ait. non esse in his quę superius explicauimus, sed in quibuscunque est deceptio, error, & suadela. {Hæc autem sunt in quibus est generatio siue natiuitatea.} Quæres ab Aristotele deceptio, error & suasio falsitatis, multifariam prouenit, ex nomine æquiuoco, ex ignorantia contradictionis, & contrariis accidentibus: tanquam similia in genere & in eodem subiecto recepta, diuersas fallacias siue deceptiones efficiunt. de qua deceptione, nunc loquens, & in quibus rebus inueniatur respondet (hęc autem sunt non omnia, sed ea ex quibus est generatio, siue natiuitas,) sed generatio est ex oppositis, scilicet terminatis finitis & infinitis: quare & errores, & falsitates, siue deceptiones illæ intelliguntur, quæ ex terminatis oppositis oriuntur, maximè enim decipimur ac contingenter uagamur, ex natura potentiæ, quę contingentiæ terminatę in rebus caducis & cōtradictionis est causa: & ut aliqua, ab ente in non ens, & e contrario trasmutentur nono metap. 17. nomen autem infinitum (ut sępe docuimus) de potentia ut per se ente interminato & priuatione per se non ente, & interminato etiam dicitur: ex quibus deceptio & error contingit: sicut ex actu certa cognitio, & scientia, ac ueritas, & rerū existentia prouenit: ex his deduco Ar. non intendere, & approbare primam fallaciam, siue primam oppositionem esse uere contradictoriam inter simpliciter ens & omnino non ens; ut nonnulli præter græcam literam addiderunt. nam eam oppositionem & fallaciam intulit, quæ ex principiis generationis deducitur, illa autem inter infinite uel priuatiue opposita est, non uere contradictoria: ex Ammonio hic & Arist. 10. metap. 17 apud Alex. primo de gener. 11. &. 12. & primo phys. sæpissime, priuatiue autem oppositorum. 10. metaph. 15 non est prima oppositio nisi ut oppositio consideretur in terminata materia, uel subiecto, 10. metaph. 15. & apud Alex. 14. Postulabis an hic Arist. sermonem faciat de generatione simpliciter, & omnino entis? quæ proprie conuenit substantiæ primo de gener. 11. &. 12. nono metaph. 17. & primo phys. an de generatione communi tam substantiæ carenti contrariis, quam etiam aliis accidentibus habentibus opposita contraria? Commen. & alii fere omnes de uere entis, idest substantiæ generatione intelligunt: a quibus ego non dissentio: nam assero hic primum statuere, quid intelligat per contradictoriam oppositionem ut sequitur ex prædicato infinito: quæ proprie infertur ex generatione simpliciter substantiæ: quæ est ex non ente in ens, uel e contrario ut ad illa negatio & affirmatio in subiecto terminato consequitur quinto physic. septimo, ut ibi Commen. & omnes expositores intelligunt, his autē aduersor, ut ex his generationis simpliciter oppositis principiis, uolunt inferre primam oppositionem contradictoriā inter omnino ens, & omnino non ens: atque primam deceptionem, nec eorum confirmatio ualet quòd Arist quinto phys. septimo ens & non ens in generatione & corruptione substantiæ, affirmationem & negationem uocarit quoniam ut ibi Themistius & Auerroes ait: de negatione non simpliciter non entis, sed priuationem signare in terminata materia intelligit. possemus secundo etiam dicere, per generationem & natiuitatem, non solum generationem substantiæ, sed accidentium intelligere: nam ubi in commum & numero plurali nomen generationis assumitur, nondum intelligitur de generatione substantiæ, sed etiam accidentium, ut facile est obseruare: nam de generatione & corruptione liber generationis inscribitur, ubi licet primum intendatur substantiæ generatio & alteratio tamen, & motus ex uere contrariis etiam designatur: licet secundo uel secundaria intentione (ut dicunt) nam primo de gener. 12. nono metaph. 17. quinto phys. septimo, & alibi sexcentis locis, ubi de generatione substantiæ propriæ loqui constituit, generationem simpliciter, & omnino entis appellat, illam accidentium generationem secundum quid: Item 10. metaph. 16. inquit, quòd si generationes ex contrariis in materia fiunt: ubi etiam de generatione accidentium loquitur: ut litera, & Alex. ac Auer. explicant, cum ergo hic nomen generationis, in communi ponatur, & numero plurali, similiter & ex oppositis esse, quod primo phys. a. 41. ad. 47. etiam accidentibus cōuenit: igitur de generatione in communi potest intelligi, quasi sit utriusque literæ declaratio: postquam enim probauit, contraria uerè, ut conferenda cum oppositis infinitis, non esse illa, contraria, quæ, tanquam diuersa prædicata, conferūtur ad diuersa subiecta, ex qua litera actu. & expresse patuit, quid non essent contrariæ opposita: similiter in litera {Si itaque est quidem boni quoniam bonum &c.} Perspicuum est: quæ non sint uerè opposita infinita, ad quæ terminata contradictio sequitur, nūc, {Sed in quibus est deceptio, & generatio ex oppositis,} Arist. manifestat quid per utrunque significet (hoc est.) quæ sint uerè contraria & infinitè opposita, nam (ut retigimus) quid res non sint, quàm quid sint, facilius noscūtur: inquit ergo sed sunt: uere contraria. & infinitè opposita in quibus est deceptio propter materiam, siue subiectum & priuationem (quæ infinitum significat) quæ multoties eadem subiecto, existentia coexistūt: ut Plato in ipsarum distincta cognitione deceptus dicatur, & fere omnes antiqui primo phys. & quoniam deceptio non his proprie conuenit, sed etiam aliis, propterea subdit, (hæc autem sunt ex quibus est generatio) generatio autem est ex oppositis in eadem terminata materia: quare & deceptiones & falsitates illę intelligendę sunt, quæ ex terminatis oppositionibus finitis & habitibus, & infinitis ut priuationibus in generatione simpliciter, uel cōmuniter & ex oppositis cōtrariis fiūt, quasi dicat cum in problemate postulaui, quæ magis opponatur affirmatiuæ ueræ. fortes est iustus, an negatiua contradictoria, uel affirmatiua contraria: intelligo, de uerè contrariis quæ insunt eidem terminato subiecto, & de his infinitè oppositis, ad quæ sequitur affirmatio & negatio terminata, ut uerum & falsum diuidūt, in terminata materia, siue subiecto: in quo ambo apta nata sunt recipi: non illa quæ neque insunt, neque possunt inesse: prima autem expositio illa regula roboratur quarto metaph. secundo & in quæsito de termino. nomen absolutè prolatum, pro potiori desumitur. generatio igitur absolutè, prolata, pro generationem substantiæ, ut liber generationis pro generatione elementorum proprie intelligitur, de quo alias, sed regula illa uniuersaliter uera siue demonstratiua non est, quoniam (ut tetigimus) Arist. sæpe generationem absolute prolatam numero singulari quinto phys. septimo primo de gener. 12. & numero plurali 10. metaph. 16. ut communem accepit substantiæ & accidentibus: in hac enim sic communi generatione, deceptio

per fallaciam accidentis prouenit, ex oppositis cum ambo opposita contraria, & infinite in eadem quandoque re, subiecto, & existentia complicentur, ut idem quod est non album sic etiam nigrum ut infra & quinto phys. septimo primo phys. 43. infra mõstratur. Ex his facile ad obiecta Ammonii contra Aristo. respondetur, gratis conceditur quod sicut negatio primum opponitur negationi in contradictione uera, primo libro & secundo, ita priuatio infinita primo opponitur in materia terminata generationis simpliciter, & in motu aliorum accidentium affirmationi finitæ, sicut contraria uerè, quæ sub eodem genere continentur & in eodem terminato subiecto mutuo recipiuntur unum uni oppositum dicitur. 10. metaph. 14. primo cæli. 10 octauo phy. 61. idq; ab Arist. in hac litera. quã explicauimus non negatur, quoniam affirmationes & negationes reiecit, quæ existimant prædicatum adesse, quod non adest, neque potest competere uel quę existimãt prędicatum non competere, neque posse competere, quod tamen competere, at sermo præsens est de oppositis terminatis, quæ si insunt, possunt tamen non inesse; uel si non insunt, possunt tamen adesse: cum materia siue subiectũ in generatione sit in potentia contradictionis ad utrũque terminatum oppositum & quæritur ista sic terminate opposita, ut enunciationem, ac opinionem constituũt, quæ magis opposita sit in ueritate & falsitate. esse & non esse, idest quæ magis accedat ad primam & maximã oppositionem, quæ contradictoria est, ut infra dicetur ex 10. metaph. 15. & 16. nono metaph. quarto apud Alex. Ad secundum etiam respondetur ab Arist. non conferri. quæ magis terminata sit contradictoria negatiua; uel contraria, sed deligi negationem terminate contradicentem, ac sequentem ex prædicato infinito, uel finito; quia istæ ponendæ, ac comparandæ opiniones, & enunciationes oppositæ sunt, non aliæ affirmatiuæ, quæ existimant illud prædicatũ adesse, quod non adest neque potest inesse: neque illæ negatiuę, quæ existimant prædicatum quod non inest, neque potest adesse: nos enim quęrimus ea opposita prędicata, ex quibus receptio, & generatio est quæ possunt adesse, cum non adsunt, uel non adesse, cum insunt e in contingentibus generationibus in quibus est deceptio ratione materiæ & priuationis infinitę quandoque existẽtia, & subiecto, coniunctæ cum contrario, quandoque uero non coniunctæ; ut in generatione substantiæ. Sed dices enunciatio infinita interminata est, quia de ente & non ente etiam dicitur, ad hoc sæpe respondimus: infinitum quodammodo unum, idest priuationem terminatã finiti nominis designare & terminatam materiam, qua ratione terminatam oppositionem constituit, sectione tertia: ita ut idem, quod uere affirmatur, idem negetur re: non nomine tantum, ad idem &c. Præterea eius ratio non concludit, si contradictio circa omnino, & simpliciter ens & non ens conferatur: quia ex hoc de quolibet dicitur esse uel non esse, quia contradictio eiusdem de eodem ad idẽ &c. ex trascendentibus constituitur: quæ nihil potest profugere: & ideo simpliciter prima oppositio unius de uno dicitur simpliciter prima, quia circa maxime communia, & prima oppositio, ut maxime aduersantia & se excludẽtia indicat, ut ens omnino, & simpliciter, & non ens, sed contraria sub eodem genere continentur, ut entia; in actu & non dicũtur primo distare: & opponi, nisi uel ambo sunt positiua in eodem genere & subiecto: nec ex cõmunitate maiori inferẽda est oppositio interminata, si eadẽ res de eodẽ ad idem &c. referatur. Ad tertium tãquam uerum concedimus ex maxime distantibus (qualia sunt opposita contradictorie) deceptionem non prouenire, quatenus maxime aduersantia sunt, & uidentur: sed quatenus illa quæ eadem non sunt, per se, nomine, uel ratione, tanquam eadem creduntur, ab aliquo, sic primum ex apparenti contradictione elenchi &c. fallacia fieri ab Ar. dicitur primo elenchorum, quarto uel quinto, quę modo hic fallacia non accipitur, sed pro deceptione, quæ fit ex oppositis in generatione communi, quæ ratione eiusdẽ existentię & subiecti siue materiæ, quæ opponuntur oppositione contradictoria, sequente ex prædicato infinito, etiam opponi uidetur oppositione contraria: & ita uidetur esse eadem oppositio: tum communitate subiectorũ, tum etiam uehementia oppositionis inter ambo entia positiua uel unum priuatiuum & alterum positiuum: ideirco harũ oppositionum (quæ eædem fortasse uidentur) comparatio quæritur: Ad quartum nihil obiicio: quoniã pro nostra (quam dedimus) expositione, rationem ac confirmationem adducit, licet alii dicerent proportione quadam, negationem & affirmationem eiusdem prædicati de eodem subiecto, ex deceptione & ex his terminatis oppositis generationis simpliciter, esse desumptam, ente, scilicet & non ente; quæ opponi contradictorie quinto physicorũ dicuntur tex. septimo: Sed ratio nihil certi, ac necessario & primo monstraret: quoniam non ens omnino, infert necessario negationem uere contradictoriã: sed priuatio quãdam negationem in terminato subiecto. 10. metaph. 15. & 16. sicut ex contrariis quędam priuatio, & negatio sequitur (licet ut infra Arist. dicet) non per se, & primo in eodem subiecto, sed ratione priuationis infinitę quam necessariò continet: ex litera declarata: cõtra Gaetanum etiam patet, ibi non declare qualis sit illa ueri ac falsi oppositio, quæ, scilicet opinionum contrarietatem constituit secundum affirmationem & negationem eiusdem de eodem &c. quoniam hæc oppositio perspicua, ex primo libro, sectione prima & secunda est, & quod una affirmatio in ueritate, uni negationi opposita est: & e contrario, ut significans esse, quod est: uel non esse, quod non est: &c. & hæc oppositio, non contraria, sed contradictoria ab Arist. dicta est: Item si oppositio contraria, ueri falsiq; in opinionibus & uocibus esset secundum affirmationem & negationẽ eiusdem de eodem &c. igitur Arist. quęreret in affirmationi, sit contradictoria negatio, uel affirmatio contraria, quod problema stultum uidetur. cũ clare primo libro monstratum sit negationem unam uni affirmationi contradictoriam esse: non igitur his præcedentibus testibus Aristoteles declarauit oppositionẽ in cõmuni quæ notissima est, qua se aliqua, in ueritate & falsitate reiiciunt, & non compatiuntur ad inuicem: sed quæ non sunt, ueræ contraria, comparanda cum infinitis, ad quæ terminata contradictio sequitur, & quæ nõ sunt infinite contraria, conferenda cum uere contrariis: inde explicauit quæ sunt illa uere infinite opposita, & cõtraria uera, ut terminate oposita sunt, scilicet in eodẽ subiecto uel materia, ex quibus in eodem subiecto uel materia fit deceptio secundũ accidens, & generatio in communi. Amplius, non aliqua ratio fit ad probandum. sed tãtum præcognitio utrisque oppositis communis affertur, ac ponitur, non antea nota, & necessario prænoscenda; Ad hęc si oppositio cõtraria communis strictissime & proprie sũpta determinaretur ut est oppositio secundum affirmationem & negationem, ergo ut ad res ueras significatas, esse uel non esse necessario referuntur: sicut negatio definitur ut uox significatiua de eo quod est: negatio de eo quod non est, sed ipsi id de contradictione concedunt prima. q. 17. arti. quarto pro parte, idest non ut in mente est, sed ut ad res ac significata refertur. Præterea in ea, quã efficit, ratione decipitur, credens hic fallaciam, & contradictionem idest affirmationem & negationem desumi ut proprios terminos, quos cognoscens uel primum attingit, uel abiicit: nam id quod primo attingitur est ueritatis, affirmatio & quod per se primo abiicitur est ueritatis negatio: sicut perfectiones naturales generationibus acquirũtur: & corruptionibus desinunt: sic qui fallitur quod per se primo perdit, est ueritatis affirmatio, & quod primo incurrit, est

ueritatis negatio: huic subtili considerationi uerba literę & propositum siue intentio aduersantur, nam eo modo hæc aduersatiua intelligenda est, {Sed in quibus est fallacia} (Deest enim in græca litera, primo) quomodo superius dicta intelliguntur, quibus ut falsis, aduersantia uera dicere nunc constituit: sed supra monstrauit cōtrarias opiniones contrariarum uere enunciationum non constitui, tanquam partibus & materiis, ex diuersis prædicatis collatis ad diuersa subiecta, similiter non constitui terminatam negationem sequentem prędicatum infinitum, ex eo prædicato, quod non inest neque possit inesse, ergo nunc declarat ex quibus opinio uere oppositorum infinite & uere contrariorū constituitur tanquam materiis, & partibus, huic rationi uerba literæ consonant: cū dicatur (sed in quibus tanquam rebus subiectis est deceptio, hæc autem sunt ex quibus sunt generationes) quæ generatione sunt ex oppositis ergo & deceptiones: de partibus igitur ex quibus consistunt affirmatio & negatio & deceptio loquitur, nō de finibus quos acquirunt uel perdunt, & ita de rebus ex quibus componuntur non ut termini tantum in mente consistunt. Confirmatur etiā ex proposito Arist. quod intēdit, nam initio petiit affirmationi uerę (Sor. est iustus, uel bonus) quæ magis in eodem aduersetur, an negatiua sequens prędicatum infinitum ę quo constituitur, an affirmatiua contraria, idest contraria ex contrario prædicato ex quo etiam tanquam materia constat. ad materias igitur propositionum & prædicata, sermo præsens refertur. Item ad declarandum falsam negationem contradictoriam terminatam & affirmatiuam contrariam secundum refertur, in quibus proprie est falsitas & fallacia: & ex quibus sunt generationes: nam generatio simpliciter est ex non ente ut negatione quinto phys. septimo, similiter motus accidētiū habentium uere contraria, ex subiecto sunt, idest ex affirmatione & propterea hic corruptionū non meminit quæ sunt ex ente, idest ex affirmatione, quoniā affirmatio iā posita, & confessa una & terminata in qua nulla deceptio, error & fallacia & falsum consistit sed negationis quæ ex non esse, tanquam ex termino a quo & affirmatio similiter contraria ex subiecto positiuo non albo, quod est nigrum, ut sic enim in his eisdem subiecto, est secundum accidens fallacia & deceptio, non in affirmatione iam posita uera: ex dictis etiam perspicuum est, Suessam male Arist. explicasse, in ea litera, {Si itaque boni una quidem opinio est.} ubi uoluit propterea affirmatiuæ ueræ, scilicet non opponi posse nisi contradictoriā negatiuā, nō contrariam affirmationem, bonū est malum, quia hanc infinitę, ac interminatæ affirmationes & negationes sequuntur, quia aduersua eam affirmatiuā ueram, bonum est bonum, non solum hæ affirmationes pugnant, bonum est malum, sed etiam quæ sequuntur malum, scilicet ut bonum, idest iustitia est mala, fugienda, noxia. Item hæ terminatæ negationes in quantum bonum, non dicitur id quod est, ut bonum, idest iustitia non eligenda, non amanda, non utilis, Sed hæc ratio non concludit de uere & immediatis contrariis, nam huic, bonū, idest modestia est bona. terminatæ sub eodē genere & subiecto, ea tantum opponitur contrarie, modestia est mala alia uero prędicata, modestia est fugienda est noxia, aliquid unum efficiunt, ut de animali rationali & mortali superius diximus, illa enim & si uoce plura aliquibus uideātur, unam tamen enunciationem, & prædicatum efficiūt ita in proposito si illa, tanquam per se opposita, licet falsa ponātur, bonum, idest modestia est mala, ergo noxia, quæ necessario malum ipsum sequūtur, ac unum fieri apta nata sunt: præterea istæ interminatę negationes sequuntur illam negationem contradictoriam. scilicet modestia non est bona, ergo non est eligenda, non amanda, non utilis, ergo simili ratione negatio opponi non posset tanquam falsa, affirmationi ueræ, a simili enim procedit, hanc negationem falsam, Sortes uel homo non est aliter, sequitur ergo non est rationale, non mortale: præterea non solum negatio interminata esset, sed etiam affirmatio, bonū, idest modestia est bona, ergo eligenda, amanda, utilis, &c. sicut igitur ista interminatam affirmationem & negationem non faciunt, quia tāquam unum aliquod prędicatū sumuntur, ita nec illa contraria bonum est malum, fugiēdum &c. ibi igitur sermo est de affirmationibus, quæ existimant prædicatum inesse, quod tamen non competens est, neque potest competere: & de generatione, quæ existimat prædicatū, quod nō inest, neque potest inesse, quæ incompræhensibiles & innumeræ possent adduci: quæ nec infinitum prędicatum possunt efficere, & negationē sequētem enunciationem ex prædicato infinito nec etiam contraria: ambæ enim insunt uel significant prædicatū uel quod inest & potest non inesse, uel quod non inest & potest adesse: Item illud quod asserit Suessa, explicādo primam partem literæ, pati non potuit iccirco, huic, bonum, est bonum, idest modestia est bonum, illa contradictorie aduersatur, liberalitas non est bonum, quia prima affirmatiua est indefinita uel particularis, secunda autem negatiua indefinita, quæ æquiualet uniuersali negatiuæ: sed insania est: cum in litera græca utrique articulus τό, id est hoc bonum ponatur: hoc bonum non est bonum, igitur pro ambabus singularibus ponitur: quare non erit cōtradictio secundum speciē illam distincta qua uniuersalis & particularis contradictorie opponuntur, sed secundum rationem communem affirmationis & negationis & ut est in singularibus exēplo monstrata, in quibus maxime patet deceptio, & generatio ex nō ente. Item hic sermo est in materia de inesse, & contrariis: quæ tāquam accidentia insunt subiecto: quare si esset indefinita, siue particularis, nō æquiualet uniuersali negatiuæ, nam si prima est indefinita siue particularis natura, igitur & secunda: cum idem prædicatum de eodem subiecto negetur. Amplius, si indefinita negatiua idē ualet uniuersali negatiuæ: quia prædicatum forte sit per se, utrobique tanquam per se, & de omni, uniuersalem constituet. Amplius sicut nō est sermo hic de contrariis inter duas uniuersales tantum, ita nec de contradictoriis inter uniuersalem & particularem: Ad hæc obseruantia Ammonii superius adducta potest accedere, quia usque ad tex. octauū infra de singularibus tantum enunciationibus loquitur, non ergo de contradictione uniuersalis & particularis: hæc de textu & aliorum explicationibus dicta sint satis.

TEX. BOETHII.

Si ergo quod bonum est, & bonum, & non malum est & hoc quidem secundum se, illud uero secundùm accidens (accidit enim non malum esse) magis autem in unoquoque uera est, quæ secundum se est, etiam falsa, si quidē, & uera: ergo ea quę est, quoniam non est, bonum quod bonum est, eius quæ secundum se est, falsa est. Illa uerò quæ est quoniam malum est, eius quæ secundum accidens. quare magis erit falsa de bono, ea quæ est negationis opinio, quam ea quæ est contrarij.

Si ergo quod bonū est, est bonū & non malum, & hoc quidem secundū se, illud uero secundū accidēs (accidit, enim ei, non malum esse.) magis autē in unoquoque uera est, quæ secundū se est. & eodē pacto falsa, si quidē & uera: hæc quidē igitur quoniā nō bonū, quod bonum de ea quā secundū se non competit, falsa est; illa uerò, quoniā malū, quod bonum eius, quæ secundū accidens: quare magis erit falsa de bono ea, quæ est negationis opinio, quam ea, quæ est contrarij.

Distin-

Distincto quid nominis, quid nō sint contraria, & quid etiam non essent opposita, ut negatio & affirmatio propria siue (ut nouissime exposuimus) quid non essent affirmatio & negatio quæ sequuntur propositionem ex prædicato, uel uerbo infinito: declarato etiam in quibus propriè inuenirentur, quæ etiam in uerè contrariis, ex oppositis reiectis, & ratione clarescunt: nunc problemate distincte præcognito, ad eius explicationem accedit: conclusio in summa est: magis opposita est opinio negationis propriæ (quæ infinitum prædicatum, & proprium sequitur) ipsi affirmationi ueræ, & ita magis falsa est, & mentitur, quā affirmatio uerè contrarii uel priuatiuè oppositi, ut quòd necessario uere contrarium complicat. 10. metaphy. 15. primo phys. t. a. 41. ad. 47. infra argumentum & ratio (ut rectè & Ammonius asserit) primum supponit duas enūciationes ueras actu affirmatiuas, sed uirtute & consecutione, unam affirmatiuam, reliquam negatiuam propriā: ex prædicato contrario infinito, ut bonum, idest, & modestia est bonum, & modestia est non malum, idest modestia non est malum. Item ponendæ sunt duæ aliæ ambę falsæ: bonum est malum: & bonum, idest affirmatiua ex prædicato contrario, & affirmatiua actu, licet uirtute negatiua, ex prædicato indefinito, non contrario uero: ut in hac descriptione patebit:

	Ambæ ueræ
Per se uera	Bonum est bonum.
Per accidens uera.	Bonum est non malum.
	Ambæ falsæ.
Per accidens falsa.	Bonum est malum.
Per se falsa.	Bonum est non bonum.

His enūciationibus comparandis præpositis, dat uiam ut ex eo, quod reperimus in ueris, ratiocinemur in falsis: rectum enim iudex est sui & obliqui: ratio est, si quæ uera est per se, ueracior est ea, quæ est uera per accidens, idest propter alterum: similiter quę per se falsa erit, mendacior, & falsior erit ea, quæ propter alterum falsa est, sed illarum duarum uerarum, bonum est bonum, est uera per se, illa uerò bonum est non malum, est uera propter alterum, idest propter ipsum bonum & habitum, siue actū bonitatis quem claudit, idest quia modestia est bonum, ideo uerè dicitur, quòd non est mala: uel quòd priuata sit actu malitiæ, uel (ut Ammonius) ideo per accidens uera est, quia non uerè significat proprium prædicatum, quod inest uel competit, sed quia oppositum tollit: similiter aliæ duæ falsæ ita se habent, ut una sit secundum se falsa, bonum est non bonum, idest dicere habentē actum bonitatis priuatum esse illo actu: sed bonum est malum, falsa est per accidens, idest non propter se ipsam, sed propter alteram primo, & secundum se falsam: ex his conclusio sequitur magis falsam & oppositam esse opinionem negationis propriè, quæ infinitum prædicatum consequitur, quam cōtrarium, contraria enim. 10. metaph. t. 15. ad priuationem & habitum reducuntur: maior patet, causa enim q̄ alia talia sint, est magis talis primo post. 15. & prius per se, & nobilibus secundo physic. 67. octauo phy. tic. 39. minor patet in textu, quia illa de prædicato contrario uera non est, scilicet bonum est nō malum, nisi propter affirmatiuā, quæ indicat prędicatum, sine medio aliquo uerè subiecto competere: similiter illa de prædicato contrario, non est falsa, modestia est mala, nisi propter illam de prædicato infinito priuationem propriam indicantem, idest quia falsum est, modestiam priuatam esse bonitate, iccirco falsum etiam erit, modestiam habere habitum contrarium, contrarium enim reducitur ad priuationem priorem & ideo prius secundum materiam tribuitur habitui modestiæ, nō esse priuatam bonitate: hoc est, modestiam esse non bonam, quam non habere contrarium, idest modestiam esse malam, primum Arist. more græcorum ponit minorem dicens, (si ergo quod bonum est,) idest modestia, est bonū & est non malum, & hoc quidem,) idest affirmatiua simplex secundum se uera, (illud uerò,) idest de prædicato cōtrario infinito est per accidens, idest propter alterum uerum. { Accidit enim &c. } Minoris probationem adducit: quia accidit ipsi bono non malum esse, idest propter alterum,) idest propter bonum, quod de modestia prædicatur, ut forma & actus, remouetur contrarium, uel priuatur contrario: Auerroes aliter uidetur illud (per accidens) intelligere: quia illud, per se, dicit quidditatem rei: scilicet modestia est bonum, sed negatio eiusdem prædicati de eodem subiecto, scilicet modestia est non bona uel non est bona, negat quidditatē, actum, & formam eius quod per affirmatum prædicatum explicabatur: sed cum dicimus modestia est non mala uel non est mala, est accidens: quia non remouet quidditatē, formam, & actum prædicati, sed existentiam, quæ per accidens conuenit rei secundo post. 33. primo topic. quarto, est enim tantum renouatio subiecti, quod existens sub uno contrario, postea in existentia renouatur sub alio, quasi dicat comparantur sicut generatio & corruptio, ad alterationem: generatio enim primo de gener. 10. 23. & 24. & primo physic. 63. est acquisitio esse substantialis propriæq; formæ, nullo sensibili remanente proprio: sed alteratio est mutatio in communibus accidentibus & qualitatibus, remanente propria essētia, & substātia subiecti: similiter corruptio est deperditio esse substantialis proprii: Commen. quamuis hęc de negationibus dicat, uera nihilominus sunt de negatione & affirmatione infinita & finita, quoniam (ut nos supra tetigimus) negatio infinitans priuat actum, & formā et essentiam, quam priuat & destruit corruptio: & ponit ipsa generatio ut supra Arist. explicauit: & primo libro ex eius dictis primo physicorum, & primo de gene. deduximus: de maiori rationis: ait { magis autem in uno quoque uera est, quæ secundum se sit & eodem pacto falsa. } Maiorem ad falsam extendit ex ui uerarum. si quidem inquit & uera magis est illa quæ per se, ergo falsior erit per se etiam falsa { Ergo est, } Ex hoc, quod intulit de per se uera, & per accidens uera, proportione rationis concludit de falsis duabus dicens, ergo ea falsa, quæ est, quoniam quod bonum est, dicit esse non bonum, est falsa eius, quæ secundum se competens est, idest est falsa respōdens ei, quæ est secundum se uera, scilicet modestia est bonum: in qua prædicatum significatur subiecto competere: sicut natura competens est. { Illa uero, } Dat falsam per accidens: illa uero, quæ est quoniam bonum, idest modestia est malū est falsa eius, quæ secūdum accidens posita uera, idest correspondet illi, bonum est non malum, idest modestia est non malum: quæ dicta est uera per accidens: ergo sua affirmatio finita & propria ex prædicato contrario erit falsa per accidens. { Quare erit magis } Principalem conclusionem inferēs ait, quare magis erit falsa de bono ea, opinio quę est negationis sequentis, scilicet propositionem de prædicato infinito proprio, quam ea opinio quæ est contrarii: quia una per se destruit ac priuat essentiam, actum & formam, reliqua tantum accidentia renouat: & ideo illa magis aduersa, quæ substantiæ uel accidens priuationē propriam denotat: quā ea quæ tantum contraria innouat, & a subiecto secundū existētiam deiicit, ut aqua frigida calidā abiicit: dices. ergo bonum & non bonū, iustū & non iustum, secundū essentiā suis subiectis conueniūt, si una secundum se uera, reliqua secundum se falsa uocatur: secundum se, idest secundum quidditatem, & essentiam intelligitur, dicas negationem infinitatem, semper essentiam & formam destruere: siue essentiam substantiæ

sit in subiectis, siue substantiarum generationibus & corruptionibus apponatur: siue essentiam accidentium, siue rerum artificialium: ut artificialia sunt & accidentia, quæ propriam essentiam, formam, & actum habet: licet ille actus non sit de essentia substantiarum: cōtraria uero per se nullorum essentiam destruunt: sed existentiam per se: qua, quandoq; sequitur destrui formam accidentalē per accidens, quia non in omnibus: huic Aristo. rationi tanquam falsæ Ammonius respondit ibi. { Hic, igitur satis acute adductis illud attentione dignum, } Et ubi primū unitum rationis assignat, eadem propositionem bonū est malum, falsam esse per se imprimis, & magis falsam quā negationem, bonum est non bonum, uel bonum non est bonum, quoniam per negationem tantum submouetur, & abiicitur, ne prædicatum insit subiecto sed contrarium id efficit, & contrariū adiicit, attribuitq; subiecto: non sinens illud. prædicatum inesse, subiecto pure, neque impromiscue (quomodo extrema in suo medio) uel ut aliquid simul existentia inhærens illi subiecto, quod autem per contrarium separatio prædicati a subiecto significetur, ex communi loquēdi consuetudine comprobat: nam uolentes ab aliquo bonum seiungere & abiicere nō solum id facimus dicentes peruersum iudicem, dicentes esse non bonum, uel non esse bonum, sed etiam esse malum: sed antequam ad hanc rationem deueniat ait: ex hac litera putari ab hoc auctore (quem non esse Arist. opinatur) eam enunciationem contrariam falsam, in qua prædicatum contrarium de bono dicitur, scilicet bonum est malum: propterea falsam per accidens esse, quia deletur, atque negatur ab illa, bonum est non malum ut uerā per accidens: quasi Aris. arguat, ex natura ueræ per accidens, ad falsam per accidens: sed ipse in oppositum rationem inducit: quoniam oppositum dicendum est: propterea quod id, quod est bonum, destruat asserentem, id esse malum: uera est illa bonum est non malum: non e contrario quoniam illa bonum est malum falsa per se, est, & imprimis: nam tunc illa bonum est non malum per se uera diceretur, cū de medio aliquo inter bonum & malum diceretur: quemadmodum fuscum medium est inter albū & nigrum, sicut per se dicitur uerè fuscum & non album in extremo, & falsa ea quæ dicit fuscum est album: ita si bonum quodam medium indiuisumq; esset ex bono & malo, diceretur uere bonum & non malum: in extremo, & falso esse malum: quia destruit dam: quæ est, bonum est non malum: sed nunc enunciatio fit de bono, ut extremo & ultimo contrario non medium aliquo, de qua per se ipsam, & non propter alterum est falsa, bonum est malum, ut proferens contrarium, quod primo tanquam ultimum alteri contrario opponitur: unde infert (ut ante monstrauimus) magis opposita esse affirmatiuæ ueræ, affirmatiuam contrariam, quam negatiuam contradictoriā. Alios duos errores notauit, unum ibi, { Ceterum hæc quoque argumentatio} Quæ confert contradictoriam & affirmatiuam contrariam, sine ratione aliqua est, si in oppositione contraria conferatur eorum quæ sunt tanquā entia positiua, maxime sub eodē genere differentia, in eodem subiecto; sed potius recta ratione comparabuntur in oppositione: quæ uere consistit in hoc, quod unum tollit alterū uel alterum non compatitur, & ut magis unū ad naturam non entis, ac maxime differentiæ siue diuersitatis accedit, ut 10. metaph. 15. & 16. dicitur. Alterum errorem notauit ibi { Demum non de ea diuersitate} Vbi Aris. rationem procedere ait non de oppositione uere contradictoria inter affirmationem & negationem simpliciter nō entis: sed de oppositione illa tum contrariorum, tum infinitorum nominum & uerborum: hæc duo propterea nō sentimus, quoniam pro uera Arist. opinione & sententia faciunt, ac nostram intentionem confirmant, quā initio proposuimus: ad primum igitur errorem dicamus hic conferri, hęc magis opponatur affirmatiuæ ueræ, Sortes est iustus, quæq; illam magis tollat: accedens ad naturam non entis, ac diuersi? an negatio contradictoria, sequens affirmatiuam de prædicato infinito, an affirmatio constituta ex prædicato contrario? & quia sexto, meta. octauo uerum est ens, falsum uero non ens: iccirco, cum hæc, bonum est non bonum per se, falsa dicatur in eodem subiecto & ex eodem terminato contrario, ex quo generatio & error, siue falsitas prouenit secundum se idest ratione suæ propriæ naturę qua propriam essentiam priuat, & formam nominis finiti, & boni, hac de causa secundum se falsa ab Arist. dicitur: sed illa bonum est malū, est falsa, quia secundum se, siue ratione suę proprię formæ, non destruit essentiam, & formam bonitatis, quia tantum oppositum contrarium explicat, malū, quod simul esse siue existere in eodem subiecto non potest: ut frigidum existentiam calidi ab eodem subiecto depellit, per se ergo tendit ad expellendam existentiam contrarii: non destruendam eius essentiam, ut calido sufficiens est expellere, frigidum, & malo, bonum: non quod essentiam habitus & formæ secundum se destruat, nisi ea ratione quandoque comitatur existentiam necessario: semper tamen per accidens: quod enim conuenit ratione existentiæ, per accidens, quod autem ratione essentiæ, per se, dicitur conuenire: ad rationem ergo in forma dicatur: negando antecedens: quoniam & si contrarium malum submoueat & deiiciat ne prædicatum bonum insit subiecto, id per accidens est: ut priuans existentiam boni, non essentiam, nisi per accidens ut infra dicetur: ut hęc contraria bonum est malum, necessario continet hanc falsam, bonum est non bonum: ubi sunt simul subiecto: quia (ut infra etiam dicitur) in generatione substantiæ est tantum oppositio, ex non ente infinito, & pure priuatio, sine uero contrario, & ideo contrarium non includit negationem, simpliciter per se, non entis, & priuationis formę, ut est ipsa priuatio quam infinitum oppositū indicat. Ad aliud quod dicit hunc auctorē existimare, dicatur, Arist. non conferre, hanc, bonum est non malum, tanquam falsam per se, ad hanc bonum est malum, ut falsam per accidens, sed affirmatiuam ueram per se, bonum est bonum, ad ueram per accidens, bonum est non malum, idest sicut uera per accidens, scilicet bonum est non malum, non est aliter uera, nisi quatenus malum ut boni contrarium priuat ac deiicit, non ratione sui quòd habitum & bonum inesse subiecto uere significat, simili ratione illa est falsa, per se, bonum est non bonum, quia propriam formam & essentiam priuat, ac abiicit: sed bonum est malum contrarium ponit: quod per se, non priuat bonum, nisi quatenus boni deiiciens existentiam non essentiam, uel quatenus illam necessario continet, bonum est non bonum: non (ut falsò, ipse Arist. tribuit) ut continet illam bonum est non malum, sed bonum est non malum, et bonum est malum, in hoc propter conferūtur quòd sicut prima de prædicato contrario infinito, est uera per accidens, ita & sua affirmatio ex prędicato contrario finito, est falsa per accidens, sicut econtrario de ueris Aris. asserit, finitis & infinitis, alia quæ adiecit, nihil propositum nostræ ueritatis impediunt: quam ob rem pergamus ad reliqua.

TEX. BOETHII.

Falsus autem est maximè, qui circa singula habet contrariam opinionem, contraria enim est eorū, quæ plurimum circa idem differunt. Si igitur harum contraria est altera, magis uerò negationis est contraria, manifestum est quoniam hæc erit contraria.

Falsus aūt est maxime, qui circa unumquodq; habet contrariā opinionē, contraria enim eorū sunt quæ plu-

plurimum circa idem differunt : si igitur harum : contraria est altera , magis uerò negatio est contraria : manifestum est quoniam hæc erit contraria .

Litera hæc adeo difficilis est, ut Ammo. tantum quædã notarit, quædã uero tanquã friuola nugamenta relinquenda putarit : mihi uerò uidetur. Arist. obiectionẽ circa prædicta diluere : quam significat illa particula, autem, nã superius dixerat: affirmationi finitæ ueræ, cõtrariari siue aduersari secundum se tanquã falsam, affirmationẽ ex prędicato infinito (quæ uirtute negatio terminata dicta est.)at affirmationem ex prædicato contrario, per accidẽs falsam contrariam & aduersam . dicet nunc aliquis : si illa negatio infinita, est secundum se falsa opposita,& aduersa, igitur maxime aduersa, & in primis opposita: cuius contrarium in oppositione cõtradictoria sensibus, patet: ad hãc obiectionem animaduertens, diluit ipsam: contradictoriã oppositionem inter ens & omnino non ens, non esse conclusam in quæstione proposita in procemio , an sit magis contraria neque in textu superiori de illa probationẽ adduxit : quoniam ipsa cum cæteris conferenda nõ est : cum omnes alias, in oppositione & distantia superet. Item (ut ante cognouimus) opposita et cõtraria, quæ collata in problemate sunt, nõ erant quæ de omnibus siue suppositis negabantur: sed quæ propria et terminata erãt in quibus deceptio erat, & generatio , sed hæc non sunt opposita contradictoria quæ circa unumquodq; maxime fiunt, sed cõtraria, cuius probationem adducit ex definitione contrarii, de quo primo phys. agitur à 41. ad 47. infra, nam contraria sunt eorum : quæ maxime circa idem differunt : at contraria hoc modo differẽtia, bifariam sunt primo phy. & decimo metaph. 15. inter priuationẽ, et habitum, et inter contraria positiua actu consistentia: harum autem cũ una sit contraria opinio negationis. i. quã sequitur per se, negatio, altera per accidens, magis contraria est opinio negationis ex prædicato infinito sequẽtis quàm cõtrarii ueri: ad quem sensum, se Aris. referens, decimo metaph. 15. affirmauit, priuationem & habitum esse primam cõtrarietatem dictam in physicis, nõ tamẽ primo oppositam: cũ illa sit contradictoria : priuatio autem et habitus , quædã sit contradictio, in potentia definita, aut comprehensa cũ susceptiuo: excipiendo igitur Aristo. contradictoriam oppositam, & falsam opinionem: inquit (falsus autem is maxime est) idest primum qui circa unumquodq; habet cõtrariam opinionem, minor patet in post prædicamẽtis differentia octaua, & decimo metaph. 15. primo poster. 13. et quarto metaph. octauo, affirmatio et negatio uera est, uel falsa circa unumquodq; tam quod est, quã quòd non est : maxime, ad intensionem siue maximam oppositionẽ refertur: circa unumquodq; ad extensionem subiecti. {Contraria enim.} Nunc probationem adducit ex oppositis & contrariis, quæ non in circa unumquodq; : sed terminatũ subiecti ũ plurimum differunt: uel quod idem est) approbat negatiuam: contraria, quæ priuationem nominis infiniti complectuntur, et uere contraria , non maximè, siue primũ circa unũquodq; opponuntur, aduersantur, et contraria sunt, sed interminato subiecto, & id definitione contrariorum probatur: quia sunt eorum quæ maxime differunt, non circa unũquodq;, sed in eodem , uel circa idem subiectum: non addidit quæ continentur sub eodem genere, sed tantum meminit subiecti (circa quod maxime differunt) ut ex hoc Arist. contrariorum illorum finitionẽ communem acciperet, de qua in physicis agitur, et generationibus, siue oppositis conuenire: ex quibus generationes efficiuntur, & motus, hoc est, tam priuatiue oppositis q̃ uerè cõtrariis: nam ea propriè sub eodẽ genere continẽtur, quæ sunt species, actu differentiæ, constitutæ , cuiusmodi non sunt potẽtia, & priuatio, nisi tanquã principia, quibus res fiunt. 12. met, a 19. ad 29. & proportione quadã. {Si igitur harũ contraria est altera. } Exclusa uera contradictione a proposito problemate in procemio. & comparatione facta, quæ magis contraria, & aduersa esset, q̃m ipsa nõ magis sed maximè aduersatur & non in eodẽ, sed circa unũquodq; nunc illas contrarias cõfert, quæ in eodem subiecto, siue potẽtia, maximè differunt: inquit {si igitur harũ} quæ circa idem subiectũ maxime differunt, altera est cõtraria ueræ: ut bonum & malum: altera uero subintelligas ex prædicato infinito, quam sequitur negatio: & est opinio contraria negationis terminatæ in eodẽ : dat ex supra dictis cõparationem: sed magis cõtraria & opposita est opinio negationis. {Manifestum est.} Dat conclusionem intentam, qua manifestũ est : quoniam hæc erit contraria , quã initio quærebamus: an affirmationi ueræ opponatur magis negatio, uel negationis opinio, uel affirmatio cõtraria, uel contrariæ opinio: consecutio hæc perspicua omnibus est: si negationis opinio magis contraria in eodem subiecto est, ergo est contraria: a gradu enim comparatiuo, ad positiuum, consecutio manifesta est, eorum maxime, quæ conferuntur circa idem , ut nos à gradu superlatiuo oppositionis contradictone præseruemur .

TEX. BOETHII.

Illa uerò quæ est , quoniam malum est quòd bonum est; implicita est. Etenim quoniam non bonum est , necesse est fortè ipsum eundem opinari .

Illa uerò quæ bonum esse , malum putat, composita siue connexa est ; etenim necesse est profecto idem putare non bonum esse.

Quartum uult Ammo. esse argumentũ, nos uero secundum: quod ita secundũ Auer. formandum est: illa est maior oppositio, quæ simplicior, siue cõmunior est; ex opposito illa minor est opposito, quæ compositior est, quæ nõ aliter est opposita, nisi quatenus alteram communiorem, & simpliciorem participat: hæc maior est etiã Aris. decimo metaph. 15. & 16. cõtradictio. n. est prima oppositio: quia simplicior, & cõior & magis ad naturam non entis accedit: priuatio & habitus, non ita, quia non circa unumquodque sine intermedio aliquo: ita proportione quadam, contraria in generationibus, & motibus , quibus fiunt , ideo opponuntur in eodẽ subiecto, quia ex priuatione, & esse imperfecto, ad esse perfectũ accedit & ut unum reducitur ad priuationem alterius in eodem, & ita ad negationẽ alterius. Item quia diximus, per se, priuatio priuat essentiã, formã, & actũ, tam substantiæ, tã in generationibus substantiarum, quã etiam accidentiũ, ut talia sunt, cum fiunt in motibus: sed contraria, per se, tantum priuant existentiã, non formam, & essentiam aliorũ contrariorũ: & si essentiã, & formam, non nisi per accidens, & nunquam substantiæ: maior igitur est, illa maior est oppositio , quæ simplicior, & cõior est ad quam alia. ut opponantur , reduci , uel illam continere & complecti necesse est, uel illa est minor oppositio quæ composita & non simplex est : minor in tex. (sed contrariorũ oppositio) .i. bonum est malũ, est oppositio composita, & connexa, ergo erit minor oppositio: de minori inquit, hæc opinio contraria falsa , quæ putat quod bonum est, esse malum, composita, siue connexa est. {Etenim necesse est.} minoris probationem adducit . quia (inquit Auer.) continet aliam credulitatem maiorẽ , per quã creditur esse falsa : quia necesse est credendere siue putare, illud idem, quod est malum , certo esse non bonũ infinitum, quasi dicat iccirco falsa est, modestia est mala , quia primũ & per se, falsa est, modestia est priuata bonitate, nam illa remouet formam oppositam malam hæc formam propriam bonitatis, ut diximus supra quo ad uerba, l'eos interpretati sumus, certè, & profecto, non forsitã (ut Ammo.) uel pariter: quia necessario uerum est: ut contraria priuationem contineant et cõplectãtur : ex decimo

metaph. 15.& 16. sicut supra sectione tertia, ita illud dictũ Arist. explicauimus ut homo est ἴσως, idest certe non forˀtassis, & animal, & bipes, & mansuetum, uel si magis Ammonio in literis grecis credimus, quàm alijs nomina græca explicantibus, dicas illa contraria, est composita et connexa, quia illud idem bonum, quod malum dicimus, pariter, etiam illud idem, non bonum dicemus, & in eandem sententiam ueniet: si pro, forsitan, non explicandum ut Ammo. quasi Aris. uerisimile argumentum, non uerũ, & necessarium faciat: quod ipse duabus rationibus approbat: primum quia utrunq; contrarium per se consideratũ est simplex species, per simplicem differentiam cõstituta, ut contraria sint: quia per ultimum & extimũ quod unũ & simplex est, decimo metaph. 14. 17. Item si propterea hæc complicata dicitur, bonum est malum quod illam complicat, bonum est non bonum, igitur similiter complicata, siue composita erit hæc, bonum est bonum: quoniam hęc aliam infert: bonum est non malum: dat ad hoc postremo adductum solutionem: quia propositio, illa, bonũ est non bonum, non est una ex his, quæ ab Arist. inter se conferuntur. i. non est illa, quæ confertur ad bonum quod priuat, sed ad malum contrarium: hanc ratio: ẽ & si tanquam ueram concedat, tamen argumentum adductum in cõtrarium nõ dilueret, quia nihil refert si bonum, est non bonũ inter se. t. ad bonum ab Arist. non confertur, quoniam non simplex, et compositum non contemplamur per accidẽs, ut in quibusdam propositionibus & definitis inueniũtur, sed secundum propriam cuiusq; uim, & naturam, per se: ergo si bonũ est bonum (ad quamcunq; collata) inueniatur cõposita, siue cõplexa, secundum eius uim, ac naturã cõplexa uocabitur: Ad hæc pro ueritate Aris. dicimus argumentum uerum & necessarium ostẽdentes, primũ ita diluimus, nam licet utrunq; contrarium secundum se considератum, simplex sit species per simplicem differentiam constituta, ut per unũ ultimum & extremum, nõ tamen excludit compositionem oppositionis simplicioris & communioris: ut proportione quadam, etiam affirmamus, priuationem simplicem esse, & habitam: nõ tamen simpliciorem, ac cõtiorem contradictionis oppositionem excludere decimo meta. 15. & 16. quæ maior extensione est subiectorum & uehementia oppositionis ut res magis ad non ens siue substantiæ uel essentiæ accidentium et formarũ accedens, nam complecti prædicata cõtota compositionem essentialem constituit ac complexionem eorum, quæ unũ aliud nata sunt cõstituere, simplices igitur species appellãtur, quasi excludentes cõpositionem extraneam, et accidẽtale: non tamen eorum quæ ut prædicata communiora illi conueniunt: quomodo est priuatio (quam nomen infinitum significat sine adiuncto contrario) & contradictio: si ad priuatiue & contrariè opposita conferatur, ut animal rationale mortale ad hominem. Ad secundum etiam dicimus quamuis ex illa bonum idest modestia est bonum, hæc alia inferatur bonum. i. modestia est non bonum, non tamen infertur, ut uera & communior propositio, ut sit necesse putare, bonum est bonum, ergo illud idem, quod est bonum, sit priuatum bonitate. bene, tamen concedimus, ex illa inferri necessario tanquam per se, oppositum falsum, ut superius affirmauit, sicut etiam quælibet negatio ex affirmatione potest concludi tanquam ex opposito per se, contradictorie: non circa idem subiectum necessario, sed circa unumquodque, sed ex contrarie oppositis, inferimus uere & necessario priuatiuam oppositionem in eodem subiecto, & contradictionem circa unumquodq;: Dices (ut in sequenti textu Amm. dubitabit) si contrarie opposita includunt, ac complectuntur oppositionem priuatiuè & contradictoriè oppositorum & propriã addunt: magis ergo opposita dicenda erunt cum maximas duas oppositiones & aliquid ultra contineant. Dicas cum Aris. decimo met. 15. & 16. in postprædicamẽtis cap. de oppositis, priuatio est quædam contradictio, quia negationem dicit inpotentia definita, uel quia comprehensa est cum susceptiuo. Item non est simpliciter non entis, sed apti nati. 12. met. 11. & ideo non est simpliciter cõtradictio quo ad extensionem subiectorum, nec quo ad uehementiam, sed deficiens contradictio. in hoc solum conueniens, quod priuatio est non ens per se, licet differat, quòd est in subiecto, siue potentia terminata, similiter contraria priuationem, & habitum complectuntur & continent, non simpliciter, sed quandam, quatenus unum contrarium est uilius, & imperfectius cui accidit priuari perfectione alterius perfectioris contrarij: deficit ergo contraria oppositio a uera oppositione priuationis, sicut priuatio deficit a uehementi oppositione contradictoria: nam (ut infra dicemus) priuatio superat oppositionem contrariam, ne dum extensione subiectorum, sed uehementia oppositionis: quia ad substantias generabiles & caducas omnes refertur, & accidẽtia, sed contraria uere, non nisi ad accidentia. Item priuatio est secundum se non ens, primo phy. 75. & 79. at contrarium est secundum se ens: non igitur contraria ipsa cõtinent priuationem simpliciter, & contradictionem, sed aliqua contradictio & priuatio dicitur: & ita non ipsas summas oppositiones concludunt & aliquid ultra: sed diminutas extensione, & communitate, & intensione siue uehementia: aliter igitur (fortassis) particula explicanda erit: quia id quod necessario uerum est, tanquam ad altiorem scientiam pertinens hic assumitur: quod declarandum est, decimo met. 15. & 16. sicut supra quòd prædicata definitionis plura sint, ex quibus natum est unum aliquid fieri: quod declarandum, octauo metaph. 15. & 16.

TEX. BOETHII.

Amplius. Si etiam in alijs similiter oportet se habere, & hoc modo uidebitur bene esse dictum. Aut enim ubique ea quæ est contradictionis, aut nusquam: quibus uerò non sunt contraria de illis quidem falsa, ea quæ est, est ueræ opposita, ut qui hominem non putat esse hominem, falsus est. Si igitur hæ contrariæ sunt, etiam & aliæ, quæ sunt contradictionis.

Ac si etiam in alijs similiter oportet se habere, & hoc modo uidebitur bene esse dictum. aut enim ubique contradictionis, aut nusquam dabitur locus: quibus uerò non sunt contraria, de illis quidem falsa ea, quæ ueræ aduersatur, uel opposita est: ut qui hominem non hominem putat, falsus est: si igitur hæ negationes oppositæ: & illæ quoque quæ sunt contradictionis.

Ammo. quem oẽs sequuntur alio, & quinto argumẽto uult, quod Aris. approbet cõtradictionem magis aduersã esse affirmationi positæ, quam cõtrariam: quoniã illa est maior per se, & simpliciter oppositio, quæ in alijs rebus similiter se habet: hoc est, in omnibus uera deprehẽditur: quia per se oppositio, est de omni: sed oppositio contradictoria, est in omni loco uera, non aũt contraria, nã contradictionis alterã partem necesse est, quarto met. 7. 8. 9. 25. aut falsam, aut uerã inueniri in omnibus, tam habentibus cõtrariũ. i. qualitatibus, quam ẽt nõ habentibus contrarium. i. substãtijs & quãtitatibus: ergo cõtradictio est magis apposita, quã sit ipsa contraria quæ sicut nõ falsa est, in carentibus cõtraria, ita etiam non est opposita, & cõtraria ueræ positæ supra, ab his itaq; ita legenda litera est: { amplius si contradictoria oppositio in alijs omnibus similiter se habere, ergo hoc modo uidebitur esse bene dictum } supra oppositionem cõtradictoriam. s. præstare cõtrariæ: quod nũc iterum confirmatur: {quoniam cõtradictionis oppositio aut ubiq;}. i. in omni loco & subiecto uera est {aut nusquã} in nullo loco, ut subiecto. 4. me. 7. 8. & 9. de quolibet dicitur esse, uel nõ eẽ et de nullo ambo simul: sed quia disiũctiuè

litera

litera legitur, non copulatiue, sensus est: aut ubiq; & de omnibus contradictio dicitur, aut de nullo, sed secunda pars manifeste falsa, prima igitur tenēda, quasi dicat Arist. adeo per se notum principiū est, ut esse uel nō esse, ubiq; dicatur: ut sine medio sit dicendum, ubiq; uerā esse, & de omnibus, uel nunquā: cum contradictio sit: cuius secundū se non sit inuenire medium. quod ipsam profugiat. {Quibus enim.} Probat cōtradictionem de omnibus dici, quia etiā de non habentibus contrarium: quibus uero nō sunt contraria ut subiectis, de illis quidem falsa est negatio cōtradictoria subintellige, non autem contraria, quam non habet: exemplo explicat, ut qui hominem (tanquā substantiam carentem contrario) putat non hominem.i. non esse hominem, is, taliter putans, falsus est siue mentitur. {Si igitur hę negationes.} Inductione quasi demōstratiua, ab uno ad omnia similem per se, rationē participant, infert (si igitur, hæ negationes) de quibus exempla produximus in carentibus contrario (oppositæ sunt).i. aduersæ magis quam oppositæ contrariē, ergo & aliæ quæ sunt contradictionis negationes in aliis rebus tam habentibus cōtrariū quam etiam contrario uacantibus: mihi sensum, ac uerba Arist. speculanti, aliter hæc litera explicanda uidetur, ut Arist. uelit id confirmare, quod ratione præcedenti monstrauerat, scilicet bonum est malum, aliam complicare priuatiuam ex prædicato infinito bonum est non bonū (quia ut diximus) contraria oppositio, reducitur ad priuatiuam: nunc igitur id ratione proportione quādam accepta a cōtradictione, confirmat: quæ huiusmodi est; si quod nunc diximus de contraria composita & connexa, & priuatiua infinita simplici, & cōmuniori & in aliis oppositionibus contradictoriis similiter oportet se habere, ut ad alias oppositiones minus communes, compositas & cōnexas, ipsa contradictoria oppositio communior, & simplicior cōsequatur. {Ex hoc modo.} Ex antecedente, ex hypothesi accepto ex decimo meta. 15. & 16. dat cōsequens, & hoc modo, idest simili ratione, uidebitur bene dictū: q ipsam contrariam: bonum est malum, necessario cōsequatur priuatio, ergo bonum est non bonum. {Aut enim ubiq;.} Posita cōsecutione. si etiam in aliis oppositionibus simplicioribus, & communioribus similiter necesse est se habere, ut communiores sequantur minus communes, ergo bene dictum est de contraria & priuatione infinita, quia cōior et simplicior, minus communem, & compositam, ac complexam sequatur. nunc approbat antecedens, quasi sic arguat: communiora necessario consequuntur minus cōia, oppositio autem contradictoria est communior, decimo meta. 15. & 16. ergo &c. minorem probat, per disiūctiuā habentem duas partes, unam necessario ueram, alterā impossibilē. aut enim ubiq;, & in omni loco, & subiecto, cōtradictionis oppositio uera est, aut nusquā. i. nullo loco, & subiecto. nam necessario uerū (ut est natura primi principii) aut in omnibus, aut in nullo uerum est: sed secunda pars est impossibilis, prima ergo necessaria: contradictio ergo communis est oppositio, & de omnibus aliis dicitur, decimo metaph. 15. & 16. patet igitur antecedens, quod sumptum ex hypothesi est, & cum disiunctione, quia à metaphysico sumptū est: ex quo antecedente probato, prima consecutio patet. si contradictio communior, & simplicior est, ac omnes alias compositas, & ipsam continentes, ac complectentes, consequitur, ergo uidebitur esse bene dictum. hoc modo & simili ratione, contrariam compositam, continere priuatiuam infinitam: nam cōmunior est, quod uerbis sequentibus approbat. {Quibus uero nō sunt contraria.} Ubi non manifestat (ut communiter oēs affirmant) contradictionem cōiorē esse contraria, sed priuatiuam ex prædicato infinito, cōiorē, ampliorem q; esse, extensione subiectorū quia illis contraria, uere solū est falsa, uel uera in habentibus prædicata cōtraria, ut modestia est mala, est falsa, & opposita affirmatiuæ ueræ modestia est bona, quia habet prædicata cōtraria sed priuatiua infinita falsa et opposita, inuenitur propositioni ueræ, nō solū in habentibus contrariū, sed etiam in iis, quibus nō sunt contraria, quod Arist. exemplo cōmonstrant, in substantiis: ut, is falsus est, qui putat, uel credit, hominem esse non hominem. s. habentem naturam humanam, illa priuari. inquit ergo, quibuscunq;. n. non sunt contraria (ut substantiis, et quantitatibus) de illis quidem est falsa, eaq; est opposita uere. intellige circa idem, ut supra, nam contradictoria etiam est falsa, sed circa unumquodq;: hic de priuatiua infinita loquatur, non negatiua contradictoria ex sequentibus uerbis perspicuum redditur. cum ait, (ut is falsus est, uel mentitur qui putat et existimat, hominem esse non hominem.) ubi in græca litera semper negatio additur prædicato, qua ratione infinitum efficitur. & priuatiua propositio, quæ non simpliciter contradictio est, sed quædam est contradictio, in potentia terminata, & comprehensa cum determinato subiecto, hoc ordine, & modo, eandem conclusionem, decimo metaph. 15. & 16. & 17. Arist. approbat. contradictionem, primam oppositionem esse, quia communior est, & alia priuatiua, est, quædam contradictio. Item ex generationibus & motibus approbat contraria est priuatiue opposita, & contradictorie non simpliciter sed aliquo modo: quia omnis generatio, & motus, inter contraria fit. generatio ex non ente, & motus ex non musico, & nō albo. quæ priuatiue opposita nuncupantur & infinita, atque etiam quædam contradictio sequitur. {Si igitur hæ negationes contrariæ sunt, & illæ quoq; quæ sunt cōtradictionis.} Conclusionē manifestius infert, q sicut ex contraria necessario cōcluditur priuatiua, ex prędicato infinito, ita ex priuatiua opposita falsa & composita, siue cōnexa, infertur negatiua cōtradictionis simplicior, & communior: inquit, si igitur hæ negationes (quæ propositionem ex infinito prædicato sequuntur) oppositæ & contrariæ falsæ sunt, ut exēplo mōstrauimus, idem de contradictionis infert, cum dicit {& illæ quoq;} illæ. s. quæ sunt negationes contradictionis oppositæ siue magis oppositæ falsæ erunt: nam cum Arist. dicit et aliæ illæ, quæ sunt contradictionis. manifeste innuit & declarat, non de eisdem oppositis cōtradictoriis intelligere, sicut supra proposuit. Amplius si in aliis.} Quasi de distinctis oppositionibus loqui constituat. nam alicui dubium uidebatur, negationem, & affirmationem de carētibus etiam contrario prædicatis: cum primum principium sit, & notissimum omnibus de quolibet dici esse, uel non esse, et primo libro superius pateat, cōtradictionis alterā partem de quolibet dici ueram, uel falsam: & in postprædicamentis cap. de oppositis de omnibus, siue ente, & non ente: res autem quodammodo dubia uidebatur de priuatione infinita, propterea, illam ex notissimo principio cōtradictionis, & in substantiis (contrario uero uacantibus) monstrari quodammodo, opus erat.

TEX. BOETHII.

Amplius. Simuliter se habet opinio boni, quoniam bonum est: & non boni, quoniam non bonum est, & præter has, boni, quoniam non bonum est, & non boni, quoniam bonum est. Illi ergo quæ non boni quoniam non bonum, ueræ opinioni: quæ est contraria? Non enim ea, *quæ dicit quoniam malum est, simul enim aliquando erit uera: nunquam autem uera ueræ contraria est. est enim quoddam non bonum malum, quare contingit simul esse ueras. Aut uerò nec illa quæ est, quoniam non malum. uera enim & hæc, simul enim & hæc erunt:* Relinquatur *igitur ei quæ est, non boni, quoniam non bonum est, contraria ea quæ est, non boni, quoniam bonum est, falsa enim hæc. quare & ea quæ est, boni quoniam non bonum est, ei quæ est boni, quoniam bonum est.*

Amplius similiter se habet opinio boni, quoniam bonum est: & non boni, quoniam non bonum est, & præter has, boni quoniam non bonum, & non boni, quoniam bonum. illi ergo non boni quoniam non bonum, ueræ existenti opinioni, quæ uti quæ fuerit contraria? non enim sanè quæ dicit quoniam malum est, simul enim aliquando esset uera: nunquam autem uera ueræ contraria est. est enim quoddam non bonum malum, quare contingit simul esse ueras. neque ea rursus, quæ ait, quoniam non malum. uera enim & hæc, simul enim & hæc essent. relinquitur ergo ut eius, non boni quoniam non bonum est, contraria ea sit, non boni quoniam bonum est, falsa enim hæc. quare & ea quæ est boni, quoniam non bonum est: contraria sit ei, quæ est boni, quoniam bonum est.

Nouissimo argumento, eandem conclusionem confirmat. affirmatiuæ ueræ, bonum est bonum, magis aduersari & oppositam esse, affirmationem ex prædicato infinito, quàm prædicato contrario. & quoniam id ostensum superius est, de enunciatione ex prædicato infinito, quæ collata ad contrariam est magis opposita, quia communior & simplior est oppositio, idq; ex simili confirmauit. quod ab ipsa contradictione desumebatur, quæ ut cõmunior, & simplicior, ac alias consequens, maior erat oppositio. nunc quod dictum est de enunciatione ex prædicato infinito, rursus confirmat ex simili inuento in enunciatione ex subiecto infinito & prædicato similiter infinito. Primum igitur Aris. duas ueras enuncia iones assumit. unam affirmatiuam ex subiecto & prædicato finito, bonum est bonum, alteram accipit affirmatiuam ex subiecto & prædicato infinito, quam sequitur negatio ex subiecto infinito. s. non bonum est non bonum. quam sequitur non bonum non est bonum, idest si homo priuatur bonitate, ergo non est bonus, sed priuatus bonitate. præter has, alias duas falsas oppositas his: primã ex subiecto finito et prædicato infinito, quam sequitur negatio simplex, ut bonũ, est non bonum. ergo bonum non est bonum, quæ propriè opponitur illi bonum est bonum, ut illud negetur, quod terminatum est, in quo est deceptio, & generatio: non omne non competens, neque prædicatum habens, quod non potest competere, (ut supra monstratum ex Aristotele est.) secundam ponit ex subiecto infinito, & prædicato finito, ut non bonum est bonum, quæ est opposita falsa eius, quæ posita est uera ex prædicato & subiecto infinito: non bonum est non bonum, ut in sequenti descriptione potest clarescere,

Ambæ ueræ.	Oppositæ per se & semp falsæ simul in eodem.	Ambæ falsę.
Bonum est bonum.		Bonũ est non bonum.
Non bonũ est non bonũ.		Non bonũ est bonum.
	Non oppositæ per se quia aliquando simul ueræ.	
Non bonũ est malum.		Nõ bonũ est non malũ.

de his igitur ait, amplius similiter (quasi ex simili secundũ proportionem procedat) se habet opinio boni, quoniam bonum: & secundo, non boni, quoniam nõ bonum est: de aliis duabus falsis ait. & præter has, siue ad has accedũt duæ aliæ falsæ. prima boni, quoniam non bonum est. secunda & non bonum, quoniam bonum est. { illi ergo, } positis primis duabus ueris, prima ex subiecto & prædicato finito, secunda ex subiecto & prædicato infinito, relicta prima, de secunda nunc petit, quæ per se sit illi contraria et magis opposita? inquit, illi ergo enunciationi ueræ existenti, non boni, quoniam non bonum, quæ est contraria per se nunquam uera simul in eodem, cum alia opposita? an illa, scilicet bonum est malum, uel illa non bonum, est non malum: & si nulla harum duarum sequetur per se, sed gratia materiæ, aliquando sint simul ueræ, quæ nam alia consequitur, ut falsa, & per se, ac semper aduersa, & nunquam simul in eodem uera? Et in summa responsio erit quod illi, non bonum est non boni, quam sequitur ista negatiua ex subiecto infinito. non bonum non est bonum, hæc per se, & secundum formam opponitur, non bonum est bonum, quia hæc est simul in eodem falsa, & semper falsa, ut affirmatio, quæ semper in eodem simul falsa est cum sua propria, & terminata negatione, & priuatione, tempore, quo sunt apta recipi in subiecto. { Quare & ea } Principalem & intentam conclusionem, tam ex simili ratione monstratam, colligit. illi igitur primæ positæ (tanquam existenti ueræ) bonum est bonum, ea opposita, & per se, aduersa, & contraria ponenda est, quæ est, bonum est non bonum, quam, negatio simplex consequitur, idest bonum non est bonum. ista enim semper per se, falsa simul est in eodem. sicut & secunda. { Non ea quæ dicit quoniam non bonum est malum. } Posita dubitatione nunc reiicit duas contrarias falsas. quę per se oppositæ ponendæ non sint (per se dico) gratia formæ, nunquam in eodem simul ueræ, prima est ex subiecto infinito et prędicato contrario ut non bonum est malum, non opponitur illi non bonum est non bonum. { Simul enim. } Approbat, primum minorem, secundo maiorem apponens. ratio ita in primæ figuræ tertio modo formetur: nũquam uera enunciatio uel opinio, ueræ opinioni contraria est, sed illa non bonum est malum. est aliquando simul uera, cum illa, non bonum est non bonum. ergo contraria illi non erit. { Est enim quodam non bonum malum. } Minorem particularem probat exemplo, quo modo particularia explicantur primo rethoric. quarto, secundo priorum uigesimoquarto, ait ergo. quia quoddam nõ bonum est malum, intellige simul uerum cum ea aliquid non bonum est non bonum. Petes de quo istæ duæ sunt aliquando simul ueræ? dicas cum Auerroe de iudice peruerso, qui est non bonus, idest priuatus actu bonitatis & non habet actum, sed eo priuatur. item est malus, quia contrarium actum habet bonitatis, idest malitiam. alii referunt ad habitum prauum & malum, idest auaritiam, quæ nõ bona & mala est. sed aptius ad subiectum refertur, quod aptum est habitum, & priuationem suscipere, ac contrarium: sed de exemplis hæc dicta sunt satis. { Quare contingit. } Conclusionem colligit. quare illas simul esse ueras, contingit: quod tam oppositis contradictorie aduersatur, quorum partem necesse est ueram esse, uel falsam, quàm etiam uere contrariis, quas impossibile est simul in eodem esse ueras. { At uero nec illa. } Secundam nunc contrariam reiicit dicens. (at uero nec illa quoniam non bonum est non malum ex subiecto infinito & prædicato contrario infinito) ei aduersatur non bonum est non bonum. { Simul enim. } Similem rationem adducit. Sunt simul de eodem ueræ, ergo non contrariæ. postulabis de quo istæ ambæ simul sunt ueræ? dicunt de lapide, & ligno, siue centauro. quia ista non bona, non sunt mala. Sed contra, quia assumunt prædicata, quæ neque insunt subiectis, neq; possunt contingere. ex quibus supra Aris. affirmauit, affirmationẽ fieri non posse & negationem terminatam, cõsequentem enunciationem (de qua hic) ex subiecto & prædicato infinito, quæ tantum est uera in his, ex quibus sunt generationes, ex priuatione existente in potentia, uel subiecto apto nato suscipere habitum: centaurus autem, lapides, & ligna, nõ sunt apta suscipere malitiam uel bonitatem. melius igitur cum Auerroe dicitur, has simul ueras esse de puero cum ad id tempus perue-

nit

nit in quo aptus est suscipere malitiam & bonitatem: is ergo puer, qui est non bonus, idest priuatus bonitate, est nō malus, idest etiam priuatur malitia: & hæc expositio sumi potest ab Aristo. supra sectione tertia: ut ibi tam multis docuimus. quoad uerba dicat, aliquando simul ueras, non semper ueras, falsum enim sic diceret. in iudice enim peruerso, falsa est. ipse non bonus. idest priuatus bonitate & iustitia: non est malus, cū & malus, & iniustus ponatur. Item (aliquando) dixit ut inde notaret, & si ille simul falsæ consisterent quòd (ut in exemplo nunc producto monstratum est) id aliquādo, & gratia materiæ, & ita per accidens non per se. & gratia formæ oppositæ & contrariæ dicerentur. {Relinquitur ergo.} Remotis duabus contrarijs ex subiecto infinito & prædicato cōtrario finito, & secunda ex subiecto infinito, & contrario infinito, nunc colligit quæ illi existenti ueræ, non bonum est non bonum opponatur per se, ut falsa, & inquit, relinquitur ergo ei, non boni quoniam non bonum est, contraria, idest per se opposita ea sit, quæ est non boni, quoniam bonum est, idest affirmatio ex subiecto infinito. cuius rationem afferens ait. {Quia hæc est falsa.} Et quasi dicat, non aliquando simul uera, quia negatio & affirmatio sunt falsæ de eodem. & nūquam simul ueræ. {Quare & ea, quæ est boni quoniam non bonum:} Principalem conclusionem recolligit. & iterum initio explicati dicit, quare affirmatio ex prædicato infinito (quam simplex negatio sequitur) ut boni quoniam non bonum est, ei opposita per se & semper erit, boni, quoniam bonum est. Quæres cur ista primum præposita, nouissimè conclusa est? dicas, conclusionem primam in intentione esse, propterea primum præcognita est, sed ultima in executione. propterea quòd ostendenda erat ex simili, proportione quadam, accepta in enunciatione ex subiecto, & prædicato infinito. Quærunt hic, qualis nam hæc ratio sit? respondet Suessa, per se ualentem rationem non esse, sed dialecticam nec ualere, nisi per accidens, per se autem ualet in numeris. sed in hac litera, uel non ualere, uel per accidens uim habere, quare conclu dit, quòd syllogismus positus hic nō est ut ualidus, sed ut ostenderet hanc rationem de contrarietate opinionum cōuenire etiam rationibus mathematicis. Sed insomnia hæc & similia deliramentis uidentur: quæ enim numerorum mathematicorum proportio hic confingitur, ubi nullus numerus ponitur? præterea tota uis rationis, proportione quadam, procedit. sicut illi, non bonum est non bonum, ista tantum circa idem subiectum opponitur, nō bonum est bonum, quia affirmatio est, illa uerò non bonum est non bonum, & si actu sit affirmatio, uirtute tamen est negatio: sed affirmatio per se opponitur, & aduersatur, ac contrarium dicit negationi, ergo a simili proportionali (ut dicunt) per se illi, bonum est non bonum (quæ idem ualet negationi terminatæ in eodem, scilicet bonum non est bonum) quia sicut per se in prima, negationi potestate opponebatur affirmatio ex eodem subiecto infinito, ita hic, affirmatio, negationi etiā per se opponitur. quia semper falsæ sunt simul de eodem: hæc igitur ratio ex simili, ac proportione eiusdem rationis, & naturæ primi principii, & cōtradictionis procedit, quæ cum sit per se, ac semper uera, syllogismus ergo non dialecticus, & non ualens dicetur, licet possit dici ratio dialectica, quoniam ex simili procedit. primo topic. octauo 12. 14. & 15. licet sit ratio uera, ualens per se, gratia formæ, quia si una negatio uera, ergo affirmatio falsa. & econtrario. si affirmatio uera, ergo opposita negatio falsa: nam octauo physico. 32. quarto topic. primo in ultimo, secundo topicó. septimo, primo topi. decimo, secundo priorum 23. secundo cœli 49. & 59. quando in uno simili, est una eadem ratio, & demōstratiue, idest uerè in omnibus sequitur. ergo cum in ratione præmissa, similis, ac eadem ratio inueniatur, per se non per accidens, syllogismus uel ratio erit, licet hic suma tur ut topica, idest ut uisa, omnibus aut pluribus: non enim inconueniens idem aliquod, per se uerum esse, & tamē cognitione topica, idest uisa & opinata inchoantibus cognitum esse primo posterio. prope finem. Ammonius non per se ueram rationem, & omnibus, arbitratur. nam inquit, licet ratio Aristo. siue auctoris, concludat de enunciationibus habentibus subiectum, & prædicatum infinitum, scilicet non bonum est non bonum. quòd illi sua opposita contradictione aduersetur affirmatiua de subiecto infinito, idest nō bonum est bonum, quæ simul sunt falsæ, & propterea aliæ ex subiecto infinito enūciationes, & ex cōtrario prædicato finito uel infinito reijciunt, quia infinito nihil contrarium est. cōtraria enim sunt species & actus, maxime differentes: sed affirmationi, habenti prædicatum finitum & subiectum bonum est bonum, non solum negatio contradictoria, sed etiam contraria aduersatur, scilicet bono & albo, non solum non bonum, & nō album, ut priuationes, & habitus, sed malum, & nigrum, tanquā cōtraria, cum quibus nunquam affirmatio est simul uera in eodē, quare non in omnibus auctoris ratio uera deprehenditur. sed in his quæ prædicata habent infinita: quia illa propositio (inquit) non bonum est non bonum, est negatio, & ob id prædicatum obtinet infinitum. & hac de causa facile est reperire propositionem, quæ illi per contradictionem repugnet, idest affirmatiuam, non bonum est bonum: sed fieri non posse. uel inueniri non posse, propositionem quæ aliquod contrarium affirmet: quia (ut dixi) nihil infinito contrarium est, cum non sit: at contraria sunt actus, & species: igitur deficiente oppositione contraria, contradictoriam illi tribuimus & opponimus: hæc Ammonius, qui parcat semper sua auctoritate, sed tunc maximè cum ueritati, & Arist. aduersatur: Primum ex dicta superius ratione, eius sententiam infirmamus est ratio similis ex natura contradictionis procedens, si una uera, reliqua necessario falsa: ergo ratio per se, & in omnibus ualens. Præterea falsam causam assignat, scilicet, quòd illa propositio non bonum est non bonum, est negatio, & ob id, prædicatum obtinet infinitum: nam contrario per se uerum est ea propositio, propterea quòd habet prædicatum infinitum, est negatio. sic enim a positione antecedentis, ad positionem consequentis arguimus: non contra. ut Ammonius fecit. Item concessa hac propositione cum falsa causa assignata, nonne idem sequi deberet propositionem ex subiecto infinito, & prædicato contrario infinito non bonum est non malum? hæc enim est negatio & ob id prædicatum obtinet infinitum: ergo affirmationem habebit oppositam, & falsam non bonum est malum: quæ tamen per se opposita, & falsa non est, sed quandoque uera. Amplius: cur propositio inueniri non potest, qua aliquod contrarium ueræ significetur? respondit Ammonius: quia infinito nihil potest esse contrarium. Sed contra, quoniam Aristoteles dixit non bonum est malum, & non bonum est bonum, ergo utcunque contrarium dixit ratio infirmatur inesse, non bono, tanquam infinito, nec ratio eius concludit, quia contraria species sunt & actus, infinita autem, & finita sunt priuationes & habitus: nam primum decipitur hic sumi contrarium pro uero contrario, cum sumatur pro opposito, & aduerso ut inde probetur, quæ magis opposita, & per se sit ac magis accedat ad proprietatem maximæ oppositionis contradictoriæ, quam impossibile est simul in eodem esse ueram, sed semper falsam: unamq; partem necessario esse ueram, uel falsam: Ad hæc dato hic quòd de uere contrarijs tanquā speciebus & actibus loqueretur, Ammonio aduersamur, quia licet prædicatū infinitum, & finitum nō possint esse uerè cōtraria, tamē nil obstat uerè contraria inesse posse subiecto infinito, cum per negationē infinitātem priuetur tātū accidente: remanēte subiecto substātię in actu: quod sicut capax est priuationis, ita etiā & cōtrariū, & hoc expresse

habetur in litera, cum dr nõ iusto simul uerum asserat malum, & nõ malum. item bonum & non bonum. bonum autem & malum, uere contrarie opponuntur: Sed pro Ammonio aliquis respondebit, hic negari infinito posse aliquid esse contrarium, de prædicatis in eodem subiecto collatis: Sed hoc gratis concedimus de uere contrarijs: sed in hac sectione non quærimus. quæ opinio uere posita cõtraria sit, pro ueris contrarijs; sed infiniti prædicati, an uere contrarij, siue priuatiue oppositi. Item in initio sectionis, tanquam perspicuum uerum præposuit, cum aduersetur (inquiens) & opponatur affirmatiuæ. tam negatio ex infinito prædicato, necessariò cõsequens, quam etiam contraria, & priuatiuè opposita. quæ ui, quæ illarum sit contraria per se, & magis & uere oppositionis proprietatem participet. ut nunquam sint simul in eodem ueræ, & semper falsæ. qua de causa supra, tantum de uniuersalibus cõtrarijs, & cõtradictorijs singularibus exempla proposuit. quia ex harum negata, uel affirmata proprietate, ueræ cõtrariæ, & oppositæ concludendæ erant. addita etiam causa, quam suo loco tetigimus. Ad aliud quod contra rationem Arist. addit, bono, opponi non bonum, & malum. sicut albo, non album, & nigrum: respondet id supra ab Arist. positum, ante problema fuit, sed quæsitum, quod istorum magis oppositum, & aduersum, ut magis ad summã oppositionem contradictionis, ac eius proprietatem accederet, iamque supra monstrauit, illam, bonum est malum, hanc necessario, ut magis oppositam continere. bonum est non bonum: licet non simpliciter, sed ut quandam priuationem, sicut priuatio, non simpliciter, non ens, & contradictio dicitur sed quædam contradictio, idest deficiens a perfecta, & absoluta contradictione,

TEX. BOETHII.

Manifestum ergo est, quoniam nihil interest: nec si uniuersaliter ponamus affirmationem: uniuersalis enim negatio contraria erit: ut opinioni opinatur, quoniam omne quod est bonum, bonum est: ea que est, quoniam nihil eorum, que bona sunt, bonum est: nam ea, que est boni, quoniam bonum, si uniuersaliter sit bonum, eadem est ei, que opinatur, quoniam quicquid bonum est, quod bonum est. hoc autem nihil differt ab eo quod est: quoniam omne, quod est bonum, bonum est. similiter autem & in non bono.

Ex hoc manifestum est, quoniam nihil interest. neque si uniuersaliter ponamus affirmationem, uniuersalis enim negatio, contraria erit. ut opinioni putanti, quoniam omne, quod est bonum, bonum est, ea, quoniam nihil bonorum, bonum est. hæc enim est de bono, quoniam bonum est, si uniuersaliter bonum explicet, eadem est illi, quod est bonum, opinanti quoniam bonum est. hoc autem nihil differt ab ea, quoniam omne quod est bonum, bonum est, similiter & in non bono.

Ammonius duas expositiones assignat. Primam, quoniam propositum ab initio problema, in uniuersalibus, ut uniuersaliter, enunciationibus, & singularibus se considraturum proposuit. in nullo autem dictorum argumentorum, uniuersalium ut uniuersaliter meminit, sed tantum singularium, in quibus maximè uidebatur oppositio contrariarum infinitarum. & priuatione oppositarũ, quæ circa idem indiuiduum fiunt, circa quod, & deceptio, & generatio cernitur, ne forte quis crederet, rationes prædictas in solis singularibus ueras esse, per hæc nobis declarat, singulares articulos (qui subiectis uniuersalibus coniunguntur, quibus in tota hac rationum serie perpetuo usus est) parem uim obtinere uniuersalis signi, siue præfinitionis uniuersalis, omnis, quod ex modo probationis ostendit. quo eadem dicit conuenire enunciationibus uniuersalibus, ut uniuersaliter, & propositionibus habentibus articulos singulares adiũctos subiectis uniuersalibus: nam, nihil differre dicere, τὸ ἀγαθὸν, idest hoc bonum esse bonum, & omne bonum, esse bonum. ex quorum usu regulam colligit, quando prædicatum inest omni subiecto, græci subiectum illud cum articulo proferunt: ut clarè patet sectione tertia, ubi dixit, ut homo est fortassis, & animal, & gressibile. & bipes. at sectione secunda cum prædicatum, quod omni subiecto non inest proferret, sine articulo protulit, dicens. { Dico non uniuersaliter enunciate, in his, quæ uniuersalia sunt, ut est albus homo: non est albus homo } et infra { quæcunque autem in uniuersalibus non uniuersaliter, non hæ quidem uera est illa uerò falsa. simul enim uerum est dicere. quoniam est homo albus, & est homo pulcher, & non est homo albus, & non est homo pulchre. } Tunc enim de uere indefinitis, siue impræfinitis, & de inesse propositionibus loquebatur, obijciet aliquis Ammonio, superius sermo habitus est de impræfinitis, siue indefinitis, non singularibus, cum continuo diceret, boni, quoniam bonum est, & non boni, quoniam non bonum, uel malum: Ad hæc, quæ alij interpretes & nouissimè nunc Suessa existimat. aut Arist. nunquam indefinitarum, aut particularium mentionem fecisse, neque facturum: nam sententiæ propositi problematis non consentit, magis contrariam esse negationem affirmationi, quàm contrariam in propositionibus indefinitis. & particularibus: cum in illis affirmatio & negatio, simul possint esse ueræ. at utrum, uero oppositum, & contrarium non est: & propterea infert, quod propositum problema tantum in singularibus, & uniuersalibus ut uniuersaliter, enunciationibus, propositum est, & ita ad ultimum usque tractatum est. Sed ego ab Ammonio postulo: quomodo singulares, & uniuersales ut uniuersaliter enunciationes eandẽ potestatem, & uim retineant? nam sectione secunda diuersas species enunciationum constituunt. ergo cum diuersam definitionem contineant, diuersam potestatem habebunt. fortasse Ammonius diceret, ut usus est ex græcorum usu colligere, & obseruantia uerborum Arist. annotare: quando prædicatum inest omni subiecto, quod tunc eandem uim singulares cum uniuersalibus, ut uniuersaliter, habent. Sed contra, quia supra exempla proposuit hominis iusti, & iniusti, boni, & mali: quæ non insunt omni subiecto: non ergo hac de causa eandem potestatem habebunt, nam prædicatum, quod enunciationem de inesse constituit, non omnibus inest comprehẽsis a subiecto. non igitur superius meminit singularis ex positione, quæ secundum naturam uniuersalis fuerit: sed potius econtrario, ex positione tantum. sicut etiam & uniuersalis. iccirco signa singularia, hic, hæc, hoc, subiectis uniuersalibus, addidit. dicendum igitur est, uera illa Ammonij sententia posita, quòd problema tantum de singularibus, & uniuersalibus, ut uniuersaliter propositum est, quia de his tantum præcognitum est, quæ negationem, & affirmationem terminatam constituunt, eiusdem prædicati, de eodem re subiecto, secundum idem, ad idem, quomodo non sunt particulares, & indefinitæ non ut uniuersalibus uniuersaliter contradictoriæ, sed ut ad inuicem subcontrariæ, opponuntur: quia statim infra dicetur. { Manifestum est, quoniam affirmationi contraria quidem negatio est, quæ de eodem uniuersaliter: ut ei, quoniam omne bonum, bonum est, uel quoniam omnis homo, bonus est; ea opponitur, nullum, uel nullus: & contradictorie. quoniam non omne, uel non omnis. } Ergo mentionem faciet de particulari, ut est, de eodem ad idem, & ad quam potest indefinita deduci, ut pro eodem desumitur, licet mentio de his nõ fiat, ut pro diuersis sumuntur, & ut

subcon-

subcontrarie proprie opponuntur. Item (ut hic Ammonius annotauit) de his præsens quæstio habebatur, quæ non aliquando simul ueræ, sed falsæ fuissent: cuiusmodi erant ambæ uniuersales ut uniuersaliter, contrariæ, & singulares contradictoriæ. Hac uera sententia posita, dicimus Arist. mentionem fecisse de singularibus: uel propriis ut Calia, & similibus, uel de his uniuersalibus, quæ per singularem articulum ad singularia arctabantur, quæ singularia per positionem, uel appositionem signi singularis effecta sunt, sicut uniuersalis per signum uniuersale, & propterea de his, bis Arist. affirmauit: nihil differre, uel interesse, si uniuersaliter ponamus affirmationem, adde uel negationem. Item quod eadem sit, omne bonum est bonum, ei opinanti: quoniam hoc bonum, est bonum, non eadem secundum speciem enunciationis, uel secundum formam, et essentiam dicitur, sed secundum uim, & potestatem in efficienda præcipua, & maxima pugna, oppositione, & ultima differentia in eodem subiecto: uel circa unumquodque, si ad negationem contradictionemque ueram confertur, nam sicut una est affirmatio eiusdem de eodem re, non nomine tantum, ad idem, secundum idem, &c. ita & reliqua, nũquam simul ueræ, sed falsæ. sed cum id maxime perspicuum in singularibus sit, iccirco singulares opiniones, uniuersalibus præponuntur: illæ ex uno, & maxime uno numero componuntur: cui primum in sunt contraria, & priuatiue opposita deceptiones, opposita, & generationes, uerum & falsum simul, itaque cum singularis & uniuersalis proposito primo perihe. scilicet specie ac definitionibus distinguantur, sunt idem, proportione quadam, ut oppositionem per se, et uniuersaliter maximam inter affirmationem, et negationem, circa unumquodque, uel maximam per se circa idem, inter affirmationem de prædicato infinito, quam terminata negatio sequitur, et affirmationem ex prædicato contrario, uel priuatiue opposito, a qua responsione, secunda Ammonii expositio non dissentit, quæ ad nunc in nouissima ratione dicta refertur: ut non solum in singularibus ostendatur, illi, non bonum est non bonum, hanc magis oppositam esse nõ bonum est bonum, et illi bonum est bonum, ea opponatur, bonum est non bonum, neque autem illæ contrariæ, non bonum est malum, uel non bonum, est non malum, opponi poterunt illi, non bonum est non bonum. nunc Arist. asserit, nihil differre ad has oppositiones magis efficiendas, si nos ponamus affirmationem uniuersalem (non solum singularem ut fecimus) contrariam illi non bonum est non bonum, dicentes huic omne non bonum, est non bonum, non oppositam esse: omne non bonum est malum: quia possunt ambæ esse ueræ, si pro omnibus peruersis iudicibus desumantur: hi enim non boni, idest priuati bonitate, sunt mali, idest habentes actum cõtrarium bonitatis, idest malitiæ: uerum autem per se non opponitur uero, sed consonans est, primo ethicorum. 10. Item nec secunda per se, ac secundum formam opponitur, scilicet omne non bonum est non malum, quoniam simul etiam uera est de pueris: cum ad eam ætatem peruenerint, in qua sunt apti suscipere bonitatem, et malitiam, tunc enim omnes pueri priuati bonitate, non habent illã, sed priuantur illa: omnes itaque pueri nõ boni, sunt tunc non boni. Item omnes non boni sunt non mali, idest sunt priuati malitia: si igitur simul sunt ueræ, ergo ut affirmatio et negatio non opponuntur, sed bene illæ, quæ se habent, tanquam affirmatio, et negatio potestate. ut omne non bonum, est non bonum: idem ualens illi, omne non bonum, non est bonum, quæ (propter negationem post positam) idem ualet illi, nullum non bonum est bonum: cui tanquam negationi ueræ magis opponitur circa idẽ, omne non bonum, est bonum, ut uniuersalis affirmatio: quæ nunquam sunt ueræ, similiter omne bonum est non bonum, quæ idem illi ualet, omne bonum non est bonũ: & per negationem postpositam, æquiualet illi nullum bonum, est bonum; per se, & secundum formam opponitur illi, omne bonum est bonum; ex his igitur patet: singulares opiniones, uel enunciationes, easdem cum uniuersalibus esse, & nihil differre, proportione quadam, ad oppositionem per se, efficiendam, quæ simul uera non sit, sed falsa simul in eodem, inquit ergo Arist. manifestum est (non habetur enim ergo, nec, autem, in græco.) quasi rem non ex proxime dictis concludens, sed rem ponens perspicuam, & iam explicatam. dum primo libro de oppositione uera affirmationis & negationis eiusdem de eodem, differeret. Item sectione tertia dum de infinitarum consecutionibus, tam in singularibus, quã uniuersalibus diceret, manifestum est itaque ex locis superioribus, quoniam: nihil differt uel interest nullam differentiam facit in efficienda maxima oppositione affirmationis & negationis circa unumquodque, uel in maiorem inter negationem sequentem ex prædicato infinito, & contrariam affirmatiuam, circa idem, (ut dicet infra, similiter & in non bono,) nihil interest quam differt si uniuersaliter ponamus affirmationem, scilicet contrariam. & oppositam ac magis & per se aduersam negationi simpliciter, uel ut sequenti propositionem ex subiecto et prædicato infinito. {Vniuersalis enim.} Probat nullam, proportione sumptam, differentiã fieri: quia negatio uniuersalis, contraria, & opposita erit secundum affirmationem, & negationem, eiusdem de eodem, quod exemplo indicat dicens: ut opinioni putanti, quoniam omne quod est bonum, bonum est, ea opponitur, quoniam nihil bonorum, idest nihil eorum quæ sunt bona, bonum est has enim impossibile est simul in eodem esse ueras: sicut ergo in singularibus oppositio negationis & affirmationis per se fieri dicebatur, ita in uniuersalibus ut uniuersalibus ut uniuersaliter {Hæc enim de bono quoniam bonum, si uniuersaliter sit bonum, eadem est ei opinanti quoniam bonum est.} Ostenso quòd inter uniuersalem ut uniuersaliter, & singularem, nulla sit differentia in constituendo ueram oppositionem & per se, falsam, & non aliquando ueram, nunc affirmationem ostendit quod in hac efficienda (quam diximus oppositione uera & per se) eadem uniuersalis sit, & singularis negationis opinio, ut ad opinionem affirmationis confertur, & ait (nam hæc huius boni, quoniam bonum est: si uniuersaliter bonum sumatur, eadem,) scilicet proportione, est ei opinanti, quoniam hoc bonum est: superflua est illa particula quam habent alii textus, eadem est ei opinanti, quoniam (quicquid) bonum est (quicquid) enim non habetur in græca litera, nec posset sensui consonare, nam si bonum uniuersaliter sumptum, opinio est eadem ei, quæ opinatur: quoniam quicquid bonum est bonum est, idem uniuersaliter sumptum, esset, idem sibi, uniuersaliter sumpto; quod inutilem repetitionem efficeret, sensus ergo est, hæc enim omne bonum, quoniam bonum est ei; opinanti quoniam hoc bonum, est bonum; quod manifestius explicans Aristo. ait (hoc autem nihil differt,) scilicet dicere bonum uniuersaliter sumptum, ab eo quod est; quoniam omne quod est bonum, bonum est, quasi dicat bonum uniuersaliter sumptum, est omne bonum, {Similiter autem & in non bono} Quoniam eandem, & maximam oppositionem per se, gratia formæ, fieri, dixit, si uniuersales, uel singulares opiniones, uel enunciationes sumantur, In ueris negationibus, quæ circa unumquodque fiebant; idem nunc infert, de aliis infinitis affirmationibus, & negationibus; quæ nõ bonum assumunt, tam in subiecto, quam prædicato coniunctum, siue diuisim, quod supra longioribus commonstrauimus; nam istæ oppositiones magis, & per se oppositiones dicuntur; & quia se habent ut priuatio & habitus magis accedentes ad contradictoriam, & quia per se oppositio est in eodem, quam, contrario necessario continet; & quia nunquam in eodem uera, sed semper falsa. Ammo/

nius huic autoris rationi respondet, ut supra: falsam esse & totam mendacem hanc, omne bonum, est malum: & per se totam mendacem: & cum illa pugnare potissimũ: quæ est, omne bonum, bonum est: sed quoniam ego autorem ipsum Arist. puto, rationẽ Ammonii ex dictis, & rationibus ipsiusmet Aristo. improbo, dato hoc, omne bonum est malum, pugnare cum illa, omne bonum est bonum, sed non per se (ut superius approbauit) nam hęc contraria, omne bonum est malum, propterea falsa est, quia aliam magis falsam & oppositam continet, omne bonũ est non bonum, ut priuatiuam oppositionem communiorem & simpliciorem: non igitur secundum se tota falsa, & opposita nuncupanda. Item in hac litera non ista confertur, omne bonum est malum uel bonum, sed illa de subiecto infinito & prædicato similiter infinito, omne non bonum est nõ bonum: cui uerè opponitur, omne bonum est bonum, non aliæ duæ contrariæ, omne nõ bonum est malum, uel omne non bonum est non malum: Quæres ab Ammonio duarum expositionum quæ potior est habenda: Respondet quòd prima, quia in se ipsa hanc secundam complectitur, nam prima ad singulas sex rationes refertur, hæc autem solum ad ultimam, utraque tamen uerum affirmat, quoniam hactenus conclusum est magis contrariam, oppositam, & aduersam opinionem esse negationẽ contradictoriam, ut summam & primam oppositionem circa unumquodque, huic proximam esse, & magis oppositam: & aduersam circa idem subiectum esse negationem (quæ sequitur ex prædicato infinito) quam illam ex prædicato contrario, uel priuatiuè opposito, complicante, & continente contrarium, ut iniusto & malo, & hæc de textu sint satis. Animaduertendum hactenus Arist. mẽtionem non fecisse contradictionis, quæ ab uniuersali & particulari desumitur, ut hic Suessa perperam intellexit: quòd indefinita negatiua idem ualeat uniuersali, nam illę ambæ, hoc bonum est bonum, & hoc bonum est non bonum, quam negatio simplex & opposita sequebatur, positæ ab Aris. sunt tanquam singulares, ut ex Ammonio & græca litera patet. Item cum sermo sit de negatione, quæ idem ab eodem disiungit & separat, quod per affirmationem coniungebatur, & simus in materia propositionis de inesse, si igitur prima erat singularis, ergo & secunda: præcipue negatione addita uerbo, quod etiam superius improbauimus.

TEX. BOETHII.

Quare si in opinione sic se habet, & sint hæ quæ sunt in uoce affirmationes, & negationes, notæ earum quæ sunt in anima: manifestum est, quoniam affirmationi contraria quidem negatio est, quæ de eodem uniuersaliter: ut ei quæ est quoniam omne bonum, bonum est: uel quoniam omnis homo bonus: ea quæ est quoniam nullum, uel nullus: Contradictoriæ autem, quæ est quoniam non omne, aut non omnis.

Quare si in opinione sic se habet, sunt autem ea, quæ sunt in uoce affirmationes, & negationes, notæ earum, quæ in anima; manifestum est quoniam & affirmationi quidem opposita est negatio, quæ de eodem uniuersaliter; ut ei, quoniam omne bonum, est bonum, uel omnis homo bonus, hæc quoniam nullus, uel nemo contradictoriæ autem, hæc, quoniam non omne, uel non omnis.

Litera facilis, & ferè in sensu omnes conueniunt, quòd postquam in opinionibus affirmationis & negatiõis problema ante cognouit, & pertractauit, quæ erant notiores & uiæ ac initia uocum, nunc idem concludit de uocibus, & affirmationibus, & negationibus, quæ essentiam propriam, & ueram, habent in uocibus, & quoniam nihil differre prædixit, si bonũ (quod hactenus pro singulo bono sumptum est) uniuersaliter desumatur in opinione: idem similiter nunc de uniuersalibus contrariis & contradictoriis affirmationibus, & negationibus uniuersalibus & particularibus, existentibus in uoce concludit, quę sunt de eodem: ut caueat ab his contrariis quę initio huius sectionis reiecit: quæ tanquam diuersa de diuersis affirmabãtur: ut bonum de bono, & malum de malo: inquit ergo ex hypothesi commõstrata superius: quare si in opinione sic se habet, ut affirmationis ueræ opiniõi, Callias est bonus, magis, & per se, ac primum opponatur, opinio negationis cõtradictoriæ, si ad unumquodq; conferatur subiectum, uel magis aduersetur negatio sequens affirmationem de prædicato infinito, circa idẽ subiectum, & terminatũ, ut Callias est non bonus, quam contraria, Callias est malus: conclusio, siue consequens, tanquam manifestum, relinquitur ergo ita se habebit in uoce. {Sunt autem} cõsecutio approbatur, quia hæ affirmationes, & negationes, quæ sunt in uoce. i. habentes naturam, formam, & essentiam consistẽtem in uoce, sunt signa earum conceptionum, & opinionũ, quæ sunt in anima: si igitur prædicta uera sunt in uis, entibus & significatis rebus conceptis, ergo & in uoce, tanquam in signo proprio. {Manifestum est quoniam affirmationi opposita quidem negatio est, quæ de eodem uniuersaliter} Quod de singularibus affirmationibus, & negationibus conclusum est, idem de contrariis uniuersalibus, ut uniuersaliter, & contradictoriis non ratione communi ut affirmatio, & negatio eiusdem de eodem, quę communis est omnibus, & ante collecta: sed quę ex uniuersali ut uniuersaliter, & particulari consistit, ut hæc litera ei parti respondeat, in qua dictum est, nihil interesse, si bonum uniuersaliter exprimatur: inquit manifestum est etiam ex opinionibus ad eas, quæ consistunt in uoce enunciationes, ratiocinando, quoniam affirmationi quidem contraria negatio est, quæ de eodem uniuersaliter, ad idem secũdum idẽ &c. ut præcognitum initio fuit, quod exemplo commonstrat, dicens: ut ei. quoniam omne bonum bonum est, uel quoniam omnis homo bonus, ea opponitur, quoniã nullus uel nemo nullum bonum, bonũ est, uel nullus homo bonus: hæc de contrariis inter duas uniuersales ut uniuersaliter: de contradictoriis autem inter uniuersalem, ut uniuersaliter, & particularem inquit, contradictoriæ autẽ ea, uel hæc opponitur illi uniuersali affirmatiuæ omne bonum est bonum, uel omnis homo est bonus, scilicet non omne uel non omnis, quæ idem ualet illi aliquod bonum non est bonum, aliquis homo non est bonus: ex his patet falsum esse: quod Ammonius simpliciter dixit, nec Aris. mentionem fecisse de particularibus nec infra facturum: quod nos etiam diximus hoc modo intelligendo: non de particularibus se mẽtionem facturum, & indefinitis, quatenus ad inuicem propriè ut subcontrariæ conferuntur, sed quatenus aduersatur contradictoriis, ut affirmatio & negatio eiusdem de eodem ad idem &c. hic illarum Arist. meminisse: quæ ut sic idem proportione facient cum indefinitis & a singularibus non dissentient in efficienda oppositione maxima, ut pro eodem sumuntur. Postulabis, exempla proponens, ait (ut omne bonum est bonum, uel omnis homo bonus,) cur secundum addidit, explicando subiectum diuersum a prædicato: dicas id Aristo. idcirco fecisse, ut monstraret, in omnibus illis exemplis, quibus antea usus est, in quibus idem de se ipso prædicari uidebatur, semper intelligendam rem subiectam fuisse, & diuersam a prædicato: quod initio de singularibus explicauit, Callias est bonus, Callias est non bonus. Item cum de singularibus hucusque mentionem fecisset, in subiecto semper articulum præpositiuum apposuit, scilicet hoc bonũ, est bonum &c. prædicatum ergo communius, & diuersum

sum à subiecto sumpsit: hic autem de uniuersalibus loquens, tam subiectis quam etiam prædicatis, si tantum dixisset, omne bonum est bonum, alicui dubium uideretur ne idem de se ipso prædicaretur, hac de causa, subiectum diuersum, hominem, scilicet explicauit, nam cum hic de contrariis, & priuatiue oppositis sermo fiat, quæ insunt distincto subiecto, iure semper res alia intelligitur: sic semper Ammonius, & Auerroes, bonum in subiecto, idest rem bonam intelligunt. nam prædicato eiusdem de se ipso (ut alibi ex Auerroe diximus) nulla est, & destruens enunciationis naturam octauo metaph. 10. secundo post. 21. quarto metaph. tertio, & tantum facit nugas, siue nugationem primo post. 27. & rationem petentem principium, quam idiotæ etiam (ut nihil declarantem) reiiciũt: & aspernantur, usus autem est Arist. terminis communibus, & transcendentibus boni, & nõ boni, ut notionibus, & in quibus magis oppositio, & diuersitas cerneretur.


TEX. BOETHII.

Manifestum est autem, quoniam & ueram uere non contingit esse contrariam: neque opinionem, neque contradictionem; contrariæ enim circa idem opposita sunt. Circa eadem autem contingit uerum dicere eundem: simul autem non contingit eidem inesse contraria.

Perspicuum est autem quoniam & ueram, ueræ non contingit esse contrariam, neque opinionem, neque contradictionem: contrariæ enim sunt quæ circa opposita sunt, circa eadem autem contingit uerum dicere eundem, simul autem non contingit opposita conuenire eidem.

Explicatum hactenus est in conceptionibus, et opinionibus quòd sicut oppositio maior. & per se fit, cum negatio contradictoria comparatur affirmationi uerè, siue negatio & affirmatio uniuersaliter subiectum desumat, siue singulum, siue, in una uniuersaliter, in altera particulariter, ad idem, secundum idem, collatum circa unumquodque subiectum, & sicut in conceptibus ita & in uoce: secundo sicut magis opposita erat opinio prædicati infiniti quã uerè contrarii, ita & in uoce, idq; probauit ex proprietate ueræ oppositionis, quam non contingit aliquando simul esse ueram, sed falsam, hanc ueram oppositionis proprietatem in conceptionibus, & opinionibus positam, cõcludit, & colligit, in affirmationibus, & negationib⁹ quæ in uoce consistunt, id autem concluditur ex opposita proprietate reiecta: nam in opinionibus non boni, quoniam non bonum est dictum est, illi per se non aduersari eam non bonum est malum, uel non bonum est non malum, quoniam contingit aliquando esse simul ueras, uera autẽ opinio non opposita per se opinioni ueræ, ita colligitur, quoniam non contingit ueram ueræ contrariam & oppositam esse, sed consonam primo ethi. 10. sed falsam, neque opinionem quatenus in opinione consistit & anima, neq; contradictionem, idest affirmationem, & negationem & quatenus esse in uoce consistit, itaq; contradictio affirmatio, & negatio, & enunciatio, non habent esse uerum, & per se in opinione, sed in anima cõsistentes, opiniones contradictionis & affirmationis & negationis dicuntur; ut supra ex isto loco notauimus, ubi contrariam simul ueram non asserit opinionem, neq; contradictionem: cõtradictio igitur ab opinione distinguitur. {Contrariæ enim hæ sunt quæ circa opposita sunt.} Quasi in quarto modo secũdæ figuræ sic arguat. contrariæ siue per se diuersæ circa opposita, distincta, & diuersa sunt, uerum autem uero collatum, non est circa oppositum: non igitur uerum uero contrarium & aduersum erit. {Circa eadem autem.} Obiiciet aliquis (quod indicat illa particula autem) opposita circa eandem, contingit uerum dicere aliquem, ergo uerum uero contingit oppositum esse: respondet quamuis quandoque possit contingere, opposita circa eadem uera esse, non tamen contingit, idest impossibile tamen est, opposita, & contraria, simul eidem conuenire: ex qua solutione ita cõpleta, ratio deducatur, contraria, siue opposita, et aduersa per se, non contingit simul inesse eidem, sed uerum simul contingit inesse cum uero. ergo uerum, uero oppositum, & aduersum non est, ratio tunc erit in tertio modo secundæ figuræ. hæc de litera secundi libri siue quintæ sectionis dicta sufficiant cum laude dei optimi maximi, Beatæ Virginis & omnium sanctorum, quorum ope literam tam omnibus abstrusam (ut datum est) explicaui.

F I N I S.



HIERONYMI

BALDVINI EXPOSITIO

in lib. Posteriorum analyticorum Aristotelis, & Auerrois commentationem magnam,

à Gometio Pagano Francisc. in lucem edita.



Mnis Doctrina & omnis disciplina intellectiua, fit ex praeexistenti cognitione.



Olemnes Arist. interpretes, grauissimiq; tũ antiqui, cum moderni expositores, inter uaria quæ eiusdem librorum prologus, præhibanda proponunt, diuisionẽ maxime pertractare intendunt; Eamq; principaliter in procemium, & tractatum iuxta Aristot. monimenta tertio libro rhet. cap. 14. fieri exararunt. Alteram uerò partem quæ epilogus appellatur, non studio necessitatis, sed ob facilius, meliusq; mar te concedunt: Quorum uestigiis nos insistentes, librum hunc poster. duas in partes principes secare contendimus, in procemium, scilicet & tractatum. Et quoniã nõ omnibus hunc librum procemium habere hucusq; uisum fuit, propterea non ab re duximus, hanc in præsentiarum mouere quæstionem: An liber poster. particulare procemium habeat. Latinorum quorundam opinio est, è quorum numero Suess. est & asseclæ, quòd nullum partiale procemium habeat: ideq; nonnullis comprobare rationibus nituntur. Quarũ prima hæc est, præsupposito quòd ars & natura nihil frustra facere debent: Tunc sic unus liber unicum debet habere procemium, sed liber poster. & prior. sunt unus liber. ergo unum debent habere procemium. Maior patet ex præsupposito, quoniam si unus liber plura haberet procemia, tunc ars aliquid superfluè, et frustrà ageret. Minor probatur, & primo ex unitate procemii in primo prior. ubi ponitur procemium commune ambobus libris, scilicet post. & prior. ut dicit Auer. in paraph. Secundò ex unitate inscriptionis, ueluti docuit et notatum reliquit Auer. in prologo magno commen. lib. post. quòd ambo libri, scilicet poster. & prior. eodem nomine inscribuntur, scilicet resolutorĳ. Tertiò ex unitate subiecti, In ambobus enim de demonstratione agitur, licet diuersis modis, ueluti docuit nos Auer. in prologo magno cõmen. & sicuti etiam nos ibidem exposuimus. Quarto ex unitate epilogi, ambobus siquidem libris, unũ duntaxat assignauit epilogum ipse Arist. ut patet secundo poste. tex. cõmen. 100. & cap. 26. Quapropter concludunt cum liber. poster. sit unus cum lib. prior. ratione tot unitatum, non oportere, quòd particulare procemium habeat, Secunda eorum ratio talis est, præsupponens, prologum esse illum, in quo nedum intentio ponitur uerum etiam attentio, docilitas, & beneuolentia captantur, ut tertio rhetor. cap. 14. Arist. exarauit. Tunc subsumunt minorem, sed Arist. haudquaquam in principio primo lib. poster. hæc tria captauit, scilicet attentionem, docilitatem, & beneuolentiam, ergo signum euidentissimũ est, quòd liber. poster. particulari procemio caret. Maior est præsupposito clara est. minor etiam ad sensum constat, non enim Arist. in principio poster. uerba proponit, per quæ attentionem, beneuolentiam, docilitatem captet. non igitur libro poster. particulare procemium inesse. Hæ sunt potissimæ rationes, quibus hi utuntur. Sed antequam nostram iuxta Arist. & Auer. mentem, afferamus sententiam, operepretium duximus, eas prius soluendas fore. Primæ eorum rationi breuibus respondemus, quòd concludit de unitate totali, & non partiali. nil enim aliud unitates illæ demonstratiuè concludunt, nisi quòd lib. poster. sit unus unitate totali cum lib. prior. & hoc modo fatemur, quòd liber poster. habet diuersa procemia, unum totale quatenus, scilicet efficitur unus liber totalis cũ lib. prior. & habet etiam aliud procemium partiale quatenus est unus partialis liber particulariter, seiunctus à lib. prio. & hoc asserere nullum est inconueniens. Pro secundæ rationis faciliori enodatione animaduertendum est, quòd procemiũ est duplex, alterum philosophorũ, alterum oratorum. In procemio philosophorum solent aliquando decem, aliquando unum, aliquando plura pro necessitate libri præmitti, ueluti Them. Simplicius, Philoponus, Ammonius, Magentinus, Olympiodorus, Alex. & Auer. obseruarunt. In procemio uerò oratorum (ut Arist. tertio, rhet. cap. 14. ad Theodocten inquit) tria adhoc ut sit perfectum, sufficiunt, scilicet ut captetur auditorum beneuolentia, attentio, & docilitas. Tunc hac habita distinctione, & differentia inter utrunque procemium satisfacere possumus hic respondendo, quòd non est de essentia, & ratione cuiuslibet procemii, quòd semper hæc tria captentur ab auditoribus, beneuolentia, & docilitas, sed tantum (ut diximus) hoc necessariò exigitur in procemio oratorum, cuiusmodi non est istud procemium positũ ab Arist.

in hoc lib. poster. ut paulo post dicemus, & ideo cum non sit procemio oratorum, non mirum, est, si Arist. in principio primo libri poster. haudquaquam attentionem, beneuolentiam, & docilitatem, ab auditoribus captauerit, proposuit nanque Arist. in tali procemio lib. poster. ipsam intentionem (sicuti probabimus paulo post) quæ est conditio essentialiter requisita ad procemium philosophorū. Sed quispiam hanc nostram infringere posset responsionem, probando quòd non tantum in procemio oratorum, sed etiam philosophorum, attentio, beneuolentia, & docilitas captantur, sicuti fecit Arist. in procemio primi libri de anima. Istam obiectionem facile euitare possumus, negando procemium illud primo libro de anima esse philosophicum. Quinimmo dicimus illud esse procemium rhetoricorum: ueluti græcis dicere libitum fuit. cur autem Arist. in scientia demonstrationis rhetoricorum proposuerit procemium: animastici est contemplari, ac scrutari, non autem ad logicum spectat negotium. His igitur enucleatis, & absolutis, reliquū est ut nostram iuxta Arist. & Auer. uota, in medium afferamus sententiā, quæ talis est, quòd liber poster est particulariter seiunctus, a libro prior. habet particulare procemium, idq; uerum esse quamplurimis demonstrabitur rationibus. Quarum prima talis est, illud est procemium libri, in quo inuentio subiecti, & rei docendæ in tractatu proponitur, sed a primo tex. usque ad tex. 10. exclusioè, Arist. inuenit, proponit, & enumerat, subiectum docendum, & rem docendam in libro posteri ergo, à primo tex. usque ad decimum exclusiuè Arist. facit procemium. Maior probatur ex tertio rhetor. cap. de exordio. 14. procemÿ definitione, quòd procemium ex inuentio subiecti, & rei docendæ in tractatu, & confirmatur per Auer. in antepraedicamentis cap. primo ubi inquit, quòd antepraedicamenta quæ se habent ueluti procemium ad prædicamenta, sunt prima pars tractatus & libri, in qua prima parte libri ponūtur, & inueniūtur illa, quæ intendit tractare Arist. in pręgdicamentis; quę sunt secunda pars necessaria tractatus. Pro ipsius minoris probatione clarissima, quædam primitus necessario sunt prælibanda, & memoriæ mandanda. Primum est, quòd artifex rationalis omnia quæcunque inuenit, proponit, & enumerat, docenda, uel agenda ante finem (quæ secundo phys. 29. non sunt nisi instrumenta ad finem) non inuenit, proponit, & enumerat, nisi ex fine præcognito, illum resoluendo, donec inueniat omnia necessaria ad finem tamen si artifex inuenit, quid, quale, uel quantum sit subiectum docendum, non nisi, ex quo, quali, uel quanto fine præcognito, hoc præsuppositum seu prælibandum legito, ac perpendito, aud Arist. tertio Ethi. cap. sexto & septimo metaph. tex. cap. 23. & apud Galenum in Art. medic. cap. primo. Secundū præsuppositum tale est, quòd subiectum seu intentio libri poster. est dinumerare conditiones præmissarum demonstrationis, scilicet simpliciter. pro hoc legito Auer primo poster. cap. 17. prope finem, & cap. 55. & in prologo magno com. & in Epit. logic. ca. de demonst. & alibi. Tertium præsuppositū est illud quòd finis pręmissarum demonstrationis & suarum conditionum est ipsum scire, ipsæ uerò præmissæ sunt ante finem ut instrumentum de quo uis que instrumento loquitur Arist. primo. poster. tex. nono quando dicit, quòd syllogismus cum iis præmissis, & iis conditionibus est instrumentum, quod facit acquirere hunc finem, scilicet ipsum scire: & sine iis conditionibus non esse proprium instrumentum: quia non facit scire. Quartum præsuppositum ex tertio emanans est istud, si tales conditiones, sunt inueniendæ, proponendę, & numerandæ de præmissis demōstrationis, hoc non erit nisi eisdem inuentis, præcognitis, & numeratis ob ipsum finem, qui est scire demonstratiuè his itaque rectè intellectis, minorem ueram esse facile cōstat, nam dictum est in secūdo præsupposito, quòd subiectum libri poster. est dinumerare conditiones & inditia, & proprietates præmissarum demōstrationis simpliciter & illas inuenit, proponit, & enumerat Arist. docendas esse, ut patet expresse primo, poster. tex. nono ubi concludit numerum & inuentionem rerum docendarum ex fine præcognito, qui est ipsum scire ut dictum est in primo prę supposito, & ideo dicit Arist. in principio tex. noni si igitur est scire ut posuimus. ergo cum Arist. à primo tex. usque ad. 10 exclusiue, nil aliud faciat, nisi inueniat, proponat, & numeret ea, quæ sunt docenda in tractatu cōcludēdum est, manifestissime, quòd Arist. proposuit procemiū particulare ipsi libro posterior. quod incipit, a texu primo & terminatur usque ad tex. 10. adeo quòd totum procemium lib. poster. complectur, & terminatur nouem textibus. Secunda quoq; potest erigi ratio demonstratiua, quòd lib. poster. partiale habeat procemiū ex eo quia habet tractatū separatū ab ipso procemio, etiam ratio hæc sumitur ab Arist. tertio rhet. cap. 16 de narratione, ubi dicitur, quòd tractatus seu narratio dicitur illa, in qua artifex incipit tractare distinctè rem inuentam, & subiectū pręcognitum, sed Arist. in tex. 10. incipit tractare distinctè, quæ inuenit, à tex. primo usque ad decimum ergo, à tex. 10. incipit tractatus seu narratio: & per consequens omnes textus præcedentes decimum. faciunt procemiū. Maior patet tertio rhetoric. cap. 16. ut diximus Minor etiam clara est primo posterior. text. 10. ubi manifestissimè appatet, quòd incipit tractare distinctè ea quę fuerunt inuenta, enumerata, & proposita, in procemio, & ideo dicit {Vera quidem igitur oportet esse} Et incipit Arist. distinctè a ueris: quia prius inuenit, & proposuit ipsas præmissas esse ueras ut patet tex. nono quando dixit {necesse est demonstratiuam scientiam ex ueris esse} Hanc rationem unusquisque uerissimam esse comprobauit, per ea quæ dicemus in expositione tex. noni qui est ultimus procemii, & per ea quæ dicentur in tex. 10. à quo tractatus incipit. Et confirmatur ratio utraq; ex Auer. qui primo poster. cap. nono in fine, continuando decimū ad nonum, & ut uerius dicamus, tractatum ad procemium hęc uerba protulit {Et postquam pronunciauit connexū harum conditionum ipsis præmissis, incepit notificare modum nexus harum conditionum ipsis demonstrationis præmissis.} Ex quibus profectò uerbis facillime infertur, quòd si pronunciauit & proposuit, ergo procemium fecit & præmisit, quia hoc est munus procemii ut supra diximus. Amplius si incepit notificare, & distinctè narrare ergo tractatum Arist. fecit, siquidem hoc est munus & officiū ipsius tractatus, ut probauimus. Hin cinferimus aduersus uniuersam ferè latinorum expositorum cohortem, scilicet contra Ægid. Pau. Ven. Apoll. & sequaces, maximè eos, à ueritate remotos esse, siquidem multis modis errarunt. Primo quidem quia non plenam & omnimodam procemii haberunt essentiam & rationem, neque etiam ipsius, iuxta Arist. doctrinam. Secundo errarunt, quia dixerunt tractatū incipere, a tex. septimo (scire autē opinamur &c.) multis etiam aliis modis eos errasse pedesentim ostendemus. sed quis dicere posset, quod Auer. secuti sunt qui in primò posteriorum comm. septimo, dixit, quòd Arist. ibi inchoat notificationem conditionum pręmissarum demonstrationis simpliciter. ergo Arist. incipit tractatū à tex. septimo & ex consequenti Ægid. Pau. et Apoll. et sequaces, haudquaquam errasse dicendū est. Defensionem hanc nullius ualores esse asserimus, siquidem uel defectus est in litera Auer. ob pessimā eius translationem, sicut & in quamplurimis aliis eius locis inuenitur: uel dicendū quòd Auer. falsum dicit in septimo, nam contrarium scripsit in comm. nono ut iam diximus. His igitur adamus sim discussis & determinatis, dicimus pro nostra uera opinione iuxta Arist. & Auer. doctrinā, quòd lib. poster. particulare habeat procemium. Sed operepre-

cium est, anteq̃ ad tex. nosmetipsos conferamus ut ipsius proœmii diuisio pateſiat. Vnde in treis principes partes secamus. Prima pars incipit, à tex. primo usque ad septimũ exclusiue, in qua Arist. ponit illam propositionẽ uniuersalem, omnem doctrinam & omnem disciplinam habere instrumentũ præcognitũ, ex quo fit necessariò, & proprie, quã ampliat et uerificat usq; ad tex. septimũ. Secunda pars est, a tex. septimo usq; ad tex. octauũ inclusiue, in qua Arist. ex definitione ipsius scire, sumit conditiones eius tanquam finis. Tertia pars est tex. nono in qua Aris. ex conditionibus ipsius finis, qui est scire, infert, quę, quales, et quot sint conditiones præmissarũ demonstrationis simpliciter. quæ sunt instrumenta ad ipsum scire, quod est finis & ad subiecta docẽda in hoc libro. Primã partẽ, quæ est, à primo tex. usq; ad septimũ exclusiue, pro faciliori & clariori eius intellectu, adhuc diuidendam esse in treis partes asserimus: Prima eius pars, primo duntaxat textu absoluitur, in qua Aristo. illam propositionem uniuersalem ponit, scilicet omnis doctrina, & omnis disciplina ex præexistenti fit cognitione quam multiplici inductione probat, ut in expositione dicemus: Secunda pars, secũdum tex. includit in qua Aristot. diuersos præcognitionis modus, diuersaq; præcognita assignat, Tertia pars est, à tex. tertio usq; ad septimum exclusiue, in qua Aristo. sua dicta limitando remouet dubia circa ea. Placet etiam nobis antequam ad tex. expositionum accedatur. primum tex. diuidere, in tres partes, ut facilius & distinctius intelligatur intentio Arist. in toto primo tex. In prima parte ponit illam uniuersalẽ propositionem, omnis doctrina, & omnis disciplina ex præexistenti fit cognitione. In secundo parte ibi { Manifestum est autem } manifestat eam duplici inductione, una in scientiis & artibus omnibus: altera uerò instrumentis rationalibus seu logicalibus. prima inductio tangitur ibi { Mathematicæ enim scientiæ } secunda inductio habetur ibi (Similiter autem & circa orationes) ubi tantum de duobus instrumentis logicalibus mẽtionem facit Arist. inducendo in syllogismis, & in ipsa inductione, In tertia demum parte, ibi (similiter autem et rhet.) remouendo dubium complet Arist. secundam inductionẽ in reliquis duobus instrumẽtis logicalibus, scilicet enthymemate. & exẽplo. Quod ad expositionẽ primæ partis huius primi tex. scilicet circa hanc uniuersalem propositionem omnis doctrina, & omnis disciplina ex pręexistenti fit cognitione, aduertendum est, quòd cum totum non possit distinctè cognosci, nisi prius eius partes cognoscantur, ex quibus conficitur, propterea tota hęc propositio, omnis doctrina et omnis disciplina ex præexistenti fit cognitione, haudquaquam rectè & distinctè percipietur, nisi prius eius termini clarè et distinctè declarentur. Non ab re igitur proposuimus, singulos huiusce propositionis terminos declarare. Primus terminus est (doctrina & disciplina) Et aduertendum, quòd dixit omnis doctrina & omnis disciplina; & noluit dicere, omnis notitia, quia notitia complectitur etiã notitiam sensus, seu singularium, quæ haudquaquam ex præexistẽti fit cognitione ut in expositione tex. tertij diffusius dicemus. cũ igitur non omnis notitia ex præexistẽti fiat cognitione, meritò dixit, omnis doctrina & omnis disciplina. Sed dubitabis & pulchrè, nomina synonima non usitari debent in doctrina demonstratiua. teste Auer. primo phys. com. primo & quarto phys. cõ. 129. & primo coeli com. primo sed doctrina & disciplina sunt nomina synonima, idem. n. significant, ut patet, ergo Arist. non debuit uti talibus nominibus synonimis, quia unum, aut alterũ poterat sumere in tali propositione. Respondet Arist. tertio phys. negando quòd sint nomina synonima, sed inquit quòd sunt idem subiecto, & differunt ratione seu habitudine, & dat exemplum Arist. ibidem de actione & passione, quę sunt unus motus subiecto, & duo motus ratione, seu diuersa habitudine; nam quatenus prouenit ab agente & ipsum respicit, talis motus uocatur actio: quatenus uerò recipitur in passo, talis motus dicitur passio. sic in proposito doctrina & disciplina sunt una res subiecto, sunt duæ diuersa ratione & habitudine, nam quatenus est quædã actio proueniens a doctore, doctrinæ nomen sumpsit, sed ut est quædam passio recepta in discipulo, disciplinæ nomen assumpsit. Aliud quoque exemplum attulit Aristo. tertio phys. tex. cõ. 21. Quomodo doctrina et disciplina sint idẽ subiecto. & differãt ratione, quo ẽt usus est philosophus in hoc loco, sicut enim ab Athenis ad Thebas, & a Thebis ad Athenas, una & eadem est uia re, & subiecto, sunt uero secundum diuersas habitudines, ita quoque dicendum de doctrina et disciplina ueluti declarauimus, et si scire cupis utriusque nomenclaturã et ethymologiã, lege Arist. sexto Ethi. cap. quarto ubi inquit, quod illud quod dici potest doctrina uocatur, quod autem docibile, disciplina dicitur, unde ut doctor in dicendo, discipulum docet doctrinæ nomen sumpsit, sic discipulus audiens dictum edoctum a præceptore disciplinæ nomen sortitur, ex quo patet quòd non ab re, sensus auditus, disciplinæ sensus nũcupatur. Sed quare utrunque nomen Arist. connumerare uoluerit, scilicet doctrina. & disciplina simul? Dicendum, multis de causis hoc Arist. egisse. Prima, quia sunt eadem subiecto, ut diximus. Secunda, quia sũt relatiua, sicut doctor & discipulus, & relatiuorum natura expostulant, (ut docuit Arist. in prædicamẽtis cap. de ad aliquid) quòd posito uno, ponatur & alterum, pro hoc etiam facit, quòd dixit Arist. secundo metaph. tex. com. quarto res sicuti sunt, ita cognoscuntur, & cũ doctrina et disciplina simul sint ut exposuimus, ergo oportet ut simul cognoscantur, & propterea utrunque uoluit Arist. connumerare nomẽ, doctrinã, scilicet et disciplinam. Tertia quoq; assignatur causa, ut ueriorem, & uniuersaliorem faceret Arist. propositionem, ne fortassis cauillator diceret, cur uno nomine, & non ambobus usus fuerit Arist. Sed occurrit ex iis quę diximus dubitandi ansa, quia doctrina nõ solum, fit, à doctore per auditum, sed sæpius uisu, & scriptura. Secũdo arguit Lincon. quòd non solum doctrina fit per auditum, à doctore, & per uisum à, scriptura, sed tertio modo & magis intrinsece, scilicet à doctore intrinseco, qui est lumen intellectus agentis. Pro utriusque rationis faciliori solutione, ista notanda sunt. Primum notandum est, quòd Arist. & Aue. secundo poster. ca. ultimo, & tertio de anima. 36. nobis notatum reliquerunt, quòd lumen intellectus agentis continuo, & à, natiuitate, omnium sensuũ sensatione facit nota prima principia communia, et ideo prima intellecta uocantur, & non conclusiones, quarum sunt scientię, doctrinæ et disciplinæ, de quibus loquitur hic Arist. Secundum præsuppositum, quòd scriptura per uisum facit doctrinam, ad supplemẽtũ uocis doctoris, sed doctor per auditum facit doctrinam principaliter. Vnde quæritur, à quo agente principaliter causatur doctrina. Respondendũ est, quod principaliter est, à doctore, uoce, et auditu: secundario uerò, à scriptura, si uisu facit eam in supplementũ uocis. Si ulterius quæras quare doctor est principale agens doctrinæ. Dicendum est, hoc ideo esse, quia per Aristo. nono metaph. tex. cõm. 14. 15. omne quod fit, fit à sibi simili specie in actu, tunc sic, sed scientia in discipulo, fieri dicitur. ergo si fit. ab aliquo simili in specie in actu ipsi discipulo fieri debet, sed illud qđ est simile in specie in actu ipsi discipulo, est ipse doctor; sequitur igitur necessario quòd principale & uerum agens ipsius doctrinæ est doctor. Ex quibus omnibus præsuppositis & prænotatis, patet quid sit respondendum ad primam rationem horum & ad secundam Lincon. Primæ rationi breuibus satisfaciendo dicimus non esse inconueniens asserere, doctrinam fieri, à scriptura per uisum, sed secundario eo modo quo declarauimus in secundo præsupposito. Secundæ rationi Lincon.

facile

facile quoque respondemus negando quod doctrina fiat a doctore intrinseco, quod est lumen intellectus agentis, nam diximus in primo præsupposito, quòd a lumine intellectus agentis solum fiunt nota principia uniuersalia, et hæc dicta sufficiant circa primum terminum. Notandum est Suess. errasse, si quidem illius opinionem secutus est, qui asseruit codicem esse fragmentatum ex eo quia deficit in principio huius primi tex. hæc particula executiua quæ est, igitur, nos dicimus minime illam particulam, igitur, esse necessariam quia in tex. græco non habetur, cum etiã quia Arist. non exorditur hunc lib. poster. immediate, a narratione seu a tractatu sicuti perperam latini fere omnes senserũt sed prius præmisit particulare procemium huic lib. post. ut supra determinauimus ad Arist. & Au. mentem in propria questione. Neque etiam ille terminus omnis, in principio propositionis positus declaratione eget, quando dicitur, (omnis doctrina, & omnis disciplina &c.) nisi in hoc duntaxat occurrit dubitatio, quare ly, omnis, bis ponitur in tali propositione, poterat enim sufficere, semel eum ponere. Ad hoc dici potest, quòd ideo Aristot. bis eum posuit, ut maximam propositionis uniuersalitatem connotaret, utrunque terminum, scilicet, tam doctrinæ, quam disciplinæ confusè distributiue sumendo, si enim semel ly, omnis, sumeretur in tali propositione, tunc ille terminus super quem non caderet ly, omnis, signum uniuersale, confusè tantum supponeret, & sic propositio non esset uniuersalis, omni uniuersalitate ex parte, scilicet, uriusque termini, scilicet, doctrinæ & disciplinæ. Amplius sciendum quod illa coniunctio, & cum non cadat inter propositiones, sed inter terminos, ista propositio, omnis doctrina & omnis disciplina intellectiua, ex præexistenti fit cognitione non dicitur copulatiua, sed de extremo copulato, sicut bene logici norunt. Secundus terminus est ly, {intellectiua} Et animaduertendũ quod in tex. græco sic habetur διανοητική. Quod uerbum aliqui transtulerunt intellectiuam: alii discursiuã, & Auer. in sua paraph. transtulit cogitatiuam, & ex hac uaria translatione, uariæ insurrexerunt expositiones & discrimina inter Arabes, Græcos, & Latinos expositores, & diuersitas harum translationum causatur, a uerbo græco διανοέω quod uaria significat, significat enim cogito, delibero, animaduerto, intelligo, imaginor, & in animo habeo, & nomen ab eo deductum, διάνοια significat, sententiam, intelligentiam ingenium, mentem, sensum, cogitationem, & intellectionem, Nos uero reiectis aliorum opinionibus circa uarias translationes huius termini eum textum legendum esse probamus in quo habetur intellectiua & licet διανοητική ut habetur in tex. græco, dicatur, a uerbo græco διανοέω multiplicia significata habente, tamen magis transferri debet intellectiua, quam discursiua, aut cogitatiua, & ratio esse potest ex ethymologia & compositione eius uerbi quod conficitur ex præpositione græca, διὰ & uerbo græco simplici, νοῶ quod significat intelligere, & considerare, & ab hoc dicitur hoc nomen, νοῦς quod significat mentem, animum, sensum rationalem, & purissimam animæ partem, quæ entia uniuersa contemplatur. habita modo hac declaratione huius compositionis dicitur, quod illa præpositio, διὰ siue significet separationem in tali compositione, siue significet maiorem emphasim, potius transferri debet intellectiua, quam discursiua, quoniam intentio Arist. in tali propositione (omnis doctrina & omnis disciplina &c.) est facere & declarare eã esse uniuersalissimam (ut supradiximus) & ob id etiam bis posuit ly, omnis, in tali propositione: sed esse intellectiuũ est uniuersalius. quam esse discursiuum, ergo potius transferri debet, intellectiua, & probatur hoc quoniam sub esse intellectiuo, tres comprehenduntur operationes intellectus, ut Græci & Latini asserunt: sed sub esse discursiuo tertia duntaxat intellectus operatio continetur, quæ, à latinis discursus nuncupatur, sequitur ergo quod esse intellectiuum uniuersalius sit, quã esse discursiuum, & consequenti potius intellectiua debet poni in tex. quam discursiua. Sed dubitabis, quod debet transferri discursiua, & non intellectiua ex auctoritate Them. qui in secundo lib. de memoria, & reminiscentia com. 14. hæc uerba protulit, declarando quid sit, διάνοια (sanè meritò, nihil enim est aliud intelligentia quæ διάνοια, dicitur. quam cum imaginatione actio intellectus coniuncta,) ex quibus Them. uerbis clarissime colligitur, quod debet poni discursiua, quoniã actio intellectus coniuncta cum sensibus, est discursiua, sed secundum Themist. διάνοια, est actio intellectus coniuncta sensibus, ergo est discursiua, & ex consequenti debet exponi discursiua, & non intellectiua: Maior probatur, quia tunc intellectus discurrit quando est sensibus coniunctus, ut patet per Aristot. minor est Themi. ut diximus. Hanc obiectionem facile euitare possumus, negando Themist. aut eius dicta glossando, quòd ipse intellexit in tali autoritate de ea intellectus actione, seu operatione, quæ discursus dicitur, nos uerò intelligimus de qualibet intellectus operatione. & sic a nobis διάνοια consideratur, quatenus est principium omnium eius operationum & non tertiæ operationis, quæ quidem discursus nuncupatur, & propterid concludimus, quod intellectiua & nõ discursiua poni debet in tex quicquid dicat Aue. nam sole clarius eum errasse ostendemus in commen. expositione, nedum sibi ipsi contradicere, sed & Ari. aduersari demonstrabimus. Adhuc dubitabis si poni debet in tex. intellectiua, & non discursiua, an excludatur doctrina & disciplina discursiua, Diximus quod non excluditur doctrina & disciplina discursiua, quia intellectiua comprehendit ẽt discursiuam operationem, quæ est tertia intellectus operatio, ut sæpe diximus, sed nos nolumus poni in tex. discursiua, seu cogitatiua ut Auer. & The. uoluerunt, quia tunc propositio Ari. non esset communis omni operationi intellectus, nam sicuti inferius in expositione com. dicemus aduersus Aue. tuendo Alph. opinionem, hæc propositio omnis doctrina & omnis disciplina ex præexistenti fit cognitione est communis triplici operationi intellectus, scilicet demonstrationi quo ad tertiam operationem intellectus, quæ, a latinis discursus dicitur, & primis principiis quæ sunt propria uni arti, quo ad secundam intellectus operationem, quæ, a latinis compositio uel diuisio nuncupatur, & demum definitioni, quæ cũ non dicat esse, aut non esse, in prima intellectus operatione consistit, hæc omnia uberrime enucleabuntur in com. expositione, in proprio loco aduersus Auer. nunc sat sit peripateticã obsecusse ueritatem breuiter annotando quod tres sunt species ipsius intellectiuæ de discursiua uero ita asserimus quod tot species sub se claudit quot ipse discursus. i. ipsa argumentatio cuius profecto quatuor sunt species syllogismus inductio. exemplum, & enthymema, quarum specierum meminit Ari. in hoc pri. tex. Et aduertendum quod licet hæ quatuor argumentationis species, uerè & propriè dicantur doctrinæ dianoeticæ. i. discursiuæ, (uelut Boethius notatũ reliquit) tamen non propter hoc negandum est quod doctrina definitionis, & primorũ principiorũ non dicatur ẽt dianoetica. i. intellectiua, eo modo quo supra exposuimus. Amplius notandum est quod licet Philop. in tex. suo ponat intellectiuam et nõ discursiuam, tamen non intelligit ipse per intellectiuã eo modo quo exposuimus, ut intellectiua sub se comprehendit omnes eius operationes, sed potius uidetur intelligere in re ipsam discursiuã operationem quæ tantum quatuor argumentationis species claudit, & sic Philop. expositio circa illam particulam in re & in sententia conuenire uidetur cum Them. & Auer. opinione. licet uerbis differat, nã idem intelligit per intellectiuam, & discursiuam, quare eodem modo arguendus uenit, sicuti Them. & Auerroes. Suess. duas assignat rationes, quare debet poni discursiua

prim. ut omnem discursus speciem complecteretur, syllogismũ inductionem, enthymema & exemplum, secunda est ut excluderet doctrinã definitionis, quæ cũ non habeatur per discursum, non ex fit præexistenti cognitione. Sed utraque eius ratio, falsa est, Prima ratio seu causa assignata (in qua dicit quod ideo debet poni discursiua, ut uniuersalius esset ꝙ dicit Ar. oẽm discursus speciem amplectendo) est contra ipsum Sues. quoniam per eandem rationem, debet poni intellectiua, & non discursiua, quoniam intellectiuum plura continet quã discursiuum (ut, supra probauimus) ergo intellectiua debet poni in tex. & non discursiua Secundã quoq; eius causam, falsam esse asserimus, quoniã non tantũ demonstrationi sed definitioni, & primis principiis propriis uni arti talis propositio Arist. conuenit, ut optimè supra declarauimus, & diffusius in com. expositione dicemus, & sic Sues. simul cum Auer. errare uidetur dicẽs quod non sit sermo de definitione. Quamobrem dicendũ est quod intellectiua debet legi in textu & merito Ari. adiecit uerbum illud, intellectiua, ut distingueret contra sensitiuam cognitionem, quæ non fit ex præexistenti cognitione, ut dicemus in expositione tertii tex. Ex hoc etiam apparent Lincon. & Apollin. errores, dicentium quòd debet poni discursiua, propter ipsa prima principia, quorum notitia non habetur per discursum & etiã eorum notitia nõ dici debet doctrina, & disciplina sed nos diximus supra, ꝙ licet non sit doctrina disciplina. per discursum de ipsis primi principiis, tamen de eis habetur doctrina & disciplina intellectiua: Tertius terminus declarandus est, ly {fit} Et multis in modis particula ista uenit exponenda, primo modo dixit sic Ari. ut denotet hoc esse dum est in acquiri, nam re acquisita, non amplius indigemus præcognitionibus, secundo modo, ut excluderet Ari. opinionẽ, Platonis, qui uoluit nostrũ scire non esse de nouo, sed esse quoddam reminisci, & Ari. potius uoluit dicere, fit & non est, quoniam septimo politic. cap. septimo fieri propriè, est de nouo aliquid esse, quod prius non erat, & quia loquitur Ari. de doctrina, quæ de nouo fit, à doctore, propterea dixit, fit. Tertio modo dixit, fit, ad differentiam notitiæ primorũ principiorũ quæ notitia, cũ sit nobis naturaliter congenita ab ineunte ætate, nõ dicitur fieri, sed est, sicut optimè Au. primo post com. 134 & ca. 33. & aduertendũ quòd Auer. loquitur ibi de illis principiis uniuersalibus, quæ solo lumine intellectus agentis ex communi omnium sensuum sensatione fiunt nobis nota, & dicit ibi Auer. quòd cum talia principia insint nobis ab ineunte ætate, non reminiscimur quando nobis aduenerint & neque quomodo aduenerint, quapropter eorum notitia non dicitur fieri, cum de nouo non insit nobis; & aduertito ne hallucineris, quoniam aliud est loqui de principiis uniuersalibus nobis notis et naturaliter congenitis à natiuitate ex cõmuni omniũ sensuũ sensatione, & aliud est loqui de principiis primis, & propriis uni arti: distinctio est Auer. primo post. com. 134. & hac distinctione habita, dicimus quòd licet notitia principiorũ primo modo sumptorum non dicatur fieri, tamen notitia principiorũ propriorũ uni arti, bene dicitur fieri, & de eis doctrina & disciplina fit ex præexistẽti cognitione ueluti sæpius exarauimus. Quartus terminus est ly, {Ex} Qui multifariam sumitur ab Ar. quinto metap. tex. com. 29. & ut facilius & distinctius habeatur eius distinctio, dicendum est quòd duobus modis sumi debet, uno modo propriè, & sic significat quodlibet fere genus causæ, & dicit Auer. in commen. 29. quòd famosior ex significationibus particulæ, ex, est quando aliquid dicitur esse ex aliquo tanquã ex materia, & Arist. in tex. de utraque materia exemplicat, scilicet remota & propinqua, de materia remota ut omnia liquefactibilia fiunt ex aqua: de propinqua, seu proxima ut domus fit ex lapidibus, & statua fit ex ære alia exempla legito apud Arist. ibi quæ breuitati studentes, prætermisimus: Alio modo sumitur ly, ex, impropriè & transumptiuè, & sic significat idem quod post, & sic dicimus, quòd dies fit ex nocte, & habitus ex priuatione, idest per noctẽ sequitur dies, & post priuationẽ sequitur habitus, & hoc etiam modo intelligitur in primo ph. quod album fit ex nigro, & hoc modo dicimus etiã quod significat ordinem, & habitudinem termini, a quo capitur etiam pro causa instrumentali, quæ reducitur ad causam efficientem: Tunc hac habita distinctione, dicimus, quod ly, ex, uno modo potest sumi in tali propositione Arist. ut dicit, post: & erit sensus, quod post præcognitiones aliquas sequitur doctrina & disciplina. Potest etiam sumi ut dicit causam materialem, quia præmissæ sunt causa materialis cõclusionis & syllogismi ut patet quinto metaph. & sic patet error Lincon, & Pau. Ven. dicentium præmissas esse causas efficientes, & alius notatur error Pau. Ven. in hoc loco dicentis, quòd ly, ex, non potest sumi ut dicit causam materialem: Potest etiam sumi. ly ex, ut dicit causam formalem, considerando medium terminum demonstrationis potissimę qui est tantum causa formalis ueluti diffusius dicemus, in proprio quæsito de medio demonstrationis potissimę. potest etiã sumi pro causa instrumentali, quæ reducitur ad causam agentem, quæ est duplex præcognitio agens & dirigens, de qua duplici prę cognitione paulopost dicemus: Quintus terminus est} prę existens cognitio} circa quem terminum uarii sunt exponendi modi: Quorum unus est Themistii, dicentis, quod cognitio pręexistens est quid nominis rei docendæ, & aduertendum quod hanc suam opinionem explicauit The. in princ. cap. primi post. quando dixit (quicunq; ad aliquã intellectualẽ doctrinã aut disciplinam accedũt, necesse est principia quædam naturalia teneant, per quæ aliquid de iis, quorum amplexuri scientiam sunt, prænoscant, &c.) & tandem concludit ex multis suis exemplis ibidem ab ipso assignatis quòd cognitio præexistens in omni intellectuali doctrina & disciplina est quid nominis rei docẽdę. Sed multifariam The. errasse dicimus. primum errat, quoniam regulam Ar. non est sequutus, qui dixit pri. cęli tex. comm. 110. quòd omne æquiuocum prius distinguendum est, sed præcognitio est multiplex, scilicet agens & dirigens, ergo debebat distinguere antequam determinaret. secundo errat, quia est contra Arist. assignantem ui secundo te. ut uidebimus, duas præcognitiones, scilicet quid nominis, & quia est, ipse uerò Themi. unã tantũ assignat, scilicet, qd nominis, ergo maxime errauit. Tertio errauit quia credidit pręcognitũ quid nominis, esse principiũ naturale quod falsissimũ esse probatur per Arist. in primo periherm. ca. secundo. Et quarto ubi dicitur ꝙ nomina ad placitum significant, & à uoluntate, & non a natura, ergo pręcognitio quid nominis non est principium naturale id est naturaliter acquisitum. Alex. Aphrodiseus (ut refert Phi.) per cognitionem pręexistentem intelligit inuentionem, adeo quod uult ipse, quod Arist. sic dicat, omnis doctrina & omnis disciplina discursiua fit ex præexistenti cognitione, idest inuentione. Sed quòd Alex. errauerit ex moltis patet, ueluti in eum obiicere Philop. uidetur, tum quia esset processus in infinitum, nam inuentio cum doctrina, fit ex præexistenti cognitione, idest inuentione secundum Alexandrum & tunc quære de illa inuentione, an fiat ex præexistenti inuentione, & sic inuentio fieret ex inuentione, & sic abiremus in infinitum: cum etiam quia Aristot. sub illa uniuersali propositione, uoluit sic dicere, quod omne illud, quod discitur ab homine fit ex præexistenti cognitione & complexus fuit Arist. omnem discendi modum, etiam per inuentionem, nam ipsa inuentio, fit ex præexistenti cognitione sensitiua. Suessanus asserit hunc in modum defendi posse Alex. quod locutus est de doctrina, & disciplina quę tantum fit in discipulo per auditũ, & talis doctrina quæ est in discipulo, fit ex pręexistẽti inuentione Sedquam sit erronea huiusmodi Suess. defensio

ſio de ſe patet, quoniam Ariſt. ideo uſus eſt iis duobus nominibus. ſcilicet doctrina & diſciplina, ut omnem diſcendi modum complecteretur, ut diximus ſupra in primi termini expoſitione, per doctrinam intellexit eum habitum intellectus, qui eſt in doctore, ſeu docente, & per diſciplinam, eum habitum intellexit qui in diſcipulo recipitur, ſi utrunq; habitum & doctoris & diſcipuli intellexit Ariſt. in tex. quo igitur uerum eſſe poterit, quod dicit ipſe Sueſſ. defendens Alexandrum? Philop. uerò quē ſequitur Sueſſ. per cognitionem intelligit cognitionem ſimpliciter quæcunque ſit illa, & non eam ſpeciatim declarat quid ſit. Iſta quoq; opinio falſa eſt, quia docuit Ariſt. primo cœli tex. 110. & hoc idem confirmauit Auer. quarto metaphyſi. & ſecundo de anima comm. tertio & tertio de anima cōmē. 30. quòd non eſt rectum uti in doctrina demōſtratiua nominibus æquiuocis, & multiplicia ſignificata habētibus, ſed cognitio ſimpliciter dicta eſt nomen multiplicia ſignificans: (ueluti etiam aduerſus Themiſt. diximus) ergo Ariſt. per præexiſtentem cognitionem non intellexit cognitionem ſimpliciter, quæcunque illa fuerit. Amplius falſum eſt quod Ariſt. per cognitionem intelligat cognitionem omnem quæcunque illa fuerit quoniam Ariſt. 10 tex. ſecundo ſpecificauit & determinauit, de qua cognitione ſeu præcognitione loquatur. ergo Philo. erraſſe concludimus. Latini ferè omnes per cognitionem præexiſtentem, ſenſitiuam cognitionem intellexerunt, ita quòd ſenſus propoſitionis Ariſt. talis eſt ſecūdum eos, omnis doctrina, et omnis diſciplina intellectiua fit ex præexiſtenti cognitione ſenſitiua, & hoc ſic aſtruere nituntur quia ſecūdū Ariſ. nihil eſt in intellectu, quin prius fuerit ſub ſenſu, ut patet lib. de ſenſu & ſenſibili & tertio de anima tex. cōm. 39 oportet intelligentem phantaſmata ſpeculari, & primo de anima tex. cōm. 11. intelligere aut eſt phantaſia aut nō ſine phantaſia, & alibi, omnis noſtra cognitio ortum habet à ſenſu, & multis aliis in locis hoc idem confirmauit; ergo per præexiſtentem cognitionem debet intelligi cognitio ſenſitiua. Et licet uerum ſit, ſenſitiuam cognitionē neceſſario præcedere doctrinam intellectiuam et ſimiliter diſciplinam intellectiuam, ueluti Ariſt. multis in locis exarauit, tamen latinos defeciſſe dicimus, quia non aſſignarunt propinquam & proximam præcognitionem ex qua fit doctrina & diſciplina, ipſa namq; ſenſitiua cognitio, nō omnium eorum quorū habetur doctrina & diſciplina, eſt cognitio præexiſtens, proxima, propinqua, & immediata, aliquorum. n. eſt immediata & proxima, ut partiū, et ſimplicium terminorum, circa quos prima eſt intellectus operatio, aliquorum uerò eſt mediata & remota, ut complexorum. circa quæ ſecunda & tertia ſunt operationes intellectus. Et ad autoritates, quibus eorum fulciunt opinionem, dicimus eas omnes eſſe ueras, ſed quod non cogunt nos aſſerere, quòd ſenſitiua cognitio ſit mediata, & proxima, præexiſtens cognitio ad omnem doctrinam & diſciplinam de qua ſermo habetur. Ideo pro uera expoſitione iuxta Auer. & Ariſt. autes prius diuidendum eſt hoc nomen, cognitio, ex regula, Ariſt. primo cęli tex. commē. 110. quòd omne multiplex prius diſtinguendum eſt, ſed cognitio eſt multiplex, nam dixit Auer. in epit. logi. in tractatu de rethorica demonſtratiua, in principio, quòd præcognitio neceſſario præcedens utramque doctrinam, definitiuam & demonſtratiuā oportet quòd ſit duarum ſpecierum, una dicitur præcognitio agens, & alia dicitur præcognitio dirigens, & ideo dicitur præcognitio dirigens, non quia dirigit nos immediate ad doctrinam, ſed mediate quia dirigit nos ad quæſitum, ut ſciamus quærere illud de quo quærenda & habenda eſt doctrina, ſiquidem quæſita ſemper ſunt cōtraria, quorum unum ſemper uerum, reliquum uerò ſemper falſum, & ex tali præcognitione dirigente nos dirigimur ut ſemper determinamus partem ueram docendam, excluſa parte falſa. patet igitur ethymologia & nomenclatura, huiuſmodi, præcognitio cur dicatur dirigens. Alia præcognitio agens nuncupatur quia ipſius quæſiti notitiā agit. Et aduertito ſicuti Auer. monuit ibidem, & in epit. logic. in principio & commen. primo & ſecūdo huius poſter. innuere uidetur, quòd quāuis utraque doctrina, ſcilicet definitiua & demonſtratiua utranque habeat præcognitionem dirigentem & agentē non propter hoc tamen credendum eſt, quòd ipſa duplex præcognitio eodem modo reperiatur in utraque doctrina, definitiua & demonſtratiua: nam ſicuti doctrina definitiua differt a doctrina demōſtratiua, ita præcognitio definitiuæ doctrinæ differt a præcognitione demonſtratiuæ doctrinæ. definitiua igitur doctrina duplicem hanc præcognitionis ſpeciem habet, præcognitio dirigens definitionis, eſt præcognitio quid nominis definiti, et exiſtētia ſua, ideſt quia eſt, nam habito quid nominis definiti, cū eius exiſtentia, ſtatim dirigimur, ut ſciamus quærere quidditatem ſeu definitionem rei, exemplum, pręcognito quid nominis Dei, cum eius exiſtentia ſtatim dirigimur ut ſciamus quærere quidditatem & definitionem Dei, et de hac præcognitione uoluit intelligere Them. primo poſter. cap. ſecundo quando dixit, quòd ſine hac prænotione fruſtra quis fert aduus ad ſcolas: de hac etiam intellexit ipſe Themiſt. in ſecundo poſteriorum cap. 9. quando dixit quòd eſt caput principium & origo omnis agnitionis, præcognitio uerò agens definitionis, eſt præcognitio partium definitionis, ſcilicet generis & differentiæ, præcognitæ enim ſtatim & illico agunt notitiā definitiuam, pręcognitio namque animalis & rationalis agens, dicitur notitia quidditatis ipſius hominis. Doctrina quoque demōſtratiua hanc duplicem præcognitionis ſpeciem habet, dirigentem ſcilicet & agentem, dirigens eſt exiſtentia & quid nominis ſubiecti, & quid nominis paſſionis, & dicitur dirigens talis præcognitio, quia præcognitis ſubiecto & paſſione, illico dirigimur per artem, ad ſeparandum partem ueram, a falſa, & ſolus uerę quęrere doctrinam: exemplum, quærimus an cœlum ſit æternum, uel mortale, nam ignoramus quam partem ſectari debemus ſed per has præcognitiones artificiales ſtatim dirigimur, ut præcognitis eſſe & quid nominis cœli, quod eſt ſubiectum. & præcognitio quid nominis mortalis, uel æterni quod eſt quæſitum prædicatum, ſciamus ſeparare partem ueram à falſa, ſcilicet quærere ſolum cœlum æternum & eſt uerum hoc, omittendo falſum quod eſt mortale. Habet inſuper demonſtratio præcognitionem agentem, quæ eſt præcognitio præmiſſarum, & maximè ipſius maioris, quæ (ut ait Auer. in epito. logic. tract. de rethorica demonſtratiua)eſt potentia concluſio, & notato quòd Auer. primo poſterio. cōm. 9. hoc uoluit dicere, quando dixit, quòd demonſtrationis præmiſſæ faciunt nos adipiſci ſcientiam, quatenus, ſ. præmiſſæ ſunt præcognitio agens, hoc etiam innuit in com. 8. Sed dubitabis & optime, quid eſt præcognitio dirigens in communi, & nō quatenus conſideratur in doctrina definitiua & demonſtratiua, quoniam abundè iam dictum eſt de pręcognitione dirigente definitionis & demonſtrationis? Reſpondendum eſt, quod eſt pręcognitio quid nominis, & quia eſt cuiuslibet rei docendę & addiſcendę, & ex hac reſponſione colligitur, quod duæ ſunt ſpecies præcognitionis, dirigentis, una dicitur quid nominis, & alia dicitur quia eſt, de quibus ſpeciebus dixit Ariſt. tex. ſecundo ut uidebimus ibi (dupliciter autem eſt neceſſarium præcognoſcere) Et ad hue inſtare poſſes dubitando cur iſtæ duæ ſpecies præcognitionis de quibus loquitur Ariſto. tex. ſecundo potius dicuntur dirigentes, quam agētes? Dicimus ad hoc, quod ideo potius dici debent dirigentes & non agentes, quia ſecundo phyſ. cap. de cauſis habetur, quod tunc cauſa dicitur agens, quando ea poſita in actu effectus ponitur in actu hoc enim eſt de ratione cauſæ agentis, ſed præcogni

tio quid nominis, & praecognitio quia est, in actu sumptae, non faciunt doctrinam in actu de illa re, quae quaeritur, ergo non praesentis dicuntur agentes, sed dirigentes, quia dirigunt nos ad quaesitum doctrinae eo modo quo supra declarauimus in exemplis circa praecognitionem dirigentem, tam in doctrina definitiua quam demonstratiua. Posses etiam quaerere, quid est praecognitio agens in communi, nam dictum est quid est praecognitio dirigens in communi, non ab re igitur quaeri debet, quid sit praecognitio agens simpliciter. Dicitur quòd est praecognitio partium, & quia partes sunt bifariam, scilicet partes definitionis ut genus & differentia, & partes demonstrationis ut pręmissae, ideo dicendum est, quòd praecognitio agens est duplex scilicet praecognitio agens definitionis & praecognitio agens demonstrationis ueluti supra exemplificauimus. Si scire cupis causam quare talis praecognitio partium, potius agens, quam dirigens dicatur. tam facilis & clara est responsio, per ea quae supra diximus, quòd illud dicitur agens quo posito in actu, ponitur effectus in actu, ut patet secundo phys. sed posita praecognitione partiũ in actu, tam definitionis, quam demonstrationis ponitur etiam in actu doctrina, utriusque, demonstrationis, scilicet & definitionis, ergo merito talis pręcognitio partium debet dici agens & non dirigens, & Auer. in commen. nono et octauo explicauit, quòd praecognitio praemissarum agit scientiam conclusionis, similiter de partibus definitionis dicendum. Et si ulterius interrogabis, quae istarum duarum specierum praecognitionis agentis, scilicet & dirigentis est prior. Per ea quae dicta sunt, facile responderi posset, quòd praecognitio dirigens prior est quam praecognitio agens, nam praecognitio agens praesupponit praecognitionem dirigentem, prius enim dirigimur per praecognitionem quid nominis, & quia est, & postea definitionis, aut demonstrationis doctrinam habemus, patet igitur praecognitionem dirigentẽ praecedere praecognitionẽ agentem, & hoc est in causa quare Arist. in tex. secundo primitus de praecognitionibus dirigentibus sermonem fecit deinde uerò de praemissarũ demonstrationis simpliciter loquens agentẽ praecognitionẽ innuit, & fortasse dici posset quòd ideo pręcognitio dirigens praecedere debet pręcognitionem agentem, quia uniuersalior ea est, at uniuersaliora primo phys. tex. commen. quarto, priora sunt, pręcognitio uerò agens non ita uniuersalior esse uidetur: ex quibus omnibus manifestũ est, ꝙ per praeexistentem cognitionẽ intelligit duplicem praecognitionis speciem, dirigentem & agentem, in utraq; doctrina, definitiua & demõstratiua, sicuti superius uberrime declarauimus, & scias quòd haec declaratio de hac duplici praecognitionis specie, deseruiet pro uera & faciliori intelligentia tex. secundi & commen. et pro intelligentia uerborum Auer. in commen. primo unde nõ oportebit hanc eandem praecognitionis declarationẽ ita diffuse exarare, & toties repetere. Superest modo ex declaratione habita omnium terminorum positorum in ista propositione uniuersali (omnis doctrina, & omnis disciplina intellectiua, fit ex praeexistenti cognitione,) uerum aperire sensum totius propositionis qui talis est, omne quod potest docere doctor & discipulus per sensum auditus discere, illud necessariò ex aliqua praeexistente cognitione fieri dicitur. Sed pulcherrima & scitu dignissima dubitatio occurrit, ad finem quem posuit Arist. in principio huius primi libri posteriorum hanc uniuersalem propositionem omnis doctrina & omnis disciplina intellectiua fit ex praeexistenti cognitione. Huic dubitationi uariae assignantur responsiones. Quarum prima Ægid. Pau. Ven. Apollinaris & sequacium, quod ideo Arist. posuit hac propositionem uniuersalem. ut probaret ipsum scire esse, contra antiquos negantes ipsum scire, negauit enim scientiam Heraclitus & sequaces: cuius etiam opinionis fuerunt Academici, qui omnes uoluerunt, quòd nihil contingit scire ueluti retulit Arist. quarto metaphysic. tex. commen. nono, Dicunt alii quòd Aristo. posuit istam propositionem, ad excludendam opinionem Platonis, dicentis non dari scire, de nouo, Huius etiam opinionis uidetur esse diuus Thomas. quando dixit, quòd ad ostendendam necessitatem syllogismi demonstratiui posuit Aristo. quòd cognitio in nobis, acquiritur ex aliqua cognitione praeexistente, & ferè omnes latini uidentur eandem responsionem assignare, diuersis tantum uerbis. Sed istorum responsionem falsam esse multis rationibus comprobamus. Prima ratio demonstratiua est ad per se nota & concessa, non extenditur demonstratio, ut patet secundo post. tex. commen. primo, & primo post. secundo, sed ipsum scire esse, est per se notum, & concessum in logica, scilicet in libro posteriorum, ergo Aristo. non demonstrat ipsum scire esse in hoc libro contra negantes ipsum. Secunda ratio ad eosdem. dixit Auer. in quarto metaphysic. commen. primo quòd disputare contra negantes primas propositiones, & contra destruentes scire, spectat ad metaphysicum, hoc dixit tertio cęli in commen. quarto, ergo Aristo. non disputat in hoc libro posteriorum probando dari ipsum scire contra antiquos, ueluti autumnarunt. Tertia ratio demonstratiua contra eosdem talis est: sicuti est in natura ita debet esse in arte, sed in natura nihil est ociosum & frustra, ergo similiter debet esse in arte, probatur maior per Aristotelẽ quarto metheor. capitulo 28. ars imitatur naturam in quantum potest: & colligitur idem ex secundo phys. 23. 24. & primo posteriorum commen. 4 t. 56. & secundo posteriorum commen. 94. & quaesito quarto posteriorum ubi dicitur, quod tunc artes & scientiae sunt uerae cum insequuntur modum naturae, et propterea Auer. arguit Gal. in primo priorum falsò ponentem quartam figuram, quia non insequitur modum naturae talis quarta figura. probatur nunc minor per Aristo. primo coeli tex. commen. 32. & secundo coeli tex. commen. 50. 49. & commen. 61 & tertio de anima. 45. & secundo physic. 45. quamobrem similiter debet esse in arte. tunc sic, sed Aristot. quarto metaphysic. à tex. secundo usque ad finem quasi, probauit ipsum scire esse contra Herach. ergo si probauit ibi, non est uerum quòd probet in hoc libro quoniam fuisset nugax inutilem faciens repetitionem in arte sua, quod est absonum dicere. quapropter latinos errasse asserimus. Neque Suess. responsio nobis satisfacit, cum dicit. Arist. non probare scire esse in libro posteriorum sed tantum eum defendere, repugnat enim haec responsio Auerroi, in quarto metaphysi. commen. primo ubi dicit, quòd disputare contra negantes scire non spectat ad logicum, sed ad metaphysicum ergo si disputare de ipso scire non spectat ad logicum, tunc neque ad eum spectabit defendere ipsum scire, quoniam defensio praesupponit disputationem, ut omnibus patet. Constat. ergo, cur Arist. incępit ab uniuersali ea propositione, nempe ut suum sectaretur morem, ab uniuersalioribus in librorum initiis ferè semper inchoare, & multi ex nostratibus acceperunt hoc, à Philopono: et quòd iste fuerit mos Arist. clarũ est, nã primo meta. in procemio uniuersaliter incipiendo dixit. (omnes homines natura scire desiderant) ubi sciẽdũ ꝙ rectius dicitur cognoscere quàm scire. ueluti in textu graeco habetur: & in procemio primi phys. dixit. (Quoniam quidem intelligere, & scire contingit circa omnes scientias, ex principiorum cognitione,) hoc idem in libro ethic. in principio inquit, (omnis ars, omnisq; doctrina, similiter autem et actus electio bonum quoddã appetere uidẽtur:) ab uniuersaliori similiter propositione uoluit Arist. exordiri hunc librum posteriorum, ut suum seruaret morem. Sed isti hallucinantur non enim nostra intentio est quaerere, quare Arist. incepit hunc librũ, ab hac propositione uniuersa-

uersaliori, sed quærimus propter quem finem posuit istam propositionem uniuersalem: & sic quod dicunt ipsi est uerum, sed non respondent ad propositum, aliud est enim quærere, quare Arist. incepit ab hac uniuersali propositione, & hoc non quærimus nos scire: & aliud est quærere, propter quem finem ponitur huiusmodi propositio uniuersalis ab Aristotele: Quapropter reiectis hisce omnibus responsionibus, pro ueritate dicendum est, quod ideo posuit Aristo. hanc uniuersalem propositionem, ut probaret hanc particularem scilicet doctrinam demonstratiuam, et doctrinam definitiuam, ex prænotione partium & præmissarum fieri, quas uult docere in hoc libro & dicat Auer. quicquid ei libuerit. Sed pro complemento & maiori elucidatione huiusmodi propositionis uniuersalis, quam modo exposuimus, quamplurimas dubitationes scitu dignissimas, antequam ad alteram huius primi textus partē accedamus prius soluendas fore autumauimus. Quarum prima hæc est, an in ista uniuersali propositione contineantur prima principia, idest utrum prima principia fiant ex præexistenti cognitione? Pro qua profectò pulcherrima dubitatione (omissis aliorum responsionibus) antequam ad clarissimum & distinctissimum dissolutionis nodum deueniamus, prælibanda quædam prius sunt: Primum est, quòd præmissæ seu principia sunt duplicia: quædam acquiruntur inductione, quædam uerò insunt nobis a natiuitate, sola substantia intellectus agentis: ex communi scilicet omnium sensuum sensatione, s. ex communi omnium sensibilium terminorum sensatione, distinctio hæc est Auer. primo poster. comm. 134. & Arist. ibidem com. 33. & secundo poster. cap. penultimo: & multis aliis in locis, & ut colligitur ex comment. 134. multiplici discrimine differunt ista duo principiorum genera: principia primo modo habent terminos sensatos uno sensu, principia secundo modo habent terminos omni sensu sensatos, cum sint sensibilia communia. Illa inductione manifestantur hæc sola terminorum expositione. illa in tempore nobis acquiruntur, hæc ab ineunte ætate nobis insunt. nescimus enim quomodo & quādo nobis aduenerint, unde antiqui errauerunt, dicentes huiusmodi principia non acquiri sed nasci, quæ profectò Auer. tertio de anima comment. 36. & alibi, uocauit prima intelligibilia, quia, à natiuitate nulla notitia præcedente acquiruntur. Secundo illa duo principiorum genere, quoniam principia primo modo dicta dicantur principia unius artis tantum, & in usum eius tantum ueniunt: principia uero secundo modo dicta, sunt & uocantur principia communia, quia communiter omnes artes eis utuntur, & huiusmodi sunt metaphysica, & mathematica, & assignatur exemplum de principio mathematico, ut omne totum est maius sua parte, & exemplum in metaphysica ut de quolibet dicitur esse uel non esse: stantibus hisce differentiis inter hæc duo principiorum genera, facilis est responsio ad dubitationem, quod in propositione uniuersali Aristo. solum continentur principia primo modo dicta, scilicet quæ inductione probantur, & sunt propria uni arti, & hoc probatur per Auer. primo poster. cap. 33. commen. 134. ubi dicit quod tales præmissæ probantur inductione. quæ inductio ex prænotis singularibus facit doctrinam, & loquitur ibi de principiis propriis uni arti, & non communibus, quia ibidem dicit Ar. talia, scilicet principia cōmunia non addiscet, nec probari, sed sola substantia intellectus ex communi sensibilium sensatione inesse nobis, ut patet tertio de anima commen. 36. Vnde obiurgandus uenit Auer. qui in sexto ethic. ca. quarto exponens dictum Arist. quomodo principia fiant, et discantur ex prænotis, dixit hoc ex sola terminorum & uocabulorum significatione, seu expositione. Sed multos in errores Auer. prolapsum esse ostendimus, primo errauit, quia contradixit Arist. ut patet sexto Ethic. cap. quarto ubi dixit Arist. (ut diximus in resolutum) sed in resolutiuis inductione ex prænotis singularibus notificauit sic enim inductio notificat ut patet secundo prior. comment. 23. ergo non sola uocabulorum significatione prima principia propria uni arti notificantur, ut uult somniauit Aue. Præterea sola terminorum expositione cognoscuntur principia communia, & non propria uni arti, ut infra declarabimus, ergo errauit. Amplius pro secunda conclusione dicimus quod principia secundo modo dicta, scilicet principia communia non fiunt ex præexistenti cognitione. & sic non includuntur in propositione uniuersali Ari. & probatur per ipsum Arist. in primo posteriorum tex. commēto secundo, ubi hoc principium commune, de quolibet dicitur esse, uel non esse, uocauit præcognitionem & non dixit illud principium fieri ex præcognitione, neq; dixit eum esse doctrinam, sed esse præcognitionem ex qua fit doctrina, Præterea quod non fiant ex præexistenti cognitione ipsa principia communia, patet nedum ex Arist. in hac propositione uniuersali, sed etiam sexto ethic. commen. quarto & primo poster. 33. quibus in locis habetur, quod omnis doctrina ex præexistenti cognitione fit. uel syllogismo ex præmissis, uel inductione ex singularibus erit: sed principia cōmunia non manifestatur inductione, nec probātur syllogismo, ergo eorum notitia non est ex prænotia, et probatur minor, quia si talia principia cōmunia fiunt nota ex aliqua prænotione, tunc oportet necessario, quod talis prænotio sit nobis nota, quod sit agens notitiam illorū principiorū, oportet etiam quod talis prænotio sit nobis nota; quod propter eam prænotionem acquiramus illorū principiorum communium notitiam, ut dixit Ar. primo post. tex. cōm. septimo ubi dixit, quod non sufficit scire causā ad scientiā, sed quod sit causa, & q̄ prænota sit agens notitiā effectus, sed nulla prænotio de ipsis principiis cōmunibus potest esse nobis certa & nota, quia dixit Auer. primo poster. comm. 134. quod cum talia principia communia insint nobis ab ineunte ætate, nescimus & non recordamur, unde, quomodo, & quando nobis aduenerint: quapropter dicendum est talia principia communia, non fieri ex aliqua prænotione, & ex consequenti non contineri sub uniuersali propositione Arist. sicuti continentur principia propria uni arti: Confirmatur in hoc idem ex secundo poster. com. 102. & in de somno & uigilia, in paraph. dixit Auer. cognitionem futurorum in somno, quam prophetiam uel diuinationem uocant, non fieri ex prænotione aliqua agente, ueluti dicitur de cognitione primorum principiorū uniuersaliū seu cōmunium, sed ambo acquirit eodem modo, scilicet substantia intellectus in actu, quæ est agentia ex communi omnium sensibilium sensatione, ueluti sæpius citauimus Auer. tertio de anima commene. 36. Dices, licet ipsa principia communia non fiant ex prænotione agente, tamen fiunt ex prænotione præparante; ut per phantasiam, & singulariū cognitionem in cogitatiua, ex quibus potest acquiri illa principiorum uniuersaliū cognitio: præcognitio ergo singularium in cogitatiua, licet non sit agens ob causam dictam erit tamen præparans & aduertito quod Auer. dixit habere dubitationem hoc, & dereliquit eam insolutam. Ideo dicas ut ibidem dicit Arist. necessariam esse cognitionem in cogitatiua præparantem, & si non agentem: & patet hoc ratione, quia tertio de anima, 39. oportet intelligentem phantasmata speculari, cogitatiua scilicet quæ præparat, ut substantia intellectus fiat nostra actu cognitio, & non est agens, quia ut agens est, debet esse cognita, quod, sit agens, & ante in nobis habita, qualis non est huiusmodi. Secunda dubitatio, an cognitio inuentiua, quam quis ex se sine præceptore inuenit, fiat ex præexistenti cognitione, & sit in tali propositione uniuersali inclusa. Pro solutione prius notandum est quod (aliorum omissis sententiis) aliquam cognitionem esse inuentiuam contingit bifariam, seu duobus modis intelligi potest, uno modo pro inuentione primo

rum principiorum solũ, alio modo pro qualibet cognitione conclusionis siue præmissa sit, quæ acquiritur sine præceptore. Tunc hac distinctione habita, dicimus quòd cognitio secundo modo dicta, non dicitur uere inuẽtiua, sed doctrina, & continetur in hac propositione uniuersali, & fit ex prænotione, & iam supra diximus in declaratione primi termini, quod dupliciter docemur, uno modo uoce præceptoris per auditum, alio modo usu scripturarum, cũ absens fuerit doctor, & utroq; modo dicitur doctrina, & fit ex præexistenti cognitione. Cognitio uero inuentiua primo modo dicta, quæ primorum principiorum cõmunium est, uere inuentiua dicitur, & Arist. secundo poster. cap. penul. & primo metaph. t. docens inuentionem artiũ & scientiarum dixit hoc modo fieri, primo ex sensatis, secundo ex memoratis, tertio expertis: de ipsis primis principiis communibus non est dicendum quod sit doctrina, quia non fit a doctore, nec usu scripturarum, nec auditu uocis eius, sed sola sensuum inuestigatione eorum notitia habetur, & de hac dixit Arist. primo metaph. t. fieri talem operationem, sine arte, sine causa, & sine ratione, ueluti in animata, cum agunt, ut ignis calefacit sine arte, & ratione, & calefaciendo nescit se calefacere, ex quo sequitur, quod de eis non habetur doctrina, nam doctrina fit per rationẽ & artem: de ista quoq; dixit Arist. secundo metaph. tex. secundo cum dixit nullum hominem per se complere artes operatiuas, sine alio præcedente, qui inuenit eas per additamenta, & artes perficit per additamenta: Patet quid dicendum sit ad dubitationem, nam licet inuẽtio de primis principiis communibus non possit dici doctrina, quia nõ fit ex præexistenti cognitione, tamen inuentio, quæ fit ex scripturis per usum, dicitur uerè doctrina, quia scriptura præceptoris supplet defectum, nam ut habetur primo periherm. primo, ea quæ scribuntur, sunt notæ eorum, quæ sunt in uoce. Tertia dubitatio, an relatiuorum notitia fiat ex præexistenti cognitione, ita ut dicatur doctrina, & contineatur in tali propositione uniuersali? Breuiter respondendo dicimus quod non, nisi autoritate Aristo. in sexto topi. cap. quarto dicentis, quod in definitione relatiuorũ nulla est præcognitio, si quidem sunt simul natura, & unum capitur in alterius definitione, & quæ sunt simul natura, uel sunt æquè nota, uel æquè ignota, & sic non fit petitio, nam ars ut dicit Auer. est uera, ut in pluribus, ut sexto metaph. sexto. Quarta dubitatio, an notitia, quæ habetur per somnia, & reuelationem sit doctrina, et contineatur in huiusmodi propositione. Iam dictum est per Auer. in de somno, et uigilia, non esse doctrinam, cum non fiat ex agente prænotione, aut ex uoce doctoris per auditum aut ex scriptura per usum, quę omnia faciunt doctrinam et disciplinam, quapropter, cum notitia per somnia, et spiritum reuelationem, non sit doctrina, neque etiam continetur in tali propositione uniuersali.

Manifestum est autem hoc speculantibus in omnibus. Mathematicæ enim scientiæ, per hunc modum fiunt, & aliarum unaquæque artium.

Hæc est secũda pars huius primi textus, quę ut clarius intelligatur sic continuanda uenit ad primam partẽ. Postquam Arist. proposuit illam uniuersalem propositionem, tanquam maiorẽ præmissam in syllogismo, ut diximus; nunc eam in omnibus sciẽtiis, et artibus ueram esse inductione confirmat: et Auer. dicit in paraph. ueritatem huius propositionis patere inductione, sed quod Arist. probet eam seu ostendat eam esse ueram per inductionẽ, tam facile colligitur ex uerbo Arist. in tex. quando dicit {Manifestum est,}. s. inductione ostenditur, et declaratur, quoniam inductionis est manifestare, ut ipsemet Arist. secundo prior. tex. 23. docuit, ubi ponens discrimen inter syllogismum, et inductionem, dicit quod syllogismi est probare, inductionis uero manifestare, unde quando dicit Arist. in tex. {Manifestum est autem hoc speculantibus in omnibus} uult sic dicere {Hoc}. i. hęc propositio uniuersalis {Manifestum est}. i. inductione declaratur, et ostenditur {speculantibus,}. i. considerantibus {in omnibus,}. s. singularibus, nam ad inductionem topicam, qualis est ista, ut dicemus, omnium singularium enumeratio, aut saltem cum particula æquiualente, exigitur. Aduertito, quod Aristo. in declaranda huiusmodi propositione uniuersali duo facit, primo ponit modum probandi, scilicet per inductionem, secundo facit eam inductionem ibi {Mathematicæ enim scietiæ.} Sed quæres cur Arist. inductione utitur in manifestando illam propositionem uniuersalem? Dicendum multis de causis id egisse, prima est, quia uniuersalis propositio inductione manifestatur, ut patet secundo prio. capi. 33. secunda est, quia per se nota inductione manifestatur, ut habetur primo poste. comm. 33. tertia causa ex regula logica, quam innuit Auer. in primo poste. 12. et in secundo poster. comm. 27. quarta causa colligitur ex modo essendi propositionum, nam propositiones, circa quas uersatur unaquæque scientia, sunt in triplici differentia: quædam sunt notissimæ, ita quod ex solo intellectus agẽtis lumine, cum communi omnium sensibilium sensatione notissimæ esse dicuntur, uelut sæpius declarauimus, Et illę propositiones sunt huiusmodi, ut omne totum est maius sua parte, et de quolibet dicitur esse, uel nõ esse. Quædam sunt propositiones prorsus ignotæ, sicut sunt quæstiones, & dubitabiles propositiones, quæ non nisi syllogismo cathegorico siue dialectico, siue demonstratiuo ostendi possunt, & probari, quædam uerò sunt propositiones medio modo se habentes, quia non sunt æque notæ sicut prima principia communia, nec æquè dubiæ, ut sunt quęstiones, sed sunt indigentes aliqua innuitione, sicut est syllogismus hypotheticus per naturam, & sicut est inductio, & diuisio, & sicut est exemplum, aut enthymema, & tandẽ sicut est communis hominum consensus, & Auer. quarto coeli, comm. 22. dixit, quòd alia est latentia, quæ syllogismo, & alia est latentia, quæ indiget inductione: non enim omnes propositiones in scientiis sunt æquè notæ, nec omnes æquè ignotæ, & pro hac propositionum triplici differentia, uide Auer. primo coeli comm. 2. & quarto coeli comm. 22. & secundo phys. com. tertio, & in sexto phys. com. 41. & in primo priorum comm. de syllogismo hypothetico: Tunc ex triplici differentia propositionum, facile colligitur causa, quare Arist. uoluit inductione probare istam uniuersalem, nam cum ista propositio uniuersalis non sit notissima, neque ignotissima, sed medio modo se habens, ideo modicula innuitione uoluit uti Aristo. per inductionem eam probans. Sed adhuc interrogabis, qua inductione usus fuerit ad hanc propositionem manifestãdam? Pro responsione notandum est, quod duplex est inductio, ut patet secundo priorum comm. 23. & pri. physi. com. 48. & secundo physi. com. 80. & octauo phys. com. 33. & secundo coeli com. 49. & 59. una dicitur topica, alia uerò demonstratiua: & utraque suam habet regulam ad uniuersalem propositionem inferendam. topica inductio hoc quidem modo procedit, quod habet omnia singularia copulatim sumpta, ex quibus sic ueris, infert uniuersalem similiter ueram, unde si non omnia singularia uera sunt, nec uniuersalis erit uera, & causa est ista, quia primo physi. tex. com. 17. totum nil aliud est, quam omnes partes simul copulatim sumptæ: ut si una deficiat, nõ est totum, quare si uerum est prędicatum in omnibus partibus simul copulatim, possumus inferre, & in toto esse uerum, cui maiori addas minorem, sed primo physi. tex. comm. quarto singularia, seu particularia sunt quasi partes uniuersalis: ergo sicut prædicatum est uerum in eis simul sumptis, ita & in toto erit necessariò uerũ, & sic hac

regula

regula ipsa inductio topica utitur ad manifestandum universale. Inductio verò demonstrativa alia utitur regula, ex loco demonstrativo primo poster. tex. comm. 30. & regula talis est, quod in eis quæ sunt per se quod est uerum de unico individuo unius speciei, uerum est de omnibus: quia omne per se, est de omni: unde non requiruntur omnia singularia, sicut in ipsa inductione topica, sed sufficit unum singulare in quo inspiciatur ueritas, ex quo infertur universale, ut habetur secundo coeli 49. luna est sphæricæ figuræ, ergo omnes stellæ sunt sphæricę: ubi ex ueritate unius singularis, infertur ueritas universalis. quia non infertur uirtute singularium, sed uirtute loci demonstrativi, ex quo loco sumpta fuit regula, (ut diximus) & hoc modo in essentialibus, & per se prædicatis, quod uni conuenit, omnibus conuenit eiusdem speciei; quia omne per se, est de omni: sphæricum per se conuenit lunæ, ergo omnibus stellis: quia sunt eiusdē speciei analogæ, ut protulit Auer. secundo coeli. cap. 59. & cap. 49. & differunt hæ inductiones, quia inductio topica infert & nō probat, inductio. n. quatenus inductio habet inferre: at inductio demonstrativa utrunq; habet, infert & probat: nam quatenus est inductio, infert; & quatenus demonstrativa probat. Ex quibus omnibus responsionem inferimus ad interrogationē, q Arist. utitur inductione topica, & non demonstrativa: Et quòd sit topica uerba Arist. in tex. indicant quando dicit {in omnibus} .s. singularibus, dixit {speculantibus}. s. uisu uel sensu aliquo, in singularibus suis, singularia enim inductionis, uisu uel alio sensu percipiuntur. Ex quo patet error Pauli Veneti, qui dixit Arist. probare illam universalem propositionem tribus exemplis, & nō inductione, & ipse arguendus est ex uerbis Arist. in tex. (ut diximus) ex illo uerbo {manifestum} nam manifestare munus est inductionis, ut dixit Arist. secundo prior. cap. 23. & illud aliud uerbum {in omnibus} .s. singularibus ubi innuitur inductio topica. Manifestatur etiam ex iis quæ supra declarauimus Sueß. errare, uult. n. Arist. inducere in omnibus quatuor speciebus argumentationis. s. in syllogismo, inductione, enthymemate, & exemplo, & tunc inductio erit sufficiens, quando inducentur omnes species argumentativæ doctrinæ, & deductis illis quatuor speciebus, tunc concludendum erit, quòd omnis doctrina argumentativa fit ex præexistenti cognitione. Hæc dicit Sueß. Sed quàm sit erronea huiusmodi Sueß. imaginatio ex modo procedendi & inducendi Arist. in tex. patet, nam intentio Aristo. in tex. est manifestare illam propositionem universalem esse ueram in omnibus artibus & scientiis. & instrumentis quibus artes & scientiæ utuntur, & sic non in illis quatuor argumētationis speciebus. quoniam expresse dicit Arist. in tex. {mathematicæ enim sciētiæ & aliarum unaqueq; artium} at mathematica et aliæ artes non sunt una de quatuor speciebus argumentationis, et tamen Arist. facit in eis inductionem, ut patet; ergo non est intentio Arist. uerificare illam propositionem universalem tātum in quatuor speciebus argumentativæ doctrinæ: bene uerum est quòd Aris. intelligit quatuor speciebus inductionem facit, sed non in illis tantum. Verum hoc decepit Sueß. credidit enim ipse, ut etiam supra uberrimè diximus, q debeat poni in tex. discursiua, et sic Arist. inducat in speciebus discursiuæ doctrinæ, sed commostrauimus, quòd intellectiua poni debet, ut omnes Arist. intellectus operationes amplectatur. Et quando dicit. {Mathematicę enim scientiæ} aduertas quòd postquam Arist. proposuit modū notificandi illam propositionem universalem. s. per inductionem, nunc eam explicat. Sed quomodo Arist. faciat hanc inductionem topicam, notabis præter ea quæ diximus, quod inductio topica uerificat universale uirtute singularium et omnium singularium, quæ profecto oīa, numerare, aut impossibile, aut saltē difficile erit, unde ars breuitati studens, inuenit cautelā, ut aliquibus numeratis, addatur hæc particula, {et sic de singulis}. i. similiter de aliis singularibus est, quasi tanquam clarum de aliis et similibus omittens: Hac habita declaratione, facile cognoscitur modus inductionis quo Arist. utitur; nam numerat is primo quibusdam doctrinis, utitur secundo cautela topica ad complendam inductionē dicens. {Mathematicæ n. scientiæ per hunc modum fiunt} .i. ex præuia notione, et addit cautelam dicens. {Et aliarū unaquæq; artium} .i. et sic de singulis scientiis et artibus dicendū est, quod fiant ex præexistenti cognitione. Sed quæres, quid intelligat Arist. per sciētias mathematicas. Varię sunt expositiones. Prima est Themistij dicentis Arist. intelligere per mathematicas, omnes scientias speculatiuas, et per artes, intelligere oēs artes operatiuas mechanicas, et uult ipse Themistius quod Arist. probet, a simili. quod sicut mathematicæ. i. speculatiuæ fiunt ex præexistēti cognitione, ita quoque et artes. s. operatiuę ex præuia fiant notione. Sed Themistium multis modis errasse ostendimus. Primo quia credidit quod artes operatiuę non possint dici doctrinę et disciplinę, sed tantum scientię speculatiuę secundum eum essent doctrinę et disciplinę, quod falsum esse dicimus. nā etiam artes dicuntur doctrinę et disciplinę, ut patet primo metaph. 48. et in commenti expositione, amplius circa hoc loquemur. Secundo errat, quia nō est uerum, quòd Arist. a simili probationem faciat, ita esse in artibus, sicuti et in scientiis speculatiuis, quoniā ipse Arist. complementum inductionis ponit, cum dicit. {Et aliarum unaquęq; artium} uel uti paulo ante notauimus, est enim cautela inductionis topicæ: Tertio errat, quia Arist. non probat per exemplum, sed per inductionem in omnibus singularib. probat illam universalem propositionem esse ueram: et numerans singularia doctrinę, dixit mathematicas scientias, & artes operatiuas. Auer. (ut in commento habetur) istam propositionem universalem Arist. exponit de speculatiuis, & non de operatiuis, & ideo singularia inductionis solum sumit in speculatiuis & non in operatiuis. ita quod exponit ipse. {Et aliarum unaquæq; artiū} .i. speculatiuarum, & uult inductionē fieri solum in speculatiuis quas ueras doctrinas uocauit. Sed errat (ueluti diffusius contra eū in expositione commenti notabimus) quoniam si per artes, Arist. intelligeret reliquas duas speculatiuas, tunc sequeretur quod de numero speculatiuarū tantū mathematica diceretur sciētia, & reliquæ aliæ duę speculatiuæ dicerentur artes, & sic nō omnis speculatiua esset scientia. Præterea si Arist. secūdum ipsum Auer. per alias artes intelligeret alias duas speculatiuas, tūc sequeretur quod illæ duæ speculatiuæ. s. naturalis, & metaphysica rectius dicerentur artes, quā scientiæ, et solum mathematica uerè diceretur scientia, quod est falsum. & contra Aristo. in sexto meta. tex. com. 2. ubi dixit, quod tres sunt scientiæ speculatiuæ reales. s. mathematica, physica, & metaphysica, neq; aliā illarum scientiam, alias uero artes uocauit. Et sic concludimus Auer. nedum Arist. cōtradicere, sed sibi ipsi, nam sexto metaph. com. 2. & in epi. metaphysices tractatu primo in principio, & in epit. logic. cap. de qualitate faciēdi demōstrationes, & definitiones, loquens Auer. de diuisione artium & sciētiarum, uocauit mathematicam philosophiam, & dixit eam & metaphysicam esse scientias speculatiuas. quamobrem neq; Auer. expositio consona est Arist. aliis Philoponus per mathematicas, intellexit rationales scientias ueluti expresse eius uerba indicant. Sed & hoc esse ab omni ueritate remotum, sole clarius constat, tum quia logica non est scientia, ueluti determinauimus in proprio quæsito, cum etiam quia tunc Aristo. non induceret in scientiis realibus speculatiuis, sed tantum in rationalibus. Neque Suessani expositio pro Philopono uera esse potest, quòd Arist. intelligat per mathematicas scientias, logicas, non quę logices partes sunt, sed quæ logica utūtur quales sūt

scientiæ speculatiuæ quæ logica utũtur. Nam si huiusmodi oppositio uera esset, tunc exponeretur nobile per ignobile & ignobile, seu imperfectum per nobile, & perfectũ. & declaratur sequela, quoniam si per mathematicas scientias exponitur logica, tunc absq; dubio exponitur perfectum per imperfectum, si uero per logicã, exponitur scientia speculatiua, qua utitur logica, tunc exponitur ac sumitur imperfectum pro perfecto. Præterea fortius sic aduersus Suess. instatur, dixit Auer. in epit. logic. in cap. de qualitate faciendi demonstrationes, & definitiones, & in epit. metaph. in primo, quòd artes in tres diuidũtur partes: quædam sunt artes, quarum finis est solum operatio, & sunt artes practicæ, ut ars medicinæ, & cæteræ: siue operatio eius fuerit per syllogismum, & experimentum, aut breuiter expediens solo experimento. quædam sunt artes, quarum finis est solum scientia, & hæ quidem sunt scientiæ speculatiuæ, sicut est scientia naturalis. & cæteræ. quædã uerò sunt artes auxiliantes iis duabus supradictis, & sunt artes logicales aut eis proportionales, ut dicit Auer. in epito. log. eodem cap. Tunc sic, si secũdum Auer. nedum sciẽtiæ speculatiuæ utuntur logica, sed etiam artes operatiuę, falsa erit expositio Suess. quòd per mathematicas, intellexit logicas, quia tantum scientiæ speculatiuæ utuntur logica, quapropter neque Philop. neque Suess. pro Philopono bene exposuisse asserimus. Ideo pro ueritate notãdum est ex Arist. in sexto metaph. tex. com. 2. quòd sciẽtia speculatiua in treis secatur partes, iuxta tria obiecta seu subiecta earum, quæ subiecta sunt propriæ differentiæ ipsarum earum partium. ueluti habetur septimo metaph. 17. quòd subiecta accidentium sunt propriæ differentię accidentiũ. Et quia subiecta seu res ipsæ sunt in triplici differẽtia, ideo scientiæ speculatiuæ erunt in triplici differentia. quædam sunt res coniunctæ materiæ, & motui secundum esse, & secundum diffinitionem, & de iis habetur scientia naturalis: quædam aliæ sunt separatæ a materia, & a motu, secũdum esse & secundum definitionem ut Deus, & intelligẽtiæ, de quibus habetur scientia metaphysica, quædã uerò sunt res coniunctæ materiæ, & motui secũdum esse, & separatę secundum definitionem, ut entia mathematica, de quibus est sciẽtia mathematica: Tunc hac diuisione habita de triplici scientia speculatiua, dicimus quòd Arist. intẽdit per scientias mathematicas, eas scientias, quæ considerant res coniunctas materiæ, & motui secundũ esse, & nõ secundum definitionem, & dixit. {Mathematicę} in numero plurali, quia plures sunt mathematicæ, ut habetur secũdo phy. dixit {scientiæ} quasi uelit innuere genus ipsius mathematicæ, nam mathematica est una de tribus speciebus scientiæ speculatiuæ: & potius exemplificauit in mathematicis quam in sciẽtia naturali, & metaphysica, quia mathematicæ scientiæ sunt in primo gradu certitudinis, & naturales sequuntur eas, ut protulit Auer. secundo metaph. comm. 16. Sed quid Aristo. per artes intelligat, breuibus respondemus, quòd intendit artes operatiuas, quæ sexto ethic. quinto docent opera uoluntatis. Verum pro clariori, & uberiori intelligentia, notandum est, quòd quæsita, quæ quęrimus scire, & addiscere, sunt duobus modis; uel speculatiua, uel practica: & talia quæsita dupliciter inter se differunt, subiecto, & fine. Primo quidem differunt subiecto, nam subiectum est differentia in accidẽtibus, ut patet septimo metaph. 17. subiectum in speculatiuis est opus naturæ, subiectum in practicis est opus uolũtatis. Secundo differunt fine, ut patet primo topi. octauo, & secundo metaph. comm. 3 nam si quærimus scire quęsita operatiua ad fugam, uel ad cautelam boni operis, uel mali, tũc doctrina erit operatiua. & si quærimus scire quæsita speculatiua ob scientiam, tunc doctrina eorum erit speculatiua: & ex huiusmodi differentia pro faciliori textus intellectu concludimus, quòd Arist. per artes, intellexit artes operatiuas, quæ subiecto, & fine distinguuntur ab artibus speculatiuis, quæ sunt mathematica, naturalis, & metaphysica. Amplius distinguendum est de artibus operatiuis, seu practicis, quòd ars practica est duplex, actiua. & factiua. Actiua dicitur moralis ab Arist. & treis in partes secatur, in Ethicam, Oeconomicam, & Politicam Ethica enim de bono hominis quatenus homo agit. Oeconomica de bono domus. Politica uero de bono ciuitatis tractat. Factiua ars, dicitur ars mechanica, quę est septuplex, quia septem sunt artes mechanicæ, lana, nemus, miles, nauigatio, rus, medicina iis ars fabrilis connumerari potest. Ex iis colligitur differentia præter alias, inter artes actiuas, & factiuas. nam artes actiuæ sunt illæ, post quarũ actionem non est monstrare aliquid ultra, ut musica, cantus, & sonus, & huiusmodi. artes uerò factiuæ sunt illæ, post quarum factionem est monstrare aliquod opus. ut scamnum & calceos, & alia huius generis, de quibus uide Arist. primo ethic. primo, & nono metaph. 13. & alibi: ex quibus omnibus diuisionibus de arte triplici, & de triplici scientia speculatiua, & de duplici arte practica, clarissimè patet ueritas circa propositionem uniuersalem Arist. per inductionem topicam cum cautela, in omnibus sciẽtiis speculatiuis, & artibus practicis tam actiuis quàm factiuis, quòd {per hunc modum fiunt}. i. ex præuia notione acquiruntur. Sed occurrit ansa dubitandi, cur Arist. non numerauit omnes artes. non enim numerauit artes logicas, quæ auxiliantur scientiis speculatiuis, & artibus practicis, ut dixit Arist. primo topi. nono, & Auer. in epit. meta. & in epit. logic. in cap. de qualit. faciendi demonstrationes, & definitiones, & sic uidetur. Arist. deficere in sua inductione non omnes artes numerando: Pro huius dubij solutione. respondendum est per duas conclusiones. Prima est, & satisfacit pro uno respondendi modo, quòd Aristo. numerauit, omnes artes. Sed notato (ut diximus) quòd ars communiter sumpta, secundum Auer. in epit. metaph. & in epit. logic. includit omnes tres cognitiones, speculatiuas, practicas, & organicas: cum igitur ars organica contineatur sub arte communiter dicta, potest dici, quòd Arist. per artes, nedum intellexit artes practicas, sed artes organicas, licet non proprie, quia non docent proprium subiectũ artis, sicut de speculatiuis, & practicis diximus. Secunda conclusio pro secundo respondendi modo, hæc est, quòd licet Arist. non inducat in artibus organicis, non propter hoc tamen inductio erit incompleta sine ipsis: Et pro huiusmodi conclusionis fundamento notandum est, quòd Arist. intentio in hoc libro, & in hac propositione uniuersali, est loqui de doctrina, quam naturali desiderio, & per se, & non per aliud scire desideramus, ueluti protulit Auer. secundo poste. primo, & tertio, quòd quæsita de quibus sunt doctrinæ, sunt illa, quæ naturali desiderio cupimus, & per se, & non per aliud. Amplius notãdum est secundum etiam ipsum Auer. secundo poste. com. 3. quòd quæsita naturaliter desiderata, & per se, & non per aliud, sunt in duplici differentia, speculatiua, & practica, & non ipsa organica, hoc explicauit, & docuit nos Aristo. primo top. nono, ubi inquit, organica non desideramus per se naturaliter, nisi propter aliud. nam sunt adminiculantia & auxiliantia quęsitis artium, & scientiarum, hoc idem retulit Auer. in epit. metaph. & in epito. logic. & probatur, quòd huiusmodi organica non desideremus scire propter se, sed propter aliud, quoniam nemo quærit scire quid genus quid oratio, & quid syllogismus, nisi ut sunt instrumenta ad quæsita artium, & scientiarum: ex quo patet inductionem esse completam sine iis organicis artibus, nam Arist. intendit ipsam uniuersalem propositionem ueram esse in doctrinis per se naturaliter desideratis, sicut sunt scientiæ speculatiuæ, et artes operatiuæ, et ideo numerans singularia, solum eas artes numerauit, quas per se intendit, et non eas, quæ gratia alterius intenduntur, et desiderantur sicuti sunt.

Similiter autem & circa orationes, & quæ per syllogismos, & quæ per inductionem, utræque enim per prius nota faciunt doctrinam, hæ quidem accipientes, tanquam à notis, illæ uerò demonstrantes uniuersale per id, quod manifestum est singulare.

Hanc partem ad præcedentem ita Themistius cõtinuandam esse insinuat. Cum Aristo. probauit à simili in scientiis speculatiuis, illam uniuersalem propositionem, & à simili in artibus operatiuis: nunc eandem, à simili probare intendit in artibus sermocinalibus: et intendit Themistius per artes sermocinales, logicas, topicas, & rethoricas: & ea ratione forsan, quia docent instrumenta, quæ sunt orationes & sermones. & pro horum intellectu, notabis quòd primo top. decimo, propria instrumenta topica sunt syllogismus & inductio, exemplum uerò et enthymema, quod commentationem uocat, sunt propria instrumenta rethoris, ut patet primo rhetor. cap. de instrumentis. Quo stãte patet intentionem Themistii huiusmodi esse. quòd Arist. probet propositionem uniuersalem, a simili, in artibus sermocinalibus. s. in topica & rethorica, quæ utuntur instrumentis prædictis, nam omnes ex prænotis docent. topicus. n. si syllogismo utitur, nõ nisi ex præsumptis præmissis, ut patet primo priorũ cap. primo: si inductione, ex prænotis singularibus, ut secundo priorum cõm. 23. habetur, rhetoricus si enthymemate utitur, non nisi ex uno præassumpto & prænoto: si exemplo, ex prænoto uno singulari, ut secundo priorum cap. proprio habetur. Sed Themistius multipliciter errat. Primò, quia Arist. non dicit, similiter se habere in artibus sermocinalibus: sed dicit circa orationes, quæ syllogismus sunt, uel inductio, unde sententia eius in uerbis apertè non potest. Secundo errat, quia non est uerũ quòd artes sermocinales utantur quatuor instrumentis, non enim est eis hoc proprium, sed conuenit etiam aliis artibus, & sciẽtiis ut sup. memorauimus. Tertio errat, quia uolens hoc monstrare in artibus sermocinalibus, omisit alias partes logices. s. sophisticam, poeticam et partem nobilissimã quæ est syllogismus demõstratiuus: nam quinq; sunt species syllogismi, seu partes artis sermocinalis ut Auer. innuit in prologo magnæ cõmentationis & primo poster. cõm. 17. & alibi. Vera & propria continuatio & expositio hæc est. Cum Arist. probauit illam uniuersalẽ propositionem, omnem doctrinam fieri ex præuia notione inductione facta in omnibus singularibus doctrinis siue scientiæ, siue artes sint. nunc eadem probat, inductionem faciendo in instrumẽtis propriis quibus acquiruntur ipsæ doctrinæ. s. syllogismo & inductione. Sed pro intelligenda huiusmodi expositione notandum est quòd sexto ethic. cap. quarto, & primo poste. cap. 33. instrumẽta omnia et propria quibus acquiritur omnis doctrina, sũt duo, syllogismus, & inductio, & probat ibidem Arist. quare sint duo, quia uel est doctrina cõclusionis, uel est doctrina principiorum. si conclusionis, utimur syllogismo: si principiorum, utimur inductione. Amplius notãdũ est: quod habitus & instrumenta quibus acquirũtur habitus, referuntur ad inuicem, sicut finis et ea quæ sunt ad finem, ut patet secundo physic. 28. & habent proportionabiliter easdem conditiones, nam tertio ethic. sexto, & secundo physic. finis appropriat & necessitat conditiones suas, eis quæ sunt ad finem, unde ut habetur hoc primo poste. tex. commen. 8. 9. & 14. quales sunt conditiones ipsius scire, quod est finis & habitus, tales sunt conditiones præmissarũ quæ sunt instrumẽta propria; ex quo inferimus, quòd si doctrina ipsa & disciplina quæ est habitus & finis acquirendus per instrumenta, est cum tali conditione acquisita, scilicet ex præuia notione, oportet etiam instrumẽta propria, quibus acquiruntur doctrina et disciplina, esse huiusmodi, proportionabiliter. s. ex præuia notione: dixit igitur. { similiter } idest simili conditione ex prænotione faciunt doctrinã ipsa propria instrumenta ex quibus acquiruntur doctrinæ & disciplinæ. { autẽ } aduertas quod hæc particula, aliquando solet capi pro nota diuisionis, ut patet primo de anima com. 84. & primo phy. s. com. primo, & tertio de anima com. 16. & sic non capitur hic: aliquando uero sumitur pro nota continuationis, & præcipuè in principio librorum, qui continuantur cum præcedẽtibus, ueluti notauit Philoponus in principio super libro de generatione, qui incipit (de generatione & corruptione) & hoc modo sumitur hic ab Aristo. hæc particula ut. s. dicit continuationem, dixit. { circa } pro intellectu huius particulæ. notabis, ex primo de anima tertio, quod easdem conditiones re et subiecto, conueniunt effectui, & causæ fini, & eis quæ sunt ad finem per se & primo; differenti tamen ratione nam conueniunt fini & effectui in recto per se. et simpliciter, ut subiecto primo, ueluti habetur, primo de anima tex. com. 64. principiis autẽ & causis, et eis quę sunt ad finem in obliquo; exemplum ponitur ab Arist. ibidem. s. primo de anima tex. com. 64. quòd homo primo intelligit in recto & simpliciter, sed anima intelligit in obliquo, nam dicit Arist. ibi quòd melius dicitur hominẽ misereri, & addiscere, & intelligere, quam animam misereri: et hoc est quod quidam ex nostratibus aliis uerbis dicere cõsueuerunt, quòd homo intelligit ut quòd, & anima seu intellectus intelligit ut quo. tũc hac habita declaratione, dicimus quòd illa particula. { circa } significat quòd talis conditio. s. fieri ex præuia notione, competit istis instrumentis (ex quibus sunt doctrinæ & disciplinæ) in obliquo: nam in recto fieri ex præuia notione competit doctrinis & disciplinis, quæ fiunt ex talibus instrumentis. & hoc modo. s. in obliquo sumpsit ly, circa, Arist. primo phy. tex. com. primo, quando dixit (circa omnes scientias) & in obliquo etiam intellexit in primo priorum primo, quando dixit, (quoniam circa demonstrationem, & de demõstratiua disciplina:) deinde dicit { orationes } Aduertito quod per orationes intelligit Arist. in hoc loco, eodem modo, quo intellexit primo priorum, in definitione syllogismi, nam ibi ut in eius expositione notauimus, sumitur oratio, pro enunciatione, & eodem modo sumitur hic, ita quòd Arist. per orationes intellexit enunciationes. Hinc apparet error Auer. & sequacium qui per orationem in definitione syllogismi exposuerunt argumentationem seu ratiocinatione, uel discursum, & similiter apparet error eorum qui intellexerunt in hoc loco per orationes, argumẽtationes, seu ratiocinationes. ueritas igitur est ista, quòd per orationes debemus intelligere orationes enunciatiuas: nam oratio enunciatiua de qua dixit Arist. primo periher. cõm. 5. est genus ad syllogismum, & omnes alias species, ueluti uberrimò probauimus in lib. priorum, circa definitionem syllogismi. dixit { orationes. } in numero plurali, quia statim ipse Arist. diuisurus erat in partes suas. s. in syllogismũ & inductionem; at diuisum in partes suas non est unum, sed plura & ideo in plurali explicauit Arist. deinde dicit. { Et quæ per syllogismos. } Quia dixerat similiter se habere. s. ex præuia notione fieri ipsa instrumenta, nũc probat inductione quæ (ut Auer. placet) ad formam sic reducitur: omne quod acquiritur oratione, quæ est instrumentũ ad doctrinam et disciplinam, aut syllogismo, aut inductione acquiritur: sed quod acquiritur syllogismo & inductione, ex prænotione acquiritur: ergo omne acquisitum oratione, quæ est instrumentum ad doctrinam & disciplinam ex præuia notione acquiritur. sic etexit hunc syllogismũ ipse Auer. in commen. primo in fine, Arist. huius syllogismi primo ponit maiorem ibi. { circa orationes. } Secundo ponit minorem ibi. { utræq; . } Et conclusio ponitur ibi in principio tex. { similiter autem } ponit igitur maiorem & dicit, quòd orationes oẽs, quæ faciunt esse doctrinã, sunt duobus modis, uel per syllogismũ, uel per inductio-

nem faciunt eam. ponit deinde minorẽ & dicit, sed utrẽq; hæ orationes, sive syllogistica, sive inductiua sit, faciũt doctrinam per prius nota. sequitur conclusio, similiter se habere circa orationes. i. instrumenta quibus acquiritur omnis doctrina facere eã ex præuia notione, & dixit {utrẽq;} idest omnes. quia omnes duæ sunt quæ faciũt omnem doctrinam. s. syllogismus uel inductio, uel iis proportionabilia. Et notato pro nunc quòd syllogismus & inductio dupliciter differunt, opere, & forma, ut patet primo poster. 25. & in epito. de syllogismo hypotet. & primo priorum, primo quidem opere differunt, quia syllogismus probat ignotum naturaliter, ex notis naturaliter: inductio uero manifestat per se nota, uel fere per se nota, ex euidentioribus, & non notioribus naturaliter. amplius secũdo priorum 23. syllogismus probat ex euidentioribus, inductio ex manifestioribus: Secũdo differunt forma, seu in modo consequentiæ. nam syllogismus est consequentia necessaria, per se, & sine alio, inductio uerò per accidens, & per aliud, ut. s. reducitur ad. syllogismum, secundo priorum cõmen. 23. & cum dicit {hæ quidem} incipit probare minorem sigillatim de unoquoq; instrumento, & primo de syllogismo, secundo de inductione. & probatio de utroq; est per definitiones eorum. Sed pro ipsius instrumenti syllogistici probatione, aduertas, quòd primo priorum primo definitur syllogismus ab Arist. quòd est oratio in qua quibusdam positis. s. propositionibus, duabus, sequitur aliud. i. conclusio, & dixit positis, idest concessis. quia per se notæ naturaliter: dixit, aliud, idest conclusio, quia ignota naturaliter, & ideo est alia à præmissis, per se notis naturaliter: & hoc est, ne idem per idem, & æquè notũ per æquè notum monstretur, & fiat petitio principij ut patet secundo priorum 17. Ex qua syllogismi definitione, patet ratio Arist. circa instrumentum, seu orationem syllogisticam, quòd {hæ quidem}. s. orationes syllogisticæ sunt accipientes doctrinam conclusionis ignotæ tanquam, a notis prius. s. ex præmissis: dixit {accipientes}. s. doctrinã idest conclusionem edoctam, non quòd ipsæ orationes syllogisticæ accipiant, sed quia nos per eas accipimus ipsam doctrinam seu conclusionem, aut sic exponas, {accipientes} idest ipsæ orationes syllogisticæ sunt instrumenta facientia nos accipere, & dixit, {tanquam a notis}. s. præmissis in plurali, quia duæ sunt primo ex quibus notis accipitur conclusio. Sed dubitabis, quia uidetur male Arist. dixisse tanquam a notis quia dictio {tanquam} idest quasi tale uidetur significare, & diminuit ab esse tali: sed hoc non est uerum de præmissa syllogismi, nam primo priorũ primo, per se, naturaliter, simpliciter sunt notæ ipsæ præmissæ syllogismi & non sunt notæ cum diminutione. Dicitur ad hanc dubitationem quòd sy, tãquam, capitur dupliciter, uno modo diminutiuè, alio modo affirmatiuè, hoc loco sumitur affirmatiuè quòd Arist. intẽdit affirmare, nõ sumi conclusionem edoctam nisi ex tanquam notis præmissis, idest inquantum sunt notæ, & sic est uerum. Alia dubitatio cur dixit {syllogismos} in plurali & {inductionem} in singulari. Suess. respondet ut monstraret ad idẽ uniuersale unam solam inductionem fieri, quia eadẽ sunt unius uniuersalis indiuidua, & non diuersa, sed dixit syllogismos in numero plurali, quia plura media, Licet uerũ sit hoc, tamen non facit ad tex. expositionem. Quapropter pro ueritate dicendum est: quòd cum syllogismi plures sint species, nam quinque assignauit Auer. in prologo magno commen, & in commen. primo, & cõm. 17. & in epit. log. & cũ inductionis sit una species, propterea dixit syllogismos in numero plurali, ut omnes syllogismos cõprehenderet: & dixit inductionem in singulari, quia est tãtum una species. Sed instabis statim quia superius diximus duas esse inductionis species. s. topicam & demõstratiuam. Dicimus quòd licet dixerimus duas species inductionis esse, tamen intelligẽdum est secundum rei ueritatem, quòd una est uera inductio. s. topica: inductio uerò demonstratiua licet appareat inductio, uirtute tamen demonstratio quia est. {illæ uerò}. Cum manifestauit de syllogismo, nunc manifestat de inductione. sed notato ex secundo priorum cap. 23. si à parte prænota ad partem procedimus, tunc est exemplum; si à toto ad partem, est syllogismus: si uerò a parte ad totum, inductio est: nam inductio ea est, in qua procedimus à partibus prænotis sensu ad uniuersale totũ: Et ex hoc patet ratio Aristo. quæ hoc modo erigi debet, semens maiorem extra textum. Illud quod ex prænotis singularibus manifestat uniuersale, facit doctrinam ex prænotione: minor in textu quæ est definitio inductionis, talis est: sed illæ orationes quæ inductionis modo faciunt doctrinam, demonstrant uniuersale, & totum per singulare, quod manifestum est prius. sequitur conclusio in textu, similiter se habere orationes circa inductionẽ. s. quòd ex prænotione faciant doctrinã, dixit {demonstrantes}. i. manifestantes, et ostendentes, et sic tollitur contradictio, quia dixit Arist. secundo poster. 25. inductio non demonstrat, hic uerò dicit demonstrare; iam non est contradictio, quia capitur hic demonstrare pro manifestare, & ostendere. dixit {Manifestum} Quia secundo priorum 23. inductio manifestior est syllogismo, quia est ex singularibus manifestis ad sensum. Dubitabis adhuc, quia diximus quòd ad inductionem topicã requiritur numeratio omnium singularium, uel cũ cautela, cur autem Arist. unum singulare assignat, quando dicit. {pro id quòd manifestum est singulare} Dicunt, ut monstraret omnia singularia unius medium habere: utcunq; sit, iam Arist. intentio habetur, quòd inductio ex prænotis facit doctrinam. Et notabis, quòd posset distingui de ipso singulari, quòd duplex est, unum est uerum, quòd dicitur indiuiduum, & unũ numero: aliud dicitur. pro minus uniuersali, & sic species uocatur singulare. sententia est Arist. secundo poster. cõm. 22. ubi dixit, quòd facilius est definire singulare, idest speciem, quàm genus; quia in genere latitant æquiuocationes, & sic posset dici quòd per {singulare} intellexit Aristo. singulare quod est species; & quia participatione speciei plures homines sunt unus homo, ut docuit Porphyrius, dicendum erit, quòd inductio semper procedit a singularibus. Ex iis omnibus quæ examinauimus pro uerborum elucidatione, patet multos expositores maximè a ueritate remotos esse, cum secus Arist. mentem fuerint interpretati, quorũ ineptias & nugas, potius sub silentio pertransire, quàm recensere uoluimus.

Similiter autem, & rethoricæ persuadent, aut enim per exempla, quod est inductio, aut per enthymemata, quod quidem est syllogismus.

Hæc est tertia pars, in qua Arist. remouendo dubium, inductionem complet in aliis instrumentis. Dicere enim quis posset, non solum syllogismum, & inductionem esse instrumenta doctrinæ, sed exemplũ & enthymema, quæ sunt orationes, quibus rethor persuadet, ut habetur primo rethor. cap. de instrumentis: ideo remouendo hoc dubiũ, complet inductionem dicens, similiter orationes rethoricæ, quæ sunt instrumenta, quibus rethor utitur, persuadẽt aliquem doctrinam, quasi sic uelit dicere Arist. quòd cum non sint plura instrumenta uera, & non uera doctrinæ in communi, & omnia ista faciunt doctrinam ex prænotis, sequitur ergo quòd omnis doctrina fit ex prænotis: dixit {similiter} idest simili conditione ex præuia notione faciunt doctrinam: dixit. {rethoricæ} Aduertas quòd huic adiectio debet adiungi supra dictum substantiuum. s. orationes quibus rethor persuadere dixit. {persuadent} Sed uidetur Arist. sibi contradicere. nam primo top. cap. 2. dixit. quòd, finis rethoris non est persuadere, sicut nec finis

medici

medici est sanare: hic uero dicit, quòd rethor habet persuadere; & sic est contradictio. respondetur haud quaquam Arist. sibi contradicere: si quidem finis rei est duplex, intrinsecus. s. & extrinsecus: finis intrinsecus medicinæ est bene mederi. i. recte facere secundum artem, ad quod sequatur sanitas: finis extrinsecus est sanare: sic rethoricæ finis duplex est, finis intrinsecus eius est bene proponere. i. recte facere omnia secūdum artem illam, ad quam sequatur persuasio, finis uerò extrinsecus est persuadere. Tunc habita hac distinctione, dicimus quòd nulla est contradictio in dictis Arist. quia hic loquitur de fine extrinseco rethoris, & primo top. loquitur de fine intrinseco: {Aut. n. per exempla} Erat sumptum rethoricas similiter facere persuasionem, seu persuasiuam doctrinam ex præuia notione, nunc probat illud inductione, in omnibus orationibus rethoricis: & ratio sic erigi debet pro textus huius intellectu clariori, & maior sumitur etiam nedum ex hoc textu, sed ex primo rethor. cap. proprio, & talis est. omnes orationes rethoricę aut sunt exemplum, aut enthymema: minor fiat sic extra textum. sed tam exemplum, quàm enthymema faciunt persuasionem ex prænotis, ergo similiter habent orationes rethoricæ, omnes. s. sex prænotis faciunt doctrinam: dixit. {exempla, & enthymemata} in plurali numero, ut singularium inducendorum multitudinem ostenderet: exempla. n. multa sunt, & enthymemata (ut dicemus) specie, & non solum numero. Aut dicē dum, quòd ideo dixit in plurali numero, quia oratori necesse est plura exempla, & enthymemata facere propter persuasionem. Dixit, {quod} aduertas, quòd non est incongrua locutio dicere, per exempla, quod est inductio, & per enthymemata, quod est syllogismus: quoniā ly, quod, non refertur ad exempla, & ad enthymemata, sed refertur ad ly, persuadere, per exempla, & persuadere per enthimemata. Et cum dicit {per exempla} notato, ex secundo priorum cap. 24. exemplum procedit a parte ad partem, a particulari in quo prædicatū uniuersale notius est ad alterum particulare, in quo prædicatum est ignotum: & sic exemplum ex prænoto particulari, aliud ignotū habet notificare: Deinde dicit. {aut p enthymemata} ubi scito ex secundo priorum cap. 27. quòd enthymema est syllogismus imperfectus, cuius medium est accidens, & ex uariatione medii in ipso enthymemate uariatur enthymema: & quia triplex est significatum quod sumitur pro medio in enthymemate, ideo triplex erit enthymema: nā uel significatum est necessarium semper, uel ut plurimum, & tunc erit enthymema demonstratiuum demonstratione quia, ut patet primo poste. com. 96. exemplum, ut mulier habet lac in mammillis, ergo peperit, si uero significatum fuerit, in maiori parte uerum, tunc erit enthymema topicum: exemplum, ut iste uir nocte uagatur, ergo est adulter: sed si significatum fuerit in æquali parte, tūc rethoricum erit enthymema. exemplum ut iste uir incedit comptus, ergo est adulter. de enthymemate ergo tertio modo dicto, loquitur Arist. quando dicit, quòd rethor persuadet enthymemate habente. s. significatum in æquali parte sensatum & notius. Dubitatio insurgit scitu digna propter uarietatem expositorum quomodo uerum sit, quod dicit Arist. quòd exemplum sit inductio, et enthymema sit syllogismus, & dubitatio maxima esse uidetur, quia Arist. uidetur sibi contradicere in hoc eodem primo textu, nam numerauit quatuor species argumentationis, & similiter in primo rethor. & postea in fine huius primi textus uidetur reducere quatuor species ad duas. s. exemplum ad inductionem, & enthymema ad syllogismum. Antequam ueram aperiamus sentētiam, prius aliorum positiones, in medium afferendas censemur, ut clarius rei ueritas teneatur. Primus exponendi modus est diui Thomæ, dicentis exemplum non esse ueram inductionem, sed imperfectā, quia deficiunt singularia: ita quoq; enthimema esse syllogismum imperfectum, & mutilatū, quia deficit una præmissarum. Et aduertas quòd hunc exponēdi modum fortassis diuus Thomas accepit a Themistio, qui huius etiā opinionis extitit: & diuus Thomas cum Themistio sic textum legendum esse uolunt, quòd exemplum sit quædā inductio, & enthymema sit quidam syllogismus. Sed ambo errant, quia extorquent textum, nam non habetur in textu quidam. aut quædam, sed quidem, aduerbium affirmandi. Linconiēsis ait, exemplum esse uerè inductionem, & enthymema esse uerè syllogismum: quia conueniunt in essentia, quæ est uerum esse rei. & quòd conueniant in essentia, probat, quia perfectum, & imperfectum non uariant speciem, & essentiam. Sed & is errat, primo quia habuit illum textum, in quo solet haberi illa particula, uere, quæ particula non habetur in textu græco. sed ly quidem aduerbium affirmandi ut diximus. secundo errat dicens conuenire in essentia, quia secūdo priorum 23. 27. ista quatuor. s. exemplum, enthymema inductio, & syllogismus differūt ratione, seu definitione, ergo differunt essentia ex septimo meta. 34. 35. & ad eius rationem dicimus, quòd perfectum, & imperfectum non uariant speciem, uerum est in accidentibus, quæ suscipiunt magis, & minus: sed non in substantiis, quę non suscipiunt magis & minus. fallit etiam de perfectione essentiali, sicuti est ad propositū: syllogismus siquidē perfectione essentiali differt ab alijs, & ideo essentia differre uidetur, & non conuenire. Ægidius Ro. dicit quòd litera Arist. debet pluraliter legi hoc modo. s. aut per exempla, quæ sunt inductio, & enthymemata, quæ sunt syllogismus, quia licet unum exemplum non sit inductio, tamen multa exēpla sunt una inductio: similiter unum enthymema non est syllogismus, sed multa enthymemata. Sed quæ dicit Ægidius puerilia sunt, quia conclusio exempli est singularis, inductionis uerò est uniuersalis, ut docuit Arist. in hoc primo textu, & secūdo priorum 23. & 24. impossibile ergo est exemplum, siue unum, siue plura. facere inductionem, quia conclusio exempli non potest fieri conclusio inductionis. Secundo, quia quotcunque assumatur enthymemata non præcisè componunt syllogismum, sed plus uel minus, ut rectè cōsiderantibus parere potest: non ergo uera sunt, quæ Aegidius Rom. & sequaces fatentur. Paulus Ven. alium dicendi modum sequitur, & dicit quòd hęc est uera, exemplum est inductio causaliter, & non identicè: & similiter enthymema est syllogismus, est uera causaliter, & non identicè; nam sicuti hæc non est uera in prædicatione idēntica, ira est accensio sanguinis circa cor, sed in prædicatione causali, quia ira ex tali accensione causatur, sic non identicè, sed causaliter uerum est, exemplum esse inductionem & enthymema esse syllogismum: quia ex exemplo potest inductio causari, & ex enthymemate syllogismus. Iste quoque dicendi modus falsus est, quia Arist. intentio in hoc primo textu, non est declarare, quomodo exemplū reducatur ad inductionem, & enthymema ad syllogismum, sed ostendere quod orationes rethoricæ simili conditione. s. exemplum, & enthymema, faciunt notam doctrinam ex præuia notione. Pręterea illud quòd reducitur ad aliud sicut imperfectum ad perfectum non est causa illius: sed exemplum reducitur ad inductionem, & enthymema ad syllogismum: ergo falsum est, quòd inductio causetur ex exemplo, & syllogismus causetur ex enthymemate, maior clara est, & minor est Arist. secundo prio. commen. 23. Ideo hisce omnibus neglectis pro ueritate prius notandum est, quòd nil clarius, & doctius quam exponere auctorem per ipsum auctorem. nam Arist. primo rethor. cap. de instrumentis, exponit seipsum, & sic exponit locum istum, id enim prorsus quod ibi dicit, hic etiam asserit. Amplius notandum esse duximus, quòd aliquid esse tale, dupliciter esse potest, uno modo uerè & uniuocè, alio modo proportionabiliter, & analogicè; exem-

plum de eo quod est tale per proportionem, & analogiã, uti rex in regno, ita princeps in principatu: unde dicere possumus, princeps est rex non uniuocè, sed proportionali opere, quia quantum, & quale opus potest rex in regno tantum, & tale potest princeps in principatu, tunc hac distinctione habita Arist. seipsum exponit, & dicit, quòd exemplum est inductio non simpliciter, uniuocè, & uerè, sed est inductio rethorica, & proportionabiliter, & similiter enthymema est syllogismus, non simpliciter, & uniuocè, & uerè, sed proportionabiliter in opere & analogicè. s. est syllogismus terhoricus, quia tantum ualent exemplum, & enthymema apud rethoricam, quantum ualent inductio, & syllogismus apud alias artes, & ideo optimè sensit Auer. exponens hunc locum com. 1. de instrumẽtis, quòd exemplũ & enthymema inductio & syllogismus, quia sunt similia eis: & sic concludimus quòd exemplum est inductio rethorica, & enthymema est syllogismus rethoricus, eo modo quo exposuimus. Hæc sũt, quæ habuimus circa huius primi tex. expositionem, in quo Arist. optime per inductionem topicam probauit hanc propositionem uniuersalem esse ueram, quòd omnis doctrina, & omnis disciplina, tum ex parte ipsarum, cum etiam ex parte instrumẽtorum, ex præexistenti fit cognitione. Sed occurrit ex modo probandi Arist. dubitatio. quia probauit istam uniuersalem propositionem, omnis doctrina, et omnis disciplina ex præexistenti fit cognitione, ex inductione suorum singularium. s. in scientiis, artibus, & instrumẽtis, inter quæ singularia, est doctrina demonstratiua: deinde ex uniuersali probata, probatur ista particularis. s. doctrinam demonstratiuam fieri ex prænotione, nam ut diximus supra, ad hunc finem Arist. posuit istam uniuersalem propositionẽ, ut probaret istas particulares. s. doctrinam demonstratiuam, & doctrinam definitiuam fieri ex præuia notione, & sic uidetur quòd fiat petitio principii, secundo prior. t. 7. ab eodem in idem. Dixerũt quidam demõstratiuam doctrinam posse sumi bifariam, uno modo in uniuersali, ut. s. nec ista, nec illa est: alio mõ in particulari quatenus hæc uel illa esse dicitur. & hac habita distinctione respondent, quòd illa propositio uniuersalis probatur, a demonstratiua doctrina secundo modo sumpta: sed doctrina demonstratiua sumpta primo mõ, probatur ab uniuersali propositione, omnis doctrina, & omnis disciplina ex præexistẽti fit cognitione, & sic non fit petitio principii. Sed errant, nec fugiunt principii petitionem, nam cum Arist. probet uniuersalem, & uniuersalis est respectu inferiorum, erit etiam respectu illius doctrinæ singularis, & sic semper est ab eodem ad idem, & erit petitio principij. Vnde pro solutione notandum est hoc aliud circa ipsam inductionem, quòd inductio cõsideratur bifariam, uno modo, a singularibus ad uniuersale, alio modo a singulari ad singulare, mediante uniuersali probata. & differunt in hoc ii duo modi, quia si sumuntur plura singularia, erit modus inductionis, si uero unũ uel pauciora, habebit modum exẽpli. Et ex hoc patet clara solutio. quòd Arist. in probando illam uniuersalem propositionem, utitur inductione primo modo, sed in probando illam particularẽ utitur inductione secundo modo ex uniuersali probata. Neq; propter hoc fit petitio principii, nam octauo top. cum 10. colligitur, quod petitio principii est duplex, una dicitur uera petitio principii, & est quando idem non solum subiecto, sed ratione eiusdem nominis synonimi: & alia dicitur esse petitio principij nõ uera, sed topica, & est illa, quam secũdum opinionem opinamur esse petitionem, cum non sit exemplum, ut cum per definitionẽ probatur aliquid de definito, & quia definitio, & definitum sunt unum, septimo metaph. tex. com. 21. opinamur tunc idem per idem probari esse, quia primo phys. & septimo metaph. tex. com. 40. definitio, & definitum non sunt omnibus modis unum, quia differunt ratione, tunc est dicendum, quod nõ idem per idem probatur, & sic non fit petitio principii uera: ita dicimus ad propositam dubitationẽ quod cum probamus illam uniuersalem per singularia, et econuerso, opinamur petere, & idem per idem probare, quia opinamur uniuersale esse idem suis singularibus, & econuerso: sed in rei ueritate (primo physic. 4.) uniuersale differt ratione a singularibus, & ideo potest probari per singularia, et singularia possunt probari per uniuersale sine petitione principii, dicimus ergo Arist. usum fuisse petitione topica, in probando illam uniuersalem propositionem per sua singularia, & singularia per eorum uniuersalem, & nullum inde sequitur absurdum.

Commen. primum Aoerrois.

HAec enunciatio ut ait Abunnàzar Alpharabius continet suo subiecto, quicquid est in hoc libro} Auerro. in hoc primo commen. tria facit. Primo exponit. Secundo digreditur ibi. {Themistius uero} Et tertio reuertitur ad exponendum tex. ibi. {necnon cuius ueritas.} Quod ad primam partem notato quod Auer. primo Alpha. ponit expositionem circa illam propositionem uniuersalem, deinde suam: narrans igitur expositionem Alphar. in principio commen. dicit. {Hæc enunciatio ut ait Abũnazar Alphar. continet suo subiecto quicquid est in hoc libro}. i. illa propositio uniuersalis claudit sub suo subiecto. s. omnis doctrina, & omnis disciplina, demonstrationem, & definitionem, quæ tractãtur in hoc libro, & uocauit enunciationem hanc propositionem uniuersalem, quia dicit uerũ uel falsum, ut docuit Arist. in primo lib. de interpret. cap. quarto, & subdit. {Dicere enim omnem doctrinam} Exponit hoc & dicit reddendo causam, propter quam ipse Alphar. intellexit illam propositionem uniuersalem uerificari de demonstratione, & definitione, & causa talis est, quia dicere omnem doctrinam subingrediuntur {omnes species quæsitorum}. s. si est, quia est. propter quid est, & quid, ut patet secundo poster. tex. com. primo {quia fiunt secundum modum assertionis}. i. demonstrationis, uocat autem demonstrationem assertionem, quia asserit aliquid de aliquo. Alia quoque potest esse ratio. cur demonstratio dicatur assertio, & præsertim demonstratio potissima, de qua principaliter intendit Aristo. in hoc lib. poste. quia asserere idem quod affirmare significat: sed tunc aliquid nos uerè, & propriè affirmare dicimus, quando illud per propriam, & ueram causam explicamus, & confirmamus: ista autem explicatio, & cõfirmatio per causam maximè cognoscitur per demonstrationem potissimam, cuius medius terminus est causa essendi, & inessendi, uera, & propria, & immediata, ut infra uberrimè suo loco dicetur: merito igitur per assertionem demonstrationem intelligere debemus. Amplius primo post. 14 & secundo poster. com. 45. demonstratio est oratio enunciatiua dicens esse uel non esse, asserendo, & ideo scientia demonstratiua assertio uocatur, quia cũ assertione essendi in affirmatiua, & non essendi in negatiua. uocatur etiam ipsa demonstratio ab Auer. in prologo, & in primo poster. & in epit. logic. & in quæsitis, uerificatio: & ratio talis est, quia scientia demonstratiua est cum compositione orationis enũciatiuæ, in qua stant uerum, & falsum ut diximus: & quia demonstratio semper concludit, & asserit uerũ, ideo Auer. solet demonstrationem uocare uerificationem, & cum dicit {secundum modum conceptionis} intelligit definitionem: & ratio, qua conceptio significat definitionem est, quia definitio significat unam substantiã, quæ est forma, septimo metaph. tex. comm. 42. 43. & forma simplex est, & conceptus simplex dicitur sine assertione ueri uel falsi. ergo merito conceptio potest significare definitionem. tum quia tota definitio sumitur a forma, cum etiam quia definitio non dicit esse, nec non esse, ut docuit nos

Arist.

Arist. primo poster. tex. comm. 14. infra Auer. & in epit. logic. solet uocare ipsam definitionē, formationem; quia definitio est una substantia, & significat unum per formā septimo metaph 42. & 43. dicitur etiam formatio, ex eo quia est in prima operatione intellectus, quę dicitur formatio ab Auer. tertio de anima com. 21. ubi dicit duas esse operationes intellectus, quarum prima dicitur forma, secunda uerò dicitur fides, & per ea {quæ fiunt secundum modum assertionis} intelligas, si est, quia est, & propter quid est; & per ea {quæ sunt secundum modum conceptionis} intelligito quid est. & cum dicit. {dicere uerò} exponit prædicatum illius propositionis uniuersalis. s. ly ex præexistenti cognitione, quod prædicatum secundum Alpharabium subingrediuntur omnes species præmissarum, scilicet quia, propter quid, & simpliciter, & partes definitionis, & cognitiones agentes iam definitionis quæ sunt partes definitionis, scilicet genus & differentia, quam cognitiones agentes demonstrationis, quæ sunt præmissæ {In hoc autem libro} quasi hic Auer. ponendo minorem uult reddere causam, cur dixit, quod hæc propositio uniuersalis continet quicquid est in hoc libro, quia omnes species quæsitorum, scilicet demonstrationis & definitionis subingrediuntur hanc maximam, sed in hoc libro, nil aliud est, quam {species quæsitorum} ut si est, quia est, propter quid est, & quid est {& species pręmissarum,} scilicet quia, propter quid, & simpliciter. ergo in hac maxima seu propositione uniuersali continetur quicquid est in hoc in libro. {Veruntamen possibile est} Vbi Auer. ad mentem Alpharabii exposuit illam maximam uniuersalem, nunc ad mentem suam exponit & ait. {Veruntamen} idest possibile est, quod hęc maxima {quinque artes logicas,} scilicet, quinque species syllogismi contineat: nam in primo posteriorum commen. 17. & in prologo magnę commentationis, & in epito. logic. in præfatione auctoris, & in primo rethoric. cap. tertio, quinque assignantur species syllogismi, secundum quod quinque sunt species præmissarū ipsius syllogismi: est syllogismus demonstratiuus, topicus, sophisticus, rhetoricus, & poeticus, cuius species si diffusius scire cupis, legito quæsitum nostrum de regressu demonstratiuo. {Et species & partes definitionum} notato, quod secundo posterior. tex. commen. 46. triplex est species definitionis, una quę est principium demonstrationis, altera est conclusio demonstrationis, tertia uero est demonstratio positione differens, de quibus speciebus Auer. fecit pulcherrimum quæsitum octauum in epito. logic. in quo quæsito principaliter loquitur de definitione tertio modo dicta. dixit {possibile} quia de facto dicet non esse uerum. {dictio autem} nunc exponit illam particulam {intellectiua.} & dicit, quod per intellectiuam, debemus intelligere discursiuam, idest illam disciplinam quæ fit cum discursu, & oratione, ad excludendam definitionem, quæ non est oratio. {disciplina enim} reddit causam, & dicit quod ex disciplinis, quædam fit oratione, & quædam fit opere, & tales sunt artes quæ experimento addiscuntur, scilicet artes mechanicæ, quæ fiunt sine oratione, & sic ipsas excludit. & cum dicit {intendimus autem} exponit interiori modo & dicit quod per orationem, intelligit ratiocinationem, idest discursum, & per hoc, scilicet quia per syllogismum distinguuntur artes operatiuę, quæ fiunt sine syllogismo, & sic ipsas excludit. deinde dicit. {Themistius uerò} ubi Auerro. expositione sua & Alpharabii exposuit particulas ipsius propositionis uniuersalis, nunc digreditur aduersus Themistium, & hæc est secunda pars principalis huius commenti, & potest reddi duplex causa, propter quam Auerro. uoluit digredi contra Themistium & Alpharabium, tum quia illud quod dicebant isti, erat contrarium suæ expositioni, nam unusquisque tenetur tueri sua iura & dicta, cum etiam quia Themistius, & Alpharabius erant uiri magnæ auctoritatis, & ne eis crederetur uoluit aduersus utrunque digredi. Sed nota quod hæc secunda pars commenti in qua digreditur Auerro. potest diuidi adhuc in duas minores partes, una est in qua digreditur contra Themistium ibi. {Themistius uero} alia in qua contra Alpharabium, quando dicit. {& iam expedit inspicere} Et redeundo ad primam partem digressionis, dicit. quod Themistius ponit illam maximam communem esse omnibus artibus, & scientiis. & dicit {intendo} per artes, eas, quæ experimento discuntur, scilicet ædificatoriam & sutoriam. {ipse enim ait} idest ipse Themistius dat exemplum, & dicit, quod qui ædificare intendit, non potest addiscere ipsam artem ædificandi, nisi cognouerit præcognitione quid nominis materię, lapis, ligni, & huius generis. {Sed hoc non} nunc arguit contra ipsam & primo dicit quod illud quod Themistius dixit, non est ad mentem Arist. neque est undique uerum, ut per exemplum quod ponit. et dicit, quòd in artibus operatiuis, et mechanicis non necesse est, ut fiant ex præexistenti cognitione. et quando dicit. {discipulus enim mutus} probat secunda ratione; quia surdus, et mutus potest addiscere artem aliquam, ut puta ędificatoriam, nutibus seu signis tantum, et non habita præcognitione quid nominis, sed per sensum uisus, ut muti, et surdi, et animalia disciplinabilia ut canis, psitacus, et pica, quæ quidem animalia discunt, nam Aristot. docuit primo metaphysic. in procemio quædam animalia esse disciplinabilia. et dicit quod ista {enunciatio} est tantum uera, et necessaria in rebus quæ addiscūtur syllogismo, scilicet demonstratiuo, est nec aliter se habere, ut docet Arist. primo posteriorum, sed si sic esset mutus et surdus non posset addiscere aliquas artes. {et dum discipulus} Dicit nunc Auerro. quod in istis artibus, præcognitiones non sunt necessariæ, sed sunt de bonitate, et ad melius et facilius, et dicit quod dum discipulus habet præcognitiones nominum, discit facilius artem aliquam, non quod necessariò indigeat præcognitionibus {prout res se habet,} idest quemadmodum necessario eget in disciplinis et scientiis quæ fiunt orationibus, nam ibi sunt necessariæ tales præcognitiones. Hucusque arguit Auerro. aduersus Themistium et exposuit illas particulas tex. suo modo. Sed Auerro. expositio non placet neque etiam uerum est quod dicit contra Themistium, unde aduersus Auer. hunc obseruabimus ordinem. Primo ostendemus quod sibi contradicat. Secundo quod contradicat Aristo. Tertio quod contradicat ueritati. Et quarto rationes eius quas facit contra Themistium soluentur. Primo igitur asserimus Auer. sibi ipsi contradicere, nā primo met. com. 48. expresse dicit quod propositio ista uniuersalis Arist. est uera in artibus operatiuis et consideratiuis, idem protulit in epit. logic. in tract. de retho. demonstratiua. Secundo quod Arist. contradicat patet in te. quia dicit, et aliarum unaquæq; artium, nam de artibus operatiuis ibi loquitur Ari. uelut uberrimè exposuimus. Tertio quod contradicat ueritati, hoc patet ad sensum, quia nihil potest addisci nisi habita notitia illarum præcognitionū. Quarto ostenditur quòd eius rationes non concludant contra Themistium, & primo ad primam cum sit mutus et surdus addiscit artem sine præcognitione quid nominis, ergo præcognitio quid nominis non est necessaria artibus: dicimus quod licet mutus et surdus addiscat artem sine præcognitione quid nominis, tamen non sine præcognitione absolutè, quia habet præcognitionē si est. Vel alio modo posset responderi quòd illi nutus et signa, seruiunt surdo et muto pro præcognitionibus, ut ipsemet Auer. dicit. Et si hæc responsio non satisfacit, dicendum ut in prima, quod non potest discere sine præcognitione absoluta, nam si caret una, non caret altera, ista nanque uniuersalis propositio Ari. est communis analogice: per prius enim de scientiis speculatiuis, et per posterius de artibus operatiuis ue-

tificatur: at definitio analogi non oportet, quòd uerificetur secundum omnes partes de suis analogatis, ut habetur primò de anima, de definitione animæ, & secundo physi. tertio. de definitione naturæ, quæ dicit quòd est principiũ motus & quietis. attamen in cœlo est principium motus, & non quietis, & Auer. dixit in com. quòd artifex non potest facere plus isto. Ad secundam rationem Auer. quando dicit quòd animalia disciplinabilia discunt sine præcognitionibus, dicimus quòd Arist. in ista propositione uniuersali, omnis doctrina, et oīs disciplina intellectiua etc. loquitur de doctrina intellectiua, ut patet, at solum intellectus est in homine. si uerò fuerit aliquid quod non tantum homini, sed etiam alii ab homine competit, hoc erit secundum similitudinem & comparationem & quandam ęquiuocationem. ut ridere homini cõpetit, & pratis, sed æquiuoce. sic in proposito dicimus, quòd disciplina æquiuocè dicitur de disciplina hominis & brutorum, non enim disciplina brutorum continetur in ista propositione uniuersali, quia Arist. posuit illam particulam. intellectiua. Et ut clarius ista dicamus, sit hoc exemplum. quoniam in leone est magnanimitas, & hoc est æquiuocè et similitudinarie, nam magnanimitas & aliæ uirtutes competunt soli homini per se primo, & probatur hoc, quia magnanimitas est uirtus (ut protulit Ari. in ethic.) est habitꝰ electiuus cũ ratione in mediocritate: at in leone & aliis non est ratio: si non est ratio, ergo non habet definitionem ipsius uirtutis: si non habet definitionem ipsius uirtutis, non habet definitionem magnanimitatis, ergo diuersa est definitio: si diuersa est definitio, ergo diuersa est forma: & sic erit ęquiuocatio. & quòd de magnanimitate diximus intelligẽdum est etiam de aliis uirtutibus, quæ putantur esse in aliis animalibus. patet igitur solutio rationum Auer. contra Themistium & male & falsò ipsum Themistium reprehensum fuisse, ab Auer. Quinimmo maxima ipse Auer. reprehensione dignus est, cum sibi, Arist. & ueritati contradixerit: sciendum tamen. quòd licet Themistius uerum dicat, tamen in hoc errauit quia credidit artes operatiuas nõ posse dici doctrinas & disciplinas, sed solum scientias speculatiuas putauit uere dici doctrinas, & disciplinas, quia addiscendo acquiruntur, scilicet per discursum, & non opere. et quòd dicit Themistius. nihil obstat, quia licet artes operatiuæ non dicantur uerè doctrinæ & disciplinæ, tamẽ dicuntur analogicè, sicuti dicit Arist. in tex. & primo meta. tex. com. 48. & probatur quòd artes operatiuæ dicantur doctrinæ & disciplinæ, ex definitione seu ex ethymologia doctrinæ & disciplinæ, nam dixit Arist. sexto ethic. com. quarto, quòd illud uocatur doctrina, quòd dici potest, & quod est docibile, disciplina dicitur: sed ad sensum patet, quòd artes operatiuæ, à doctore acquiruntur, & a discipulo discuntur, ergo possunt dici doctrinæ & disciplinæ. quàm plures etiam alios errores ipsius Themistii in textus expositione annotauimus. { & tam expedit inspicere} Postquam Auerro. digressus fuit, aduersus Themistium, nunc contra Alpharabium digreditur, qui dixit quòd illa maxima, sit communis demonstrationi & definitioni, & hæc est secunda pars digressionis, in qua Auer. quatuor facit argumenta contra Alpharabium, & quando dicit. {Videtur enim ex uerbis} primum est argumentum & tale est, quia uerba & exempla Aristo. excludunt definitionem a tali propositione uniuersali: uerba Arist. hæc sunt, primum est, ly intellectiua, quæ dicit Auer. exponitur, id est discursiua, & sumitur etiam pro ratiocinatione quæ necessario exigit discursum: sed definitio non habetur per discursum, quia non dicit esse, nec non esse, ergo definitio non continetur sub illa propositione uniuersali. secundum uerbum colligitur ab Aristo. in secundo tex. ubi loquitur de tribus præcognitis, quæ tantum demonstrationi seruiunt & non definitioni, ut patet, sunt etiam exempla Aristo. in textu primo, ubi semper exemplificat in doctrina speculatiua, scilicet in doctrina discursiua, ut pote quãdo dicit. (mathematicæ enim scientiæ,) & quando dicit, (similiter circa orationes.) Amplius Aristo. exemplificauit de discursu, scilicet de syllogismo, inductione, enthymemate, & exemplo, & sic ex uerbis & exẽplis Ari. concludit Auerro. contra Alpharabium, quòd illa propositio uniuersalis non potest uerificari de definitione. { Et secundum hanc significationem. } Facit Auer. secundum argumentum ex auctoritate Themistii. & dicit quòd secundum hanc significationem, scilicet quòd sit communis illa propositio uniuersalis tantum ipsi demonstrationi. Themistius exposuit, licet ipse Themistius connexerit etiam cognitionem dirigentem ad ipsam definitionem. & ad ipsam demonstrationem, cum cognitione agente utranque, scilicet demonstrationem & definitionem. Aduertas quòd de cognitione agenti, & dirigenti, tam demonstrationis, quam definitionis superius in expositione quanti termini positi in illa propositione uniuersali diffusius dictum est, ideo illuc recurrito. { Nostra uerò intentio est} Auer. suam declarando mentem excludit dubium & dicere uult, quòd quamuis Themistius connexerit etiam cognitionem dirigentem ad ipsam definitionem, & ad ipsam demonstrationem, cum cognitione agẽte utranque, scilicet demonstrationem & definitionem, tamen intentio eius est quòd Aristo. loquatur solum de cognitionibus agentibus, scilicet demonstrationis & non definitionis, & sic Auerro. in his uerbis suam mentem aperit, & dubium quod quis ex uerbis Themistii facere posset: excludit: & cum dicit { Dicimus itaque quòd prima intentione} tertium uidetur facere argumentum contra Alpharabium, ex hoc, quia ipse exponendo textum Aristo. dicit, quod quando Aristo. dixit illam propositionem uniuersalem, intendit quòd sit explicatio præsumptionis cognitionis agentis demonstrationis, idest quòd omnis doctrina demonstratiua fit ex præexistenti cognitione, & nõ definitiua doctrina. { Hoc enim euidens } Confirmat hoc iterum exemplis Arist. & dicit, quòd hoc est manifestũ exemplis quæ dantur in textu, ubi ipse Aristo. non inquirit, idest inquisitione sua ponit aliquam rem agentem definitionem ipsam cum ipse Themistius numerauerit inter eas res dirigentes assertionem, & conuentionem. quasi dicat quòd hoc neutiquam sit uerum, quia Aristo. nullam fecit in textu mentionem de præcognitionibus definitionis, deinde dicit. { ac iterum quia si poneremus, } Quartum nunc profert Auerro. argumentum contra Alpharabium quòd definitio non contineatur sub illa propositione uniuersali, & præsupponit unum quòd ars non considerat de æquiuocis sicut ipsemet dixit in quarto metaph. com. secundo, & in tertio de anima commen. 20., & in secundo de anima commen. 30. dixit, quòd æquiuocis uerbis non est rectum uti in doctrina demonstratiua. tunc si secundũ Alpharabium contineretur definitio sub illa propositione uniuersali, hoc non esset, nisi æquiuoco modo, scilicet nomina tantum, & non definitione: pro hoc probando assumit, quòd quæ non habent eandem operationem, non habent eandem formam, & quæ non habent eandem formam, non habent eandem definitionem, cum ista conuertantur & non separentur inter se, & quòd in cognitionibus agentibus definitionem & demonstrationem, ipsa nõ habeãt eandem operationem probat, & primo dicit, ꝙ si non diceremus, quod in ista enunciatione sit ipsa definitio tunc ipsa enunciatio esset æquiuoca. {modus enim} nunc, probat quod non habeant eãdem operationem, nam modus agens primam præmissam, scilicet maiorem, (dicit autem primam quia ex ipsa maiori pendet quæsitum in potentia, ut dixit Auer. in epito. logic. in capitulo de rethorica demonstratiua) modus inquam quo præmissæ faciunt cognoscere conclusionem ignotam, non est similis illi modo & processui, quo partes definitionis faciunt ipsum con

ceptum definitiuum: subdit Auer.{nam non est}.i.probatur sic, nam non est similis processus, utriusq; ipsorũ.s. definitionis & damonstrationis{a notitia ad latentiam.}.i.a naturaliter noto ad naturaliter ignotum, quasi arguat hoc modo:ille est similis processus duarum rerum, quãdo ambæ ipsæ res procedunt uno modo: at definitio & demonstratio non procedunt uno modo, ergo non habent similẽ processum, & dicit quod præmissæ possunt esse{ naturaliter notæ}.i.inductione ut sexto ethic.cap 4.ex ea uia quã dedit nobis natura cognoscere, & põt esse conclusio ignota{at cum composuerimus præmissas, euenit cõclusio nota necessario}hic uult notare quod possumus habere notitiam de maiori & minori separatum, & non de conclusione, nisi cum cõposuerimus ipsas præmissas in modo & in figura, patet ergo pocessum demonstratiuum esse, a naturaliter noto, ad naturaliter ignotum{ partes uero definitionis} nunc de processu definitionis dicit, & ait quod partes definitionis non possunt esse notæ naturaliter, & ꝙ concludant definitionẽ ignotam, eo modo quo præmissæ cõcludunt conclusionem ignotam. sed quando hoc est, ostẽditur demonstratione ut infra dicetur,{ Dũ uerò fuerint } pro declaratione istius processus definitionis, quòd sit diuersus a processu demonstrationis, supponit Auer. ꝙ tres sunt species ipsius definitionis. quædã est naturaliter ignota, quædã naturaliter nota, & quędã ignota& nota aliquo modo, ut in secũdo lib. poster. habetur cap. 10. His stãtibus arguit ꝙ neutra istarũ procedat a naturaliter noto ad naturaliter ignotum, & dicit,(dũ uerò ipsæ partes definitionis fuerint notæ per se (& sic loquitur de definitione naturaliter nota)aut per syllogismũ(& sic loquitur de definitione ignota naturaliter)tunc definitio sit per se nota.) Sensus est, ꝙ quando definitio est nota naturaliter, procedit, a partibus notis, ad definitionem notam, & quãdo est ignota, procedit a partibus ignotis, sed per syllogismum notificatis, ad definitionem ignotã. neq; in ista est processus, a noto ad ignotũ, ut definitio est, quia syllogismus facit hoc modo: si hoc syllogismus non faceret, tunc definitio procederet ab ignoto ad ignotũ.{ licet aliquando contingat} Nunc de alia specie definitionis dicit, quæ est aliquo modo ignota & nota, & dicit ꝙ quando definitio est isto modo, indiget processu compositionis & diuisionis, et sic non proceditur nec in hac specie, a naturaliter noto ad naturaliter ignotum, sed ab aliquo modo noto ad aliquo modo ignotum. Et hic est unius modorum quo ait Arist. (secũdo post. cap. 3. & 4.}quod definitionis nõ est demonstratio. s. quando non est naturaliter ignota ut dicemus. {hoc est} exponit quomodo non est demonstratio, quoniam non est ignotum naturaliter, utrũ illa definitio insit definito, quoniam ipsum definitum est notum, & definitio est ignota. s, utrum insit definitio. & sit illius definitio. {quoniã dum} Reddit causam & dicit. quod quãdo definitũ est notũ, & definitio est ignota naturaliter, utrum sit definitio illius, & insit illi, tunc eius conceptus .i. definitio ostẽditur per demonstrationẽ. s. quod insit definito secũdũ aliquam speciem accidentis. Pro intellectu clariori huius particulæ, notandum quod dicit Arist. secundo post. ca. 7. quod definitio ut definitio nõ demõstratur, nisi ut pręd icatum per se. sed sic est quòd definitio ipsa quæ demonstratur, accidit, quod sit idẽ subiecto cũ illo prædicato per se & ecõtra, quod prædicatum per se, quod demõstratur sit idem subiecto cum definitione. sed quod est idẽ subiecto, est per accidens tale, ideo dicit{ secundum aliquam speciẽ accidentis.}nam demonstratio facit scire illud prædicatũ inesse illi subiecto, ut cognoscatur quòd sic definitio regulis logicis cognoscitur. s. quia habet differẽtiam & genus. {Demonstratio largitur enim} reddit causam quod demõstratio secundum accidens concludat definitionem, & dicit quod demonstratio per se largitur assertionem partiũ definitionis, idest largitur ipsam definitionem inesse ipsi definito, ut est quid prædicatum ignotum inesse subiecto, at partes definitionis largitur definitionem, sed non eo modo, quo naturaliter notũ largitur naturaliter ignotum(ut supra diximus,)nam non est iste processus in ista definitione. s. quod procedatur a naturaliter noto ad ignotum, ut per ipsum notum procedatur, & eliciatur ipsum ignotum, ut in demonstratione.{ nam si ita esset} probat quod hoc sit uerum & dicit quòd ars & natura nihil frustra & superfluũ agere debeat, ut habetur primo cæli. 32. & secundo cœli tex.com, 30. & 59. & tertio de anima 45. & secundo phys. 45.(quo stante)si quando definitio ipsa est naturaliter ignota, partes ipsius possent ipsam notam facere. quemadmodum demonstrationis præmissæ faciũt notam ipsam demonstrationẽ; non indigeret ipsa demonstratione ad eliciendam ipsam definitionem ignotam, sed partes ipsius possent hoc facere, quasi dicat Auer. hoc est falsum per præsuppositũ, quia ars & natura nihil frustra & superfluum facere debet. præterea soli demonstrationi competit ostendere ignotam connexionem pręd icati ad subiectum, ut Auer. posuit primo poste. com. 73. ergo si soli, et proprie: et si proprie, tunc per se: et sic non potest competere ipsi definitioni, si soli demonstrationi cõuenit nam proprium est conuertibile, et nulli alteri conueniens: hæc sunt quę dixit Auer. pro quarto argumento cõtra Alpharabiũ, in quo cõclusit quod tũc illa propositio uniuersalis esset ęquiuoca, si uerificaretur de definitione, ut Alphar. dicit.{ et perinde non inuenitur} ubi Auer. probauit intentum suum quod in demonstratione, et definitione nõ est idem processus, quia in demonstratione proceditur a noto ad ignotũ, & in definitione nõ proceditur isto modo: remouet quoddã dubium, quòd posset fieri circa hoc nam posset quis dicere, quòd si in definitione non proceditur a noto, ad ignotum; uel proceditur ab æquè noto ad æquè notum, uel ab æquè ignoto ad æque ignotũ, uel ab ignotiori ad ignotũ, & sic esset petitio, ut dicit Arist. secũdo poster. idcirco Auer. remouendo hoc dubium dicit.{ Et perinde non est petitio in definitionibus, prout multi uiri putauerunt. sed secundum analogiam }. s. inferendo prius, a posteriori, uel posterius, a priori. & dicit quod non est petitio simpliciter. pro hoc notandum est, quod dicit Arist. octauo top. cap. 10. & secundo poster. quod petitio uera est illa quando proceditur ab ignoto ad notum, uel ab æquè ignoto ad æquè ignotum, aut idem per idem. datur etiam alia petitio, quæ est proportionabiliter & similitudinarie, & non uera, & est illa quando prius infertur ex posteriori, & econtra, & idcirco dixit Auer. quod non{ est petitio simpliciter}sed similitudinarie, nam ut dicit Arist. in secundo poster. demonstratio quia etiam dicitur petitio .s. secundũ similitudinẽ quia ab effectu. s. posteriori, infert prius, scilicet causam, & ideo dicebat{ ut prius fiat posterius } idest ut inferatur prius, a posteriori{ & posterius prius}idest ut a priori inferatur posterius { prout euenit illi } dat exemplum, & dicit ut euenit illi, qui in definitione solis, qui est quoddam prius ut causa, sumit diem, dicens sol est astrum lucens in die; & in definitione diei, qui est quoddam posterius sumit solem, qui est quoddam prius, dicens dies est mora solis super orizontem, non quod aliquod ignotum ostendatur per aliud ignotum, sed ut aliquod prius, a posteriori; & aliquod posterius, a priori: quod quidem non est uerè petere, ut in supra allegatis locis patet.{ Dum autem præcognitio assertionis } nunc iterum postquã istud per parenthesim dixit reuertitur ad suum intentum, & dicit cum probatum sit quòd præcognitio agens demonstrationem, non dicitur eodem modo quemadmodum præcognitio agens definitionem, indignum & inartificiale est credere, quod una ars contineat ambas illas res, nã una ars nõ potest de æquiuocis tractare; destruit ergo consequens, & ait, ergo non possunt cõtineri in una arte, & per consequens in una præmissa artis.

{Et ex toto hoc sequitur}nunc concludit quòd cum hoc sit probatum, quòd dictum Arist. hic nõ intelligatur, nisi pro illa pręcognitione{quæ agit}.i. agente demonstrationem, & quod præcognitione quid nominis dirigente.{ Et præcipue disparatorum.}pro hoc intelligendo notandum est quod dicit Auer. in epit. logic. in principio, & in tractatu de rethorica demonstratiua, quòd præcognitio si est in demonstratione, fit de quæsito, quando interrogatur cum oppositione, uel cum nominibus disparatis, ut puta dicendo, utrum aliquod rationale, uerbi gratia, sit asinus uel homo, uel sit animal, uel non animal: tunc demonstrator cognoscit si est de uno istorum quæsitorum, & de illo conficit demonstrationem: & hoc intelligit hic Auer. { Et sic uidetur.}Nunc ipse Auer. modo suo exponendo conformat dicta Aristo. suæ sententiæ, & dicit & hoc est signũ, quòd quando dixit Arist. & aliarum unaquæq; artiũ, scilicet rethoricarum seu speculatiuarum, & sic excludit artes operatiuas. sed m hoc falsum dicit(ut etiam diximus in textus expositione)nam ars absolute dicitur, & intelligitur proprie de mechanicis & operatiuis. { Themistius autem.}Iterũ aduersus Themistiũ arguit, & dicit quòd is intelligit, quòd in illa maxima contineatur doctrina speculatiua, & {utens}idest operatiua, sic enim transtulit Burana. Ad uberiorem doctrinam placitum est nobis, iterum quartam rationem Auer. formare ut ueritas magis elucescat, arguit igitur Auer. hoc modo si hæc enunciatio Aristot. contineret utranque doctrinam, demonstratiuam & definitiuã, tunc esset æquiuoca, quod non potest esse, quia solum sophista utitur æquiuoco, ut patet primo elencho. & non decet alios artifices: consequentia probatur quòd tunc propositio illa uniuersalis esset æquiuoca: quia doctrinam fieri ex præcognitione, non est aliud quã iri ex præcognito ad ignotum. sed isti duo processus in demonstratiua & definitiua doctrina sunt æquiuoci: merito igitur sequitur, quòd illa enunciatio Aristo. esset æquiuoca, si ambos illos processus complecteretur. minorẽ Auerro. probat, pro cuius probationis intelligentia notato, ueluti dixit ipse Auerroes in epito. logic. in cap. de syllogismo hypothetico, & in primo priorum, quòd præmissæ possunt esse separatim cognitæ ignota conclusione scilicet maior per se, & minor per se separatim. sed coniunctim præcognoscere maiorem & minorem, & nõ cognoscere conclusionem est impossibile. Quæres quid est cognoscere coniunctim maiorem & minorem? Respõdet in præfatis locis Auer. minorem subsumptam ordine, figura, & modo sub maiori, isto modo est impossibile præcognoscere præmissas, & non cognoscere conclusionem: in partibus uerò definitionis est impossibile pręcognoscere partes siue coniunctim, siue separatim, & non cognoscere totam definitionem: immo dicimus dummodo ambæ partes præcognitæ sint, siue coniunctim, siue separatim ꝙ semper necessariò definitio est cognita. Secũdò nota, doctrinam fieri ex præcognitis, præ, idest ante secũdũ tempus cognitis: unde sensus est, quod sint ante per tempus cognita illa ex quibus fit doctrina, deinde habeatur ipsa doctrina. & causa est ista, quoniam. 12. met. tex. cõ. 16. agens causa est prior tempore suo effectu: at quando dicimus pręmissas præcognitas conclusioni, & partes definitionis, definitioni, tũc de pręcognitione agente loquimur meritò ergo debent esse præcognitæ prius tẽpore: ex quo Auer. habet intentum, quod licet doctrina demonstratiua non fiat ex præcognitis tempore ut coniunctim cognitæ sunt tamen potest fieri, ut sunt separatim cognitæ: doctrina uerò definitiua ex præcognitis partibus prius tempore coniunctim, nec separatim fit, merito ergo Arist. enunciatio esset ęquiuoca, si ambos istos processus cõtineret. Cõfirmat Auer. non fieri notitiam definitiuam ex prænotione partiũ ut ex causa agente, & ideo non contineri in illa enunciatione, & probat distinguendo de definitione ex secundo poster. commen. 46. uel definitio est per se nota nullo indigens ad suam notitiam, & sic non indiget prænotione partium, quia est per se nota; uel est ignota naturaliter, & sic est ignota naturaliter(ut secundo poster. 37. per totum illum libro. monstrator)non habetur doctrina eius nisi per demonstrationem ex præmissis præcognitis, quia secundo poster. primo, quæsita & ignota naturaliter sunt æqualia numero scitis per demõstrationem: nullo ergo modo doctrina definitiua fit ex prænotione partium: & per cõsequens non cõtinetur ipsa doctrina definitiua in tali enũciatione uniuersali Aristotelis. Dicet tu, licet definitio nec per se nota, nec ignota naturaliter, nõ possit haberi secundum eius doctrinam ex prænotione partium, tamen inter hos duos modos, potest dari unus modus medius cuius doctrina erit ex prænotione partium, nam primo cœli. 2. habetur quòd inter per se notum omnibus & ignotum naturaliter datur mediũ, ita quoq; in definitionibus esse debet, ut colligitur ex secundo phys. tex. cõ. 3. de definitione naturæ, quę non est ignota naturaliter ut indigeat demõstratione, nec est nota naturaliter, ut nulla prænotione indigeat: sed est aliquantulũ ignota. s. inchoãtibus, & male assuetis, imperitis, & pessimæ indolis, ut patet secundo meta. 15. & ideo indiget aliqua prænotione quæ non põt esse, nisi sit pręnotio partium, & sic definitio quę isto medio modo se habet, continetur in illa enunciatione uniuersali Aristotelis. Respõdet Auer. huic dubio. Sed pro intellectu faciliori suę responsionis notandum est, sicut dicit in hoc com. & secundo post. 69. & in epit. logi. quæsito. 8. & in cap. de definitionibus. ꝙ sunt quędam definitiones naturaliter ignotæ, quæ non utuntur nisi demonstratione; ut dictũ est, & per accidẽs & nõ per se: & ad intelligẽdũ quomodo definitio notificetur per demonstrationem, notabis hoc, quod illud prędicatum quod dicitur definitiuũ, habet duos modos prædicati, unus modus est in quid & proprie ut habetur primo top. 4. alius est per se & proprie ut habetur primo poste. tex. com. 30. tunc stante huiusmodi distinctione, dicimus quod prima ratio prædicati cõuenit definitioni per se: secunda uero ratio competit ipsi definitioni per accidens. Amplius pro huius intellectu sciri uolumus, ꝙ demonstratio demonstrat definitionem ignotam naturaliter de definito, non secundũ ꝙ inest ipsi definitio per se, proprie, sub secũda ratione; sed solum sub prima ratione: nam si probaret definitionem inesse definito in eo quod quid est, per regulã primi priorũ cap. proprio; reduplicata non sequitur nisi ex præmissa reduplicata: immo si conclusio in quid monstratur, una præmissarum debet esse prædicatũ in quid. sed unius rei una est definitio, ergo unamet erit conclusio & præmissa: & sic idem per idem synonime monstraretur, & esset uera petitio principij ut patet primo priorum cap. 17. & in octauo top. cap. decimo, quia non monstratur intentũ. ex quo patet declaratio dicti Auer. quod definitionem naturaliter ignotam uenamur demonstratione per accidens, quia sub ratione prædicati primo modo dicti, & non sub ratione prædicati secundo modo dicti. quædam aliæ definitiones sunt, quæ sunt notæ naturaliter. & scito, quòd tunc definitio est nota naturaliter, quando definitum est notum esse, & definitio est cognita quòd insit definito. quædam uerò sunt definitiones, quæ medio modo sũt ignotæ, de quibus Auer. secundo poster. comm. 69. latius dixit, & eas non uenamur nisi diuisione & compositione. Qua distinctione habita de huiusmodi triplici definitione concludit Auer. quod nulla doctrina definitiua fit ex prænotione partiũ, & probat inductione habita in triplici hac specie definitionis primo, sit sunt definitiones naturaliter notæ dicimus quòd non fiunt ex pręnotione partium, quia si sunt per se notæ, ergo non per aliud, quoniam si essent notæ ratione partiũ, tũc per aliud essent notæ, et sic per accidẽs: quia 5. phy. tex. com. primo, quod est per aliud, est per accidẽs

quam-

quamobrem à primo ad ultimum. si essent notæ per accidens, tunc non essent notæ per se. Secundo si definitiones naturaliter sunt ignotæ, tunc ex prænotione præmissarũ notæ fiunt, quia probantur demonstratione, ergo si ex prænotione præmissarum, tunc non ex prænotione partium, quoniam præmissæ non sunt partes definitionis, ut patet. Tertio si sunt definitiones medio modo ignotæ, non utiq; ex prænotione partium innotescunt. quia eas uenamur diuisione, uel cõpositione, ut paulò superius enucleauimus. Quamobrem concludit Auer. aduersus Alpharabium, quòd illa doctrina definitiua fit ex prænotione partium. Sed dubitabis & pulchre in secundo poster. 69. non uenamur definitionem compositione & diuisione, sed partes definitionis, quæ partes inuentæ & prænotę faciunt notitiam definitionis completam: quare uerum erit ex prænotione partium fieri doctrinam definitiuam. respondet Auer. uerum esse, sed processus à prænotione partium ad definitionem, non est noti naturaliter ad ignotum, processus uerò in demonstratione est ex notis naturaliter ad ignotum, ergo cum isti processus sint æquiuoci, propositio continens eos erit æquiuoca. Et scito quod Auer. probat prænotionem partium non notificare definitionem ut ignotã naturaliter. sicuti præmissæ notificant conclusionem. nã secundo poster. per totum. & maxime com. 37. dicit quòd definitio quando est ignota, non notificatur nisi demõstratione, ex prænotis præmissis, quia ut dicitur, secundo pos. primo quæsita. i. ignota naturaliter sunt æqualia numero scitis per demonstrationem, & si partes prænotæ notificarent totam definitionem, esset superflua demonstratio ut dictũ est. Dubitabis si partes prænotæ naturaliter nõ possent notificare definitionem ignotam naturaliter, tũc processus à partibus definitionis ad totam definitionẽ est petitio in principio. Et probatur ex secundo prior. cap. 17. & octauo top. cap. 10. & secundo post. 12. petimus in principio, quando non monstramus intentum. Pro solutione notandum, quod secundo prior. ca. 17. petere in principio est duobus modis, uno mõ simpliciter cum non monstramus intentum; alio modo topicè: & est quando opinamur petere sed non petimus; ut cum monstramus prius per posterius, sicuti est demonstratio quia: modo cum partes definitionis notificent definitionẽ, licet non demonstrent ignotum naturaliter, tamen notificant ignotum aliquo modo, ut inductio, ex secundo post. 25. quę non est petitio simpliciter. Et pro intellectu illorum uerborum. {& præcipue disparatorũ.} nota, quòd uocantur disparata illa opposita quãdo unum non significat super rem alterius, ut sunt genera diuersa, & species diuersę uniuocæ, et in disparatis inquirendo utitur processus demonstratiuus, nã ut patet primo post. com. 13. demonstrator quærit duo opposita quæ sunt contraria, quia quærit solum quæsita uniuersalia, quæ sũt cõtraria, topicus uero quærit opposita cõtradictoria, quia quærit etiam particularia quæ sunt contradictoria. processus ergo demonstratiuus inquirendo utitur disparatis, quia quærit contraria, quæ sunt disparata, et sic clara est modo tota litera Auer. Habuimus ergo ut dicit Auer. quod ista enunciatio. s. omnis doctrina, & omnis disciplina ex præexistenti fit cognitione, non solũ non est cõmunis artibus operatiuis contra Themistium, sed neq; etiam est communis definitioni contra Alpharabium. Insuper ex utraq; digressione quam fecit Auer. contra Themistium & Alpharabium, colligendum est hoc, quòd Auer. digrediendo suam etiam posuit opinionem, quod illa enunciatio uniuersalis tantum est uera de artibus seu scientiis speculatiuis, et nõ de artibus operatiuis, ut dicebat Themistius, & etiam est uera tantum de doctrina demonstratiua, & non de doctrina definitiua, ut dicebat Alpharabius, & rationes quas aduersus utrunq; fecit, pro sua etiam opinione confirmanda posuit. Sed quod Auer. errauerit, eiusq; rationes contra Alpharab. nihil concluserint sole clarius ostendetur: errauit si quidẽ quia nedum contradicit Arist. sed sibimet. Primò contradixit Aris. quia in primo met. tex. 48. expresse dixit quòd omnis doctrina, tã definitiua quã demõstratiua ex præexistenti fit cognitione, ut dictũ est in analyticis. præterea dixit Ari. sexto ethi ca. 4. quod omnis doctrina & omnis habitus intellectus fit ex præexistenti cognitione, ut diximus in resolutiuis. sed definitio est habitus intellectus, ergo definitio quoq; ex præexistenti fit cognitione. Et confirmatur ista ratio, quoniã Aris. sexto ethic. ca. 4. quinq; dixit esse species seu partes habitus intellectus. s. artem, sciẽtiam, prudentiam sapientiã, & intellectum: tunc sic, sed definitio est habitus intellectus, ergo aut est unus de supradictis, aut in aliquo illorum includitur. sed non est unus ex supradictis, ut patet, ergo in aliquo illorum clauditur. sed in nullo illorum uidetur esse, nisi in scientia, ut recte discurrentibus per alios habitus patet: quare si in scientia clauditur, tunc cum scientia fiat ex præexistenti cognitione, ipsa quoq; definitio ex præexistenti fit cognitione, nam ibi cõcludit Arist. postquam numerauit quin que habitus intellectus, quòd omnis doctrina fit ex præexistẽti cognitione. Secundo Auer. sibi ipsi contradicit, quoniam dixit in epit. logic. cap. de rethorica demonstratiua, quod omnis doctrina. tam demonstratiua, quam definitiua ex præexistẽti fit cognitione: ubi rationem assignans dicit, ex quo scientiæ sunt duę partes formatio, et uerificatio, idest definitio, & demonstratio. Quid igitur his uerbis clarius? Præterea in primo metaph. com. 48. dixit propositionem illam uniuersalem Ari. uerificari de demonstratione. & definitione, ut dictum est in analyticis. Amplius ipse Auer. in com. 2. dicit quod sermo de præcognitionibus potest intelligi etiam de definitione, sed prima intentione de præcognitionibus demonstrationis. Tertiò dicimus rationes eius aduersus Alpharabium haudquaquam concludere, et ad primam rationem de uerbis & exemplis Arist. dicimus, quod falsò ipse Auerro. per intellectiuam exposuit discursiuam, seu ratiocinationem, quoniam talis expositio est contra Aristo. primo metaph. tex. 48. & secundo ethic. cap. quarto ut supra diximus, est etiam talis expositio contra seipsum, nam supra ostendimus eum sibi contradicere: & ad illa uerba de secundo tex. quia assignauit tria præcognita deseruientia demonstrationi, dicimus quòd in illo secundo tex. non tantum loquitur de pręcognitis, sed de præcognitionibus, ut diceimus iam in eius expositione: & tales sunt præcognitiones dirigentes, scilicet quid nominis, & esse: & huiusmodi præcognitiones sunt communes definitioni, & demonstrationi. Et confirmatur per ipsum Auer. in prologo poster. ubi dixit contra Alpharab. quod ideo conditiones partiũ definitionis non merentur distinctum tractatum à conditionibus partiũ demonstrationis, quia conditiones utriusque. s. demonstrationis & definitionis uidentur ferè eædem, & parum differunt, ueluti exposuimus in prologo Auer. unde ex iis uerbis Auer. inferimus quòd tractans Arist. de conditionibus demonstrationis tractat etiam de conditionibus definitionis: & ad exẽpla, quæ adducuntur, scilicet de mathematicis disciplinis, dicimus quod mathematicæ, & aliæ scientiæ, non solum demonstrationibus, sed etiam definitionibus utuntur. & ad exemplum de quatuor speciebus discursus, scilicet de syllogismo, inductione, exemplo & enthymemate, dicendum est, quod Aristo. loquens de inductione, locutus est etiam de definitione; quia secundo post. com. 25. similiter est monstrare inductionem, & definitionem. Ad secundã rationẽ, in qua arguebat Auer. ex auctoritate Themistij. dicimus quòd Themistius sentit oppositum, si quidem ipse Themist. loquitur de præcognitionibus communibus demonstrationi, & definitioni, sicuti etiam ipse Aue. confitetur secundum mentem Themistij. & sic concludimus Themistium, pro nobis esse, & non contra nos. Ad tertiã quoque rationem Auer. facile respondetur, negando quod

Aristo. in illa propositione uniuersali tantum loquatur de præcognitione agente demonstrationis, nam dicimus, quod illa propositio uniuersalis est communis analogice ambobus instrumentis, demonstrationi, scilicet & definitioni. Ad quartam demum Auer. rationem facile respōdemus, negando quòd enunciatio Aristo. esset æquiuoca, si contineret ambos processus: nam æquiuocū est duplex, æquiuocum purum, & æquiuocum analogum, concedimus quòd sit æquiuoca analoga talis enunciatio Arist. sed non est æquiuoca pura. & probatur quòd non sit pura æquiuoca, quoniam æquiuoca inuicem comparari non possunt, ut docuit Arist. septimo physi. tex. comm. 24. sed Arist. comparationem fecit inter demonstrationem, & definitionem, tam quo ad modum sciendi, quam quo ad iē scitam, ut colligitur secundo poster. ergo enunciatio continens ambos processus non erit pura æquiuoca, sed analoga, nam prius Arist. agit de demonstrationis conditionibus, & postea de definitione. distinctio illa de duplici æquiuoco, scilicet puro, & analogo, colligitur ab Aristo. septimo physi. tex. com. 31. & septimo physi. com. 26. dixit Auer. quòd æquiuocorum alia sunt quorum definitiones sunt diuersæ uoce, & ratione, alia uero quorum definitiones sunt æquiuocę, & in calce comm. dixit quod hęc ultima non sunt purè æquiuoca, sed ambigua. At uerò quod analogia non impediat scientiam, probatur, ex Auer. quarto metaph. com. 2. quòd in æquiuocis analogis potest esse prædicatum essentiale, non autem in æquiuocis puris; & ars utitur analogo, & non æquiuoco. Amplius dixit Arist. secundo poster. quod si subiectum scientiæ, & demonstrationis fuerit analogum: & passio erit analoga. si quidem ipsorum analogorum definitiones. seu descriptiones possunt esse media in demonstrationibus, ut patet secundo physi. tex. com. 2. & de motu. 3. physi. tex. com. 4. & tex. com. 9. sicut est etiam de definitione animæ: ut patet secūdo de anima com. 7. & 30. & in tertio de anima comm. 5. contra Alexan. cum igitur analogia non impediat scientiam, artifex potest uti ipsis analogis; & sic concedimus quòd Arist. utitur illa enunciatione tanquam analoga, & æquiuoca. Et ad probationem, in qua dicitur, quod ambo processus non habent eandem definitionem, dicimus quod probatio talis non est bona, sed sophistica; nam quando uis cognoscere utrum aliquod nomen sit æquiuocum, non debes definire species æquiuocatas, sed illud nomen commune, ut docuit Arist. in anteprædicamentis ca. de equiuocis: nam si sic esset, tunc animal esset æquiuocū homini & equo; quia habent diuersas definitiones, quod est falsum. ad propositum ergo Auer. non debuit definire præcognitiones, ut sunt agentes demonstrationem, & definitionem, sed ut præcognitiones absolute, & non ut sunt demonstrationis & definitionis, & sic esset bona probatio, si Auer. sic fecisset, & nihil contra Alphar. concluderet. nam definitio præcognitionis agentis si qua potest dari, est tam communis demonstrationi, quàm definitioni: & quia hæc eadem quarta ratio fuit alio modo ab uberiorem doctrinam formata, ideo operepretium est, ut illi quoque formationi satisfaciamus; unde quando dicit, quod si illa enunciatio Arist. contineret ambos processus, esset æquiuoca, quia processus a partibus ad definitionem, & a præmissis ad conclusionem sunt æquiuoci: dicimus hoc esse falsum, quòd sint æquiuoci, primo quia tunc instrumentum sciendi commune demonstrationi, & diffinitioni esset æquiuocū, & non esset subiectū totale in hoc lib. cuius oppositum sentit ipse in prologo poster. sicuti etiam nos ibi declarauimus, de subiecto lib. poste. loquendo; secundo ipse Arist. secūdo top. cap. 4. protulit, quod ipsa definitio notificat ex prioribus, & ex euidētioribus. sicut & ipsa demonstratio; modo si processus definitiuus, & demonstratiuus essent æquiuoci, tunc Arist. non poneret similitudinem inter eos, quia æquiuocorū nulla est comparatio & similitudo, ut docuit Arist. septimo phy. tex. cō. 24. Tertio si illi processus essent æquiuoci, tunc Arist. male in tractando conditiones partium demonstrationis, tractaret simul etiam conditiones partium definitionis, sicut dicit Auer. in prologo poste. quòd Arist. tractans de cōditionibus partium demonstrationis, tractat etiam de cōditionibus partium definitionis ergo signum est quod illi duo processus non sunt æquiuoci. Quarto, ipsemet Auer. in hoc primo poster. com. 2. concedit quod Aristo. loquatur de præcognitionibus communibus demonstrationi, & definitioni, ergo illa enunciatio complectitur ambos; & sic non sunt æquiuoci. & alibi etiā ut supra uberrimè contra ipsum Auerroem ostendimus ipsummet ad cōtradictionem deducendo, patet ipsam enunciationem ad ipsius Auer. autem utramlibet doctrinam, demonstratiuā, s. & definitiuam continere. Cum uerò probat Auer. ipsā enunciationem esse æquiuocam, quia demōstrationis præmissæ, separatim possunt esse prænotæ, ignota conclusione: non sic partes definitionis, & ideo isti processus sunt æquiuoci. ad hoc dicimus etiam, quòd Auer. errat, præsupponit enim, partes definitionis separatim non posse esse prænotas tempore, & hoc præsuppositum est falsum, quia definitio est unum instrumentum sciendi contra diuisum ipsi demonstrationi, & secundum Arist. sexto topi. comm. 4. ipsa definitio notificat ex euidētioribus, & prioribus tēpore, quia aliter non iuuaret, nec esset instrumentum, & ista priora & euidētiora ex quibus ipsa definitio notificat, non possunt esse nisi partes, quapropter partes possunt esse prænotæ tēpore separatim, ut ad sensum patet: quid. n. prohibet cognoscere gen'. i. animal ignota definitione hominis? similiter de rationali non cognito animali? Ad aliam quoque probationem cum dicit, quod nō uenamur definitionē ex partibus prænotis. dicimus hoc esse falsum. quinimmo ipsemet Auer. primo metaph. com. 48 concessit quod tam definitio, quam demonstratio fit ex præuia notione, & ad rationem suam respondetur, quod illa definitio, quæ est per se nota omnibus. non fit ex præexistenti cognitione aliqua, nisi sola terminorū expositione, illa uerò definitio quæ positione differt a demōstratione, quomodo fiat & habeatur, notabis hoc, sicut docuit ipsemet Auerroes in epito. logic. in octauo quæsito. quòd de numero definitionum quædam est ignota, quę est conclusio demonstrationis, alia est per se nota, quę principium est demonstrationis, et est prius tempore nota, ut est præmissa agens notitiam definitionis ignotę, quę est conclusio, ex quibus postea ambabus prænotis partibus, habetur completa notitia totius definitionis, quę uocatur definitio positione differens ab ipsa demonstratione, & Auerr. ibidem, scilicet in eodem octauo quæsito declarat, quòd ideo dicitur positione differens a demonstratione, quia mutatur ordo & figura. & sic dicimus quòd illę partes sunt prius notę tempore, quam tota definitio, & probatur quòd sunt prius notę tempore illę partes, quia postquam definitio quę est conclusio, est nota per aliam definitionem, quę est principium demonstrationis, mutatur ordo & forma demōstrationis in illam definitionem, & sic fit doctrina definitiua completa: ergo partes ipsę sunt prænotę prius tempore, quàm tota definitio completa. Et si dices, quia dictum est supra ex Aristotelis doctrina in secundo posterio. quòd habetur notitia definitionis per demonstrationem. dicendum est ueluti toties dictum est, quòd ex demonstratione notificatur, quòd definitio est prędicatum per se, & non prędicatum in quid loquendo de definitione, quę est conclusio: sed ipsa definitio quę est tota definitio positione differens cognoscitur ex prænotis partibus per se per demonstrationem et ut prędicatum in quid notificatum ex prænotis partibus in quid? Similiter dicendum de illa, quæ non est per se nota omnibus, nec ignota naturaliter, sed ignota aliquo

modo

modo: illa nanque ut definitio in quid prædicatum, non notificatur nisi ex partibus prænotis in quid. cum uero dicitur, quod Arist. secundo poster. tex. commen. 69. dixit, quòd non debemus uenari definitionem, compositione & diuisione, iam diximus paulo ante (quicquid alii uelint, quod Aristo. sic intellexit, quod nos uenamur diuisione & compositione ipsas partes definitionis. & ad illud quod dicitur, quòd si notitia definitionis haberetur ex partibus prænotis, tunc demonstratio superflue faceret, idest superfluè notificaret eam. dicimus quod nõ propter hoc demõstratio superfluè notificat, quia partes definitionis notificant ipsam definitionem, ut est prædicatum per se. Non defuerunt tamen quidã nostra tempestate, qui Auer. a cõtradictione eueri enixi sunt quibus nos relictis ad ultimam cõmenti partem exponendam accedimus. {Nec non cuius ueritas} Hæc est tertia pars principalis huius commenti, in qua Auer. reuertitur ad exponendas particulas textus, & primo ad illam. {Manifestum est autem hoc} Et quia iste sermo per se intelligitur, ideirco etiam nos breuiter dicamus, dicit quòd per orationem intelligit syllogismum & inquisitionem, & intendit, quòd quicquid principaliter intelligitur per orationem fit ex præexistenti cognitione, ut uniuersalis. {siue fuerit demonstratiua} scilicet quòd demõstret ignotum. {siue non demonstratiua} scilicet quòd non demonstret ignotum: & uidetur dicere quòd capiendo istam maximam uniuersaliter, potest includi definitio, sed presso modo non. {Et intendit per hoc,} scilicet orationem {ipsas quinque artes,} idest quinque species syllogismi, scilicet demonstratiui topici, sophistici, rethorici, & poetici, nam in omnibus iis est præexistens cognitio, quod ipse etiã Arist. manifestat esse in scientiis speculatiuis, & similiter in rebus quæ oratione discuntur. {Et intendit hic} dicit quod per {inquisitionem} intendit exemplum & inductionem, sed hoc non est uerum, quia Arist. infra ponit exemplum istud, & inductio etiam claudit uniuersale, & exemplum singulare. {Per hoc enim ipse probat} Hic Auer. uult reducere probationem Arist. in formam prioristicã, & dicit quòd quicquid addiscitur oratione uel syllogismo, id fit ex præexistenti cognitione {Et componitur sic syllogismus} Sed Auer. errat, quia Arist. facit inductionem, & ideo non oportet facere syllogismum. {Et componitur} Facit Auer. syllogismum, & primo ponit minorem, nos uerò ut facilius intelligatur, trãsponamus ipsum, & ponamus primo maiorẽ, & dicamus sic, omne quod addiscitur syllogismo aut inductione, id ex præexistenti cognitione addiscitur, sed quicquid oratione addiscitur, id syllogismo, aut inquisitione addiscitur, ergo quicquid oratione addiscitur, id ex præexistenti fit cognitione, quam conclusionem, dereliquit tanquam notam. {Id enim quod syllogismo notificatur} Probat maiorem, & dicit quod in syllogismo præmissæ sunt præcognitæ, in inductione uero ipsa particularia sunt præcognita: ergo quicquid syllogismo aut inquisitione addiscitur, fit ex præexistenti cognitione. {Ex euidentia propositionis} Exponit Auer. partem textus quam nos non habemus, & dicit quòd præmissa uniuersalis cognoscitur, quando uult cognosci inquisitione particularium notorum, scilicet quæ sunt nota sensibus. {Hoc est ante notitiam,} idest quòd particularia sunt prius cognita in manifestando aliquam præmissam uniuersalem inquisitione, nam sic manifestatur ut dicit Arist. sexto top. com. quatto {Dum autem præmissa} Nunc uidetur ponere differentiam inter notificandas illas præmissas inquisitione, nã omnis præmissa aut maior est aut minor, si maior {fit in topicis} idest demonstratur instrumento topico, scilicet inductione, nam nõ potest probari in illa arte, quæ est uniuersalis, & non habet alias uniuersaliores supra se. {Si uero fuerit minor} potest demonstrari in illa arte, quia habet alias præmissas uniuersaliores supra se, nam ipsa inductio facit adipisci ueritatem. addit {ac etiam syllogismus} quod uidetur falsum, nam inductio est instrumentum topicum, ut patet primo topic. comm. 10. & topicus uersatur circa opinionem, ergo inductio facit opinionẽ & non scientiam quia scientia est ueritas, & permanens, & æterna. & opinio est mutabilis, sed potest dici pro Auer. quòd intelligit proportionabiliter inductionem facere acquirere ueritatem & scientiam, mediante manifestatione præmissarum, quæ sunt in syllogismo facientem sciẽtiam, & ipsa inductio manifestat illas, & sic mediate, & per accidẽs quia non per se illa dictio {dum autem} potest etiam ad propositum sumi, nam Auer. uidetur reddere causam, cur Arist. ostenderit illam maximã inductione, & dicit, quod est maior & sic inductione debet probari & ostendi, si autem est minor, potest in scientia ostendi syllogismo, nam supra sic fecimus syllogismum, omnis doctrina, & omnis disciplina, fit ex præexistenti cognitione: demonstratiua scientia, est doctrina & disciplina: ergo fit ex præexistenti cognitione, ut infert Auer. secundo poster. com. penultimo, nunc cum ista maxima sit maior, dicit Auer. quod inquisitione ostenditur, si esset minor, scilicet ut demonstratiua scientia est disciplina, uel doctrina, ista posset probari in arte. Et sic ut uides ambę istæ expositiones forsan satisfacere possunt. {Hoc est dictu} Exponit alias particulas sui textus, & dicit quod per inquisitionem, debet intelligi enthymema. {Hoc est} Declarat, idest ratiocinatio oratoria idest qua utuntur Rethores, & dicit quod sicut per inquisitionem intelligitur exemplum & inductio ita per syllogismum & inquisitionẽ debet intelligi enthymema, & ob id oratoria etiam faciunt exempla, a notioribus, quando uolunt persuadere auditoribus. nam exemplum procedit ab uno singulari noto ad aliud ignotum, scilicet ratione illius connexionis accidentis, nam ignotius est mihi Socratem tyrannizare quam Cæsarem uerbi gratia qui petit munitiones. sed singularia ut singularia sunt æque nota, uel ignota, quia non præcognoscuntur, ut dicemus in expositione tex. tertii {Aut inferunt syllogismis} Dat exemplum de syllogismis, & dicit quod præmissæ etiam syllogismi sunt præcognitæ respectu syllogismi, et notitiæ figuræ illius syllogismi, et sic exemplum inductio, & enthymema fiunt ex præexistenti cognitione, & hæc circa præsens comm. dicta sufficiant.

Dupliciter autem est necessarium precognoscere, Alia nanque, quia sunt, præaccipere necessarium est: Alia uerò quid est, quod dicitur intelligere oportet: Quedam autem utroque modo: ut, quoniam quidem, aut affirmare, aut negare, uerum est, quia est: Triangulum autem, quoniam hoc significat, sed unitatem utroque modo, & quid significat, & quia est: Non enim similiter horum unumquodque manifestum est nobis,

Philoponus ita continuat, cum dixerit Arist. omnem doctrinam, & omnem disciplinam argumentatiuam ex præexistenti fieri cognitione, idq; probauerit, & ex aliis artibus, & syllogismis, & ex inductione, & tethoricia sua delis: uult nunc ostendere quæ nam sint præcognoscenda ante demonstratiuam doctrinam uel disciplinam. Ex iis, quæ diximus in primi textus expositione. & cõtra Auer. in commen. facilè comprehenditur Philoponum in multos prolapsum fuisse errores. Primo errat, quoniam non de argumentatiua seu discursiua doctrina, sed de intellectiua loquutus est Arist. in primo tex. ueluti sole clarius ibidem aduersus Auer. Philop. & asseclas demonstrauimus, iuxta Aristot. doctrinam. Secundò errat, quia non distinguit, quid intelligat per præcognoscenda, an præcognitiones, an præcognita, an modos præcognoscendi: & si uelit

intelligere per præcognoscenda omnia ista simul in uniuersali. adhuc tertio errauit, quia non declarauit postea de quo sit horum trium Arist. principaliter determinauit, an prius de præcognitionibus, an de præcognitis, an de modis præcognoscendi. Item errat, quia non tantum Aristo. loqui intendit de præcognoscendis ante doctrinam demonstratiuam simpliciter, sed etiam ante doctrinam definitiuam: ut dicemus in textus expositione. Latini fere omnes ita continuant quod postquam Aristo. dixit in primo textu, quòd omnis doctrina & omnis disciplina ex præexistenti fit cognitione, nunc intendit declarare quæ est huiusmodi præcognitio. Et licet prima facie continuatio huiusmodi satisfacere uideatur, rectè tamen eam speculantes secus esse existimant: cum hi iuxta regulam Arist. primo coeli tex. commen. 110. non distinxerint prius, id quod multipliciter dicitur; nam præcognitio duplex est, scilicet agens & dirigens, ut declarauimus in primo tex. pro quinto termino illius propositionis uniuersalis, & ut etiam annotabimus in nostra opinione circa hunc textum. Cũ igitur hi non distinxerint, de qua præcognitione loquatur Arist. an de præcognitione agente, an de dirigente, sequitur eos defecisse, nisi quis dicat, ideo eos non distinxisse, quia ignorarunt, & hoc sufficit nobis: & quod ignorent, patet, quia non declarant, quæ præcognitiones sint istæ duæ, quid & quia, agentes, uel dirigentes. Defecerunt etiam quia non assignarunt causam, propter quam Arist. loquatur etiam de ipsis præcognitis in hoc secundo text. cum secundum eos Arist. non proposuerit de præcognitis loqui, sed de præcognitionibus dumtaxat, nam dicunt ipsi continuando tex. quòd Arist. intendit loqui de præcognitionibus. Quapropter omnibus hisce neglectis opinionibus, uera & peripathetica continuatio talis est, q. post quam Aristo. in primo tex. declarauit illam uniuersalem propositionem, scilicet omnis doctrina, & omnis disciplina ex præexistenti fit cognitione: nunc in hoc secundo tex. intendit manifestare modos præcognitionis. Causa continuationis est, quia cum dictum sit, omnem doctrinã disciplinamq; fieri ex præexistenti cognitione, necessariũ erat declarare, quæ & qualis est huiusmodi præcognitio, ex qua doctrina & disciplina quælibet fit: uerũ cum præcognitio duplex sit, una dirigens, altera agens, ut nobis notatum reliquit Auer. in epit. logic. in tract. de theo. demonstratione, & in præfatione epit. logic. & in commen. primo. Præcognitio dirigens est præcognitio quid nominis, & esse cuiuslibet rei docendæ & discendæ: & ex hac definitione, habetur quod duplex est præcognitio dirigens, una quid nominis, alia quia est, sicuti Aristot. in tex. quod dupliciter est necessarium præcognoscere. Præcognitio uero agens, est præcognitio partium: & quia partes sunt bifariam, scilicet partes definitionis, ut genus & differentia, & partes demonstrationis ut præmissæ, ideo dicendum est, quòd præcognitio agens est duplex, scilicet præcognitio agens definitionis, & præcognitio agens demonstrationis, si quis tamen uberius scire cupit, quid sit utraque præcognitio, tam dirigens, quam agens, & quomodo utraque sit in doctrina demonstratiua, & doctrina definitiua, legat quæ exarauimus in primo tex. in expositione quinti termini positi in illa uniuersali propositione; & amplius, cur hæc dicatur dirigens, illa uerò agens, illuc etiam recurrat. Reliquum est modo, ut Arist. mẽtem aperiamus, de qua præcognitione intendat, dirigente, uel agente: & dicimus quòd de præcognitione dirigente principaliter intendit, scilicet de præcognitione quid nominis, & quia est: & ideo Arist. in principio huius secundi tex. suam præponens intentionem dicit, dupliciter autem est necessarium præcognoscere, sed secundario de præcognitione agente: quia ipsæ præmissæ sunt præcognitiones agentes conclusionis demonstrationis, hinc manifestatur error Auer. dicentis in commen. secundo quòd præcognitio de qua intendit Arist. est præcognitio agens præmissarum. Causa uerò quare prius de dirigentibus, quàm de agentibus, talis esse potest, quia præcognitiones dirigentes, dirigunt nos ad doctrinam, & potẽtia faciunt doctrinam: præcognitiones uerò agentes, actu faciunt doctrinam, modo sicut potentia in nobis præcedit actum, sic præcognitiones dirigentes præcedunt præcognitiones agẽtes & aduertas, quòd cum dirigens præcognitio sit communis demõstrationi & definitioni, dicimus etiam quòd Arist. communiter pertractauit de hac præcognitione dirigente, quatenus, scilicet communis est demonstrationi, & definitioni, & similiter dicendum est de præcognitione agente, licet analogicè, prius de demonstratione, & secundariò de definitione intelligendo, sicuti Auerro. ueritate coactus in commen. secundo cõfessus est, quamuis oppositum dicat in primo commen. Sed dubitabis & pulchrè, quare Arist. loquens de præcognitionibus, loquitur etiã de præcognitis: cum non proposuerit se fore locuturum de ipsis præcognitis? Respondemus Arist. multis de causis id egisse, prima, quia accidentia propria non definiuntur, neque cognoscuntur nisi per eorum proprias differentias, quæ sunt propria eorum subiecta, ueluti ipse nos docuit septimo metaph. tex. commen. 17. sed ipsa præcognitio est proprium accidens ipsius præcogniti, ut patet; meritò ergo uolens describere & declarare ipsas præcognitiones, locutus est etiam de ipsis præcognitis, quæ sunt propria subiecta ipsarum præcognitionum. secunda causa hæc est, quia relatiuorum natura expostulat iuxta eius doctrinam in prædicamentis. quòd unum non possit intelligi sine alio, ut etiam tradidit Porphir. in prædicabilibus: at præcognitio & præcognitum sunt relatiua, propterea necessum fuit, ut simul etiam sermo fieret de præcognitis: unde sequitur quòd præcognitionis modi haudquaquam intelligi poterunt, nisi cognoscãtur in ipsis præcognitis, & hoc uoluit dicere Themistius in secundo cap. in primis uerbis ibi { In quibus itaque prænoscere necesse est } idest in quibus præcognitis oportet præcognoscere duos modos præcognitionis. Hæc circa intentionem huius textus, & causam intentionis dicta sint. Superest modo, antequam ad singulorum uerborum textus expositionem accedamus, prius ipsius textus diuisionem afferre, ut clarius & distinctius deinceps intelligatur. Textus iste diuiditur in quatuor partes: in prima dicit quòd duobus modis est præcognoscendum ante doctrinam, ut dicit in principio textus. in secunda ibi { alia nanq; } dicit quæ sint ista. in tertia, ibi { quoniam quidem } dat exemplum de præcognitionibus cum præcognitis. in quarta ibi { Non enim } remouet dubium quoddã. Dicit ergo in prima parte { dupliciter autem est necessarium præcognoscere, }, s. ante doctrinam, nam præ, idest ante noscere debemus duo: & est { necessarium, } scilicet ex suppositione, respectu, scilicet ipsius doctrinæ, quando nos uolumus discere ipsam: si scire cupis quot modis necessarium dicatur legito quinto metaph. in tex. com. sexti & 12. metaph. tex. comme. 38. hic capitur ut diximus necessarium ex suppositione. { Alia nanque } Hæc est secunda pars huius textus, in qua Arist. breuibus duo de ipsis præcognitionibus & præcognitis simul declarat, primum est, circa numerum præcognitionum & præcognitorum: secundum est, circa nomina præcognitionum & præcognitorum. circa primum, scilicet circa numerũ, assignat duas præcognitiones simplices, & tertiam compositam ex iis, ut bene notat Auer. in commen. secundo & tria dicit esse præcognita. circa secundum, scilicet circa nomina in communi ipsarum præcognitionum & præcognitorum, dicit Aristo. quòd una species præcognitionis simplicis nominatur { quia sunt. } Et si quæras, quomodo nominatur illud præcognitũ simplex quòd præcognitione simplici supradicta præcognoscitur? Respondet { Alia nanque } quasi dicat { nominatur

sic

sic uniuersali: & sensus est, alia nanque sunt præcognita quę pręcognoscuntur hac pręcognitione simplici quia est idest quędam sunt pręcognita, quę necessarium est pręaccipere, quia sunt, & dixit {alia,} idest diuersa ab eis præcognitis, quæ solum quid, uel utroque modo pręcognoscuntur, & dixit {alia} nominando illud pręcognitum nomine uniuersali, & transcendenti, & infra in exemplis nomina propria pręcognitorum assignabit. Dixit {pręaccipere.} idest per enunciationem explicare, ad differentiam pręcognitionis quid nominis, quę non per enunciationem explicatur, sed tantum intelligitur, & pro huius intellectu notato: quòd ipsam præcognitionem quia est, idest esse rei siue simplex, siue compositum semper per enunciationē cognoscimus: nam si fuerit simplex, tunc per enunciationē de secundo adiacente cognoscimus: siue so fuerit compositum, tunc per enunciationem de tertio adiacente. pro utraque enunciatione legito secundo de interpretatione comment. primo. Aliqui textus ex falsa translatione habent, loco præaccipere ly {opinari} Sed in græco non sic habetur, ut eruditis patet. Deinde dicit {alia uerò quid est} Secundam præcognitionem diligentem numerat, & nominat proprio nomine, & simul secundum præcognitum numerat, & nominat nomine transcendenti, & communi, unde si quæras quomodo uocatur secunda præcognitio diligens? respondet Aristot. {quid est, quòd dicitur,} idest dicitur & nominatur talis præcognitio, præcognitio quid nominis. Si quæras etiam quomodo nominatur illud præcognitum, quòd præcognoscitur tali secunda præcognitione? respondent, nomine communi & transcendenti {alia uerò} Et dixit {alia uerò,} idest diuersa, a præcognito primo, nam tria sunt præcognita, ut patet hic & infra commen. 25. subiectum, passio, & dignitas. dixit {quid est quod dicitur,} idest definitione nominis, ex definitionibus. n alia est nominis tantū, quæ solū significat & exponit nomē, & non uere definitio dicitur. sed potius dicitur interpretamentū uocis, quæ afferturut protulit Themistius in secundo poster. com. 12. alia est definitio quid rei, quæ solum substantiam rei significat, & explicat & non nominis, & alia est definitio (ut ibidem dicit Themist.) quæ simul utrunque complectitur: Ex hac distinctione accipimus, quod præcognitio quid nominis explicatur per definitionem primo modo dictam, quæ non uere est definitio, sed uocis interpretamentum. Et pro ampliori declaratione notabis etiam ex primo de interpretatione cap. secundo quod essentia nominis est significare ad placitum: definitio ergo nominis tunc est, cum exponimus significatum ad placitum impositum ab impositore. Amplius notabis, quòd dicit Auer. in lib. poeti. quod dicere, est per uocem significare. Quibus stantibus, patet quòd ista secunda præcognitio, dicitur definitio quid nominis, idest exponitur quòd dicitur per nomen, idest quid significat significatum nominis: dicitur hoc, ad differentiam definitionis quid rei, quæ non nomen explicat, uel quod dicitur, & significatur per nomen, sed rem nominis, & essentiam nominis significat. Ex qua expositione infertur contra modernos Arist. quosdam expositores, quod definitio quid rei, non est præcognitio: sed tantum definitio quid nominis, & quod falsū est quòd Thomas de uio protulit quia profunde speculātibus expresse apparet Ar. non excludere definitionem quid rei. Quinimmo asserimus totum oppositum, quod intimius & medullitus uerba Ar. perlibrantibus, manifestem est, quod Arist. expresse excludit definitionem quid rei: quoniā definitio quid rei non exponit id quod dicitur, & significatur; sed essentiam rei significatæ, & dictæ. quapropter expresse excluditur definitio quid rei ab hoc tex. & solum definitio quid nominis includitur, in tali præcognitione quid est. Dixit {intelligere} quia definitio siue quid rei, siue quid nominis, dicitur simplex cōceptus, quia sine compositione est, ut colligitur ex tertio de anima cap 21. & 27. & talis simplex conceptus principaliter intellectui cōpetit, & ideo dixit intelligere. Dixit {oportet.} scilicet ex suppositione, eo modo, quo exposuimus ly, necessarium, & sic hucusque habemus duas esse præcognitiones simplices, una dicitur quia, seu esse rei, alia dicitur quid nominis, & ideo dixit Arist. dupliciter est necessarium præcognoscere. loquendo de duplici præcognitione, quæ præcognoscitur in ipsis præcognitis, & utranq; præcognitionem necessariam esse asserimus in utraq; doctrina, tam demonstratiua, quā definitiua, ut sæpius annotauimus. Deinde dicit {quædam autem utroq; modo} Cum numerauit & nominauit duplicem pręcognitionem simplicem, cum duplici præcognito in uniuersali, nunc numerat, & nominat tertiam præcognitionem compositam, cum tertio pręcognito: unde si quæras quomodo nominatur huiusmodi tertia pręcognito composita? Respondet Arist. nomine communi {quædam utroque modo,} idest uocatur præcognitio composita ex ambabus simplicibus, scilicet quia est, & quid nominis. Si quæras quomodo uocatur tertium præcognitum? Respondent ut prius, nomine communi & dicit, quod sunt quædam alia præcognita quæ necessarium est præcognoscere præcognitione non simplici, sed composita ex duabus simplicibus. Dixit {quædam,} scilicet alia, à pręndictis duobus præcognitis. Et cum dicit {ut quoniam quidem} hæc est tertia pars huius textus in qua Aristo. præcognita nominata nomine uniuersali, & transcendenti notificat, nunc nomine particulari & exemplo applicando proprium modum præcognoscendi sub præcognito, & dicit {omne aut affirmare} exemplo declarat de dignitate; pro cuius exempli intellectu, notato ex quarto metaph. tex. commen. octauo & nono de quolibet ente dici esse, uel non esse, & de nullo ambo simul. idest contradictoria non simul uera esse, sed si unum uerum, reliquum falsum. & hoc principium est uerissimum & communissimum omni arti aliquod ens consideranti, & ideo primo poster. 26. & 27. comment. uocatur dignitas communis, quia communiter in ea omnes conueniunt artes, ut si digna credi, & prænosci cuilibet discenti quodlibet ens in qualibet arte, & ad textum redeundo dicimus, quod si quęres quomodo particulariter nominatur illud pręcognitum, quòd præcognoscitur præcognitione, quia est. Respondet Aristo. quòd nominatur dignitas, & dat exemplum de hac dignitate, quòd de omni ente, dicitur esse uel non esse, & de nullo ambo simul. Et si quæres adhuc, qua præcognitione præcognoscitur? Respondet {uerum est, quia est,} idest præcognoscitur præcognitione, quia est uera. Et nota quòd Arist. in textu non dicit quòd dignitas præcognoscatur præcognitione quia est, sic simpliciter: sed addidit, ly, uera. ita quod dignitas præcognoscitur, præcognitione, quia est uera. Et ut distinctius hoc percipiatur, sciendum est breuiter pro nunc, quia diffusius inferius dicetur, quod præcognitio quia est, duplex est, simplex, & composita: simplex de subiecto præcognoscitur, & composita de dignitate, seu præmissis. dicit ergo quod de dignitate non præcognoscitur quia est simpliciter, sed quia est uera, quæ enunciatione explicatur in qua uerum, uel falsum significatur. Dubitabis & optimè, dignitates non ingrediuntur demonstrationem formaliter, nisi uirtute, at nos loquimur de agentibus doctrinam demonstratiuam actu, & de propriis præmissis & non de omnibus ut infra. 26. 27. cap. ipsæ nanque dignitates sunt principia communia. Pro solutione, notabis, duo. primum quod Arist. secundo physic. tex. commen. 26. dixit, quòd sol, & homo generant hominem copulatim, non unus sine alio, differenti tamen modo: nam sol uniuersaliter & uirtute homo uerò sua forma, propriè & specificè: ita ut proposito hic & infra. 29. & 27. comm. tales dignitates communes, uirtute agunt doctrinam demōstratiuam, sed præ

missæ propriæ actu & propriè agunt ipsam. secundum notandum hoc est, ex quarto metaph. tex. commen. octauo & nono quod talia principia prima digna credi & præsciti, quędam sunt simpliciter talia, & quædam sunt cum cognitione: illa quæ sunt simpliciter, idest uniuersaliter omni arti, sunt bifariam. quædã sunt metaph. et quædam mathematica, metaphysica dicuntur quia sunt entis, quod est subiectum simpliciter, & communiter omni subiecto artium, ut patet quarto metaph. octauo & nono. & quia termini eius sunt sensati, & ideo prænoti cuilibet. similiter & de principiis mathematicis ut infra. 134. dicetur, quia sũt sensibilia communia, idest communiter nota cuilibet sensui. Alia uerò sunt principia conditionaliter talia, conditione particulari, idest in aliqua arte prænota, & præscita, ut naturam esse, eiusq; definitio ex secundo physico. tex. comment. tertio est una dignitas, naturali dumtaxat artifici præscienda, similiter et hæ aliæ dignitates motum esse, & plura entia esse, primo phys. octauo a naturali debetur præsciri. Tunc dicimus formaliter ad dubitationem, quod Arist. loquitur de utraque dignitate cum dicit in te. {uerum est, quia est} Et confirmatur hoc, quia eadem uerba, quę dicit hic, dicit etiam infra com. 25. nam dicit ibi quod tria requiruntur ad scientiam demonstratiuam intrinsecæ, connumerat ipsas dignitates, quas oportet pręcognoscere quia sunt ueræ. Et si dices, cur hic & infra, scilicet com. 25. exemplificauit de dignitate communi & non propria alicui arti? Respondetur quod uoluit exemplificare de ea, in qua dictum suum non est dubitandum, quod esse uerum debet præcognitũ de ipsa. {Triangulum aũt} exemplo particulari manifestat secundum pręcognitum cum secunda pręcognitione. quod secundum præcognitum est passio cum præcognitione quid nominis, unde si quæras exemplum secundi præcogniti, respondet Aristo. & dicit {Triangulum autem} supple esse propriam passionem, quæ pręcognoscitur præcognitione quid nominis {quoniam} nomen eius {hoc significat,} idest definitione quid nominis præcognoscitur ipse triangulus. Et cum dicit {Sed unitatem} tertium præcognitum cum tertia præcognitione, proposito exemplo declarat, & dicit, si quæras quid est tertium præcognitũ præcognitione composita, respondetur tertium præcognitum esse subiectum quod præcognoscitur duplici præcognitione simplici, scilicet præcognitione quid nominis, & præcognitione quia est. Deinde dicit {non enim similiter} Hæc est quarta pars huius textus quæ uario modo exponitur prima expositio est Themistii: quem Auerro. sequi uidetur ut dicemus in commen. expositione, inquit igitur Themistius, quod Arist. uult probare diuersitatem harum duarum præcognitionum hoc syllogismo. qualiter res sunt manifestæ, taliter sunt præcognitæ. sed harum duarum pręcognitionum non similiter unaquæque est nobis manifesta: non ergo similiter est præcognita, & si dissimiles, & diuersæ sunt inter se ipsę cognitiones. maior est nota, & minorem probat quia quando unum est notum, altero existente ignoto, non sunt æqualiter manifesta: sed stat prænosse quid nominis hippocentauri, chimeræ, hircocerui, ignorato tamen de eis ao sibi; ergo non similiter sunt nobis manifestæ, ipsæ præcognitiones. Sed licet una sint quæ dicit Themistius, sunt tamen contra tex. nam Arist. dicit in tex. {horum,} scilicet præcognitorum, & non dicit harum, scilicet præcognitionum: quare falsum est, quòd Aristot. intendat probare diuersitatem præcognitionum: Non desunt aliorum expositiones, quas silentio pertransimus. exponamus autem nos Arist. per ipsummet Arist. pro quo notan. quod Arist. uidetur seipsum exponere in hoc primo poster. com. 25. ubi cum dixit sicuti etiam hic dicit, esse tria pręcognita circa quæ est omnis doctrina demonstratiua, scilicet subiectum, passionem, & dignitatẽ, remouet dubium, quod quis contra hoc obiicere posset dicens, non oportere præcognoscere in arte omnia hæc tria præcognita, quia aliquando sunt nota sensibus et uulgaribus: ita ut ars acquirendi doctrinam, non præcognoscat ea artificialiter, sed despiciat, & spernat ipsa: & dat exemplum ibidem, siquis uult doctrinam habere, de calido & frigido, non debet præcognoscere esse calidum, quia sensatum & notũ est omnibus & uulgaribus, quod quidem despicit ars, non solum scire, sed præcognoscere, quare non semper ista tria necessario sunt præcognoscenda, Respondet ibidem ad hoc dubium Arist. per eadem uerba, quæ hic dicit, non similiter manifesta esse subiecta, de quibus sunt demonstrationes, sed aliqua sunt per se nota, quæ spernit ars præcognoscere, ut calidum, & frigidum, aliqua uerò non ita sensata, & omnibus nota, quæ in arte tam præcognoscenda sunt. sic ergo dicimus quod illud idem uult dicere hic Arist. quòd licet aliqua istorum trium ita nota sunt, ut artificialiter non sint præcognoscenda, hoc tamen accidit quia horum trium unum quodque non similiter nobis manifestum est, nam si fuerit per se sensatum, & per se notum, illud ars despicit. dicit autem {unumquodq;,} scilicet horum trium præcognitorum, quia ista diuersitas non præcognoscere per artem, propter maximam notitiam conuenit omnibus tribus præcognitis. hæc est textus expositio, superest nunc ut pro maiori huius rei intellectu aliquot dubitationes ꝓponamus quibus discussis textus undequaque clarissimus erit. Prima dubitatio est quia uidetur Arist. sibi contradicere, nam dixit hic, quòd necessarium est præcognoscere: oppositum uerò dixit infra cap. 25. quòd nihil prohibet aliqua non præcognoscere, quare contradictio manifesta in dictis Ar. Dicas cum Themistio, quòd necessarium est pręcognitiones habere, siue, à doctore, siue ab arte, siue tandem, a te, licet despiciantur ab arte, non tamen tu ipsis carere debes, & sic intelligendus est Arist. ibi, nam quando in arte notum est, tibi etiam notum est, & si necessario indiges præcognitionibus, & tam in demonstratione, quam in definitione egemus præcognitionibus; nã ut dicit Themistius, si quæsitũ est, utrum dæmon sit ęternus, debeo præcognoscere primo de subiecto, scilicet de demone, utrum sit, & quid significat, & de prædicato, scilicet ęternus, quid significat: In definitione etiam, si uolo definire quid est Centaurus, oportet pręscire quid significat, & si est, nam pręcognitiones diligentes sunt communes (ut sępius teriginus) demonstrationi: Vel definitioni: Vel posset fortasse dici, quòd Arist. hic dixit, quòd necessarium est præcognoscere, loquendo de pręcognitionibus, infra uerò, scilicet cap. 25. loquitur de præcognitis, quę non semper necessariò oportet pręcognoscere: & sic respectu diuersorum nulla est contradictio. Secunda dubitatio, definitio cum sit res ignota, & difficilis, non potest esse præcognitio, ergo falsum est quod pręcognitio quid, sit definitio quid nominis. Respondent Themistius & Auer. in media sua expositione, differre definitionem quid nominis & definitionem quid rei, quia illa quid nominis, imperitis & uulgaribus est nota, nam dicit Themistius secundo lib. poster. ca. nono quòd est principium omnis agnitionis: Illa uerò quid rei, est difficilis, & non nisi peritis, & in arte expertis nota, tunc hac distinctione habita solutio clara est, quòd cum dicimus præcognitionem esse definitionem, intendimus eam quę significata quòd dicitur per nomen, idest definitionem explicantem significatũ nominis, (ut diximus in tex. expositione) & huiusmodi definitio quid nominis, est pręcognitio. Tertia dubitatio, de numero præcognitionum, & pręcognitorum, & quare præcognita sint tria, & duę sint pręcognitiones, non omnes enim eandem assignãt causam & sufficientiam. Vnus dicendi modus est Linconiensis, quia tria dicit esse præcognita, scilicet subiectum, passionem, & dignitatem, & causam assignat, quia demonstratio habet quatuor causas: pro materia habet subiectum,

biectum,

biectum, pro forma passionẽ, pro agente præmissas, & pro fine scientiam. & quia finis non potest esse quoddam præcognitum, quoniam præcognitum demonstrationem præcedit: remanet igitur quod tãtum tria sunt præcognita secundum numerũ trium causarum, quæ sunt ante demonstrationem. præcognitiones insuper duas esse dicit, scilicet quid nominis, & quia est, & causã assignat, quia dignitatis est tãtum præcognitio quia est uera, & non potest esse præcognitio quid nominis, quia dignitas ẽ quoddam complexum. passionis est præcognitio quid nominis tantum nam secundum esse quæritur, & ideo non potest præcognosci: subiectum uerò utraq; præcognitione præcognoscitur, quid nominis. & quia est: ex quo patet duas esse præcognitiones, scilicet quid nominis, & esse. Aduersus Linconiensem Suess. quibusdã futilibus mediis arguit, primo quia est aliqua demõstratio cuius licet unũ præcognitorum sit dignitas, eius tamen nec subiectum, nec passio sunt pręcognita, ut huius, omne coloratum est corpus, omne album est coloratum, igitur omne album est corpus: in qua utiq; demõstratione, album non est subiectum corporis, nec corpus est albi passio. Secundo arguit, quia passio non est forma demonstrationis, sed subiecti, demonstrationis enim forma conclusio est, ut Philoponus tradidit primo priorum. Sed toto cœlo errat Suess. quia propositiones Aristo. in logica sunt artificiales, quæ semper, aut ut plurimum uitæ sunt, tum quia artificiales sexto metaph. sexto, tum quia logicæ, secundo post. octauo, & primo poste. 22. At Arist. primo poster. comm. 25. docuit tria præcognita necessaria fore cuilibet scientiæ demonstratiuæ, scilicet subiectum, passionem, & dignitatẽ: sed in sua demonstratione non sunt omnia tria præcognita, ut ipsemet concedit: ergo non est uera demonstratio: quinimmo nec est uerus syllogismus. & probatur quòd non sit uerus syllogismus, quia uerus syllogismus cõstat ex propositione naturali, seu de modo loquendi consueto; sed propositiones in tali demonstratione Suess. non sunt naturales, ergo non uerus syllogismus, & probatur minor, quia propositio naturalis est bifariam, aut in qua causa prædicatur de causato, aut in qua accidens prædicatur de suo subiecto: idem protulit Auerro. septimo metaph. comm. 59. & colligitur ex secundo de anima com. 67. sed dicendo omne coloratum est corpus, in ista propositione prædicatum est ly corpus, quod neque est causa colorati, neque pręḍicatur tanquam accidens de subiecto: ergo ista prædicatio seu propositio erit innaturalis, at syllogismus debet constare ex propositione naturali; dicendum est igitur quòd talis combinatio facta a Suess. non solum non demonstratio, sed neque etiam est syllogistica immo inartificialis quia tunc ars est uera cum insequitur opus naturæ ut protulit Auer. secundo poster. 94. Neque etiam uerum est conclusionem esse formam syllogismi, quia diffusius diximus in expositiõe prologi Auer. quòd forma communis generica ipsius demonstrationis, est syllogismus, & materia demonstrationis est præmissa, & dicant Philop. & Suess. quicquid eis libuerit. Cum igitur Suess. impugnatio sit erronea, operæpretium est ueris rationibus contra Linconiensem arguere, non enim quæ ipse dixit uera sunt, & primo aduersus eum dicimus falsũ esse, quòd numerus præcognitorum sumatur ex numero causarum demonstrationis, quia Arist. non tantum loquitur de præcognitis, & præcognitionibus demonstrationis sed etiam definitionis, ut supra demonstrauimus: ergo numerus præcognitorum non debet sumi a numero causarum demõstrationis, sed potius debet sumi a numero causarum doctrinæ, & disciplinæ, quæ demonstrationem, & definitionem amplectitur: ut sæpius diximus. Secundo errat, quia falsum est pręmissas esse causam agentem demonstrationis, nam sunt causa materialis, ut patet quinto metph. & in prologo poster. idem retulit Auerroes. Et aduertas quòd ipsæ præmissæ ut prænotæ uocentur agentes notitiam, & doctrinam conclusionis, & non ipsius demonstrationis, & sic aliud est dicere præmissas esse causam demonstrationis, & aliud est dicere præmissas esse causam conclusionis, sunt enim præmissę respectu demõstrationis causa materialis, & respectu conclusionis, sunt causæ agentes. Tertio errat Linconiensis dicens subiectum esse causam materialem, & passionem esse causam formalem demonstrationis: quia primo priorum primo subiectum est materia pręḍicati, & prædicatũ est forma subiecti, nam si demonstrationis erunt, tunc hoc erit non alia ratione, nisi per partem, & sic per accidens ut patet quinto phys. primo, & hoc non considerat artifex. In rationem etiam quam assignat quare duæ sunt pręcognitiones, error est: quia de dignitate non tãtum quia ueræ sunt pręcognoscitur, sed etiam quid nominis, nam complexa (ut dicemus) pręcognoscuntur definitione quid nominis, & non quid rei. Suess. simul cum Philopono aiũe, tria esse præcognita, & duas esse pręcognitiones, unum pręcognitum est concessum, quod est in plus quàm subiectũ, ut patet in demõstratione quam ipse Suess. fecit aduersus Linconiensem: aliud est pręcognitum, quod dicitur quęsitum, quod etiam in plus est, quàm passio, ut patet in sua demonstratione: tertium est pręcognitum, quod dicitur dignitas quę est uniuersalior maiori & minori propositione. Multa quoque alia refert Suess. quę non sunt digna peripathetico, tum in reddendo causam, quare sint pręcognita, cum etiam quare sint duę pręcognitiones. Nemini enim dubium est, maximopere ipsum errasse, cum expresse Arist. primo poster. cap. 25. per præcognitum illud quod ipse concessum uocat, subiectum esse intelligat, nam dicit esse genera subiecta, & per præcognitum quod quæsitum nuncupat, passionem intelligit; ergo per concessum non intelligitur id quod est uniuersalius subiecto, neque per quæsitum intelligi debet quod est uniuersalius passione, quia tunc demonstratio non semper esset ex propositionibus. Præterea falsum est, quòd Arist. per tertium præcognitum in demonstratione, intelligat dignitatem, quæ est uniuersalior maiori, & minori propositione, quoniam potest esse maior & minor, ut Auer. dicit in comm. secũdo quòd præmissæ sunt præcognitæ, & hoc habet demonstratio a syllogismo, primo priorum primo, & secundo priorum. 17. syllogismus notificat ex præassumptis pręnotis, & multo fortius hoc facit demonstratio, ergo non solum dignitas est pręcognitum. Ideo postpositis aliorum placitis pro uera opinione notandum est epitologic. in tract. de rethor. demonstratiua, & in primo com. & in principio epit. logic. in præfatione, quòd præcognitiones genere, sunt duæ, dirigentes, scilicet & agentes: uelut supra in expositione primi tex. diffusius enarrauimus; dirigentes sunt illę, quæ dirigunt nos ut sciamus quærere, idest quæ pręhabitę sunt. quasi uia metaphorica, ut quęsitum nostrum sit artificiale, quia omne opus artis (ut docuit Aristo. tertio ethic. cap. sexto) est cum modo artis, scilicet ex fine præcognito, præeligere certa instrumenta, & uias ad ipsum finem, & ideo dicimus quòd pręcognitiones artificiales acquisitę, idest quæ ex quęsito artificiali ut fine sunt præelectæ ad ipsum finem, sunt duæ scilicet quid nominis, & quia est: præcognitiones uero agentes sunt præmissæ, agunt enim doctrinam conclusionis demonstrationis, & ex ista declaratione quare pręcognitiones debent esse duę, potest etiam ratio assignari, quare pręcognita sint tria: nam uel pręcognitio est ad quæsitum artificialiter habendum, quod est ipse finis, scilicet scientia, & sic sunt duo pręcognita, subiectum & passio in conclusione demonstrationis; uel est præcognitio ut agat doctrinam artificialiter, & sic est tertium præcognitum, scilicet ipsa dignitas, & præmissæ, tria ergo sunt pręcognita, et non plura quia, si pręcognoscimus, uel ad quęsitum,

uel ad doctrinam quæsiti: si ad quæsitum sunt duo, subiectum, & prædicatum, idest passio, si ad doctrinam, sic est unum, scilicet dignitas seu præmissa, & hoc uoluit dicere hic Arist. cum dixit, {dupliciter autem est necessariũ præcognoscere} & infra cap. 25. Amplius pro assignanda causa, quare sint duæ præcognitiones, duo animaduertẽda sunt: Primum est, quòd ex secundo poster. primo quæsita sunt tantum duo genere, unum est esse rei, alterum uerò est causa ipsius esse, quod postea diuiditur (ut ibi dicit Arist.) in simplex, & compositum, & sic sunt quatuor quæsita. Secũdũ est, quod sicut datur quæsitum quod nullo modo est præcognitũ. & hoc est ultimum quæsitũ, scilicet causa rei primo poster. 39 ubi dixit Arist. quod ultimum quod quæritur est causa propria rei, ita datur præcognitum quod nullo modo est quæsitum et hoc præcognitũ, est præcognitio quid nominis, sicut dixit Themistius in secundo poster. cap. nono quòd præcognitio quid nominis est principium omnis agnitionis: et in hoc loco dicit, quòd est omnibus uulgaribus nota, et nullo modo dubia: ex quibus præsuppositis potest esse manifesta causa, quare præcognitiones sunt duæ: præcognitiones sunt (ut uis uocabuli monstrat) ante quæsitum cognitiones, quæ præcognitiones non possunt esse nisi duæ, sicut quæsita nõ sunt, nisi duo, ut dictum est, scilicet esse, et causa; unde si quærimus esse rei, tunc est una præcognitio, scilicet quid nominis: si uero quærimus causam rei, tunc est alia præcognitio scilicet quia est: et quia causa est ultima, nulli potest esse præcognitio, remanent ergo duæ tantum, scilicet ante quæsitum esse est præcognitio quid nominis, et ante quæsitum causæ est præcognitio quia est. Sed dubitabis, quia præcognitio quia est, est duplex, scilicet simplex, & composita, ut dictum est, & diffusius paulo post dicetur: ergo triplex est præcognitio. Dicitur. quod reducuntur ad unam cognitionẽ, quia proportionabiliter idem sunt, (ut dicemus) & ideo Arist. ambas uno nomine quia est, uocauit, in hoc textu, infra. 25. Sed pro ampliori cognitione circa numerum præcognitionum, omnes istæ ueniunt annotandæ conclusiones iuxta Arist. & Auer. autes. Prima conclusio est, duæ sunt præcognitiones. secunda conclusio. tres sunt præcognitiones. tertia quatuor sunt præcognitiones. quarta infinitæ possunt esse præcognitiones Primæ conclusionis sensus talis est quòd genere duæ sunt præcognitiones, scilicet dirigentes & agentes, ut supra in primo textu enucleauimus. secundæ conclusionis sensus est, quòd tres sunt præcognitiones, duæ simplices, & una composita ex illis, ut optimè notat Auer. in commen. secundo tertiæ conclusionis, sensus est. quod quatuor sunt præcognitiones. scilicet species, quoniã præcognitio quid nominis est duplex, scilicet quid nominis subiecti & quid nominis passionis & similiter præcognitio quia est, est duplex (ut diffusius infra dicetur,) scilicet quia est dignitatis, & est esse complexum, nam de dignitate præcognoscitur quia est uera, ut dictum est supra, & quia est subiecti, & est esse simplex. Quartæ conclusionis sensus patet, quia secundũ numerũ possunt esse infinitæ quod nulli dubium est, ut Porphirius tradidit, quòd ideo indiuidua sunt relinquenda ab arte, quia sunt infinita. sed instabis, quia uidetur esse contradictio in hoc tex. secundo in dictis Arist. circa numerum præcognitionum, quoniam in principio tex. dicit duas esse præcognitiones & parum post in eodem tex. numerat tres, et sic uidetur expressa contradictio quod proponit duas, et numerat tres. Soluit Auer. in comm. secundo hanc instantiam, quod tertia præcognitio est cõposita ex duabus simplicibus, et proposuit Aris. esse duas simplices et hoc facit pro intellectu secundæ conclusionis supradictæ, et sic nulla est contradictio in dictis Arist. in hoc tex. Quarta dubitatio est de ordine præcognitionum quænam prior: et quæ posterior. est. Respondet Suessanus distinguendo de ordine, alium esse quo ad nos, alium uerò quo ad naturam: ordine quo ad nos primo est dignitas, secundo est quæsitum, quia est accidens sensatius & notius, & est concessum, quia ut plurimum est substantia sensata: ordine uero naturæ, primum est subiectum, secundum est quæsitum, & tertiũ est dignitas, seu ꝓpositio. Sed multipliciter Suess. errasse dicimus. Primo errat, quia quærit de ordine præcognitionum, & respondet de ordine præcognitorum. Secundo errat, quia dicit contradictoria, nam dicit ꝙ ordine quo ad nos quæsitum est præcognitum in secundo loco. sed hoc uidetur dicere contradictionem, quia si est quæsitum, tũc est ignotum, ut patet secundo poster. primo & sic ordine quo ad nos, non erit præcognitum in secundo loco. Tertio errat, quia præcognitio quid nominis debet esse prima in ordine, quia est principium omnis agnitionis, ut retulit Themistius secundo poster. cap. nono & ipse Suess. omisit eam. Quarto errat, quia esse & quid nominis subiecti (quod ipse uocat concessum) sunt præcognitiones dirigentes ad quæsitum, & nõ facientes doctrinam quia præcognitio agens, præmissarum agit doctrinam, ut supra diximus, sed dirigentes ad quæsitum sunt priores quo ad nos, agentibus doctrinam, prius enim oportet præcognoscere per quæ artificialiter quæramus, quam ea, per quæ acquiramus doctrinam quæsiti: esse ergo & quod nominis subiecti præcedunt, quia est præmissarum contra ipsũ Suess. Quinto errat, quia nos non loquimur de ordine in eis quo ad naturam, sed quo ad nos, signum est ex ordine quo faciunt doctrinam, doctrina autem fit nobis, & non naturæ. Sexto errat, quia nec ratio sua ualet, quãdo dicit, accidens quod est quæsitum est notius subiecto, quod est substantia: quia hoc est uerum quando accidens est sensatum, & notius: quando uerò est quæsitum, & ignotũ naturaliter (ut ipsemet concedit) nescitur quomodo possit esse præcognitum, & magis notum esse subiecto. Quapropter pro uera opinione tres annotandæ sunt cõclusiones. Prima est, præcognitiones duæ sunt genere, ut toties annotauimus, dirigentes ad quæsitum, & agentes doctrinam; & sic dicimus quòd præcognitiones dirigentes sunt priores quo ad nos, quod patet ad sensum, quæsitum. n. artificiale, quòd fit ex præcognitis, præcedit necessario scitum artificiale: sed quid nominis, & quia est simplex sunt præcognitiones dirigẽtes ad quæsitum artificiale, & quia est complexum præmissarum, est præcognitio agẽs doctrinam conclusionis, meritò ergo illæ dirigẽtes præcedunt præcognitionem agentem, scilicet quia est complexum præmissarum. Et sic habetur ex hac prima cõclusione, quæ præcognitio prior debet esse, dirigens, uel agens faciendo comparationem inter eas. Secunda conclusio, si comparantur præcognitiones dirigẽtes inter se, tunc procul dubio dicimus, quòd præcognitio quid nominis est prior præcognitione quia est. nam dicebat Themist. secundo poster. cap. nono, quòd omnis agnitionis caput, origo, & principium est ipsa præcognitio quid nominis, & probatur quòd sit prior, tum quia principium est prius principiato, at ipsa est principium omnis agnitionis (ut diximus) secundum Themistium; cum etiam, quia illa præcognitio est prior, quæ potest haberi sine alia, & non ecõtra, ut patet quinto metaph. cap. de priori & septimo metaph. tex. comm. quarto, sed possumus præscire quid nominis, ignoto de re quid sit, sed non econtra, quid nominis ergo præcognitio prior erit præcognitione quia est tminor a Themistio & ab Auer. in paraph. probatur ex eo quòd dixit Arist. secundo poster. cap. septimo, quòd in non entibus ut in chimera possumus præscire quid nominis chimeræ, ignoto esse chimeræ: merito igitur præcognitio quid nominis prior est præcognitione, quia est simplici: & sic patet secunda conclusio. Tertia cõclusio, licet in comparatione simpliciter ad doctrinam, & quæsitum, præcognitiones habeant hunc supradictum ordinem, tamen

mē ut sunt quæsita inter se ordinata, habent ordinem aliquem. ita ut præcognita, nam quæsitum & præcognitū sunt relatiua, & sicut dicitur unum, dicitur aliud: & pro hoc intelligendo notandum est (ut etiam supra dictum est) quod aliqua est præcognitio solum & quæsitum, ut præcognitio quid nominis, ut dicebat Themistius secundo post. cap. nono, quæ est principiū cuius libet cognitionis, ita aliquod est quæsitum solum nulli præcognitum, ut est quæsitum propter quid, secundo post. cap. 39. ubi dicitur ꝙ quæsitū propter quid est finale quæsitū, non habēs ulterius eo, cui sit præcognitum, sunt media partim quæsita, partim præcognita, quæsita respectu principiorum, præcognita respectu sequentiū, sicut dicitur esse rei, simplex & cōpositū, respectu propter quid est præcognitū, respectu quid nominis, est quæsitū: ex quibus possumus inferre ordinē inter ipsum simpliciter. Prima præcognitio omniū est quid nominis proprie, tamen immediate ad esse rei & quia est. Secūda præcognitio est, quia est proprie immediate ad quæsitū propter quid notabis tamen (ut diximus,) secūdo post. primo esse duplex, simplex & compositum, & unumquodq; eorum habet causam: quo stante dicimus, sicuti quia est, simplex præcognitio, se habet ad quæsitum quid & propter quid eius: ita quia est cōpositum ad quid propter ipsius: hunc ordinem innuit Themistius ut diximus, si enim queramus an dii sint, oportet prænosse, quid nomē ipsum, si uero quid sit motus ignotum est, oportet prænosse esse motum, si ob quam rem magnes trahit ferrum, oportet prænosse magnetem trahere ferrum quia est, in primo exemplo innuit præcognitionē nominis ad esse quæsitum: in secundo exemplo ordinē præcognitionis esse simplicis ad quæsitum causæ eius scilicet quid. in tertio exemplo ordinem esse compositi ad quæsitū propter quid compositū. Quinta dubitatio, utrū de dignitate oporteat præcognoscere quid nominis? Respondent quidam simpliciter ꝙ non, & causam assignāt, quia est uerbale cōplexum, cuius non est definitio, & sic neque præcognitio quid nominis. Sed errant isti quoniam Arist. infra tex. cōm. 11. declarans quomodo sint præcognitæ præmissæ ex quibus fit doctrina, dicit non solum altero modo præcognitionis, intelligendo quid significent, ut Themistius & Auer. ibi exponunt, in paraph. sed quoniam sunt ueræ: quare utraque præcognitione præcognoscuntur dignitates, ut Auer. in fine cōm. 11. hoc idem retulit. Amplius Arist. secundo post. cap. 7. statuit definitionem quid rei, differre a definitione quid nominis in hoc, quia illa quid rei est solum incomplexi, illa uero quid nominis est & potest esse complexi; falsa est igitur causa eorum, ꝙ ideo de dignitatibus non potest præcognosci quid nominis, quia sunt complexæ: Suessanus a Philopono accipiens dicit, quod de dignitatibus est præcognitio quid nominis ratione terminorum, & non ratione totius, quia complexæ sunt. falsam quoque hanc responsionem esse comprobamus, quia Arist. primo poster. tex. comm. 11. dixit quod ipsæ præmissæ. ut præmissæ duplici præcognitione præcognoscuntur. s. quid nominis & esse, & nō dixit quod ratione terminorum na præcognoscuntur, & secundo post. dixit. Arist. quod tam complexum, quam incomplexum possunt definitione quid nominis, definiri, & præcognosci, & est ratio etiam ad hoc, quia Themist. dixit secundo post. 12. ꝙ definitio nominis est interpretatio uocis, quæ affertur, siue simplex siue cōposita fuerit utrūque ergo & cōplexū & simplex definitione quid nominis potest definiri, & exponi: falsa est igitur Philop. & Suess. opini[...] quod dignitas ut complexū non possit definiri, & præc[...]nosci præcognitione quid nominis. Ideo pro ueritate tria sunt prænotanda primū est, ꝙ duplex est definitio. s. quid rei, & quid nominis, distinctio est Ari. in secundo post. cap. 10. tex. comm. 44. & 45. hic non est sermo de præcognitione quid rei, seu de definitione quid rei, sed de definitione seu præcognitione quid nominis. Secūdum est, quòd tam complexum quam incomplexum definiuntur definitione quid nominis, ut patet secundo poster. cap. septimo & primo priorum cap. 97. & secundo meta. 12. Tertium est, quòd potest intelligi tribus modis ipsum complexum definiri definitione quid nominis: primo modo, imponendo nomen toti orationi & illud nomen definiendo & explicando, ut dicit Aris. 2. post. ca. 7. secundo modo, imponendo nomen non solum orationi, sed aggregato ex multis orationibus, ut toti Iliadi Homeri potest imponi nomen. & illud definiri. tertio modo, definiendo terminos propositionis, ut dicit Arist. infra cap. 25. & hoc potest esse duobus modis, uel omnes terminos simul iunctos & complexos, uel sigillatim, si sigillatim, hoc conuenit toti & orationi per accidens, quia quinto phy. te. cō. primo, quod cōuenit toti per partē, per accidēs conuenit: si uerò ut complexi & iuncti sunt, quia primo phys. tex. com. 17. totum non est nisi partes simul iunctæ merito talis præcognitio quid nominis terminorū erit per se conueniens complexo, & orationi, & hoc modo Arist. infra. s. tex. com. 11. & Themistius cap. 4. dixit præmissas præcognosci quid nominis, quia termini earum præcognoscuntur. s. simul iunctim & complete, & hoc ēt modo dixit Aris. primo prio. 47. complexum per nomen uel orationem aliam notiorem notificari. Sed pulchra & scitu digna occurrit adhuc dubitatio si de dignitate præcognoscitur etiam quid nominis quur eam tacuit Aristo. in hoc secundo textu? Primo potest dici cum Philopo. quòd Ari. prætermisit præcognitionem quid nominis de dignitate, tanquam firmam & confessam: nam non est possibile cognoscere dignitates quia ueræ sunt, nec aliquid, quoniam est, quin cognoscatur quid significat: Secunda est responsio, quòd Arist. uoluit loqui & explicare eam præcognitionem præmissarum, quæ facit finem rei, antequam cognoscatur, scilicet doctrina quæsiti, sed solum præcognitio quia est uera facit doctrinam quæsiti, & non præcognitio quid nominis ergo potius oculum habuit Arist. ad præcognitionem quia uera est, & non ad præcognitionem quid nominis: sed non propter hoc uoluit excludere præcognitionem quid nominis ab ipsis præmissis, seu dignitatibus. Sexta dubitatio, quid uelit Aris. per præcognitionem quia est, quæ præcognoscitur de subiecto. Responsio quorundam, quòd præcognitio quia est subiecti, non est aliud, nisi ipsum esse tale, de quo aliquid est demonstrabile. Ista responsio est puerilis & nugatoria, quia est cū petitione principii, nam secundo priorum cap. 17. petitionis principii unus modus est, quando æque ignotum per æque ignotum probatur, sicuti est in proposito; æqualiter enim ignotum est, quod est esse tale de quo aliquid est demonstrabile, sicut ipsum quia est subiecti, quare responsio nulla est & non sapit doctrinam Aristotelis. Græci ut Suess. refert eis astipulando, per quia est subiecti, intelligunt subiectum debere præcognosci quoniam est ens, non quidem existens per se, sed quòd in uirtutibus causatum continetur. Sed errant grauissime, quoniam tale esse, est potentiale in agente actiuum & in patiente passiuum, at esse subiecti quod est præcognitum, est esse actuale: ut secundo poster. 33. habetur. Antiquorum fuit etiam opinio ut refert Auerr. primo topic. cap. accidenti, & quinto metaph. commen. 14. & secundo poster. comment. 33. quòd præcognoscere rem esse simpliciter nō esset alii aliud, quàm quærere ens an sit genus eius, alii etiam intellexere, an sit in aliquo genere, et istæ duæ opiniones coincidunt, nam ens est genus, & qui quærit utrum sit ens, quærit in genere, ut puta, si dico utrum rosa sit, idest sit in genere. Ambas opiniones Aue. in supradictis locis dicit non esse ueras, quia qui hoc quærit, quærit partes definitionis, quæ sunt proportionaliter quidditas rei, at quæsitum quid & si est, diuer-

santur ut patet secundo poster. primo. Quidam antiqui dixerunt ut in eisdem locis refert Auer. quod præcognoscere rem esse simpliciter, non est aliud quam quærere, an sit aliqua causa propria per quam illa res sit, ut puta, utrũ rosa habeat aliquã causam ipsam inferentem. Hãc etiam opinionem Auer. dicit esse falsam, tum quia Alexander tenuit oppositum, tum quia non est uulgata. Præterea est falsa, quia causa & inferens aliquid in nullo differentia tẽ poris est causa formalis: & causa formalis est definitio, at definitio dicit quæsitum quid: sed quæsitum quid, est diuersum, a quæsito si est: ergo per, si est. nos non possumus quærere definitionem, quæ dicit quid est, quia tunc si est & quid est essent idem, quod est contra Arist. secundo posteri. primo. Aliorum opinio est, quod per præcognitionẽ quia est de subiecto, debemus intelligere, utrum subiectum habeat esse actuale, & existentiæ, idest extra animam. Sed proculdubio erroneum est hoc, dicere, quia existentia rei extra animam competit ipsis indiuiduis & singularibus, quorum neque demonstratio, neque definicio est, ut primo & secundo post. docet Arist. & septimo metaph. hoc idem confirmatur: at intentio Arist. in hoc secundo tex, est docere præcognitiones deseruientes demonstrationi, & definitioni ut dictum est. Exclusis igitur omnibus supradictis respondet Auer. supradictis locis, scilicet in quinto meta. cõ. 14. primo topic. quarto & secundo post. cõ. 33. ꝙ per si est debemus intelligere, utrum conceptui illi in uniuersali de quo quæritur, correspõdeat aliquid seu aliqua res particularis extra animam: & uult dicere sic Auer. ꝙ præcognitio quia est simplex non præcognoscitur de subiecto, nec secundũ esse actuale, nec potentiale, nec esse existentiæ, nec esse essentiæ, sed dicitur præcognosci de subiecto secundum conformitatẽ esse potentialis & essentiæ in mente, ad esse actuale existẽtiæ, & extra mentẽ. & assignatur exemplũ, ut si dicamus, utrum sit rosa seu de rosa præcognoscatur præcognitio quia est, tunc non est aliud quærere, nisi utrum isti cõceptui rosæ, uniuersaliter facto in mente mea, correspondeat aliqua res particularis. Septimo dubitatio, quid intelligi debet per quid, quod præcognoscitur de subiecto, quid nominis uel quid rei. Respondet Thomas de uio quod in demonstratione simpliciter debet præcognosci quid rei de subiecto, & causam assignat, quia in tali demonstratione medium est definitio subiecti, quã oportet præcognoscere: in demonstratione uero a posteriori medium est quid nominis, quia ibi medium nõ est definitio rei, quam oporte, præcognoscere. Sed clarissime errat, primo quia medium in demonstratione potissima non est definitio subiecti, sed causa passionis, ut dixit Arist. secundo post. tex. comm. 95. & tex comm. 41. & primo post. commen. 11. & in quæsito secundo posterioristico, & ut diximus in nostro quæsito de medio demonstrationis. secũdo errat quia Arist. in hoc tex. 2. loquitur de præcognitione quid nominis, & non quid rei, & uult quod talis præcognitio quid nominis sit cõmunius definitioni, & cuilibet demonstrationi, & principaliter demonstrationi potissimæ, & in tex. expresse dicit ꝙ de subiecto præsupponatur quid nominis, quia dicit quid est, quod dicitur præcognosci, sed quid est ꝙ dicitur est definitio quid nominis. & non quid rei: ergo falsa est eius opinio. Dicendũ igitur est, quod præcognitio quid subiecti est præcognitio quid nominis, & nõ quid rei, sic cõcludit Arist. in tex. & infra cap. 25. & Themistius sæpius hoc tetigit. 2. cap. & Auer. in cõm. media dixit definitionem quid nominis esse præcognitionem de subiecto, quia est facilis, & uulgaribꝰ notissima, cuiusmodi non est definitio quid rei. Octaua dubitatio, quid intelligit Aristo. per præcognitionem quid, quæ præcognoscitur de passione, quid nominis, uel quid rei? Respondent moderni, quod intelligit quid rei, & non quid nominis, & probant hoc modo, quia secundo post. tex. com. 95. & tex. com. 41. & in epi. logic. in quæsito, 2. post. & in com. 11. & multis in locis dicitur etiam ab ipso Auer. ut notauimus in quæsito nostro de medio demonstrationis, tam expresse habetur, quòd medium demonstrationis potissimæ est definitio passionis, & de ratione medii est ut præcognoscatur; ergo ipsum medium cum sit definitio quid rei passionis, & non quid nominis, sequitur a primo ad ultimum, quòd præcognitio quid, quæ præcognoscitur de passione, est quid rei, & non quid nominis. Dicimus tamen ꝙ isti maxime hallucinantur, & ad ipsorum rationẽ, quam afferunt de medio, dicimus, quod licet medium in demonstratione potissima debeat præcognosci, tamen determinauimus in nostro quæsito de medio, quod debet considerari medium ut causa, & non ut definitio, (ueluti ibi demonstrauimus) quapropter ratio illorum deficit, quia mediũ est causa passionis, & nõ cõsideratur ut definitio passionis, & ex consequenti medium præcognoscitur ut causa, & non ut definitio, & quia præcognoscitur ut causa, tunc dicendum est etiam quod mediũ ipsum non consideratur ut præcognitio dirigens, sed ut præcognitio agens doctrinam, quatenus, scilicet continetur ipsum medium in præmissis, quæ præmissæ sunt præcognitio agens respectu conclusionis, ueluti sæpius supra tetigimus. Ex quibus omnibus tandem asserimus, quod cum medium nõ sit definitio passionis, sed tantum causa sequitur quod de passione nõ debet præsupponi definitio quid rei, sed definitio, seu præcognitio quid nominis tantũ, nam Arist. in textu locutus est cõmuniter, de præcognitione quid nominis ad subiectũ, & ad passionẽ, quatenus talis præcognitio quid nominis dicitur præcognitio dirigens ad quæsitum, præcognitio uerò ipsius medii, dicitur agens & non dirigens, & sic ratio ipsorum nihil contra nos. Nona dubitatio, quid debemus intelligere per præcognitionem quia est, & licet quamplurimi reperiantur dicendi modi, circa huiusmodi dubitationem, omissis tamen omnibus peripateticam duntaxat sequemur opinionem, pro qua intelligenda quædam prænotanda ueniũt. Quorum primum est quod aliqui textus habent quia est aliqui uero esse, & Auer. in paraph. sua uocat esse inuentum & in comm. magna dupliciter uocauit, primo ueritatem sui esse, secundo assertionem sui. Secundo notã. quod esse est duplex, scilicet essentiæ & existẽtiæ, distinctio est Auerro. secundo poster. commen. 33. & quinto metaph. com. 14. & primo top. cap. quarto & notandum quod sunt idem subiecto, & differunt ratione, sunt quidẽ idem subiecto, quia forma cum materia est existentia, differũt uero rationibus multis, primo quia primo cœli com. 92. & 3. de anima. 9. & 10. & 18. & 7. meta. 38. & secundo de anima. 121. & quinto meta. 14. & secundo poste. comm. 33. & alibi quoque habetur, quod forma sine materia est essentia, & cum materia est existentia: secũdo ipsa forma sine materia est definitio, & quid cum materia est compositum & definitum. nam primo de anima octauo, uere definitum est singulare. tertio, forma sine materia, est uniuersalis, siquidem primo cœli tex. com. 92. forma est subiectum uniuersalitatis, & ut sic prædicatur de pluribus, cũ materia uero est singulare, & prædicatur de pluribus. quarto forma sine materia est ratio intelligendi, & cognoscendi, ut docuit Aristo. nono metaph. tex. comm. 20. & est ratio separandi & distinguendi, ut etiam prodidit Ari. septimo metaph. tex. commen. 49. sed cum materia est ratio sensibilis & sentiendi. quinto, sine materia dicit aptitudinem, quia uniuersale est aptum natum esse & dici de pluribus, sed in materia dicit esse actuale. sexto, sine materia dicit esse per se rei, quia est definitio primo poster. 30. quæ est forma & causa per se septimo metaphy. 34. in materia dicit esse per accidens rei. & septimo differunt quia forma sine materia habet esse per intellectum agentem tertio de anima commen. 18. & est in anima, ut patet

in

in comm. 38. sed in materia est per naturam, & apud naturam, & extra animam. Ex quibus corrolarium inferimus aduersus Achillinū Bononiēsem qui in libro suo de distinctionibus in principio, & in primo libro de elemētis dub. 23. dixit quod esse existentię & essentiæ sint idem. & sint nomina synonyma: nam licet in abstractis a materia, essentia & existentia sint idem, tamen secus est in generabilibus & corruptibilibus, sicuti expresse docet Ari. tertio de anima tex. comm. nono, quod in quibusdam aliud est caro, & carni esse, & magnitudo & magnitudini esse & idem protulit Arist. septimo metaph. tex. commē. 34. nam illud quod diuersificauit essentiam a quidditate in istis generalibus, ut scribit Auer. tertio de anima comm. quinto, in solutione tertiæ quæst. est materia: & inde prouenit maxima diuersitas, inter naturas entium abstractorum, a materia, & naturas generabilium: Tertium notan. ex quinto metaph. commen. 14. & secundo poster. 33. & tertio de anima. 26. esse uerum est duplex, uno modo capitur propriè, alio modo sumitur improprie. Et aduertas quod esse uerum in cōmuni, quod dicitur de esse uero proprie, & de esse uero improprie, sic describitur ab Ari. in post prædicamentis & secūdo post. cō. 33. est adequatio rei ad intellectum, idest quod sit in anima, sicut est extra animā: sic diffiniuit etiā Arist. nono metaph. & Auer. in lib. destruc. destruct. contra Algazelem, in disput. prima in solue. dubi. 22. & talis definitio competit uero proprie sumpto, & improprie sumpto, ut declarabitur iā: & scīēdū quod esse uerum proprie sumptum, est uerum cōplexum, quod enunciatione significatur, & explicatur, scilicet compositione, & diuisione, mediante copula, affirmando, uel negando, ueluti docuit Arist. primo de interpretatione cap. quinto, esse uerum improprie sumptū, est ipsum simplex, & incomplexum, quod ideo dicitur uerum, quia potest aliquid ipsi rei simplici & incomplexæ correspōdere, ita, scilicet esse in anima, sicut est, extra animam: sed dicitur uerum improprie, quia proprie & per se esse uerum, competit enunciationi, & hoc modo per ipsam descriptionem ueri in cōmuni, dicimus quod incomplexa dicuntur uera, & dat exemplum Arist. tertio de anima 26. uisus & sensus potest dici uerus, nam species rei sensibilis in anima talis est, qualis est res sensata extra animam & similiter potest dici falsus: hoc etiam modo dicimus quod definitio est uera primo topic. comm. 4. & cognitio intellectionis intelligentiarum licet sit sine cōpositione, semper tamen uera dicitur, sed improprie dicitur, uera, quia est sine compositione. Tunc stantibus omnibus hisce pręsuppositis & prænotatis, dicimus quod per præcognitionē, quia est in communi, debemus intelligere esse uerum per adæquationē & conformitatem rei ad intellectum, idest quod ita sit in anima, sicuti est extra animam, ut supra diximus in tertio notando, definiendo ipsum uerum in communi. Et notabis quod Auer. per esse inuentum in paraphrasi, intellexit esse uerū sicuti nos exposuimus, & ita uult dicere Auer. quod pręcognosci quia est de aliquo, non est aliud, quam aliquid ita correspondere et in anima, sicut inuenitur seu habet esse inuentū extra animam. Decima dubitatio, utrum eadem pręcognitione, quia est, præcognoscatur dignitas, & subiectum? uidetur enim quod eadem, quoniam Arist. sicuti in tex. secundo unam assignauit præcognitionem, quid nominis ita quoq; unam assignauit præcognitionem, quia est. Respondetur quod non eadem pręcognitione, quia præcognoscuntur dignitas, qua præcognoscitur subiectum, quoniā ut dictum est, per præcognitionem quia est, debemus intelligere, esse uerum, & ipsum esse uerū diximus esse duplex, scilicet complexū, & incomplexū, & tunc ex hac distinctione asserimus, quod subiectū pręcognoscitur præcognitione, quia est simplici, seu esse uero simplici, & incomplexo: ipsa namq; dignitas præcognoscitur præcognitione, quia est, seu esse uero cōplexo & composito, quod enunciatione explicatur, & Aristo. in hoc tex. secundo se ipsum exposuit ponendo discrimen inter præcognitionē, quia est subiecti, & pręcognitionē, quia est dignitatis, nā loquens de præcognitione quia est dignitatis, addidit illam particulam, uerum est, quia est, idest præcognoscitur quia est uera, ueritate complexa & composita, quæ significat esse uerum proprię dictum, per enūciationem explicatum, & quādo locutus de præcognitione, quia est subiecti, nō addidit illam particulam, ut clarus est textus, nō igitur eadem præcognitione, quia est, præcognoscitur dignitas & subiectum: Et quando dicitur, quod Arist. unā assignauit præcognitionem quia est, sicuti unam assignauit pręcognitionem quid nominis. dicimus tam ꝙ Arist. unā genere assignauit præcognitionē quia est, in qua cōueniūt præcognitio quia est subiecti, & pręcognitio quia est dignitatis, quę specie inter se differunt. similiter dicendum est de pręcognitione quid nominis. Et notato quod Auer. in com. magnæ cōm. primo loquens de præcognitione quia est, uocauit eam, ueritatem sui esse, & assertionem sui: sed tu intelligas, de qua est dignitatis & præmissarum, & nō de quia est subiecti: quia licet quia est subiecti, sit esse uerum, (ut diximus) tamen significat esse uerum improprie, quia non per enunciationem, mediante copula uerbali, uerum uel falsum affirmando, & negando: & tandem pro dubii solutione concludimus, quod præcognitio quia est subiecti, & præcognitio quia dignitatis, differunt specie, & conueniunt genere: in ambobus enim ipsa præcognitio quia est significat esse uerū, eo modo quo exposuimus, & definiuimus eum, ꝙ uerum est, adæquatio rei ad intellectum, idest quia ita sit in mēte, sicuti est extra mentem, in qua namq; definitione, tam complexa quam incomplexa conueniunt, ita ꝙ & simplicia, & cōposita possunt dici uera secūdum hanc definitionē. Sed quis contra hāc nostram expositionē circa pręcognitionem quia est, posset obiicere, quoniā si talis expositio esset uera, tunc sequeretur, quòd de rosa tempore hyemis non posset haberi talis præcognitio quia est, quia non est adæquatio rei ad intellectum, quod ita sit in mente, sicut est extra mentem, nam tali tempore non est extra mentem, ergo neq; erit in mente; & sic cum non possit haberi talis præcognitio, quia est, de ipsa rosa, neq; erit scientia de ipsa rosa: Aliqui credentes aufugere argumentum, respondent ad exemplum de rosa, & dicunt rosam semper esse, & licet non sit in nostra regione, esse tamen in aliqua regione. Sed istorum responsio est fuga, quia Themistius & Auer. secundo de anima. 35. clarissimè asserunt, plures res & plura animalia non semper esse, ut Arist. inquit lib. de animalibus, sed statutis temporibus sunt, & desinunt esse, de quibus rebus non potest uerificari responsio, sicuti de rosa solet responderi. Alia responsio est Ægidii dicentis de rosa esse scientiam, & præcognitionem, nam est species ipsius substantiæ: modo quod est in genere, est æternum, & hoc modo de ipsa rosa est scientia. Hæc responsio est falsa, quia quærere si est, non debet intelligi, si est in genere, ut Auerro. secundo poster. commen. 33. & quinto metaph. commen. 14. & primo top. comm. quarto, quoniam qui hoc quærit, quærit partes definitionis, quæ sunt proportionaliter quidditas rei, sed quæsitum quid, & si est, differunt ut secundo poster. tex. comm. primo, habetur, ergo neque hæc responsio satisfacit. Ideo peripatheticè sic est dicendum pro prima responsione, quòd indiuiduum est triplex ut Auer. protulit tertio de anima comm. 60. & 61. & in lib. de memoria & reminiscentia, quoddam est indiuiduum corporale cum materia, aliud est sine materia sed non sine præsentia materiæ, & tunc est in sensu exteriori. 2. de anima. 181. quoddam uerò est indiuiduum, sine materia, & præsentia materiæ, & sic est in cogitatiua, ex qua distinctione potest dici,

quod rosa non existente præcognoscitur conformitas, & licet non ad esse actuale corporale, tamen ad esse indiuiduale existens in cogitatiua, sumptum aliquãdo ab esse actuali corporali: & ex hoc colligitur differentia, & causa, quare de rosa potest esse scientia, & non de chimera, licet ambo non existant actu: quoniam ex essentia rosæ præconceptæ in anima ex quid nominis, est conformitas uera, licet non ad esse actuale corporale ipsius rosæ, tamen ad esse ipsius rosæ existentis in cogitatiua, quod iã aliquando fuit sumptum ab esse actuali corporali ipsius rosæ. non sic autem dicendum est de chimera, cum nunquam ei aliquid correspondeat ex parte rei. ut iam patet ad sensum: Aut dicamus & quasi idem. quod semper esse duobus modis contingit, ut colligitur ex octauo phys. commento. 51. & primo de genera. 58. uno modo semper esse, est continuo & sine quiete esse, ut motus cœli semper est hoc modo, alio modo semper esse, est successiue esse, & cum quiete. & sic Aristote. dixit, quod generatio semper est, & similiter corruptio semper est, scilicet successiue, & iam habetur scientia. Et sic habita hac distinctione dicimus negando rosam non semper esse, nam licet non semper sit, idest continue, tamen semper est, idest successiue, statuto & ordinato tempore: & confirmatur hæc responsio per Aristote. qui in primo poster. 19. dixit quod de iis, quæ semper fiunt, licet non continuo. est scientia, ut de eclipsi: unde ex ambabus responsionibus concludimus quòd de rosa habetur scientia, quia est æterna, & isti conceptui in uniuersali in mente correspondet aliqua res particularis, licet non in omni tempore, tamen in temporibus per se statutis à natura. Et notanter dicimus per se, quia non, à casu, neque, à fortuna; de iis enim quæ sic fiunt, non est scientia; nam ubi est ordo, ibi non est casus neq; fortuna, nam intellectus præsupponitur facere ordinem, & sic non semper, a statutis tamen, a natura temporalibus. Vndecima dubitatio, contra tex. Aris. talis esse uidetur, quoniam nulla quæstio est præcognitio, ut docuit ipsemet Aristo. in secundo poster. tex. comm. primo, sed quid, est quæstio. ut patet secundo poster. primo, ergo non est præcognitio: & sic uidetur Aristo. sibi contradicere, in hoc tex. secundo cum dicit quid esse præcognitionem, & secundo poster. tex. commen. primo, dicit quid esse quæstionem: Similiter uidetur Arist. sibi contradicere, quoniam hic dicit, quia est, esse præcognitionem, ibi uerò ait esse quæstionem. Pro solutione notandum est quod duplex est definitio secundo poster. tex. 44. & 45. & cap. 10. definitio quid rei, & definitio quid nominis, tunc dicimus ad primam, quòd Aris. non sibi contradicit, quoniam in hoc tex. secundo loquitur de definitione quid nominis, quæ est præcognitio: in secundo poster. tex. cõm. primo loquitur de definitione quid rei, quæ est quæstio: & sic respectu diuersorum non est contradictio in dictis Aristo. ad aliam contradictionem, oportet distinguere de quia est, nam capitur dupliciter, uno modo respectu dignitatis, & subiecti, & sic est præcognitio, alio modo respectu conclusionis, & sic est quæstio de qua est sermo secundo post. tex. cõm. primo. Alia quoq; occurrit dubitatio, quòd non sint tria præcognita, quia subiectũ non est præcognitũ: & probatur, quia subiectum est quæsitum, nam expositores semper quærunt de subiecto libri uel scientiæ, in principio tractatus; ergo signum est, quòd subiectum non est præcognitum, sed quæsitum, nam secundo poster. 33. nullum præcognitum, est quæsitum, & econtra, & sic alterum de duobus erit dicendum, aut quod expositores falsò & male quærunt, aut male dixit Aristo. subiectum esse præcognitum. Huic dubitationi respondendum est (& dicant Zimara, & alii quicquid eis libuerit) quòd aliud est quærere si esse subiecti debet quæri uel præcognosci in scientia cuius est subiectum, & aliud est quærere, quod sit illud, quod mæretur in tali scientia haa duas præcognitiones, ut scilicet de eo præsupponatur quid, & quia: tunc hac distinctione habita, dicimus quod expositores non quærunt primum, sed dumtaxat secundum. & sic non propter hoc sequitur, ipsum subiectum non esse præcognitũ. Vltimo. occurrit dubitandum quur Arist. loquens de tribus præcognitis, exemplificauit de dignitate, quæ sit in metaphysica, de passione in Geometria, & de subiecto in Mathematica. Posset primo dici, quod exemplorum non requiritur uerificatio, sed manifestatio, uelut docuit Arist. noster magister in lib. priorum, ubi dixit, quod exemplis utimur, non ut ita sint, sed ut audiant, quia addiscunt, & ab Aris. sumpsit Auer. secũdo de anima cõm. 67. dicebat Themistius primo de anima cõm. 24. exemplũ ad faciendã fidem. est infirmissimũ argumentum, & propterea illorum damnat prudẽtiam, qui arbitrãrut exempla uim probationum habere. & habetur etiã ab Aris. secũdo priorum. Exemplificauit etiam Arist. in iis scientiis mathematicis, quia eius tempore erãt notiores, & primitus addiscebantur, & de iis hactenus.

Commen, 2.

Cum notificauit omnem doctrinam. In hoc commen. Auerro. duo facit, primo continuat, & secundo exponit ibi, { Ea autem quæ oportet. } ponit ergo continuationem, & dicit, cum Aristoteles. notificauit quod omnis doctrina & disciplina fit ex præexistent cognitione, scilicet præcognitione agente quæ est notio præmissarum, id est quę præcognitio agens sunt ipsę præmissæ, uult nunc manifestare modos quibus modis præcognoscuntur, ipsæ præmissę, dixit { primarum. } idest non habentiũ priores in notitia, ut infra declarabitur de conditionibus præmissarũ demonstrationis simpliciter in tex. 10. Dixit { quibus demonstratio construitur } quia dictũ est supra sæpius quod præmissæ sunt materiæ demonstrationis, & sic intelligit hic Auer. quod demonstratio cõstituitur ex præmissis tã quã ex materia dixit { prænosse significatum præmissarũ } quoniam sicuti significata nominum & non ipsa nomina prænoscimus, ita significata præmissarum, et non ipsas præmissas prænoscimus. Sed Auer. errat. quoniam Arist. loquitur in hoc secundo tex. in tantum de præcognitionibus præmissarum, sed etiam de præcognitionibus subiecti, & passionis, ut docent exempla Arist. Præterea, falsum est quod Ari. loquatur de præcognitione agente præmissarum, nam principaliter sermonem facit de præcognitionibus dirigentibus, ut supra diximus. Amplius sibi ipsi Auer. contradicit in hoc eodem cõm. secundo nam prope finem cõm. dicit, quòd isti modi præcognitionis deseruiunt præcognitioni agenti, & dirigenti: in principio autem cõmenti dicit quod uult manifestare modos præmissarum, quæ sunt præcognitio agens. quare sibi expresse contradicit: & cum dicit { hoc est dictu } dat exemplum de præmissis, de quibus præcognoscitur { ueritas sui esse } idest præcognoscitur esse uerum proprie dictum, scilicet per enũciationẽ explicatum, ut patet de ista præmissa de quolibet uerificari affirmationẽ, aut negationẽ. Sed Auer. errat, quia ipse per { ueritatem sui esse } intelligit esse uerum compositum, at Aristo. non tantum loquitur hic de esse uero composito, sed de esse uero simplici, quod competit subiecto, nam determinauimus supra in nona dubitatione, quod Aristo. loquitur de quia est, seu de esse uero, quatenus est commune, ad esse uerum subiecti, & ad esse uerum dignitatis: male igitur exposuit Auer. per esse uerum, ipsum uerum compositum, tantum præmissis cõuueniens: nã si Arist. per esse uerũ intellexisset tantum esse uerum compositum, tunc omisisset esse uerum simplex, quod subiecto conuenit; & sic fuisset diminutua. Et si dicatur pro Auerroe quod Aristo. uolens exemplificare de præcognitione quia est, exemplificauit de præmissa, de

sa, de qua tantum præcognoscitur quia est compositum, & non simplex. sicut iam Auer. uidetur dicere in cõm, ualet hoc quoniam Arist. exemplificauit postea de subiecto, de quo non præcognoscitur quia est compositũ, sed quia est simplex, intendit igitur Aristo. præcognitionem quia est, communẽ simplici & composito, scilicet subiecto & dignitati: & cum dicit {naturaliter notæ} aduertas quòd non potest intelligi ista particula, nisi afferatur illa distinctio Auer. in primo poste. cõmen. 134. & 133. de duplici conditione, seu natura pręmissarũ seu propositionũ, Nam quędã sunt præmissæ quarũ termini uno sensu sentiũtur, & quædam sunt, quæ communitate sensuum sentiuntur, quia ex sensibilibus communibus constant, & fiũt nobis notæ non uoluntarie, quando uolumus, sed sola substantia intellectus agentis applicata in tali intellectione nostra mediante continuata sensatione, & imaginatione facta à pueritia ab ineunte ætate nobis, unde non recordamur quando nobis aduenerint. uideto pro hoc tertio de anima. 36. 39. & etiã primo poste. cõm. 134. & hac distinctione habita, dicimus ꝙ Auer. per propositiones {naturaliter notas} intelligit propositiones secundo modo dictas, quæ ideo dicuntur {naturaliter notæ} quia non sunt acquisitæ ad nostrã uoluntatem, quia non recordamur quando nobis aduenerint, & non debent dici naturaliter notæ (ut quidam male dicunt) quia earũ notitia sit nobis genita, à natura, hæc enim expositio falsa est quia huiusmodi propositiones nos acquirimus, unde dicuntur prima intelligibilia ab Auer. tertio de anima cõm. 36. & sic non nascuntur in nobis, seu congenitæ sunt nobis à natura, ut ipsi dicunt: & meritò Auerro. dixit istam propositionem seu enunciationem, de quolibet dicitur affirmatio uel negatio, & de nullo ambo simul, esse naturaliter notam, quia acquiritur à nobis ex communitate omnium sensuum ab ineunte ætate, ut supra diximus: & illud etiam principiũ in mathematica, omne totum est maius sua parte, dicitur propositio naturaliter nota propter eandem rationem: deinde dicit {& quædam sunt de quarum significato} nunc de secunda præcognitione quid nominis, quæ de quæsito præcognoscitur, dicit, quòd de significato quorundam, scilicet quæsitorum, oportet prænoscere quid suum nomen significat. Et sciri uolumus, quòd dum ista significatio nominis, quæ est sicut definitio, ponitur pro significatione nominis, fit expositio illa definitio, ut puta, illæ definitiones quæ, à Porphyrio adducuntur, quia sunt pro iunioribus, fiunt nominum expositiones, licet eædem assignentur ab Aristo. primo topic. & hoc uoluit dicere ibi {redduntur expositiones illæ definitiones.} Et quando dicit {orationes enim explicantes} Auer. dat modum cognoscendi, quando unummet potest esse definitio quid rei, & quid nominis, & dicit quòd dum illæ intelliguntur, scilicet quòd habeant unam partem communiorem pro genere, & aliam pro differentia, tunc sunt definitiones. {illas enim} remouet dubium & dicit quòd Euclides non præcognoscit ipsas si sunt, quia sunt notæ, {in aliquibus autem} nunc de subiecto exemplificat & ait quòd de aliquibus, ut puta de subiecto debes præcognoscere, quid, & quia, ut de unitate in Arithmetica, nam de ipsa debet præcognosci, quid nominis {& quòd hæc res existens,} idest si est, seu esse uerum simplex ut diximus in textus expositione, {siue illud esse} idest siue illud esse uerum simplex fuerit notum per se, siue fuerit demonstratum in alia arte: unde subiectum, ut subiectum, non potest demonstrari in arte, in qua est subiectum, bene tamen in aliqua arte in qua non est subiectũ, ut facit Aristoteles duodecimo metaphysi. qui accipit intelligentias abstractas esse ab octauo phys. & notato ꝙ subiectum licet non demonstretur demonstratione, quia, & simpliciter, tamen demonstrari potest demonstratione propter quid, ut probauimus in nostro quæsito de regressu, & ut etiam dicemus in proprio quæsito, an subiectum possit demonstrari. {Modo artium subiecta} Nunc Auer. ex bonitate ad complementum doctrinæ de multiplicitate & uarietate subiectorum, dicit, quòd quædam subiecta præcognoscuntur tantum præcognitione quid nominis, quædam tantum quia est, quædam uerò utroq; modo: & tu addas, quòd alia sunt, quæ neutro modo, scilicet quando sunt manifesta, uideto pro hoc infra cõm. 25. {Et similiter sunt pręmissę} dicit Auer. quod similiter dicendum est de præmissis, ꝙ scilicet sunt in triplici differentia, sicut subiecta, quędã sunt præmissæ de quibus tãtum oportet {affirmationem sui esse,} idest esse uerum compositum, ut supra declarauimus: & per tales præmissas Auer. intelligit eas quæ sunt notæ naturaliter, ex communitate omnium sensuum, ut principium in mathematica, omne totum est maius sua parte, & principium in metaphysica ut de quolibet dicitur esse, uel nõ esse, & de nullo ambo simul, & ideo non dicit Auer. quòd de talibus præmissis non præcognoscitur quid nominis, quia per se nota omnibus spernuntur ab arte, ut docuit Aristo. primo posteriorum commen. 25. omnibus enim notum, quid ens, quid non ens, quid maius, quid minus, quid pars, quid totum & reliqui termini horum principiorũ dictorum: {Et de quarundam significato} Dicit quòd sunt aliquæ præmissæ, de quibus tantum quid nominis præcognoscitur. sed dices, quæ sunt istæ præmissæ de quibus tantum quid nominis præcognoscitur? Respondet Auer. quòd sunt illæ {quibus utitur geometra in præfatione libri} ubi Euclides præcognoscit & anteponit definitiones trianguli, circuli, lineæ & reliquorum, quorũ definitiones, possunt dici quid nominis & quid rei, respectu tamen diuersorũ, nam tunc sunt definitiones quid nominis, quando sunt {in præfatione libri sui} Et uult dicere sic Auerro. quòd inchoantibus artem proponuntur definitiones quid nominis, & hoc declarauit ipsemet Auer. in epit. logic. in tract. de rhetor. demonst. & causa quare de talibus præmissis non præcognoscatur quòd sint ueræ, assignatur ab Auer. ut patet de rhetor. demonst. quia tyrones propter defectum annorum non possunt cognoscere ipsas pręmissas esse ueras, an earum contradictorium sit uerum: & tu addas alias causas, ex secundo meta. 15. aut ex mala consuetudine, & pessima natura, & ex imperitia, quandoque euenit ut non præcognoscatur eas esse ueras. Adhuc potest assignari hæc alia causa, quare Auer. non dixit, quòd de talibus præmissis præcognoscitur quia sunt ueræ, quoniam ut supra dictum est, esse talium est per se notum, & spernit ars, nam præcognoscere esse uerum ipsarum præmissarum, est cognoscere esse uerum causarum, & scire perfecte tale esse: sed huiusmodi præmissę in principio libri sunt ignotæ, ideo non præcognoscuntur quia ueræ, sed solum ut notificent nomen, & ideo Auerro. non dixit eas præcognosci esse ueras, quia in se sunt per notæ, inchoantibus autem & addiscentibus non sunt per se notæ, sed debent supponere eas esse ueras, iuxta illud primo elench. oportet addiscentem credere: hoc modo declarat ipse Auer. in tract. de rhetor. demonstrat. sed postquàm addiscens prouectus est in arte, tũc pręcognitis perfectè partibus, potest præcognoscere illas præmissas esse ueras perfectè. Sed dices quo habitu addiscens supponit eas esse ueras? Respondet Auer. in tract. de rhet. demonstratiua, ꝙ habitu topico, quia uisæ omnibus, uel pluribꝰ, uel sapientibus, uel pręceptori. Et subdit ibidẽ Auer. contrario modo se habere in hoc, præceptorem & discipulũ, discipulus enim in principio supponit topice, & non præcognoscit demonstratiue, sed postea in processu incipit præcognoscere demonstratiuè, præceptori uerò præcognitæ sunt demonstratiue, & non est mirum, quia primo topic. 1. inter alia auxilia, quæ præstantur demonstratori, a topico, hoc est unum, s. confirmare addiscentes in præ-

missis, instrumento & habitu suo, & declarat ibi Auer. quomodo hoc fiat dicens, quando res cõclusionis ad quas monstrandas sumuntur tales præmissæ, indigent lungo tempore ob difficilem doctrinam, tũc tales præmissę sumuntur initio libri tanquam suppositiones, postea in tractatu proprio cuius sunt præmissæ, ex prænotis partibus fiunt prænotæ, quæ prius suppositæ erant, sicut dicit Auerro. fecisse Euclidem, in initio libri sui, qui sumit pręmissas supponendas in prologo quas postea in tractatu ueras esse ostendit, & hoc fit, propter faciliorem modum addiscendi. Prosequitur Auerro. & dicit {Et de quibusdam} nunc aliquas esse præmissas dicit, de quibus præcognosci ut utrunque, & quid nominis, & quia sunt ueræ. Sed ista expositio Auerro. non est ad propositum, quia Aristo. nedum in hoc tex. secundo sed infra cap. 25. non applicat istos præcognitionis modos, sicut facit hic Auerro. nam Aristo. uult quòd de præmissis præcognoscatur tantum quia ueræ sunt, & de passione quid nominis, & de subiecto utrunque: ergo non est ad propositum, quod Auerro. dixit exponendo textum, quia tunc Arist. fuisset diminutus, non uariando ipsas præcognitiones circa ipsa præcognita, sicut fecit Auer. Deinde dicit {Aristo. autem.} idest quòd de una specie præcognitionis quæ est, si est, exemplificauit de præmissis, scilicet de quolibet dicitur esse, uel nõ esse &c. {Cæterarum autem duarum,} idest at de duabus speciebus, idest de illis quæ pręcognoscuntur, quo ad quia; & quid, exemplificauit de ipso subiecto: & uult dicere Auer. ꝙ ista possunt de quolibet dici, nam de præmissis dicitur, quid solum, & quia solum, & utrunque, & neutrum ut diximus: {Præposuit uerò duas} Auer. remouet dubium, & dicit quòd non est mirandum si Aristo. dicit quòd duæ sunt præcognitiones, & postea tres numerat quia tertia non est alia a primis duabus, sed est composita ex illis. {Themistius uerò} Auer. attribuit Themistio quòd Aristo. uerificet omnes modos præcognitionis de ipsis quæsitis, ꝙ de quodam quæsito tantum quid nominis. de quodam tantum quia est, & de quodam utrunq;: & Themistius exemplificat quando pręcognoscitur quid tantum, ut dicit Auer. {Oportet prænosse quid nomen.} idest Themistius dixit quod de quibusdam quæsitis oportet præcognosci quid nomen & quærere ignotum. {An uacuum sit} exemplum ponit de uacuo, & per quid nomen significet, exponit orationem definitiuam explicantem significatum nominis, & sic Themistii opinio est, ꝙ modi præcognitionis multiplicentur circa quæsita tantum, ut dicit Auer. & nõ circa præmissas. sed proculdubio errat Themistius, quia Arist. eadem repetens infra cõm. 15. quæ in hoc secundo tex. uerificat non solum de quæsitis, sed de præmissa, & subiecto. Præterea contradicit sibi ipsi, quoniam supra declarans doctrinam fieri ex præuia notione, dicit ex agẽte præmissarum fieri: deinde dicit {& quod dixit, est uerum} Auerro. suam exponit mentem. quomodo debent uerificari & multiplicari illi pręcognitionis modi, & dicit illos modos uerificari de omnibus tribus, scilicet de præmissa, subiecto & passione, diuersa tamen intentione, & dicit {Sed conuenit primo, idest primo uerificantur de pręmissis, secundo de artium subiectis, & tertio de quæsitis, idest de passionibus: & cum dicit. {Sicque etiam uerisimile} uerificat modos præcognitionis ad præcognitiones agentes & dirigentes {conceptionis,} idest definitionis. {illius uerò} Respondet tacitæ dubitationi, quę talis est, si pręcognitiones uerificantur de demonstratione, & de definitione, de quo illorum dicuntur primo? & sic dicit Auer. quòd analogice dicuntur & primo de pręcognitionibus demonstrationis. & secundario de pręcognitionibus definitionis, ex quibus uerbis facile colligitur Auer. sibi contradicere, quoniam in primo commen. arguendo contra Alpharabium negauit Arist. loqui de pręcognitionibus definitionis, quoniam tunc propositio illa uniuersalis Arist. esset ęquiuoca. quia contineret processus ęquiuocos, hic autem concedit, ergo sibi manifestè contradicit: Neque fuga quorundam aliquo modo satisfacere uidetur, quòd Auer. non sibi contradicat, quia in primo commen. non intellexit purè æquiuocam esse illam propositionem uniuersalem, sed analogam, & eodem modo intelligit in commen. isto. secundo & sic non contradictio est in dictis Auerro. At nos dicimus, quòd non potest defendi Auerro. a contradictione, & probatur sic. aut argumenta quæ fecit Auerro. contra Alphar. concludunt. aut non concludunt, si non concludunt, ergo Auerro. frustra arguit contra Alphar. si concludunt, ergo nullo modo secundum ipsum Auer. definitio debet contineri sub illa uniuersali propositione, neque uniuocè neque analogice, sed tantum æquiuoce, & in hoc comm. concedit quod continetur analogicè, ergo contradictio expressa in dictis Auer. unde ii non possunt eum tueri à contradictione. {Dixit uerò} Nunc ultimam particulam textus exponit nam Aristo. dicit, non enim similiter horum unumquodque manifestum est nobis, Auer. (ut supra etiam tetigimus in horum expositione) per unumquodq; intelligit unamquanque præcognitionem, & non intelligit præcognitum, & dicit quòd præcognitio quia & quid non sunt unius modi, idest non sunt unius rationis, quia differunt ratione, & formaliter, bene tamen cõueniunt subiecto seu in unum subiectum. & quòd differant ratione probat Auer. & dicit. {contingit enim scire,} idest contingit scire quid nominis, & ignorare an illa res sit, prout de uacuo, & similiter contingit scire rem esse, & ignorare quid nominis. dicit autem {Contingit.} quia hoc est per accidens, & non in uera doctrina; quia, si est, præsupponit quid nominis, cum ipsum quid nominis sit principium omnis agnitionis. ueluti protulit Themistius secundo poster. cap. nono. Sed quod dicit Auer. non est ad propositum tex. uidetur is sequi Themistium in tali expositione. at nos supra. ueram tetigimus huius tex. expositionem, Themistiiq; & Auerro. expositionem expugnauimus.

Est autem cognoscere alia quidem prius cognoscentem, aliquorum autem & simul accipere notitiam ut quæcunq; contingunt esse sub uniuersalibus, quorum habent cognitionem, Quòd enim omnis triangulus habeat tres angulos duobus rectis æquales præsciuit, quòd uerò hic qui est in semicirculo triangulus sit, simul inducens cognouit, quorundam enim hoc modo disciplina est, & non per medium ultimum cognoscitur, quæcunque iam singularium contigunt esse, & non de subiecto aliquo.

Philoponus ita continuat, quum dixit Aristo. omnem doctrinam & omnem disciplinam ex præexistenti fieri cognitione, nunc intendit & de inuentione dicere. & demõstrare etiam ipsam ex præexistenti fieri cognitione, & huius causam assignat, quoniam inuentio est etiam cognitio intellectiua. quæ ex præexistenti fit cognitione. Sed errat Philoponus multifariam. Primo, quoniam intentio est Arist. loqui de iis, quorũ habetur sciẽtia, at de inuẽtione non habetur scientia, quoniã est de singularibus, ut iam Philoponus describit eam dicens, inuentio est cognitio alicuius conclusionis singularia ignotæ, & de singularibus non habetur neque definitio, neque demonstratio, ut dixit Aristot. septimo metaph. tex. commen. 53. & 35. & primo metaphysicorum in procemio, dixit quòd singularium non est scientia & secundo de anima tex. cõm. 60. retulit quòd singularium secundum actum sensus

est

est, scientia uerò est uniuersalium, ut etiam dicetur infra; non, igitur de inuentione intendit loqui Aristo. Secundo errat, quia dicit intentionem esse cognitionem intellectiuam, quòd profectò falsum est, quia intellectus tantum est uniuersalium, & sensus, seu sentire est singularium, ut diximus: ergo inuentio cum sit de singularibus, non potest dici cognitio intellectiua. Dices fortassis ꝙ Philoponus impropriè nuncupauit inuentionem esse cognitionem intellectiuam. Sed neq; euasio hæc iuuat, quoniam intentio Arist. est loqui de ea cognitione, quę propriè intellectiua dicitur, unde propter hanc causam ipse nō intelligit loqui de inuentione. Tertio errat, quia dicit inuentionem fieri ex pręexistenti cognitione, quod falsum esse clarissime constat, ex hoc tex. 3. ubi dicitur singularia non cognosci ex aliqua præuia notione, & inuentio secundū ipsum Philoponum est de singularibus: ergo non fit ex pręexistenti cognitione. Et confirmatur hoc, quia ut patet primo metaph. cap. primo, ad sensationem singularium, tanquā ad principium omnis agnitionis terminatur inuētio uniuersalis, & artificialis cognitionis, & ab Arist. sumpsit Auer. quando dixit primo physic. com. primo, & duodecimo metaph. com. 4. quòd singulare est principium acquisitionis uniuersalis, quod est principium doctrinæ demonstratiuæ. quamobrem Philoponum errasse eiusq; sequaces pro comperto habemus. Latini ferè omnes, alio modo continuant dicentes, ꝙ cum Aristo. tex. 2. docuit præcognitiones, quæ sunt in pręmissis, nunc intendit loqui de ipsis præmissis, quæ sunt præcognita, quoniam ante conclusionem, aliqua cognoscitur prius tempore, ut maior; & aliqua simul tempore cum conclusione, ut minor; moti forsitan ex uerbis Ari. in tex. {Quod enim omnis triangulus habeat tres angulos ęquales duobus rectis &c.} Ex quibus uerbis eliciunt maiorem, & minorem. Sed toto cœlo errant, quoniā nec maior sola est forma syllogistica, & notitiam agit conclusionis, nec etiam minor sola facit hoc, sed minor sub maiori sumpta, & per dictum de omni regulata est forma syllogismi, notitiamq; conclusionis parit, & hoc explicauit Arist. in definitione syllogismi, primo priorum primo, quum dixit, ex quibus positis fit notitia conclusionis: unde patet, ꝙ quando pręmissę sunt simul iunctę, una non potest cognosci absq; alia prius tempore ante conclusionem: secus est quando ambę separatim accipiuntur, quoniam tunc non tantum maior prius tempore cognoscetur ante conclusionem, sed etiam minor cognoscetur prius tempore ante ipsam cōclusionem: & hoc probatur, quoniam quęlibet pręmissa respectu cōclusionis (ut etiam ipsi fatentur) dicitur pręcognitū, pręcognitum autem dicitur ante cognitum, ergo ipsa minor cum dicatur pręcognitum, tunc cognoscetur prius tempore ante conclusionem. Non defuerunt etiam quidam alii diuersum in modum hunc textū continuantes, & exponentes, sed horum ineptias sub silentio pertranseundas putauimus. Quapropter omnibus neglectis, dicimus ꝙ hunc in modum præsens textus cōtinuādus uenit ad pręcedentem. Postquam Arist. in secundo tex. declarauit modos præcognitionis, ex quibus fit omnis doctrina, & oīs disciplina intellectiua, nunc in hoc tex. 3. intendit declarare modum, quo habetur cognitio singulariū, & sic respondet tacitæ dubitationi, quomodo ipsa singularia cognoscantur, & dicit quòd non cognoscuntur ex aliqua pręexistenti cognitione; siquidem duplex est modus cognitionis, unus quo cognoscimus quædam ex præexistenti cognitione, alius est quo cognoscimus quædam simul, idest non ex pręexistenti cognitione: & hoc ultimo modo cognitionis, singularia cognoscuntur, ut diffusius inferius in textus expositione dicetur. Sed tu dices, Aristoteles per illud uerbum {intellectiua} in primo tex. exclusit cognitionem sensitiuam, non igitur oportebat eum iterum declarare, & differentiam facere. Dicas ibi Arist. innuisse tantum per illud uerbum, hic uero latius docere intendit. Et quod hęc expositio seu cōtinuatio sit uera, & ad aures Arist. probatur per uerba tex. primo quum dicit. {Quæcunq; sub uniuersalibus singularia sunt.} Secundo quādo dicit. {simul inducens cognouit} simul inducta ad sensum sunt singularia, ut patet secundo priorum cap. 23. Tertio quando dicit. {ultimum cognoscitur.} nam ut dicemus paulo post, singularia sunt principium nostrę cognitionis & ultima in resolutione. Vide Arist. in fine primo poster. & Auer. primo phy. commen. primo, & duodecimo metaphy. com. 4. quod indiuiduum compositum est principium acquisitionis uniuersalis, quod est principiū doctrinæ demonstratiuæ. Sed antequam ad expositionem uerborum deueniamus, sciendum est, quod textus iste diuiditur in duas partes principes, secundum quod duplicē ponit cognitionis modum, & utriusq; exempla ponuntur in te. ibi quando dicitur {quod enim omnis triangulus habeat tres angulos &c.} Proposita igitur & declarata intētione ac diuisione tex. superest modo applicare ipsam intentionem ad uerba tex. ubi dicitur. {est autem cognoscere alia prius quidem cognoscentem} nota ꝙ ly {est} exponitur, idest contingit.} cognoscere alia prius cognoscentem}. i. ex aliis prius cognitis contingit cognoscere quędam, & {est} idest contingit esse alium cognitionis modum, scilicet {accipere notitiam quorundam simul.} Sunt ergo duo modi cognitionis, unus qui fit ex præcognitis, & alius quo quędā simul cognoscimus. Quæres cur, est, exponitur, idest cōtingit, cum necessario quædam ex præcognitis, & quædam simul cognoscantur. dicitur ad hoc, quod exponitur, est, idest contingit pro pertinere, quod non contingentiam, sed pertinentiam notat. Amplius quęres quid intelligit Arist. per cognitionem factam ex primis notis, & per cognitionem factam simul? Pro solutione duo ueniunt tibi notāda. unum est quod prænotio præmissarum est causa agens notionis conclusionis, & potentia actiua eiusdem, ut infra dicetur: cognitio uero conclusionis est effectus, & actualis cognitio. alterū est, quod ista effectualis & actualis cognitio cōclusionis necessario fit ex [illegible] prænotione potentiali, & causali pręmissarum, ut inferius dicetur loco proprio. Ex quibus prænotatis inferuntur plura pro responsione ad dubitationē: Primum est quod notitia præmissarum prior est notitia conclusionis tempore, sicut agēs prius suo effectu ut patet duodecimo metaph. 16. & potentia actiua suo effectu, ut patet etiam nono metaph. tex. com. 13. & 14. Secundum est, quod simul cognosci est oppositum huic. s. ex nullo prius noto cognoscere. Tertium est, quod dicitur, simul, ad differentiam primæ cognitionis, quæ non est tota simul, sed diuisa in duas partes. s. in potentialem, causalem, & prius tempore quo ad cognitionem, & in actualem effectualem, & posteriorem tempore, ista uero cum non fiat ex prænotione aliqua, non est diuisa in potentialem & actualem, priorem & posteriorem tempore: & ideo dicitur simul tota cognitio: & sic simul cognoscere aliud non est quam sine præcognitione agnoscere. {At quæcunque contingunt esse.} Manifestat Ar. secundum membrum duorum quæ dixerat. s. quæ simul cognoscuntur, idest sine præcognitione sunt, & dicit esse illa quæ cōtingunt esse sub uniuersalibus. Sed dubitabis, quæ sunt illa, quæ sunt sub uniuersalibus? Respondet Arist. quod sunt sua singularia: & non ab re, nam in prædicamentis dicitur, quod naturaliter sub uniuersalib' sunt particularia, & ideo paulo post dicet, esse illa quæ non prædicantur de alio. & Porphyr. cap. de specie asserunt singulare esse illud quod non prædicatur de alio. Amplius dices, cur dixit Arist. quod singularia contingunt esse sub uniuersalibus cum necessario sint sub eis, & non contingenter? Ad hoc respondent recentiores, quod singularia contingunt esse sub uniuersalibus quo ad nostram cognitionem, & non quo ad existen

tiam,& hoc modo uolunt Ari.intelligere, quum dixit singularia cõtingunt esse sub uniuersalibus. Sed hi ualde hallucinantur, quoniam Ari.dicit in tex. quòd singularia cõtingunt esse seu existere sub uniuersalibus,& non dicit ꝙ contingunt cognosci sub uniuersalibus. Quamobrem aliter dicendum est,& clarè, quòd uniuersalia sunt in singularibus necessario,& singularia sunt sub uniuersalibus contingenter. hoc Arist.& Auer.in primo huius tex,com.44. senserunt, ubi habetur quòd ideo ista propositio, homo est animal, non est necessaria essentialis, quia subiectũ nõ est necessarium prædicato, sed cõtingens: quia regula est, quòd omnia inferiora accidunt superioribus, & etiam in supradicta propositione prædicatũ potest esse sine subiecto, non autem subiectum sine prædicato, sicut diffusius dicetur inferius in expositione tex.cõ.44. probatur etiam hoc quod dictum est, ex septimo met. tex. com.53.& 55. ꝙ singularia non sunt necessaria quo ad existentiam, quia sunt corruptibilia,& dicit ibi Arist. quòd cum singularia remota fuerint, a sensibus nostris, ignoramus an sint uel non sint: si ergo quod ad existentiã contingunt, esse, quãto magis cõtingent esse sub aliquo ut sub prædicato, uniuersali?& ratio est, quia sine singulari potest esse suũ uniuersale, sine Sorte potest esse homo,& nõ esse,& hoc est accidens ex primo top.cap.4. merito igitur dixit Ari.in tex. quòd singularia sunt quęcunq; habent esse sub uniuersalibus. {Quorum habent cognitionem.} Cum dixit simul cognosci,& sine prænotione quæ sub uniuersalibus sunt, id est singularia ipsa, nunc limitat Arist. sub quibus uniuersalibus. pro cuius intelligentia notandum uenit, quòd uniuersalia possunt esse propria suis singularibus, ut homo Sorti,& possunt esse nõ propria:& ideo limitat,& specificat dictum suum dicens, {quorum habent cognitionẽ} idest sub propriis uniuersalibus,& sic sensus est, quòd illa singularia cõtingunt esse sub uniuersalibus quæ sunt sub propriis uniuersalibus. Sed tu dices, quare uoluit limitare Aris. dictum suum? Pro solutione notandum est, quod comparatio non est in æquiuocis, sed in uniuocis, aut analogis, ut patet septimo physi. tex.com. 24. dicitur etiam, decimo metaph.com.14.& septimo physic.tex.com.27. quòd comparatio non accidit inter ea quæ sunt diuersorum generum: quum ergo dixit Arist. singularia cognosci sine prænotione,& simul,& uniuersalia cum prænotione & diuisim, comparatio debebat fieri singularium ad proprium eorum uniuersale,& non alienum, seu alterius generis, quia aliter cõparatio fuisset in æquiuoco, patet modo, quare Arist. limitauit dictum suum. Adhuc quæres, singulares pręmissæ quę sunt sub uniuersalibus præmissis quomodo cognoscuntur, sine prænotione, an diuisim ex præcognitis aliis? Respondetur quod ideo dixit Arist. quę sunt sub uniuersalibus, quorum habent cognitionẽ, idest cognitis ut præmissis in syllogismo sunt simul nota sine prænotione, quia singularia, quæ sunt præmissæ in inductione, sunt sub uniuersali præmissa probanda, & per ea cognoscenda. Dices etiam hæc singularia, quo ad quæ, simul cognoscũtur? Dicas quod quo ad tria simul cognoscuntur, ut dicet Ari.infra, statim enim uiso hoc triangulo, cognoscimus quòd existit,& quòd est triangulus, et ꝙ habet tres,& tunc est præmissa inductionis ad probandũ omnem triangulum habere tres. {Quòd enim omnis triãgulus habeat tres.} Nunc exemplo manifestat ambo mẽbra. s. quę uniuersalia ex præcognitis diuisim cognoscuntur,& quę singularia sub ipsis cognitis contenta, simul sine inductione cognoscuntur,& dicit. {Quod enim omnis triangulus habet tres,} idest ista uniuersalis quòd omnis triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis, præsciuit diuisim, idest præcognouit cognitione diuisa in præcognitionem potentialem,& præcognitionẽ suam actualem. Vlterius quæres quæ præsciuit in cognitione huius uniuersalis? Dicitur sicut patet secundo priorum cap.23.

& etiã infra dicetur, cap.33. ꝙ uniuersalis præmissa inductione cognoscitur,& non nisi ex pręnotione singularium, quæ sunt sub ipsa. Et aduertendũ quod si fuerit inductio demõstratiua non opus est, omnia eius singularia inducere, sicut patet etiam secundo priorum cap.23. octauo physico.com.33.& secundo physic.com.80. ubi dicit Auer. ꝙ inductio demonstratiua est quãdo acquiritur certitudo & uniuersalitas, antequam compleantur omnia particularia; secus est de ipsa inductione topica sicut diffusius in primo top. expositum est, nã dicit Auer. primo phy. cõmen.48. quod inductio, in qua non inducũtur omnia particularia, est ratio imperfecta,& intelligit de inductione topica, uide autem de hac duplici inductione secũdo priorum cap.23. {Quod uerò hic} Manifestat exemplo secundum mẽbrum, scilicet quomodo singularia sub ista uniuersali cõtenta, simul cognoscantur sine pręnotione,& dicit, quod uero hic triãgulus, qui est in semicirculo sit triãgulus,& habeat tres. {simul inducens cognouit} idest sine prænotione,& non diuisim cognouit. Et aduertas ꝙ comparauit Aris. triangulum singularem ad triangulum uniuersalem, ut fiat comparatio uniuoca sicut etiã supra meminimus, dixit, {hic triangulus,} idest singularis, qui monstratur pronomine hoc.& recordare quod hoc aliquid uere singulare est, idest aliquid quod monstrari potest, pro nomine hoc ad sensum, ut patet cap. de substantia in libro prædicamentorum, dixit: {hic} ut ponat differẽtiam inter singulare,& minus uniuersale, nã sub uniuersali non solum sunt singularia, sed etiam minus uniuersalia, ut sub animali homo, cui non conuenit dici, hoc aliquid uere, nisi respectiue. i. respectu animalis, de quo non loquitur hic Arist. sed de uere singulari. dixit igitur, hic, ut ponat differentiam inter minus uniuersale,& uere singulare, dixit, sic. idest existentiam actu habeat: quid autẽ sit existentia, satis diffuse superius in commen.2. declaratum est, dixit, {simul cognouit} idest cognitione indiuisa, in potentialem & actualem præcognitionem. Dixit. {inducens,} idest ad sensum ducens, ut notaret loqui de præmissa inductiua. s. inductione probanda. Hæc sunt animaduertenda circa huius textus interpretationem.

Commen.3.

Quia inueniũtur aliquæ res. In hoc com. Auer. duo facit principaliter. Primo cõtinuat,& secundo exponit. continuatio colligitur ex principio com.& talis est quũ Ari. notificauit illam uniuersalẽ propositionem, oẽm doctrinã, oẽmq; disciplinam ex prænotione fieri, uult nunc ad ampliorem notitiam declarare duas exceptiuas non contentas sub illa uniuersali propositione, quæ duæ exceptiuæ nõ fiunt ex præexistenti cognitione. Sed tu dices, quæ ex præuia notione fiunt,& quæ non cognoscuntur ex notione præuia? Respondet Auerro. ꝙ ex præuia notione fiũt, {quæsita} idest ea quæ sunt ignota naturaliter, fiunt nota ex prænotionibus uniuersalibus. dixit: {uniuersalibus,} quia secundo priorum cap.27. arguitur semper in syllogismo a toto ad partẽ,& præmissa uniuersalis tota dicitur respectu cõclusionis, quia ab ea sumitur dictum de omni & uniuersale ue dictum est primo priorum. instabis, quia demonstratio fit ex propriis ut primo huius infra tex. cõmen.54. quorum unum non proprium alteri. dicitur ut etiam dicemus infra, quòd uniuersale est duplex, unũ nõ proprium & commune, aliud proprium & non commune Ari. loco citato uocauit uniuersale secundũ quod ipsũ,& proprium.& notandũ, quod ubi Auer. declarauit quæ sunt illa quæ fiunt ex prænotione, declarat quæ & quot sunt illa quæ non sunt ex prænotione,& dicit quod sunt duplicia. s. illa quæ cognoscuntur per sensum,& illa quæ cognoscuntur per modum recordationis,& hæc duo explicat Auer, quando dicit, {Quæ reminiscentia cognoscuntur

scuntur aut sensu percipiuntur.} Dubitabis, an differant ea quæ habemus per modum recordationis, ab iis quæ addiscimus, respondet Auer. ꝙ conueniunt, & differũt, conueniunt namq; in hoc, quod ambo fiunt ex prænotione præcedente, differunt uero in modo, quoniam reminiscentia est eadem cum scientia prius habita, & oblita: sed sciẽtia conclusionis nõ eadem est cum illa præmissarum præhabita, & hoc uoluit intelligere Auer. quando dicit. {Et si dicamus hanc speciem cognitionis, hoc est quæ per reminiscentiam fit, fieri ex præcedente cognitione, est alius modus ab eo quo cognitio præmissarum præcedit cognitionem conclusionum.} Quæres adhuc quomodo est eadem illi reminiscentiæ, illa quę oblita & deperdita est, dico quod sunt eadem multis modis: Primo, quia de eadem re subiecta. nam quod prius sciuimus, nunc reminiscimur. Secundo sunt eadem, quia scientia deperdita per obliuionem non est principium, {quod sit potentia sciẽtia reminiscentiæ, econtrario se habet illa præmissarum. cum illa cõclusionis & inter se insignibus differũt interstitiis, primo quia non eandem rem præmissa & conclusio respiciunt, secundo quia scientia præmissarum est causa scientiæ conclusionis ut infra diffusius dicetur. tex. comm. 15. tertio quoq; differunt, quia scientia conclusionis est in potentia & non in actu, in præcognitione præmissarũ, sicut effectus esse potentiale habet in causa sua, & non actuale non sic autem dicẽdum est de scientia per reminiscentiam quia ipsa est eadem actu cum illa quæ prius fuit acquisita & etiam una haudquaquam est causa alterius, & hoc totum continetur in iis uerbis quando dicit. {Notio enim.} præcedens reminiscentiam est eadem succedenti.} Et legisti literam usque illuc, quando dicit. {& per hæc quidẽ.} & quoniam aliquis posset dicere, ad quem finem hęc dixit Arist. respondet Auer. quòd hoc fecit, ut postea ostendat. s. in tex. com. 5. solutionem Platonis ad dubium Menonis, quo probabatur scire esse reminisci, non esse rectum, idest non esse ueram responsionem Platonis. Et pro huius intellectu notandum, quòd dubium Menonis quo ipse disciplinam destruebat, tale erat. Illud quod addiscimus uel est ignotum, uel notum. Si est notum tunc superfluum est illud addiscere; si est ignotum, tunc inuenientes, non cognoscimus. & probatur exemplo de seruo fugitiuo, quem quærentes non cognoscimus, & sic non datur doctrina. Plato respondebat, ꝙ addiscitur illud quod prius erat notum, quoniam scire apud ipsum est reminisci, & sic quærentes inuenimus, & cognoscimus, & hoc modo fit doctrina secundum ipsum. istam solutionem non esse ueram uult Aris. demonstrare. quoniam scire non est reminisci, sed fit ex præuia notione alio modo a reminiscentia, & ideo dicit. {Et per hæc quidem intendit infra notificare, & soluere dubium Menonis, quod Plato soluit ponẽdo scire esse reminisci, ꝙ nõ sit rectum.} Et aduertas quòd Auer. non dicit. Aristot. de intento soluere & monstrare solutionem Platonis nõ esse ueram & rectam in hoc tex. sicut impingit illi quidam & malè, nam dicit Auer. quòd {intendit infra notificare}. s. in tex. 5. quod non datur scire de nouo contra Platonem. amplius ipse Auer. prope finem commen. exponit textum, quando dicit. {Deinde dicit, & quasdam res,} & eius expositio est eadem cum nostra supra posita, ex qua expositione apparet, ꝙ opinio Auer. non est ut Arist. in hoc tex. de intento soluat, & ostendat Platonis errorem, sicut credunt. Adhuc quæres, quid est illud quod facit dubium? respõdet Auer. & optimè. {Et cum inueniantur cognitiones non præcedẽte notione quæ sunt sensuum notiones & cætera.} Vult dicere Auer. ꝙ cognitiones ipsæ, idest sensationes rerum sensibilium & singularium, sunt illæ quæ faciunt dubium, quoniam aliquis dicere posset, quòd ante sensationem, sensibilia sunt ignota, & dum sentiuntur cognoscuntur, nulla prænotione præcedente; ergo aliqua doctrina datur, quæ non fit ex præuia notione, contra propositionem illã uniuersalem, & supra probatam: unde dicit Auerro. rectè respondendo, quod apud illum habet robur & uim supradictum dubium, qui est {ponens duas notiones, esse unam} idest qui credit ꝙ tam sensus quam intellectus non differunt in modo cognoscendi, & quòd ambo quo ad eorum cognitionem, procedunt ex pręuia notione, & dicit Aue. quod ille, qui ita credit, maximè hallucinatur quia cognitio intellectiua, & cognitio sensitiua non sunt una met res, idest nõ cõueniunt ꝙ utrãq; fiant ex præuia notione. Amplius dices accidit ne alius error? respõdet Auer. & dicit. {Et Sophisticis etiã euenit inde error.} uult dicere sic, quia non solutio hoc dubio, accidet error Sophistis. s. unam et eandem sciri & ignorari, sicut dicemus in commen. 4. & 5 & cum Auer. dicit. {idest quarundam rerum cognitionẽ uit adipiscitur absque prænotione, prout sunt cunctæ res particulares latentes sensum,} Nota quod Aue. uult, Aristotelem soluere in hoc tex. dubium supradictum, quomodo. s. singularia cognoscantur. Et pro solutionis clariori intellectu, aduertas quod de ipso triangulo singulari qui est in semicirculo, ut exemplificat Aristo. in tex. duo sunt cognoscenda, primum est, esse hunc triangulum, quia ut dictum est supra tex. 2. esse est prænotio necessaria omni doctrinæ: secundum est, habere tres quod est prædicatum suæ uniuersalis: Et iis stantibus dicit Auer. tria. primũ ꝙ esse huius trianguli, & habere tres, prædicatum suæ uniuersalis, ambo simul cognoscuntur. dicit secundo, quod ambo cognoscuntur diuersa potentia cognitiua, primum cognoscitur sensatione, & sensitiua uirtute: secundum cognitione intellectiua, & scientia. dicit tertio talem cognitionem (ꝙ. s. habeat tres angulos) fieri ex præuia notione suæ uniuersalis. s. omnis triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis. hęc omnia explicat Auer. quando dicit. {Nos enim nondum ipsum sentimus, nec nouimus ipsum esse, dum autem sentimus ipsum dum detegitur nobis eius phantasma & cætera} Pro quorum uerborum notitia. cum dicit Aue. {Dum detegitur nobis eius phantasma} Aduertito, quod in secundo de anima com. 63. dicit Auer. ꝙ cogitatiua hominis distinguit intentionem indiuidualem à forma imaginatiua, & expoliat eã ab iis, quę sunt adiuncta cum ea ex istis sensibilibus communibus & propriis {& reponit eam in memoratiuam, & hæc eadem est, quam comprehendit imaginatiua; sed imaginatiua comprehendit eam coniunctam cum istis sensibilibus: dicit igitur Auer. {dum detegitur nobis eius phantasma}. i. manifestatur hic triangulus uirtuti phantasticæ esse eius, & habere tres simul cognoscũtur. Dubitabit quis & dicit ꝙ Auer. sibi contradicit, nam dicit in cõ. ꝙ singularia contenta sub uniuersali cognoscuntur sine pręuia notione, & in fine com. dicit quod cognoscitur triangulum esse, et habere tres, ex prænotione suæ uniuersalis. s. omnis triangulus habet tres angulos, & sic uidetur expresse sibi contradicere. dicitur quod secundũ rei ueritatem non sibi contradicit, quoniam Auer. duo considerat de ipso triangulo singulari, sicut etiam supra diximus, primum est esse ipsius, secundũ est ꝙ habeat tres: primum. s. {si ipsum esse triangulum adipiscitur sensu} ecce ꝙ expresse dicit Auerro. ꝙ iste triangulus, qui est singularis, sensu percipitur quòd sit, & non ex præuia cognitione, idest non dicit Auer. ꝙ hic triangulus sit, cognoscatur ex præuia notione suæ uniuersalis, sed tantũ cognoscitur sensu, & subdit Auer. statim. {Et eius angulos esse duobus rectis æquales, aduenit ex uniuersali scientia, quæ est quòd omnes trianguli sint talis dispositionis} idest hoc prædicatum quod est habere tres angulos æquales duobus rectis, cognoscitur de hoc triangulo singulari ex præuia notione suæ uniuersalis. s. omnis triangulus habet tres angulos. & sic nulla uidetur contradictio in dictis Auer. at tunc sibi contradiceret Auer. si dixisset, quod hic triangulus singularis cognoscitur, quod

sit, ex præuia notione uniuersalis, sed hoc non habetur in dictis eius, sed quod sensu percipitur. Et ex his quæ dicit Au. in fine commen. sole clarius colligitur responsio clarissima ad dubium superius factum, quomodo cognoscantur singularia, & dicitur quod ipsum singulare bifariam pōt considerari, uno modo quo ad esse seu existentiam eius, alio modo quo ad prædicatum eius: si primo modo, tunc cognoscitur tantū sensu, & nō ex aliqua præuia notione si secundo modo, cognoscitur ex præuia notione sui uniuersalis: exemplum, quod Sortes sit, sensu cognoscitur; sed quòd sit risibilis, cognoscitur ratione suę uniuersalis, quæ est, quòd omnis homo est risibilis. & sic ex præuia notione suæ uniuersalis cognoscitur quod Sortes est risibilis similiter dixit Arist. in exemplo suo, de hoc triangulo singulari, & quòd sit, & quod habeat tres. Dubitabis, quoniam dicit Auer. secundo de anima com. 65 quòd uniuersalitas & indiuidualitas comprehenduntur ab intellectu. ergo singularitas ipsa non tantum sensu percipitur, ut diximus paulo ante, dicitur, quod Auer. se ipsum declarat ibidem, & per indiuidualitatem intelligit definitionem indiuidui, nam dixit ipse secundo de anima 63. & tertio de anima. 6. 20. & 33. commentis quod comprehendunt intentiones indiuiduales decem prædicamentorum, & sic singulare sensu percipitur. dicebat quoque ipse Auer. in tertio metaph. commē. 10. quod uniuersale & indiuiduum sunt duæ naturæ, hoc enim est intellectum, illud uero sensibile idem dixit Boethius, uniuersale est dum intelligitur. & singulare est quod sentitur. Amplius dubitabis & nō ab re, quoniam falsum est, quod quum cognoscitur singulare secundo modo. s. quo ad eius prædicatum, tunc ex præuia notione cognoscitur. s. ratione suæ uniuersalis: & probatur sic, nam quod Callias sit sanus, non cognoscitur ex sua uniuersali, quę est, omnis homo est sanus, immo contrarium est, quia cognitio huius uniuersalis, omnis homo est sanus, fit ex præuia cognitione eius singularium, dixit. n. Arist. ideo homo sanatur, quia Callias sanatur. Respondetur, quod singulare quum cognoscitur quo ad eius prędicatum, hoc fit dupliciter, quia prædicata sunt in duplici differentia, aut essentialia, aut accidentalia, & iuxta hanc distinctione dicitur, quod sermo noster est in hoc loco de prædicato essentiali, ita quod si singulare cognosci debet quo ad eius prædicatum essentiale uel essentialiter, omne illud prædicatum, quod non est de quinto prædicabili) tunc cognoscitur ex præuia notione suæ uniuersalis. secus autem fit quo ad cognitionem prædicati accidentalis, & exemplum Arist. de prędicato, quod est habere tres respectu trianguli singularis, manifestat ueritatem huius responsionis.

Quorundam enim hoc modo disciplina est, & non per medium ultimum cognoscitur, ut quæcunque iam singularium cōtingunt esse & non de subiecto aliquo: antequam autem sit inducere, aut accipere syllogismum quodam quidem modo fortasse dicendum est scire, modo autem alio non, quod enim nesciuit si est simpliciter, hoc quodammodo sciuit quòd duos rectos habet simpliciter: sed manifestum est quòd sic quidem scitur, quoniam uniuersaliter scitur, simpliciter autem non scitur.

Quicquid alii dicant, sic uenit continuandus tex. iste, postquam Arist. in tex. præcedenti posuit duplicem modum cognitionis, respōdens tacitæ obiectioni, in hoc tex tu intendit ponere unam distinctionē, quæ talis est quod ea res scitur, & ignoratur diuersis tamen modis, scitur in uniuersali & in potentia; ignoratur in particulari & in actu. Causa huius intentionis est. quoniam per hanc distinctionem soluet in quinto & sexto tex. sophisma uulgatum Menonis, & cauillum sophistarum: & antequam ad tex. accedamus, notandum quod in duas diuiditur partes iste tex. prima pars ibi, {Quorundam enim hoc modo} secunda pars ibi. {Antequam autem sit inducere.} Et notandum quod Arist. in hac prima parte concludit declarationem illorum, quæ cognoscuntur secundo modo cognitionis. s. quod uere singularia sunt illa, quæ cognoscuntur per medium, idest ex præexistenti cognitione nō sunt nota. dicit igitur. {quorundam enim hoc modo disciplina est} idest sunt quędam quorum habetur notitia. {hoc modo} scilicet simul & non ex præuia notione. & aduertas. quod capitur {disciplina} pro notitia, quoniam disciplina proprie est uniuersalium, & non singulariū, ut infra in hoc primo diffusius dicetur. Sed dices, quis est, uel qualis est iste modus, quo cognoscuntur ista? Respondet Ar. & dicit, {& non per medium, ultimum cognoscitur} idest. iste est modus cognoscendi ista, quod {ultimum} idest singulare de quo ultimo suum uniuersale prædicatur, non cognoscitur {per medium} idest ex aliqua præuia notione: medium enim capitur hic pro præexistenti cognitione si quidem illud quod est causa cognitionis alicuius rei, dicitur medium per quod res illa cognoscitur. & antequam ulterius progrediamur, placet nobis hęc duo uerba s. ultimum & medium, uberius declarare, quia regula Arist. est in primo cœli tex. commen. 110. a nobis semper distinguenda esse nomina æquiuoca, idest multiplicia significata habētia, ne intellectus noster remaneat cōfusus: & primo elencho. dixit, qui nominum uirtutis sunt ignari, paralogizant. & Auer. hanc eandem regulam sequutus, idē dicit ut patet septimo metaph. com. 36. & quarto physi. com. 24. & quia hęc duo nomina, medium. s. & ultimum sunt ęquiuoca, ideo distinctione egent, Et primo sciendum est, quod medium prima sui diuisione capitur dupliciter. s. reale & intentionale. medium reale trifariam sumitur, ut patet primo cœli commen. 4. pro loco inferiori. s. pro terra, pro medio quod est centrum sphęrę, & pro medio, quod est inter duo extrema contraria. & quarto cœli tex. commen. 38. habetur, quod medium & illud quod est inter, multis modis dicitur, & in quarto cœli com. 26. dicit Auer. etiam quod medium est duplex secundum comparationem, & tale non est compositum ex extremis: & sine comparatione & hoc est compositum ex extremis: legito Auer. in paraphr. 2. de cœlo summa. 4. com. 1. quòd medium magnitudinis differt, á medio secundum uirtutem, quia medium uirtutis est in omnibus prædicamētis, sed medium magnitudinis est in prædicamento quantitatis tantum, in multis quoque aliis locis loquitur Auer. de medio, ut patet quinto physic commē. 52. commen. 6. & comm. 19. quarto cœli cōm. 26. & tertio physic. com. 49. primo physi. com. 56. & decimo metaph. commen. 23. & tandem dicimus, quod non fit sermo hic de huiusmodi acceptione medii. Alio modo capitur medium intentionale seu logicale, & hoc est duobus modis, aut propriè, & sic capitur in primo priorum cap. de prima figura, ut patet cap. quarto, & quinto de medio in syllogismo, quādo subiicitur tantum, prædicatur tantum, aut subiicitur in maiori, & prædicatur in minori; & non capitur sic in hoc loco. alio modo capitur impropriè. s. pro præexistenti cognitione alicuius rei: & hoc modo capitur in tex. sicut etiam supra meminimus, & sic sensus est iste, singulare non cognoscitur per {medium} idest non cognoscitur ex præexistenti cognitione, sed simul. Restat distinguere hoc nomen ultimum, nam ęquiuocum est, & prima eius diuisione, secatur in duo. siquidem datur ultimum naturale, & ultimum logicale; ultimū naturale adhuc duplex est, unum dicitur ultimū nobile, & tale est finis motus: aliud est ultimū proueniens ex necessitate materiæ, & tale non est finis, nec habet rationem boni, uel nobilis ut mors; & hoc habetur in secūdo phys. tex. com. 23. & tex. com. 87.

datur

datur ultimum intentum in rebus uoluntariis, quod uidetur bonum, sed non est in rei ueritate, sed ultimum intentū in rebus naturalibus est semper bonū sicut dicit Auer. in secundo phy. commen. 31. & uide causam, duodecimo metaph. commen. 18. sed dices, quid est ultimum? respondet Arist. decimo metaph. tex. cōmen. 14. quod ultimum est illud quo non est ulterius. de ultimo loquitur Auer. in sexto physic. com. primo, ubi dicit, quòd ultimū, & illud cuius est ultimum est alterum. datur ultimum logicale, & tale dicitur subiectum & prędicatū, ut patet primo priorum cap. de prima figura, ubi subiectum & prædicatū dicūtur extrema, idest ultima, subiectum dicitur ultimum, quia non habet ulterius subiectum, & similiter prædicatū dicitur ultimum, quia non habet ulterius prædicatum: sic enim describitur ultimum, quod sit illud, quo nō datur ulterius, sicut paulo ante diximus ex mente Arist. decimo metaph. tex. com. 14. capitur etiam ultimum logicale pro eo, quod uerè & propriè singulare est, & hoc modo intellexit Aristo. in tex. quando dixit, ultimum non cognosci per medium. Et aduertendum est quòd ipsum singulare non dicitur ultimum prædicatum sed dicitur ultimum in prædicatione, ut dicit Auer. in princ. com. 4. quia uniuersale ultimo prædicatur de suo singulari, bene uerum est, quòd singulare & si non dicatur ultimum prædicatum, dicitur tamen ultimum subiectum, sicut facilè patet in hoc exemplo, Sortes est homo. Amplius notandum est quòd ipsum singulare dicitur non tantum ultimum, sed etiam, & primū: ultimum. s. in resolutione sui uniuersalis, & primum in acquisitione sui uniuersalis, sicut optimè declarauit Auer. in primo physic. com. primo, ubi dixit, indiuiduum compositum licet nō sit principium in doctrina demonstratiua, est tamen principium acquisitionis uniuersalis, quod est principium doctrinæ demonstratiuæ, hoc dixit etiā in duodecimo metaph. com. 4. & pro hoc uideas Aristo. in hoc primo posteriorum in calce, in illo capitulo {De principiis autem & cætera.} Vltimum igitur capitur pro singulari, immo Arist. seipsum exponit, & nil melius quàm Aristotelem per Aristotelem exponere, nam si tu quæris ab Arist. quid est hoc ultimum quod non cognoscitur per medium? Respondet ipse & dicit {ut quæcunque iam singularium contingūt esse} quasi dicat, ultimum quod non cognoscitur per medium est ipsum singulare, & sic clarissime constat Aristotelem seipsum exponere. Amplius dices, quum singulare capiatur dupliciter, propriè ut Sortes, uel Plato, & impropriè seu cōmuniter ut minus uniuersalia: de quo istorum duorum intelligitur in textu? Respondet Aristo. & dicit, {& non de subiecto aliquo.} Vult sic dicere Aristo. quòd de eo singulari, ipse loquitur in textu, quod non dicitur de subiecto aliquo, idest quod est uerè, & propriè singulare ut Plato uel Cicero, nam tale non dicitur de subiecto aliquo, sicut singulare impropriè sumptum, & respectiuè, quod est minus uniuersale, ut species, & de tali singulari pro minus uniuersali, non loquitur, quoniam dicitur de subiecto aliquo, nam minus uniuersale prædicatur de subiecto aliquo, dicendo, Sortes est homo. Sed tu dices Aristo. uidetur nugatorius & superfluus, quoniam definiuit ipsum singulare in antepredicamentis capitulo secundo, ergo non debuit replicare hic.

Respondetur quod Arist. non ex intento definiuit singulare in hoc loco, sed consecutiue illam definitionem replicauit, ut responderet dubitationi, de quo singulari ipse intelligit in textu, & dicit quod de illo, quod non dicitur de subiecto aliquo. Vnde sequitur non fuisse superfluum & nugatorium: & siquis tuetur librum prædicamentorū non esse germanum Arist. ut iam patet in proprio quæsito, facilè euaderet dicendo Aristotelē haudquaquam fuisse superfluum & nugatorium. Et aduertas ꝙ distinctio supradicta de duplici singulari colligitur clare ab Arist. in secundo posterior. cap. 22. & tex. cōmm. 82. ubi dicit facilius est definire singulare, quàm uniuersale, idest speciem quàm genus: & assignat rationem, quia in generibus latitant æquiuocationes, ubi singulare pro minus uniuersali accipit. Amplius pro expositione illius uerbi quando dicit Aristoteles {& non de subiecto} notandum quòd capitur subiectum in isto loco pro inferiori, & est sensus, quòd singulare propriè & uerè sumptum est illud, quod non dicitur de subiecto aliquo, idest non dicitur de aliquo inferiori. hoc nomen subiectum æquiuocum est, & quamplura eius significata declarauimus in propria quæstione de subiecto libri posteriorum, & similiter ille locus in anteprædicamentis cap. secundo in calce ubi dicitur. {Simpliciter autem quæ sunt indiuidua & unū numero de nullo subiecto dicuntur} idest de nullo inferiori prædicantur ipsa singularia, & quādo describitur substantia prima, in cap. de substantia, in princ. similiter exponi debet. Sed iunior dubitabit, an ista definitio de singulari, ꝙ non prædicetur de aliquo subiecto, conueniat omnibus singularibus. s. nedum prædicamenti substantiæ, sed etiam prędicamenti accidentis? Auerro. in commento quarto quasi in principio, respondet quòd sic, quam responsionem declarabimus inferius in expositione commen. 4 & tu præter illud quod dicit Auerro. potes respondere, ex uerbo illo, quando dicit Arist. in tex. {subiecto} quòd talis definitio competit omnibus indiuiduis cuiuslibet prædicamenti, s. tam prædicamenti substantiæ, quàm prædicamenti accidentis. Et ratio est ista, quoniam subiectum in tali descriptione debet capi pro inferiori, ut etiam supra meminimus, & sensus germanus uerborum Arist. est ille: indiuiduum seu singulare, est illud, quod non prædicatur de subiecto aliquo, idest non prædicatur de aliquo inferiori: & hoc uerum est de indiuiduis omnium prædicamentorum, quoniam in coordinatione omnium prædicamentorum non licet ulterius progredi post indiuiduū, ut optime explicauit Porphy. sicut enim indiuidua substantiæ nullum habent sub se inferius de quo prædicētur, ut patet ad sensum, ita quoque indiuidua accidentium, nihil sub se inferius habent. Vnde facile patet hanc indiuidui descriptionem, esse communem omnibus indiuiduis cuiuscunq; prędicamenti: & ista expositio ꝙ sit uera, probatur ex antepraedicamentis cap. 2. ubi dicitur sic in calce capitis. {Simpliciter autem quæ sunt indiuidua, & unū numero, de nullo subiecto dicuntur}, i. uniuersaliter indiuidua omnium decem prædicamentorum, conueniunt in hoc, ꝙ de nullo prædicantur de subiecto: ratio, quia nullum habent inferius. Neq; potes euadere, exponendo uerba illa in antepraedicamentis, ꝙ omnia. s. indiuidua prædicamenti substantiæ de nullo prædicantur subiecto, quoniam Arist. statim subdit {in subiecto autem esse quædam, nihil prohibet, ut quædam grāmatica in subiecto est} ex quibus uerbis clarissime constat, ꝙ ubi Arist. posuit conuenientiam omnium indiuiduorum cuiuscunq; prædicamenti substātiæ, & accidentis, statim ponit discrimen inter ipsa indiuidua, dicens quòd indiuidua prædicamenti accidentis sunt in subiecto, & per subiectum intelligit tūc substantiā uel fundamentum, & est sensus, indiuidua prædicamenti sunt in subiecto, idest in fundamento, & indiuidua substantię, non sunt in subiecto, idest in fundamento, quia ipsa sunt fundamentum, cui insunt indiuidua accidentia. Et aduertendum, quòd illud uerbum, subiectum, æquiuocum est, & uno modo capitur pro inferiori, & alio modo pro fundamento, & expositores quidam grauissimi nescientes distinguere, hoc nomen subiecti, perperam tex. Arist. nedum in hoc loco, sed in antepraedicamentis, alios docuerunt, non mirandum igitur erit si uniuersa quoquè logicorum cohors, in multos, prolabitur errores, quos hic recensere, superfluum est. Amplius alia occurrit probatio, ꝙ Arist. posuerit in hoc tex. descriptionem omnibus indiuiduis cuiuslibet prædicamenti conuenientem, quia mo

fuit Arist. quādo descripsit, indiuiduum substantiæ, sic dicere, ꝙ est illud, quod neq; de subiecto dicitur, neq; in subiecto est, ut patet in antepredicamentis cap. secundo, & in cap. de substantia, in principio, quando descripsit substantiam primam, sed in hoc textu, dixit, quòd singulare est illud, quod non dicitur de subiecto aliquo, & non posuit illam aliam clausulam, & non est in subiecto ergo signum euidentissimum est, ꝙ Aris. intentio fuit in hoc tex. ponere descriptionem ipsius singularis, communem omnibus singularibus, cuiuscunq; prædicamenti. corroboratur idem, quia artifex debet tradere regulas communes omnibus. multa alia circa hoc addemus inferius in expositione commenti. 4 Ex his sequitur Porphy. errasse circa indiuidui descriptionem quum dixit {indiuiduum autem prædicatur de uno solo particulari.} Et quia res hæc digna est consideratione, & non prorsus extra propositum nostrum, placet nobis aliquantulum digredi, & ostendere hunc Porphyrii errorem. quod quidem facturi sumus in medium adducta & ratione, & Arist. ipsius auctoritate. primū ergo affertur hæc ratio ex primo poste. 147. omne prædicatum, aut naturale, aut artificiale est, sed indiuiduū neutrum horum est, ergo errauit Porphy. maior nota, & minor probatur quo ad utramlibet eius partē, & primò, ꝙ non sit prædicatum artificiale. quia scientia & ars est de rebus æternis, & necessariis ut patet in hoc primo poster. 21. & in procem. metaph. dixit Arist. ꝙ ars est uniuersalium cognitio, experientia uerò singularium, & ipsemet Porphy. stabiliuit singularia esse ab arte relinquenda quia infinita: non igitur indiuiduum erit prædicatum artificiale, cum ipsa indiuidua sint generabilia & corruptibilia ut patet septimo metaph. tex. com. 35. & 53. Probatur altera pars minoris, ꝙ. s. non sit prædicatum naturale, quoniā secundū ipsum Porphyrium in cap. de specie, omne illud quod prædicatur, est bifariam, aut prædicatur æquale de æquali, aut superioris de inferiori, & dicit minora uero de maioribus minimè. tunc sic, sed indiuiduum non prædicatur ut æquale de æquali, neque ut superius de inferiori, ut clarissimè, patet, & non est alius prędicandi modus secūdum ipsum Porphy. ergo Porphy. uel sibi contradicit in eodem cap. de specie, uel male descripsit ipsum indiuiduū. Præterea sunt auctoritates Aristo. quàm plurimæ contra Porphy. & principaliter adducitur textus iste, ubi Aristo. descripsit indiuiduum, quòd non prædicetur de subiecto aliquo, & in antepredicamentis in cap. secūdo, & in calce capitis dixit uniuersaliter, ꝙ nullum indiuiduum prędicatur de subiecto, licet indiuiduum accidētis sit in subiecto: & in prædicamento substantiæ, dixit, quòd, à prima substantia, nulla expectāda est prædicatio. & septimo meta. tex. commen. 7. dixit, quòd prima substantia, non dicitur de subiecto, neq; est in subiecto. cōcluditur ergo Porphy. circa indiuidui descriptionem aberrasse. Neque pro eius opinione tuenda dicere potes, ꝙ talis descriptio assignatur, à Porphy. de indiuiduo tantum accidentis, quoniam ipse exemplificat, de indiuiduo substantię, & accidētis dicens, {Indiuiduum autem dicitur Socrates & hoc album, & hoc ueniens, & Sophronici filius.} Pręterea, non est dicēdum, illam descriptionem tantummodo conuenire indiuiduo accidentis, quia tunc Porphy. fuisset mancus, nō assignando descriptionem omnibus indiuiduis communem at illa communis est, ut sua exempla declarant. Amplius posito quòd Porphyrius tantum exemplificasset de indiuiduo accidentis, adhuc fuisset cōtra Arist. nam ut supra diximus, indiuiduum cuiuscunq; fuerit prædicamenti de nullo prædicatur. Alii aliam afferunt responsionem, Porphy. excusantes, quod descriptio illa, sic exponi debet, indiuiduum prædicatur de uno solo particulari, id est indiuiduum prædicatur de se ipso solo, & ad auctoritatem Aristo. dicentis, à prima substantia nullam expectādam esse prędicationem, glossant ipsi sic, quòd substantia prima non prædicatur de altero, sed bene de se ipsa, & similiter omnes alias exponunt. Hæc quoq; respōsio multas patitur instantias. sunt enim rationes demōstratiuæ contra hanc glossam, & primo assumitur quod cōmuniter omnes logici confitentur, quod prædicatū & subiectum possunt considerari bifariam, aut in ordine ad copulam, aut inter se, si in ordine ad copulam, sic habent rationem materiæ, & copula habet rationem formæ, ut colligitur ex primo periher. nomen pro materia sumitur in propositione, & uerbum pro forma, si uerò considerātur seu comparantur inter se, tunc subiectum materiā, & prædicatum formam induit, tunc si idem prædicaretur de se ipso, idē esset sibi ipsi materia & forma, & respectu eiusdem, quod falsum est. Amplius continere est formæ, & contineri est materiæ ut dixit Arist. quarto coeli tex. com. 35. 37. & 39. & Auer. in commen. 25. eiusdem libri dixit idem, uide etiam in secundo coeli com. 74. & secundo de generatione. 50. unde si idem de se ipso prædicatur, tunc idem contineret se ipsum, esset enim continens & contentum. & quia respectus continentis ad contentum, est respectus superioris ad suum inferius, tūc idem esset sibi ipsi superius & inferius, quod omnino falsum esse constat. Neque iuuat aliquo modo fuga quorundam asserentium, quòd idem potest esse materia & forma, continēs & cōtentum, superius & inferius, diuersis tamen modis cōsideratum, nam uolunt ꝙ idem ut subiectū, potest esse materia, contentum, & inferius, & idem prædicatum potest esse forma continens, & superius. hæc enim futilia sunt, quia de ratione prædicati est ut de altero dicatur, ut dixit Arist. primo priorum primo, & primo periher. cap. 3. uerbum semper est nota eorum quæ de altero dicuntur. prædicatum ergo semper de alio dicit Arist. & non de se ipso. Præterea omne prædicatum naturale, primo poster. 148. debet, inesse alteri. sed quarto physic. cap. de inesse, nihil sibi ipsi potest inesse, ergo nihil potest de se ipso prædicari. & si tu diceres proteruiendo ꝙ idem diuersis modis consideratum, potest de se ipso prædicari, ego quoq; dicerem ad Aristo. in quarto physic. ꝙ idem diuersis modis consideratum potest sibi inesse, sed hoc est falsum, ergo fallissima est euasio seu fuga illa miserorum, ꝙ idem diuersimode cōsideratum potest esse subiectum & prædicatū. Præterea dicit Auer, in quarto metaph. com. 3. & decimo metaph. com. 8. in calce commēti, quòd prædicatio eiusdem de se ipso est nugatoria. Amplius causa propter quā Auer. in primo priorū cap. de prima figura digressus fuit probando contra Galenum non dari quartam figurā, est ista, quia tres figurę sunt naturales, & quarta figura est innaturalis: tunc si concederetur prædicatio eiusdem de se ipso, posset etiam concedi quarta figura, quod est contra Arist. probatur sequela, quia ipsa prædicatio eiusdem de se ipso est innaturalis, non enim subiicitur, quod debet subiici, neque prædicatur id quod debet prædicari, quod subiicitur materiam significat, & quod prædicatur formam representat, ut paulo ante diximus: in prædicatione in qua idem de se ipso dicitur, subiectum non significat materiam, neq; prædicatum formam, ergo innaturalis prædicatio est, & sic si concederetur talis prædicatio, concedi quoque posset quarta figura, quod Arist. & Auer. abhorrent in primo priorū cap. de prima figura. Adhuc arguitur demonstratiuè, ꝙ talis prædicatio sit innaturalis, dixit Auer. in epitom. logic. cap. de demonstratione, ꝙ prædicatio naturalis est illa, in qua prædicantur causæ de suis causatis, aut accidentia de suis subiectis. & aduertas ꝙ in prædicatione primi modi dicendi per se, semper prædicatū est causa subiecti, ut infra in expositione tex. com. 30. & inde diffusius dicemus, & ꝓ nūc sufficit scire, ꝙ in prędicatione primi modi dicendi per se, prædicatum semper est causa formalis subiecti, siue fuerit tota definitio, siue pars definitionis, & quando prædicātur superiora de suis inse-

inferioribus, illa prædicatio est causæ de causato, nam superiora sunt causa suorum inferiorum ut dicemus infra: in prædicatione uero secundi modi dicendi per se, prædicatur ut accidens propriū de subiecto, & similiter quando accidentia de quinto prędicabili dicūtur de subiecto, illa quoque prædicatio est naturalis, & hoc dixit Auer. in primo posteriorum com. 148. & tetigit in septimo meta. com. 59. tunc sic, sed in prędicatione eiusdem de se ipso non prædicatur causa de causato, quia nihil causat & gignit se ipsum, & nihil recipit seipsum, neq; per se, neque per accidens, ut patet quarto phy. tex. com. 26. & 27. & si in prædicatione eiusdem de se ipso, tunc idem esset nobilius se ipso, quia causa nobilior est causato, ut patet secundo ph. com. 4. non igitur in prędicatione eiusdem de se ipso, prædicatur causa de causato. Neq; etiam in tali prædicatione prædicatur accidens de subiecto, quoniam sequeretur idē esse substantiam & accidens, quod falsissimum est; probatur sequela, quia subiectum accidentis est substantia, ut patet septimo met. quasi per totum, modo si subiectum prædicationis eiusdem de se ipso, est substātia & prædicatum est accidens, tunc idem esset substantia & accidens, quod impossibile est esse; decem enim prædicamenta nedum formaliter, sed realiter differunt, ut patet in lib. prædicamentorum. & in septimo metaph. per totum, quamobrem cū in tali prædicatione, non prædicetur causa de causato, neque accidens de substantia, dicendum est pro constanti, prædicationem eiusdem de se ipso nullo modo naturalē esse; & ex iis colligitur consequenter quid est prædicatio innaturalis, nēpe quod est illa in qua fit totū oppositum illius, quod fit in prædicatione naturali, hoc est quādo causatum prædicatur de causa, seu inferius de suo superiori. exemplum, ut animal est homo, & homo est Sortes & etiam dicendo, animal rationale est homo, est prædicatio innaturalis, quia prędicatur causatum de causa. hæc etiam propositio, rationale est homo, est innaturalis, quia prædicatur causatum de causa. & amplius tunc est propositio seu prædicatio innaturalis, quādo substantia predicatur de accidente, ut risibile est homo, & hoc albū est lignū & uideas Auer. in primo poste. com. 148. pulcherrime declarantem, quid sit prædicatio naturalis, & innaturalis. & ut distinctè habeas, & memoriæ mandes, quid sit utraq; propositio seu prædicatio, naturalis & innaturali, scito, ꝙ secundū Auer. in epit. log. & primo post. com. 148. prædicatio naturalis est in qua prędicatur aut causā de causato aut superius de inferiori, aut accidens de subiecto: & per oppositum, prędicatio innaturalis est, in qua causatum de causa, inferius de suo superiori, & substantia de accidente prædicatur. exempla utriusq; prædicationis superius patent, latini expositores, aliis uerbis, nuncuparunt has duas prædicationes, multi ex eis dixerūt, ꝙ propositio duplex est, s. directa & indirecta. alii dixerūt, ꝙ propositio est duplex. s. de modo loquendi inconsueto, & de modo loquendi consueto, & hanc propositionem in qua idem de seipso dicitur, ipsi nuncupant indirectam, & de modo loquendi inconsueto, non ergo opinio recentiorum quorundam uera est ꝙ Porphyrius in illa indiuidui descriptione, uelit intelligere ꝙ idē possit prædicari de se ipso. Qua de re concludendum est Porphyrium, a uia ueritatis aberrasse: & infra in hoc primo libro quando loquemur de modis dicendi per se incipiendo, a te. com. 30. & inde, ostendemus opinionem formalizantium expresse esse contra Ar. ponunt enim quatuor gradus propositionum primi modi dicēdi per se, & in quarto gradu collocāt propositionem in qua idem prædicatur de seipso, quod sane falsissimū esse demonstrabimus. Sed dices probando propositionē, in qua idem de se ipso dicitur, non solum esse naturalem, sed per se: nam dixit Arist. in quinto met. tex. com. 23. cap. de secundum quod, hanc propositionem homo secundū se est homo. Respondetur quod ly, secundū se æquiuocū est, ut ibi dicit Arist. & in ista propositione, homo secundum se est homo, non capitur secūdum se, idest per se. sed capitur ut dicit negationem alterius causæ, & Arist. se ipsum declarat in tex. 23. ubi dicit sic {hominis multæ sunt causæ animal, bipes: attamen homo secundum se est homo} & sic non dicit, ꝙ sit propositio per se, & naturalis. Amplius instabis & optimè, quoniam dixit Arist. in fi. 2. lib. perher. {bonum est bonum, est uera per se} ergo si est uera per se talis propositio, est etiam naturalis. Dicitur etiam ad hāc instantiam, quod Arist. non accepit ly per se, ut dicit aliquem modū dicendi per se, sed ut distinguitur contra per accidens, & ly per accidens significat illud quod secundo loco est tale, & ly per se significat illud quod primo loco est tale, nam Arist. ibi (ut rectè Boethio uisum est) dicit hāc propositionem, bonum est bonum, esse ueram per se hanc uerò, bonum non est malum, esse ueram per accidens. ita ꝙ ista propositio bonum est bonum, est uera per se, idest primo loco est uera, & ista, bonum non est malū, est uera per accidens, idest uera secundo loco. non igitur per se & per accidens sumuntur ab Arist. ut determinant inhęrentiam prædicati ad subiectum sicut dicemus infra sed ut dicunt & explicant ordinem, scilicet aliquid primo & secundo loco, tale, aut tale esse. Adhuc dubitabis quia Arist. primo top. cap. septimo connumerando prædicamēta dixit, quòd unumquodq; talium; quid est significat, siue idem de se ipso dicatur, siue genus de hoc, ergo in decem prædicamentis conceditur prædicato eiusdem de se ipso. Respondetur, ꝙ intentio Aristo. est declarare, ipsum quid reperiri in prędicamentis, i. ꝙ prædicamenta prædicantur quidditatiue de se ipsis & non de alio, & uult dicere ꝙ quādo aliquid prædicamētorū prædicatur de aliquo subiecto, quod non est eiusdem generis cum eo, non prædicatur de illo quidditatiue & essentialiter, ut iam patet. sed quando aliquod superius alicuius prædicamenti prædicatur de suo inferiori, tunc dicitur de illo quidditatiuè, & essentialiter. & sic Arist. per dici de se ipso, intellexit superius prędicari de inferiori eiusdem generis quidditatiuè & ex hoc tex. sumitur illa propositio, quod in unoquoq; genere est quid. Et aduertēdum etiā, quod cū in omni prędicamento sit quid. i. superiora prædicētur de suis inferioribus in quid, sequitur quod omnia superiora prædicamēti accidentis dicuntur substantia secundum modum respectu suorum inferiorum. Vnde colligitur hæc distinctio, substantia est tripex. alia quidem secundum rem tātum, ut differentia quæ est in genere substantię, est substātia secundum rem tantum, & nō secundum modum, quia prædicatur in quale; alia est substantia secundum modū tantum, & sic omne accidens uniuersale, seu omne superius ex prædicamento accidentis respectu suorum inferiorum dicitur substantia secundum modū tantum, quia prædicatur in quid de suis inferioribus, color. n. prædicatur in quid de albo & nigro, & sic color dicitur substantia secundum modum. s. prædicandi. alia uero est substantia secundum rem & modum simul, ut genera & species prædicamenti substantiæ, & animal & homo sunt substantiæ secundū rē, & secundū modum prædicandi, quia prædicantur in quid ut facile patet. Aduerte etiam hoc scitu dignū, quod Arist. in sexto topico. cap. secundo, ponit discrimen inter prędicare & dicere, & dicit quod uniuersalius est, dicere, quā prædicare, nā quod aliquid bis dicatur de aliquo nō est absurdum, sicut est absonū ut bis prædicetur, & uide Alex. Aphrodisieum pro ampliori expositione illius loci sat enim est monstrasse locum. Sed dices, quid dicendum est peripathetice, an propositio ista, in qua idē de se ipso dicitur mereatur appellari propositio, seu prædicatio? Respondet lucidissimus Themistius in primo post. com. 58. quod prædicatio illa, quæ est præternaturā, non meretur appellari prædicatio. hoc idem confirmat magnus Auer. in decimo metaph. com. 8. ꝙ talis propositio est nu

gatoris, non enim habet subiectum, & prædicatum. hoc idem explicauit contra Auicennam in quarto metaph. cum ait. tertio uocando talem propositionem nugatoriã, & in primo priorum in digressione contra Galenum de quarta figura, dixit talem propositionem, in qua idem de se ipso dicitur, esse abominandam, & concludit ibi aduersus Galenum quòd si daretur quarta figura, sequeretur, ꝙ idem prædicaretur de se ipso, quod est in fine abominationis. multa alia etiam dicemus circa hoc infra, in expositione tex. com. 29. 30. & 31. de modis dicendi per se. Sed adhuc dubitatur, pro uberiori & clariori intelligẽtia descriptionis singularis, quoniam aliquis dicere posset, ꝙ licet singulare seu indiuiduum substantiæ non prædicetur de aliquo subiecto, tamen indiuiduum accidẽtis prędicatur de aliquo subiecto: & sic probatur per Arist. qui dicit in prædicamento substantiæ, ꝙ {in aliquibus autem nihil prohibet prædicari nomen aliquando de subiecto} tunc sic, illa accidentia debent prædicari de substantia, quæ est subiectum totum, quæ ipsi insunt: sed quæ substantiæ insunt, sunt accidentia particularia, & non uniuersalia, nam hæc albedo inest parieti huic, & non albedo in uniuersali, ergo hęc albedo prædicatur de ipso pariete, & sic accidẽs singulare prædicatur de subiecto aliquo, contra Arist. determinationem. Respondetur, ꝙ Arist. in prædicamento substantię, dicit hoc modo in supradicta auctoritate ꝙ licet omnia accidentia conueniant in hoc, quoniam insunt subiecto, tamen differunt ad inuicem, siquidem accidẽtia in abstracto ut albedo, uel nigredo, non prædicãtur de subiecto, neq; secundum nomen, neq; secundũ definitionẽ, sed accidentia in concreto, ut album & nigrum, & si non prædicantur de subiecto secundum rationẽ, quoniam definitio albi, aut nigri non dicitur de subiecto, ut patet, tamen prędicantur secundum nomen, dicẽdo, corpus est album, & mãcipium est nigrũ, & sic auctoritas supradicta confirmat determinationẽ factam, ꝙ nullũ singulare prędicatur de subiecto aliquo, & nõ est contra Arist. uotum in præsenti tex. 4. Sed replicabis, ꝙ accidens ipsum in abstracto sumptũ, ut albedo, prædicatur de subiecto aliquo dicendo, Sortes habet albedinem, ergo discrimẽ positum ab Arist. inter accidens in abstracto, & in concreto, nullũ est. Dicitur ad hanc replicã ꝙ accidens in abstracto posse prædicari de aliquo subiecto bifariam intelligi potest, aut in recto, aut in obliquo. tunc dicitur, ꝙ Arist. quum dixit accidentia in abstracto non prædicari de subiecto secũdũ nomen, intellexit ly, secundum nomen i. in recto. quia nõ dicitur paries est albedo, sed albus, sed negauit ꝙ nõ prædicetur in obliquo, dicendo paries habet albedinem, sed accidens in cõcreto, prædicatur in recto: Auer. multa quoque scitu digna affert circa indiuidui descriptionẽ, ut dicemus in expositione com. 4. & reuertendo ad tex. placet nobis exponere alio modo quædam uerba illius. Quibusdam placet, ꝙ illud uerbum {ultimum} exponatur. i. extremum, quod ultimum est, & tam subiectum quàm prędicatum sunt extrema & ultima, ut patet primo priorũ ca. de prima figura. & per {medium} intelliguor, medium terminum in syllogismo. Amplius uolunt, ꝙ Arist. loquatur de præmissis inductionis, & exponunt tex. {Quorũdam enim hoc modo disciplina est, & non per medium ultimum cognoscitur} . i. pręmissarũ inductionis ultimũ non cognoscitur per medium, scilicet ex prænotione alicuius medii, sed de medio dicitur, & hoc est munus inductionis, & intelligunt hoc Arist. dixisse, ut ponat discrimen inter modum cognoscendi ultimum in inductione, & ultimum in exemplo, nam Arist. secundo priorum capite uigesimo quarto, ponit differentiam inter exemplum & inductionem, & dicit, quòd inductio ex omnibus indiuiduis ostendit extremum, idest primum inesse medio, & nõ copulat maius extremum de minori extremo per medium sicut facit syllogismus, hoc quoq; explicauit Philoponus, ꝙ inductio probat per omnia singularia primũ de medio, & non ultra procedit ad probandum primum de tertio per illud medium. Sed exemplum econtrario se habet ad inductionem, non enim ex omnibus singularibus ostendit primum inesse medio, sed per unum quod est simile illi tertio, & copulat primum tertio per medium, & ex hac differentia exponunt tex. quòd maius extremum præmissarum inductionis nõ cognoscitur inesse tertio seu minori extremo per medium, sicut cognoscitur per medium inhærere ipsum ultimũ seu maius extremũ ipsi minori extremo in propositionibus quæ assumũtur in exẽplis. & aduertas hæc uera esse, & fortassis ad mentem Arist. in textu si quis acrimonia uiget ingenii, poterit ista ad singula uerba tex. applicare, nam uidetur Arist. facere mentionem de præmissis inductionis, quando dicit. {Antequam autem sit inducere} Aut accipere syllogismum, quodam quidem modo fortasse, dicendum est scire, modo autem alio non, &c. {Hæc est. 2. pars huius tex. 4. & in hac parte ponit distinctionẽ illam, ꝙ contingit idem sciri, & ignorari diuersis tamen modis, sed quia ignoratis terminis de facili paralogizamus ut dicit Arist. 1. elenchorũ cap. 1. ideo opus est quædã uerba distinguere, antequam legatur textus. Primo declaratione egent ly {inducere, & syllogismũ accipere} pro quorũ uerborum intellectu clariori, animaduertendũ censemus, sicut in tex. 3. præcedẽti meminimus, duplicia esse ea, quæ cognoscuntur, quędã simul & sine prævia notione, & quædã ex prænotione, & duplicẽ quoq; assignauit Arist. cognoscẽdi modũ. & quia nondum ipse nominauerat, quis uel qualis sit iste uterque modus cognoscendi, nunc in iis duobus uerbis. s. {inducere, & syllogismũ accipere} explicatur uterque modus, & uult dicere, ꝙ inductio est modus cognoscendi singularia, nam ut diximus in secunda expositione primæ partis huius. 4. tex. in inductione singularia non cognoscuntur per mediũ. & modus cognoscendi conclusionẽ ex præmissis, uocatur syllogismus. seu dicatur sic & clarius, modus cognoscẽdi præmissas singulares est inductio, & modus cognoscendi præmissas uniuersales, syllogismus uocatur. patet igitur ad quem finem, Arist. nominauit inductionẽ & syllogismum. Alius terminus declarandus est ly. {scire} quod non sumitur pro scire demonstratiue, sicut descripsit Arist. tex. septimo infra. sed capitur communiter, scilicet pro cognitione. & ratio assignatur cur est, quòd non potest sumi propriissime, scilicet pro scire demõstratiuo, quia de singularibus nõ habetur sciẽtia, ut patet septimo meta. & in hoc primo & in fine secundi poster. Amplius ille terminus. {simpliciter} occurrit necessario declarandus, tum quia in hoc tex. diuersimode capitur, cũ etiã propter multas eius significationes in doctrina Arist. repertas, capitur quandoq; simpliciter, ut distinguitur cõtra multipliciter, & hoc modo sumpsit Arist. secũdo de anima tex. cõ. 61. ut exponit ibi Auerro. hoc etiam modo usus fuit Porph. quum dixit, uidetur autem neq; genus, neq; species simpliciter dici. i. multipliciter, aliquãdo capitur simpliciter. i. quo ad naturã. & isto modo intellexit Arist. in primo phy. quando dicit non eadem sunt nobis nota, & simpliciter. i. quo ad naturam, ut Auer. ibi, & græci exponũt, alio modo sumitur pro manifeste, ut patet. 1. de anima tex. cõm. 23. ubi dicitur, Democritus simpliciter dicit animã & intellectũ eẽ idem. i. manifeste dicit. capitur etiã pro rudi ter & inconsiderate, ueluti usus fuit Arist. tertio de generatione animalium cap. sexto ubi dicit, Hęc enim & Anaxagoras & alii quidam naturales, simpliciter ualde & incõsiderate, quia uũm ratiocinatione ita falluntur. quandoque exponitur pro principaliter, & sic intellexit Arist. in secũdo de anima tex. commen. 40. 41. contra antiquos asserẽtes nutritionem & augmentationem simpliciter esse ab igne, idest principaliter. Arist. autem uult quòd ignis concurrit ut concausa, seu ut instrumentum, sed anima sicut

causa

causa principalis. sumitur etiam pro necessario ut patet secũdo physi.tex.com.57.ubi Arist.ponit cõuenientiam inter casum & fortunã & dicit ꝙ non sunt in iis quæ simpliciter neque frequenter fiunt, ubi Auer. & græci,& alii exponũt per simpliciter, ea quæ fiunt necessario. sumitur etiam simpliciter,i.sine distinctione, & hoc modo intellexit Arist.quum dixit in.2.de anima tex.c.55. diuidendũ autẽ est de potentia & actu. nunc.n.utimur ipsis simpliciter.i.usi sumus hactenus istis sine distinctione & determinatione,sumitur etiam ut distinguitur contra per accidẽs & ita sumitur primo physic.tex.com.75.ubi dicit Arist. nos autem dicimus nihil fieri simpliciter ex eo quod non est, sed secundum accidens,& in secundo phys.tex.com. 54.dixit,est autem sicut accidens fortuna causa, simpliciter autẽ nullius,sumitur quoque,simpliciter,pro uniuersaliter,& in hoc sensu plerunq; capitur in Arist.& Auer. dicit secundo physi.com.61.ꝙ,simpliciter, quãdoq; dicit communitatem,& uniuersalitatem. exponitur etiam simpliciter pro proprie,ut dicimus generationẽ hominis esse simpliciter.i.proprie.capitur etiam pro communi ad id quod est essentialiter& accidentaliter,& hoc modo intellexit Arist.in octauo phys.tex.cõ.46.quum dixit, ꝙ primus motor non mouetur simpliciter.i. neq; per se, neq; per accidẽs.exponitur quoq; ut distinguitur contra secundũ quid,& isto modo dicitur,ꝙ id quod substãtialiter trãsmutatur,simpliciter transmutatur, quia transmutatio in substãtia est uera trãsmutatio, trãsmutatio uerò in accidẽtibus est transmutatio secundũ quid,ut patet primo phy. tex.cõ.62.& primo de generatione & corruptione tex. cõ. 17.& scito ꝙ hæc distinctio colligitur etiã ab Auer. in octauo phys.com.46.multa alia possent enumerari significata,quæ breuitati studentes prætermittenda putauim⁹,& ex omnibus significatis enumeratis, exponitur in tex.ly simpliciter,duobus modis.s.simpliciter.i.uniuersaliter & in potentia, & simpliciter.i. particulariter & in actu,& aduertito ꝙ Aris.ter posuit ly,simpliciter.in tex, & non uniformiter capitur sẽper, quia simpliciter primo loco positũ exponitur.i.particulariter,proprie,& in actu; & simpliciter secundo loco positum exponitur.i. uniuersaliter & in potẽtia,& tertio loco sumptum exponitur ut primo loco sumptũ,quia Ari.seipsũ exponit,ut dicemus paulo post in completa expositione huius tex.& ad maiorem declarationem huius dictionis simpliciter, uoluimus insuper assumere doctrinam& regulam Arist.in primo elench.ubi dicit, ꝙ simpliciter,ut distinguitur contra secũdum quid,habet triplicem uniuersalitatem,subiectorum temporis,& loci:unde insurgũt duo modi ipsius simpliciter. unus est respectu uniuersalitatis subiectorũ, & hoc modo dicimus ꝙ scire in uniuersali, est scire simpliciter.quia scimus omnia subiecta singularia contenta sub eo: secũdus modus est respectu modorũ sciendi,quoniam scire insequitur esse,& sicut res se habet ad esse,ad ita cognosci,sed ens diuiditur in actũ & potentiã ut patet nono metaph.tex.com.primo,& sexto metaph.tex.cõ.4.ergo & scire diuiditur sic, ꝙ datur scire in actu,& datur scire in potentia,hoc idem Arist.in tertio de anima tex.com.18. retulit,ꝙ scientia secatur quemadmodum & res,& intelligitur talis propositio quo ad diuisionem quæ sit secũdũ actum,& potentiam sicut expresse dicit ibi Ari.ꝙ sicut res diuiditur per potẽtiam & actum,sic scientia & sensus, & hoc Auer. ibi in commen.perpulchre declarat,& non intelligitur talis propositio, quod scientiæ secantur ad diuersitatem scibilium absolute, quoniam Ari.dixit secundo physic.tex.com.18 quod eædem sunt lineæ naturales & mathematicæ:quamobrem intelligi debet sic quod scire est dupliciter,scilicet in potẽtia & in actu,sicut ens est duplex,in potentia,& in actu. & Aristo. secundo de interpretatione cap.penultimo,& in primo priorum,capit. 18.probat per rationem ducentem ad impossibile, quod illud,quod est in actu,uel sit de inesse uel de necessario,est etiam in potentia, & sic arguit,quia, si non potest esse,ergo,impossibile est esse, ergo non est,a primo ergo ad ultimum,si est in actu,ergo potest esse,& hæc ratio Arist.ad probandum quod illud, quod est in actu sit etiam in potẽtia, accipitur pro secundo fundamento eorum quæ nunc dicenda sunt pro facillima tex.expositione,& illud quod dictũ est,quod scire insequitur esse,seu sciẽtia secatur sicut & res, accipi debet pro primo fundamento eorum quæ dicentur. Ex quibus fundamentis & præsuppositis patet facillima expositio istarum trium propositionum,quæ ponuntur in textu,Prima propositio est ista quòd ille qui scit in actu,& ille qui scit in potentia cõueniunt in hoc,quod ambo sciunt simpliciter,hoc dicit Arist.in tex.expresse, ut patet.Secunda propositio, ille qui scit in actu,scit simpliciter & uniuersaliter, idest in actu & in potẽtia.& probatur ueritas huius secũdæ propositionis ex secundo fundamento,& Arist.in tex.etiam dicit quòd sciens in actu, scit simpliciter,idest uniuersaliter & omni modo. Tertia propositio quæ ponitur in tex. talis est, quod ille qui scit in potẽtia & in uniuersali, sit simpliciter, & nõ uniuersaliter, sicut ille qui scit in actu,sed,{quodã modo} Dicit Ar. & ueritas huius tertiæ & secundæ propositionum, præsupponit unũ, quod sequitur ex secundo fundamento, ꝙ ille qui scit in actu, scit omni modo,& ille qui scit in potẽtia,scit quodammodo, scilicet diminutẽ, sicut mox dicetur in expositione textus,habita igitur diffusissima declaratione terminorum,quid.s.Aris.intelligat per inducere, & syllogistice accipere,& quomodo accipiantur ly scire, & ly simpliciter,superest in præsentiarum textum uerbo tenus exponere, ne ab incepto desistamus. & applicare quæcunque diximus ad uerba Arist. quando dicit.{ Antequam autẽ sit inducere aut syllogismum accipere &c. } Et uult dicere sic Aris.quod antequam habeatur cognitio de præmissis singularibus, quæ per inductionẽ cognoscũtur, nam {inducere,} idest ad sensum ducere exponitur secundo priorũ cap. 23. & antequã habeatur cognitio præmissarũ uniuersalium, quæ per syllogismũ cognoscũtur, seu in syllogismo accipiuntur, per {syllogismũ } notandũ est,ꝙ Ari.intelligit præmissas,quia ut nos iã exposuimus in.1.priorũ in definitione syllogismi, præmissæ solũ sunt syllogismus,conclusio est extra syllogismũ. Dixit{accipere}quia primo priorũ cap. 1.syllogismus constat ex acceptis præmissis, idest cõcessis,quia ueræ sunt,& sic dicit Ar.quod antequam habeatur cognitio præmissarum singularũ per inductionẽ,& uniuersalium per syllogismũ, aliqua conclusio, seu aliquid potest sciri & ignorari diuersis tamen modis,& dicit sic. {Quodam quidẽ modo forsitan dicendũ est scire, modo autem alio non,} idest idem scitur & ignoratur,non eodem modo sed diuersis, quia in potentia,& in uniuersali,& ignoratur in particulari & in actu,& sic explicat distinctionẽ, per quam sophisma Menonis, & cauillus Sophistarum soluetur. Deinde dicit {Quod enim nesciuit si est simpliciter hoc quodammodo sciuit, ꝙ duos rectos habet simpliciter}Dat exemplũ ad declarandam ueritatem supradictæ distinctionis, quomodo.s.idem possit sciri & ignorari diuersis modis,& exemplificat de ista propositione particulari, iste triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis, & dicit, quod talis singularis propositio nescitur, {simpliciter} ignoratur in actu & in particulari, sicut iam supra annotauimus, ꝙ ly,simpliciter,primo loco positum exponitur.i.particulariter & in actu quoniã sensus est quod iste triangulus ignoratur in actu& in particulari,quod habeat tres angulos æquales duobus rectis, & dicit{hoc quodam modo, sciuit ꝙ duos rectos habeat simpliciter, } idest & illemet triangulus singularis, ignoratus in actu & in particulari, scitur {hoc,} idest illa idẽ scitur, i.cognoscitur ꝙ hẽt duos rectos simpliciter, idest in uniuersali & potentia & ipsum

scire in uniuersali & in potentia est scire. {Quodã modo} idest diminute, quia nõ omni modo, sicut est scire in actu, ut iam paulo ante diximus declarando tres illas propositiones conformiter ad singula uerba Arist. in hoc tex. Deinde dicit. {sed manifestum est, ꝙ sic quidem scitur, quoniam uniuersaliter scitur, simpliciter autem nõ scitur.} Nota ꝙ Arist. in iis uerbis ex exemplo declarante distinctionem illam esse ueram, recolligit ueritatem seipsum accingens ad soluendum Menonis sophisma, & Sophistarum cauillum, in tex. 6. quum dicit. {Sed nihil ut opinor prohibet} & scito ꝙ illa dictio {manifestum} manifestam, claram, & ueram solutionem, innuit, & uult dicere Arist. ꝙ ex illa distinctione data, manifesta & uera colligitur respõsio, qua diluentur sophisma Menonis, & sophistarum cauillus. Deinde dicit. {quòd sic quidẽ scitur, quoniam uniuersaliter scitur.} Et aduertas, ꝙ Arist. intendit manifestare suam responsionem esse ueram, per duas propositiones subcõtrarias & ambas ueras & anteꝗ̃ declarẽtur istę duę subcontrariæ, & quomodo ambæ sint ueræ, primò notãdum est, id quod diffusius annotauimus in primo topic. ꝙ quando in materia cõtingenti, ambę uniuersales sunt falsæ, & ambæ subcontrariæ ueræ, tunc quia falsum mixtũ est cum uero, difficile inuenitur, nisi præuium fuerit auxilium ipsius topici, qui arguendo ad partes falsas, & destruendo illas. s. uniuersales, separat ab eis subcontrarias particulares ueras, sicut depurator auri separat aurum à terra. hac regula usus est Arist. primo physic. & in primo de generatione, uolens declarare. quomodo materia prima sit ens, nam postquã topice destruxit uniuersales falsas, ꝙ. s. materia prima, non est omnino ens. s. in actu, nec ꝙ nullo modo sit ens, i. nec actu nec potentia ut priuatio, separauit & demõstrauit ambas subcontrarias particulares ueras, & dixit ꝙ ambæ istæ subcontrariæ sunt ueræ, s. materia prima aliquando nõ est ens. s. in actu, & materia prima aliquando est ens. s. in potentia. hac eadem regula ipse quoq; functus est in hoc primo poster. ut dicemus infra in expositione tex. & cõmen. 11. ubi reiectis & explosis duabus illis propositionibus uniuersalibus tanquã falsis. s. omnium esse demonstrationem, & nullorum esse demonstrationem, quas antiqui ueras esse confitebantur. Arist. pro sua opinione, duas singulares subcontrarias, & ambas ueras subnectit, scilicet aliquorũ est demõstratio, ut conclusionum, & aliquorum non est demonstratio, ut principiorum, ut loco suo diffusius enucleabimus. hanc etiam artem & canonem sequutus est Aristo. in hoc tex. ut manifestam faceret suam responsionem, & habens pro comperto ambas istas uniuersales esse falsas. s. omni modo scitum, & nullo modo scitum, subdit duas subcõtrarias, & ambas ueras esse ponit, & hæ sunt. sic quidem scisum, idest aliquo modo & in potentia, nã supra diximus ꝙ scire in potentia, est scire aliquo modo, & hæc subcõtraria particularis & uera ponitur ibi quando dicit. {ꝙ sic quidem scitur quoniã uniuersaliter scitur.} Nota ꝙ dixit, ly {sic} & est dictio explicans particularem affirmatiuam ueram, & quando dicit. {simpliciter autem non scitur} ponitur, & explicatur subcõtraria negatiua, & uera. Et aduertas ꝙ Arist. explicauit hanc subcõtrariam negatiuam & ueram, non cũ illa dictione {sic} quæ posita fuit in subcontraria affirmatiua, sed indefinitè eam protulit, & non ab re primus magister hoc fecit, nam dictum est supra in declarandis illis tribus propositionibus ꝙ scire in actu, est scire simpliciter, idest omni modo, & sine diminutione aliqua, sed scire in potentia est scire aliquo modo, seu est scire sic, & sicut affirmatio est causa affirmationis, ut dicemus in hoc primo poster. infra, ita quoque negatio est causa negationis, & ad propositum applicando dicimus quòd quando aliquid scitur in actu, illud scitur simpliciter, idest omni modo, scilicet in actu & in potẽtia per fundamentum secundum, supra iam declaratum; ita quoque dicendum arbitramur, quòd quando aliquid ignoratur in actu, etiam omni modo ignorabitur; & ideo dicit Ari. in subcontraria negatiua, {simpliciter autem non scitur} idest illud quod non scitur in actu, non ignoratur aliquo modo, sed ignoratur omni modo, & ideo ponitur, ly simpliciter in subcontraria negatiua, absque illa dictione {sic} & sic uidetur quod istarũ subcõtrariarũ affirmatiua sit particularis propter illam dictionem {sic} ibi positam, & subcontraria negatiua sit indefinita, quia in ea non explicatur illa particula {sic.} Et si tu dices quod tunc non erunt subcontrariæ, si ambæ non sunt, aut particulares, aut indefinitæ, aut singulares. Respondetur quòd de singularibus indefinitis, & particularibus idem est iudicium, ut Arist. in primo priorum satis clarius nobis notatum reliquit, & si non de modo, tamen de lege uere subcontrariæ sunt. hoc modo uenit declarandus tex. iste quartus, & dicant alii expositores quicquid eis libuerit, non enim mentem Arist. habuerunt. Sed antequam ad com. 4. Auer. expositionem deueniamus, prius mouendæ sunt contradictiones quædam in dictis Arist. ut ex earum dissolutione clarius habeatur ueritas eorum quæ dicta sunt, circa tex. expositionem, quas sanè contradictiones nemo unquam expositorũ ita annotauit, & perlibrauit ueluti hic enucleabuntur. Prima contradictio in uerbis Arist. talis esse uidetur, quia supra in tex. 3. dixit singularia nõ cognosci ex aliqua præuia notione, sed simul, & in hoc tex. 4. determinauit oppositum, nam dixit singulare cognosci ex prænotione suæ uniuersalis, & exemplificauit de hoc triangulo particulari, qui ignoratur in actu, & scitur in uniuersali. qua de re expresse uidetur Ari. sibi ipsi contradicere. Secũda contradictio, mouetur in uerbis Aristot. in hoc text. 4. quoniã in prima parte tex. dicit singularia seu ultima nõ cognosci per medium, & in secunda parte eiusdem tex. determinauit, quod ista singularis, triangulus iste hẽt tres angulos æquales duobus rectis, ignoratur in particulari & in actu, & scitur in uniuersali, tanquam per mediũ, unde uidetur Ar. non sibi ipsi constare. Pro dissolutione & enodatione utriusq; contradictionis, plura prælibanda sunt antequam formaliter respondeatur. Et primo animaduertendũ est ꝙ istæ duæ cõtradictiones in unã coincidunt. Secundo quod aliud est loqui de singulari extra propositionẽ, & de propositione singulari. Tertio quod cognitio singularis seu ipsius indiuidui, põt esse duobus modis, uno mõ quo ad eius existentiã, & alio mõ quo ad eius prædicata, sicut etiam diximus supra in expositione tertii commenti, si uolumus cognoscere ipsum singulare primo modo. s. quo ad eius existentiam, tunc cognoscemus eũ absq; prænotione, & medio aliquo, quoniam tantũ per sensum dicebat Auer. si autem cognoscere eum uolumus quo ad eius prædicata seu attributa, ut dicit Auer. in prin. com. 4 tunc cognoscemus eum per mediũ, & ex præexistenti cognitione uniuersalis, sicut dat exemplum Ari. in tex. 4. de hoc triãgulo particulari, qui cognoscitur quod ei insit hoc prædicatum, s. habere tres angulos æquales duobus rectis per medium, quod est sua uniuersalis, omnis triangulus habet tres angulos ęquales duobus rectis. Quarto notandum quod quando dicit Aristo. quod triangulus iste particularis scitur seu cognoscitur in uniuersali, loquitur de cognitione ipsius trianguli quo ad eius prædicatum, scilicet habere tres, & non de cognitione quo ad eius existentiam. Quinto sciendum, quod quæcunque Aristo. tradidit, & docuit de cognitione ipsius trianguli particularis, intelligi debent pro regula generali ad cognitionem omnium aliorum singularium. Tunc stantibus iis præsuppositis facillime ueniunt concordanda dicta Aristo. inter se, si quidem apparens erat contradictio in eius uerbis, sed secundum rei ueritatem Aristo. undequaq; sibi constat. Vnde ad primam contradictionem dicitur ꝙ quum dixit Aristot, supra in 3. tex. singularia non cognosci ex

aliqua

aliqua prænotione, ſed ſimul ibi loquutus eſt de cognitione ipſorum ſingularium, quo ad primum modum cognitionis eorum.ſ.quo ad eorum exiſtẽtiam, nam quãdo ſingularia cognoſcuntur quo ad eorum exiſtentiam (ut diximus ſupra in tertio pꝗlibando) tunc non cognoſcuntur ex aliqua prænotione, ſed ſimul, ut iam optimè declarauimus in expoſitione tex.3. Sed in hoc tex.4. loquitur de cognitione ſingularium quo ad ſecũdum modum cognitionis eorum.ſ.quo ad eorũ attributa ſeu prædicata, & quando ſic cognoſcuntur, tunc per medium cognoſcuntur, ſcilicet ex eorum uniuerſali, ſicut exemplum dedit Ariſt. de cognitione huius trianguli particularis, ꝙ habet tres. quã obrẽ nulla cõtradictio eſt in dictis Ari. circa.3. & 4. tex. Ad ſecundam contradictionem (quia eadem eſt cum prima) ſimiliter dicitur. diſtinguendo ſemper de duplici cognitione ipſius ſingularis, ꝙ Ari. ĩ prima parte huius tex. 4. loquitur de cognitione ſingularium quo ad primũ modum.ſ. quo ad eorum exiſtentiam, & ideo dixit, quòd ultima non cognoſcuntur per medium: ſed in ſecunda parte tex.4. loquitur de cognitione ſingularium quo ad ſecundum modum.ſ.quo ad eorum prædicata, & ideo dixit ꝙ habere tres de ipſo triãgulo particulari cognoſcitur in uniuerſali tãquam per medium, & ſic nulla eſt contradictio quoniam idem poteſt cognoſci per medium, & abſq; medio, diuerſo tamen cognoſcendi modo, habendo ſemper oculum ad illam diſtinctionem, de duplici cognitione ipſius ſingularis. Ex iis quæ dicta ſunt in expoſitione tex. et in reſponſione ad ſupradictas conditiones, quis poterit dubitare, quõ ſtante uniuerſali nota, ſingularis põt eſſe ignota, ſed nos omiſsis nugis omnibus, quæ ab expoſitoribus modernis afferuntur, alio modo reſpondendũ putamus. prius tamẽ quàm huic dubitationi plenè ſatiſfaciamus, ſciendũ eſt, pro neceſſariis præſuppoſitis, ꝙ omnis actus intellectus duplex eſt, naturalis & artificialis, ut patet primo elenh. quoniã idiota ſyllogizat per naturã, & artifex per artem, & differunt ad inuicem, ſiquidem quæ per artem ſunt, neceſſaria & propria ſunt, & quæ ſine arte, cõtingẽtia ſunt & non propria, quoniã ars eſt actio recta ſuarũ operationum, ut patet ſexto ethic. Secũdo notãdum ut etiam ſupra dictũ eſt, quælibet ſingularia nõ uerè ſciri, & addiſci, ſed ſolum ſentiri & cognoſci cognitione ſẽſitiua, ut docet nos Ari. in proœmio metaph. & quia ſenſus ſecundũ actum eſt ipſorum ſingularium, ut etiã dicit Ariſ. ſecundo de anima tex.com.60. dicendũ eſt quod omnia iſta ſunt operationes ſẽſus, q.ſ. ipſa ſingularia ſint ſenſata, & memorata, & per experientiam habeãtur. Tertio ſciendum ꝙ ipſa ſingularia ſupradicto modo cognita .ſ. quatenus ſunt ſenſata, memorata, & per experiẽtiã habita, ſunt artificiales præcognitiones pro cognitione ipſius uniuerſalis, & quia ſunt artificiales, ideo ſunt neceſſariæ præcognitiones, per primũ præſuppoſitũ, ſine quibus uniuerſale non habetur, & hoc probatur per Ariſto. ſecundo prior com.23.24. in deſcriptione inductionis, ꝙ inductio eſt illa, quę docet uniuerſale ex præcognitis ſingularibus cognoſci, hoc idẽ patet in proœmio met. & in tertio ethi. 4. & in primo poſte. com.33. & quoniã inductio duplex eſt.ſ. topica & demõſtratiua, ut patet ſecundo prio. com. 23. primo phyſi. com.48. ſecundo phy. cõ.80. & octauo phyſi. cõ.33. dicitur quod in utraq; inductione ſingulare eſt præcognitio neceſſaria & artificialis ad cognitionẽ habẽdã de ipſo uniuerſali. Quarto notãdũ quod uniuerſale non eſt præcognitio artificialis & neceſſaria ad cognitionem ſui ſingularis, ſed tantum raro & contingenter erit uerum, ipſum uniuerſale eſſe præcognitionem ſingulariũ & rationibus hoc comprobatur, quia per regulam illam, quãdocunq; aliquid eſt de ſe tale, ubicunq; ponatur ſemper erit tale, ſed ſingulare de ſe habet, q.ſ. poſsit eſſe, et nõ eſſe, ut dixit Ariſ. ſeptimo met. tex.com.53. & 35. ꝙ ideo ſingularũ non eſt definitio & demonſtratio, quia hãc materiam, cuius natura talis eſt, ut contingat & eſſe, & non eſſe: ergo ubicunq; ponatur ipſum ſingulare, ſemper contingẽter ſe habebit, & ſic ipſum ſingulare poſitũ ſub uniuerſali cõtingenter ſe habebit, & cõtingẽter ſe habebit, tũc poteſt eſſe, & non eſſe, & ſic ſi poteſt non eſſe, poteſt etiã non eſſe notũ, & ſic de primo ad ultimũ, ſub uniuerſali noto, poteſt eſſe ſingulare ignotũ. & confirmatur hoc per Ari. quia res ſicut ſe habet ad eſſe, ita ad cognoſci, ſed ſingulare contingẽter eſt ut dixit Ariſt. ſupra in tex.3. ꝙ ſingularia contingunt eſſe ſub uniuerſalibus & ſeptimo met. tex. com.53.35. ergo cõtingẽter erit cognitũ ſub uniuerſali, & non neceſſario, & ſic ſi contingenter, tunc poterit etiam nõ eſſe cognitum, quia ſic expoſtulat natura cõtingentis ut poſsit eſſe, & non eſſe: ergo de primo ad ultimũ ſub uniuerſali noto, poteſt eſſe ſingulare ignotũ. Ex quibus pręſuppoſitis, colligendũ eſt reſolute & diſtincte quid dicendum ſit ad dubitationem, quũ quęrebatur, an ſtãte uniuerſali nota, poteſt eſſe ſingularis ignota, & quõ hoc ſit uerum, etiã clariſsimè ex ſupra dictis patet, & ideo non ab re dixit Ari. tex.3. & 4. & Auer. plures confirmauit ꝙ ſtat cognoſcere uniuerſale, & ignorare particulare, & dedit exemplũ, quod poteſt cognoſci hæc uniuerſalis, oĩs triangulus habet tres, ignorato hoc particulari triãgulo, qui eſt in ſemicirculo, an habeat tres, & dedit cauſam quia ſi ignoratur eſſe, ergo & eſſe triangulum, & habere tres. Et aduertendũ ꝙ illa dictio, fortaſſe poſita in tex.4. poſſet exponi, ꝙ Ari. dubitatiue dixerit, uniuerſale eſſe præcognitionẽ ſingularis, nã ſi uniuerſale eſſet artificialis & neceſſaria præcognitio reſpectu ſingularium, nõ dixiſſet, fortaſſe, ergo ſignũ, eſt, ꝙ cõtingẽter uniuerſale facit cognoſcere ſuum ſingulare, & ſic patet quõ poſsibile eſt ſub uniuerſali noto, ſingulare eſſe ignotum, & hæc non olfecerunt latini expoſitores, ſupereſt exponere com.

Commen. 4.

Dixit, ſunt aũt quędã res quarum cognitio fit.} Auer. in hoc com. quinque facit, primo exponere incipit in primis uerbis ibi. {Dixit, ſunt autem quædam res,} ſecundo continuat textũ quũ dicit. {Cũ oſtẽſum ſit cognitio rei.} tertio declarat & ponit ſophiſma Menonis ibi quando dicit. {Modus aũt huius ſophiſmatis,} quarto ponit ſolutionem ſophiſmatis ibi. {Huius autem ſolutio eſt,} quinto reuertitur ad expoſitionẽ tex. ibi. {Et dixit quo nã pacto poſſemus ſcire.} Sed tu dices, cur eſt, quod Au. primo exponere incipiat, ꝗ̃ continuet textum, ſi quidẽ mos eius eſt, & grauiſsimorũ expoſitorũ prius continuare & deinde exponere tex. ſed Auer. nunc peruertit ordinẽ quare errauit. Dicitur Auer. nõ erraſſe, quoniã ipſe præſupponit tex.4. incipere ibi {Antequam autem ſit inducere} & nõ ibi ut diximus. {Quorundam.n. hoc modo,} & ſic ipſe exponit in primis uerbis ultimã partem tex. tertii, & nõ incipit exponere tex. quartum, & ſic habeatur pro comperto quod quęcũq; dicit Auer. in prima parte huius cõ. incipiendo, a primis uerbis, uſq; illuc, quãdo dicit. {Cũ oſtenſũ ſit, quod cognitio rei per ſyllogiſmũ} ſunt pro cõplemẽto tex. tertii, & nõ ſolũ in præſenti com. hoc Auer. feciſſe dicimus quod.ſ. exponat in uno com. reſiduã partẽ præcedẽti tex. ſed multoties hoc idem apud ipſum cõperietur, nedũ in magna hac com. uerum etiam in expoſitionibus ſuis phyſ. & metaph. & niſi hoc dicatur, difficile eſſet, ipſũ monſtrare haudquaquam erraſſe, & nos iam diximus in expoſitione tex. in princ. quod tex. quart' diuiditur in duas partes, & ſic prima pars uidetur quod ſit ultima pars tex. tertii. Dicit igitur Auer. in primis uerbis. {Dixit, ſũt autẽ quedam res} pro intellectu uerborum Auer. oportet aſſumere quod ſupra diximus in ſoluẽdis contradictionibus Ariſt. quòd eſſe ſeu exiſtentia rei ſenſibilis ſeu ſingularis nõ cognoſcitur ex aliqua pręuia notione, ſeu per aliquod

mediū, sed simul, & secus est de prædicato ipsius rei singularis, quoniā cognoscitur per medium exemplū Arist. esse trianguli singularis patet ad sensum, & non cognoscitur per medium, sed ꝙ hoc prædicatum, s. habere tres in sit ipsi triangulo cognoscitur per medium seu per syllogismum. & huc dicit Auer. ibi {quia esse quasdam res percipitur sensu} idest existentia rerum singularium cognoscitur per sensum {& non syllogismo omnino} idest non cognoscitur per syllogismum {& omnino} idest neq; etiam per aliam speciem discursus seu argumentationis. Deinde dicit {& earum attributa noscuntur syllogismo,} idest licet existentia rerum singularium non cognoscatur per medium seu per aliquem discursum, tamen prædicata ipsarū rerum singularium cognoscuntur per medium seu per syllogismum. nota ꝙ Auer. per {attributa} intelligit prædicata, & non ab re prædicata uocantur attributa, quia attribuūtur subiectis. & nota ꝙ illud prædicatū, uerius dicitur attributum ad subiectū, quod magis explicat essentiam subiecti. exemplum, rationale prædicatur de Socrate, & magis explicat essentiam Socratis, quàm hoc prędicatum, quod est albedo, unde ipsum rationale, uerius dicitur attributum, quàm albedo. & non solū dicitur attributum sed appropriatum: magis enim appropriatur Socrati rationalitas seu risibilitas quàm albedo, dicitur quoq; ipsum prædicatum, appositum, ut dicit Auer primo periher. com. 3. de uerbo, ubi dicit ꝙ uerbum est appositum & non suppositum, idest prædicatum & non subiectum. multis etiam nominibus nuncupatur, quę longū esset hic annumerare. amplius notabis ꝙ per {syllogismum} intelligit omnem discursum, seu omnem speciem argumentationis, nam quadruplex est species argumentationis. s. exemplū enthymema, inductio, & syllogismus, & per syllogismū intelligit etiam alias tres species, nam syllogismus uirtualiter continet eas. & ad ipsum illæ reducuntur, ut colligitur primo prior. deinde dicit. {Et dum dixit & nō cognoscitur ultimum per medium} Auer. exponit quid intelligat Arist. per {ultimum} & dicit, ꝙ ultimum dicitur res singularis seu indiuiduum ipsum, quod dicitur in prædicatione ultimum, & ideo dicit sunt {ultimæ prædicatione.} declarat quomodo res singulares seu ipsa indiuidua dicātur ultima in prędicatione, idest ipsa singularia nō sunt ultima prædicata, sed sunt illa ultima subiecta de quibus eorum superiora aut alia ex prędicamentis accidentiū ultimo prædicantur. Et hic aduertito, ꝙ Auer. dicit {sunt ultimæ prædicatione} & non dixit, ꝙ sunt ultima prædicata, ut etiam annotauimus supra in expositione tex. unde patet error quorundam, qui propterea dixerunt singulare esse ultimum, quia est ultimum in recta linea prædicamētali. sed hoc falsum est, non enim singulare ponitur directè in recta linea prædicamentali, sed indirecte, seu à latere. sed si obstabis quia Porph. dixit in ca. de specie, ꝙ sub homine sunt indiuidua. s. Socrates, & Plato. dicitur ꝙ Porphy. nō intellexit directe sed indirecte poni indiuidua sub specie specialissima. Et si dices quid est illud, quod directe ponitur in recta linea prædicamentali? respondetur, binas habere conditiones illud quod ingreditur directe rectam lineam prædicamētalem, una est, ꝙ sit aut genus, aut species: altera est, ꝙ possit esse subiectum, & prædicatum, & quia indiuiduum, caret ambabus, & non est genus neq; species; ideo neq; etiam potest esse prædicatū, ut supra in expositione tex. digressimus in Porphy. & paulopost hoc idem Auer. probabit. s. ꝙ indiuiduum non prædicatur de aliquo. ergo indiuiduū haudquaquam directe ingreditur lineam rectam prædicamentalem. quamobrem rectius cum Auerro. dicendum est, quòd ideo singularia dicuntur ultima, quia sunt ultima in prædicatione. & ideo dixit. {Quæ non prædicantur de aliqua re, & reliquæ res prædicantur de illis} idest ipsa singularia non prædicantur de aliquo subiecto {& reliquæ res prædicantur de illis} idest omnia alia, ab ipsis singularibus dicuntur seu prædicantur de ipsis singularibus, siue ea quæ sunt in prędicamento substantiæ, siue illa quæ sunt in prædicamento accidentis, & uoluit profectò dicere Auer. illud quod dixit Arist. in prædicamento substantiæ ꝙ omnia alia, a primis substantiis. aut dicūtur de subiectis principalibus substantiis, aut in subiectis eis sunt: deinde quum dicit. {id enim quod scitur per medium} Auer. in iis uerbis assignat rationem eorum quæ paulo ante dixerat s. quare ipse res sensibiles seu ipsa singularia quo ad eorum existentiā non possint cognosci per medium: quia quæ cognoscuntur per mediū prædicantur de aliquo subiecto, sed singulare non prædicatur de aliquo subiecto, ergo singulare non cognoscitur per medium. iste syllogismus est in secunda figura. Et notandum ꝙ Auer. non erexit suam rationem ita clare in hanc formam prioristicam, sed posuit maiorem, & minorem, subiecit autem conclusionem, & clarius intelligitur illa maior in syllogismo præhabito, quàm ut iacet in cōm. Et quia ipse dixit in minori sui syllogismi ꝙ singularia non prædicantur de aliqua re {omnino} ideo istā particulam, omnino, Auer. exponit & declarat dicens {hoc est prędicatione uniuersali secundum naturalem consuetudinem} uult dicere ꝙ descriptio singularium seu indiuiduorum claudit binas conditiones, adeo ꝙ singularia sunt illa, quæ non prædicantur de aliquo, neq; naturaliter neq; uniuersaliter. Et si dices quid intelligit, quando dicit ꝙ indiuidua non prædicantur prædicatione uniuersali de aliquo? dicitur ꝙ ista particula, prædicatio uniuersalis potest exponi dupliciter, uno modo capitur prædicari uniuersaliter, idest prædicari essentialiter, ut uidebitur infra com. 33. & prædicari essentialiter, est prædicari in quid, & huiusmodi quę prędicantur uniuersaliter. s. essentialiter, & in quid, sunt genus, & species sicut dicit Arist. primo topic. cap 4. & Porphy. in lib. prędicab, & quia singularia seu indiuidua non sunt, neq; genus, neq; species, ideo neque essentialiter & in quid prędicant, & proprerea dixit Auer. ꝙ non prædicantur de aliquo secundum uniuersalem prędicationem, & hæc conditio, s. non prædicari uniuersaliter, non tantum competit indiuiduis prędicamenti substātiæ, sed indiuiduis prædicamenti accidentis, ut dicit hic Auer. Alio modo posset intelligi non prædicari uniuersaliter propter indiuiduum uagum, quod uidetur de pluribus indiuiduis prædicari uniuersali prædicatione, sed in rei ueritate non prædicatur. quia, ut colligitur ab Auer. in epito. logic. cap. de demonst. indiuiduum uagum, quatenus indiuiduum est, nec uniuersali prædicatione prædicatur, nec secundum cursum naturæ: sed si prædicatur, hoc est merito naturæ communis inclusæ in illo indiuiduo, ratione cuius prædicatur de pluribus prædicatione uniuersali. exemplum, Plato est aliquis homo, & Sortes est aliquis homo. sed de hoc diffusius dicetur infra in tex. com. 34. pro nunc hæc sufficiant ad sciendum ꝙ dixit Auer. singularia non prædicari de aliquo, uniuersali prædicatione, propter indiuiduum uagum quod quatenus indiuiduum est, non prædicatur uniuersali prædicatione, & sic patet declaratio primæ conditionis positæ in descriptione indiuiduorum seu singularium. Deinde quum dicit. {secundum naturalem consuetudinem} explicat secundam conditionem requisitam ad descriptionem singularium, & dicit ꝙ singularia sunt illa, quæ non solum non prædicantur uniuersali prædicatione de aliquo, sed neq; etiam prædicantur naturaliter seu secundum naturam de aliquo. Dices. est, prędicari secundum naturalem modum, seu naturalem consuetudinem. Respondetur, ꝙ duplex quoq; est expositio huius secundæ conditionis: Prima expositio talis est, ꝙ quum duplex sit prædicatio seu propositio, naturalis & innaturalis, ut patet, septimo metaph com. 9. in epito. logic. cap. de demonst. & primo poste. com. 148 de qua duplici prædicatione supra in expositione tex. multa

exara-

exarauimus, quid sit unaquæq; & quia prædicatio indiuidui, aut de se ipso, aut de alio est innaturalis, ut supra demonstrauimus. propterea dixit Auer. hic pro secunda cõditione, quod indiuidua nõ prædicãtur naturali prædicatione, neq; de se ipsis neque de aliis. Secunda expositio est hæc, quòd licet indiuidua prædicamenti substantiæ nullo modo prædicentur naturaliter seu secundum naturalem modum prædicandi, tamen indiuidua prædicamenti accidentis prædicantur naturaliter de sua substantia, cui insunt, & probatur hæc expositio per Auer. in primo poster. comm. 148. ubi dicit, quòd prædicatum naturale sumitur ab esse naturali, nam cui res naturalis apta nata est inesse extra animam, de eodem apta nata est prædicari in anima, sed accidentia singularia extra animam insunt substantiis primis, ergo de eis prædicari possunt naturaliter. Sed hæc expositio repugnat expresse ipsi Auer. in comm. nam dicit, quòd omnia indiuidua cuiuslibet, scilicet prædicamẽti non prædicantur secundum naturalem modum de aliquo; ergo falsa est. sed posset glossari, quòd accidens esse prædicatum naturale potest bifariam intelligi, uno modo quòd sit prædicatum naturale, idest reale, & hoc est uerum: alio modo quòd sit prædicatum naturale, idest quòd prædicetur secundum naturalem modum prædicandi, & hoc est falsum, quia ut etiam supra diximus in digressione contra Porphy. de indiuidui descriptione, accidens singulare non est prædicatum in propositione; non enim dicitur Sortes est albedo, aut hæc nigredo, sed albus aut niger, & sic dicendo posset acceptari secunda expositio. & aduertas quòd sic dicendo posset defendi Auer. quando dicit contra Porphy. in commen. de specie, quòd descriptio de indiuiduo assignata à Porphy. non intelligitur de indiuiduo substantiæ sed de indiuiduis accidentis, non enim uult ibi intelligere Auer. quòd indiuiduum sit prędicatum naturale in propositione seu prædicatione naturali secundum modum prædicandi naturalem, sed intelligit quòd accidentis indiuiduum est illud quod realiter inest substantiæ, & sic per naturale intellexit, ens reale, quod in rerum natura reperitur, & realiter inest subiecto: & nisi sic diceretur, tunc Auer. esset contrarius Arist. in antepredicamentis cap. secundo & in commen. de substantia, & esset sibi ipsi contrarius hic. Et insuper notato, quòd hoc modo uenit intelligendus Auer. in epitom. logico in sermone de prædicamentis; ubi pulcherrime describit indiuiduum seu singulare substantiæ, & singulare accidentis, & recte perlibrãdo eius uerba in omnibus supra dictis locis, ubi ipse loquitur de indiuidui descriptione, haudquaquam inuenies eum sibi ipsi contradicere, neque Aristo. contrarium esse: superest modo, ut ex iis duabus conditionibus ita declaratis colligatur clarissime uera descriptio (ut Auer. docet) ipsius indiuidui, seu singularis, quòd indiuiduum est illud quod non prædicatur de aliquo subiecto secundum prædicationem naturalem, sed innaturalem, neque prædicatur essentialiter & in quid de aliquo subiecto: & hæc quæ Auer. disseruit circa indiuidui descriptionem, non sunt contraria iis quæ supra, a nobis dicta sunt in tex. expositione circa indiuidui descriptionem cum diximus indiuiduum cuiuslibet prædicamenti esse illud, quod non prædicatur de aliquo subiecto. Sed hic rursum dubitatur, assumpsit Auer. in suo syllogismo, quo probabat singularia non cognosci per medium hanc propositionem omne illud quo cognoscitur per medium prædicatur de aliquo subiecto. sed quòd ista maior falsa sit, probatur, quoniam dicit Arist. in hoc tex. quarto, iste triangulus particularis cognoscitur per medium, scilicet per suam uniuersalẽ, quòd habeat tres, & tamen iste triangulus, est singulare seu indiuiduum, ergo datur aliquod, quod cognoscitur per medium, & non prædicatur de aliquo subiecto, & sic maior illa est falsa. Respondetur ad hanc dubitationem, & dicitur quòd Auer. sic intellexit suam maiorem, omne id quod scitur quo ad eius existentiam per medium, prędicatur de aliquo subiecto, at ipsum singulare seu triangulus ipse, ut dixit Arist. non cognoscitur quo ad eius existentiam per medium, sed quo ad eius prædicatum, scilicet habere tres, cognoscitur per suam uniuersalem tanquam per medium & sic glossando illam maiorem, nullum absurdum sequitur contra Auer. Sed dices, quid est illud quod cognoscitur per medium, & prædicatur de aliquo subiecto? Dicitur quòd est uniuersale. unde notabis, quòd uniuersalia generica & specifica differunt ab indiuiduis, quoniam uniuersalia quo ad eorum esse, cognoscuntur ex singularibus, tãquam per medium, quoniam uniuersalia apud Arist. sunt collecta ex particularibus in intellectu qui accipit inter ea cõsimilitudinem, & facit ea intentionem unam, ut dixit Auer. 12. metaph. commen. quarto & tertio de anima commen. 18. & primo de anima commen. octauo & primo phys. commen. primo dixit Auer. quòd indiuiduũ compositum, est principium acquisitionis uniuersalis, ergo si uniuersalia fiunt ab intellectu ex singularibus, cognoscentur per ipsa singularia tanquam per medium: Plato autem quia posuit uniuersalia esse extra animam non diceret ea cognosci per singularia tanquam per medium, sed potius econuerso, ut patet septimo metaph. ad longum, indiuidua uerò quia quo ad eorum esse, seu existentiam non cognoscuntur per medium, ideo non prædicantur de aliquo subiecto. Et aduertendum, quòd quando Auer. dicit {cuiusmodi est dispositio omnium particularium indiuiduorum} simul declarat tex. & probat ueram esse descriptionem ab ipso assignatam de singularibus, ex auctoritate Arist. in libro prædicamentorum idest in antepredicamentis commen. secundo, ubi dicit Arist. (sicut etiam supra notauimus in expositione tex.) quòd simpliciter omnia indiuidua cuiuslibet, scilicet prædicamenti habent hanc dispositionem idest conditionem, quòd de nullo dicuntur subiecto {omnino,} idest essentialiter & secundum naturalem prædicationem: deinde quum dicit {Cum ostensum sit quòd cognitio rei per syllogismum} in his uerbis Auer. continuat eam partem tex. quæ in nostro sic habetur {Antequam autem sit inducere, aut accipere syllogismum} Et continuatio talis est, quod postquã Arist. declarauit in tex. tertio quòd cognitio rei habita per syllogismũ sit distincta à cognitione habita per sensum, quoniam illa ex præcognitis generatur, hæc uerò ex nulla fit præuia notione: nunc intendit per ea quæ dixit de cognitione sensitiua, sophisma antiquorũ diu celebratum dissoluere. & notato, quòd apud Auer. ista synonima sunt, cognitio habita per syllogismum per intellectum, & per medium, seu ex præcognitis: similiter synonima sunt hæc, cognitio habita per sensum, non per syllogismum, & absque medio, seu non ex præcognitione aliqua. Et quum Auer. dicit {in promptu est ut soluamus} Aduerte quòd Auer. uult sic dicere, quod utilitas quæ habetur ex illa duplici cognitione talis est, quoniam facilis est dissolutio sophismatis antiquorum; non enim sufficit Arist. in doctrina sua tantum ueritatem manifestare, sed mentientem aperire, sicut in præsentiarum falsitatem sophismatis ostendendo facit, dicit Auer. {sophismatum} quæres quid est sophisma, dicitur quòd est res dubia pro utraque parte habens cauillos, qui græce paralogismi dicuntur, & instrumento logico notificatur. Vnde si res dubia demonstratiuo syllogismo notificatur habitus acquisitus, uocatur scientia, & ante demonstrationem uocatur quæstio, ut patet secundo poster. tex. commen. primo. Si notificatur res dubia syllogismo topico, tunc habitus acquisitus uocatur opinio, ut patet primo topic. cap. primo. si uerò ipsa res dubia syllogismo elencho notificatur, tunc habitus acquisitus nuncupatur deceptio, uel apparens scientia, ut habetur primo elench. commen. primo. Sed dices dubitatio sophistarum quo

instrumento conabatur destruere scientiam, & ostendere non dari ipsum addisci, quod est uia ad scientiã? Respondetur quòd instrumento sophistico seu elencho & ideo dicit Auer. {Quo sophistæ fallunt}.i. rem dubiam fallacem & deceptoriam docere intẽdunt. deinde dicit {& inferunt rem esse notam & ignotam simul} idest ipsi sophistæ ex suo syllogismo sophistico & deceptorio concludunt, non dari scientiam, & ipsum addiscere, quoniam si daretur scientia & addiscere, sequeretur, quòd idem sciretur & non sciretur, & sic duo contradictoria uerificarentur de eodem. quod est falsum & impossibile. Et aduertendum quòd Auer. primo ponit solutionem sophismatis antiquorum, quando dicit {diceretur enim sophistis} & postea declarat, quod erat sophisma ipsorum antiquorum, quo scire & addiscere destruere conabantur in illis uerbis, quãdo dicit {modus autem huius sophismatis} Sed nos distinctè procedendo, prius declarabimus istam partem commen. in qua Auer. declarat quod erat sophisma antiquorum, deinde alteram, in qua ponit solutionem sophismatis, & ideo si tu quæris ab Auer. quod erat sophisma antiquorum? Respondet {Modus autem huius sophismatis} Pro intellectu clariori uerborum Auer. notato quòd antiqui in eorum sophismate intendunt concludere, quòd ideo non datur scientia, & ipsum addiscere, quoniam tunc sequeretur de eodem uerificari simul duo contradictoria, quod est falsum, & impossibile. sed quomodo hoc sequatur, aduertendum tibi est, quòd antiqui antequam proponebant sophisma, formabant prius quendam triangulum, & abscondebant in manu, ut non uideretur, & hoc est quod dicit Auer. {Quia illi coaptabant & describebant, gratia exempli quendã triangulũ} Et absconso hoc triangulo in manu, interrogabant respõdentem, an sciret an ia triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis? & si respondens affirmabat scire, quòd omnis triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis, tunc statim illi afferebant & manifestabãt triãgulum occultum in manu & iterum interrogabant respõdentẽ, an sciret quòd hic triangulus haberet tres angulos antequam manifestaretur ei, & si respondẽs dicebat, quòd nesciret ipsum habere tres, antequam sibi manifestaretur, illico ipsi inferebant dicentes, ergo idem simul ignoratur, & scitur, à re, respondente. hoc totum ponitur in littera Auer. quæ clara est, & quando dicit {detegeretur} exponitur, idest manifestaretur, & nota quòd quando dicit Auer. {Iam ergo noueras hunc & ignoraueras eum simul} uult sic dicere, quòd de primo ad ultimum si datur scientia, & addiscere, tunc duo contradictoria uerificarẽtur de eodem simul. sed dices quomodo sequitur hæc consequentia, respondetur quòd hoc modo sequitur, quia dicebat respondens se scire quòd omnis triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis: & postmodum cogebatur nescire se confiteri quòd omnis triangulus habet tres angulos, quia non sciebat triangulum absconsum in manu, habere tres: ergo si nesciebat, antequam sibi manifestaretur, nesciebat etiam illam uniuersalem, omnis triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis. & ratio patet, quare sequatur hæc consequentia, iste triangulus absconsus in manu ignoratur, ergo ignoratur ista propositio, quòd omnis triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis: quia ad cognitionem uniuersalis requiritur prius cognitio particularium, nam ad cognitionem huius uniuersalis, omnis homo currit, requiritur priua cognitio & ueritas omnium particularium. sic in proposito, quia ignoratur seu nescitur triangulus iste absconsus in manu, ergo nescitur ista propositio, quòd omnis triangulus habeat tres angulos; & sic una met propositio uniuersalis scitur, & nescitur, scitur per concessum iam ab ipso respondenti, & nescitur, quia aliqua eius particularis ignoratur, & quia scitum & non scitum opponuntur contradictoriè, tunc duo contradictoria uerificantur de eodem simul, quòd est falsum. & aduertas quòd licet scitum & non scitum, non sint contradictoria de modo, tamen sunt contradictoria de lege, & similiter posset dici. quòd ipse triangulus absconsus scitur, quia scitur ista uniuersalis omnis triangulus habet tres angulos; & non scitur, quia ante manifestationem nesciebatur an in manu esset triangulus habens tres angulos, & sic concludit Auer. quòd tale erat sophisma antiquorum, quo ipsi probabant non dari sciẽtiam, quia tunc idem sciretur, & non sciretur, & sic duo contradictoria uerificarentur de eodem simul. & quando dicit {huius autem solutio est} aduertito, quòd Auer. in iia uerbis breuiter respondet ad sophisma antiquorum, nam diffusius eam declarauit supra in hoc eodem comm. quando dixit {Diceretur enim sophistis} Pro facili intellectu eorum quæ dicit Auer. in responsione ad sophisma antiquorum, annotanda & præsupponenda sunt quædam ac primum, quòd antiquorum sophisma peccat per fallaciam æquiuocationis, de ipso scire, & ideo per regulam Aristo. primo elench. primo, & primo cœli tex. commen. 110. & per Auer. septimo metaph. 36. ipsum scire cum sit æquiuocum, opus est distinctione, & tot modis est ipsum scire, quot modis est ens, sicut dixit Aristo. tertio de anima tex. comm. 18. quòd scientia secatur quemadmodum & res, sed ens bifariam est, id actu, & in potentia, ut patet nono metaph. tex. comm. primo & sexto metaph. tex. comm. quarto, ideo similiter scire est duplex, scire in actu, & scire in potentia, & hoc præsuppositum supra ẽt annotauimus in expositione tex. Secundum præsuppositum est, quod singulare habet duas partes, materiam, & formam, ut patet primo cœli commen 92. per formam ipsum singulare habet esse uniuersale & commune cum aliis indiuiduis, quoniam ipsa est subiectum uniuersalitatis, ut dicit Auer. in primo cœli comm. 92. & per materiam habet esse actuale, & proprium, & hoc pulcherrime declarauit Auer. in libro dest. destruc. contra Algazelem in disput. primo in solut. septimi dubii ubi dicit, quòd materia est causa pluralitatis seu numeralitatis apud philosophos, & causa conuenientiæ in multitudine numerali est forma, colligitur etiam hoc ex. 12. diuinorum tex. comm. 49. & uideas quoq; in septimo metaph. tex. cõm. 28. & primo metaph. comm. 40. Tertium præsuppositũ sequitur ex secundo, & hoc est, quòd sicut singulare habet duplex esse, scilicet esse uniuersale & commune per formam, & esse particulare & actuale per materiam, ita etiã duplex habetur cognitio de eo, scilicet in uniuersali, & in particulari, si cognoscitur in uniuersali, hoc est ratione formæ, si uerò in particulari, & propriè, hoc est ratione materiæ quæ ponitur in actu per formam, & ut sic dicitur materia secunda. Quartum præsuppositũ, quòd duplex est contradictio, aliquando secundum sermonem, aliquando secũdum rem, ista distinctio habetur ab Auer. in sexto phys. commen. 19. ubi dicit quòd aliter Philosophus soluit rationem Zenonis in sexto physi. & aliter in octauo physic. Et amplius notandum est quòd contradictoria ut patet primo elench. ca. proprio sunt falsa & impossibilia respectu eiusdem eodem modo considerati, sed non respectu diuersorum & diuersis modis consideratorum. His præsuppositis intellectis, facilè intelligitur quod dicit Auer. in responsione ad sophisma antiquorum quando dicit. {Huius autem solutio est,} idest responsio ad sophisma antiquorum talis est, quia aliquis poterat respondere ipsis sophistis, quód sciebat ipsum triangulum {alicunde,} idest in uniuersali, & in potentia: & ignorabat {aliunde,} idest in particulari & in actu: antequam sibi {detegeretur,} idest manifestaretur. & quando dicit {idest sciueram illum} exponit se ipsum, ut clare patet. Hanc eandem responsionem dat Auer. prolixioribus tamen uerbis ibi, quando dicit {Diceretur enim Sophis-

stis

ftis. {Et ea quæ diximus in præsuppositis facillime applicari possunt ad uerba Auer. & quando dicit Auer. {& nõ scimus & ignoramus ipsum undiq;} nota quòd Auer. dicit non esse inconueniens ipsum triangulum sciri & ignorari diuersis modis, sed bene implicat contradictionem quòd sciatur, & ignoretur {undiq;,} idest eodem modo, quoniam ut dictum est in ultimo præsupposito, contradictoria non possunt uerificari de eodem, eodẽ modo considerato, sed diuersis modis. {undique} exponitur, à Burana, idest ex parte una. & dicere ex una parte, idest eodem modo, ut diximus. Deinde dicit. {& dixit, quonam pacto possumus scire} nunc reuertitur ad textus expositionem, & quia facilis est intellectus uerborũ Auer. ideo non opus est ulteriori expositione. & aduertas quòd illud quod dictum est circa expositionẽ sophismatis antiquorum, deseruiet tibi pro expositione tex. sequentis, ad intelligendum cauillum sophistarum de dualitate quòd sit par, & quia aliquis dixit Auer. uotum esse quòd Arist. in hoc tex. quarto soluat sophisma antiquorum, ideo notabis quòd Auer. mos est, præuenire & soluere ea quæ ab Arist. in sequentibus textibus afferuntur, ut multis in locis suarum elucubrationum patet, quamobrem non mirum est, si in hoc comme. quarto Auer. sophisma, eiusq; solutionem afferat. & de iis hactenus.

Sin autem non, quæ in Menone dubitatio est, contingit, aut enim nihil discet aut quæ nouit, non utique (ut quidam conantur soluere) dicendum est, nunquid scinisti omnem dualitatem quoniam parem aut non dicente autem, attulerant aliquam dualitatem, quam non opinatus est esse: quare neq; parem. Soluunt enim dicentes non cognoscere omnem dualitatem, parem esse, sed quam sciunt quòd dualitas sit.

Postpositis modernorum nugis tex. iste in hunc modum ad præcedentẽ continuandus uenit, quòd postquam Arist. in præcedenti tex. posuit illam distinctionem, quòd idem potest sciri in uniuersali, & ignorari in particulari, nunc intendit probare talem distinctionem esse ueram. sed dices quomodo probat eam esse ueram? dicitur quòd hac ratione quia inditium sermonis ueri est, ut soluat dubia. sicut optimè dixit Auer. primo phys. comm. 31. & quarto phys. comm. 31. octauo phys. comm. 22. primo de anima commen. 11. 12. secundo de anima commen. 12. & 22. & primo cœli commen. 81. quòd sermo uerus quidditatiuus, seu demonstratiuus debet soluere omnes quæstiones contingentes in re. & nota quòd Arist. uult quasi sic arguere ad probandam ueritatem illius distinctionis: ille sermo est uerus, quo non posito sequitur dubium, & quo posito soluitur dubium: sed non posita illa distinctione, sequitur dubium, & ea posita soluitur: ergo illa distinctio est uera. & aduertas quòd huius syllogismi maior explicatur ab Aristo. in tex. & ideo dicit. {Sin autem non,} idest si non ponitur & conceditur talis distinctio tanquam uera, tunc {contingit.} idest sequitur dubitatio. {quæ est in Menone,} idest in eo libro Platonis, qui Menon inscribitur. & addas extra textum, sed ad positionem talis distinctionis soluitur dubitatio Platonis in Menone, ergo talis distinctio est. Et nota quòd textus Auer. dicit. {ambiguitas} & non ab re talis dubitatio dicitur ambiguitas, quoniam ut patet primo cœli. t. 10. nomen multiplex & non diuisum in sua significata uera uel falsa, facit intellectum ambiguum, cum ergo in dubitatione Platonis in Menone sit fallacia in æquiuoco, meritò ambiguitas nuncupatur. & quando dicit Arist. {aut enim nihil discet, aut quæ nouit} uult sic dicere, quòd ex dubitatione Plat. in Menone, duo sequuntur falsa, primum est, quòd aut nihil sciatur simpliciter & ideo dicit {aut enim nihil discet} sicut Heraclitus & Cratilus opinati fuerant: secundum est, aut addiscitur quod prius notũ fuit. sicut Plato tradidit, & ideo dicit {aut quæ nouit} Sed si quæres qua ratione Menon ex dubitatione probabat horum duorum alterum sequi? dicitur quòd Arist. non explicat eam in tex. & causam assignat Auer. in commento, quare eam subticuit Arist. quia eius tempestate satis erat uulgata & nota ratio illa Platonis in Menone apud eos. & aduertas quòd multi expositorum hallucinati sunt sibimet persuadentes per eam dictionem nihil discet Aristo. intelligere, idest inuenire, non enim Aristo. sermo est in hoc lib. cum loquitur de doctrina seu disciplina, nisi de iis, quorũ uerè habetur doctrina & disciplina, cuiusmodi sunt uniuersalia, at inuentio est singularium, ergo per discere, non intelligit inuenire: sicut etiam supra diximus in tex. tertio contra Philoponum, eiusq; sequaces. Et si dices quænam sit ratio illa Menonis, respondet Auerroes in cõm. quòd talis est illud quod tu quæris scire, aut est tibi notũ, aut est tibi ignotum; si est tibi notum, ergo frustra & otiose quæris scire, quoniam quærere quod habes, otiosum est & frustratorium apud naturam, & artem: si uerò est tibi ignotum, tunc quæris scire impossibile, & probatur quoniam illud quod est omni modo ignotum non potest, inueniri; & si inuenitur, non cognoscitur; & tunc non potest sciri: & sic de primo ad ultimum, si quæris scire ignotum, quæris scire impossibile: & adducitur exemplum à Menone, de seruo aufugiente, ad probandum ignotum non posse sciri, ut dicit Auer. in commen. quoniam qui quærit seruum aufugientem, omnino ignotum, etiam nomine, & si ei occurrerit non cognoscet eum, ergo signum est, quòd omnino ignotum non potest sciri. hæc est dubitatio Menonis ut refert Plato. Et aduertito, quòd modernus quidam expositor male intellexit tex. hunc, & dubitationem Menonis dicens quòd Menon, inuentionem tantum cauillauit, & nõ ipsum scire quod sit doctrina uniuersaliter disciplina, quòd enim hic errauerit, patet, tum quia Arist. intentio non est loqui de inuentione, ut etiam supra diximus, cum etiam quoniam Menon in sua dubitatione, ista duo falsa intendit cõcludere destructiuè, primo quòd non datur scientia per reminiscentiam, & ideo dicebat, quòd frustra & otiose quæritur notum, & secundo quòd non datur scire de nouo, & ideo dicebat, quòd ignotum non potest sciri, & est impossibile sciri, & per consequens dicitur, quòd Menonis dubitatio, utramque opinionem destruit, scilicet Platonis & Aristotelis, & nõ omnes hoc uiderunt. Si quæres quomodo respondebat Plato huic rationi Menonis? Dicitur quod infra narrabitur responsio Platonis in expositione commen. & explicabitur causa, ob quam Plato scire nostrum esse quoddam reminisci dicebat, & quomodo etiam Arist. respondeat declaratur ab Auer. in commen. ubi uidebitur differentia inter responsionem Platonis & Aristo. ad soluendam dubitationem Menonis, unde reuertamur ad textum Arist. Dicit. {Non enim utique (ut quidam conantur soluere) dicendum est} uidetur quòd hęc sit secunda pars huius tex. in qua Arist. antequam suam applicat distinctionem pro respõsione, primo ponit solutionem quorundam antiquorum ad sophisma Sophistarum & simul declarat, quod erat sophisma ipsorum. Sed dices qui erant hi sophistæ? quibusdam placet quòd ii fuerint Heraclitus & Cratilus ex academicorum secta, qui eorum sophismate ipsum scire quod est doctrina uel doctrinam, destruere nitumtur: adducit autẽ philosophus quorundã antiquorũ responsionẽ ad illud sophisma, & non ob aliud, nisi ad cõfirmandum suam responsionem ueram esse. Et aduertito quod uidetur coincidere sophisma antiquorum, cum dubitatione Menonis, & huius opinionis fortassis est Auer. & quòd coincidant, apparet ex hoc, quia Arist. responsio

(ut dicetur in expositione tex. sequentis) soluit utrunque dubium, scilicet Menonis & sophistarum. differunt quoq; quoniam dubitatio Menonis plurium destructiua est, negat siquidem scire per reminiscentiam, & scire de nouo, ut supra enucleauimus: at sophistarum sophisma scire de nouo maximè destruere uidetur, ut dicemus. & licet differant, attamen etiam conueniunt, quia ambo scire destruunt, unde cum conueniant & differãt, potest saluari diuersitas opinionum, an sint duo dubia, uel tantum unum. Et quum dicit Aristo. {non utique dicendum est,} scilicet secundum ueritatem & artem ad sophisma sophistarum, sicut {quidam conantur soluere} dices quod erat sophisma antiquorum? respondet Arist. in tex. & dicit {unde quid sciuisti omnem dualitatem parem? {quærebant, sophistæ à respondente an sciret istam uniuersalem, quòd omnis dualitas est par; uel nesciret. & nota quòd per istam uniuersalem, intelligit Arist. omnem uniuersalem, possibilem dici, à respondente sciri, & de ea scientiam uel doctrinam haberi. {Dicente autem} idest ipso respondente affirmante se scire illam uniuersalem, quòd, scilicet omnis dualitas est par: {attulerant aliquam dualitatem, quam non est opinatus esse quare neque parem} idest statim manifestabant & detegebãt ipsi respondenti aliquam dualitatem, quę prius erat absconsa in manu, & dicebant, ipsi respondenti, tu ignorasti hanc dualitatem esse parem antequam tibi manifestaretur, ergo nesciebas istam uniuersalem, quòd omnis dualitas sit par. sed dices quo modo probatur ista consequentia, tu non scis hanc dualitatem esse parem, ergo nescis istam uniuersalem, quod omnis dualitas sit par? dicitur quod licet Ari. non probet in tex tamẽ potest probari per ea quæ ipse docuit in secundo priorum cap. 26. scilicet in capito. de instantia, ubi dicit quod particularis contradictoria uera destruit uniuersalem, & sic est in proposito, tu nescis istam dualitatem esse partem, ergo nescis uniuersalem, quod omnis dualitas sit par, & similiter ualet, tu nescis Sortem currere, ergo nescis uniuersalem quod omnis homo currit. hoc etiam declarauimus supra in expositione commen quinti, & sic ipsi sophistæ de primo ad ultimum concludebãt in eorum sophismate, quod cum respondens nesciat uniuersalem, scilicet omnis dualitas est par, quia nescit istam particularem, scilicet hanc dualitatem absconsam esse parem, sequitur non dari scientiam. & amplius ipsi sophistæ inferunt ut dicit Auer. supra in commen. quinto, quod idem erit scitum & non scitum, & si idem erit scitum, & non scitum, tunc duo contradictoria uerificabũtur de eodem, quod falsum est & impossibile. Nota pro intellectu horum uerborum in tex. {quam non opinatus est esse, quare neque parem} quod Aristo. facit hanc consequentiam, in iis uerbis, tu non opinatus es esse, scilicet dualitatem, quare neque opinatus es esse parem. Sed tu dices, quomodo sequitur hęc consequentia? Dicitur quod sequitur ex eo quod docuit Arist. supra in tex. secundò ubi dixit quod esse est pręcognitio necessaria omni doctrinę & sic uult dicere Aris. in tex. quod si non præsupponitur esse de dualitate, neque etiam cognoscetur de ipsa quod sit par. hoc etiam exemplo isto declaratur, quod si non præcognoscitur esse de Sorte, neque etiam cognoscetur de ipso quod sit risibilis, aut albus. similiter intelligi debet de ipsa dualitate, quod non cognoscitur esse subiecti, neque cognoscetur prædicatum inhærere subiecto. patet igitur consequentiam Arist. esse bonam uirtute eius regulæ traditæ supra tex. commen. secundo, quandocunque de aliqua re ignoratur esse seu existere, tunc ignorantur omnia prædicata de ipsa re, & quando dicit. {opinatus} aduerte quod opinio (ut patet secundo de anima cap. de phantasia) est habitus intellectus mediante cogitatiua qua singularia existere cognoscuntur. Dixit igitur. {opinatus} referendo ad existentiam singularũ, & ideo quando dicitur in tex. {esse} capitur pro existere, & sic exponenda ueniunt ista uerba Arist. & non eo modo, quo ferè omnes interpretantur. Hucusq; patet declaratum sophisma sophistarum restat ut uideamus solutionem quorundam antiquorum ad illud sophisma, & ponitur ibi {soluunt enim dicentes non cognoscere omnem dualitatem parem esse} Pro intellectu clariori huius solutionis antiquorum notandũ quòd bifariam cõtingit scire istam uniuersalem omnis dualitas est par, nempe, aut absolute, aut cum conditione. tunc scitur cum conditione quando sic dicitur, ego scio omnem dualitatem esse parem cum ista conditione, scilicet quam scio esse dualitatem; & scitur absolute, quando non ponitur illa conditio. stante hac distinctione, antiqui soluebant. quòd conclusio debet inferri non absolute seu simpliciter, sed debet inferri cum conditione illa, scilicet quam scio esse dualitatem, & sic antiqui respondent, quòd ideo dualitas absconsa in manu ignoratur, quia erat ignota quòd sit dualitas, uam ipsi uolunt quòd uniuersalia sciatur cum conditione, ut supra dictum est ego scio omnem dualitatem esse parem, quam, scilicet scio esse dualitatem, & dualitatem illam absconsam in manu, dicunt quòd non est particularis illius uniuersalis, quia non scita est, quòd sit dualitas. & ideo dicit. {sed quam sciunt quòd sit dualitas,} idest cum ista conditione, dicunt scire illam uniuersalem, & non absolute, & simpliciter. & quum à sophistis probatur illa consequentia, quòd, scilicet particularis non scita, destruit uniuersalem scitam, respondent antiqui quòd illa particularis, nõ est particularis illius uniuersalis, quoniam uniuersalis est cum conditione, & illa particularis est sine conditione. Hæc sufficiant circa tex expositionem. superest more solito exponere commentum.

Commen. 5.

Dixit, & nisi omnia quæsita poneremus.} In hoc cõm. derelinquens Auer. continuationem tanquã facilem duo facit. primo incipit exponere tex. secundo in ultima uerbis ponit continuationem sexto tex. ibi dicit. {cum significasset} quæ continuatio non fuit posita in principio comm. sexti, fortassis ex incuria atque socordia malè diuidentis hos magnos commentarios Auer. In prima parte circa tex. expositionem multa scitu digna interposuit, declaransq; discrimen inter Arist. & Platonis opinionem de ipso scire, in principio commen. {Dixit, & nisi omnia quæsita} dicit ad aures Arist. quòd omnia quęsita scibilia, sunt {huius dispositionis,} idest conditionis antequam uerè sciantur quòd sunt nota. {ex parte uniuersalis dispositionis, } idest prædicati uniuersalis, & sunt ignota. {ex parte propriæ dispositionis,} idest actualis, & particularis conditionis, & concludit Auer. exponendo tex. nostrum {sin autem non} quòd si omnia quæsita scibilia non essent talis conditionis, ut diximus, tunc Menonis ambiguitas, seu dubitatio concluderet hominem, aut nihil, aut scire ea quæ prius sciuit, & Auer. causam assignat quare Arist. subiicuit dubitationem Menonis, quia erat apud eos uulgatum, idest tempore Arist. erat nimis famosum. tale dubium quod Auer. format hoc modo, & dicit. {Sic tamen fuerat,} idest hoc erat dubium Menonis, quoniam quod tu quæris scire, aut est tibi notum, aut ignotũ, ut diximus in expositione tex. si notum, ergo frustra quæris, si uero ignotum fuerit, tunc non poteris cognoscere eum, etiam si ipsum offendis, idest inuenias, licet præter opinionem, & adducit de seruo aufugiente exemplum, quod ad sensum patet, & dicit Auer. quòd Menon {tali argumento,} idest dubitatione seu ambiguitate, intendebat destruere {disciplinam,} idest ipsum scire, tam, scilicet scire de nouo, quam scire per reminiscentiam ut supra diximus. Sed tu dices quomodo respondebat Plato huic dubitationi

Menonis?

Menonis? Respondet Auer. & dicit {Plato autem ex hoc argumento.} Pro clariori intellectu responsionis Platonis, quædam necessario notanda ueniunt. primum est, quòd opinio Platonis de ipso scire talis est, quòd scire nostrum est reminisci, & quòd disciplina & rememoratio idem sunt, ut patet secundo de anima cõm. 58. & tertio de anima comm. 20. idem habetur septimo phys. tex. comm. 20. primo metaph. 48. & 49. & septimo metaph. comm. 58. & dicit Auer. quòd ex hoc Plato credidit, quòd disciplina & rememoratio sunt idem. quia idem est scitum in magistro, & discipulo, ut patet tertio de anima comm. quinto, propè finem commenti. secundum est hoc, quòd ideo Plato uoluit scire nostrum esse reminisci, quia credidit animam rationalem de nouo creari simul cum scientiis, & artibus omnibus: dicebat enim Plato quòd anima nostra erat plena intelligentiis, idest scientiis omnibus, antequàm uniretur corpori, deinde per eius unionem ad corpus, ipsa obliuiscitur omnium scientiarum, & artium, propter materialitatem, corporalitatem, & feces quibus est admixta: & dicebat Plato quòd per exercitium & studium iterum in memoriam reuocamus illas artes, & scientias, & sic addiscimus ea quæ prius nouimus, idest eas artes, & scientias, quarum anima nostra oblita fuit per eius unionem ad corpus: & hoc totum explicare uoluit per hæc uerba quando dicit. {Plato ex hoc autem argumento, asserebat disciplinam esse reminiscentiam} Ex quibus declaratis colligitur resoluta & distincta respõsio Platonis ad dubium Menonis, & talis est, quum arguebat Menon, scire quod tu quæris, aut est tibi ignotum, aut notum, Respondet, Plato, quòd est notum prius & quum replicabat Menon quòd si est notum, tunc est otiosum, & frustra quæritur, quia quærere quod habes, frustra quæris. respondet Plato, quòd quæritur scire illud, quod prius fuit notũ, idest antequam anima uniretur corpori, & post unionẽ, anima oblita fuit illius, quod sciebat, & per exercitium quærimus scire illud, quod prius fuit notũ, & hoc fit per reminiscentiam, & non dicitur scire de nouo, sic respondet Plato ad dubium Menonis, ut Auer. innuit per hæc uerba, {sicque concedat, scilicet Plato, quæsitum esse præscitum, scilicet ante unionẽ animæ ad corpus prius quàm sciatur} Et uult dicere Auer. quòd Platonis opinio hæc est, quòd illud quod quæritur scire, fuit notum, & non dicit, quòd est notum, nam si esset notum dum quæritur, tunc frustra quæreretur, quoniam quærere quod habetur, est otiosum, & sic dubitatio Menonis non concludit contra Platonem. Sed dices, quomodo Aristo. respondet ad dubitationem Menonis? Auer. declarat responsionem Arist. in his uerbis. {Notum enim est, quòd quæsitum naturaliter ignotum.} Et uult dicere Auer. quòd Arist. responsio ad Menonis dubium talis est, quum dicebat, illud quod quæritur, aut est notum, aut ignotum, respondet Arist. quod est ignotum, sed non simpliciter ignotum, idest omnimodo ignotum, sicut credebat Menon. nam est notum in potentia, & ignotum in actu, & in propria forma. & sic Auerroes concludit respondendo pro Aristo. {Quare modus solutionis huius argumenti est} Vt dicatur ad dubitationem Menonis, quòd si illud quod quæritur esset {simpliciter,} idest omnimodo, {& undique,} idest ex omni parte, tam in actu, quàm in potentia ignotum {non esset iter quo cognosceretur,} idest tunc nullo modo posset cognosci & sciri, & dicit. {ac etiam si esset,} idest si esset tale quæsitum simpliciter notum, idest omnimodo. {incassum addisceretur,} idest frustra & in uanum sciretur, sicut si quæras habere, quod simpliciter & omnimodo scis, frustratorium est, sed notum est dicit Auer. {aliunde,} idest ex parte {dispositionis continentis ipsum,} idest uniuersalis prædicati, quod ipsum continet in potentia, & est {aliunde ignotum,} idest in particulari & actuali dispositione., & si dices qua parte inuenitur illud quod quæritur? respondet Auer. quòd ex illa parte inuenitur illud quod quæritur. qua est notum, sed est notum in potentia seu uniuersali, ergo inuenimus illud in potentia, & in uniuersali, & hoc est quod dicit Auer. quum dicit. {dum ipsum offendimus,} idest inuenimus illud quod quærimus scire: {ob eam partem,} idest ex eadem parte & per eandem uiam per quam est nobis notum, & talis uia seu modus cognoscendi est in uniuersali, & in potentia. Et si dices quid intelligit Auer. per quæsitum naturaliter ignotum? Dicitur quòd est insensatum ut diximus primo priorum cap. primo. Hactenus de commento, residuum clarum est, propterea nõ opus est expositione. Hic aduertendum quòd ex hoc comm. sole clarius habetur aduersus sciolos quosdam quòd scire nostrum non est reminisci secundum Arist. & Auer. ut falsò putant, & pro hoc uide Auer. in sua media expositione in primo poster. in commen. secundo & septimo metaph. commen. 58. & primo metaph. commen. 48. 49. & sexto phys. comm. 59. & quamuis Auer. dicat in tertio de anima secundo, quòd Platonis opinio. & Themistii antiquorum expositorum fuit, quòd intellecta existentia in nobis, sunt æterna, & quòd addiscere sit rememorari, tamen non dicit quòd Arist. & ipse fuerint huius opinionis, ut hi perperam exponunt Auer. Placet quoque ad uberiorem doctrinam perlibrare, ea quæ dicit Auer. in nono metaph. commen. 14 circa Menonis dubitationem destruentem scire & addiscere, ubi uidetur Auer. alio modo formare famosam illam dubitationem Menonis quam formauerit & exercuerit in hoc commento quinto. Sed dices quomodo Auer. format eam in nono metaph. Pro intelligendo illo modo, duo sunt animaduertenda quæ Auer. refert ibi ex placitis Menonis. primum est, quòd doctrina est quidam habitus, qui non fit nisi ex frequẽtato actu illius habitus, ut habetur secundo ethic. cap. primo. secundum est, quòd actus ipsius habitus, non fit nisi per ipsum habitum. tunc stantibus hisce præsuppositis arguebat Menon: si aliquid addiscitur, hoc erit per aliquem actum, uel si non fit per aliquem actum, tunc non fit addiscere, quoniam doctrina non fit, nisi per aliquem actum suum proprium, ut patet per primum præsuppositum: si uerò fit per aliquẽ actum, tunc nõ fit: nisi per actum illius habitus, ut patet per secũdum: unde si fit per actum illius habitus, sequitur quòd qui addiscit doctrinam, uel habitum, habet doctrinam & sic simul habet doctrinam, & non habet doctrinã: & probatur hoc quod simul habeat, & non habeat: habet doctrinam quia addiscit doctrinam per actus illius doctrinæ, & non habet doctrinam, quia addiscit eam de nouo: sed habere doctrinam, & non habere doctrinam sunt cõtradictoria, & contradictoria non possunt uerificari de eodem simul; ergo de primo ad ultimum ut non deoturistæ contradictoria de eodem simul, concludebat Menon non posse aliquid sciri & addisci. Hæc est dubitatio Menonia ut format eam Auer. in nono metaph. comm. 14. ex qua declaratione apparet error Suess. qui perperam citat Auer. in nono metaph. circa formationem dubitationis Menonis. Superest solutionem afferre, quam Auerro. innuit ibidem, & pro faciliori intellectu responsionis ipsius Auer. notandum est ut patet secundo ethic. cap. primo, oẽs habilitates & potentias actus, generari & mittari, à natura, cõpleri uero in actu per habitum artis: & hoc præhabito respondet Auer. quòd addiscere non fit ex operibus artis, sed ex operibus factis naturaliter, scilicet ex potẽtia, & habilitate naturali sine arte, ab eodem postea habitu artis fiunt actus idem subiecto, & differẽtes ratione, nam fiunt artificiales & recti per artem, hoc modo soluit Auer. loco supradicto dubitationem Menonis ad aures Aristo. poterit modo iunior comme. illud. 14. nono metaph. quàm facile intelligere, simulque Suess. errorem non rectè locũ illum exponentis comprehendere ualebit.

Attamen sciunt quidem id cuius demonstrationem quidem habent, & cuius acceperunt, acceperunt autem non de omni, de quo utique sciunt q numerus sit, sed simpliciter de omni numero, & triangulo, neque enim una propositio accipitur eiusmodi quòd quem tu nosti numerum, aut quem tu nosti rectilineum: sed de omni, sed nihil (ut opinor) prohibet, quod quis discit, sit uti scire, sit autem ut ignorare. inconueniens enim non est, si scit quodammodo, quod discit, sed si hoc modo, ut discit, sic etiam sciat.

Vbi Arist. probauit in tex. quinto illam distinctionem esse ueram ea ratione, quia soluit dubia contingentia, ut etiam magis eius ueritatem confirmaret, quorundam antiquorum ad Menonis sophistarumq; dubia solutionem posuit, nunc in hoc tex. illorum solutionem reprobare intendit, unde ueritas suæ responsionis magis innotescet. Et notandum quòd secatur tex. iste in duas partes, in prima antiquorum responsio impugnatur, in secunda ibi. {Sed nihil ut opinor} ueram & propriam ponit Arist. solutionem. Et antequam declaretur impugnatio Aristo. contra solutionem antiquorum plura prælibanda sunt. Primum est, q unam tantum erigit rationem Arist. aduersus solutionem antiquorum, & non duas, ut quã plurimi latini exponunt, & præsertim Suess. qui exarauit, duas Aristo. facere rationes, unam posterioristicam & alteram prioristicam, quod falsum esse apparebit ex text. expositione, ubi tantum una explicatur ratio & prioristica, non enim entia multiplicanda sunt absque necessitate. Secundum tale est, q regula est ex Aristo. primo priorum cap. 35. & 36. q reduplicatiua conclusio cum conditione determinata, non sequitur, nisi præmissa fuerit sumpta prius cum eadem conditione determinata, & huic regulæ astipulatur illud quod dixit etiam Aristo. 1. priorum cap. 17. & 19. q conclusio debet assimilari alicui præmissarum. Tertium est, & sequitur ex hoc secundo, q oppositum reduplicatæ & conditionatæ conclusionis uel propositionis, est ipsum simpliciter, & causa est quia. 1. elench. cap. proprio, simpliciter nil aliud est, quã uniuersaliter sine conditione determinante. & secundum quid, nil aliud est, quàm particulariter cum conditione determinata, unde conditionata conclusio uel propositio, dicitur secundum quid, & conclusio uel præmissa sine conditione sumpta, dicitur simpliciter. Quartum præsuppositum hoc est, q habere seu accipere demonstrationem, ut dicit Aristo. in tex. non est aliud quàm conclusionem ex acceptis præmissis habere notam & scitam nam scientia est habitus conclusionis per demonstrationem acquisitus, ut dicemus infra, & Arist. etiam hoc idem retulit in 6. ethic. cap. 4. Tunc stantibus his præsuppositis, formatur sic ratio Arist. cõtra solutionem antiquorum: eo modo debet inferri conclusio ex præmissis in demonstratione, quomodo præmissæ accipiuntur, & sciuntur in demonstratione: sed præmissæ accipiuntur & sciuntur in demonstratione, absque conditione aliqua, & simpliciter. ergo & conclusio debet inferri simpliciter, & non cum aliqua conditione. Et aduerte q huius syllogismi, ponit minorẽ expresse ibi, quãdo dicit. {acceperunt autem non de omni.} Et ponit probationem minoris ibi, quando dicit. {neque enim una propositio} tacet maiorem, & explicat declarationem ipsius maioris, ibi quum dicit. {attamen sciunt quidẽ id.} Et notandum q quando dicit. {cuius demonstrationem quidem habent, & cuius acceperunt.} hæc duo differunt scilicet demonstrationem habere. & demonstrationem accipere: nam habere intelligitur in actu post demonstrationem, & accipere significat cum actu demonstramus. Et non placet eorum expositio, qui per habere intelligũt doctrinam, quam ex nobis ipsis habemus, & per accipere exponunt doctrinam, quam, a doctore accipimus: quoniam Aristo. non loquitur hic de doctrina inuentiua, cum respiciat singularia quorum nec demonstratio, neque definitio habetur ut patet. 7. metaphy. tex. cõ. 53. & 35. sicut etiã supra diximus in expositione tex. 3. contra Philoponum. Et scito, q per {id cuius demonstratio habetur} intelligitur conclusio per quam habetur scientia, quoniam ut supra diximus, sciẽtia est habitus conclusionis, per demonstrationem acquisitus. & quando dicit in minori. {acceperunt autem non de omni} exponitur sic, præmissæ non accipiuntur {de omni}. i. de omni illo, de quo. {sciunt}. i. habetur scientia cum cõditione aliqua, & ideo dicit. {quòd triangulus. aut q numerus sit. s. cum conditione, {sed simpliciter}. i. uniuersaliter seu absolutè, {de omni numero & triangulo} accipiuntur præmissæ. Deinde quum dicit. {neque enim una propositio} in his uerbis ponitur probatio minoris, & dicit q nulla præmissa accipitur cum conditione. {sed de omni}. i. uniuersaliter & simpliciter accipiuntur ambæ præmissæ, ut patet. Et nota pro intellectu huius dictionis. {neque} ut Arist. docuit secundo periher. q negatio preposita facit æquipollere suo contradictorio, & sic quum dicit. {neque enim una propositio} exponitur sic, i. nulla propositio seu præmissa, sumitur cõditionaliter, sed simpliciter & absolute. quamobrem cum claudit Arist. neq; ipsa conclusio conditionaliter debet inferri, sed simpliciter & absolute: & maior supradicti syllogismi probatur ex secũdo & tertio præsuppositis superius declaratis. & sic patet ratio Arist. contra solutionem antiquorum, qualis fuerit, & quomodo erigi debet in formam prioristicam, & dicãt alii quicquid eis libuerit. {Sed nihil (ut opinor) prohibet.} Hæc est secunda pars huius textus, in qua Aristo. postquã antiquorum reprobauit solutionem suam ueram, & propriã apponit solutionem, nedum Menonis dubitationem, uerum etiam sophistarum sophisma soluentem. Et scito, q Aristo. antequam soluat primo ponit fundamentum solutionis, rememorando supradictam distinctionem: & secundo ex fundamento soluit. Pro fundamento solutionis dicit. {Sed nihil (ut opinor) prohibet, quod quis discit, sit ut scire, sit autem ut ignorare} dixit (ut opinor) philosophica modestia utens, quasi diceret, ego & non antiqui, autumo sic respondendum fore, q {nihil prohibet} idest necessarium est, illud quod addiscitur ex aliqua prænotione fieri. & replicat distinctionem, dicens {quod quis discit} idest illud quod de nouo quæritur sciri {sit} idest contingat {ut} idest aliquo modo sciatur. s. in potentia & in uniuersali. {sit autem} idest & illudmet contingat ignorari {ut} idest aliquo modo in actu, & in particulari: & posita hac distinctione pro fundamento dat formalem & distinctam solutionem ad dubium Menonis dicens {inconueniens enim non est} idest non est absurdum dicere, q illud quod aliquis {addiscit} idest de nouo {si scit quodammodo} idest quod sciuerit in potentiã, immo hoc est necessarium quia ut dictum est supra, textu secundo, omnis disciplina ignoti, fit ex prænotis. {sed si hoc modo} idest sed hoc est inconueniens & absurdum dicere & fateri. {ut dicit} idest illo modo quo aliquis addiscit, nam addiscit in actu & in particulari {sic etiam sciat} idest q eodem modo. s. in actu, & in particulari prius sciuerit, & sic resoluta responsio Arist. ad dubiũ Menonis iam facile cõstat, quum arguebat Menon, quod id quod quæritur sciri, aut est notum, uel ignotũ. Respondet Arist. q illud quod quæritur sciri, est notum & ignotum, est notum in potentia, & ignotum in actu, & nõ est ignotum omni modo. s. in actu, & in potentia: quoniã tũc non posset inueniri & cognosci. eadem quoq; responsione ruit sophistarum sophisma supra in textu quinto declaratum: & hæc expositio tangitur ab Auer. in cõm.

Côm.

Commen.6.

Ecdixit, rem non esse, prout ii opinati sunt. Auerro. in hoc commento. solum exponit tex. dereliquit continuationem, quia eam posuit in fine commen. quinti, ubi sic dicit} Et cum significasset modum illorum solutionis, cœpit notificare modum sui erroris} Et uult dicere Auer. sicut supra diximus circa tex. continuationem, quod post quam Aristote. manifestauit, quæ & qualis erat ad Menonis & sophistarum dubia antiquorum solutio, nunc falsã & erroneam esse illorum solutionem notificare intendit. & quia singula quæque uerba huius cõ. de se patent. propterea sub silentio pertransceunda putauimus. Sed dubitabit iunior sibimet persuadens, rationem Arist. aduersus antiquorum solutionem haudquaquã concludere, & sic probatur, quia datur syllogismus perfectus habens tantũ præmissam absolutam. & inferens conclusionem cum reduplicatione. quoniam ex uniuersali de necessario, & singulari de inesse, sequitur conclusio de necessario, ut patet primo priorum cap. de mixtione. & conclusio erit reduplicatiua, nulla præmissarum accepta cũ reduplicatione, unde in hunc modum arguitur, necessario omne ambulans mouetur, quatenus ambulat: & a simili, sequitur omnem dualitatem scio esse parem, absconsum in manu est dualitas, ergo absconsum in manu scio esse par, si scio uero esse dualitatem. Huius dubitationis facilis est solutio, quod non eadẽ est similitudo, quoniam in maiori huius syllogismi latet reduplicatio, licet non explicetur, nã maior huius syllogismi sic intelligitur, necessario omnis homo ambulans mouetur, quatenus ambulat, Sed maiori syllogismi sophistarum, nulla latet reduplicatio quum dicitur, omnem dualitatem scio esse parem, quamobrem recte conclusit Arist. aduersus antiquos.

Scire autẽ opinamur unũquodque simpliciter, sed non sophistico modo, quod est secũdum accidens: cum causã arbitramur cognoscere, propter quã res est, quoniam illius est causa, & nõ est cõtingere aliter se habere: manifestũ itaq; quòd tale quid ipsum scire est & namq; non scientes & scientes opinantur ipsum sic se habere, uerum scientes habent quoque.

Latini fere omnes ita continuãt quod postq̃ Ari. ostendit necessitatem syllogismi demonstratiui in parte prooemiali, nunc intendit tractare de ipso syllogismo demonstratiuo. Sed grauissimè errant, primo quia pars præcedens istam non est procemium, sed est pars procemii, ueluti demonstrauimus supra in principio huius libri, in quæstione propria, quomodo iste liber habeat procemium particulare. Secundo errant quia Aristot. non probauit syllogismi demonstratiui seu ipsius scire necessitatem, nam munus metaphysici est disputare aduersus negantes primas propositiones. & destruentes scire, ueluti protulit Auerro. in quarto metaphysi. commen. primo. Præterea Aristot. quarto metaphys. a textu secundo usque ad finem quasi probauit ipsum scire esse contra Heraclitum & sequaces, ergo si probauit ibi, tunc non opus erat iterum probare ipsum scire in hoc libro posteriorum quia fuisset superfluum, & frustratorium, quod natura & ars abhorrent, ut patet primo cœli tex. commen. 32. & secundo cœli tex. commen. 50. 59. & commen. 61. & tertio de anima. 45. & secundo physic. 45. in quibus locis habetur quod in natura nihil est ociosum, ergo similiter debet esse in arte, quæ imitatur naturam ut docuit Aristot. quarto meteororum tex. uigesimum octauo, & Auerro. retulit secundo posteriorum commen. 94. & quæsito quarto poster. & primo prior. contra Galenum de quarta figura, quod tunc artes & scientiæ sunt ueræ, cum insequuntur modum naturæ. Tertio errant, non enim ab hoc tex. incipit tractatus: sed, à tex. decimo ut supra demonstrauimus, & dicemus in expositione decimi textus. Quarto errant, præsupponentes Aristotel. uelle loqui de demonstratione, non distinguentes de qua parte demonstrationis, an de materia, uel de forma, & de qua specie demonstrationis: nam peripathetice loquendo sicuti examussim exarauit Auerro. in prologo mag. commen. & primo posteriorum 17. & commen. 55. & alibi etiam, intendit Aristot. in hoc libro dinumerare, omnes conditiones, & indicia præmissarum demõstrationis simpliciter. Philoponus recolligendo quæcunque dixerat a primo textu, ita continuat, quod postquam dictum est, nedum doctrinam & disciplinam fieri ex præexistenti cognitione, sed etiam ipsam inuentionem, & quæ nam sint præcognoscenda & quòd in demonstratione oportet præcognoscere non solum dignitates, sed etiam & datum, & concessum: nunc postremo de demonstratione uult tractare, & dicere quid nam est demonstratio: Sed hanc quoque continuationem peripatheticam non esse ostendimus: tum quia Arist. haudquaquam de inuentione superius locutus est, ut iam contra ipsum Philoponum demonstrauimus in principio tex. secundo, cum etiam quia Aristot. principalis intentio non est in hoc libro tractare de demonstratione, & docere quid nam ea sit, ueluti supra contra latinorum continuationem demonstrauimus: parum enim aut nihil nobis prodest scire quid sit demonstratio, nisi prius sciamus, quæ, quot, & qualia debent esse instrumenta conficientia ipsam demonstrationem. Amplius errauit, quia præsupponit hic incipere tractatum, & confuse dixit Arist. uelle tractare de demonstratione. Ideo hisce & aliis reiectis continuationibus, quas moderni quidam in medium afferre cõsueuerunt, ueram & peripatheticam iuxta Arist. aures continuationem hanc esse dicimus: sed primitus animaduertendum esse diximus, quòd hæc est secunda pars procemii huius libri poste. sicuti iam in principio diximus, & duos complectitur textus septimũ & octauum quæ sic continuantur: postquam Ar. notificauit illam propositionem uniuersalem, omnem, scilicet doctrinam, & omnem disciplinam ex præuia notione fieri, inductione, ut dictum est, & soluit dubia circa ipsam contingentia, quæ erant duo, unum Menonis, alterum sophistarum: nunc uult sumere ex definitione ipsius scire, quot, & quales debent esse conditiones præmissarũ, quæ sunt instrumenta ad ipsum scire. quod est finis. Causa huius continuationis hæc est: quia finis tertio ethic. comm. sexto, necessitat ea quæ sunt ad finem, artifex nanq; non operatur nisi ex fine præcognito, ut ibidem docet Aristo. sed finis præmissarum demonstrationis simpliciter est ipsum scire, nam dixit Aristot. tex. comme. octauo demonstrationem, scilicet simpliciter esse syllogismum facientem scire, & in tex. 9. dixit etiam Arist. quòd syllogismus cum conditionibus illis enumeratis. s. ex ueris. primis, immediatis, & cæt. est instrumentum quod facit acquirere hunc finẽ qui est scire: ergo a primo ad ultimum, quot, & quales sunt conditiones ipsius scire, quod est finis, tot, & tales debent esse conditiones præmissarũ, quæ sunt instrumenta ad ipsum scire. Nũc à more nostro haudquaquam recedentes, antequam ad tex. expositionem accedamus, prius eum diuidendum esse dicimus: & duas in partes secamus: In prima parte ipsius scire definitionem opponit: In secunda parte ibi} Manifestum itaque} manifestat & probat definitionẽ ipsius scire esse optime traditã ex uulgata ratione. Declarata igitur intentione tex. eiusq; diuisione, superest nunc ut tex. exponamus iuxta Arist. placita, & ad tex. deinde ad commenti expositionem accedamus. Primo aũt aduertendũ est quod definitio ipsius scire haudquaquam intelligitur, ni prius eius particulę tã ex parte definiti, q̃ ex parte definitionis plenius exponã-

tur quare non ab re istæ particulæ primitus sunt exponendæ, quia sunt multiplicia significata habentes, & regula est Arist. primo cæli tex. comm. 110. quòd nomen multiplex, & non distinctũ & determinatũ ad uerum & proprium eius significatum, facit intellectum sophisticum & ambiguum, & hoc explicauit etiam primo elench. c. primo, quando dixit, quòd qui nominum uirtutis sunt ignari, decipiuntur. occurrunt ergo decem termini declarandi, quinque ex parte definiti, & quinque ex parte definitionis Primus terminus est, ly {scire} circa quem terminum uariæ distinctiones afferuntur ab expositoribus. Themistius in principio ca. quarto, dicit ꝙ uerbum scire capitur bifariam, latius, scilicet & pressius, scire latius seu communiter dictum dicit Themist. est qualiscunque notitia siue de accidentibus habeatur, siue alia ratione quęsita. & notandum ꝙ Themist. per notitiam quę habetur de accidentibus, intelligit demonstrationem quia, quæ habetur medio accidenti proprio, ut infra dicemus. & per notitiã quæ alia ratione habetur intelligit demonstrationem propter quid, quæ habetur per causam, quæ prior est inesse. scire pressius seu proprie dictum, est, cum causam cognoscimus, & quòd sit uera causa. & hac habita distinctione dicit Themistius quòd Arist. loqui intendit de scire pressius dicto, & non latius dicto. Et ex hac declaratione infertur corrolarium aduersus Paulum Ven. & Apol. falso intelligentes opinionem Themistii, non enim tripliciter secundum Themistiũ capitur scire, sed dupliciter, frustra autem fit per plura quod potest fieri per pauciora. Amplius dicimus Themistium fuisse diminutum in eius diuisione, quia non connumerauit scientiam definitionis, de qua dixit Arist. tex. cõm. 9. si est alius sciendi modus, posterius dicetur, in secundo. l. poster. Philoponus sumit scire pro demonstratione, quia secundum idem est scire, quod hic definitur, & demonstratio. Sed hanc expositionem falsam esse, sole clarius constat: quia scire est finis & effectus demonstrationis, ut primo posterio. tex. comm. octauo, demõstratio est syllogismus faciẽs scire, & sexto ethicorum quarto dicit Aristo. quòd scientia est habitus demonstratiuus, ut in resolutiuis definiuimus si ergo scire est effectus demõstrationis, & effectus distinguitur, a causa, quomodo sumi potest scire pro demonstratione? Recentiores quibus Suess. astipulatur, distinguunt de scire, quòd bifariam esse dicunt. unum est scire proprie dictũ, quod demonstrationem simpliciter, & propter quid amplectitur alterum est scire sophistico modo: & hoc complectitur scire ab effectu, & scire, a uerisimilibus, & scire sophisticum. & dicunt quòd licet scire ab effectu, non sit scire sophisticum, tamen est scire sophistico modo: Sed hi errant absque dubio, quia primo posteriorum commen. 63. demonstratio quia, est scire analogicè, idest demonstratio in communi dicitur analogicè de demonstratione quia, & analogum non solum nomine, sed etiam ratione prædicatur de suis analogatis, ut patet quarto metaph. secundo, ergo demonstratio quia non solum non est scire sophisticum, sed neque etiam potest dici scire sophistico modo. unde Auer. in epit. logic. quæsito. sexto, ubi Auer. probat contra Auicennam ꝙ demõstratio quia, sit demonstratio, & uideto in quæsito nostro de regressu demonstratiuo, ubi quàmplurimas fecimus rationes demõstratiuas aduersus Philop. Suess. & sequaces, quòd demonstratio quia, sit demonstratio. Errat etiam ipse Suessanus, exponẽs per scire, ipsum scire proprie dictũ, quod amplectitur utrunq;, scilicet scire simpliciter, & scire propter quid, nam cum demonstratio simpliciter, & propter quid essentialiter differant, ut patet primo post. commen. 95. similiter scire simpliciter, & scire propter quid essentialiter differunt: & sic nõ est uerisimile quòd per scire simpliciter possit intelligi etiam scire propter quid, ut credidit Suess. & male. Multæ etiam ab expositoribus adducuntur distinctiones de ipso scire, quas breuitati studentes omisimus. Vnde quibuscunq; aliis dicendi modis postpositis: sic nobis dicendum uidetur: ꝙ scire est duplex. s. formatiuum & uerificatiuum, hæc distinctio ponitur ab Auer. in epit. logic. in tract. de rhet. demonst. ubi dicit hęc uerba formalia, partes scientiæ sunt duæ, formatio & uerificatio: & sub aliis uerbis hæc eadem distinctio ponitur ab Auer. in prologo poster. & in primo post. c. 1. scire duplex est conceptiuum, & assertiuum i. definitiuum, & demonstratiuum, scire uerò demonstratiuum adhuc diuiditur, nam sicuti triplex est species demõstrationis, ut patet primo post. c. 95. & in epit. logic. cõm. de demonstratione, ita quoq; triplex est species ipsius scire demonstratiui, hæc cõsequentia tenet ex hoc, quia tertio ethic. cap. 6. finis appropriat & necessitat ea quę sunt ad finem, sed scire est finis demonstrationis, ut supra probauimus, ergo quot sunt species ipsius demonstrationis, tot erunt ipsius scire species: & sic erit scire quia, propter quid, & simpliciter. tũc habitis iis distinctionibus expositionẽ nostram absoluimus duabus conclusionibus: Prima est, quòd Aris. non intendit definire scire definitiuum, quia dicit Arist. ꝙ de illo posterius dicetur. s. in secundo lib. poster. sed intendit definire scire demonstratiuum. Secunda conclusio quòd Arist. nõ intẽdit definire quodlibet scire demonstratiuum, sed tantum illud scire, quòd acquiritur demonstratione simpliciter, & Auer. hoc explicat in cõm. ubi exponit scire simpliciter idest acquisitum demonstratione simpliciter, quæ uerior & certior aliis est. Et quòd Aristo. per scire intelligat scire simpliciter, multifariam probatur. Primo sic, illud scire intendit definire Arist. cuius docet medium quomodo debet esse, sed docet medium ipsius scire, simpliciter; ergo scire simpliciter intendit definire. maior patet, & minor probatur ex hoc primo post. tex. commen. 12. ubi dicit Aristo. quòd medium debet esse nobis notum & natura: sed tantum in demonstratione simpliciter, medium est nobis notum & natura, ut patet primo post. cõm. 108 & secundo cæli cõm. 35. & sexcentis aliis in locis, ergo scire simpliciter, idest scire quod demonstratione simpliciter acquiritur, Arist. definire intendit. Secundo sic arguitur & demonstratiuè Arist. tex. c. 9. infert, si igitur est scire ut posuimus, necesse est demonstratiuam scientiã esse cum illis conditionibus quas ibi numerat. sed scientia cũ illis conditionibus solum uerificatur de scientia demonstratiua simpliciter, ut iam sole clarius cõstat ex proprietate illarũ conditionũ, ergo simpliciter intelligit Arist. tertio sic & iuxta literã Aris. nam cõstrue sic debet litera, tũc opinamur scire simpliciter, unumquodq; ita quòd illa particula, simpliciter, immediate debet legi post ly, scire. & sic intentio Aristo. erit clarissima per eadẽ uerba Arist posita in tex. ꝙ de scire simpliciter est danda definitio. Quartò arguitur ex sectione libri poster. nam secatur prima sui diuisione in proœmium & tractatum. proœmium ut diximus incipit, a primo tex. usque ad tex. decimũ exclusiue, & tractatus incipit, a tex. 10. & usque ad finem primi libri terminatur. & tractatus adhuc in duas secatur partes, secundum considerationem trium specierum demonstrationis, nam prima pars tractatus incipit, a tex. 10. & terminatur usque ad tex. 95. seu usque ad cap. 10. in qua parte Arist. pertractat de demonstratione simpliciter, idest de conditionibus demonstrationis simpliciter, secunda pars tractatur incipit a tex. commen. 95. seu a capit. 30. & usque ad finem se extendit, in qua secunda parte Aristo. pertractat de duabus aliis speciebus demonstrationis, scilicet de demonstratione propter quid & de demonstratione quia. si ergo Aristo. in prima parte tractatus loquitur de demonstratione simpliciter, necessariò dicendum est quòd Arist. intendat definire ipsum scire simpliciter. qualis enim causa, talis effectus esse debet, & istæ rationes uidentur demonstratiuæ, dicant nobis

alis

alii quicquid eis libuerit. Illa particula (autem) non eget declaratione, quia dicit continuationē, & præsertim (ut dicit Philop.) in principio librorum quandoque solet sumi ut dicit diuisionem, ut notat Auer. primo de anima commen. 84. & primo phys. primo, & tertio de anima comm. 16. in hoc loco non dicit diuisionem, sed continuationem denotat. Secundus terminus est, ly {opinamur} dixit hoc modo non certe asserendo, quasi dubitando, sicut est opinio, quæ non est certa, immo per hoc diuiditur contra scientiam, primo poster. cap. penulti. Et notandum pro hoc, ꝙ multæ propositiones topicæ, & demonstratiue sciri possunt, topice sciuntur quando sunt creditæ autoritate omnium, uel plurium uel sapientium, ut primo topic. primo, docuit nos Aristo. demonstratiue sciuntur, quando per causam, per quam impossibile est aliter esse. Amplius notato ex secundo meta. com. 15. quod uulgares male assueti, pessimæ naturæ, imperiti, & inchoantes, magis credunt opinatis, quam scitis, & magis credunt uerbis, quam rationi. Ex quo inferimus, quod Ar. dixit {opinamur} non asserendo certe, quia loquitur inchoantibus, qui magis credunt opinatis, quam ratione dictis. Tertius terminus est ly {unumquodq;} pro cuius intellectu notandum est, ut patet infra com. 25. quod in demonstratiua scientia sunt tria, subiectū de quo demonstratur, & passio quæ demonstratur de eo, & dignitates seu præmissæ per quas demonstratur passio de subiecto. tunc dicimus quod Aris. per {unumquodq;} non intelligit unumquodq; horum trium, sed intelligit passionem, quæ est prædicatum ignotum, & quæritur sciri de subiecto, & Auerroes exponit per unumquodq; singulas res ignotas, quæ sunt quæsita & prædicata. Quartus terminus declarandus est, ly simpliciter. Et aduertito quod in expositione tex. quarti multa ac uaria annotauimus significata huius termini secundum doctrinam Ari. & Auer. quæ si scire cupis illuc recurrito, sed pro nunc sciri uolumus, quod primo elench. cap. proprio, simpliciter, idest uniuersaliter dicitur triplici de uniuersalitate, loci, temporis, & suppositorum, hic capitur simpliciter, idest omni modo, quia omne quæsitum absoluit, ut dicit Auer. primo post. com. 95. omne enim quod quæritur sciri, duobus modis est, secundo poster. tex. comm. primo, aut ad esse, aut ad causam: & quia demonstratio potissima utrunque absoluit quæsitum, unde dicitur dans causam & esse: & lucidissimus Themistius, secundo poster. dixit, hoc enim demonstrationis illius potissimæ ingenium est, ut communi examine utranque absoluat cognitionem, & ut sit, & quamobrem sit: Alias expositiones legito in quæsito de regressu demonstratiuo, quare demōstratio potissima, dicatur simpliciter, secundum Auer. quas omisimus, ne superflui uideremur. Quintus terminus est, ly {non sophistico modo, quod est secundum accidens} Omissa expositione Auer. quam dicemus in comm. pro ueritate notanda sunt quædam. Primum est ꝙ primo elench. t. sophisticum est synonimū apparenti & non existenti, unde apparens sciētia, & non existens, sophistica dicitur. secundum est ꝙ aliud est dicere, scire per mediū quod est accidēs, & aliud est dicere scire quod est per accidens scire, quoniam scire primo modo est ex accidenti conuertibili, & notiori, & analogice cōpetit ei definitio scire, ut docuit Auer. primo post. comm. 95. at scire secundo modo quod est per accidens scire, est scire æquiuoce, solo enim nomine, & sine definitione, sicut omne accidens tale, est æquiuoce tale, & hoc scire per accidens potest esse pluribus modis, uno modo dicitur per accidens scire ut opponitur ei scire, quod est per se; alio modo sumitur scire per accidens, idest per fallaciam accidentis, ut patet primo elenc. capito proprio, & scire sophisticum per accidens tunc est quādo illud quod competit subiecto, credimus prædicato per se inesse, & econtra. tertium notandū ꝙ scire sophisticū, est per accidens scire; probatur, quia per accidens tale æquiuoce tale, ut dictū est: unde bene ualet hoc est scire æquiuocum, ergo hoc est scire per accidens: & sic applicando ad tex. Aristo. dicimus quod Arist. per illam particulam {simpliciter} a suo definito excludit ipsum scire analogum. s. demonstrationem, quia, & propter quid, & per illam particulam, {non sophistico modo quod est secundum accidens} excludit scire æquiuocum, quod est scire sophisticum, & per accidens. Hęc sint dicta circa particulas, & terminos positos ex parte definiti, unde patet quod scire intendat Arist. definire. Superest nunc alios terminos positos ex parte definitionis declarare. unde primus terminus positus ex parte definitionis est ly {causam} qua in re aduertendum est, quod potius Aristot. uoluit dicere causam, & non principium, quia principium est uniuersalius causa, nam principium dicitur de principiis transmutationis, & dicitur de quatuor causis, ut patet quinto metaph. com. quarto, inde sumitur uulgata propositio, quod omnis est causa principium, ut patet quinto metaph. tex. com. primo, sed non omne principium est causa: quia ibidem, principium inter alias significationes sumitur pro principio transmutationis, & motus, unde priuatio principium est sed non causa, aliter essent quinque causarum genera: & sic concludimus quod noluit dicere principiū, non uere facit scire. dixit igitur {causam} quia per istam particulam, non tantum uoluit ponere discrimen inter causam & principium, sed posuit eam, ut faciat differre ipsum scire simpliciter, a scire quia. quod non facit scire per causam, ut patet primo poste. tex. com. 95. & quæsito. 6. sed facit scire per effectum conuertibilem. Secundus terminus est ly, {cognoscere} & dixit cognoscere & non scire, quoniam causæ non sciuntur, nam abiremus in infinitum; principiorum non est scientia proprie, sed appropriate est intellectus; ut omnem igitur amoueret scrupulum, Arist. uoluit dicere, cognoscere & non scire, & mos est etiam eius in initio librorum uti terminis communioribus, sicut fecit in procemio primi metaph. quando dixit omnes homines natura cognoscere desiderant, & hoc est aduertendum contra eorum translationem, qui loco huius dictionis cognoscere, dicunt scire, & callentes græca literas, bene norunt, esse uertendum cognoscere, & non scire. & propter eandem rationem etiam Arist. dixit cognoscere, & non scire in primo phy. tex. com. primo, quando dixit, tunc enim opinamur cognoscere unumquodq; cum causas primas &c. Deinde dicit Arist. {propter quam res est} & dicere tertius terminus declarandus, nota quod Aristot. addidit istam particulam {propter quam res est} ut excluderet hanc obiectionem, quoniam aliquis posset dicere, & dubitare, si tunc scimus cum causam cognoscimus, & cum quatuor sint causæ, ut ipsemet Arist. docuit, secundo phys. tex. com. 28. & secundo poster. cap. de causis, scilicet causa efficiens, formalis, materialis, & finalis, quam igitur istarum causarū oportet nos cognoscere, ut habeamus scientiam? Respondet Aris. & dicit, ꝙ oportet nos cognoscere illam {propter quam res est. i. oportet ut cognoscamus illā causam, quæ est causa formalis, nam per causam formalē uere res est, & fit scire simpliciter. & quod per causam, propter quam res est, intelligitur causa formalis, probatur ex Auer. qui. 7. meta. cō. 87. dicit, quod forma est pars quæ cum fuerit, erit res, materia uero cum fuerit non erit res, & hanc differentiam sumpsit ipse Auerro. a Themistio lucidissimo in paraph. super secundo de anima cap. primo, ubi dicit hoc esse discrimen inter materiam & formam, quia res, a materia habent ut fierent, a forma ut essent: & ratio primi hæc esse uidetur, quia materia est ex quo fit aliquid ut inexistente. ratio uero secundi talis est quia forma sic describitur ab Aristo. secundo de anima tex. commen. secundo, forma est per quam est hoc aliquid. esse igitur appropria-

tur formæ, & fieri materiæ. Themistius etiam in secundo physic. super tex. 51. dicit quamlibet rem, id quod est, habere ex forma, & non ex subiecto, & Aris. secundo de anima tex. com. 37. protulit, quod forma est causa ipsius esse omnibus, materia uero est causa corruptionis, ueluti exarauit Auer. 4. disput. in solut. dub. secundi cum igitur res, a materia habeat fieri, primo phys. 82. & primo cœli 20. & ab agente initium formationis, & ad finem ordinetur, & nulla alia remaneat causa præter causam formalẽ; merito, a primo ad ultimum per causam propter quã res est, sola causa formalis intelligi debet. Et ex hoc textu expresse colligitur, medium terminum esse solam causam formalẽ, ueluti nos sole clarius demonstrauimus in quæsito de medio demonstrationis potissimæ. Aliquis posset aduersus nostram determinationem dubitationem erigere, ꝙ per causam propter quã res est, non solũ debemus intelligere causam formalẽ, sed etiam causam agentẽ, & finalem, ut notauit Auer. primo post. com. 35. & ex consequenti medius terminus in demonstratione potissima, non tantum erit causa formalis, sed efficiens, & finalis, sed pro harum dubitationũ solutione lege quæsitum nostrum de medio demonstrationis potissimæ, ubi quamplura super hoc annotauimus, reliquum nunc est ut ad tex. redeuntes dicamus, quod Arist. per illam particulam {causam} exclusit demonstrationem quia, quæ non a causa, sed ab effectu conuertibili procedit, & per aliam particulam {propter quam res est} exclusit demonstrationem propter quid. quæ ut docet Arist. secundo post. cap. de causis ex qualibet causa demonstratione. Et cum addidit, {quoniam illius est causa} Istam aliam particulam posuit necessariam pro definitione ipsius scire, & est quartus terminus declarandus, pro cuius intellectu notabis, quod aliud est scire rem per causam, & aliud est causam cognitam esse eius causam. potest stare primum sine secundo; stat enim rem scire per causam suam, & tamen non cognoscere, illam esse causam eius, & ideo non est scire, nisi noscatur quod illa sit causa eius. Sed dubitabis quo modo est possibile cognoscere rem per causam, & non cognoscere, illam esse eius causam? Respondetur hoc esse possibile, eo modo quo declarat Auer. in epit. logic. de syllogismo hypothetico, ubi dicit, quod postumus cognoscere præmissas, & tamen non cognoscere eas esse causas conclusionis, quando enim separatim præmissas cognoscimus, tunc non cognoscimus eas esse causas conclusionis; quando autẽ eas coniunctas cognoscimus, minorem, scilicet subsumptam sub maiori, et regulatam per dictum de omni, tunc cognoscimus eas esse causas conclusionis, & conclusionem syllogistice cognoscimus. ita in proposito nostro dicendum est, quod cum cognoscimus rem per causam, non præcognito quod eius sit causa, non scimus rem; cum autem causam, & esse causam cognoscimus, tunc rem ipsam scimus uere, & ideo uoluit Aristoteles addere istam particulam, {quoniam illius est causa.} & si non addidisset istam conditionem, tunc profecto scientia non fieret, sed sophistica deceptio: & dupliciter hoc esset, primo per accidens fallendo, secundo à non causa ad causam arguendo; cum enim causa scientiæ & scientificæ illationis, sit cognitio rei, quæ est causa, & quod sit causa; si opinamur scire rem per causam, non cognito quod sit causa, tunc utique non causa pro causa uteremur deceptione sophistica, & etiam esset deceptio per accidens. Hoc etiam quod. s. oportet cognoscere, quoniam illius est causa, innuit Arist. primo prior. cap. primo dicens syllogismum esse ex prænotis præmissis, & non solum prænotis, sed notis, ꝙ sunt pręmissæ, & causæ ipsius. ita ad tex. applicando dicimus, quod non solum sufficit scire rem per causam, sed oportet cognoscere, quoniam illius est causa, & non ab re Aris. in tex. posuit illud uerbũ {quoniã} nam est signum redditiuũ causæ, qua propriè acquiritur ipsum scire, non enim scire acquiritur ex causa solũ, sed nota quod sit causa. & ex ista declaratione manifestatur error antiquorum & recentiorum expositorum secus hanc particulã declarantiũ, & sic superflua est illa distinctio & frustratoria, quando dicunt ꝙ causæ in essendo sunt bifariam, quædã sunt propinquæ & immediatæ, & quædam remotæ & mediatę, & quod Aris per illam particulam (quoniam illius est causa) intelligat de causa in essendo propinqua, & non remota, non est ad propositum hæc expositio, quoniam si Arist. per causam propter quam res est, intelligit causam formalem, at causa formalis non est remota, sed propinqua: & ideo superflue addidisset, & quoniam illius est causa, idest sic causa propinqua, & non mirum est si hęc particula perperam fuit exposita, quoniam dependet ex falsa expositione superiorum particularum. Aliam deinde ponit conditionem seu particulam necessariam pro definitione ipsius scire, quando dicit. {& non est contingere aliter se habere} & est quintus terminus enucleandus: pro cuius intellectu, scire uolumus, quod ex secundo libro de interpret. negatio præposita contingenti facit æquipollere suo contradictorio. s. necessario esse, cui per negationẽ postpositã sequitur suum contrarium, impossibile aliter esse, uel non esse, & sic uult dicere Aris. quod non contingat aliter esse .i. per causam necessariam oportet esse, & necessario esse .i. impossibile aliter se habere, hæc tenẽt per regulas supra dictas ex. 2. de interpret. & sic hęc tria æquipollent, per easdem regulas, non contingit aliter esse, necessario est sic esse, & impossibile est aliter esse quam sit: & ex hac declaratione sequitur, quod solum causa formalis debet esse causa ad habendũ ipsum scire simpliciter; & ratio est ista quoniam solum causa formalis habet istam conditionẽ, quod impossibile sit aliter se habere, idest quod sit necessaria, quia solum forma est causa rei propria, ut supra diximus declarando particulam, propter quam res est: & cũ sola forma sit causa rei propria, sequitur ꝙ aliæ causæ sunt non propriæ, nam primo top. quarto proprium est conuertibile in existentia, & ideo per se necessarium & ne multis immoremur, dicimus quod Aristo. per istam particulam, seu conditionem. {& non est contingere aliter se habere} hoc uult dicere, quod in definitione scire, non solum oportet cognoscere causam, sed causam propter quam res est, & quod cognoscatur quod illius sit causa: & ultimo requiritur pro completa definitione ipsius scire, quod talis causa sit necessaria, ex necessitate, scilicet quod impossibile sit aliter se habere. Et pro intellectu quomodo debet esse necessaria, aduertas quod necessariũ est duobus modis, distinctio est Auer. primo poste. com. 37. & 44. necessarium essentiale, & necessarium accidentale, & aliis uerbis datur, à Themist. necessarium bifariã est, simpliciter, & secundum quid, & sub aliis uerbis tangi solet ab Auerro. necessarium duplex est, necessarium uniuersaliter, & necessarium particulariter. & sciendum quod sunt synonimę istæ distinctiones: unde quando dicit Auerro. quod datur necessarium essentiale, tu intelligas, necessarium uniuersaliter & simpliciter dictum scilicet ex omni parte, tam ex parte subiecti quam ex parte prædicati, ita subiectum debet esse necessarium prædicato, & sic tunc erit necessarium uniuersaliter & simpliciter, ex omni scilicet parte: per necessarium uero accidentale, seu ut alii dicunt, secundum quid, & particulariter, Auerro. intelligit illud necessarium, quod tantum est necessariũ ex una parte, aut ex parte subiecti, aut ex parte prædicati, & non ex parte utriusque extremi, & exempla utriusque necessarii assignantur ab Auer. nam necessarium essentiale, seu uniuersaliter & simpliciter dictum, est tribus modis, aut definitio tota, aut differentia, aut propria passio, & omnes isti tres modi sunt necessarii essentialiter, uniuersaliter, seu simpliciter, ex parte utriusque

,que

quę extremi, exemplum uero necessariis accidentalis seu secundum quid & particulariter dicti, ponitur ab Auer. primo poster. 37. & 44. ubi dicit, quod ista propositio, homo est animal, est necessaria accidentalis scilicet ex parte unius extremi, & non amborum: nam licet prædicatum sit necessarium subiecto, non tamē subiectū est necessarium prædicato, nam inferiora accidunt superioribus, & sic patet cur etiā dicatur necessaria particulariter, quia tantum secundum unam partem, seu secūdū unum extremum propositionis, & Auer. in epit. logic. in quæsito tertio & quarto logic. aduersus Alpharabiū exclusit ipsum genus non esse necessarium & primū prædicatū, quia non conuertibile. & quia definitio & differentia, & proprium sunt conuertibilia, ideo dixit ea esse uera necessaria & prima. ex qua sententia Auer. colligitur, quod necessarium essentiale est conuertibile, & necessarium accidentale non est conuertibile: tunc habita hac distinctione dicimus quod cum sola causa formalis sit necessaria conuertibiliter, sequitur quod Arist. per causam, quæ impossibile est aliter se habere, intelligat causam formalē. Et aduertas ꝙ non omnem causam formalem intelligit quia genus significat formam uniuersale. & differentia est forma particularis apud Aristo. ut retulit Auer. septimo metaph. comm. 43. & primo metaph. 17. & octauo metaph. cōm. 6. & secundo phys. cōm. 28. & cōm. ultimo, & cum forma uniuersalis significata per genus non sit necessaria conuertibiliter, (ut probauimus) sequitur quod non est illa causa formalis, de qua hic intelligit Arist. quod impossibile sit aliter se habere, sed tantummodo intelligit formā particularem, idest differentiam specificam, a qua res habet ut sit, ut iam enucleauimus, & ex ista declaratione huius conditionis manifestatur etiam error expositorū quorundam, qui dixerunt, quod ista particula {non est contingere aliter se habere} refertur ad scibile, & non ad causam, quod utique falsum est: quia si referretur ad scibile tunc Aristoteles fuisset superfluus & nugatorius, nam in textu sequēti, dicit de ipso scibili, quòd impossibile sit aliter se habere, ergo in hoc textu septimo non debet referri illa particula ad ipsū scibile. Ex quibus omnibus particulis examussim declaratis, distincte & resolute dicamus propter quid posuit istas quatuor conditiones ipse Arist. in definitione scire. dixit igitur primo Arist. quod scire est {per causam} & hac primam conditionem posuit, ut excluderet demonstrationem quia, quæ nō per causam, sed per effectum, ut patet primo poster. cap. 30. dixit secundam conditionem {propter quam res est} ut excluderet demonstrationem propter quid, quæ sumitur medium in quolibet genere causarum, ut docet Arist. secundo poste. in cap. de causis. dixit tertiam conditionem {quoniam illius est causa} ne fieret deceptio, eo modo quo iam declarauimus, & tandem posuit quartam conditionem {& non est contingere aliter se habere} ut excluderet causam formalem uniuersalem, scilicet genus quod non est necessarium essentiale, & conuertibiliter se habens, ut iam exposuimus: & ex consequenti non habet istam conditionem quartam quam ponit Ari. quod aliter nō se habeat, quinimmo dicimus, quod aliter se habet, & sic Ari. simul & semel excludit causam formalem uniuersalem, scilicet genus, & includit solum causam formalem particularē, quæ est differentia, & plane declaratio huius quartæ conditionis dependet ex distinctione illa de duplici necessario, & sic patet quot, & quibus conditionibus constet definitio ipsius scire, patet etiam quod omnes istæ conditiones referuntur ad ipsam causam scientiæ, quomodo, scilicet debet esse causa quæ facit scire simpliciter, quod, scilicet debet esse causa propter quā, & ut cognoscatur quod sit illius causa, & quod impossibile sit aliter se habere talis causa, unde manifestatur error Ægidii Romani perperam exponentis. & tu legito eum. Et cum Auer. dicit, {manifestum itaque quod tale} hæc est secunda pars huius textus, in qua Arist. probat definitionem ipsius scire, esse optime traditam, ex communi omnium consensu. Et notandum quod cum probabile sit triplex ut docuit Arist. primo topic. cap. primo, probabile quod uidetur omnibus, probabile pluribus, & probabile sapientibus, Arist. sumit in sua ratione ad probandum definitionem scire esse recte assignatam, illud probabile, quod uidetur omnibus, & arguit sic illa definitio est bona. & recte tradita, quam omnes opinantur & existimant esse bonam: sed omnes, scilicet tam scientes, quam non scientes existimant, & opinantur, hanc definitionem scire esse bonam: ut nos diximus, ergo definitio ipsius scire a nobis est optime tradita. Et aduertendū quod huius rationis Arist. tacuit maiorem, & primo loco posuit conclusionem in principio tex. quando dicit {manifestum itaq;} & secundo loco posuit minorem, ibi {& namque non scientes} Et quando dicit. {uerum scientes habent quoque} remouet dubium, quod quis facere posset, si ambo. s. scientes & non scientes æquivaliter credunt sic esse ipsum scire, tunc eodē modo apud utrosque erit ipsum scire. respondet Arist. remouendo hoc dubium. & dicit. {uerum,} idest licet ambo conueniant in supradicta definitione, differunt tamen quia illi, scilicet scientes, {habent quoque} & tu addas extra textum, non scientes autem non habent: tacuit hoc ultimū ipse Arist. more suo, breuitati studens. Et pro intellectu quomodo scientes & non scientes differant, aduertas, ꝙ aliud est opinari, & aliud est habere: quia unū potest esse sine altero, & non e contra. nam qui opinatur se habere aliquid, potest opinari & non habere, qui uerò habet aliquid, non solummodo opinatur se habere, sed habet quoque. hac distinctione intelligitur differentia inter scientes & non scientes, & conuenientia inter eos: conueniunt siquidem in hoc, quia ambo opinatur habere ipsum scire tunc cum habent causam, sed differunt, quia nō scientes opinātur habere scire per causam & non habent scientes uero non solum opinantur habere scire sed {habent quoque,} scilicet ipsum scire & per causam. Quidā quærunt quomodo definitio ipsius scire possit probari, & quę ab ipsis afferuntur, cū sint falsa & imperite dicta, sub silentio pertranseunda fore putauimus, sed pro ueritate notandū, quod aliud est esse rei, & aliud causa & propter quid esse, tunc dicimus quod si loquimur de esse ipsius scire, eiusq; definitionis, absque dubio nō potest probari ut ignotum naturaliter, & non solum, a logico, sed a nullo artifice, tum quia ut hic dicit Auer. esse ipsius scire & sua definitio, esse per se notum, & indemonstrabile scilicet & esse ipsius scire, & esse definitionis ipsius scire: cum etiam, quia omnes regulæ logices sunt indemonstrabile: & etiam quia est finis huius artis ipsum scire, ut dictū est supra sæpius, & supponitur in arte cum sua definitione, & sic nō demōstratur in arte, unde optime dixit Auer. tertio cœli cōm. 4. ꝙ scire est subiectum in logica, idest subiectū præsuppositionis, & non inquiritur. Amplius dicimus ꝙ licet ipsum scire, & eius definitio non possit demonstrari ab hoc artifice ut logicus est, potest tamen innui, & manifestari ueritas eius ratione topica, rethorica, uel poetica, ut Auerro. tangit in commento: si uero loquimur de propter quid, & causa ipsius, dicimus a logico non posse demonstrari, sed a metaphysico ut patet quarto metaph. primo & tertio cœli commen. quarto & primo phys. commen. octauo & octauo phys. comm. 22. & primo cœli commen. 78. Et si quæres si metaphysica dat causam huius definitionis. quæ erit illa? quicquid alii dicant, ita dicendum est, ex secundo metaph. quarto sicut res se habet ad esse, ita ad cognosci, sed res est per suam causam formalē, ergo non potest cognosci & sciri, nisi per causam formalem, & similiter erit in scientia, quia dixit Auer. 2. post. cōm. 94. quod tunc scientia est uera. quando

insequitur opus naturæ, ergo scire simpliciter non erit nisi per suam causam formalem. aliam causam metaphysica non assignabit, & hunc exponendi modum recentiores quidam ignorarunt.

Commen. 7.

Cum notificasset, ꝙ omnis doctrina, & omnis disciplina.} Commentum hoc Auerr. in duas secatur partes in prima ponit continuationem, in secũda ibi. {Et dixit scire} exponit quo ad primam partem. Auerr. ergo ita continuat, cum notificauit hanc propositionem, omnem s. doctrinam, & omnem disciplinam ex præexistenti fieri cognitione, & hoc per inductionem, ut dictum est, & soluit dubia incidentia in hanc propositionem quæ erant duo, unum Menonis, alterum sophistarum; incipit nunc notificare conditiones præmissarum demonstrationis simpliciter, & si quæras quæ est ista demonstratio simpliciter? respondet notificando eam ex fine, & dicit. {hoc est quæ largitur causam & esse} .i. per demonstrationem simpliciter, intelligitur illa demonstratio quæ notificat esse & causam rei. Si scire cupis uaria nomina ipsius demonstrationis simpliciter, legito quæ enucleauimus in quæsito de regressu demonstratiuo, ibidem etiam uidero de triplici specie demonstrationis & pro declaranda illa triplici specie demonstrationis, fuit expositum totum fere cõm 95. primi poster. Si adhuc quæres cur Arist. intendit manifestare conditiones præmissarum demonstrationis simpliciter, respondet ipse quia est {primo intenta in hoc libro,} scilicet ipsa demonstratio simpliciter. & si amplius interrogabis quare primo intenditur in hoc libro ipsa demonstratio simpliciter, respondet etiam ipse Auerr. quia ipsa demonstratio simpliciter, est certissima specierum demõstrationis secundũ scientiam. Sed dubitabis, cur Auer. dixit demonstrationem simpliciter esse certissimam specierum demonstrationis? Pro solutione notãdum ꝙ ars imitatur naturam. 4. meteo. c. 28. ergo sicuti in natura, ita debet esse in arte. & ideo dixit Auerr. 2. poster. c. 94. ꝙ ars tunc est uera cum insequitur modum naturæ, & ex consequenti dicendum est, ꝙ certum in arte seu in scientia, debet sequi certum in natura, & quia in natura esse effectus habet esse certum per causam, ita etiam in scientia, esse effectus habet esse certũ per causam. & quia ista certitudo effectus per causam, maxime manifestatur per demõstrationem simpliciter, propterea dixit Auer. eam esse certissimam, inter omnes alias species demonstrationis. Sed replicabis ꝙ propter istam rationem ipsa demonstratio simpliciter non erit certior demõstratione, propter quid, quia ipsa quoque notificat effectum per causam. Dicitur ꝙ duabus de causis, ipsa demonstratio simpliciter est certior ipsa demonstratione propter quid; prima causa, quia demonstratio simpliciter solum ex causa formali procedit, ut supra diximus, demõstratio uero propter quid per quodlibet genus causæ. & quia causa formalis est certior aliis causis, quia, a forma res habet ut sit, ut superius enucleauimus in tex expositione, & per consequens demonstratio ipsa potissima cum semper ex causa formali procedat erit certior, ipsa demonstratione propter quid. secunda causa hæc est, quia. 1. physi. 2. certũ est duplex, nobis & naturæ, certum nobis est sensatum, certum naturæ est illud, quod prius est in esse sed demõstratio simpliciter notificat ex causa sensata & priori in esse, certa nobis & naturæ. demonstratio uerò propter quod, licet ex causa priori, & certa naturæ, tamen insensata & incerta est nobis, ueluti diffusissime exarauit Auerr. 1. poster. com. 95. & etiam nos in quæsito de regressu demõstratiuo, & propter istam causam Auer. in 2. metaphy. c. 16. dixit demonstrationes mathematicas esse in primo ordine certitudinis, quia illarum medium, est nobis & naturæ notũ.

Adhuc occurit ansa dubitandi, cur dixerit Auerr. ipsam demonstrationem potissimam esse perfectissimam aliarum specierum secundum scientiam, scilicet certiorem quam sit demonstratio quia, & propter quid. Antequam formaliter respondeatur, prius notanda sunt ista. primum est, quod scientia est finis demonstrationis ut tex. 9. docuit Aristo. & tertio ethic. cap. 6. secundum notandum est illud ex tertio ethic. cap 6. quòd finis appropriat & nobilitat ea quæ sunt ad finem. tertium notandum scientia demonstrationis simpliciter non solum ob causas supra dictas est perfectior, sed etiam, quia per ipsam habetur scientia quod quid est, ut habetur secundo poster. & talis sciẽtia est perfectissima, & confirmatur hoc notãdũ quia demonstratio potissima utrũque absoluit quæsitũ ut nobis notãdum reliquit Themistius lucidissimus in secũdo poste cap. 2. & ab Auerr. uocatur dans causam & esse. ex quibus prænotatis, iam facilis est responsio quare dicatur perfectissima aliorum specierum, & hoc etiam addimus, quod Auer. assignauit rationem, ob quam ipsa demõstratio potissima sit perfectior aliis specierum demõstrationis, nam dixit {secundum scientiam,} idest ratione finis qui est scientia, ipsa demonstratio potissima est perfectior aliis speciebus, & hoc notauimus in primo notando. Hæc est expositio uerborũ, quæ posuit Auer. in sua continuatione. Sed procul dubio ipse Auerr. errauit multifariam primo quidem, quia præsupponit quod Aristo. incipiat tractatum ab hoc tex. 7. sed hoc falsum esse demonstrauimus. Secundo errat, quia Aristot. non intendit notificare conditiones præmissarum demonstrationis simpliciter, sed intendit inuestigare ex definitione ipsius scire, quot & quales debent esse conditiones præmissarũ quæ sunt instrumenta ad ipsum scire, quod est finis, ut iã in nostra continuatione uberrime declarauimus. Dicit deinde {& dixæ, scire autem putauimus.} Hæc est secunda pars huius cõm. in qua Auer. exponit textum, & quãdo dicit. {ubi adiecit} aduertas quòd primo exponit tres particulas positas in definitione ipsius scire: & secundo exponit particulas positas a parte definiti: & dicit quod conditiones illæ tres positę a parte definitionis, sunt conditiones scientiæ principaliter dictæ. Et si quæres quę est ista scientia principaliter dicta? respondet Auerr. & dicit. {hoc est quæ nobis,} id est, est illa quæ in nobis aggeneratur ex demonstratione simpliciter, quæ est perfectissima demonstratio. Deinde dicit. {tres conditiones, quarum una est} declarat Auerr. tres conditiones positas in definitione scire, & dicit quod earum {una est,} idest prima conditio est} quod adepta sit nobis notitia essendi, idest quod oportet scire rem per causam in essendo, & non in cognoscendo tantum, ueluti sunt effectus, qui sũt causa in cognoscendo tantum. {Secunda conditio} dicit quod secunda conditio est ista. {quod noscentes nos,} id est hæc est secunda conditio, ut nos cognoscentes rem per causam, cognoscamus esse illius rei causam, ueluti si cognoscimus hominem per animal rationale, oportet scire animal rationale esse causam ipsius hominis.} Tertia quod sciamus,} idest tertia conditio est, ut nos cognoscentes rem illam per causam, quam scimus esse ipsius, oportet adhuc ut sciamus, quod impossibile sit, ut ab alia causa, quam ab ista procedat. Deinde cum dicit. {adiecit quidem huic scientiæ conditionem.} Cum declarasset Auer. conditiones requisitas ad perfectissimam scientiam consequenter declarare intendit, quare sunt positæ illæ tres conditiones: & inquit, ꝙ prima cõditio fuit posita ad differentiã demõstrationis quia, ex quo (ut sępe diximus) nõ procedit a causa, sed ab effectu, &, a posterioribus, in esse, ad priora in esse. {Secundo uero adiecit} Dubitat quare fuit posita secũda cõditio, et, inquit, ꝙ hac de causa fuit posita: nam licet sciuero rem per causam, attamen si non sciam illam, esse ipsius rei causam, non sciam

tunc

tunc per se esse. quia dicam quod sit causa alterius {tertio uero adiecit} inquit quod tertia conditio fuit posita ad differentiam causæ accidentalis, nam cum causæ sint duplici differentia, quædam est causa essentialis, & quædā accidentalis, oportet enim ut causa illius effectus sit causa essentialis, & non accidentalis, quia si esset accidentalis, tūc esset separabilis, & sic effectus ab alia causa posset prouenire, & sic sciri illud, esset scire sophisticum. Et pro intellectu huius distinctionis positæ hic ab Auer. de duplici causa, notandum prius, quod necessarium est duplex, scilicet necessarium essentiale, & necessarium accidentale: distinctio est Auer. primo poster. cap. 37. & 44. sicuti etiam notauimus in tex. expositione pro intellectu huiusmodi conditionis. & breuiter ipse Auer. illud uocat necessarium essentiale, quod habet illas tres conditiones assignatas ab Arist. quod. s. de omni, per se & primum, idest secundum quod ipsum, & ista Ar. & Auer. concludunt esse illa, quę sunt necessaria essentialia cum hac triplici conditione, & sunt ista, definitio tota, differentia, & proprium, & hoc innuit ipse Auer. in epit. logic. in quæsito quarto. ubi loquitur de conditionibus quæ requiruntur ad necessitatē præmissarum demonstrationis, & per necessarium accidentale intellexit illud, cui deficit aliqua istarum trium cōditionum: & quia genus, idest animal non habet omnes istas tres conditiones, ideo, non est prædicatum necessarium essentiale, sed tantum necessarium accidentale, unde dixit Auer. primo poster. cap. 37. & 44. quod ista propositio, homo est animal, est necessaria accidentalis, & non essentialis, quia ipsum animal non habet omnes illas tres conditiones, nam licet sit prædicatum de omni, per se tamen non est prædicatum primum dicit Auer. contra Alphar. quia non est conuertibile, nam primum, idest secundum quod ipsum, & conuertibile, exponuntur, & cū non sit prędicatum primum. propterea dixit Aue. hic. quod est causa accidentalis, idest necessaria accidentalis. & aduertas q̃ sunt synonima. causa necessaria essentialis, & causa uera, & similiter causa necessaria accidentalis, & causa extimata, sunt etiam synonima, de quibus loquitur hic Auer. Dicit deinde. {Dixit autem uera, uice dicendi primo, & in summo} Auer. postquam declarauit particulas & conditiones positas, a parte definitionis, nūc uult declarare particulas positas a parte definiti, & primo declarat illā particulam, quam non habemus in tex. nostro, simpliciter, et ipse habet in tex. suo. {uera scientia} & in paraphr. dicit, {scientia certa in ultimo.} idest quod habet certitudinem ultimam, qua ulterior & maior dari non potest, & in cō. isto, exponit ipse {primo & in summo} idest scientia primo dicta ad differentiam sciētiæ posterius dictæ, quæ habetur ex accidente, & signo proprio, per demonstrationē quia. Et pro huius intellectu aduertas ex quarto meta. secundo, analogum est quod dicitur per prius de uno. s. de perfectiori, et per posterius de alio. s. de imperfectiori. hoc etiam innuit ipse Auer. primo poster. com. 95. ubi dixit, quod demonstratio in communi dicitur analogice de tribus suis speciebus, & hoc idem confirmauit in epit. logi. in quæsito sexto, contra Auicennam, ubi loquitur de demonstratione quia. & sic ipse Auer. hoc uult dicere, quod ly, simpliciter includit scientiam per prius dictam, & excludit scientiā per posterius dictā. Et aduertas quod Aue. {per scientiam per posterius dictam} exponit scientiam quæ fit ex signis, idest demonstratione quia. sed ista expositio ambigua est, quia si ipse per scientiam simpliciter dictam, intellexit tantum eam scientiam, quæ per demōstrationem potissimam habetur, ergo uidetur quod excludat omnes alias species demonstrationis, & non tantū igitur per scientiam per posterius dictam debemus exponere ipsam scientiam, quæ fit demonstratione quia, nam ipsa demonstratio propter quid in ordine ad demonstrationem simpliciter dicitur etiā demonstratio per posterius dicta, & nisi exponeretur isto modo, proculdubio sequeretur, demonstratio propter quid, seu ipsum scire quod prouenit ex demonstratione propter quid, non excluderetur, a definitione data de scire, & nos supra demonstrauimus q̃ Arist. definit tantum scire simpliciter, & non scire per demonstrationem propter quid, & quia, intentio Arist. est loqui, a tex. 10. usq; ad 95. tantum de demonstratione simpliciter, & sic scire simpliciter definit. & dicant alii quicquid eis libuerit, hæc enim est tei ueritas ad Ar. autes declarata & manifestata, aduersus et illos, qui pessime sibimet persuaserunt, quod Arist. definiat scire in communi ad omnem triplicem speciem ipsius scire. Neq; etiam uera est illorum opinio quod Arist. definiat scire, quatenus est commune ad scire simpliciter & scire propter quid, & quod excludat tantum scire quia, nam probatū est supra in expositione tex. circa conditiones illas positas ex parte definitionis, quod illæ conditiones tantum præmissis demonstrationis simpliciter conueniunt, & nullo modo demonstrationis propter quid & quia. Dicit autem {singulas res ignotas} exponit illud uerbum, quod nos habemus in textu nostro. {unumquodque} & per singulas res ignotas, intelligas tu ut, etiā diximus in expositione tex. idest singulas passiones naturaliter ignotas, quia illud q̃ quæritur sciri est naturaliter ignotum. & tandem dicimus quod opinio Auer circa illud uerbū. {simpliciter} est ista, quod Arist. excludat demonstrationem quia, & scire sophisticum. melius dixisset si addidisset ipsam demonstrationem propter quid, quare defecit. quinimmo dicimus quod sibi contradicit, nam exponendo ly, simpliciter, uidetur excludere ipsam demonstrationem propter quid. Sed dubitabis, Auer. dixit tres esse conditiones positas a parte definitionis ipsius scire, nos uero diximus esse quatuor in expositione, ergo aut Auer. defecit, aut nos superflui fuimus. Dicendum est, neque Auer. defecisse, neque nos superfluos fuisse, nam quādo diximus quot sunt quatuor conditiones, nos connumerauimus omnes conditiones ponendas in definitione, tam ex parte generis, quam ex parte differentiæ, siquidem sexto topic. definitio quælibet ex genere, & differentiis constat, quarum una diuisiua, altera constitutiua, & ideo Porphy. dixit quod homo est animal rationale mortale, utranq; amplectens differentiam, diuisiuam, & constitutiuam. Et ad propositum secundo dicimus, quod nos diximus esse quatuor conditiones, quia connumerauimus conditionem illam, quæ se tenet ex parte generis, ly, causam, & tres aliæ conditiones se tenent ex parte differentię. s. cum dicit propter quā res est, & quoniā illius est causa, & impossibile est aliter se habere, omnes istæ tres ultimæ conditiones sunt specificæ: Auerroes uero derelinquens primam conditionem genericam tanquam notam & clarā, numerauit & declarauit tres conditiones specificas, quę sunt ex parte differentiæ. {Et cum induxisset} postquam Auer. declarauit primam partem huius tex. incipit declarare secundā partem, & dicit continuando hanc secundam partem, ad primam {cum induxisset hanc propositionem} idest ipsam definitionem scire, secundum quod ipsa definitio est de numero illarum quæ sunt per se notæ {incipit ratiocinari} idest ducere rationem probantem eam. & si quæras qua ratione probat eam Arist. Respondet Auer. {testimonio} idest topicata ratione, nam primo topi. primo habetur, q̃ testimonium omnium, uel plurium, uel sapientum est ratio præmissa topica. Quæres etiam quod est inducere, ut per se notum ut dicit Auerroes? dicitur quod est aliquid dicere sine ratione media notiori, nam infra tex. com. 13. propositio per se nota, est immediata propositio, immediata idest nota per se, idest non habens aliam mediam notiorem per quam fiat nota. Et si adhuc quęres qua ratione hoc facit Aristo. dicitur quod hac ratione, quia tertio et hic. sexto, artifex supponit finem, ut per se notum, & nō

Inquirit de eo nisi ea quæ sunt ad finẽ quia (ut sæpius diximus) ex scire tanquam fine, uult inuestigare conditiones præmissarum demonstrationis, merito ergo ipsum scire esse, eiusq; definitionem, supponit Ar. ut per se notam, sine alia ratione media. Sed occurrit adhuc dubitatio, si est per se nota, cur notificauit eam testimonio, idest ratione topica? Respondet Auer. {prout eius moris est} idest mos Arist. est {orationes ueras} idest demonstratiuas rationes ita manifestare, nam infra, tex. in com. 13. dixit Arist. quod demonstratiua propositio est illa, quæ alteram partem determinate sumit. s. ueram partem. Amplius notato, quod primo poster. cap. penultimo, eadem propositio potest esse topica & demonstratiua. i. uera: est demonstratiua, ut est per se nota & impossibile est aliter esse, est topica primo top. cap. primo, ut est opinata & credita testimonio omniũ uel plurium, uel sapientũ & contingit aliter esse, & ideo bene dixit Auer. quod mos est Arist. propositiones ueras. i. demonstratiuas, topica ratione {exquirere,} idest manifestare & inquirere. Et si scire cupis quo modo manifestat hanc definitionem Aris. Respondet Aue. {per modum euidentiæ} & pro intellectu huius quid Auer. intelligat per modum euidentiæ notabis, quod secundo metaph. com. 15. sunt aliqui, qui ex imperitia logicea, & ex mala natura, uel pessima consuetudine, uel quia sunt inchoantes artem, non credunt rebus per se notis, ut per se notæ sint, & scientificę sed potius quia dictæ sunt testimonio pœtarum uel aliorum uel ex exemplo, uel metaphora, uel rationibus rethoricis, uel poeticis. & pro hoc notabis adhuc, quod Auer protulit in prologo primi physi. & secundo physi. cap. 3. quod rationes rethoricæ uel poeticæ, non monstrant ueritatem talium propositionũ (quia ut dictum est) ueritas earum est indemonstrabilis, sed solum inducunt eam, manuducentes huiusmodi genera hominum, ut ueritatem earum euidentẽ eis faciant quę non erat eis adeo manifesta, propter aliquod impedimentorũ quatuor. nunc ergo intelligitur quid Auer. uelit intelligere quando dicit, quod incœpit exquirere ueritatem huius definitionis non monstrando eam, quia est indemonstrabilis. nam est subiectum præsuppositum in hac arte ut dixit ipse Auer. tertio cœli com. 14. & ideo est demonstrabile. sed ostenditur {per modum euidentiæ} idest faciendo eam euidentem testimonio & ratione topic. & de iis hęc dicta sufficiant.

Quare cuius simpliciter est scientia, hoc est impossibile aliter se habere, si quidem igitur est alius sciendi modus posterius dicemus: dicimus autem & per demonstrationem scire. Demonstrationem autem dico, syllogismum scientificum, scientificum uero dico secundum quem (in habendo ipsum) scimus.

Quicquid alii dicant, hoc prius animaduertendum est antequam continuatio fiat quod tex. iste simul cum præcedenti, faciunt secundam partem huius procemii, ueluti notauimus in principio. 7. te. quo pręnotato, hunc in modum continuandus uenit præsens textus ad præcedentẽ ꝙ postquam Arist. in præcedenti tex. definiuit scire, nunc in præsenti tex. intendit definire ipsum scibile, & uniuersa fere expositorum cohors causam ignorat, cur Aris. uoluerit definire ipsum scibile, tu uero notato eã, quæ talis est, quia relatiua cum sint simul natura, simul cognosci dicũtur, ut docuit Aris. quinto metaph. cap. de relatione, & in lib. prædicamen. s. sed scientia & scibile sunt relatiua, ergo simul cognosci debent: & propterea definito ipso scire, intendit definire ipsum scibile, quod est correlatiuum ad ipsum scire, & eundem obseruat modum Ari. hic quem seruauit in secundo phys. tex. com. 3. & 4. nam postquã definiuit naturam, in tex. 3. relatiue dictam ad naturale et habens naturam, intulit in tex. com. 4. definitionẽ ipsius naturalis & habentis naturam, Nunc, ut ad diuisionem textus accedamus diuiditur hic in tres partes in prima ponit definitionem scibilis correlatiui ad scire. in secunda ibi {si quidem} remouet quoddam dubium. in tertia ibi {demonstrationem autem dico} demonstrationis definitionem ponit. Quo ad primam partem igitur tex. dicit Arist. {quare} & uult sic dicere, si scientia simpliciter est per causam, propter quam res est, & impossibile est aliter se habere, necesse est id cuius est scientia simpliciter, idest scibile ipsũ simpliciter, impossibile aliter se habere & cum conditionibus prædictis. Sed dices, cur tantum intulit conditionẽ illam. s. impossibile aliter esse, derelinquens alias conditiones? Dicitur hoc Arist. egisse more suo breuitati studendo, & potius ultimam cõditionẽ explicare uoluit, quam priores, quia in ipsa ultima. aliæ continentur, ut patet. Quæritur, a iunioribus cur Aris. apposuit {quare} & quo modo capitur, illatiuę, aut continuatiue? Respondet Suess. ꝙ apposuit ly quare. ut continuaret, & dicit ꝙ non sumitur illatiue in tex. sed continuatiue, & duplicem assignat causam, tum primo, quia ipsum scibile ponebatur in definitione ipsius scire: tum secundo quia ipsum scire, est in ipso scibili ut in signo. Sed proculdubio errat, primo quia falsum est, ꝙ scibile ponatur in definitione ipsius scire, uetiam in particulis & cõditionibus positis in definitione ipsius scire cognoscitur: secundo errat, quia scientia & scibile cum sint relatiua, nõ est de ratione relatiuorũ ut unũ sit in alio, tanquam in signo. Præterea, dato ꝙ scientia esset in scibili, tanquam in signo non propter hoc tenet consequentia. ergo ly, quare, debet teneri continuatiue, & nõ illatiue. Ideo aliter dicendum est, ꝙ ly {quare} notat illationem hypotheticam, & quid sit huiusmodi illatio hypothetica notato, quod secundo physi. & in epit. log. cap. de syllogismo hypothetico dicitur, ꝙ syllogismus hypotheticus per naturam, & non potentia cathegoricus, manifestat, quod est per se notũ naturaliter. Et aduertas quod diximus, per naturam, quia potentia cathegoricus est demonstratio quia ignotum naturaliter manifestans: quo instrumento usus est Ar. secundo physi. tex. com. 4. dicens, si natura est principium motus & quietis, etiã habens naturam est huiusmodi, ista est illatio hypothetica, per naturam, manifestando quod fere est per se notum: eodem instrumento utitur hic Arist. cum in tex. 7. posuerit definitionem scire, quod. s. impossibile sit aliter esse, intulit postea in hoc octauo, quare ipsum scibile, cuius est hæc scientia, erit huiusmodi. s. impossibile aliter esse: & sic concludimus, quod ly, quare, notat illationem hypotheticam per naturam, & notat causam. quia forma est causa propria habentis formã sed scire simpliciter est forma scibilis simpliciter, qua ut causa propria est tale: merito ergo ly, quare, notabit causam propriam, non notiorẽ naturaliter, sed euidentiorem. Dubitant adhuc expositores, quid per ly, impossibile aliter se habere, idest necessarium, intelligat Arist. Respondet Suess. {quod impossibile aliter se habere potest dupliciter esse, aut ex hypothesi. ut terra tremit hoc enim impossibile aliter se habere est dum exhalatio intra cauernas terræ mouetur, aut absolute, ut solẽ oriri, quia non potest esse, quin sol oriatur. tunc habita hac distinctione, dicit ipse quod Aristo. per impossibile aliter se habere, intelligit necessarium ex hypothesi, quod est necessarium causis positis, & hoc ẽt modo concedit, quod quæsita physica sunt necessaria. Sed eius opinio falsa est quia scire simpliciter requirit causam absolute necessariã, ergo & scibile simpliciter requirit causam absolute necessariũ, & non ex suppositione. probatur antecedens, quia ex conditionibus positis in definitione ipsius scire, habetur, quod causa propter quam est scientia simpliciter, & perfectissima, & certissima est causa formalis, quę in omni tẽporis differentia infert necessario effectum, & econ-

tra,

tra, hoc non faciunt aliæ causæ, nisi ex hypothesi & suppositione, nõ enim si causa est, effectus est. quapropter dicamus, quod Arist. per impossibile aliter se habere, intellexit necessarium simpliciter definitum, idest ex omni parte necessarium. s. de omni, per se, & primum, idest secũdum quod ipsum, & tale necessarium, dicitur ab Auer. primo poster. cap. 37 & 44 necessarium essentiale: non igitur intellexit, necessarium ex suppositione seu ex hypothesi, ut falsò Suess. & alii dixerunt: {Siquidem igitur & alius est sciendi modus.} Hæc est secunda pars huius tex. in qua Arist. remouet hoc dubium, quod quis facere posset, cum scire sit multiplex, quod scire intendit hic Arist. definire? Respondet ipse & dicit {si quidem} & uult sic dicere, quamuis multiplex sit scire seu sciendi modus, tamen {dicimus} idest definire intendimus illud scire, quod est {per demonstrationem scire} idest definimus scire demonstratiuum, idest scire quod est finis demonstrationis, & dicit, {& si est alius sciẽdi modus} supple tu ab hoc scire, quod nunc intendimus {de eo posterius dicemus.}. i. post hunc primum librum sermo habebitur, & statim subdit Arist. {Demonstrationem autem dico.} Hæc est tertia pars huius textus in qua Arist. demonstrationis definitionem obiter infert, dando responsionem ad hanc interrogationem, quam quis facere posset, si hic definitur non quodlibet scire, sed tantum illud scire, quod habetur per demonstrationem, quid est demonstratio, per quam habetur ipsum scire? respondet dicens {demonstrationem autem dico}. i. uoco syllogismum scientificum, ipsam demonstrationem per quam habetur ipsum scire, quod nunc definimus, & quoniam scientificum, æquiuocum est, nam aliquãdo capitur scientificum pro eo, quod facit scientiam, & aliquando pro instrumento per quod habetur scientia: Arist. uidens hãc æquiuocationem, ex peritia artis quam ipse docuit primo cœli tex. com. 110. & primo elench. uoluit determinare quid intelligat per scientificũ & dicit ipse {scientificum uero dico} idest ego intelligo per scientificum, illud per quod habemus scientiam, & non intelligo illud, quod facit scientiam, & ideo dicit {secundum quem scimus} idest per quem tanquam per instrumentum habemus scientiam. hoc quoq; insinuant illa uerba} in habendo ipsum} idest cum ipsum habemus, scientiam etiam habemus, & sic habemus ex hoc textu, ad literam Aris. quod demonstratio est instrumentũ scientiæ, & non agẽs principale. hæc quo ad crassam mineruam textus. Sed multæ hic insurgunt difficultates, ex uerbis Arist. Prima dubitatio est, quid intelligat Aris. per alium sciendi modum, & plures occurrunt dicendi modi, quorum unus est, quod demonstrationis species tres sunt, ut protulit Auer. secundo cœli com. 35. & primo poster. com. 95. & alibi de demonstratione simpliciter Arist. a principio huius libri, usque ad tex. 95. & per alium sciendi modum intelligit demonstrationem quia, & propter quid: de qua duplici specie demonstrationis loquitur Arist. posterius, idest a tex. 95. usque ad finem libri. Sed ista opinio non potest stare, quia per sciendi modum, Aristo. intelligit instrumentum sciendi, at duo sunt instrumenta sciendi in prologo magnæ commen. scilicet definitio & demonstratio, & sic dicimus quod Arist. per alium sciendi modum, intelligit eũ modum, qui est diuersus ab omni specie demonstrationis sicut nos dicemus in nostra expositione. Themistius triplicem modum scientiæ intelligit. s. demõstratiuum, definitiuum. & primorum principiorum, & sic per alium sciẽdi modum, ipse intelligit alios modos. a demonstratione. Sed errat Themistius, quoniam scientia præmissarum nõ est scientia instrumẽtum acquisita, sed potius est causa instrumenti scientiæ demonstratiuæ, ut infra declarabitur. Ideo secus dicendum esse nobis uisum est, sumendo ab Auer. in prologo primo poster. duplex est instrumentum sciendi demõstratio, s. & definitio, & sub aliis uerbis hæc distinctio colligitur ab Auer. etiam in epit. logic. in tractatu de rethoric. demonstratiua, duplex est instrumentum sciẽdi. s. formatiuum & uerificatiuum, nã ibi dicit Auer. quod scientiæ duæ sunt partes, formatio & uerificatio, et in prologo dixit conceptio & assensio. & amplius sciendum est quod ipsa conceptio seu definitio, triplex est, ut docuit Arist. secundo poster. tex. decimo, una principium demonstrationis, alia demonstrationis conclusio, & tertia perfectissima, quæ est demonstratio positione differens. tunc his prænotatis, dicimus pro uera opinione (& dicant alii quicquid uelint) quod Arist. per alium sciendi modũ intellexit perfectam conceptionem, idest perfectam scientiã definitiuam, quæ acquiritur perfecta definitione, quæ est definitio positione differens, de qua posterius. s. in secundo libro poste. loquetur ipse Arist. sicuti iam Auer. nobis notatum reliquit in prologo poster. Et si diffusissime de triplici specie definitionis scire cupis, lege Auerro. in epito. logica. in primo quæsito poster. ubi loquitur de triplici specie definitionum in ordine ad ipsam demonstrationem. Et aduertito quod ideo Arist. conditionaliter locutus est dicens. {Si alius est sciendi modus} quia secundo poster. cap. secundo adhuc dubium est usq; ad locum illum. s. usq; ad tex. 9. an idẽ sit scire definitione, & demonstratione. Secunda occurrit dubitatio. s. demonstratio est instrumentum, quo habetur scientia, & omne instrumentum præsupponit agens principale, quæritur modo, quod est istud agens principale, quod agit scientiam? Quidam dixerunt esse intellectum agentem, cuius opinionis est etiam Suessanus. Sed istos contra Aristo. esse ostendimus, quia dixit Arist. secundo physic. tex. com. 4. & secundo de anima tex. com. 6. quòd habens principium, & instrumentum operandi est compositum, & non forma, quæ est intellectus agẽs. Præterea dixit Aris. primo de anima tex. com. 64. quod qui dixerit animam intelligere, aut irasci, dicet eam texere uel ædificare. & cõcludit ibi Arist. quod anima seu intellectus non intelligit. sed homo per animã, & per intellectum intelligit: quamobrem agens principale est compositum, & non ipse intellectus agẽs. Amplius falsum est, quod intellectus agens concurrat ad scientiã: nam tertio de anima t 9. intellectu agente, nihil nos intelligimus, sed solum tex. 18. & 36. facimus de potentia intellecto, actu intellecta. sed ĩtellectu possibili intelligimus ut patet tertio de anima primo nam intellectus possibilis est ille, quo anima intelligit practica & speculatiua omnia & tertio de anima 21. per intellectum possibilem, intelligimus omnia simplicia, & composita circa affirmationẽ, & negationem, & circa argumentationis species. Tertia dubitatio est circa uerbum illud positum in textu, ἐπιστημονικὸν an ita sit in textu greco, quoniam omnes fere latini expositores habent in eorum textu, ἀποδεικτικὸν. Nos dicimus ἐπιστημονικὸν legendum esse, nam ita est in exemplari græco, non ἀποδεικτικὸν, tum quia non habetur in tex. græco, cum etiam, quia tunc Arist. fuisset nugatorius & superfluus, nam esse sensus, quod demonstratio esset, syllogismus demonstratiuus, quod dicit nugationẽ, ἀποδεικτικὸν enim græce significat latine demonstratiuum.

Commen. 8.

In hoc sermone de quo meminimus.} Auer. ex falso textu, quem habet, uult quod Arist. inferat definitionem ueræ scientiæ, idest scientiæ simpliciter esse huiusmodi. s. cum talibus conditionibus habẽdam: quæ expositio cum non sit consona uero textui, non approbatur, & mala trãslatio excusat Auer. ab errore: Vnde pro uera intentione præsentis tex. sentiendum est, ut nos exarauimus in principio tex. Et notato quod Auer. in hoc commento tãtum exponit textum quem habet, & per aliam speciem ueræ scientiæ, ipse Auerro. exponit {perfectam conceptionem

dest perfectam definitionẽ{quę fit definitionibus perfectis, idest quę cõstat ex definitionibus. Et pro horum uerborum intellectu notabis ex secundo poster. com. 10. triplex est definitio, una principium demonstrationis, alia demõstrationis cõclusio, & tertia positione differẽs. Auer. per perfectam definitionem, quæ fit definitionibus perfectis, intellexit illam tertiam definitionem, sicuti etiã nos supra exposuimus. de qua perfecta definitione sermo erit ut dicit Auer. in secundo lib. poster. Et dicit{& dum notificasset} Auer. uidetur assignare causam ob quam, Arist. demonstrationis definitionem proponat & dicit sic, post q̃ Ari. dixit & notificauit in hoc libro, scilicet tam in primo, quam in secundo poster. esse loquendum de speciebus ueræ scientiæ, quæ species sũt. s. cõceptio. & assertio, quæ assertio est ipsa demõstratio simpliciter} initiatus est definitionem}idest uoluit definire ipsam demonstrationẽ simpliciter. Et si quæris quare potius ipsam demõstrationem simpliciter, quam alias species? respondet? cuius præmissarũ}quasi dicat, ideo uult Arist. definitionem demonstrationis simpliciter assignare, quia Aristo. intentio principalis est in hoc libro loqui de conditionibus præmissarum, ipsius demonstrationis simpliciter. Et cum dicit{et ait. intendo autẽ } Auer. exponit particulas positas in definitione ipsius demonstrationis simpliciter, & primo dicit q syllogismus positus in definitione demonstrationis ponitur loco generis. Et quando dicit. {demonstratio. n. } Auer. probat q ipsa demonstratio sit syllogismus, quia syllogismus primo priorũ primo est, forma ex recta figura, & medio constans, sufficiens ad inferendam illationẽ conclusionis ignotæ; sed hæc definitio competit demonstrationi, ergo demonstratio est syllogismus: & huius rationis Auer. explicauit tantum minorẽ quando dixit. {demonstratio enim} quasi dicat, sed demonstratio est huiusmodi, quòd. s. sit forma ex recta figura, & medio constãs &c. Vnde merito ipsa demõstratio est syllogismus, quia definitionem habet syllogismi. unde sexto top. arguendo a definitione ad definitum bona est consequẽtia, sicuti est in proposito: posset probari aliter ex primo top. quarto, genus est quod ad quæsitum cõmune recte respondetur, sed ad quæsitum quid demonstratio sit, recte respondetur syllogismus, quia est commune aliis speciebus ipsius syllogismi. nam quinque sunt species syllogismi. ut patet primo post. com. 17. & Auer. in prologo, & in epito. log. in principio, ergo recte dicitur demonstrationem esse syllogismum. Deinde dicit { & id quod dixit ueracem} Auer. incipit exponere partes positas loco differẽtiæ in ipsa definitione demõstrationis simpliciter, dicit ipse quod per ueracem debemus intelligere syllogismum qui componitur ex ueris præmissis. & dicit q per istam differẽtiam. s. { ueracem} differt syllogismus demonstratiuus a syllogismo dialectico. Et pro planiori intellectu huius differentiæ quam hic exponit Auer. notandum est, ex primo poster. com 65. tres esse species demõstrationis in cõmuni, una notificat quia, alia propter quid, alia esse & causam, quæ analogicè continentur sub demonstratione in communi. & dicit hic Auer. quod omnes istæ tres species differunt per hanc differẽtiam { ueracem } a syllogismo dialectico. & assignat rationem Auer. ibi.{ syllogismus enim dialecticus}idest syllogismus dialecticus habet pręmissas uulgares; & non ueraces; componitur enim primo top. primo. ex præmissis, quæ omnibus, uel pluribus, uel sapientibus uidentur. Sed Auer. uidetur sibi contradicere, quoniam hic dicit syllogismum topicum, seu dialecticum nõ componi ex præmissis ueracibus, oppositũ uerò dixit in commen. 17. quòd topica præmissa est plus uera, quam mendax nam Auer. ibi ex differentia præmissarum uenatur quinque species syllogismorum, & sic cõtradictio est expressa in dictis Auer. Pro solutione notandum, quod uerum est duplex, essentiale, & accidentale, uerum essentiale est sicut necessarium essentiale, quòd habet tres illas conditiones quòd. s. sit de omni, per se, & secũdum quòd ipsum, uerum accidentale quod potest esse & non esse iuxta accidentis definitionem traditam ab Ari. primo top. cap. quarto, tunc hac distinctione prænotata, dicimus syllogismum dialecticum non esse ex præmissis ueris essentialibus, & hoc modo ipse Auer. concedit hic; sed nõ negat esse ex præmissis ueris accidentalibus, sicut dixit in commen. 17. & sic haudquaquam sibi contradicit. Amplius scire uolumus. quod Auer. dixit hic syllogismũ dialectum esse ex præmissis diuulgatis, & non ueracibus. dixit { non ueracibus} & quia non creduntur q sint ueræ, sed bene cõstat ex præmissis ueracibus per diuulgationẽ sicuti in commen. 17. dicere uidetur, & hoc modo Auer. a contradictione remotum esse dicimus, & cum dicit { dicendo autem} exponit aliam differentiam positam in definitione demonstrationis, & differentia est ista, quòd demonstratio habeat causam in essendo & in cognoscendo & per hanc differentiam, concludit Auer. quod Aristot. ponat discrimen inter demonstrationẽ simpliciter, & demonstrationem quia: nam demonstratio simpliciter constat ex causa in essendo, & cognoscendo; demõstratio uerò quia, tantũ habet causam in cognoscendo. ueluti exẽplificat Auer. de fumo qui facit cognoscere ignẽ esse hoc dicit in summa Auer. Verũ ad uberiorem doctrinam eorum quæ ipse dicit circa hanc differentiam: notandum est causam esse duplicem ipsius quæsiti, una dicitur essẽdi causans esse: altera dicitur causa cognoscẽdi, causans dũtaxat cognitionem & non esse: & differunt multifariam. causa essẽdi sumitur ab ipsa causa extra animã, quia causat esse rei, quod est naturale & extra animam. Causa uerò cognoscendi, est in anima, quia causat esse scitũ, & cognitum rei, quod est in anima. Amplius causa essendi uocatur ab Auer. causa entis secundum se: causam uerò cognoscendi uocat idem in commen. causam apud nos tantum. & pro hoc intelligendo, notabis quod dicit Auerr. secundo poster. commen. 94. quod secundum se tale, est quod apud naturam est tale: cum autem apud naturã nõ est tale, sed tantum est tale apud nostram cognitionẽ, uocatur tale apud nos, quia esse cognitum habet a nobis, et in nobis, & non apud naturam, tunc hoc prænotato, exponimus uerba Auer. quod uocat causam essẽdi, causam entis secũdum se, quia causa sui esse per se, se habet apud naturam, sine intellectu nostro: uocat causam cognoscendi causam apud nos quia causat esse cognitum, & scitum solum, quod non habet esse, nisi ab intellectu nostro, & apud nos: Amplius dicit Auer. quod causa essendi est etiã causa in essendi, quia utrũq; causat. s. esse prædicati, & in esse subiecto: sed causa in essendi, quia causat tantum cognitionem quod prædicatum insit subiecto, ideo non dicitur causa essendi etiam: & exemplificat Auer. de utraque causa ignis enim causat esse cognitum luminis, uel fumi. qui est apud nos: & non tantum est causa in essendi, sed essendi, quia est uera causa, apud naturam, & extra animã: fumus uerò uel lumen, est causa ignis solum secundum esse cognitum. quod in anima, & apud nos existens est: & hanc duplicẽ causam Auer. sumẽs, a Themistio attribuit diuersis speciebus demonstrationis, nam dicit quod demonstratio simpliciter constat ex causa, quæ est causa essendi apud naturam, & extra animam, & etiam est causa cognitionis, & esse cogniti quod est in anima, & apud nos. at demonstratio quia, constat ex causa cognoscendi tantum, quia est ab effectus conuertibili, & notiori solum hæc nobis occurrunt exponenda circa ea quę dicit Auer. circa definitionem demõstrationis simpliciter: in qua definitione tres Auerr. examinauit particulas, prima fuit ly {syllogismus} & per illam ipsa demonstratio simpliciter conuenit cum syllogismo topico, & in omni etiã alia specie. secunda particula, est ly. {uerax } & per istam differt,

a syllo-

à syllogismo topico, & non, à duabus aliis speciebus demonstrationis. tertia particula est, ly{quo scitur res secundum id quod est}& per istam particulam differt demonstratio simpliciter ab ipsa demonstratione quia: demonstratione enim quia scitur res, non uti est apud naturam.i. per causam esse naturalis, sed uti apud nos inuenitur, idest per causam solius esse cogniti apud nos inuenti. Et aduertas, q per hanc particulam demonstratio ipsa simpliciter differt etiam a demonstratione propter quid. Et si dicas, quòd ipsa demoostratio propter quid, procedit etiam ex causa essendi extra animam, ut dixit Auer. primo poster. commen. 95. ergo ipsa demonstratio potissima non differt per istam particulam a demonstratione propter quid. Dicendum est, quod quamuis ipsa demonstratio propter quid habeat causam extra animam, tamẽ non habet alias conditiones, ut diximus in tex. 7. in definitione ipsius scire, non enim habet causam propter quam res est, & quoniã illius est causa, & impossibile sit aliter se habere, quæ conditiones sunt causæ formalis. & dictum est quòd medius terminus demonstrationis propter quid, non est causa formalis: demonstrat enim per quodlibet genus causæ, ut docuit Arist. secundo poster. cap. de causis. ergo cũ ipsa demonstratio propter quid, non constet ex causa cum omnibus illis conditionibus, merito dicendum est, quòd demonstratio simpliciter differt per illam tertiam particulam, non tantum, a demonstratione quia, sed etiam a demonstratione propter quid. Hæc sunt quæ Auer. dicit in hoc commen. & licet sciru digna sint tamen sunt extra tex. germanum Arist. ut in codice græco habetur.

Si igitur ipsum scire est ut posuimus, necesse est & demonstratiuam scientiam, & ex ueris esse, & ex primis, & immediatis, & notioribus, & prioribus, & causis conclusionis, sic enim erunt & principia propria eius, quod demonstratur: Nam syllogismus, quidem erit & sine ijs, demonstratio autem non erit, non enim faciet scientiam.

Latinorum quidam hoc modo continuant, q postquã Arist. primam assignauit definitionem demõstrationis in genere causæ formalis, nunc intendit assignare secundam definitionem in genere causæ materialis. Sed erraot primo, quia definitio sumitur a forma, forma enim est tota quidditas ut protulit Auer. septimo metaph. 34. 21. & 43. materia uerò est uehiculum deferens quidditatem, & non est pars quidditatis, & unius rei non est nisi unica forma: ergo cum demõstratio sit una res, unicam habet formam, ergo unam habet definitionem, & non duas, ut omnes latini ferè dicunt. & male. & illa erit tantum in genere causæ formalis, secundò errant, quia non distinguunt, quam demonstrationem definiat Arist. an demonstrationẽ, simpliciter, aut propter quid, uel quia, an demonstrationem in communi ad istas tres species. Vnde secus dicendum est. sed antequam fiat continuatio, animaduertendum est, quod iste tex. nonus est tertia & ultima pars huius proœmii, sic continuatur ad præcedentem, q postquam Arist. in tex. septimo definiuit scire quod est finis demonstrationis, & in tex. 8. definiuit scibile correlatiuum ad scire, & demonstrationem quę est proprium instrumentum ipsius scire, nunc in hoc tex. nono, syllogismo hypothetico per naturam, ex conditionibus scire quod est finis, infert conditiones præmissarum, & eorum quæ sunt ad finem, qui est ipsum scire simpliciter. & notanter dictum est syllogismo hypothetico per naturam, quia secundo physic. com. 3. & in epito. log. cap. de syllogismo hypothetico, syllogismus hypotheticus per naturã nõ manifestat ignotum naturaliter, sed aliqualiter, & medio modo ignotum: nec procedit ex notioribus naturaliter, sed aliqualiter euidentioribus. cum ergo conditiones præmissarum, & omnes regulæ logicę sint ferè per se notę, meritò syllogismo hypothetico per naturam notificandæ sunt. & probatur ueritatis huius continuationis ex uerbis Arist. nam hoc innuũt hæc uerba. {si igitur ipsum scire est ut posuimus}. argumentari expositis & hypothetice arguere, illa dictio {si} significat hypotheticam illationem. Et textus iste in duas diuidetur partes, in prima ponit illationem talem dicens. {si igitur} in secunda parte ibi. {sic enim erũt} confirmat eam & explanat. Quo ad primã igitur partem dixit Arist.. {si igitur ipsum scire est, ut posuimus &c.} nota quod, ly {si igitur} notat illationem ex duobus fundamẽtis sumptis. s. ex definitione ipsius scire, & ex definitione demonstrationis, quæ est instrumentum ipsius scire, Dixit {si est} notato quod, esse, capitur bifariã, quinto meta. 14. & secundo post. 33. esse existentiæ & actuale, & esse essentiæ & aptitudinale q explicatur per definitionẽ primo top. cap. 4. Dicit ergo. { si est} notans utrunq; esse quod debet habere ipsum scire. s. esse existentiæ & esse essentiæ, hoc modo. s intelligendo, sicuti declarauimus in tex. 2. de pręcognitione quia est, quod correspondeat rei in anima, res extra animam. Dixit, {ut posuimus} ly, ut, significat modum & conditionem, quibus res modificatur. {posuimus} idest cum illo modo & illis conditionibus, quibus fuit suppositum iste, a nobis, & dixit. { posuimus} in numero plurali, quia ut dictũ est ibi, nos & alii posuimus scire huiusmodi, tam scientes quam nescientes {Necesse non est. & doctrinam demõstratiuam &c. } infert consequentes necessario, demõstratiua scientiam esse ex ueris, primis & immediatis. Et aduertendum, quod Arist. dicit. { necesse est }non necessitate syllogistica, quæ primo priorum primo, est per se ex noto naturaliter ad aliud. s. ignotũ, naturaliter; sed loquitur de necessitate per accidens, quæ conuenit syllogismo hypothetico, & alii ex aliqualiter notiori ad aliqualiter ignotum. Quia dubitare posset, nam uidetur idem per idem inferre, sumpsit siquidem demonstratiuam scientiam esse cum iis cõditionibus, infert etiam causam esse cum eisdem cõditionibus & sic uidetur petitio principii, ut patet secundo priorum cap. 17. quia non monstrat intentum. Quicquid alii dicant, pro ueritate notandum est, quod aliud ad esse finẽ cum talibus conditionibus, & est esse finem ex aliquo cũ talibus conditionibus. primum monstratur & clarum est ex definitione finis, secundum uero ex definitione instrumenti, quo fit uel ex quo fit ipse finis. & assignatur exemplum de unoquoque istorum, quoniam aliud est dicere, sanitas est ęquare humores & aliud est dicere, sanitas est ex æquantibus humores. primũ notatur ex definitione finis & sanitatis. secundum uerò ex definitione instrumenti quo fit sanitas. ita dicendum est in proposito, q aliud est dicere, scire est per causam. & aliud est dicere, scire nõ fit nisi ex iis quæ sunt cum talibus cõditionibus. primũ notat definitionem ipsius scire, secũdum notat definitionem instrumenti, quo, uel ex quo acquiritur scire. Et pro illa particula { ex }notato quod, quinto metaph. cap. proprio, primo de gener. animalium cap. 8. { ex } inter alios modos notat causam agentem, ex qua, sicuti est notitia præmissarum, tanquam ex causa agẽte dicitur fieri ipsa sciẽtia. tunc his notatis dicendum formaliter est ad dubitationem, quod non monstratur idem per idem, sed ex conditionibus illatis in definitione ipsius scire, inferuntur conditiones præmissarum, quibus fit ipsum scire. Dicit, { ex ueris} incipit Arist. numerare conditiones præmissarum, quarum prima est, quod præmissæ debent esse ueræ. & pro intellectu huius conditionis notandum est (quicquid alii dicant) quod Arist. se ipsum exponit definiendo uerũ in postprædicamentis, in quinto meta. com. 14. & secundo poster. com. 36. quod uerum est cum correspondet rei in anima res extra animam. & aduertas, quod uerum hoc modo est idem subiecto cum ente, & est unus modus

entis, & falsum est idem cum non ente. Aliud etiam occurrit notandum, sicuti colligitur infra in c.17. quòd præmissæ demonstratiuæ, habent a præmissa syllogistica in communi, primo priorum cap.1. quòd sint notæ, a se habent, quòd ueræ. topicæ uero notæ, quia uulgatæ ueræ, 1. topic.1. dicit ergo Aristo. oportere esse ueras i. notas, quia ueræ sunt in anima ut sunt extra animam ad differentiam topicarum quæ notæ sunt, quia uulgatæ ueræ: ad differentiam etiam sophisticarum, quæ licet falsæ, notæ tamen sunt, quia apparentes ueræ, & quod ista expositio sit uera, probatur ex uerbis Arist. tex.10. ubi exponenda singulas istas conditiones, dicit. {uera} quoniam quod non est. i. falsum non est scire, intelligit ergo Aristo. per uerum conuertibile cum ente, s. extra animam, ut est in anima, oppositum est de falso, quod conuertitur cum non ente. unde hoc modo exponendo istam conditionem præmissarum, manifestatur error omnium ferè expositorum perperam exponentium, cum Aristo. se ipsum exponat. Deinde dicit. {Ex primis} ponit secundam conditionem præmissarum, & dicit quòd oportet præmissas ex quibus est scire simpliciter quòd sint primæ. Et si quæres quid intelligit Aristo. per primas? dicitur quòd exponit se ipsum infra, ubi dicit primas. i. indemonstrabiles, id est nec habentes priores quibus possint demonstrari. Et pro clariori intellectu notabis, sicuti habebitur infra, com.39. quòd scientia uniuersalis & simpliciter perfecta, est quæ non relinquit quæsitum, & dubium nisi habeat ultimam causam uniuersalem. immediatã, de qua non contingit quærere amplius, quare, & donec non inuenitur hæc causa, non habetur scientia uniuersalis simpliciter, quia stat adhuc dubiũ quærendum. Hoc prænotato, dicimus quòd præmissæ demonstratiuæ, quibus acquiritur scientia simpliciter, debent esse, non solum ueræ, sed primæ, id est indemonstrabiles, immediatæ, ad differentiam demonstrationis particularis demonstrantis, quia constat ex præmissa demonstrabili mediata, & ideo cum restat adhuc dubiũ, & quæsitum, non habetur per eas sciẽtia simpliciter uniuersalis, completa: rectè ergo prima idest per se nota indemonstrabilis. Et subdit. {& immediatis} hæc particula non est una alia conditio (ut quidam putant) sed est dictio declaratiua secundæ conditionis supradictæ, & ideo debet legi copulatiue cum, ly primis. & dictio, &, copulat ambas particulas integrantes secundam conditionem. & sciri uolumus quòd Arist. se ipsum exponit infra, quòd intelligit per immediatum, ubi ex ui uocabuli dicit quòd immediatum est illud quod caret medio, quo possit demonstrari. & aduertito, quod ista conuertuntur, sicut synonima, mediatum, & demonstrabile, & ex opposito immediatũ, & indemonstrabile: mediatum enim est, quod habet medium, quo possit monstrari, sicut immediatũ dicitur quod caret tali medio. & ideo Auer. intelligit copulatiuè primis & immediatis. i. quę careant medio syllogismi conclusionis, quo possint mõstrari, & Arist. infra se ipsum exponit ex primis & indemõstrabilibus. Sed quæres, quare Arist. ad ly, primis, uoluit addere, ly immediatis? Pro solutione notandum infra tex.35. primũ duplex est, est primum primitate subiecti, & primum primitate causæ: primum primitate subiecti, dicitur non habens subiectũ prius, cui insit: primum uerò primitate causę est non habẽs causam priorem per quam insit. & scito, quod primum primo modo sumptum, non est immediatum simpliciter, quia licet non habeat medium subiectum cui insit, habet tamen medium causæ, per quam inest, sed primum secundo modo dictum, dicitur simpliciter immediatum, quia caret medio subiecto, & media causa. ex qua distinctione facile scitur causa quare Arist. uoluit dicere. primis & immediatis. dixit enim primis ad excludendum primũ primitate subiecti, & addidit. ly immediatis. s. simpliciter, quod est primũ primitate subiecti, & primitate causæ, carens subiecto, & causa medio, ad differentiam demõstrationis quia, in qua præmissa est prima primitate subiecti, & non primitate causę. ut patet primo poster. com.95. & in epit. log. in quæsito sexto contra Auicennã. Dicit etiam, {& notioribus} ponit nunc tertiam conditionem præmissarum, quòd scilicet oportet præmissas esse notiores conclusione. Et aduertas, quod Aristo. dixit notioribus comparatiuè, quia infra tex. com.15. propter unumquodq; tale, & illud magis. sed conclusio est nota propter præmissas, ergo præmissæ sunt notiores. & ideo in.16. tex. concludit. oportere credere principiis omnibus aut quibusdam magis quàm conclusioni. & scias etiam pro faciliori intellectu, quòd notius duplex est, & naturæ & nobis, ut dixit Arist. infra tex.12. naturæ quia prius in esse, ut causa respectu causati, est notius nobis, quod est sensatum magis. oportet ergo exponere ipsum Aristo. per seipsum, quòd præmissas esse notiores conclusione, duplici modo est, naturæ & nobis naturæ quidem, quia sunt priores in esse, nam sunt causa, & notæ nobis quia sunt magis sensatæ quàm conclusio quæ est effectus. Et notabis, quòd præmissæ, sunt notiores simpliciter. hoc est à genere suo, scilicet a genere præmissarũ syllogismi, primo priorum cap. primo, nam si præmissa syllogismi non esset notior. sed ignotior, uel æque nota, tunc proculdubio fieret petitio principii. ut patet secundo priorum cap.17. non monstrans intentum. Quòd uero ipsæ præmissæ sint notiores nobis & naturæ, hoc habent, a demonstratione simpliciter, cuius sunt præmissæ, & ideo Arist. seipsum exponit, oportere esse notiores naturæ, & nobis. Dicit insuper {& prioribus, & causis conclusionis.} (neque enim legendum putamus, sicut communiter scribi solet, quoniam in textu græco ita habetur, ut nos legimus.) Hic lucidissimus Themistius distinguit de causa quod una est cognitionis tantum, idest esse cogniti, ipsius conclusionis, ut est effectus proprius in demonstratione quia, solum faciens noscere esse causam, sed non est causa essendi eius: alia uerò est causa cognitionis & essendi, ut causa quę respectu effectus est causa essendi & inessendi seu cognoscendi. debet ergo intelligi his uerbis philosophi, præmissas esse causas, non solum agentes cognitionem conclusionis, idest esse cogniti in anima, sed esse causas essendi rei conclusæ, esse naturalis, & extra animã. probat Aristo. hoc esse uerum ex definitione ipsius scire, quia cum scire sit finis pręmissarum demõstratiuarum, ut cum causam cognoscimus, differt a præmissis demonstrationis quia, in quibus medium est causa cognitionis. & nõ esse ut primo poste. com.95. exarauit Auer. Dicit etiam, {& prioribus} idest oportet præmissas esse priores conclusione, & re conclusa. pro cuius intellectu notato, quinto metaph. & in postprædicamentis in cap. de priori, inter alios prioris modos, unus est quando aliquid est prius natura & substãtia, ut causa causato. & iste modus prioris ẽ duplex, uno modo conuertibilis in existẽtia cum causato, quia propria. & proprium est conuertibile, ut patet primo top. cap quarto, tamen est prior, essentia, definitione, natura, & substantia: alio modo non conuertibilis in existentia cum suo causato, sed potest existere sine eo, sicut sunt omnes causæ præter causam formalẽ, quæ sunt priores natura, & substãtia, & quo ad esse essentiæ. & quo ad esse existentiæ, quia possunt existere sine effectu causato. dicit ergo Arist. pręmissas oportere esse priores, natura & substantia, primo modo, & non secundo modo; primo modo quo ad essentiam, & non quo ad existentiam, quia ut dictum est, debent esse causa formalis conuertibilis, & in existentia non debent esse priores. probat Aristo. infra, talem conditionem sequi, ex alia conditione declarata in definitione scire, hoc modo: scire est per causam, & præmissæ sunt causæ, sed causæ sunt priores, ergo præmissæ debent esse priores conclusione. Quæres si præmissæ ex quibus est scire simpliciter, debent esse cum talibus con-

dictio-

ditionibus comparatiuis, scilicet prioribus, & notioribus. &c. & comparatiuum refertur ad aliud, quo igitur priores, quo notiores, ipsæ præmissæ erunt? Respondetur per Arist. esse notiores conclusione ipsa, uel re conclusa quæsita prius ante demonstrationem, nam post dicitur conclusa, uel conclusio. Queritur etiã cur dicit. {conclusionis} in genitiuo, & non conclusione, in ablatiuo, cum apud Gramm. ita construat ut? Dicitur, quod partes totius sunt tanquã habẽtis. & possidentis, ut secũdo de anima. 37. anima & corpus sunt propter totũ, & ideo septimo metaph. 35. non habent nomen & diffinitionem sine toto. amplius dicendum est quòd ille genitiuus, conclusionis, solum refertur ad causas, quasi dicat Arist. scientiam demonstratiuam esse ex causis conclusionis, notans conclusionem ignotam esse, & rem conclusam, in ea, possidentem & habentem medium & causam propriam. s. formalẽ, qua est: nã secundo phys. t. 4. habẽs naturam & formam. compositum est, & causatum: reliqua uerò comparatiua non debent referri ad genitiuum illum, sed præpostero ordine legendo hoc modo, ex causis conclusionis, quæ, ueræ, primæ, immediatæ, priores, & notiores ea. s. conclusione, quod breuitatis causa omisit. Dubitã modo expositores, tum græci cum latini, quomodo istæ conditiones præmissarum sunt illatæ ex conditionibus ipsius scire quod est finis, nã uidentur esse aliæ à conditionibus ipsius scire. Philoponus, à quo sumpsit Suess. respondet, quòd ex illa particula, quòd scire est, quoniam illius est causa, infertur, & habetur q; præmissæ sint primæ & immediatæ: ex illa particula, q; scire est propter causam, habetur & infertur q; præmissæ sint priores & causæ conclusionis: ex illa particula, quòd scire est cognoscere, habetur q; præmissæ sint notiores: & ex illa particula, quod scire est de re quæ non potest aliter se habere, habetur q; præmissæ debẽt esse ueræ. Sed errãt, & primo multæ sunt causæ ut habetur infra com. 39. habentes mediũ, quo possint monstrari, & tamẽ non sunt primæ, quia hoc tantum cõuenit ultimæ causæ, & solum formali, ut dictum. est neque ex hoc toto q; scire est propter causã, qua res est, habetur q; præmissæ debẽt esse priores, sed sufficit quòd præmissæ sint causę, ut Arist. iam seipsum exponit: nam bene ualet, præmissæ sunt causæ, ergo sunt priores. præterea, ueluti diximus, causa qua est res, est solũ causa formalis, & sic non potest inferri de omnibus causis, quòd sint priores, neque ex eo q; scire est cognoscere, potest inferri q; præmissæ sint notiores, quia hoc notius quod habent ipsę præmissæ demõstratiuæ aut est notius genericũ, aut specificum, & est propriũ: si est genericum, tunc non habent ex se, sed a genere suo, quatenus sunt præmissæ syllogisticæ, nã fieret petitio principii si præmissæ syllogismi non essent notiores, de quo notiori syllogistico non loquitur hic Arist. ergo loquitur de notiori quod est proprium, ipsis præmissis demonstratiuis. s. q; debent esse notiores, naturę & nobis; naturæ, quia priores in esse; & nobis quia sensatæ. & certum est, quod iste modus notitiæ maioris non potest inferri ex cognoscere in communi, quia tunc præmissę omnium aliarum specierum syllogismi essent notiores isto modo. ergo falsum est quod dicunt Philop. & Suess. quòd ex eo quod scire est cognoscere, infertur præmissas esse notiores. Vnde pro ueritate notandum quòd ita huiusmodi præmissarũ conditiones, debent deduci, & inferri ex conditionibus ipsius scire: & primo dicimus, quòd ex eo quòd scire est per causam, deducitur præmissas esse priores, quia omnis causa est prior, & ex illa particula, & quoniã illius est causa, infertur præmissas esse notiores, nam ideo probat infertius tex. com. 15. & 16. præmissas esse notiores & magis cognitas, quia sunt causæ: & ex illa particula, quòd scire est per causam propter quam res est, infertur præmissas esse primas & immediatas: nam causa propter quam res est, est sola causa formalis, ut sæpius diximus. & causa formalis sola est propria & conuertibilis, cum non habeat priorem causam, qua possit monstrari: & ex illa particula quòd scire est per causam quæ non potest aliter se habere, sequitur præmissas esse ueras. & notato, quòd uerum duplex est, uerum per accidens, quod potest non esse, et uerum necessarium, quod impossibile est aliter se habere, unde Arist. notans uerum necessarium, dixit in illa conditione ipsius scire, quòd impossibile sit aliter se habere. Et quando Arist. dicit. {sic enim erunt} probat ipse Aristot. consequentiam factam ex illa illatione hypothetica, nã Arist. fecit hanc illationem hypotheticam, si scire est huiusmodi, idest cum iis conditionibus oportet etiam præmissas quibus fit demonstratio, esse huiusmodi, scilicet cũ iis conditionibus. nunc ergo in hac secunda parte tex. intendit probare, hanc consequentiam hypotheticã, & quomodo fiat huiusmodi probatio in tex. prius notabis duo, primum est, quòd causa propter quam res est, idest fit scire simpliciter, est causa formalis, quæ est causa & principium proprium, ut diximus in expositione tex. septimi, secundum est, quòd causa & principium proprium, continet omnes has conditiones prædictas, primo est causa, & quia causa, est prior, prima & immediata, & uera, & notior, naturę quia prior in esse, & nobis quia sensata. ex quibus notatis patet probatio Aristo. quæ hoc modo fit, præmissæ demonstrationis per has conditiones supradictas differunt à præmissis syllogismi in communi, ergo oportet præmissas ipsius demonstrationis esse necessario cum illis conditionibus. & ideo dicit. {sic enim erunt principia illius quod demõstratur} idest oportet necessario præmissas demonstrationis esse {sic} idest cum illis conditionibus. Et assignat causam dicens. {nam syllogismus erit sine iis} quasi dicat, quòd per has cõditiones differunt syllogismus in communi, & ipsa demõstratio, quoniam sicuti præmissæ syllogismi in communi non faciunt scientiã, quia non sunt cum iis conditionibus supradictis, ita per oppositum præmissæ demonstrationis faciunt scientiam, quia sunt cum iis conditionibus, & ideo dicit Arist. {non enim faciet scientiam} quasi dicat, quòd si præmissæ demonstrationis erunt sine iis cõditionibus supradictis. tũc ipsa demonstratio non faciet scientiam, & sic de primo ad ultimum patet probatio illius cõsequentię supradictæ circa illam illationem, quam fecit Arist. in principio tex. huius, quando dixit si scire est huiusmodi, idest cum illis conditionibus, oportet etiam præmissas. quibus fit ipsa demonstratio, esse huiusmodi. Nota quòd per {eius quod demonstratur} intelligit prædicatum quod dicitur de subiecto in conclusione, quam uocant rem scitam, & rem conclusam infra cap. 25. & hoc modo debet exponi hæc secunda pars textus, & dicãt alii quicquid uelint. Falsum est etiam, quòd aiunt expositores, quorum primus fuit Linconiensis, quod Aristo. posuerit hic definitionem secundam demonstrationis in genere causæ materialis, & quòd demonstret hanc definitionem materialem per definitionẽ formalem superius datam: nam præter id quod diximus in principio textus, adhuc dicimus quòd tantum unam assignauit Aristo. definitionem ipsius demõstrationis. pro cuius intellectu notato, quòd secundo physicor. finis tam in naturalibus, quàm in artificialibus, necessitat & appropriat, non solum formam, sed etiam materiam propriam, in qua sit illa forma, & conditiones proprias utriusque, & omnia quæ sunt ad finem: sic dicendum est in proposito, quod Aristo. ex fine necessitauit materiã demonstrationis, scilicet ipsas præmissas, & conditiones præmissarum ex conditionibus finis, hoc modo, scire simpliciter quod est finis demonstrationis, simpliciter, est huiusmodi. s. cum illis cõditionibus iam declaratis: ergo & instrumẽtum eius, quod est demõstratio debet habere præmissas huiusmodi. i. cum illis cõditionibus, ex quibus cõpleta definitio demonstrationis simpliciter hoc modo col

nis Arist. in fin. 2. & in princ. 3. lib. fit ibi sermo de consuetudine, sed omnes ueram Auer. doctrinam insequentes, hoc deinceps tueri, & dicere debent, quòd est Auer. digressio, quam ipse facit in primo physi. in comm. 60. in cuius cap. fine de consuetudine Auer. sermonem facit, quod cuique ex ipsa uerborum scire facile innotescere potest. ad hoc illud procemium octauo physi. an sit germanum Auer. uel fictitium, ambigendum est, hæc monuisse uoluimus, ut huiusmodi errores, non Auer. sed interpretis, aut scriptoris uitio facti credantur, & sic est finis procemii huius lib. poster. Arist. contra placitum omnium logicorum qui usque adhæc tempora fuerunt.

Vera quidem igitur oportet esse, quoniam quod non est, non est scire: ut quoniam diameter commensurabilis. Ex primis autem, & indemonstrabilibus quis non sciet: non habens demonstrationem ipsorum: scire enim quorum demonstratio est non secundum accidens, est habere demonstrationem.

Completo procemio (quicquid alii dicant) nunc incipit tractatus: quod uerum esse probatur ex Aristo. tertio rethor. cap. 16. ex quo colligitur quòd tractatus dicitur ille, in quo artifex incipit tractare rem inuentam, & subiectum præcognitum, seu propositum, sed Arist. ab hoc tex. decimo incipit tractare distincte, quæ inuenit & præposuit, a primo textu, usque ad hunc decimum: meritò igitur dicendum est, quòd Arist. ab hoc tex. 10. incipiat tractatũ. Maior iã clara est ex Arist. loco supradicto, & minor probatur, ex modo procedendi Arist. in hoc tex. nam incipit tractare inuenta, & præposita in procemio, quando dicit {Vera quidem igitur} inuenit, & sumpsit ex conditionib. ipsius scire quod est finis, quot, & quales debent esse conditiones pręmissarum demonstrationis simpliciter, ueluti exarauimus in expositione tex. septimi, & eas præmissarum conditiones enumerauit, & proposuit in tex. nono, nunc de ipsis conditionibus propositis distinctam incipit facere pertractationem. nam inter alias conditiones ipsarum præmissarum, quas ipse Arist. in tex. nono sumpsit, numerauit, & proposuit, hãc primam assignauit, dicens {Si igitur ipsum scire est ut posuimus, necesse est & demonstratiuam scientiam, & ex ueris esse} & in hoc tex. Arist. incipit, a ueris, dicẽs, {uera quidem igitur oportet esse} Signum igitur euidentissimum est, quòd Arist. ab hoc tex. decimo incipiat tractatum huius primi libri poste. & hoc idem confirmatur auctoritate Auer. qui in calce comm. 9. ponens continuationem huius decimi tex. ad præcedẽtes, dicit {& postquam pronunciauit connexum harum conditionum ipsis præmissis, incœpit notificare modum nexus harum conditionum ipsis demõstrationis pręmissis. {Tunc si pronunciauit, & proposuit, ergo signũ est, quod procemium fecit, nam hoc est munus procemii ueluti docuit nos Arist. tertio rethor. cap. 14. ut sit præludium omnium dicendorum in tractatu, & si incœpit notificare modum ab hoc tex. decimo, ergo incipit exequi quæ proposuit, & inceptio executionis non est aliud, quàm narrare, & tractare, ut patet tertio rethoric. cap. 16. quamobrem omnes deinceps ad hanc (unanimi assensu) conuenire debent sententiam, quòd expleto procemio, Aristo. nunc incipiat tractatum. Et quoniam narratio, seu tractatus in demonstratiuis non est continuus, sed in partes diuisus, ueluti nos docuit Arist. in tertio rethor. cap. 16. propterea præsentem tractatum primi lib. poster. in duas principes partes secandum asserimus: Sed cur in duas diuidendum partes putauerimus, ratio talis assignatur, quia oẽ quod pertractatur in primo libro poster. est duobus modis, aut ex necessitate, aut ex bonitate, tractet enim de quibusdã ex necessitate, a tex. decimo usque ad cap. 31. & de quibusdam aliis ex bonitate à 31. usque ad finem libri. Quomodo autem hoc sit, ostenditur ex diuisione eiusdem tractatus in minores portiones scilicet in capita, per quas minores portiones Auer. intellexit capita, & textus, quando ipse dixit in prologo, quòd primus liber poster. partitur in minores portiones, unde dicimus, quòd Aristo. primo tractat de illis, quæ sunt ex necessitate, & hoc facit ipse, ab hoc tex. decimo usque ad 30. ubi loquitur de demonstratione simpliciter, in 30. autem cap. loquitur de duabus aliis speciebus demonstrationis, scilicet propter quid, & quia, & ista sunt, de quibus Arist. pertractauit ex necessitate, & a. 31. usque ad finem huius primi libri tractat de quibusdam ex bonitate doctrinæ, nam in ipso. 31. cap. tractat, & docet quæ figura sit conuenientior ipsi demonstrationi, in 32. loquitur de syllogismo ignorantiæ, ne decepti per talẽ syllogismum, deficiamus a simpliciter scire, quod habetur per demonstrationem simpliciter. in 33. quomodo sint nota principia demõstrationis, sensu, uel inductione sensata, a. 34. usq; ad 38. probat statum in mediis demõstrationis. in 38. docet quòd non licet in demonstratione sumere terminos alterius generis scientiæ. in 39. de demonstratione uniuersali, & particulari, quæ illarum potior. in 40 utrum affirmatiua demonstratio, uel negatiua sit melior. in 41. de ostensiua ducente ad impossibile. in 42. quæ scientia certior, & prior altera. in 43. quę eadem & quę diuersa scientia, & quòd non omnium eadem sunt principia syllogismorum, in 44. de differentia inter sciẽtiam, & opinionem, & de solertia, & habitu necessario ad inuentionem medii & sic habemus 44. capita in quæ secauit Auer. in sua paraph. & media expositione, hunc tractatum primi libri poste. in minutissimas quoque portiones ipse Auer. hunc eundem tractatum diuisit in magna comm. quã in præsentiarum exponimus, scilicet in tot commentationes, & textus, quorum numerum breuitati studentes, omisimus. Et quoniã tractatus continuari debet ad procemiũ, propterea nos sic continuando dicimus, postquam Arist. in procemio ex conditionibus finis inuenit, enumerauit, & proposuit conditiones præmissarum, quæ sunt instrumenta ad ipsum scire quod est finis, nunc distinctè de ipsarum præmissarum conditionibus tractare incipit. declarãdo modum & causam, propter quam tales conditiones insint ipsis præmissis demonstrationis simpliciter. & aduertas, ꝙ causa communis, propter quam omnes conditiones illę debent esse necessario conuenire ipsis pręmissis demõstrationis simpliciter, est ista, quia si ipsæ præmissæ essent sine iis conditionibus, tunc non facerẽt scire. Et diuiditur uerbum Arist. in tex. {Quoniam quod non est non est scire.} Occurrit dubitatio, nã uidetur esse oppositũ. quia textus iste diuiditur in duas partes, secundũ numerum duarum conditionum ipsarum præmissarum, quas intendit in hoc tex. declarare: in prima parte ibi {Vera quidem igitur} declarat primam conditionem præmissarum, assignando causam, quare oporteat præmissas esse ueras: in secunda parte ibi. {Ex primis autem declarat secundam conditionẽ, cur etiam oporteat ipsas præmissas esse primas. & indemonstrabiles, seu immediatas: quo ad primam partem igitur huius tex. Aristotel. assignat causam significatam per ly, {Quoniam} propter quam, necessarium est præmissas esse ueras: & ratio ad explicandum hanc causam, sic debet formari. Illud necessario inest principio demonstratiuo, sine quo non facit scire finem suum simpliciter: & si non ueræ, sed falsæ sunt præmissæ, non faciunt scire finem suum: necessario ergo oportet præmissas esse ueras, necessitate sumpta, a causa finali, scilicet ab ipso scire. Et notato, quod huius rationis ponitur minor in textu, quando dicit. {quoniam quod non est, non est scire,} idest illod quod est falsum, non {est} idest non facit scire, si igitur præmissæ sunt falsæ, tunc non faciunt scire, nam ex falsis non sequitur nisi falsum, uel falsa con-

clusio: sed falsum non scitur, & dat exemplum Arist. quando dicit, {ut quoniam diameter commensurabilis.} nota quod diameter est linea transuersa ab angulo ad angulũ, quadrangulum intersecans, quæ longior est, & incommensurabilis costis, quæ sunt quatuor latera quadranguli: & dicit Arist. diametrum esse commensurabilem est falsum, & ideo non potest sciri: a primo ergo ad ultimum si præmissæ falsæ non faciunt scire, necessario ergo oportet eas esse ueras, & quando dicit Aristo. {uera quidem igitur oportet esse} est conclusio supradictæ rationis, adeo quod illius rationis, primo conclusionem, deinde ponit minorem. Et ad ponderationem uerborum dicimus, quod dixit Aristo. {uera} in numero plurali in neutro genere referendo ad principia demonstrationis, de quibus locutus erat. Dixit {oportet} notans inhærentiam talium conditionum debere esse necessariam, propter quod differt à principio topico, quod non est uerum necessarium. Dixit {quoniam} notans causam propter quam (ut diximus) oportet præmissas esse ueras. Deinde dicit {et ex primis} hæc est secunda pars huius tex. in qua Arist. ponit secundam conditionem præmissarum, quod, scilicet, oportet etiam ipsas præmissas esse primas et indemonstrabiles, & assignat causam per illam particulam {quia} significatam. Et formatur ratio hoc modo ad explicãdum causam istam propter quam necessarium est ipsas præmissas esse primas & indemonstrabiles: Illa sunt necessaria præmissis demõstrationis simpliciter, sine quibus non faciunt finem suum, scilicet scire simpliciter: sed ipsæ præmissæ non faciunt finem suum, nisi fuerint primæ & immediatæ: ergo oportet necessario eas esse primas & immediatas seu indemonstrabiles: maior patet, & minor ponitur in tex. Aristo. quando dicit, {quia non sciet non habens demonstrationem ipsorum} idest aliquis non potest scire {non habens demonstrationem ipsorum} idest non sumens ipsas præmissas in demonstratione, primas & indemonstrabiles, & Aristo. probare uolens hãc minorem, assumit, in tex. hoc fundamentum, quoniã scire per se & non per accidens ea quorum est demonstratio, non potest esse, nisi per demonstrationem, & nõ alio modo. & hoc fundamentum explicat Arist. ijs uerbis. {scire enim quorum demonstratio est non secundum accidens, est habere demonstrationem.} tunc stante hoc fundamento, uult sic Aristo. probare minorem: uel præmissæ demonstrationis sunt primæ & indemonstrabiles, uel sunt demõstrabiles & non primæ: si sunt indemonstrabiles, tũc habetur intentum: si uerò sunt demonstrabiles, tunc non poterunt sciri nisi per demonstrationem, ut patet per fundamentum, & tunc quæro de præmissis illius demonstrationis, per quam demonstrantur illæ præmissæ, an sint indemonstrabiles, uel demonstrabiles: si indemonstrabiles, habetur intentum, si demonstrabiles, adhuc quæritur de illis & sic uel dabitur processus in infinitũ, uel oportebit præmissas demonstrationis esse primas, et indemo[n]strabiles; sed processus in infinitum abhorretur; ergo dicendum est præmissas necessario esse primas, et indemõstrabiles: hæc circa duas rationes quas facit hic Arist. unam, scilicet ad probandum quòd præmissæ debent esse ueræ. aliam uero quod præmissæ debent esse primæ & immediatæ seu indemonstrabiles. Sed dices, cur dixit quorum demonstratio est, ut patet in tex? Respondetur quòd dixit hoc Aristo. ad differentiam primorum principiorum, & diffinitionum per se notarum, quæ non sciuntur per accidens, sed sunt per se notæ, immo magis notæ, & sciteæ quam conclusio, ut docuit Aristo. primo posteriorum tex. com. decimo quinto & decimosexto, & tamen de eis non habetur demonstratio: nam de illis habetur demonstratio, quæ sunt quæsita, idest ignota naturaliter. & sic dicimus quod Aristot. ut uerificaret suum dictum, dixit hoc modo: scire per se & non per accidens, ea quorum est demonstratio & habere demonstrationem: quia contingit scire per se prima principia, & ipsam definitionem, quod quidem scire, non est habere demonstrationem. Et quando dixit {non secundum accidens} aduertas, quod debet addi ad ly scire, ut sit sensus, quod non fit sermo de scire secundum accidens, sed de scire per se: sicuti dixit ipse Aristo. in tex. secundo, nam de scire per accidens non est habere demonstrationem. Dubitatur etiam, quare Aristot. loquens de conditionibus præmissarum incepit a ueris potius, quam a primis, uel notioribus, uel prioribus, uel ab aliis? Dicitur Aristot. multis de causis id egisse, tum quia prosequi intendit eo modo quo proposuit: at in tex. nono enumerando, & proponendo conditiones præmissarum prius numerauit, & proposuit illam conditionem esse ex ueris, ergo similiter debuit prosequi prius à ueris incipiendo: cum etiam, quia uniuersalia sunt ordine doctrinæ præponenda, ut docuit Aristo. primo physi. tex. com. quarto, & hoc fieri debet propter tres causas ut exarauit Auerr. in prologo physic. & in prologo primi poste. magnæ com. prima causa est, quia sunt notiora apud nos, & hæc assignatur ab Arist. primo physi. tex. com. 4. & tex. com. 57. ubi dicitur, est enim secundam naturam prius communia dicere, et sic circa unumquodq; propria speculari, secunda causa est, ne fiat repetitio in scientia, & hæc sumitur ab Arist. in primo de partibus animalium in principio, ubi inquit, quod ab ipsis communibus est incipiendum, ne idem multoties repetere cõtingat. tertia causa est, ut demonstrationes procedãt ex primis & propriis & hęc tertia causa sumitur ab Aristo. in primo poster. in cap. de uniuersali. Cum igitur esse ex ueris, sit uniuersalior conditio inter alias conditiones, propterea prius ab esse ueris exordiri uoluit Ari. quã ab aliis: & quod esse uerum sit uniuersalius quam aliæ cõditiones, patet, quia multa habent esse uerum, quæ non sunt prima, & immediata: & similiter multa habent esse uerum, quę non sunt causæ, sed effectus. & hoc totum in præmissis demonstrationis quia: ergo esse uerum est uniuersalius, & merito ab eo incepit Aristot. Amplius super illud nulla rosa existente in hyeme, potest esse scientia de ea, nam scitur a medicis, quod est temperata, & calori febris conueniens: sed quia de rosa in hyeme dici posset, non esse uerum quòd sit non ens, licet enim non sit in hac regione, alibi tamen erit, ubi uer sub æquinoctiali est, & sic non est uerum, quod sit non ens aliquando: idem dubium est de quibusdam rebus, quæ (ut dicit Themistius secundo de anima cap. uigesimoquarto) habent esse æternum, tempore non continuo, ut genita per putrefactionem, nam quando non sunt, de eis est scientia, & quo ad generationem eorum, & quo ad reliqua, Philoponus, eiusque sequaces respondent, quod non entis est scientia, quoniam non est ens, sicuti falsum scitur, quoniam non est uerum, & sic concedunt, non ens posse sciri, quod est non ens: & dicunt Aristo. opinionem esse, quod non ens, non potest sciri, quod sit ens, et similiter falsum non potest sciri, quod sit uerum. Sed proculdubio Philoponi et sequacium solutio non est ad propositum, quia Ari. dicit non ens, idest falsum non scitur, et sic de hoc est dubium, an falsum sciatur, et non mouetur dubium, an falsum sciatur, quod sit falsum, et similiter, non ens sciatur, quod non sit ens, et sic cum Aristotel. loquatur de scire positiue et Philoponus de scire priuatiuè, sequitur ipsum Philop. et sequaces errasse. Alia fuit opinio, quam communiter antiqui tuebantur, dicendo rem habere esse tripliciter, scilicet in se, in suis causis, et apud intellectum: res habet esse in se, quæ habet esse actuale: res habet esse in suis causis, quæ non est, sed tamen sunt causæ, ex quibus potest esse: res dicitur habere esse tantum apud intellectum, quæ non est nec potest esse, sed bene est intelligibilis, ut chimera et hircocerius: et tunc habita hac distinctione, aiebant antiqui, quod de ente habente esse tantũ penes intellectũ

non

non habetur scientia, sed de ente habente esse in se ipso, aut in suis causis bene habetur scientia: licet ergo nulla sit rosa in hyeme, aut illæ aliæ res, in seipsis, tamen sunt in suis causis. Omittendo ea quæ, a quibusdam recentioribus, contra huiusmodi antiquorum opinionem afferuntur: potest argui per ea quæ diffusius declarauimus supra in expositione secundi tex. de præcognitione quia, an dicat esse essentiæ, an esse existentiæ, & ex eis demonstratiue concludi potest contra antiquos, quòd Arist. non intendat loqui de esse in suis causis, nam ex Auerro. secundo post. comm. 33. & in quinto metaph. comm. 14. esse quod præcognoscitur non est esse aptitudinale & in suis causis neque est esse existentiæ, sed est esse uerum, quod ita, scilicet sit in anima, sicuti est extra animam. Ægidius Romanus secus respõdere credens, dicit rem habere duplex esse .s. actuale, & prædicamentale, licet ergo rosa corrupta nullum habeat esse actuale, tamen habet esse prædicamẽtale cum sit res prædicamenti: cum igitur res abstrahat ab esse actuali, sufficit, quòd res habeat esse prædicamentale: ideo de rosa habetur scientia post corruptionẽ eius, quia adhuc habet esse prædicamentale, ut patet. Hęc responsio Ægidii uidetur esse eadem cum illa antiquorum, esse enim potentiale, est esse in causis suis, esse in causis, non est aliud, quàm causæ ipsæ aptæ natæ causare causatum, seu aptitudines earum ad causandum, quod est esse essentiæ, & potentiale. unde eadem argumenta, quæ aduersus antiquos cõcluduntur, eadẽ prorsus aduersus Ægid. concludere asserimus. Alij dicunt, quòd licet rosa non sit, tamen potest esse, & ei non repugnat esse, quod sufficit, ut sit scibilis, quasi dicant, esse aptitudinale præcognosci de re scibili, & ita exponunt, quòd est, idest quod est aptũ natum esse scibile, & quod non est. i. quod non est aptũ natum esse scibile. Hæc etiam opinio est eadem cum illa antiquorũ & Ægidij Romani, & propterea similiter potest dici aduersus istos, nam falsum est quòd esse aptitudinale sit esse præcognitum de re scibili, ut in secundo tex. uberrimè commonstrauimus. Illorum etiã opinio, de ente distinguens, scilicet in actu & in potẽtia ex nono metaph. tex. com. 13. & Burlei quoque dicentis, ens sumi tripliciter, communissimè, communiter, & strictissimè. & aliorũ dicentium, ens transcendenter sumptum, commune esse, tam ad esse actuale, quam ad esse aptitudinale, hæ inquã omnes opiniones, licet uerbis differre uideantur, tamen cum conueniant in illo esse aptitudinali, potentiali, seu cõmunissimo, uel communiter dicto, eisdem profecto rationibus ruunt, cum esse quod præcognoscitur de scibili, nullo modo sit esse potentiale, aptitudinale, communissimũ, & esse essentiæ, ut sole clarius in tex. secundo, demonstrauimus. Et ideo omissis aliorum positionibus & sententijs secus dicendum esse asserimus. sed antequam distinctè dubij solutio pateat, primitus sciendum est, quòd ens uerum duplex est, ut nobis notatũ reliquit Auer, in quinto metaphy. commen, 14. & secundo posteriorũ com. 33. ens uerum est duplex, sicut latius in tex. secundo annotauimus, quoddam simplex, quoddam uero compositum: ens uerum simplex est omne illud quod est, in prima operatione intellectus, siue fuerint termini simplices, siue, definitio, quæ cum non dicat esse, neq; non esse, est in prima operatione intellectus, & habet esse uerum simplex: sed ens uerum compositum est illud quod est in secunda operatione intellectus & tale esse uerum dicitur compositũ, quia explicatur per enunciationem cum copula uerbali, ut patet primo de interpretatione, cap. quarto. tunc hac stante distinctione, dicendum est, quod cum dixit Aristo. præmissas oportere esse ueras, intellexit, de uero composito, scilicet ex nomine & uerbo, nã præmissæ sunt propositiones, & componuntur ex nomine, & uerbo, ergo de esse uero composito intelligendum est pro prima conditione pręmissarum, quando dixit Arist. uera quidem igitur oportet esse. Superest modo ad dubium respondere: & licet fuerit responsum a nobis eidem dubio in tex. secundo, nihilominus in præsentia quædam in summa rememorantes dicimus, quod esse quod pręcognoscitur de aliquo scibili, nõ est esse actuale, nec esse aptitudinale seu potentiale, nec existentiæ nec essentiæ, sed est conformitas esse potentialis & essentiæ in mente concepti, ad esse actuale existentiæ, & extra mentem: & licet non sit indiuiduum extra animam, inuenitur tamen indiuiduum in sensibus hominum memoratum, quod sumptum fuit à re extra animam aliquando existente, & hoc sufficere dicimus, ad hoc ut sit scientia de eo: quando uero nec extra animam existit, nec phantasma sumptum fuit a re extra animam quod fuit conforme rei in anima, tunc non ens simpliciter est, & non scibile: modo rosa & cætera illa prædicta licet extra animam non sint, est tamen species indiuidui sumpta a re extra animam, quæ aliquando fuit.

Quæres quid intelligit Aristo. per primum, quando dicit, quod oportet præmissas esse primas? Dicitur sicuti habetur in hoc primo poster. commen. 36. & ab Auerro. in epitom. logic. quæstio tertio & quęstio quarto. & in epistola de primitate prædicatorum, quod primũ est duplex, primum primitate subiecto, & primum primitate causæ. hanc etiam distinctionem posuimus expositione textus noni. & aduertas quod utrunque primum habet tres istas conditiones, scilicet de omni, per se, & inquantum ipsum primum primitate subiecti dicitur, quia non habet prius subiectum cui insit, ut accidens proprium respectu sui subiecti: primum primitate causæ, est illud, quod non habet priorem causam per quam inest, sicuti differentia, & tota definitio, quę non habent priorem causam, per quã insint ipsi subiecto, immo sunt ipsummet esse priorum subiecti, ex hac distinctione patet iam, quid intelligat Arist. per primum. dicimus namq; quod intelligit primum primitate causæ, idest præmissas oportere esse primas, non habentes priores causas: signum est, quia infra tex. 13. se ipsum exponẽs Arist. dixit idem intendo primum, quod proprium principiũ, proprium autem principium est propria causa, non habens priorem causam. Quæres etiam quid intelligit per immediatum seu indemonstrabile? Dicitur quod Arist. infra, decimotertio tex. se ipsum exponit, quod immediatum est indemonstrabile, non habens causam priorem qua possit demonstrari. Adhuc scire cupis, cur copulatim ponit ea Aristo. cum copula, &? Pro solutione notandum ex Arist. infra tex. 13. quod primũ & immediatum sunt idem subiecto, & differunt ratione, sunt namq; idem subiecto, quia primum causæ non est aliud subiecto, quàm esse indemonstrabile, nam si non habet priorem causam, ergo est indemonstrabile. ex quo patet responsio, quia sunt idem subiecto, ideo copulantur per ly, &. uide etiam pro hac responsione, quæ diximus, eidem dubio respondendo in text. nono. Insuper dubitatio occurrit, quia Arist. uidetur sibi contradicere, nam dicit in hoc tex. pro secunda conditione præmissarum, quod debent esse primę, & immediatæ seu indemonstrabiles: oppositum tamen huius protulit in primo topicorum cap. primo, ubi, definiendo demonstrationẽ, dixit, quod est ex primis, aut ex eis quę sunt nota ex primis, ergo si demonstratio potest esse ex eis, quæ sunt nota ex primis tunc non erit ex indemonstrabilibus, & sic expresse Arist. uidetur sibi contradicere. Dicendum, haud quaquam Aristo. sibi contradicere, nam primo top. primo, Arist. definiuit demonstrationem communem ad omnes tres species demonstrationis, hic uero dat cõditiones pręmissarum non omnium, sed tantum præmissarũ demonstrationis simpliciter, nam sicuti a tex. hoc. 10. usq; tex. 30. loquitur tãtum de demonstratione simpliciter, na tantum assignat conditiones præmissarum demonstrationis simpliciter, nã demonstratio quia, non habet pręmissas

immediatas immediatione causæ, ut docuit Arist. primo poster. cap. 30. sed mediatas, & sic sunt demonstrabiles: & hoc modo dicendo, haudquaquam Arist. sibi contradicit, & Auer. in commen. hoc idem confirmat dicens, Præmissas esse immediatas intelligi debere, de præmissis demōstrationis simpliciter, sicuti etiam in expositione com. annotabimus.

Commen. 10.

Dixit, quoniam ipsas esse mendaces.} Hoc commentum non diuiditur. Auer. enim nihil aliud in eo facit, nisi ꝙ exponit, & aduertendum quod Auer. nō prætermisit continuationem huius tex. nam in calce com. 9. habetur, ut ibi notauimus & uitio translatoris, aut interpretis factum est, quod illa continuatio non fuerit posita in principio huius com. nam sic continuat Auer. cum pronunciauit nexum & inhærentiam harum conditionum ipsis pręmissis, nunc dat modum. i. causam assignat, propter quā necessarium est tales conditiones inesse ipsis præmissis, et per hāc continuationem probauimus in principio tex. ꝙ ab hoc tex. 10. incipit tractatus. Dicit igitur ipse Auer. exponendo tex. quod si præmissæ essent {mendaces, } idest falsæ, & non ueræ, tunc cum sint causæ, erit quoque conclusio falsa: & probat istam consequentiam Auer. quando dicit { & hoc quidem pro maiori parte } idest ideo ex præmissis falsis sequitur conclusio falsa, quoniam per se & pro maiori parte ex falsis sequitur falsū: si igitur præmissæ erunt falsæ, sequitur per se conclusio falsa, & non ens & nō scita. sed cōclusio demōstrationis, debet esse uera, & scita, quare pręmissæ debent esse ueræ. hæc est ratio, quam facit Auer. supra tex. Aristo. ad probandum, ꝙ necessariò præmissæ debent esse ueræ: Deinde dicit. { illæ enim } remouet dubitationem, quam quis facere posset, & dubitatio talis est, quia in libro priorum dictum est, & commonstratum est, quod ex falsis non solum sequitur falsum, sed uerum, licet ex ueris non nisi uerum; & sic, si ex falsis potest sequi conclusio uera, similiter in demōstratione præmissæ possunt esse falsæ, & conclusio sequetur uera ex eis, Ad hoc respondet Auer. licet {ille} scilicet Arist. dixerint in lib. priorum, ꝙ ex falsis pręmissis sequatur cōclusio uera {sed hoc secundum accidēs}. idest hoc tamen per accidens est, & raro, ꝙ scilicet conclusio uera sequatur ex pręmissis falsis, nam per se ex falsis præmissis, quatenus falsæ sunt, non sequitur nisi conclusio falsa. & uult Auer. dicere hoc modo per illa uerba {sed hoc secundum accidens} quod regulæ logicæ, sicut & aliæ regulę artis in maiori parte sunt uerę, raro autē & peraccidens sunt falsæ: similiter dicendum est ad propositum, quòd Aristo. usus est regula per se, nam per se ex falsis semper sequitur falsum, si uero sequitur uerum, hoc est per accidens: Sed obijcies, quia sexto metaph. sexto, artifex nō docet, quod est per accidens, & raro, quomodo ergo dicitur, quod Arist. doceat in libro priorum, uerum sequi ex falsis, si per accidens & raro hoc est? Dicendum, quod artifex docet per accidens, non per se & de intento, sed ad discernendum ipsum ab eo quod est per se, ne impediat ueri cognitionem. Exemplum, primo elench. ipse Arist. docet syllogismum sophisticum, non ut per se intentum, sed ad discernendum ipsum, a syllogismo per se, ne impediat ueri, & existentis, syllogismi cognitionem. Aliud exemplum ad hoc propositum Arist. secundo priorum cap. primo dicit, uelle docere syllogismum, qui principalē syllogizat conclusionem, ut sub uniuersali multæ particulares existunt: particulares enim sunt secundario mediante uniuersali: similiter docet eundem syllogismum concludere conuersam & conuenientem, qui syllogismus (ut dicit Auer. primo priorum cap. 6.) infert per accidens, mediante conclusione per aliud & non est naturalis, sed artificialis, per accidens & non per se concludens. Ita in proposito in secundo priorum Arist. docet ex falsis uerum inferri. per accidens tamen & rarò, non ut intentum, & naturalem syllogismum, sed ut discernat, ab inferente per se uerum, ut eius cognitionem non impediat. Amplius Arist. secundo priorum secundo, dixit præmissas falsas inferre conclusionem ueram, quoniam est, sed non propter quid est, & uult dicere inferre esse ueram, quia est tantum uera, & significat quia, & non propter quid: non quod præmissæ falsæ sint causæ suæ ueritatis, & illationis, sed uirtute illius principii, uerum sequitur ad quodlibet. Quo stāte potest dici, quòd Arist. dicit in lib. priorum, quod ex falsis sequitur uerum, quoniam, idest quia est, & nō propter quid est & est per præmissas falsas tanquam causas illationis, hic autem dicit, ex falsis sequi falsum propter quid, quia præmisse sunt causæ conclusionis, & illationis suæ: ideo hoc modo exponendo possumus uti hac regula uerisimiliter uera, deinde dicit. { intendit demonstrationes simplices } Auer. declarat de qua demonstrationum specie intendat Arist. dum dicit præmissas debere esse immediatas, & dicit quod intelligit de præmissis demonstrationis simpliciter: quasi dicat, nec quia, nec propter quid: nam præmissa in demonstratione quia, est effectus notificatus a causa priori; in demonstratione uerò propter quid, præmissa est causa notificata ab effectu notiori: ut patet infra com. 95. sola namq; præmissa demonstrationis simpliciter indemōstrabilis est omni modo. Et cum dicit. { & illæ sunt } assignat rationem, quare ista conditio. s. præmissas esse immediatas, debet uerificari de præmissis demonstrationis simpliciter. & antequam erigatur ratio quam facit Auer. primitus ista notanda sunt. primum est quod demonstratio in communi dicitur analogicè de suis tribus speciebus sicuti enucleauit Auer. in hoc primo poster. com. 95. & in epito. log. quæsito sexto, contra Auicennam, & lege quæsitum nostrum de regressu demonstratiuo, ubi ostēdimus, quòd demonstratio dicatur analogicè. secundum hoc est. octauo metaph. septimo, & secundo metaph. tex. com. quarto & septimo metaph. tex. com. quarto & septimo, & primo poste. tex. com. 15. cum fuerint plura, quorum alterum est causa alterius, illud quod est causa, dignius habebit illud nomen. tunc stantibus his præsuppositis, hoc pacto erigi debet ratio quam facit Auer. de illis præmissis hæ conditiones intelligi debent primo & principaliter, de quibus nomen demonstrationis dicitur primo, sed de præmissis simpliciter, nomen demonstrationis dicitur primo: ergo de præmissis demonstrationis simpliciter, istæ conditiones debent intelligi primo. huius rationis Auer. explicauit minorem ibi { & illæ sunt de quibus dicitur demonstrationis nomen primo }. & declarans Auer. quomodo tales præmissæ demōstrationis simpliciter sint primæ, dicit eas esse naturaliter primas. Et notato quod dupliciter potest intelligi, ꝙ præmissæ huiusmodi dicātur naturaliter primæ, uel quia sunt causa prima apud naturā idest, quia non habent causam priorem apud naturam, & hoc est uerum, ut diximus: uel quia sunt priores apud naturam: nam, ut dicemus infra tex. com. 18. & etiam primo physi. tex. com. secundo, notum nobis est posterius & sensatum, notum uero naturę est prius. uult ergo sic dicere Auer. quod præmissæ demonstrationis simpliciter sunt naturaliter primæ, idest primo notæ, & uerę apud naturam quia sunt causæ primæ. Deinde dicit, { hæ enim demonstrationes, } quia Auerro. dixerat in minori suæ rationis, quòd demonstrationis nomen primo dicitur de premissis demonstrationis simpliciter. nunc uult probare hanc minorem, & simul etiam probat, cur demonstratio simpliciter dicatur primo, & principaliter demonstratio: & probatio talis est. quandocunq; aliquid est causa alterius, ut aliqua dispositio & pędicatum sibi conueniat, tunc uerius illud dispositionem illam & prædicatum sumit: sed præ-

missę

missæ demonstrationis simpliciter, sunt causa quare præmissæ aliarum specierum demonstrationis habeant hanc dispositionem & prædicatum, ut dicantur præmissæ, ergo præmissæ demonstrationis simpliciter primo & principaliter habent istam dispositionem & prædicatum, ut dicantur præmissæ. potest etiam subsumi ista alia minor, sed demonstratio simpliciter, est causa quare aliæ species demonstrationis dicantur demonstrationes, ergo demonstratio simpliciter, primo & principaliter habet hoc nomen, ut dicatur demonstratio, & sciri uolumus quod huius rationis primo ponitur minor ab Auer. ibi {hæc enim} & secundo ponitur maior. ibi {quicquid autem est causa} & ista maior patet ex illo secundo notando, et tenet etiam uirtute regulæ, quam docuit Aristot. primo poster. tex. commen. 25. propter quod unumquodq; tale, & illud magis. & minor probatur, quia tam demonstratio quia, quam propter quid, egent demonstratione simpliciter tanquam causa, & non econtra. & quòd egeant, sic declaratur, & primo probatur quod præmissæ demonstrationis, quia, egeant ipsa demonstratione simpliciter, quia præmissæ ipsius demonstrationis quia, uel fuerint signa, uel effectus, semper sunt demonstrabiles, & mediatæ, & sic egent causa notificante propter quid, quæ est causa formalis. & ex consequenti egent demonstratione simpliciter, quia ipsa demonstratio simpliciter (ut sæpius diximus) tantum per genus causæ formalis demonstrat. probatur secundo similiter de præmissis demonstrationis propter quid, quia procedunt ex aliis generibus causarum quæ non faciunt scire simpliciter, & perfectum: & ideo egent demonstratione simpliciter, ut faciant scire perfectum: præmissæ uerò demonstrationis simpliciter, cum sint nobis notæ, & naturæ, ut patet infra tex. commen. 12. nullo egent, ut sint notæ: nam quatenus sunt sensatæ, sunt notæ nobis: quatenus uerò sunt causæ & priores in esse, sunt notæ naturæ. Quando dicit {primæ itaque} ponit conclusionem supradictæ rationis. Deinde dicit {& hoc innuit} redit ad textum, & uult quod quando Arist. loquitur de demõstratione, quæ est per se, & non per aliud, intelligat præmissas eius necessario esse immediatas: quia si essent mediatæ, tunc illa demonstratio non erit per se demonstratio, sed per aliud. {Et dixit nullo} hic probat quòd præmissæ debent esse immediatæ, quoniam si scirentur tanquam mediatæ, cum illud quod scitur scientia uera, sit duobus modis, aut per se, aut per demonstrationem, quærit Auer. quo istorum duorum modorum sciuntur præmissæ, & concludit quod {nullo alio itinere, } idest nulla alia uia poterunt sciri ipsæ præmissæ nisi per demonstrationem: nam si scirentur scientia uera {per se, } idest non per aliud, sicuti sciuntur prima principia, & definitiones, tunc essent immediatæ & indemonstrabiles: & sic habemus intentum nostrum, quòd præmissæ debent esse indemonstrabiles, & immediatæ: ergo scirentur per demonstrationem, sed hoc non potest esse quòd sciantur per demonstrationem, ut dicit ibi Auerro. {at iterum} quod uerò non possint sciri per demonstrationem probat quoniam si conueniret præmissis sciri per demonstrationem, inquantum sunt præmissæ; ergo conueniret omnibus præmissis. & probatur consequentia quia ly, inquantum, infert de omni: & si omnes præmissæ sunt scibiles per demonstrationem, tunc dicit Auer. {sequeretur rem procedere in infinitum, } idest daretur processus in infinitum, tam in præmissis, quam in demonstrationibus, aut, dicit Auer. {demonstrationem fieri circulo, } idest daretur demonstratio circularis, nam præmissæ unius demonstrationis scirentur per præmissas alterius demonstrationis, & econtra & sic fieret circulus: sed utrunque falsum est, unde concludit Auer. {igitur præmissæ} oportet ergo præmissas demonstrationis simpliciter esse per se primas, & non scitas {per aliud medium, } idest quod non habeant causas priores per quas sciri possint, & cum subdit Auer. {& quòd demonstrationes} infert correlarium, quod oportet præmissas demonstrationis simpliciter esse per se, immediatas, & indemonstrabiles: quoniam si essent mediatæ, & scitæ per aliam demonstrationem, tunc illa demonstratio, cuius præmissæ probantur per aliam demonstrationem, esset demonstratio æquiuoca, quia per accidens; nam per se, & per accidens, æquiuoce dicuntur: & ideo cum illa demonstratio sit per accidẽs, æquiuocè dicitur. {Et uerisimile est} Quia ratio quam formauit Auer. non est explicata in uerbis Arist. sed implicite continetur, ideo ne aliquis diceret illam rationem non esse Arist. nunc confirmat eam, & dicit, quod {uerisimile est} & rationabile, ut a principio ad finem uerborum, Aristo. non intelligat aliud quam illam rationem quam ipse formauit. Et sic ex hac ratione Auer. habetur, quod illa demonstratio non est per se, sed æquiuoca et per accidens, cuius præmissæ demonstrantur per aliam demonstrationem. Sed uidetur Auer. errare, quia propter eandem rationem, sequeretur demonstrationem propter quid non esse ueram demonstrationem, sed æquiuocè. et probatur ista consequentia per suam rationem, quia illa demonstratio est æquiuoca, cuius præmissæ demonstrantur, et sunt scitæ per aliquod medium: et hoc dicit ibi Auerr. {et quòd demonstratione, Sed præmissæ demonstrationis propter quid, non faciunt scire, nisi prius demonstratæ fuerint demonstratione quia, nam in qualibus præmissis demonstrationis propter quid, est causa notificata ab effectu notiori: ergo ipsa demonstratio propter quid, erit æquiuoce demonstratio, et non uere, et analogice, et sic sequeretur Auerro. sibi contradicere, nam infra, comment. 95. pulcherrime enucleauit demonstrationem in communi analogice dici de suis tribus speciebus, includendo etiam demonstrationem quia, et per eandem etiam rationem posset probari, quod demonstratio quia sit demonstratio æquiuoce, quia eius præmissa est effectus notificabilis a causa priori, quod etiam falsum est. Pro solutione, duo sunt notanda, primum est distinguendum de ipso immediato (sicuti iam diximus) quod duplex est immediatum, unum dicitur immediatum immediatione subiecti: aliud uerò dicitur, immediatum immediatione causæ, tunc dicimus, quod immediatum primo modo sumptum conuenit præmissis, et qualibus omnium demõstrationis specierum, at immediatum secundo modo dictum, tantum præmissis demonstrationis simpliciter, et propter quid conuenit: in eis enim medium est causa prima, qua non est alia prior: præmissæ uero demonstrationis quia, uel fuerint causæ remotæ, uel fuerint signa, uel effectus, sunt mediatæ hoc modo, habent enim causam primam, et priorem per quam demonstrari possent, secundo notandum est, quòd aliud est dicere, præmissas demonstrationis et aliud est dicere præmissas notificari. tunc stantibus hisce duobus, facile euadimus, quod licet præmissæ demonstrationis quia, & propter quid, notificentur, tamen non dicimus eas demonstrari. Auer. uerò intelligit hic præmissas demonstrari, & non tantum notificari: unde uult, quod illa demonstratio sit æquiuoca, cuius præmissæ sunt scitæ, & demonstratæ per aliquam causam priorem: & non intelligit tantum notificari. & hæc est causa, quare demonstratio propter quid non uocatur simpliciter, quia medium eius aliqualiter notificatur, quod non conuenit demonstrationi simpliciter. Ex qua declaratione sequitur Abrahamum Hæbreum huius commen. interpretem, maximopere hallucinatum fuisse, malè enim interpretatus fuit mentem Auerro. nam ipse præsupponit quod Auerro. in hoc commen. ponat distinctionem de duplici demonstratione quòd una sit simplex, & alia composita, & eruditi non possunt inuenire hanc distinctionem in uerbis Auerro. in hoc commen. quinimmo dicimus quod neque alibi in doctrina Auerro. tu

patet infra commen. 95. ubi diffusissime de tribus speciebus demonstrationis loquitur, & in epito. logic. capit. de demonstratione & in quaesitis huiusmodi distinctio inuenitur, quam ipse Abrahamus affert, nam ipse probat talē distinctionem, per hanc similitudinē: sicuti syllogismus quidam est simplex, & quidam compositus, unde dicit ipse, quod sicuti cōtextus, ex syllogismo & prosyllogismo est uerus syllogismus compositus, na aggregatum ex demonstratione & pro demonstratione, est uera demonstratio composita, & concludit quod sicuti uterque syllogismus, tam syllogismus simplex, quam compositus est uerus syllogismus ita quoque utraque demonstratio, est uera demōstratio, simplex et composita. Sed quę dicit Abrahamus falsa sunt, Arist. enim in libro. posterior. loquens de triplici specie demonstrationis nihil meminit huius demonstrationis compositae, quam Abrahamus effinxit, neque dicendum est Arist. fuisse diminutum, & ipse procul dubio, hallucinatus fuit credens demonstrationem simplicem apud Auerro. esse illam quae distinguitur contra demonstrationem compositam. Sed adhuc dubitatio occurrit, nam ex iis quae sunt in hoc comme. uidetur Auerroes sibi contradicere. Nam in comment. dixit & probauit quod demonstratio in communi, dicitur analogice de tribus suis speciebus, sicuti etiam enucleauit in primo post. commen. 95. & in cap. de demonstra. oppositum huius dixit ipse Auer. in epit. logic. in quaesito octauo de definitionibus positione differentibus ubi protulit, quod nomen demonstrationis dicitur uerè, & per se de demonstratione simpliciter. de aliis uero duabus speciebus, dicitur secundum nominis aequiuocationem, ergo contradictio expressa in dictis Auer. Dicitur haudquaquam Auerro. sibi contradicere nam distinguendum est ex Auerr. doctrina ipsū aequiuocum, quoddam enim est purum aequiuocum, & hoc impedit scientiam; quoddam est aequiuocum analogum, & hoc modo intellexit Auer. in quaesito octauo & hoc etiam modo exponendus uenit Auer. ubicunque dicere uidetur, demonstrationem quia, esse demonstrationē aequiuoce, idest aequiuoce analogice.

Causas quoque, & notiores oportet esse, & priores, causas quidem, quoniam tunc scimus, cum causam cognoscimus, & priores, si quidem causa sunt, & notiores, non solum altero modo intelligendo, sed etiam in sciendo, quoniam sunt.

Postquam Arist. superiori tex. declarauit causam propter quam oportet praemissas esse ueras, primas, & immediatas, nunc reliquas eis necessario inesse probare intendit, quod scilicet sint priores, notiores & causae conclusionis. Et huius continuationis causa in promptu est, quoniam declaratis duabus conditionibus ex numero quinque conditionum praemissis demonstrationis conuenientium, ut in expositione tex. 9. comprobauimus, consentaneum nunc erat, tres alias declarare. Tex. iste tres in partes secatur, secundum numerum trium conditionum. & cum dicit {Causas quidem} probat praemissas demonstrationis oportere esse causas, per definitionem scientiae, quoniam ut supradictum est, rem per causam cognoscere, & tunc scimus cum causam cognoscimus ueluti. 1. physi. tex. com. primo, habetur, quare oportet praemissas esse causas. & aduertendum est quod talis probatio, est ex conditione finis ad conditionem instrumenti, sicut diximus. {Et Priores} Cum probauit praemissas esse causas, nunc probat esse priores, per hanc rationem, quia pręmissae sunt causae, & de ratione causae est, ut sit prior in esse eo cuius est causa; ergo praemissae sunt priores in esse. Et cum dicit, {& notiores} declarat ipsas praemissas esse notiores, duobus modis, uno intelligendo quid nominis earum, alio modo sciendo quia uerae sunt. Et aduertas quod iste duplex notioritatis modus, est illa duplex praecognitio, scilicet quid nominis, & quia est, de qua abunde diximus supra in expositione tex. commen. secundo, hoc etiam modo exponit Auer. ut dicemus paulo post in expositione commen. Sed mouetur contradictio in dictis Arist. quoniam Arist. supra in tex. secundo dixit propositiones seu praemissas non praecognosci, nisi quia uerae sunt, & in hoc text. eas utroque modo praecognosci asseruit, quare uidetur sibi contradicere. Philoponus soluere nititur hanc contradictionem dicens quòd supra in tex. secundo tanquam firmum ac confessum hoc praetermisit, quia non est possibile pręcognoscere propositiones seu praemissas, quia uerae sunt nec aliquid quoniam est, quin praecognoscatur quid significet, & huic responsioni Suess. Philoponi assecla acquiescit. Sed contra Philoponum & Suess. sic instatur, quoniam pariformiter Aristo. debebat in tex. secundo dicere, quod de subiecto praecognoscitur quia est, & nullam facere mentionem de quid nominis, & assignatur causa per Philoponum & Suess. quia non est possibile, aliquid praecognosci quia est quin praecognoscatur quid significet, ergo sufficiebat dicere, quod de subiecto praecognoscitur quia est, derelinquendo quid nominis, tanquam firmum, & confessum. Ideo clarius dicēdum est, quod nulla est contradictio in dictis Aristote. praetermissa est enim praecognitio quid nominis praemissarum in secundo tex. tanquam facilis. nam infra Aristote. cap. 25. & in tex. 76. dicit, quod nihil prohibet, quasdam scientias quaedam horum, idest praecognitorū despicere: & exemplificat de dignitatibus, quod non assuinit communia quid significet, quod est aequalia ab aequalibus demere, ueluti infra dicemus loco suo. Sed iunior replicabit, quod eodem modo debebat Aristotel. praecognitionem quid nominis ipsarum praemissarum praetermittere & despicere in hoc tex. sicuti praetermisit supra in tex. secundo. Dicendum est, quod non abre Aristot. explicauit pręcognitionem quid nominis praemissarum in pręsenti text. nam uoluit omnes notioritatis modos enumerare, quibus praemissae praecognoscuntur & dicuntur notiores, & forsassis hoc fuit in causa. quare supra in text. secundo praetermisit, pręsupponens illud fore declarandum loco proprio, scilicet in hoc tex. 11. Illud uero dubium, an de praemissis praecognoscatur quid nominis ratione terminorum, uel ratione totius complexi, non est ut rursum ad ducamus, siquidem satis superq; superius in expositione tex. secundi discussum est, ubi optime comprobauimus aduersus Philoponum, Suess. caeterosq; Latinos, quod de dignitatibus seu praemissis praecognoscitur praecognitio quid nominis, non tantum ratione terminorum, sed etiam ratione totius complexi, quare lege ea quae in tex. secundo exarauimus. Amplius dubitatur circa literam Arist. quia si praemissae sunt causae, ergo frustra probauit eas esse priores. Et probatur hęc sequela, quoniam de ratione causae est, ut sit prior, quamobrem Aristo. superfluus & nugatorius esse censetur. Pro solutione faciliori notandum est, causam duobus modis considerandum esse. uno modo in inferendo seu cognoscendo, & sic effectus dicitur causa suae causae inferendo, quia causa à posteriori infertur, declaratur, & cognoscitur per effectum suum. alio modo dicitur in essendo, cuiusmodi est omnis uere causa, per quam est, & recipit esse suus effectus, & hoc enucleatur in processu demonstratiuo à priori, tam in demonstratione potissima, quam propter quid, ueluti patebit infra in tex. commen. 95. de triplici specie demonstrationis. Tunc habita hac distinctione, dicitur formaliter ad dubium (quicquid alii dicant) quod non ualet sequela; est causa, ergo est prior in esse, quia effectus respectu suae causae, dicitur prior in inferendo seu cognoscendo, & tamen non dicitur prior in esse,

se,

se bene uerum est quod ualet consequentia de causa in essendo, ut pater est causa in essendo sui filij, ergo est prior, non autem tenet de causa in inferendo. Et propterea dicendum est Arist. non fuisse superfluum et nugatorium, probando ipsas præmissas, nedum esse causas, sed esse priores quia uoluit probare ipsas præmissas esse causas, non solū in inferendo, sed etiam in essendo, et iccirco addit, et probauit esse priores. Et quia Arist. dixit, et probauit præmissas esse causas, non ab re ansa dubitādi occurrit, cum quatuor sint genera causarum ex secundo physi. tex. comm. 26. et 70. et secundo poster. tex. comm. 48. sub quonam genere causarum præmissæ dicuntur causæ? Hæc dubitatio soluetur loco proprio. s. in quæsito de medio demonstrationis potissimæ, ideo in præsentiarum sub silentio pertransire putauimus. Quo etiam in loco exactè enucleabitur, quod ideo præmissæ dicuntur causæ, quia in eis continetur medius terminus, qui est causa tantum maioris extremi, ueluti ibidem, iuxta Arist. et Auerr. placita sole clarius demonstrabitur. Alia scitu dignissima occurrit dubitatio, cur Arist. non probauit ultimam præmissarum conditionem, quod sint, scilicet notiores, sicut probauit quod sunt causa, et priores. Dicendum est, quod ideo eam Aristo. non approbauit, quoniam præsupponit ipsam esse notam, et probatam ex propositione illa uniuersali, nam supradictum est omnem doctrinam, omnemq; disciplinam ex præexistenti fieri cognitione, et sic scientia demonstrationis fit ex præmissis prænotis. Quare non oportebat iterum probare præmissas esse notiores, et ex hoc soluendi modo illorum excluditur responsio, qui talem conditionē ab Arist. infra in tex. 15. probatam fuisse asseruerunt.

Commen. 11.

Quum supposuit quòd oporteat. { Auer. quatuor facit in hoc commen. primo continuat, secundo exponit, tertio digreditur, et quarto reuertitur ad expositionem tex. Continuat igitur Auer. cum dicit. {Quum supposuit, } idest cum sine ratione dixit: et posuit, quia nō probauit, et ideo dicit {supposuit} quòd præmissæ demonstrationis generantis ueram scientiam debent esse necessariò dispositæ cum supradictis, et præpositis sex conditionibus enumeratis iam supra in prologo in tex. 9. et ideo dicit. { prout proposuerat} statim prosequitur Auer. & dicit. {intendit hoc commostrare} Nota quòd dicit {commostrare} & non demonstrare: quasi uelit dicere, quod Aristo. intendit aliqualiter manifestare, quomodo oporteat præmissas demonstrationis potissimæ esse causas, priores, & notiores, sed non dicit demonstrare, quia illæ conditiones per se notæ sunt, & ad per se nota nō erigitur demōstratio, ut patet secundo physic. tex. commen. sexto, & Arist. in quarto metaph. tex. commen. nono. dixit, quòd ignorantia est non cognoscere, quorum oportet quærere demonstrationem, & quorum non oportet quærere cum igitur demōstratio non fit ad per se nota, sed ad quæsita, ut docuit Aristot. secundo poster. tex. commen. primo propterea bene dicitur ab Auer. commonstrare, & non demonstrare, nam supra in tex. nono monstrauit præmissas esse dispositas cum illis conditionibus, scilicet esse ueras, primas, & immediatas: nunc in hoc tex. uult commostrare, idest simul monstrare, & manifestare reliquas conditiones, scilicet esse causas, priores, & notiores. Deinde dicit, {idest quòd ipsarum medius terminus} exponit Auer. quomodo intelligitur in tex. præmissas esse causas, & ait quòd ideo præmissæ debent dici causæ, quia medius terminus in eis contentus est causa, & si diceres cuius causa est. Respondet ipse. {maioris extremi } Et si amplius quæreres, cum causa sit duplex, essendi, & inessendi, seu inhærendi, quæ causa est ipse medius terminus in præmissis contentus (causa essendi, an inessendi, uel utroque modo? respondet Auerro. {hoc est essendi ipsum maius secundum se, } idest medius terminus est causa maioris extremi utroque modo, scilicet non solum essendi. {secundum se, } idest per se uere, realiter, & extra animam, sed etiam est causa inessendi ipsum maius minori. & Auerr. uult sic dicere clarius, quod medius terminus est causa, nedum per quam maius extremum uerè, realiter, & extra animam existit, sed est etiam causa, per quam maius extremum inest, seu inhæreat minori extremo. & aduertas, quòd de hac duplici causa prolixior habebitur declaratio inferius, in quæsito proprio de medio demonstrationis potissimæ. Et cum dicit {non tantum causa inessendi maius minori, prout dicebat Auicenna} nunc Auer. digreditur aduersus Auicennam, & Alpharabium eorum breuibus narrando opiniones, cuius nam extremi, medius sit causa, maioris, uel minoris, uel utriusque: & dicit Auicennam huius fuisse uoti, quod medius terminus est tantum causa essendi maius minori, idest per quam maius extremum inest, seu inhæret minori extremo: & hoc innuit Auer. ibi quando dicit, {non tantum causa inessendi &c.} Tangit etiam opinionem Alpharabii ibi quando dicit. {neque solum causa minoris, prout putauit Abunnanzar Alpharabius} nam ipse uoluit quòd medius terminus demonstrationis potissimæ est solum causa minoris extremi, & animaduertendum est, quòd utraque ista opinio Alpharabii, & Auicennæ diffusior patebit; & clarius enucleabitur in calce huius commen. ubi annotabuntur conuenientia, & quàm plurimæ differentiæ inter opinionem Auicennæ, & Alpharabij, & quædam aliæ soluentur in dictis Auerr. contradictiones. Qua de re in præsenti commen. sat sit clarum singulorum uerborum Auer. intellectum aperuisse, quem profectò hucusque intellexisse neminem pro comperto habetur. Et quando dicit. {esse uerò demonstrationis medium terminum causam amborum &c.} aduertito quòd Auerro. in iis uerbis hanc excludit obiectionem. Posset siquidem aliquis dicere pro Alpharabio, quòd datur tertia species demonstrationis potissimæ, seu dantis causam, & esse, in qua medius terminus est causa maioris & minoris extremi, & talis species est nobilior, quam ea; in qua medius terminus est tantum causa maioris, aut tantum causa minoris extremi, habito pro fundamento dari secundum Alpharabium triplicem speciem demonstrationis potissimæ, seu simpliciter ueluti patet in secundo quæsito posterioristico, & in epit. logic. cap. de demonstratione, & in hoc commen. præsenti, si ergo demonstratio nobilissima, & dignissima est, in qua medius terminus est causa utriusque, & non ea, in qua medius terminus alterius extremorum tantum est causa, aut maioris, aut minoris, sequitur necessario, quòd uerior opinio est, medium terminum esse causam utriusque extremi, quam maioris tantum, & sic Auer. opinio errat, dicens medium terminum tantum esse causam maioris extremi, hæc est obiectio, quam aliquis pro Alpharabio posset afferre. Quam sanè obiectionem hunc in modum excludit, & soluit doctissimus noster Auer. dicens {esse uerò demonstrationis medium terminum causam amborū &c.} Pro faciliori intellectu solutionis Auer. sciendum est secundum eius placita, in cap. de demonstratione, quòd ad demonstrationem simpliciter, seu potissimam, quædam cōditio essentialiter requiritur, sine qua esse non potest, & est talis, quòd medius terminus tantum causa maioris extremi sit. quædam uerò alia conditio contingere solet, quæ non ad necessitatem, sed ad melius esse conducit, quæ tunc est, quando medius terminus est causa amborum extremorum. hoc idem legito in secundo quæsito de medio demonstrationis: tunc hoc præsupposito stante iuxta doctrinam Auer. clarissimè eius percipitur solutio, nam dicit ipse negando esse condicionē necessariam ad demon

strationem simpliciter, quòd medius terminus sit causa amborum, quinimmo dicit ipse {est quid accidens illi, } idest accidit demonstrationi simpliciter, quòd medius terminus sit causa amborum extremorum, & quando hoc accidit facit ad melius, sed non ad simpliciter necessariũ, & istud declaratur exemplo, cum fuerit res aliqua ligata ferreo ligamento, aut aliquo alio forti ligamento, dicitur profectò ligata simpliciter, si uerò res illa alio stringetur ac ligabitur ligamento, illud erit, & faciet ad melius, sed non ad necessarium: sic in proposito, medius terminus necessario debet esse causa tantum maioris extremi, si uerò accidat, quòd fuerit causa etiam minoris extremi, erit per accidens, & faciet ad melius, sed non ad esse simpliciter necessarium ueluti falsò tradidit Alpharabius, & ideo optime subdit Auerro. dicens. {ideoque iniquum est, quòd putetur }idest absonum, & sine ratione est credere, quòd sit conditio necessaria demonstrationis simpliciter, seu potissimæ, quòd medius terminus sit causa utriusque extremi. {Sed est quædam res &c. } idest quinimmo debemus credere esse conditionem per accidens, quia sine illa esse potest. Et cum dicit. {accidit quibusdam demonst. }nota quòd Auerro. in iis uerbis uult probare esse conditionem per accidens, medium terminum esse causam amborum extremorum, & hanc innuit rationem, omne id est per accidens, quod non omni, sed aliquibus inest; sed medium terminum esse causam amborum extremorum, non omnibus competit demõstrationibus simpliciter, sed quibusdam, (ut dicit Auerro.) ergo est conditio per accidens, & non necessaria. confirmatur etiam, quòd sit per accidens ex descriptione accidentis, nam adest, & abest medio termino quòd sit causa amborum, unde non ab re accidens nuncupanda est. Deinde dicit. { & idcirco non conuenit partiri demonstrationem &c. }infert Auerro. correlarium aduersus Alpharabium, quòd falsò, & inerudite tradidit diuisionem illam de triplici specie demonstrationis simpliciter, seu potissimæ. Dices quæ sunt illæ tres species demonstrationis simpliciter, assignatæ ab Alpharabio? Respondetur tales esse, unam in qua medius terminus est causa amborum extremorum. aliam cuius medius terminus sit causa solum maioris extremi, alterã uerò cuius medius sit causa minoris solum. Vlterius interrogabis de exẽplis istarum trium specierum demõstrationis simpliciter. Dicitur per hæc posse cognosci exempla. Quando medius terminus est causa amborum extremorum, huiusmodi assignat exemplum, ut omne animal rationale est risibile, omnis homo est animal rationale, ergo omnis homo est risibilis, uel sic, omne interstitium inter solem, & lunam est deliquium luminis in luna, omnis eclipsis est talis, ergo &c. Quãdo medius tantum est causa maioris, exemplum clarissimum assignatur in mathematica, ut omne habens angulum extrinsecum habet tres, omnis triãgulus habet angulum extrinsecum. ergo omnis triãgulus habet tres. Quando uerò medius est tantum causa minoris, sic potest exemplificari, ut omne animal rationale est animal, omnis homo est animal rationale, ergo omnis homo est animal. De his tribus speciebus demonstrationis simpliciter, seu potissimæ diffusius dicemus in quæsito de medio demonstrationis recitando opinionem Alpharabii. Et subdit Auer. {illum enim esse causam } idest de tribus speciebus assignatis ab Alpharabio, illa species, in qua medius terminus est causa amborum, est per accidẽs; quia ut supra dixit, aliquibus conuenit, & non omnibus. {Illum autem esse solum} Nunc Auer. excludit aliam speciem demonstrationis, in qua medius est tantum causa minoris. & dicit, quòd talis species demonstrationis {non occurrit omnino} idest nullo modo esse potest, ut sit demonstratio simpliciter. {nisi ab eo} uult dicere Auerr. quòd si medius terminus est tantum causa minoris, tunc medius terminus non posset esse medium, per quod maius extremum insit minori extremo: nisi in quantum causa maioris: & sic Auer. confutat Alpharabium excludendo duas species demonstrationis, illam in qua medius est causa utriusque, quia est per accidens: aliam uerò, in qua medius est tantum causa minoris, quia non est demonstratio simpliciter, & falsò uocatur demonstratio simpliciter. quare non erit eius species. { Sophisticus uerò locus fit} Nunc Auer. assignat rationem quare Alpharabius arguẽdus uenit, circa illam diuisionem supradictam de triplici specie demonstrationis simpliciter. Sed ut quisque facilius uerborum Auerro. possit apprehendere sensum quædam prælibanda statuimus. Primo animaduertendum est ex primo, & secundo top. quædam uocari loca ex quibus sumuntur præmissæ propriæ, ut omne totum est maius sua parte, & est propositio communis, a qua possunt sumi multę aliæ præmissæ, quasi in loco ibi existentes, unde sunt loci topici, & demonstratiui, sicut omnes illæ propositiones recitatæ hic ab Arist. quòd præmissæ debent esse primæ, immediatæ &c. Secundo notandum, locum sophisticum, seu propositionem sophisticam esse, quando termini æquiuoci ponuntur, nam unus modus fallendi æquiuocè hic est, quando ponuntur termini æquiuoci, ut patet primo elench. & hoc est propter multiplex significatum sine ordine positum, nescimus enim pro quo sumatur terminus, & sumentes unum pro alio fallimur, ignoratis enim terminis de facili paralogizamur, ut patet primo elenchorum cum dicitur canis currit, propositio æquiuoca, & sophistica est, sed si ad unum significatum astringitur, dicendo, canis latrabilis currit, non ęquiuoca, sed uniuoca dicetur propositio. Tertio notandum, dependens ex secundo supradicto, quòd nomen æquiuocum absolutè prolatum, facit animum dubium, & ambiguum. & cõfusum reddit intellectum, ueluti docuit Aristoteles primo de coelo, & mundo, textu, & commento centesimo decimo, ubi dicit, si quis diuisio multipliciter, tanquam indiuiso utatur, nesciet de cuius natura dicitur illud, quod dictum est. Quarto sciendum, quòd medium demonstrationis simpliciter, seu potissimæ analogicè dicitur de causa maioris tantum, & de causa utriusque extremi, sed de causa minoris tantum, & de aliis duobus supradictis modis dicitur purè æquiuocè. Tunc stantibus hisce præsuppositis facilè intelliguntur uerba Auerr. contra Alpharabium: nam sic uult dicere Auerro. quòd dicendo sic, medium demonstrationis simpliciter est causa, talis propositio est æquiuoca, & facit locum sophisticum, quia in ea ponitur ille terminus causa, qui absolutè prolatus, est æquiuocus, & sic confusum reddit intellectum: cum ergo Alpharabius absolutè protulerit sic dicendo, medium demonstrationis simpliciter est causa, utiq; æquiuocam, & sophisticam protulit propositionem: & ideo dixit Auer. quòd est locus sophisticus idest æquiuocus, cum causa absolutè profertur, & non secũdum quid, idest & non est locus sophisticus, seu propositio æquiuoca, si causa sumatur {secundum quid} idest cum aliqua specificatione, & limitatione quod sit, scilicet causa uel maioris, uel utriusque. Et cum dicit {dum enim absolutè } Probat Auerr. quod causa absolutè sumpta in tali propositione, faciat locum sophisticum, seu propositionem æquiuocam. quoniam illud facit locum sophisticum ut patet per secũdum notandum, quod plura habet significata, sed causa {posset tripliciter capi} ut dicit Auerro. ergo facit locum sophisticum, & orationem æquiuocam. {Quando uero caperetur inquantum est causa} Nunc docet Auerro. quod si causa sumatur cum uno significatorum, non facit propositionem æquiuocam, & ideo dicit ipse, quod si medius terminus est causa minoris, quia est causa inhærendi, seu inessendi maius extremum, ipsi minori extremo, inquantũ est causa ipsius maioris, { remoueretur hoc sophisma} idest tunc tolleretur æquiuocatio, quia fieret limitatio, &

specifi-

specificatio: & sic apparet error manifestus Alpharabii assignantis diuisionem, accidentalem, falsam, & inartificialem, & sophisticum locum facientem. Sed occurrit dubitandi ansa, si Alpharabbius errauit sophisticum locum faciendo, quia absolutè protulit medium esse causam, ergo, a simili Aristotelem errasse dicimus, quia dixit in textu præmissas esse causas absolutè, & non specificauit. Quare dicendum est, uel Alpharabium non errasse, uel Aristotelem simul cum Alpharabio errasse. Ita diluitur hæc dubitatio, & optime quidem, quoniam uidetur Aristotelem specificasse esse causam maioris extremi in definitione ipsius scire, textu septimo in prologo, nam ibi dicit, quòd scire opinamur unumquodq; scilicet quæsitū: sed ipsum quæsitum seu prædicatum conclusionis non est aliud, nisi maius extremum: subdit, quòd tūc illud scimus, cum causam arbitramur cognoscere, propter quam res est, idest causam formalem quæ est causa essendi, & inferendi, & est causa ipsius maioris extremi, quod quidē simpliciter scire intendimus: patet igitur Aristotelem non errasse. Deinde dicit, {Hinc etiam commostratur peccatum illius} Nunc inuehitur contra Auicen. & dicit, quòd ex supra dictis patet peccatum Auicē. qui dixit quòd medius terminus non est causa essendi maioris extremi, sed tantum inferendi seu inessendi, & sic patet peccatum, quia medius terminus in demonstratione simpliciter seu potissima, debet esse causa essendi. {Ille enim putat} scilicet Auicenna uoluit {talem esse quandam rem communem} idest medium terminum esse causam quandam communi ad quatuor causas, scilicet ad causam minoris tantum, maioris tantum, utriusque, & ad causam neutrius. Et cum dicit {ex quo accidit medium} declarat quod dixit secundum Auicennam, quòd scilicet medius terminus possit esse causa neutrorum, quoniam uult Auicenna, medium terminum non solum non esse causam maioris, sed esse causatum ab ipso maiori, & etiam secundum ipsum, medium est causa inessendi maioris, per quam ipsum maius inest minori extremo, & est causatum a maiori, ut dictū est. Aliæ quoque extant expositiones super illud uerbum {communem} Dixit communem, quia duos sensus habet opinio Auicennæ, ut paulo post notat Auer. Vel dixit {communem} scilicet omni demonstrationi, quòd medius terminus nō sit causa, sed causatus quoad esse, & quo ad inferri: Deinde dicit {si enim dum ille} quia propositio Auicennæ duos uidetur habere sensus, & est æquiuoca, ideo Auer. intēndit eam nunc destruere secundum utrumlibet sensum: & uult dicere Auerr. hoc modo, quòd quando Auicēna dixit medium terminum esse causatum a maiori extremo, hoc potest duobus modis intelligi. & cum dicit {intendebat quòd dum ponitur} idest primo modo, potest intelligi, quòd medius terminus nullo modo sit causa maioris, sed solum causatus a maiori; & tunc dicit Auerro. quòd hoc falsissimum est, quoniam impossibile est, quòd medius terminus in demonstratione potissima sit tantum causatus a maiori, & non possit esse ipse medius terminus causa inferendi, seu inessendi, per quam, scilicet, maius insit minori. Et dicit {nisi adessent duæ causatum species} declarat Auer. quomodo hoc possit esse, quòd medius terminus sit causatus a maiori, & quòd etiam sit causa maioris, & dicit, quòd tunc hoc est, quando sunt {duæ causatum species} idest duæ causæ specie distinctæ, nam secundo posteriorum capitu. de causis, expressè habetur, quòd causæ possunt esse sibi inuicem causæ, in diuerso genere causę, ut puta forma est causa materiæ, scilicet formalis, & materia est causa formæ, scilicet materialis, & dicit Auer. quòd licet hoc inueniatur, tamen catenus est demonstratio, quatenus medius est causa, & non causatus, loquendo de demonstratione simpliciter, & sic habetur intentum, medium esse causam maioris contra Auicennam. Et dum dicit {si autem intendat maiorem terminum} Auer. dicit, quòd propositio Auicennæ potest intelligi secundo modo, quòd maior extremitas sit causa essendi ipsius medii termini {præter quod} idest absque quod medius sit causa ipsius maioris, sed tantum sit causa inferendi ipsum maius minori, & nō causa maioris {secundum se} idest essendi extra animam, & hoc potest esse {prout est sermo} omne animal est corpus, omnis homo est animal, ergo omnis homo est corpus: nunc corpus est causa, saltem pars causæ formalis ipsius animalis, & animal nō est causa ipsius corporis, talis uero est causa per accidens. {Hominem enim esse animal} dat exemplum, & dicit quòd animal non est causa prima essentialis ipsum essendi corpus {quoniam non dicimus, quòd homo inquantum homo} idest primo & cōuertibiliter est animal {& tanto minus quòd sit corpus} Et notato, quòd dixit {prima essentialis} quoniam licet animal per se insit homini in primo modo, tamen est per accidens (ut infra latius commostrabitur) scilicet in hoc, primo posteriorum in capit. de uniuersali. & scito, quòd exemplum aliud ponit ut ab Auer. in secundo quæsito posterioristico de hoc negotio, & ibi uideto: & pro intellectu eorum quæ diximus, animaduertendum est, quòd Auer. hic loquitur de demōstratione simpliciter, nam demonstratio quia, habet hoc essentaliter, ut medius terminus sit effectus, ut infra declarabitur cap. 30. sed demonstratio propter quid per medium in omni genere causæ, & demonstratio simpliciter habet medium solum in genere causæ formalis {Cum autem notificasset, quod oporteat} Vbi Auer. digressus fuit aduersus Alpharabium, & Auicennam, cuiusnam extremi medium debet esse causę in demonstratione simpliciter: nunc reuertitur ad expositionem tex. circa conditiones præmissarum, & quando dicitur in tex. {causam quidem} aduertas quòd Auer. uidetur sic exponere hanc particulam, quòd Aristote. afferat causam omnium conditionum, ita quòd sic uelit Arist. dicere, quòd tunc scimus, cum causam omnium, scilicet conditionum præmissarum cognoscimus. Sed si Auerro. uult hoc modo exponere illam particulam, absque dubio non habet Arist. mentem, nam per illam particulam {causam quidem} intendit probare Aristot. sicuti in expositione text. enucleauimus, quòd præmissæ debent esse causæ. {Est enim hæc scientia,} scilicet quæ acquiritur per demonstrationem potissimam {secūdum comparationem} idest per comparationem ad demonstrationem quia, & propter quid, {perfectissima scientiarum} idest nobilior, & perfectior aliis scientiis acquisitis, scilicet per demonstrationem quia, & propter quid. Et cum dicit {ob duas notas res} assignat Auer. duas causas manifestas, per quas talis scientia demōstrationis potissimæ, est perfectissima aliarum scientiarum acquisitarum per alias demonstrationis species. Et cum dicit {quarum una est} dat primam causam, quæ talis est, quia scientia per causam tutior est, quàm per indicium & signum. & nota quòd dicit {tutior} idest firmior, quia secundo poster. commen. 94. scientia uera insequitur opus naturæ, & sicut res est certior, & tutior apud naturam, ita est certior, & tutior apud intellectum scientem, & apud instrumentum sciendi eam: Deinde alteram assignat causam dicens {altera autē est} & hęc secunda causa talis est, quia demonstratio simpliciter seu potissima continet definitionem in potentia, nam eius medius terminus est definitiō, quæ est causa, ut patet in quæsito de definitione, & satis pulchrè declarat hoc Arist. secundo posterio. tex. commen. 46. ubi dicit definitionem esse triplicem. quædam est demonstrationis principium, quædam est demonstrationis cōclusio, & quædam est tota demonstratio positione differens, idest solo ordine, et forma mutata ab ipsa definitione, quam continet in potentia. Et nota quòd rectè dicit Auer. quod demonstratio continet definitionem in potentia, et non in actu, quia

scire per definitionem est diuersum a scire per demonstrationem. Et subdu{quæ naturaliter desideratur}idest quæ definitio maximè desideratur, quia facit scire perfectius ens naturæ idest substantiam, ut patet septimo metaph.et ex iis uerbis colligitur expresse, quod definitio est perfectius instrumentum sciendi quàm demonstratio, sicut iã in quæsito nostro de nobiliori instrumento sciendi demonstrauimus per quàplurimas rationes, & citauimus Auer. in secundo poster. commen, 38. ubi dicit quod lib. primo post.est propter secundum, & in epit. cap.de demonstratione. quod demonstratio sit propter definitionem & hoc innuit nunc Auer. quando dicit{& ob ipsam, scilicet definitionem { appetitur scientia causarum } idest scientia quæ habetur per demonstrationem simpliciter nõ potest haberi nisi per medium,quod medium est causa & definitio. Sed tu dices, quid uult probare Auer.per hanc secundam rationem? Dicitur, quod illud quod in prima, nam hoc ipse uult dicere quod ideo demonstratio potissima est perfectior aliis speciebus demonstrationis, quia continet definitionem, seu est ipsa definitio in potentia, quæ definitio facit scire perfectissimum, & cum aliæ species demonstrationis non sint ipsa definitio, neque contineant eam in potentia, propterea sequitur, quod solum demonstratio potissima sit perfectissima, & hoc intendit Auer. Deinde dicit prosequendo expositionem tex. { priores autem quia sunt causę } exponit quod præmissæ debent esse priores secundum esse, ex eo quia sunt causæ, nam de ratione causæ, scilicet in essendo, est, ut sit prior secundum esse ipso causato, ceu diximus supra in expositione tex. aliam etiam exponit conditionem præmissarum ibi quãdo dicit { & notiores secundũ duas prænotionis species } & dicit primo quo ad quid nominis, & secundo quia uerę sunt, oportet præcognosci præmissas demonstrationis potissimæ. Et sciendum quòd ex ista expositione Auer, & ex tex. qui exponitur ab eo, facile cognoscitur omnes ferè expositores errasse in exponendo tex. secundo huius primi lib. poster. nam ibi dixerunt, quòd de dignitatibus seu præmissis tantum præcognoscitur quia ueræ sunt, & non quid nominis, neque etiam eos bene sensisse dicimus, qui dixerunt quòd de dignitatibus seu præmissis præcognoscitur quid nominis ratione terminorum, & non ratione totius complexi, sicut iam demonstrauimus aduersus eos & diffusissime in expositione tex. secundi. Sed dubitabis, si Ari. probat hic præmissas esse notiores cur etiam probauit infra tex. quinto, & sic uidetur quod Arist. uel fuerit hic diminutus, uel ibi superfluus & nugatorius. Respondetur quod aliud est esse præcognitum, & aliud est esse magis notum, tunc stante hac distinctione dicitur quod Arist. non est hic diminutus, neque ibi superfluus, quoniam hic dicit præmissas esse notiores & præcognitas, sed in tex. 15, dicit, & probat pręmissas esse magis cognitas & notas, ut dicemus in eius expositione, & sic patet præsens commentum uerbotenus expositum, Sed quia in dictis Aue. plurimæ uidẽtur esse contradictio nes propterea eas in medium afferre, earumq; solutiones exarare uolumus. Prima contradictio talis est, circa opinionem Alpharabii: dicit enim Auer. quòd Alpharabius putauit, quod medium demonstrationis potissimæ sit tantum causa minoris, & parum post, in eodem comm. impugnando Alpharabium, dicit eum male diuisisse demõstrationẽ simpliciter in tres speciẽ, unam in qua medius terminus est causa amborum extremorum: aliam in qua medius est tantum causa maioris: alteram uerò in qua medius est tantum causa minoris, confirmatur etiam per Auer. in secundo quæsito poster. de medio demonstrationis, & in epit. logico cap. de demonst. de huiusmodi speciebus demonstrationis simpliciter secundum Alpharabium. Quinimmo uoluit Alpharabius (ut dicit Auer. in secundo quæsito poster.) quod necessario oporteat causas quæ sumuntur medii termini in demõstrationibus ut omnes sint definitiones aut partes definitionum amborum extremorum, uel unius ipsorum, aut alicuius quod est aliquo modo cõmune ambobus, & dicit Auer. quòd hoc decreuit Alpharabius, idest uoluit, quia apud ipsum demonstrationes simplices sunt trium specierum, ex quibus dictis clara est contradictio in opinione Alpharabii, ueluti Auer. ipsi impingit, nam dicere in uno loco, quod medius terminus est tantum causa minoris, & alibi dicere quòd est causa amborum, & tantum causa maioris, uel tãtum causa minoris, aut omnis definitio, uel omnis pars definitionis, expressè contradictio uidetur esse in dictis Auer. circa opinionem Alpharabii. Respondetur, nullam esse contradictionem in dictis Auer. in recitando opinionem Alpharabii: mos enim Auer. est non impingere autoribus, quod ipsi non senserunt: & notato quòd opinio Alpharabii (ut colligitur ex dictis Auer. uariis in locis) talis est, quòd conditio necessario requisita ad medium demonstrationis simpliciter est quod sit tãtum causa minoris extremi: si uerò euenit, quòd sit causa utriusque, uel maioris; hoc est per accidens, & non necessariò: & hac declaratione habita, dicimus nullam esse contradictionem in dictis Auer. circa opinionem Alpharabii: Quãdo enim ipse dixit in commen. quod Alpharabius putauit, quod medius terminus demonstrationis simpliciter est tantum causa minoris extremi, ipse intellexit de conditione necessariò requisita ad medium demonstrationis simpliciter, quòd debet esse tantum causa minoris: Quando uerò dixit in eodem commen. & supradictis aliis locis, quòd etiam sit causa utriusque, & maioris tantum, intellexit non necessariò, sed per accidens esse, Secunda contradictio uidetur esse circa opinionem Auicennæ: nam Auer. dicit in commen. quòd opinio Auicennæ talis est, quòd medius terminus in demonstratione simpliciter, est tantum causa inessendi maius extremum minori extremo: & in quæsito secundo posterior, de medio demonstrationis, dicit Auicennam sentire, medium esse solum causam minoris: ergo est contradictio circa opinionem Auicennæ. Soluitur ista contradictio & facile: quoniam aliud est esse causam essendi. & aliud est esse causam inessendi seu inhærendi; Præterea sciendum est quòd Auicenna uoluit quod conditio necessariò requisita ad mediũ demonstrationis simpliciter, sit quòd semper sit causa inessendi maius extremum minori extremo: tunc stantibus hisce præsuppositis, dicitur quod nulla est contradictio in dictis Auer. circa opinionem Auicennæ, nam in commen. dicit quòd medium est causa inessendi seu inhærendi maius extremum, & non dicit, quòd sit causa essendi maioris extremi. & in quæsito secundo posterio. dicit quòd est causa essendi minoris extremi, & sic cum differant, esse causam essendi, & esse causam inessendi, propterea dicimus haudquaquam esse contradictionem in opinione Auicẽnæ: Amplius pro uberiori solutione sciendum, quòd Auer. in cõm. recitando opinionem Auicen. loquitur de conditione necessario requisita ad medium secundum Auicennam, quæ (ut diximus) talis est, quòd semper medius terminus demonstrationis simpliciter debet esse causa inessendi maius extremum minori extremo. Sed in quæsito secundo poster loquitur Auer. recitando opinionem Auicennæ, non tantum de conditione necessario requisita ad medium, sed etiam de conditione per accidens, nam secundum Auicennam accidit quòd medius sit causa minoris extremi, potest utique esse secundum Auicennam medius terminus in demonstratione potissima, absque quòd sit causa minoris extremi, & idcirco per accidens est secundum ipsum, quòd medius terminus sit causa minoris extremi. Tertia contradictio est in dictis Auer. circa eius opinionem, nam dicit in commen. contra Alpharab. & Auicennam, quòd medius terminus est

est tantum causa maioris extremi: sed huius oppositum asserit ipse Auer. in tertio quaesito logicali, de conditionibus praemissarum demonstrationis: ubi haec uerba forma lta refert. (ueritas autem est, quod ipse medius terminus, non sic causa ipsius maioris secundum se, neque ipsum est seodi in minori, sed est causa minoris solum, ex quibus uerbis constat, Auer. sibi contradicere. Respondetur haud quaquam Auer. sibi aduersari, quoniam ipse in tertio quaesito logic. de conditionibus praemissarum demonstrationis non loquitur secundum propriam eius opinionem, sed tantum secundum opinionem Alpharabii: & quòd haec responsio sit uera, probatur, & manifestatur clarissimè per uerba Auer. declarantis, & assignantis in supradicto quaesito, multiplices demonstrationis species secundum Alpharabii opinionem. haec dicta sufficiant impresentiarum circa Auer. Alphar. & Auicennae opiniones.

Priora uerò, & notiora dupliciter sunt: Non enim idem est natura prius, neque notius, & nobis notius. dico autem ad nos quidem priora, & notiora, propinquiora sensui, simpliciter autem priora, & notiora, quae longius sunt autem longinquissima quidem uniuersalia maxima, proxima uerò singularia, & opponuntur haec ad inuicem:

Postquam declarauit propter quid oportet praemissas priores, & notiores esse: nunc intendit distinguere istos duos terminos, scilicet prius, & posterius, quot modis capiantur, & causa huius intentionis est ista, quoniam Aristot. uoluit uti regula, quam saepius ipse docuit primo ele. li. tex. commen. 10. & primo elench. omne multiplex prius distinguendum, & postea determinandum, & definiendum, sed cum prius & posterius, multis modis capiantur, propterea utrunque ipsorum Aristote. nunc intendit distinguere, & dicit {Priora uerò, & notiora,} idest cum prius, & posterius dupliciter capiantur, oportet necessario ea distinguere: {non enim idem est} Cum dixit duobus modis dici prius, & notius, nunc id uult confirmare, & dicit, quòd cum non eadem sint priora, & notiora naturae, & nobis, sed alia; erunt ergo duo modi prioris, & notioris, priora & notiora naturae, & priora & notiora nobis: & utrunque membrum declarans dicit {dico autem} idest uoco illa esse priora, & notiora nobis, quae sunt sensibus propinquiora: & cum oppositorum opposita sint declarationes, & conditiones, priora, & notiora simpliciter, idest naturae erunt, quae longinqua, & remota a sensibus sunt: & si quis uerò scire cupit, quot modis sumatur in doctrina Aristo. & Auerro. ly, simpliciter, legat quae exarauimus in expositione tex. quarti, ubi uaria significata huius uocis simpliciter enumerauimus. {Sunt autem} Quia dixerat, quod priora, & notiora naturae sunt remota a sensu; econtrario uero notiora nobis sunt propinqua sensui. intendit nunc exempla declarare, quae sunt propinqua sensui, & quae remota, & dicit quod illa sunt remotissima, & lōginquissima a sensu, quae sunt maxime uniuersalia, & ea sunt propinquiora sensui, quae sunt singularia. {Et opponuntur haec ad inuicem} Cum dixit priora, & notiora naturae esse remotissima a sensu, quae sunt uniuersalia, & priora, & notiora nobis, esse propinquissima sensui, quae sunt singularia, uult ex hoc confirmare supradictum, scilicet non esse eadem naturae, & nobis nota, quia haec inter se opponuntur singularia, & uniuersalia, quare non eadem sunt nobis nota, & naturae. haec circa textum, circa quem mouentur dubitationes, ut clarius, & intimius habeatur Arist. intentio eorum, quae dixit in hoc textu. Prima dubitatio haec est: cur Arist. nō determinauit, qua notioritate & prioritate praemissae debent esse notiores, & priores, sed tantum dixit nxii prius & notius, & non dixit quod haec illa prioritate, & notioritate debent esse priores, & notiores? Themistius ita satisfacere credidit huic dubitationi, quod cum Arist. loquatur de principijs demonstrationis simpliciter, quae non e submittit ingenio nostro, determin it quod principia talia demonstrationis debent esse nota. quo ad naturam tantū, & non quo ad nos. Sed proculdubio Themistium errasse pro comperto habendum est, quia Aristo. loquitur de cōditionibus illius instrumenti, quod quidem nobis deseruit, & non naturae; modo si nobis deseruit, & nobis certam principia nota esse debent, natura enim non cognoscitur 12. metaph. tex. comm. 18. habetur. Vnde pro uera solutione dicendum est, quod ideo Arist. non determinauit in hoc tex. quia iam dixerat in tex. septimo quod causa debet esse nota nobis, & hoc explicauit per illam particulā (& quoniam illius est causa) idest & quoniam illa causa, propter quam res est, est nota nobis, sicuti etiam in definitione scire in tex. septimo declarauimus, & non dixit ibi, quod causa debet esse nota naturae, quia causa sēper est nota naturae, ut supra diximus. Sed tu adhuc instabis, cum omne multiplex sit prius distinguendum antequam determinetur, cur Arist. fecit totum oppositum? nā secundum responsionē datam prius determinauit in tex. septimo quod praemissae debent esse causa notae nobis & naturae. & postea distinxit in hoc tex. 12. Huic instantiae ita dicendum est, quod illa regula Arist. intelligi debet, de multiplici aequiuoco, non autem analogo, seu uniuoco, sic glossauit Auer. primo post. comm. 33. quod expedit docenti per nomina aequiuoca, ut prius distinguat, & non dixit de multiplici analogo, & hoc confirmatur per Aristo. primo poster. tex. commen. 13. ubi primo definit principium demonstrationis quod sit propositio immediata & postea in tex. 14. dicit quod principium est duplex, unum est dignitas, & alterum est positio modo Auer. in epit. logic. cap. de demonst. & 1. post comm. 95. dixit, quod principia demonstrationis dicuntur analogicè & sic instantia nulla est. Vlterius dubitatio insurgit, si natura non cognoscit, quō Aristo. dixit dari notius naturae? Plures ad hanc dubitationē soluendam occurrunt dicendi modi, primus est iste, quod ista propositio causa est nota naturae, potest considerari dupliciter, uno mō cathegoricè, alio modo cōditionaliter: tunc dicimus quod primo mō non debet sumi, quia de facto natura non cognoscit simpliciter, sed secundo modo intelligenda uenit, hoc modo. s. quod si natura cognosceret, prius cognosceret causam, quam effectum: unde aduertito discrimen inter naturam cognoscētem & non cognoscentem, quia natura cognoscens, prius agnoscit effecta, quam causam natura uero non cognoscens, si cognosceret, prius utiq; causam nosceret, quam effectū. Aut sic dicendū est quod causa non est nota naturę quod natura cognoscat, sed quia est nota secundum se, & secūdum propriam naturā. Sed licet supradicti dicendi modi non repugnare Arist. uideantur, tamen clarius dicendum est, quod ois notitia est nostra, sed dicitur aliquā rem esse notam nobis. s. illa uia, & ordine innato nobis, ut cognoscamus rem quę uia, & qui ordo innatus est nobis, a sensatis. dicebat. n. Arist. tertio de anima, in tex. comm. 30. & primo poster. c. p 33. quod ordo noster cognoscendi aliquā rem debet esse a sensatis, ut puta ab operationibus, & a compositis, quę patent sensibus, et dicitur aliquam rem esse notam naturae. i. nobis cognoscentibus illam, non uia, et ordine innato. sed uia, et ordine, quo ipsa res constituta est, a natura: sed quoniam constituta est per causas uniuersalissimas, uniuersales et proprias, ideo quando cognoscimus illam rē per omnes istas causas, cognoscimus cognitione naturę. i. quando cognoscimus rē per operationes suas, tunc illa res dicitur nota nobis et quando cognoscimus illam rem per causam, tunc illa res est nota naturę. i.

nobis cognoscētibus rem ea uia, & eo ordine, qua uia, & quo ordine constituta est a natura. Et notabis quòd Arist. more græcorum loco ablatiui : utitur genitiuo, sed tex. debet dicere sic, notiora, & priora natura, & similiter in primo physi.tex.comm.secundo, & exponitur sic notiora naturæ, idest notiora naturaliter, sicuti accepit, ly, natura, Arist.in procem.meta.omnes homines natura cognoscere desiderant, natura, idest naturaliter, hoc etiam monuisse uolumus, ut nihil intactū relinqueretur circa hoc. Insuper circa illam propositionem Arist. in tex. quando dicit, quòd, nō idem est natura, & nobis notius, & prius occurrit dubitandi ansa, quia ut docuit ipsemet Arist. in lib. de interpret. negatio præposita facit æquipollere suo cōtradictorio, & erit ista propositio, nullum est nobis notum & natura, & ista propositio est falsa, quoniā mediū in demonstratione potissima, ut diximus exponēdo tex. septimū, & diffusius iam in quæsito de medio demonstrationis declaratur, est notum nobis & natura, uelutt etiā paulo ante diximus, & in scientia mathematica secundo meta.comm.16.scientiæ mathematicæ sunt in primo gradu certitudinis, quoniam medium illarum demonstrationū est notū nobis & natura, ergo si datur aliquod, quod est notum nobis & natura, falsa est propositio Arist. quādo dicit in tex. non enim idem est notū nobis & natura. Dicendum est, quòd Arist. non protulit istam propositionem uniuersaliter, sed debet intelligi indefinite. & similimodo exponi debet, quando dixit Arist. in primo phys. tex.comm.secundo, non enim eadem sunt nobis nota, & natura. Et ad hoc ut intelligatur indefinite, aduertendum est, q illa dictio.{non}non debet poni & legi in principio propositionis, quoniam tunc æquipolleret suo contradictorio uniuersali negatiua, sed debet legi & poni post subiectum propositionis sic dicendo, idem non est nobis notum & natura, & sic non tenetur uniuersaliter, sed indefinitè. Alia. quoque remanet dubitatio discutienda, quoniam Arist. uidetur sibi contradicere, nam hic dicit, quòd nobis notiora sunt singularia, oppositū uerò dixit in primo phy.tex.com.quarto, quòd notiora nobis sūt uniuersalia, & sic cōtradictio expressa est in dictis Arist. sed quia Auer. prope finem comm. eam mouet, ideo in comm. expositione eam formabimus & soluemus, hæc sunt quæ habuimus circa hunc tex.

Commen. 12.

Cum conditionis demonstrationis simpliciter.{Duo facit Auer. in hoc comm. primo continuat, & secundo exponit, ibi, quando dicit.{incœpit referre}quo ad continuationem igitur dicit Auerroes, cum inter conditiones dictans de demonstratione(quam intendit, scilicet Aristo.) sit, esse notiores, non solum nobis, sed natura, & notius duobus modis, naturæ, ut causa, nobis, ut effectus, merito cum nomen sit ambiguum, distinguendum erat ab Arist.{Incœpit referre} Auerro. duo simul absoluit, dat intentionem Aristo. in tex. & incipit exponere textum, adeo quòd his uerbis duo debemus colligere intentionem & expositionem textus. & dicit notius dici duobus modis, nobis, scilicet & naturæ, nobis esse res sensatas, & signatas, quæ sunt ipsa composita, ut patet primo physic. tex.com.tertio, naturæ uerò esse causa remotissimas istarum rerum. Deinde dicit. {hoc est res communes } cum dixit causas esse notiores naturæ, declarat quæ sunt istæ causæ, & dicit, quòd sunt.{res communes rebus pluribus quàm uni, } idest sunt res uniuersales, ut dicit Aristo. in tex. {Et non intendit } Notato hoc scitu dignissimum aduersus omnes expositores, tum antiquos, cum modernos, quòd Arist. ut hic exponit Auer. & optimè.{non intendit comparare sensatum intellecto, }idest non uult facere cōparationem inter intelligibile, & sensibile dicens } quod eorum sit notius}.i. an sensibile, uel intelligibile. & quando dicit.{sensata.n. Auer. probat, quòd Arist. non intendat facere illam comparationem inter sensibile, & intelligibile, seu inter cognitionē sensitiuam, & intellectiuam quoniam in specie atoma fit cōparatio.i. in uniuoco, & nō in æquiuoco, uelott Arist. in 7.phys.tex.com.29. & 31. nobis notatum reliquit, unde si dicimus unam rem altera albiorem esse, oportet utiq; ambas esse albas, si uerò nō ambæ albę sunt, sed una alba altera uero nigra, tunc non erit comparatio. ita in proposito, si dicimus unam rem esse altera notiorem nobis, uel naturæ, uel utrisq;, oportet utiq; ambas ipsas res, esse notas, ad hoc, ut possit fieri cōparatio, quoniā si una est nota, & altera ignota, tūc nō pōt fieri comparatio. Sed dicit Auer.{sensata.n.}.i. sed ipsa sensata nullo modo sint nota naturæ.{ac iterum}.i. & similiter ipsa intellecta seu{prima intelligibilia, }.i. primæ propositiones, ut dicit Auer.3. de anima com.36. & primo post. comm.133. non sunt notæ nobis aliquo modo : quare dicendum est, quòd Arist. non faciat comparationem inter sensibile, & intelligibile, quòd ipsorum sit nobis notius, aut naturę, cum comparatio non fiat in æquiuoco.{Sed intendit hic comparare}postquam Auer. probauit quòd Arist. non faciat comparationē inter intelligibile, & sensibile, nunc ostendit inter quæ faciat comparationē, & dicit, cōparare illa, quæ sunt propinquiora sensatis, & illa quæ sunt remotiora, a sensatis. Et quando dicit {ac si dixisset} exponit quid intelligat, per propinquiora sensatis, & dicit ipse, quòd intelligit res cōpositas cū suis descriptionibus. & quando dicit.{apud naturam uero}exponit quid intelligat per res remotas : & dicit, quòd res remotæ a sensu, sūt illæ, quæ sunt notiores apud naturā, & aduertas q utraq; translatio dicit.{ Apud nos ipsis propinquioribus}Sed debet corrigi litera hoc modo. {apud naturā} & probatur, q sic debet corrigi, quoniā Auer. loquitur de causis remotis a sensu, & notis ipsi naturæ. Tunc stātibus his hoc modo declaratis ab ipso Auer. dicendum est, quòd Arist. intendit facere comparationem inter propinquiora, et remotiora a sensu, ita quòd si quæritur quòd nam istorū est nobis notius, propinquius sensui an remotius, a sensu respondēdū est, quòd illud est nobis notius, quod ē propinquius sensui, & hoc tale est singulare seu compositū. { Et nō intendit} Auer. excludit tacitam obiectionem, quia aliquis posset dicere, quòd fiat comparatio inter particulare, & uniuersale quantum ad cognitionem ipsius sensus quod ipse improbat dicens, non intendere Arist quòd particulare sit notius sēsui ipso uniuersali, & reddit causam, quia sensus non concipit uniuersale, & cum non percipiat uniuersale, tunc nō potest dici quòd singulare notius sit sensui quam uniuersale: nam ita est quærere an singulare sit notius sēsui, quàm uniuersale, sicuti si quæreretur an albū sit albius nigro. Et cum dicit.{& non intendit, quòd uniuersale} declarat consimiliter intelligendum esse de uniuersali, quòd sicuti singulare non est notius sēsui, quam uniuersale, sic etiam dicendum est. quòd uniuersale nō sit notius naturæ, quam singulare{ Sed hoc est}declarat quid intelligit, & dicit, intelligere illud, quod in primo phys. tex.cōmē.4. & 5. dicitur, quòd. s. uniuersalia sunt nobis notiora, quàm minus uniuersalia.{& perinde intendit } quasi dicat, hic non est contrarium eorum, quæ dixit Arist. in primo phys. tex.com.4. Et Auer. per hæc uerba nititur soluere apparentem contradictionē in dictis Arist. quoniā loquens Arist. in hoc tex. 12. de illis, quæ sunt notiora nobis dicit, quòd sunt singularia, oppositū uero docuit in primo phys. tex.com.4. quòd uniuersalia sunt notiora nobis, & sic Aristo. expresse sibi contradicit. Nititur Auer. soluere hanc contradictionem, per hanc distinctionem de duplici uniuersali, quam ipse ponit in calce huius comm. 12. & etiam colligitur ex primo phys. commen.4. quòd uniuersale dupliciter consideratur, primo modo capitur pro illo

uniuer-

uniuersali, quod est commune pluribus rebus, & hoc modo, ut dicit Auer. primo phys. commen. quarto & quinto solum genus est uniuersale, ut etiam dixit Arist. top. quarto, & dicitur solum genus uniuersale isto modo, quia de pluribus prædicatur, & plura comprehendit. & dat exemplum Auerr. in hoc 12. prope finem, dicens {ut sunt primum efficiens & prima materia} sunt enim communes pluribus rebus, primus motor, & prima materia: & dicitur uniuersale hoc modo consideratum, uniuersale in prædicando, & in continendo: & de hoc uniuersali loquitur Arist. primo phys. tex. commen. quarto, uniuersaliter est notius nobis quam minus uniuersaler, & dicit ibi Auerr. in commen. quarto uniuersale, idest genus est notius singularibus, idest speciebus. secundo modo sumitur uniuersale, non pro eo, quod est commune pluribus rebus, sed pro eo, quod est proprium uni tantum, ut causa uniuersalis, id est propria uni causato, & illud uniuersale definitur ab Arist. primo poster. 36. quod habet tres conditiones, scilicet de omni, per se & secundum quod ipsum idest conuertibiliter, & de isto uniuersali locutus fuit Arist. primo poster. cap. 39. quando dixit, ꝙ demonstratio uniuersalis est ex causa uniuersali. i. propria & inquantum ipsum, demonstratio uero particularis, fit ex causa non propria, idest magis uel minus communi, & de hoc uniuersali loquitur in hoc tex. 12. Arist. quando dicit, quod uniuersale est ignotius nobis, & notius naturæ, quia remotius a sensu, tunc stante hac distinctione de duplici uniuersali Auerr. dicit. {Et perinde intendit, } idest iste tex. non contradicit textui Arist. in primo phys. tex. commen. quarto quia loquitur in primo phys. tex. comm. quarto de uniuersali communi pluribus rebus, & ꝙ hoc sit uerum, patet dicit Au. quia Arist. loquitur ibi in primo phys de causis communibus, quæ sunt primum efficiens & prima materia: Sed in isto tex. 12. primi libri poster. loquitur de uniuersali, quod est proprium uni & est notius tam apud naturam, quam apud nos. nam est remotissimum a sensu, & quando dicit {res uero uniuersales} concludit quod in lib. phys. sermo est de uniuersalibus. {quæ sunt multorum} quæ sunt communia pluribus, quam uni, & talia uniuersalia sunt notiora apud nos, & sic nulla est contradictio in dictis Aristot. Amplius aduertendum est, quòd Arist. in primo phys. tex. commen. quarto comparauit ipsa uniuersalia inter se, idest ipsas causas uniuersales, & dixit quod causæ uniuersaliores sunt nobis notiores, at in hoc lib. post. in hoc tex. 12. comparauit causas ad effectus, dicens effectus esse nobis notiores, causas uero notiores naturæ, nam sunt remotissimæ a sensu. Sed contra hanc Auer. solutionem arguit quidam quia Arist. in primo poster. uult docere nos medium demonstrationis simpliciter, quod est non solum notum naturæ, sed nobis, quia est sensatum, & ipse dicit in hoc primo post. tex. comm. 95. quòd est causa propria, & in hoc tex. 12. similiter asserit quod est causa propria, quatenus prior in esse, & nota naturæ. quatenus uero est prius sensata, est nota nobis. si Aristo. ergo dicit causam propriam minus sensatam, & ignotiorem nobis, doceret utique totum oppositum eius, quod intendit, nam intendit monstrare causam propriam, esse medium demonstrationis simpliciter sensatum, & notum nobis & diceret totum oppositum, scilicet esse causam uniuersalē idest propriam, insensatam, & ignotā nobis, & sic distinctio Auer. non soluere uidetur contradictionem, sed potius Ari. contradicere. Arguit, secundò, sic dicens ibi Arist. uniuersale esse notius naturæ quia remotius a sensu, sed causa propria est ignotior naturę, quod tali probatur ratione, primo phys. secundo & tertio quod est posterius in esse, est ignotum naturæ; sed causa propria est posterior in esse, ergo est ignota naturæ. non ergo potest intelligere uniuersale, i. causam propriam. Vnde hic persuadens sibi ipsi solutionem Auer. fuisse diminutam, eiusq; rationes aduersus ipsum Auerr. demonstratiue concludere, hanc dedit solutionem ad contradictionem motam in dictis Arist. & dicit quod facilis est solutio. nam Arist. sumpsit in hoc tex. 12. illud uniuersale & particulare, ad exemplificandū definitiones notorum, quæ definiuerat, dicit enim quod notum nobis est propinquius sensui, hæc est definitio & ratio propria primi noti, dat exemplum, ut singularia, idest res ipsæ, quæ existunt in materia, & in sensu, & in motu, & ideo dicuntur res nobis notiores. illa uero quæ sunt notiora natura, sunt remotiora à sensu, motu. & materia; exemplum, ut uniuersalia, maxime quæ uniuersalia sunt metaphysica, quia remota a materia, motu, & sensu, & ignota, & sic dicit ipse quod exempla illa quę posuit Ari. in hoc tex. 12. faciunt comparationem uniuocam, ibi scilicet in tex. quarto comparando uniuersale existens in esse sensato, ad singulare in esse sensato. Nos uero Auerro. tuentes dicimus aliam esse Auer. mentem in hoc loco, unde inferimus eas rationes minime aduersus hunc concludere, sed antequam illis satisfaciamus, quatuor primitus annotanda ueniunt, quibus exactè prænotatis non solum hominem hunc defecisse ostendetur, uerum etiam Auer. solutio clarius intelligetur. Primum igitur notandum est ex Arist. in hoc primo poster. tex. comm. 7. quod medius terminus in demonstratione simpliciter, qua habetur, ipsum scire simpliciter, debet esse causa, non omnis, sed formalis, quod profecto innuit, quando dixit. { per quam res est} nam uidens Aristo. quod causa ut ipse dicebat in secundo poster. comm. 48. dicebatur, de fine, de materia, de agente & de forma, determinate ut distincte loquatur, & dicit quod non omnis causa est illa, per quam habetur ipsum scire, & quæ est medius terminus in demonstratione simpliciter, sed illa per quam res est, quæ tantum causa formalis est, ut patet secundo de anima comm. 24. secundum ipsum Themistium, & secundo phys. tex. comment. tertio a, qua causa formali. res non solum habet esse, sed etiam opus, nam a causa materiali. 1. phy. tex. com. 82. res habet ut fiat, & non ut sit, a fine uerò res non habet nisi ordinē, nam. 2. phys. cap. de causis, ad finē ordinantur, quod etiam affirmabat Aristo. septimo meta. 23. & tertio ethic. cap. sexto ubi dicitur quod artifex, quicquid agit, facit, & operatur in arte, non nisi ex fine præcognito, inueniendo, & necessitando omnia quæ sunt ad finem, ab agente autem res non habet nisi ut incipiat, quod asseruit Ari. quinto metaph. cap. de principio ubi dicit, quod causa agens est principium unde motus, & unde res mouetur, relinquitur clare, quod causa a qua res habet ut sit, non est nisi causa formalis. ueluti etiam in expositione tex. septimi diffusius exarauimus. Secundum notandum sumitur etiā ab eodem tex. septimo huius primi poster. quod hæc causa formalis, debet esse medium demonstrationis simpliciter, & non solum nota nobis debet esse, sed etiam debet esse nota nobis quod sit necessaria. & hoc explicauit Ari. in illis uerbis, quando dixit in definitione ipsius scire. {& quoniam illius est causa, } idest nota nobis. { & non contingit aliter se habere, } idest quod sit necessaria, nam secundo de interpret. secundo, non contingens est esse, æquiualet ad necesse est esse, quod etiam affirmabat Auer. cō. septimo supradicto, quando dixit, quod Arist. limitauit ipsum scire tribus conditionibus. prima quod sit per causam, secundo quod sit per causam nobis notam, tertia uero ꝙ sit per causam nobis notam necessariā. ¶Tertium notandū ꝙ hæc causa nota nobis, et necessaria, est illa causa uniuersalis et illud uniuersale quod definiuit Arist. primo poster. tex. comment. 36. et 37. quod quidem tres habet conditiones, de omni, per se, et inquantum ipsum, quæ causa uniuersalis uocata ab Aristot. primo posteriorum 43. est primum prędicatum, et est illud quo posito et cunctis remotis, ponitur subiectum, de quo prædicatur, et quo remoto, et cunctis positis, remouetur

ſubiectum, cui ineſt uniuerſale poſterioriſticum uocatum à latinis. Quartum ſciendum eſt, quod dicit Ariſt. quinto metaph. cap. de principio, & primo phyſ. tex. comme. tertio quod cauſæ ut cauſæ, ſunt principia, ſunt notæ naturæ. ſi autem accidit, quòd aliqua illarum cauſarum ſit ſimul ſemper cum effectu ſenſato, eſt etiam nota nobis, non ſub ratione qua cauſa, ſed ſub ratione qua ſimul cum effectu ſenſato, quod quidem nulli cauſæ accidit per ſe, niſi cauſę formali, ut protulit Ariſtote. 12. metaph. tex. commen. 16. ſi autem agenti & finali, hoc raró & per accidens eſt, ut refert Auerro. in finali in commen. 35. Iſtis ſic prænotatis dicimus quòd ſeries uerborum huius tex. 12. ſic continuari debet ad præcedentem textum. 11. quoniam dixerat ipſe Ariſtote. in tex. 11. quòd principia demonſtrationis ſeu medius terminus (nam idem eſt ut dixit Auerro. in commen. 11.) debent eſſe prima, & notiora, tanquam bonus artifex diſtincte loquendo, ſic infert in hoc tex. 12. quaſi dicat, aduertas quod debent eſſe priora & notiora principia demonſtrationis duplici prioritate, tam quo ad nos, quam quoad naturam. nam priora & notiora dupliciter ſunt, nam quatenus ſunt cauſæ & principia, ſunt nota naturæ, quatenus uerò iſtæ cauſæ ſunt ſimul cum effectu, & ſenſatæ, ſunt notæ nobis: & quatenus cauſæ & notæ naturæ, non notæ nobis: & quatenus ſenſatæ & notæ nobis, non notæ naturæ. nam dicit Ariſt. non idem natura & nobis prius, neque idem natura et nobis notius, nam notiora nobis ſunt propinquiſſima ſenſibus, notiora natura, remotiſſima à ſenſibus: quæ omnia ſi nomine proprio, quaſi dicat Ariſtote. ſeu ſi cupis, dico quòd remotiſſima à ſenſu uocantur maximè uniuerſalia, propinquiſſima uero uocantur ſingularia, quæ cum non habeant eandem definitionem, ſibi inuicem opponuntur. Sed dicet aliquis, ſi hoc uniuerſale eſt remotiſſimum à ſenſu, quomodo igitur erit nobis notum, & per conſequens quomodo poterit eſſe medius terminus in demonſtratione ſimpliciter? Dicendum eſt quòd eſt remotiſſimum a ſenſu, non omni modo, ſed ſub ratione qua cauſa: ſed quoniam iſta cauſa, eſt cauſa formalis, ut iam ſæpius dictum eſt, quæ namque ſemper eſt cum ſuo effectu ſenſato, ut docet Ariſt. 12. metaph. tex. commen. 16. ideo ſemper eſt nota nobis, quia eſt cum illo, quod eſt notum nobis ſcilicet ſenſatum, & nunquam ſeparatur ab illo, ut protulit Auerro. quarto phyſi. commen. 17. adeo quod ſi forma ſeparatetur à materia, & ſenſato, corrumperetur. Sequitur etiam ex horum declaratione, Auer. ſolutionem ueram eſſe de duplici uniuerſali, quod, ſcilicet Ariſt. loquatur in primo phyſ. tex. comm. quarto de uniuerſali communi, & quod in hoc tex. 12. loquatur de uniuerſali proprio, & poſterioriſtico. Supereſt modo ut rationes aduerſus Auer. nullius eſſe momenti oſtendamus, & ad primã rationem, quando dicit, quòd Ariſt. non haberet intentum ſuum, nam intendit Ariſt. inuenire medium terminum demonſtrationis ſimpliciter qui eſt nobis notus. modo ſi illud uniuerſale eſt remotiſſimum à ſenſu, ergo non eſt notũ nobis. Dicimus breuiter quòd illud uniuerſale eſt remotiſſimum à ſenſu, ut cauſa, ſed cum hoc eſt nobis notum ut ſenſatum. Ad ſecundam quando dicit, quod cauſa propria eſt poſterior in eſſe, ergo ignotior naturæ, Reſpondendum eſt, quod dicitur poſterior in eſſe, quatenus remanet cum effectu, & cum ſenſato, ſed eſt prior in eſſe, ut cauſa eſt, et nõ inconueniens quod unum & idem diuerſo modo ſit notum & ignotum naturæ, & notum & ignotum nobis: notum naturæ ut cauſa eſt, & ignotum naturæ ut ſenſatum eſt; et ſimiliter notum nobis ut ſenſatum, & ignotum nobis ut cauſa eſt: & nunquam notum nobis, eſt notum naturæ, quia iſta ſibi inuicem contradicunt. Nam ratio propria primi noti nobis, eſt ſenſatum, & ratio primi noti naturæ eſt cauſa, & remotum, a ſenſu: accidit poſtea, ut unum & idem ſit notum nobis, & naturę, ſub diuerſo tamen modo, ut nuper diximus. Et quia iſta latuerunt latinos, non mirum eſt, eos huiuſmodi contradictionem male & contra Ariſt. mentem ſoluiſſe, nam mos eſt eorum bene dubitare & ut plurimum male ſoluere. Quamobrem diſtinctio illa Aegidii & aliorum ſequacium, quod fiat hic comparatio inter cognitionem ſenſitiuam, & intellectiuã non eſt bona, quia tunc fieret comparatio in æquiuoco, ut demonſtrauit Auer. in commen. Neque etiam ſoluitur contradictio diſtinguendo de duplici cognitione, confuſa & diſtincta, ueluti Burleus putat. quinimmo dicimus erroneum eſſe dicere, quod Ariſt. loquatur in hoc tex. 12. de cognitione confuſa, quoniam ut ſæpius diximus in hoc tex. intendit dicere quòd medius terminus demonſtrationis ſimpliciter, eſt nobis notus & naturæ, & loquitur de cognitione diſtincta, & non confuſa, quoniam ſi medius terminus eſſet nobis notus & naturæ, cognitione confuſa & non diſtincta, tunc perfectè non faceret ſcientiam ſimpliciter, & perfectiſſimam: oportet enim ut diximus in tex. ſeptimo in expoſitione eius, quod cauſa ſcire ſimpliciter, cognoſcatur, quoniam illius eſt cauſa, ſcilicet cognoſcatur nobis, quod ſit cauſa, ut etiam ſupra in ſecundo notando annotauimus, non igitur Burleus Ariſt. mentem habuit. Et Paulus quoque Venetus cupiens euitare caribdim incidit in ſcyllam, dicit enim ipſum uniuerſale habere duplex eſſe, ſcilicet formale & materiale, eſſe formale uniuerſalis, eſt eſſe ſeparatum ab omni conditione materialitatis & indiuiduationis, eſſe autem materiale eiuſdem, eſt eſſe coniunctum conditionibus materialis & indiuidualis. tunc dicit ipſe, quod Ariſt. loquitur in primo phy. tex. commen. quarto de uniuerſali pro materiali. quando dicit quod oportet procedere ab uniuerſalibus ad particularia, ſed in hoc tex. 12. loquitur de uniuerſali ſecundum ſuum eſſe formale. nam ſic eſt remotiſſimum a ſenſu, & ſic nulla eſt contradictio in dictis Ariſt. hoc modo diſtinguendo de ipſo uniuerſali. Sed quia Auer. opinio eſt, in primo phy. tex. com. quarto & quinto quod per uniuerſale intelligatur cauſa uniuerſalis, nam intendit ibi Ariſt. facere comparationem inter cauſas uniuerſales, ergo non intendit Ariſt. loqui ibi de uniuerſali ſecundũ eſſe materiale, ſat ſit nunc monſtraſſe ipſum Pau. Venetum erraſſe nam omnium iſtorum opiniones, diffuſius alibi reprobabuntur.

Ex primis autem, quod ex propriis principijs eſt: idem enim dico, primum & principium, principium uerò demonſtrationis, eſt propoſitio immediata. Immediata autem eſt, qua non eſt altera prior. Propoſitio autem eſt enunciationis altera particula, unum de uno. Dialectica quidem, quæ pariter utramlibet ſumit. Demonſtratiua autem, quæ determinate alteram, quia uera eſt. enunciatio autem, contradictionis utramuis particulam. at contradictio oppoſitio eſt, cuius non eſt medium ſecundum ſe.

Poſtquam Ari. probauit præmiſſas demonſtrationis debere eſſe primas, & immediatas, nunc quid utrunque eorum ſit, uult declarare, & antequam ad ſingulorũ uerborũ huius textus expoſitionẽ deueniamus, primo hunc tex. diuidimus. diuiditur autem in duas partes, in prima parte quid primum, & quid immediatum ſignificet, declaratur in ſecunda uerò ibi. {propoſitio autem} loquetur de quibuſdam ad maiorem notitiam habendam de principio demonſtrationis, quod eſt propoſitio immediata: Quo ad primam partem igitur huius tex. dicit Ariſtotel. ex primis eſſe, intendere idem quòd ex propriis principiis eſſe: & perſuadet hoc dicens {idem enim dico primum & principium.} Et aduertas quod ſunt idem ſubiecto, &

differunt

differunt ratione.} principium uerò {Cum dixit principium demonstrationis & primũ idem esse, nunc quid sit principium demonstrationis uult ostendere, & dicit esse propositionem immediatam, idest medio carentem. {immediata aũt} dicit quod propositio immediata est, qua nõ est altera prior. pro cuius intellectu, rememorando ea quę diximus, oportet scire, ꝙ quando inter subiecta & prædicata non est aliquod medium subiectum, neq; aliqua media causa, tunc propositio ex illis constans dicitur immediata, idest uacans medio, tam subiecti, quam causæ, ita ꝙ uacat medio per quod possit probari. Quomodo autem ipsa propositio immediata, dicatur dupliciter immediata, scilicet immediatione causæ, & immediatione subiecti, sicuti etiam primum dicitur dupliciter, scilicet primitate subiecti, & primitate causæ, uide ea quæ scripsimus in expositione tex. noni & 10. Et cum dicit. {Propositio autem est} Hæc est secunda pars huius textus, in qua declarat ea quæ faciunt ad bonitatem doctrinæ circa cognitionẽ principii demonstrationis quod est propositio immediata. Nõ ab re igitur Arist. dicit. {Propositio autem} Nam cum ipse Arist. dixisset principium demonstrationis, esse propositionem immediatam, ut genus, in cuius namq; definitione, ponitur propositio; nunc uult declarare, quid sit ipsa propositio. & dicit quòd est {enunciationis,} idest orationis enunciatiuæ {altera particula,} idest altera pars quæcunque sit, siue uera, siue falsa. {unum de uno} scire uolumus quòd Arist. miro artificio, his uerbis complectitur simul definitionem propositionis in communi, & suarum specierum, quasi sic uelit dicere Arist. propositio est altera particula, uel affirmatiua, unius, scilicet de uno: & sic habetur declaratio nominis propositionis affirmatiuæ, & similiter dicendum est de negatiua per negationem unius de uno: & dicitur etiam {unum de uno;} idest quòd sit prædicatum uniuocum uel analogum, de subiecto uniuoco uel analogo. {Dialectica quidem} cum propositionem in communi declarauit, ipsam tanquam manifeste diuisam in topicam & demonstratiuam nunc uult utramlibet definire, & dicit primo. {Dialectica quidem} est illa quæ sumit utranque partem enunciationis, scilicet tam ueram, quam falsam, tam affirmatiuam quam negatiuam quia utraque potest esse præmissa, topica, ea quidem ratione, nam præmissa topica est probabilis, quia omnibus uel pluribus, uel sapientibus uidetur. modo & uera & falsa potest esse probabilis, dummodo concessa sit à respondente, contra quem arguit. {Demonstratiua uerò} determinate sumit unam partem, scilicet quæ uera est. ex quibus uerbis, & ex iis quæ protulit Arist. in primo top. facile patet quo pacto. differant topicus & demonstrator: circa facilia non decet immorari, ideo sub silentio pertranseunda putauimus quæ expositores attulerunt. {Enunciatio autem} Quia definiendo propositionem, sũpserat enunciationem in eius definitione, propterea illam, quæ sit, declarare intendit, ne ignota uiciauis utatur, & dicit quod enunciatio assumit particulam contradictionis, scilicet sub se sumit affirmatiuam & negatiuã, tanquam genus suas species. nam ipse Aristote. in primo de interpretatione cap. quarto secauit enunciationem in affirmationem & negationem. {At contradictio} Demum quia in definitione enunciationis ponitur ipsa contradictio, propter eandem quoque rationem, contradictionem declarat, dicens, esse oppositionem, cuius non est medium secundum se, idest simpliciter caret medio, & oppositio ponitur loco generis. Quid sit oppositio, legito Aristote. in post prædicamentis, ubi quatuor oppositionum genera assignauit, scilicet priuatiuam, contrariam, relatiuam & contradictoriam, & sola oppositio contradictoria secundum se, idest secundum suam naturam habet hoc ut nihil sit medians inter ipsa opposita contradictoria. si. uerò in aliis oppositionis generibus quandoque euenit quod careant medio, hoc non erit. {secundum se} idest ex se in eis, sed quatenus reducuntur ad ipsa contradictoria. Hæc dicta sufficiant circa huius textus expositionẽ. Sed sunt dubitationes non prætereundæ, quarum prima est, circa uerba illa Arist. {Ex primis} quoniã datur demonstratio quia ut patet primo post. cõ. 30. quæ non procedit ex primis & immediatis. Philoponus & eius imitator Suess. respondent distinguendo de duplici demonstratione. altera quę ex primis, immediatis ac notioribus posteriora confirmat, & hæc est demonstratio simpliciter, ac propter quid: & dicit Suess. ꝙ huius generis sunt omnes demonstrationes mathematicæ, & nonnullę physicæ. altera uero demonstratio est, quæ ex posterioribus, nobisque notioribus priora confirmat, & hæc demonstratio coniecturalis dicitur à Philoppono. & dat exemplum, & applicando ad propositum, dicendum est secundum Philoponum quod Ar. non loquitur de huiusmodi coniecturali demonstratione, seu coniecturali syllogismo: non enim ex primis procedit. Sed quam sit erronea huiusmodi opinio, legito demonstratiuas rationes, quæ in nostro quæsito de regressu demonstratiuo scripsimus, quibus sole clarius ostenditur iuxta Arist. autem demonstrationem quia, esse demonstrationem analogicè, contra ipsum Auicennam, sicuti optime ipse Auer. in epito. logico quæsito sexto, contra Auicennam conclusit. & in primo posteriorum comm. 95. Amplius uidetur ex tex. Arist. nullum esse discrimen inter enunciationẽ, & dialecticam propositionem quoniam dicit Ari. quod enunciatio sumit quamlibet partem contradictionis, dialectica similiter quamlibet accipit partem, ergo nulla differentia inter ipsas. Respondet Aegidius Romanus, dicens quod licet enunciatio, & dialectica accipiant utramlibet partem, tamen differenter se habent, quia enunciatio accipit quamlibet partem simul, dialectica uero non accipit utranque simul, sed potest accipere alteram partem indeterminate: Sed proculdubio Aegidius errat multifariam: primo quidem, quoniam falsum est dicere, enunciationem accipere utramlibet partem, nam cum ipsa enunciatio secundum Aristotelem primo de interpretatione cap. quarto, sit quoddam genus ad affirmationem, & negationem non potest accipere ab aliquo superiori se, sed melius dicitur, enunciationem habere, ac continere utramlibet partem. Præterea falsum est quod ipsa enunciatio accipiat utramlibet simul, nam dixit Aristoteles primo de interpretatione capitulo quarto, quòd enunciatio significat aut uerum, aut falsum, & non simul; & similiter, aut affirmationem, aut negationem, & non simul. errauit igitur Aegidius & grauissime: Ideo uera responsio iuxta literam Aris. quod perlibrandum est illud uerbum {sumit} quando loquitur de dialectica, quia dialectica sumit à respondente utranque partem per interrogationem, sumẽdo scilicet consensum à respondente: sed non dicit, quod enunciatio sumat utranq; partẽ, non enim utitur illo uerbo {sumit} quia enunciatio non sumit, sed habet sub se utranque partem, & sic huiusmodi ponderatione uerborum Arist. in textu, facile cognoscitur discrimen inter ipsam dialecticam & enunciationem. Multæ aliæ dubitationes mouentur super hunc textum ab expositoribus, quæ cum ex falso uerborum Arist. intellectu procedant, propterea non fuerunt notatu dignæ,

Commen. 13.

Idest significatum dicendi.} In hoc commento prætermissa continuatione, forsitan tanquam facili, primo incipit exponere textum in primis uerbis quando dicit {idest significatum.} Secundo dat causam huius ordinis

quare Aristote. definit in hoc textu propositionem enunciationem, & contradictionem, ibi, quando dicit {& cum definiuerit.} Et tertio ibi quando dicit {incepit itaque} reuertitur ad expositionem textus. Dicit igitur ipse Auerr. quòd oportet demonstrationem esse {ex primis} & ipse exponit idest ex proportionatis præmissis. Et cum dicit {significatum autem} aduertas quod Auer. exponit quid intelligat per proportionatum, & dicit, quòd per proportionatum debet intelligi illud prædicatum, quod non trãscendit genus artis, de quo tractatur, & notato quòd Auer. per transcendere genus artis, & non transcẽdere, hoc modo intelligit, quando enim res subiecta consideratur sub aliqua ratione & medio, tunc ratio illa considerandi, genus considerandi, & artis nuncupatur. unde cum prædicata insunt rei quatenus sub tali ratione, tunc erunt propria, & proportionata prædicata illi generi, & erunt infra genus, & non transcendentia. Si uerò conueniunt rei consideratæ, non quatenus sub tali ratione sunt, tunc profectò non propria, neque proportionata erunt, sed transcendentia, & non infra genus: & infra capitulo. 38. proprius sermo erit, & de intento, quod non licet in demonstratione sumere terminos alterius generis scientiæ: & in hoc capitulo uoluit innuere Auer. quando dixit {ut infra uidebitur.} Et cum dicit {Et cum definiuerit} assignat causam huius ordinis, quare uoluerit definire Aristot. ipsam propositionem, & causa hæc est. quia in definitione principii demonstrationis ponitur ipsa propositio tanquam genus, ideo oportuit definire ipsa propositionem. & subdit {deinde partitur illam} idest diuidit ipse Aristot. propositionem in communi, ad propositionem dialecticam & demonstratiuam. Sed tu quæres cur Aristote. uoluit diuidere propositionem in communi, seu ipsam præmissam in communi? Respondet Auer. {quia præmissa immediata} idest ideo uoluit diuidere Aristotel. ipsam præmissam in communi, & describere {utramque illarum} ut sciremus sub qua illarum præmissarum, ipsa propositio immediata contineatur, sub præmissa dialectica, an sub præmissa demonstratiua? & pro comperto iam habetur ex tali diuisione, quòd ipsa propositio immediata, cum sit illa ex qua semper {quæ concludit,} scilicet conclusio uera sequatur, quòd ipsa sit species præmissæ demonstratiuæ, nam præmissa demonstratiua semper determinate partem ueram accipit, & hoc uoluit dicere Auer. in his uerbis {quia præmissa immediata est species.} Dicit deinde {Et cum usus sit} & assignat causam, propter quam oportet definire ipsam enũciationem & oppositionem. quoniam enim enũciatio sumitur in definitione propositionis, & contradictio in definitione enunciationis, ideo utranque definire uoluit, ne uteremur ignotis. & subdit Auerro. {quod totum est referre} idest non de intento ista definiuit, sed rememoratiue, & per accidens, ne scilicet definiremus per ignota. Deinde dicit {incepit itaque} reuertitur nunc ad expositionem textus, quòd scilicet principium demonstrationis est propositio immediata, & propositio immediata est illa, qua non est altera prior, & dicit {hoc est secundum} exponit Auerro. quomodo propositio non habeat causam supra se, nec quoad essendum, nec quo ad cognoscendum, ut scilicet, neque per eam sit, neque cognoscatur, ita quod illa propositio quæ habuerit aliquam causam, aut in essendo, aut in cognoscendo, non erit propositio immediata. Dicit deinde {quæ quidem definitio} uult quòd definitio tradita hic de ipsa propositione, sit similis definitioni traditæ ab Aristote. in primo priorum de ipsa propositione. Sed uidetur Auerro. errare, quoniam definitio propositionis traditæ in libro priorum est ista, quod sit oratio aut affirmatiua, aut negatiua alicuius de aliquo: hic uerò dicit, quòd propositio est altera pars enunciationis: unde non sunt similes. Auerro. uidens hanc obiectionem, posuit responsionem statim, & dixit {ubi iam uirtualiter} idest dicitur similis ista definitio illi traditæ in libro priorum, hoc modo, scilicet quatenus hæc continetur uirtualiter in illa, & non diuersam assignat definitionem hic Aristo. ab illa in prima priorum, quia unica res non habet plures essentias. Et quando dicit Auerro. {& uidetur quod hæc} aduertas quod alteram assignat responsionem ad supradictam obiectionẽ, & pro intellectu huius responsionis nota quòd sic uult dicere, propositio dupliciter consideratur, uno modo ut præmissa in communi, alio modo quatenus est hæc præmissa: si primo modo consideratur, sic dicimus quòd ipsa propositio æqualiter respicit affirmationem, & negationem, & indeterminate stat cum ambabus. & hoc modo definitur in primo priorum cap. primo. si uerò consideratur quatenus est hæc præmissa, tunc dicimus quòd est altera pars determinata, aut affirmatiua, aut negatiua tantum. & hoc modo diffinitur ipsa propositio ab Aristo. in hoc tex. 13. & sic concludimus Auerro. optimè sensisse, & hanc distinctionem utique explicauit dicens {non sic definitio præmissæ in quantum est præmissa} idest ista definitio tradita in hoc tex. 13. non est propositionis in communi, scilicet ut est præmissa in communi, sed est definitio propositionis {illius cui accidit,} idest sed definitur propositio hic, ut est hæc præmissa. & hanc diuersitatem non animaduerterunt alii expositores, quòd, scilicet alio modo definitur hic propositio, & alio modo in primo priorum cap. primo. Deinde dicit {& intendit hic} Aduertas quòd Auerro. habet in tex. suo, quòd demonstratiua præmissa sit altera pars contradictorii, nunc ergo exponit, quid intelligat Aristo. per contradictorium, & dicit {& intendit hic,} idest, & quia aliquis posset dicere, demonstratorem non uti nisi necessariis propositionibus, quæ sunt uniuersales, & non particulares: at contradictoriorum altera propositio est uniuersalis, & altera est particularis, ut docuit Aristote. in libro de interpret. & tunc si demonstratiua præmissa est altera pars contradictorii, poterit esse etiam particularis, quod est contra Arist. quoniam præmissa demonstratiua semper debet esse uniuersalis, ut docuit Aristote. in hoc libro posteriorum, & sic Auerro. uolens excludere istam obiectionem, dicit quòd contradictorium capitur dupliciter, uno modo proprie, & sic est inter propositionem uniuersalem, & particularem, & hoc modo non capitur in tex. alio modo sumitur improprie, & sic exponitur pro contrario, & hoc modo sumpsit Aristot. quòd demonstratiua præmissa est altera pars contradictorii, idest contrarii, et hoc uult dicere Auerro. in illis uerbis {non id contradictorium quod est proprie} Et loquens de præmissa topica, dicit {quia præmissa est} ubi notandum quòd Auerro. in tex. suo circa definitionem præmissæ topicæ habet, quòd supponatur, & uult declarare quomodo differat ipsa præmissa topica a præmissa in communi, & dicit quod præmissa in communi est pars syllogismi supposita & concessa, eo quia prænota naturaliter: topica uerò quia probabilis est, et quia utranque partem contradictionis sumit, quòd ipsi præmissæ in communi non conuenit per se, sed ratione partis, scilicet præmissæ topicæ, quia si pe se conueniret, tunc omni, et sic etiam conueniret ipsis præmissis demonstratiuis. Deinde dicit {ubi scire te oportet} Nũc uult declarare, quomodo enunciatio, et præmissa et quæsitum sint idem subiecto, et differant ratione, et dicit quòd eadem propositio dicitur enunciatio quatenus significat uerum uel falsum, ut patet in primo de interpre. cap. 4. et dicitur præmissa quatenus ẽ pars syllogismi prænota, ut uerò est ignota talis propositio, et quæritur sciri, dicitur quæsitũ. Sed pro uberiori cognitione quomodo differãt enunciatio præmissa et quæsitũ, declarãdi sunt hi termini cur, scilicet propositio dicatur maior, uel minor, uel cõclusio,

positio,

positio, suppositio, dignitas, & multa alia nomina: ac prius distinguendum est quod oratio est duplex prima sui diuisione. s. perfecta & imperfecta, ut patet ab Arist. primo topic. quarto, ubi dicitur quòd definitio est oratio. s. imperfecta, hæc distinctio ponitur ab Auer. in epito. logic. hanc eandem distinctionem græci confitentur, in lib. de interpretatione: oratio perfecta est duplex. s. enunciatiua, & nõ enũciatiua, quàm distinctionem uidit Boethius in lib. de interpretatione, & græci quoq; ut Magentinus & Ammonius oratio uerò perfecta enunciatiua adhuc duplex est. s. cathegorica, & hypothetica, hoc dixit Arist. primo de interpretatione. quod est simpliciter una, & cõiunctione una oratio perfecta cathegorica duobus modis cõsiderãda uenit uno modo ut extra syllogismum, & sic dicitur enunciatio significans ueritatem uel falsitatem, alio modo ut in syllogismo, sic dicitur propositio affirmatiua uel negatiua: et quoniam syllogismus considetatur dupliciter, uno modo secundum formam, alio modo secundum materiam, ex consequenti ipsa propositio sumpta in syllogismo secundum formã diuersa sortitur nomina, ab ijs nominibus. de quibus dicitur, dum est in syllogismo secũdum materiã, nam propositio sumpta in syllogismo secundum formã ad huc dupliciter consideratur, aut ex parte antecedẽtis, & sic dicitur præmissa, & quoniam præmissa est duplex. s. maior & minor dicitur præmissa maior uel minor; aut ex parte consequentis, & sic dicitur conclusio seu illatio. si uerò consideratur propositio quatenus est syllogismus secundũ eius materiam, tunc hoc erit quinque modis quia quinque sunt species syllogismi, ut docuit Arist. in lib. rethoric. & Auer. in epito. logic. & in primo poster. com. 17. & in prologo, & in primo com. uelut iam annotauimus: quod est syllogismus demonstratiuus; topicus, falsigraphus, rethoricus, & poeticus: unde si ipsa propositio cnosideratur in ordine ad syllogismũ demonstratiuũ, hoc erit adhuc duobus modis, aut consideratur ante ipsã demonstrationẽ, & sic uocatur quæsitum, seu quæstio ab Arist. in secundo poster. tex. com. primo, aut consideratur ut est in demonstratione, & sic uocatur principium immediatum, seu primum, propositio immediata, positio, dignitas, & suppositio, ut dicit Aristo. in 13. & 14. tex. si autem consideratur ipsa propositio respectu syllogismi topici, hoc etiã dupliciter, aut ante syllogismum topicũ, & sic dicitur problema, aut consideratur ut est in syllogismo topico, & sic dicitur propositio dialectica ab Arist. in hoc tex. 13. seu probabilis, ut patet primo top. Si considetatur in ordine ad syllogismum elenchum, hoc quoq; erit dupliciter, aut ante syllogismum elenchum, & sic nuncupatur sophisma, aut uerò sumitur in ipso syllogismo elẽcho, & sic uocatur propositio seu præmissa litigiosa, & apparens, & respectu syllogismi rethorici, dicitur propositio seu præmissa rethorica, sicut etiam poetica dicetur. si fuerit sumpta in syllogismo poetico, & sic patet redeũdo ad expositionẽ commẽti, quod optimè dixit Auer. quod eadem propositio. potest dici, enunciatio, præmissa, & quæsitum, uelutiiam enucleauimus: Deinde dicit { Arist. autem } dicit, quòd Arist. descripsit ipsam { præmissam, } idest propositionem per dinumerationem specierum, scilicet per affirmationem & negationem, & sic Auer. per alteram partem enunciationis exponit, idest affirmationẽ, & negationem. Sed uidetur contra Auer. quia affirmatio & negatio non sunt species ipsius orationis enunciatiuæ, sed uera uel falsa, ut patet in primo de interpretatione cap. quarto, ubi dicitur quod enunciatio est illa, in qua uerum uel falsum, ergo falsa est expositio Auer. Sed nos dicimus Auerroem bene sensisse, nam eo modo Auer. loquitur de speciebus ipsius propositionis, quo modo dixit & uoluit Arist. sed ipse in primo priorum cap. primo, definiuit propositionem per affirmationem & negationem & non per ueram & falsam, ergo Auer. bene dixit, nam aliud est definire propositionem, & aliud definire enunciationem. propositio per affirmationem, uel negationẽ definitur: enunciatio uerò per ueram uel falsam. Dicit deinde { uerumtamen totum hoc tulit. } Notato quòd Auer. excludit obiectionem quam quis facere posset arguendo Arist. fuisse superfluum, iterum definisse hic propositionem. enunciationem, & contradictionem, cũ alibi eas definiuerit, unde ad excludendam huiusmodi obiectionem respondet Auer. { uerumtamen hoc totum } & uult dicere hoc modo. quòd Arist. non uere definiuit ipsam propositionem, enunciationem & cõtradictionem. & ideo dicit, {non ut definitiones aut descriptiones } sed ideo totũ hoc tulit, idest assumpsit declarationem ipsius propositionis, enunciationis, & contradictionis, ut possimus & sciamus respondere { interrogatum } quod fit ab initiante hunc librum, ut. s. discens hunc librum, sciat quid significet unũ quodque nomen illorum, quamobrem dicendum est nõ fuisse superfluũ ipsum Aristotelem: quia non eas definiuit & descripsit de intento, sed per accidens, scilicet propter interrogatum, quod fieri solet ad habendam pleniorem cognitionem. Et dicit { uerisimile est ita } nunc definitionem contradictori uult exponere, dicens quòd talis descriptio complectitur contradictoria & contraria, per hãc, scilicet similitudinem, quoniam sicut non est medium inter duo contradictoria, ita quoque non est medium inter duo contraria, exemplum utriusq; est, quoniam non datur medium inter contradictoria, quorum unum est uerum, & alterum est falsum, & similiter non datur mediũ inter contraria, quorum unum debet esse uerum, & reliquum falsum. Subdit deinde { secernitur autem. } aduertas quòd Auer. tacitæ obiectioni respondet, quoniam aliquis posset dicere, quòd si ita conueniunt, scilicet in tali definitione ipsa contradictoria, & contraria, tunc nullum esset discrimen inter ipsa contradictoria & ipsa contraria. Respondet Auer. asserens. { secernitur autem } idest ipsa contradictoria & contraria secernuntur, idest differunt inter se, quoniam contradictoria diuidunt uerum & falsũ in omni materia. s. necessaria & cõtingenti & remota seu impossibili, ipsa uerò contraria diuidunt uerum & falsum in materia dumtaxat necessaria. { Dico autem } cum dixit Auer. contradictorium omnem respicere materiam circa ueritatem & falsitatem & contrarium tantummodo materiã necessariam, nunc uult declarare quo instrumẽto utitur topicus seu dialecticus circa ueritatem & falsitatẽ, & dicit quòd contradictorium est {proprium topico}. s. artifici, & assignat rationem quando dicit { quia, } idest hæc est ratio propter quam contradictorium est proprium instrumentum ipsi topico artifici: quoniam ipse topicus artifex omnem materiam contemplatur, & inquirit, & cõtradictorium est circa omnem materiã (ut diximus,) merito ergo contradictorium est uerum, & proprium instrumentum ipsi artifici topico. Similiter dicendum est, quod contrarium est proprium & peculiare instrumentum ipsi demonstratori, quoniam cum demonstrator tantum materiam necessariam speculetur, utitur ipso cõtrario, quod tantum circa materiam necessariam uersatur, & memẽto (ueluti annotauimus in expositione quinti termini in primo textu) quod ipse artifex demonstratiuus ut sciat partem ueram retinere & reijcere falsam ex partibus contrarijs ipsius quæsiti, utitur præcognitione dirigente & agente, sic retulit Auer. in epito. logic. in tractatu de rethoric. demonstr. & in epit. in principio, et quamuis Auer. non explicauerit et fecerit mentionem de præcognitione dirigente et agente, sine qua non potest demonstratiuus artifex partem ueram quæsiti retinere, tu tamen præsupponere debes, quoniã superius declarata fuit ab Aristo. & Auer. in textu secundo, huiusmodi præcognitio, & sicut diximus de artifice demõstratiuo, quòd necessario utitur præcognitionibus: ita quoque intelligito de artifice topi

eo, illa enim duplex precognitio, agens, & dirigens, cuilibet namq; artifici necessaria est. pro hoc legito Auer. in epito. logic. in tractatu de rethorica demonstratione. Occurrunt ad maiorem declarationem eorũ quæ dicit Arist. in tex. & Auer. in commen. quædam dubitationes. & quidem scitu dignissimæ. Prima dubitatio est, quoniam tam Aristo. quàm Auer. dicunt quòd propositio dialectica sumit utrãq; partem, oppositum uero dixit ipse Arist. in primo topic. cap. 3. ubi retulit quòd problema & propositio scilicet dialectica differunt hoc modo, quòd si quæris unã partem tantum, an. s. homo sit risibilis, tunc est propositio scilicet dialectica. si uerò quæris scire utramlibet partem scilicet an homo sit risibilis, uel non sit risibilis, tunc dicitur problema, ergo Arist. sibi contradicit, quoniam hic dicit, quòd propositio dialectica utramlibet assumit partẽ. Secunda dubitatio, ad idem. ex primo top. cap. primo, & cap. 8. ubi dicit Arist. quòd præmissa topica seu dialectica est illa quæ uidetur omnibus, uel pluribus, uel sapiẽtibus tunc si uidetur sapientibus; sapientes, non nisi uerum considerant, ergo falsum est quòd topica præmissa semper sumat utranq; partem. Tertia dubitatio ad idem, ex primo top. cap. octauo, ubi habetur, quod si unum contrariorũ est probabile, & reliquum est improbabile, ergo signum est quòd præmissa topica unam accipit partem, & non utranq;. Sed proculdubio nullius momẽti has rationes esse dicimus, & primo respondetur ad primam, haudquaq̃ Arist. sibi contradicere, & ad auctoritatem ex primo top. cap. 3. dicimus quòd Arist. ponit differentiam ibi inter propositionem dialecticam, & problema ex modo proferendi seu interrogandi, & dicit quòd differunt, hoc modo, quia problema interrogat utranq; partem cum nota disiunctionis, dicendo, an homo sit risibilis, uel non risibilis. Ipsa uerò propositio dialectica tantum unam accipit partem quando interrogat, ut dicendo an homo sit risibilis, & sic non est contradictio in dictis Arist. quoniã aliud est dicere, propositionem dialecticam interrogare unam partem, & aliud est dicere, propositionem dialecticam sumere utranq; partem, primo modo intellexit in primo topico. cap. 3 secundo modo intellexit in hoc tex. 13. & sic nulla est contradictio. Multa refert Alexander Aphrodisieus: in libro primo topic. cap. 3. & cap. 8. quomodo differant ipsa propositio dialectica, & problema: quæ non faciunt ad rem nostram. Ad secundam dicimus, quod sapiens is est, qui in unaquaq; arte eius perfectionem adeptus est, modo profectis in arte aliquando uidetur falsum unde utranq; pars uideri potest, & uera & falsa. præterea dicimus quòd per sapientes Arist. intellexit, uere sapientes & apparenter sapientes, quibus falsum uidetur uerũ. Ad tertiam, iam clara est responsio quòd si unũ contrariorum est probabile apud quosdam, apud eosdem aliud uidetur improbabile, cum hoc tamen stat, quòd illum et sit probabile apud alios. quare utraq; pars probabilis est, & sic relinquitur Arist. optimè sensisse, quod propositio dialectica utramlibet accipiat partem: & de ijs hactenus, circa huiusmodi tex. & commen.

Immediati autem, principij Syllogistici positionem quidem dico, quam non est monstrare, neq; necesse est habere discentem aliquid. quam autem necesse est habere quemlibet discentem, dignitatem. Sunt enim aliqua eiusmodi, hoc enim nomen in huiusmodi dicere consueuimus. Positionis autem quæ quidem utramuis partium enunciationis accipit ut dico esse aliquid, uel non esse aliquid, suppositio est: Quæ uerò sine hoc, definitio est: Definitio enim positio quidem est. ponit enim arithmeticus unitatem quidem indiuisibilem esse secundum quantum: suppositio autem non est. nam quid unitas est, & esse unitatem non idem est,

Quicquid alij dicant, postquam Arist. definiuit principium demonstrationis, quòd. s. sit propositio immediata, nũc intẽdit diuidere illud, & diuiditur textus iste in duas partes. in prima ponit diuisionem bimembrẽ ipsius principij demonstratiui. in secunda ibi {positionis autem} subdiuidit primum membrum diuisionis. Dicit igitur Arist. in prima parte, quod ipsum principium immediatum est duplex, positio. s. & dignitas: dicit {positionem quidem dico} idest uoco illam positionem {quam non est monstrare} idest non contingit demonstrari, quia non est demonstrabilis, & ipsa positio habet hoc quod. s. sit demonstrabilis, a suo genere: quia est principium demonstratiuum, et principium demonstratiuum est indemonstrabile quia est primum, & immediatum: ut supra declaratũ est. {neque necesse est} dicit Arist. ꝙ quamuis sit indemõstrabilis, non propter hoc tamen sequitur, ꝙ necessarium sit habere eam, illum, qui aliquid uult addiscere in aliqua arte. & dicimus ꝙ hoc modo, non est necessarium habere eam, addiscentem aliquid. s. tanquã principium per se notum, & commune omnibus consideratis in illa arte, quam addiscens uult addiscere. Et cum dicit. {quam autem necesse est} aliud membrum ipsius principij demonstratiui enucleat, & dicit ꝙ quam necesse est habere quemlibet addiscentem, hanc supple, dicimus & uocamus dignitatem & subdit Arist. {Sunt enim aliqua.} Aliquis fortasse dubitaret, an reperiãtur ista, quæ necessarium est habere quẽlibet discentem. respondet Arist. quasi dicat, non est dubitandum, inueniri talia quæ necessarium est habere discentem in omni sciẽtia, nam aliqua sunt & inueniuntur, quæ oportet discentem habere: Et dicit. {hoc enim nomen} respondet interrogationi, cur dignitates ista nuncupentur, & dicit, ꝙ ideo consueuimus hoc nomine. s. dignitates uocare: quia digna sunt ab omni sciente haberi & credi: ueluti optime annotauit Themistius. Habes ex hac diuisione principij demonstratiui, ꝙ duplex est, positio. s. & dignitas. & istæ duæ conueniunt & differunt, conueniunt quidem quoniam utraq; est propositio indemonstrabilis differũt uerò, quia dignitatem necesse est habere quẽlibet qui uult aliquid discere. positionem uero non necesse est habere omnem, qui uult aliquid adiscere. Deinde dicit. {Positionis autem.} Hæc est secunda pars huius textus, quæ hunc habet contextum ad primam partem, cum Arist. diuisit principium demonstratiuum immediatũ, & unumquodq; diuisionis membrum declarauit, nũc illius diuisionis primum membrum intẽdit subdiuidere, dicẽs, positionis duas esse species. s. suppositionem & definitionem. & cum dicit {ut dico esse} declarat suppositionẽ, dicens, ergo, {dico} idest uoco illam esse suppositionem quæ accipit utranq; partẽ enunciationis, {esse aliquid uel non esse aliquid} idest affirmationem uel negationem, & non intelligit per utranq; partem enunciationis. s. uerum uel falsum, ut perperam quidam & insulse satis exposuerunt, contra Arist. mentem. {Quæ uero.} Cum definiuit suppositionem, nunc definitionem declarat dicens esse illam, quæ est {sine hoc} idest quæ non dicit affirmationẽ uel negationem, cum careat copula uerbali, per quam habetur esse uel nõ esse per affirmationem, uel negationem. {Definitio enim positio quidem est.} Probat Arist. ꝙ definitio sit positio, per hanc rationem, {ponit enim arithmeticus} idest cum ipse arithmeticus ponat hanc definitionem unitatis, ꝙ. s. sit indiuisibilis secundum quantitatẽ ergo sequitur ꝙ ipsa definitio dicitur positio. {suppositio autem non est.} Probat ꝙ definitio non sit suppositio per hanc rationem, {nam quid unitas} idest quid unitas est & esse unitatem, non est idem: & ita licet definitio dicat. quid est res, non tamen dicit esse uel nõ esse, quod est proprium suppositionis, & ita ipsa definitio, non est suppositio. Hæc circa tex. expositionem. Sed occurrit dubitatio non prætereunda, eo quia Arist. non seruauit regulam ex

pertita

peritia suę artis quam ipse docuit primo cœli tex.comm. 110. ꝙ omne multiplex prius distinguendum est, quam definiendum, & ipse Arist. totum oppositum fecit. primo enim definiuit principium demonstrationis in tex. 13. & postea diuisit illud in hoc tex. 14. ergo Arist. uidetur sibi contradicere. Huic dubitationi dicendum est, ꝙ illa regula Arist. intelligi debet de multiplici æquiuoco, non autē analogo, seu uniuoco, & hoc confirmatur per Auer. primo poster. com. 33. quando dixit ꝙ expedit docenti per nomina ut primo distinguat, & quia principium demonstrationis non equiuocum, sed analogū est, ut dixit Auer. primo poster. com. 95. & in epit. log. cap. de demonstratione, ubi dixit ꝙ principia demonstrationis sunt analoga, ideo non curauit Arist. prius definire principium demonstrationis, & postea diuidere, sicuti etiam fecit, text. 13. prius definiuit propositionem, & postea diuisit eam in codē tex. in dialecticam & demonstratiuam, & sic Arist. nō errauit. Vlterius dubitandum est quia Aristot. uidetur sibi contradicere, nā dicit in hoc tex. 14. quòd suppositio accipit utramlibet partem enunciationis: at oppositum huius dixit in tex. 13. ꝙ demonstratiua præmissa accipit alteram partē. s. quæ est uera, at suppositio est positio, & positio est principium demonstrationis, & principiū demōstrationis est præmissa demonstratiua, ergo à primo ad ultimum ipsa suppositio debet accipere unam partem, & utranque partem, unde clara est cōtradictio in dictis Arist. Breuiter dicendum est, nullam esse contradictionem, quoniam Aristo. seipsum exponit, quomodo suppositio accipiat utrāque partem enunciationis, quia dicit esse uel nō esse. i. affirmationem uel negationem, & nō intelligit partem ueram uel falsam, & sic nulla est contradictio, unde non inconueniens ꝙ detur suppositio negatiua. nam Aristo. tex. 40. ponit discrimen inter demonstrationem affirmatiuam, & negatiuam, quæ, illarum sit potior sed nūquam concessit dari suppositionem falsam, & demonstrationē ex falsis. Quinimmo prima conditio quam dixit fore necessariam præmissis, est quòd sint ueræ, sicuti docuit in principio, tex. com. 10. quādo dixit {uera quidem igitur.} Illa uerò dubitatio, an definitio dicat esse uel non esse, in com. expositione discutietur, ubi latinorū afferentur opiniones, ibiq; expugnabuntur, & ueræ Auer. solutiones enucleabuntur, quomo. s. definitio dicat esse uel non esse secundum Arist. doctrinam.

Commen. 14.

Dixit, demonstrationis principium. } Auer. præsupponens continuationem esse notam, tantum exponit. Et nota quòd dupliciter exponit primam partē tex. prima expositio incipit ibi. { Ac si dixisset } secunda uerò expositio incipit ibi. { Et potest esse. } Sed antequam ueniat ad primam expositionem, distinguit ipse Auerro. ipsum principium demonstrationis. { Quod est præmissa immediata } & uult dicere principium demonstrationis immediatum uocari proloquium, & positionem, & assignat causā quare uocatur proloquium & positio, quia non est uia ad demonstrandam ipsam positionem, & Burana loco eius, quod dicit Abrahamus proloqutum transtulit, radicē positam, dicit igitur Auerro. quòd ex principiis ipsius demōstrationis unum est, quod dicitur positio, & est indemonstrabile. idest non potest demonstrari, & ideo dicit { non est iter quo possit demonstrari. } Et habet aliam conditionem ipsa positio, {neq; innata est intellectui discipuli} id est ex sua natura ipsa positio non est nota discipulo sine præceptore, & quādo dicit {neq; innata est discipulo.} Assignat causas multiples, quare ipsa positio, non est innata intellectui ipsius discipuli. { aut ob modicū exercitiū } quod fecit ipse discipulus in arte quā addiscit, {aut ob naturæ defectum} scilicet prouenit ex deprauato intellectu ipsius discipuli, ut non possit ipse discipulus {ipsam per se ipsum cognoscere} idest ipsam positionem cognoscat per se, sine præceptore, propter supradicta impedimenta, tum quia ipse discipulus parum exercitii fecerit, cum etiā ob malum, & deprauatum ingenium ipsius discipuli: & loquens Auer. in secundo metaph. com. 15. de causis propter quas euenit, ut multi non possint aliquid discere, dicit quòd hoc esse solet, aut quia intellectus eorum, nō potest retinere, & comprehendere ipsum, quod. s. uolunt addiscere, & ibi dicit ibi Auer. quod impossibile est ut addiscant aut propter segnitiem, aut propter errorem contingentem eis. Et quia ansa nobis occurrit de impedimentis ad scientiam habendam ex uerbis Auer. in com. ideo placuit aliquas & potiores recensere causas, propter quas contingit ut deficiamus à uera scientia: Vna causa est, dicit hic Auer. {modicum exercitium.} Hanc causam explicauit Arist. primo de generatione tex. cō. 7 ubi dicit quod causa propter quam non potuerunt confessa uidere, inexperientia fuit, ideo quicunque magis insudauerunt naturalibus, magis possunt supponere talia principia. quibus possunt multa complicare: qui autem ex multis sermonibus indoctis existentium entis intuentes, & ad pauca respicientes, de facili enunciant, ubi reddit causam propter quā errauerit Plato in naturalibus, & est paucitas exercitationis & experientiæ in rebus naturalibus, uersabatur enim in mathematicis, & ex intelligibilibus causis, uolebat assignare rationes rerū sēsibiliū, unde tertio cœli tex. com. 61. protulit Arist. quòd amor geometriæ & magistri duxerunt Platonem in errorem rerū naturaliū, dicit enim sexto ethic. cap. 9. quod pueri, mathematici quidem fieri possunt, sapientes autem uel physici fieri non possunt, ratio autem est quia principia scientiarum mathematicaliū experimento non indigent, sicuti principia scientiarū naturalium. longitudo autem temporis experientiam facit, ut asserit, hoc etiam modo Auer. reprehendit Auicennā tertio de cœli com. 67. ubi scribit, paucitas exercitationis istius uiri in naturalibus, & bona confidentia in proprio ingenio, induxerunt ipsum in multos errores. Aliam causam tangit Auer. cum dicit, { aut ob naturæ defectum. } Hanc causam notauit Arist. in secundo metaph. tex. com. 14. & Auer. primo cœli comm. 22. alia causa est pessima consuetudo, quæ radicata est in eis, qui accipiunt primo doctrinas falsas, licet sint apparentes, hanc etiam causam tangit Arist. secundo metaph. tex. com. 14. & Auer. loco dicto, scilicet primo cœli com. 22. & in illo procemio, quod communiter tenetur quod sit procemiū tertij physic. sed secundum rei ueritatem, est digressio quam facit Auer. in primo physi. com. 60. ueluti etiam notauimus in expositione com. 9. Alia causa erroris est, quia propositiones naturales sunt dubitabiles propter duas causas, ut protulit Auer. primo cœli com. 90. aut enim hoc euenit propter alias propositiones probabiles, contrarias eis, aut propter existimationem quòd principia istius artis debēt esse in fide sicut principia geometriæ, & hanc causam notauit Arist. in secundo metaph. tex. com. 15. Acribologia mathematica non est in omnibus expetenda, ideo scripsit ipse in primo ethic. sermones fieri in scientijs secundum materiam subiectam. Altera causa est, quia multi nituntur miscere principia naturalia cum principijs creditis, hanc causam tetigit Auer. aduersus Auicennam, secundo physic. com. 22. ubi sic inquit. Via autem qua processit Auicenna in probando primum principium est uia loquētium, & uniuersaliter sermo eius semper reperitur medius inter peripatheticos, & loquentes. Alia quoque causa est diuersitas translationum, hanc utique tangit Auerro. tertio cœli commen. 35. ubi inquit, & hęc intentio est difficilis ad intelligendum ex ista translatione, quam modo habemus, & fortè diminutio cecidit in hac translatione a translatore, nos enim non habemus nisi translatio-

tem Alchiadi, trãslationes uerò ueriores sunt Isaach. Vnde non ab re est, si Auer. in expositione libri de cœlo potius errauerit quam in alĳs locis, hoc etiam fuit in causa, quare multi latinorum in uarios prolapsi fuerint errores ex falsa. s. translatione. Alia adhuc causa notanda est, quæ est quando utimur synonimis nominibus in scientia uam dixit Auer. primo physic. com primo, quòd non debemus uti nominibus synonimis in scientia demonstratiua, hoc idem confirmauit in quarto physic. comm. 129. & primo cœli com. primo, & assignat ur causa quare non debemus uti nominibus synonimis & uerbis superfluis in scientiis demonstratiuis, quia sicuti nihil ociosum est in natura, ut patet secundo cœli tex. com. 50. & 59. & primo cœli tex. com. 32 & tertio de anima comm. 45. & secundo physic. com. 45. eodem modo nihil ociosum debet esse in scientiis & artibus, quia quarto methcor. cap. 28. ars imitatur naturam, & secundo poster. in com. 94. dixit, quòd tunc artes, & scientiæ sunt ueræ, cum sequũtur modum naturæ, unde primo de generatione com. 38. protulit quòd primus magister creditur nihil dixisse sine forti ratione: & primo physi. com. 35. inquit. & uide quomodo est sermo hominis huius breuis, & forte ita est de quolibet uerbo eius. Altera est, quando utimur metaphoris, nam docuit Arist. sed secundo poster. non esse definiendum per metaphoras: Vnde sæpe Arist. taxat Platonẽ & antiquos qui utebantur sermonibus metaphoricis. Alia causa est, ignorantia logicæ, plerumq; Arist. taxat antiquos & ostẽdit eos errasse, & paralogizasse, propter logicæ defectũ. Sic ergo iã patet, quos modis contingat, non posse aliquid uere sciri, & redeundo ad propositum nostrum, dicimus exponendo Auer. quod positio non est innata intellectui discipuli propter modicum exercitium & ob naturæ defectum. Et cum dicit Auer. { & quæ talis est } declarat ipsam dignitatem, & dicit, quòd est indemonstrabilis, & innata est. s. intellectui addiscentis. Deinde dicit. { & potest esse } nunc secũdam affert expositionem, & ista expositio secunda in hoc consistit. quòd Arist. intendat ponere differẽtiam inter positionẽ & dignitatem, quòd positio nõ potest demonstrari in ea arte, quam. s. addiscens uult addiscere, sed bene potest demonstrari in alia arte sicuti trãslatio Buranæ dicit, & longe clarior est illa translatio quã translatio Abrahami, & hoc tangitur ibi in litera in trãslatione Buranæ, quando dicit. { ac si diceret } & in ista parte nõ opus est translatione Abrahami sed, ipsa dignitas nõ solum non potest demonstrari in ea arte, quæ addiscitur, sed neq; in alia arte, & hoc notat Burana ibi. { Si uero nõ possit. } Dicit Auer. quod ista expositio secunda esse cõuenientior textui Aristotelis quam prima expositio. Deinde dicit, { & cum notificasset } postquam Arist. notificauit partes. i. conditiones ipsius positionis, nunc uult diuidere ipsam positionem in duo, s. in { conceptionem & assertionẽ } idest in definitionem & suppositionem. & cum dicit. { secunda uero pars } Auer. dicit ipsam positionem diuidi in duas partes, idest species, prima species est suppositio, & { quæ uerè positio dicitur } & amplius dicit quòd { uocatur subiecto } scilicet ipsa suppositio. & declarata ipsa prima specie positionis, quæ per se. & per prius, & uerè dicitur positio seu subiecto. accedit ad declarandã secundam speciem. s. ipsam definitionem, quæ ut dicit { per posterius uocatur positio. } Et quando dicit. { Definitio enim } assignat causam quare ipsa definitio sit positio per posterius, & nõ uerè, & ratio talis est. illa est uerè per se, & per prius positio, quæ per se copulat quòd res insit rei, ut dicit Burana in sua translatione, sed ipsa definitio nõ per se, sed per accidens facit accidens facit quod res insit. ergo nõ est per se & primo positio. sed p posterius. Huius rõnis Auer. tangit minorem cum dicit. { Definitio enim non amplectitur. } Sed dices & pulchre, quomodo ipsa definitio dicat esse per posterius & per accidens ut dicit Auerro. hic?

Responderur quòd hoc modo intelligit Auer. quod definitio dicat esse per accidens, quatenus, scilicet, unitur cũ definito, & illa unio non fit nisi mediãte copula uerbali, & sic per accidens dicit affirmationem & non per se, quia definitio ut definitio non claudit copulam. Sed Themistius cap. 5. mouet dubitationem, nam uidetur quod definitio dicat esse uel non esse, per hanc rationem, quoniam definitio est species positionis. & positio est principium demonstrationis. & principiũ demõstrationis est propositio immediata, ergo erit propositio, & si propositio, tunc, a primo ad ultimum, dicit esse uel non esse unde uidetur Arist. deficere. Secunda ratio ad idem, omnis definitio aut est nota naturaliter, aut ignota naturaliter, aut aliquo modo nota & aliquo modo ignota, si est ignota: naturaliter, tũc demonstratione ostenditur, ut secundo poster. com. 37. si aliquo modo ignota, tunc cõpositione & diuisione ostenditur: ergo patet in omnibus speciebus definitionis esse compositionem, uel diuisionem, & tunc dicit esse uel non esse ipsa definitio, quod Arist. inficias iuit. Tertia ratio, omnis definitio ut protulit Arist. sexto top. et in secundo poster. constat ex genere et differentia, quæ sunt partes ipsius definitionis: modo partes et totum sunt relatiua, ita quod definitio est cõposita, quia habet partes, ut primo physic. tex. com. 5. ab Arist. et ab Auer. habetur, tũc istis stantibus dicimus quod compositum et simplex opponũtur, et non possunt esse idem at definitio est composita, ergo non est simplex. et quod sit cõposita. patet, nã habet partes. Quarta ratio ad idem, inquit Arist. secundo metaph. in princ. quod de quolibet dicitur esse, uel nõ esse, et de nullo ambo simul, hanc etiam dignitatem posuit Arist. supra tex. com. 2. Tunc sic: sed definitio est, ergo definitio dicit esse uel non esse. Quinta ratio ad idem, primo topic. cap. quarto definiens Arist. ipsam definitionem dixit, definitio est oratio dicens quod quid erat esse, ergo ipsa definitio dicit esse, tum quia est oratio, cum etiã quia dicit quod quid erat esse, unde concluditur Arist. errasse. Ad primam rationem, Themistius dicit relinquẽs eam insolutam sat sibi fuisse monstrasse locum. Philoponus respondet, quod esse uel nõ esse capitur duobus modis, uno modo ut dicit esse diuersum prædicati ab esse diuerso subiecti, alio modo ut non dicit esse uel non esse diuersum, tunc stante hac distinctione dicit Philoponus, quod definitio non dicit esse uel non esse prædicando, quia prædicatũ semper uult esse diuersum, à subiecto, sed definitio non dicit esse diuersum, nam non est aliud animal rationale quã homo, ergo cum non sit diuersa à definitio, tunc nõ prædicatur de definito, sed tantum determinat quid sit definitum, et sic cõcludit Philoponus, quod Arist. intellexit per esse et non esse. s. esse diuersum in prædicando, quod non conuenit definitioni. Sed Philoponus maximopere errauit, primo quidem, quia Arist. octauo topic. cap. 11. ait quod definitio est unũ prædicatorum, quod de definito dicitur sine petitione in principio, nã licet definitio, et definitum sint idem subiecto, differunt tamen ratione Secundo Arist. primo topic. quarto, assignauit quatuor prędicata, quorũ unum est ipsa definitio, ergo definito est prædicatum. Tertio idem primo poster. tex. commen. 30. et 31. dicit definitionem esse prædicatum in primo modo dicẽdi per se, nam tres assignantur species primi modi dicendi per se, aut quando definitio de definito, aut quando differentia, aut quando genus prædicatur, ergo ipsa definitio est uerè prædicatum, Quarto cõtra sensum Aris. et uerba est exponere alio modo esse et non esse, quàm affirmare uel negare, nam per hoc dicit Arist. definitionem differre ab ipsa suppositione, quoniam suppositio dicit aliquid esse, uel non aliquid esse per affirmationem uel negationem, mediante copula uerbali, definitio uero sine hoc. Suess. respondet quod esse uel non esse capitur dupliciter, uno modo pro compositione uel diuisione, quam uerbum significat,

gnificat, quæ non potest intelligi sine extremis, & sic dicit ipse, quòd tam suppositio quem definitio dicit esse. Alio modo capitur pressius pro inesse uel non inesse, hoc est pro affirmatione de inesse, & pro negatione de non inesse, & sic tantum suppositio dicit esse uel non inesse hoc modo, quia in ea prædicatur accidens, cui competit inesse subiecto, & sic cum definitio non insit definito, propterea dixit Arist. quòd definitio non dicit esse uel non esse, sed solum suppositio dicit esse uel non esse, quia in ea prædicatur accidens quod inest subiecto. Sed Suess. multifariam errasse, nemo est qui dubitet. Primo quidem quia distinctio quam dat, non est ad propositum, quoniam Ari. per esse uel non esse intelligit affirmare uel negare. Secundo, quia Arist. loquitur de definitione, & nō de definitiua propositione sicut dicit Suess. nam licet definitiua propositio dicat esse uel non esse, non tamen ipsa definitio dicit esse uel non esse, ergo malè facit non ponendo discrimen inter propositionem definitiuam, & ipsam definitionem. Tertio falsum est, quod suppositio dicat esse uel non inesse, quia in ea prædicatur accidens de subiecto, nam non semper prædicatum suppositionis est accidens, & tandē concludimus quæcunq; dicit, non esse peripathetica. Diuus Thomas dupliciter respondet, primo quòd definitio non est species propositiones immediatæ, sed principii immediati, ait principium immediatum non solum potest esse propositio, sed etiam definitio. Aliam dat responsionē persuadens sibi ipsi primam responsionem non satisfacere, & dicit quod licet actu definitio non dicat esse uel non esse, potentia tamen, & uirtute, potest dicere esse uel non esse, quando scilicet definitio prędicatur de definito. Sed constat primam responsionem diui Thomæ falsam esse, quia diximus in expositione tex. quòd Arist. diuidit principium demonstrationis, quod est propositio immediata, unde rectius dixit definitionem dicere esse uel non esse uirtute, licet non actu, sicut suppositio quæ dicit esse uel non esse actu. Aegidius Romanus, dicit quod ly, est, capitur dupliciter, uno modo compositiue, alio modo expositiue, tunc dicit, ꝙ definitio per hoc differt à suppositione, quoniam definitio licet non dicat esse uel non esse compositiuè, sicuti suppositio, dicit tamen esse uel non esse expositiuè, & sic credidit ipse euadere dubitationem præfactam. Sed ipse quoque Aegidius hallucinatus fuit, non intelligendo sensum & uerba Ar. cum non aliud ipse Ari. per esse uel non esse intelligat, quam affirmationem uel negationem, quę fit mediante copula, ergo distinctio Aegidii falsa est & potius destructiua tex. Arist. quam constructiua. Quamplurimæ etiam, ab aliis afferuntur expositiones & uarii dicendi modi, quos hic recensere satis quidem inutiliter putauimus. Ideo quicquid alii dicant, ad primam hanc dubitationem à Themistio in medium adductam & ab ipso non solutam, duobus modis respondetur ab Auer. in commen. Primam responsionem ponit Auer. ibi {Secunda uero pars.} Et aduertas quod ex duplici expositione, quam ipse assignat, quomodo definitio sit positio quædam, colligitur duplex respondendi modus. prima igitur responsio Auer. talis est, quam ipse ponit pro prima responsione, & aduertendum ꝙ secundum Auer. hic, ipsa positio in communi dicitur analogicè de suis speciebus. s. de suppositione & definitione, primo enim dicitur de suppositione, quam hic Auer. uocat subiectionem; & secundario dicitur de definitione. unde concludit Auer, ꝙ ipsa suppositio dicitur uerè & per se positio, & ipsa definitio est positio per accidens. Et notato ꝙ Auer. habet in textu suo, quod definitio sit positio quædā, ita quod ipse fundat suum sermonem, supra illam particulam. {quædam} nam uult dicere, ꝙ ly, quædam, sit dictio diminuens. et auferens perfectionē ab ipsa definitione, unde sequitur quod ipsa definitio cū sit positio quædam, dicitur positio per posterius & per accidens, Auer. declarat se ipsum, quomodo intelligat ꝙ definitio sit positio per accidens, & dicit. {Illa itaq; inquantum.} Et pro intellectu horum uerborum notato ut dicit in commen. quod positio habet duas conditiones, prima quòd sit demonstrabilis, secunda quòd dicat esse uel non esse: & utranque conditionem assignauit Arist. in tex. tūc dicit Auer. quod definitio est similis positioni secundum unam cōditionem quia est indemōstrabilis sicuti ipsa positio: est uero dissimilis secundum alteram conditionem, quia positio dicit esse uel non esse. ipsa uera definitio est sine hoc, & sic uult dicere Auer. ꝙ cū ipsa definitio tantum conueniat secundum una partem cum ipsa positione, ideo dicitur positio per accidens, idest per partem. quia quinto physic. tex. cum primo, quod est per partem, est per accidens, sed ipsa definitio est positio per partem, ergo erit positio per accidens. & sic posset dici ad rationem Themist. definitio est positio, & positio dicit esse uel non esse, ergo definitio dicit esse uel non esse. Dicendum est, ut dicit hic Auer. ꝙ definitio non est positio simpliciter. sed cum additione, est positio quædam, & tunc cum non sit positio per se, & uere, sed per accidens, non oportet ꝙ dicat esse uel non esse, quoniā illa positio ab dicit esse uel non esse. quæ est positio uerè & per se, cuiusmodi est ipsa suppositio, & per hoc differt ipsa suppositio ab ipsa definitione. Iste est unus respondēdi modus ex Auer. in hoc commen. undè infert Auer. {Et secundum hanc expositionem} idest ex hoc exponendi modo, oportet dicere, ipsam definitionem esse positionem per accidens. Secunda responsio Auer. excerpitur ex secunda expositione, quam dat ipse ad exponendum quomodo ipsa definitio sit positio quædam, nam dicit. {& potest esse.} Et sic exponit ipse, definitio est positio quædam, idest definitio est expositio significationis nominum, nam definitio exponit definitum, & ab Auer. fortassis accepit suam responsionem Ægidius Romanus, quæ supra retecimus, sed scito, ꝙ prima expositio seu responsio Auer. esset undequaq; uera, si illa particula. {quædam} quam habet in tex. illo, esset in tex. græco, nam tex græcus dixit quidē, & non quædam. Sed pro Auer. posset dici, ipsum non reprehendendum, quoniam exposuit textū, quem habuit. Præterea, dato ꝙ non sit illa particula. {quædam} in tex. græco, sed illud aduerbium affirmandi {quidem} adhuc dicimus eius expositionem, optimam esse, quia conuenit sensui & uerbis Arist. in tex. Et notato quòd Suess. attribuit Auer. in paraphr. quòd ponat differentiam inter definitionem, & suppositionem, quod definitio non dicat esse, idest actualem existentiam definiti, quoniam definitiones abstrahūt ab existentia, suppositio autem dicit actualem existentiam subiecti. sed ipse nō intellexit Auerro. in paraph. is enim intelligendus est ibi, sicuti dicit in fine huius commen. 14. ubi dicit. quòd definitio unitatis & aliæ definitiones non significant definitum esse, uel non esse. s. cum affirmatione uel negatione, suppositiones autem seu subiectiones sine dubio esse uel non esse significāt, & hoc pacto exponendus uenit Auer. in paraphr. & dicat Suessa quicquid ei libuerit, nam Auer. ibi in paraphr. loquitur de esse complexo. s. proportionali, affirmatiuo, uel negatiuo, & non loquitur de esse incomplexo. Ex quibus omnibus resolutè habendum est, quòd definitio hoc modo differt à suppositione quòd definitio dicit quid est res, seu definitum, & non dicit ipsum definitū esse, ipsa uerò suppositio non dicit quid est definitum, quoniam hoc est munus definitionis ut dicit Arist. sexto topic. sed dicit definitum esse cum affirmatione uel negatione. Et sciri uolumus & monemus quòd sola Auer. Arist. cordatissimus expositor hunc locum intellexit, quomodo definitio differat a suppositione, & dicat esse uel non esse. Ad secundam rationem, dicimus quòd artifex debet loqui per se, & non per accidens: at quādo definitio est nota, uel ignota, accidit ipsi ut per demonstrationem ostendatur, & ꝙ

hoc sit uerum, probatur, quoniam definitio ut definitio non ostenditur demonstratione, nisi ut prædicatum per accidens, & sic de alia specie definitionis dici potest, quæ e t aliquo modo ignota, & aliquo modo nota: nam definitio est conceptus simplex rei, si accidit fieri compositionem uel diuisionem, est per accidens, quia non per definitionem suam, & non mutat essentiam eius, quare non debemus intelligere compositionem, & diuisionem, quæ fit cum discursu, quia ista est in propositionibus, in quibus componitur prædicatum cum subiecto, & diuiditur per negationem, at in compositione, & diuisione non fit hoc. Ad tertiam rationem respondemus, quòd definitio dicitur simplex conceptus rei ad differentiam propositionum quæ dicuntur compositæ, modo definitio (ut dicit Arist. in hoc tex.) non dicit esse uel nõ esse, idest non dicit compositionem subiecti cum prædicato, nec dicit diuisionem quia ipse est solum prædicatum, & non propositio, & sic respectiuè dicitur simplex. Arist. etiam in octauo metaph. probat definitionis partes esse, ac si esset unum quoddam non compositum, nam dicit ipse in octauo metaph. 15. ꝙ partes definitionis sunt una, quæ est definitio, nã una pars est quæ est genus, quod est in potentia in ipso definito, & composito, alia est, quæ est differẽtia extrahens illam potentiam in actum, & sic dicit ipse, fit unum in actu, nã extractio alicuius de potentia ad actum nõ largitur sibi multitudinem, sed perfectionẽ, ut patet octauo metaph. com. 15. & 16. & 12. metaph. tex. comm. 16. sicque patet definitionem non esse compositam. Ad quartam rationem breuiter dicimus, quòd aliud est dicere, de definitione affirmatur esse, & aliud est dicere, definitio dicit esse. tunc asserimus quòd primum est uerum, per illam dignitatem, quòd de quolibet dicitur esse uel non esse, & de nullo ambo simul: secundum autem est falsum, quia tam optime declaratum est, definitionem non dicere esse, uel non esse, secundum Arist. ad quintam rationem, dicendum est, definitionem esse orationem imperfectam, ut Arist. ibidem se ipsum exponit, & Alex. & Auer. in sua paraph. & cum dicitur, ꝙ definitio dicit, quod quid erat esse, si dicit esse, ergo dicit affirmationem uel negationem, neque hoc obstare dicimus, quoniam ly, esse, capitur pro esse incomplexo, s. pro quidditate, & essentia, & non pro compositione, uel diuisione. Nunc ad alium tex. accedamus.

Quoniam autem oportet, & credere, & scire rem: in habendo huiusmodi syllogismum: quem uocamus demonstrationem, (est autem hic eo quòd hæc sunt, ex quibus est syllogismus.) necesse est non solum præcognoscere prima, aut omnia: aut quædam, sed & magis: semper enim propter quod unumquodque est, illud magis est, ut propter quod amamus, illud magis amicum est. Quare si quidem scimus propter prima: & credimus; illa & scimus, & credimus magis: quoniam propter illa, & posteriora.

Themistius ita continuat, quòd postquam Aristo. dixit præmissas esse notiores, nunc intendit probare, quòd sint notiores. Sed ipsum errare dicimus, primò, quia Arist. supra tex. 11. declarauit & probauit præmissas esse notiores duobus modis, unde intulit in tex. 12. distinctionẽ quòd priora & notiora dicuntur dupliciter. Secundo contradicit uerbis Arist. in tex. nam dicit Arist. quod non solum oportet præmissas præcognoscere, idest quòd sint notiores sed etiam magis. i. sed scitas esse, unde sequitur Themistium errasse, cum Arist. non intendat in hoc tex. probare præmissas esse notiores, & eadem ratione uenit obiurgã dus Suess. cum Themistii opinionem sequatur. Ideo omissis omnibus aliorum opinionibus pro uera continuatione sic dicendum est, quòd postquam Arist. probauit præmissas debere esse præcognitas, nunc intendit probare nõ solum debere esse præcognitas, sed perfectè scitas. pro cuius intellectu scire uolumus, quòd aliud est esse præcognitum, & aliud est esse notum, & perfecte scitum. præcognitio est notitia confusa, & non distincta, & perfecta, quia solum rem esse. & quid nomen importat, præcognoscimus, non tamen scimus, & econuerso se habet illud, quod perfectè scitur, unde stat præcognoscere rem, & nõ scire perfectè, sed non econtra. quo stante, dicimus concludendo ueram continuationem, quòd cum probauit Aristo. præmissas debere esse præcognitas, nunc eas magis scitas confirmat, ut perfectam scientiam generare possint. Sed quæres, dixit Arist. supra tex. comm. 2. præmissas præcognosci, præcognitione quia ueræ sunt, modo præcognoscere præmissas ueras esse, est perfectè cognoscere, quare cum probauit præcognosci debere, probauit quoque scitas esse. Dicendum quòd illud præcognoscere esse, non est scire perfectè. signum est, quia esse præcognoscitur de subiecto, non tamen perfecte scitur, sic quoque intelligendum est de esse præmissarum. Amplius aduertendum est, quòd Arist. ad probandum hanc ueritatem, quòd præmissæ sint magis scitæ, facit tres rationes. prima ponitur in hoc tex. & sic arguit Arist. propter quod unumquodque est, & illud magis est. Sed propter præmissas scimus conclusionem: ergo magis sciuntur præmissæ. Sed notabis, quòd Arist. huius rationis, primo ponit minorem, quando dicit in primo tex. {Quoniam autem oportet credere, & scire rem,} idest conclusionem. secundo ponit conclusionem ibi. {necesse est} & tertio ponit maiorem ibi. {semper enim propter quod est.} Hæc circa rationem, quam facit Arist. in tex. Sed circa eius uerba ratio dubitandi occurrit, cur dixit {aut omnia, aut quædam.} Et cum ad ueritatem disiunctiuæ sufficiat unam partem esse ueram, quare sufficiet unam præmissam esse notiorem conclusione, & non alteram, quod esse non potest, quia una præmissa notior non facit notitiam conclusionis. Philoponus ait, ideo Aristote. dixisse sub modo disiunctionis, quia de principiis sunt duo modi, quoniam quædam principia sunt per se nota, & quædam per aliud. Sed errat, quoniam Arist. loquitur de principiis, quæ faciunt scientiam conclusionis, at ipsa principia non faciũt hoc nisi nota sint, & sic adhuc stat dubium. Diuus Thomas in sua secunda expositione, inquit, quòd ideo Aristot. dixit {aut quædam,} quoniam sunt aliquæ conclusiones adeo notæ quòd principia per quæ probantur, non sunt notiora eis, scilicet quo ad sensum, unde neque quo ad rationem probandi, scilicet a causa ad effectum. Sed ista quoque expositio falsa est, quoniam Aristot. non loquitur de notioritate quo ad nos tantum: nam dictum est sæpius, quòd Aristo. a principio libri, lòquitur de conditionibus præmissarum demonstrationis simpliciter, & dictum est quòd debent esse nobis notæ, & naturæ. Ideo postpositis aliorum sententiis, aliter dicendum occurrit. primo quidem dici potest, quòd dixit Aristo. {aut omnia, aut quædam,} quia in demonstratione possunt esse duo genera præmissarum, alterum ut sit notum per se, & alterum ut notum per aliam demonstrationem. uoluit ergo inferre quòd oportet perfectè scire, aut omnes præmissas per se, idest quæ sunt per se notæ, & non per aliud: aut oportet perfecte scire quasdam præmissas, quæ sunt per se notæ, ut sunt dignitates, & quasdam quæ sunt per aliud notæ, & dixit hoc Aristo. ut complecteretur omnia genera præmissarum tam per se, quam per aliud notarum, ingredientium demonstrationem simpliciter, ac si uoluisset dicere, oportet omnes præmissas ingredientes demonstrationem tam per se, quàm per aliud notas esse perfectius scitas quam conclusio. Aut dicatur. & clarius, quòd in demonstratione possunt esse duæ præmissæ,

quarum

quarum altera erit per se nota, altera uerò erit nota non per se, & ex sua natura, sed per uirtutem alicuius alterius demonstrationis in alia scientia. & tunc est putandum quòd in tali demonstratione illa præmissa quæ est per se nota, est perfectius scita, quam conclusio: uerum illa quæ est per se nota per demonstrationem in alia scientia, erit æqualiter nota cum conclusione, & ratio est, quia ambæ fuor per demonstrationem. amplius notandum est, quòd datur etiam demonstratio simpliciter, habens ambas præmissas per se notas. Quibus habitis soluitur dubium, scilicet quòd oportet scire omnia principia perfectius quam conclusionem, intelligendo hoc in demonstratione habente ambas præmissas per se notas, nam cum hæ sint per se notæ, meritò debent perfectius sciri. Dixit autem {aut quędam} intelligendo in demonstratione habente tantum unam præmissam per se notam. nam in tali demonstratione non omnes præmissas debemus perfectius scire, quam conclusionem, sed tantum quandam, puta, non illam quæ est nota per aliam demonstrationem in alia scientia, sed tantum illam, quæ est per se nota. & fortassis iste exponendi modus magis satisfacit Arist. in tex. Posset etiam dici secundum Auer. ideo Arist. fuisse locutum sub nota disiunctionis, quoniam nondum determinatum id & cōmonstratum est ex hoc sermone, ut dicemus clarius & diffusius in commen. expositione. Vlterius circa illam propositionem Arist. in tex. semper propter quod tale, & illud magis est, dubitant expositores, an in omni genere causæ sit uera huiusmodi propositio, an in aliquo genere causarum. Et quia quod capita, tot sententiæ, propterea prætermissis iis quæ alii dicunt, iuxta Arist. & Auerro. autem determinandum est, quòd huiusmodi propositio Aristot. est uniuersaliter uera & uerificatur in omni genere causæ. & probatur per ipsum Arist. quia istę notæ reduplicationis, propter quòd, & secundum quod & consimiles, unūquodque genus causæ significant, ueluti docuit nos ipse Aristo. in quinto metaphy. tex. commen. 13. ubi dicitur, quot tot modis dicitur, secundum se, quot modis dicitur causa. Sed aduertendum est quòd talis propositio uerificatur in omni genere causę tribus hisce conditionibus obseruatis. prima conditio, quòd sit dispositio suscipiens magis & minus, ideo non ualent hæc argumenta, homo est risibilis propter animal rationale, ergo animal rationale est magis risibile, Sortes est homo propter Platonem, ergo Plato est magis homo. Secunda conditio est, quòd talis dispositio formaliter denominet causam & causatum, unde ista argumenta non concludunt. terra est calida propter solem, ergo sol est magis calidus. & Plato est albus propter albedinem, ergo albedo est magis alba. & Sortes est animatus propter animam, ergo anima est magis animata. & tu es calidus propter tuam caliditatem, ergo caliditas tua est calidior. & tu es ebrius propter uinum, ergo uinum est magis ebrium, & Sortes est corruptibilis propter materiam, ergo materia est magis corruptibilis. & Plato moritur propter gladium, ergo gladius magis moritur. & cœlum mouetur propter Deum, ergo Deus magis mouetur. & ægrotus ambulat propter sanitatem, ergo sanitas magis ambulat. & multa alia similia argumenta, propter eandem causam non tenent. Tertia conditio est, quòd talis dispositio competat causato propter causam, & propterea ista non tenent, ferrum est calidum, ergo ignis est calidior. domus est alba propter ædificatorē, ergo ædificator est magis albus. & multæ aliæ similes obiectiones propter hanc eandem causam non concludunt, & dicitur nō ab re, quòd talis dispositio competat causato propter causam, quoniam si aliunde adueniret illi causato quam a causa sua, tūc regula haudquaquam ualeret, sicuti est error in supradictis exemplis, nam caliditas nedum ab igne, sed a motu cœli prouenire potest, ut patet secundo cœli tex. com. 42. & esse album in domo prouenit ab albedine & ab ædificatore. Concludendum igitur est omnes tres supradictas conditiones aggregando, quòd debet confici ex illis conditionibus tribus hęc regula uniuersalis, quòd quotiescunq; est dispositio suscipiens magis & minus denominās causam, & causatū formaliter, & quæ competit causato propter talem causam, tunc est uera illa propositio Arist. propter quod unumquodq; tale & illud magis est, & hanc eandem propositionem, retulit. Arist. secundo metaph. tex. commen. quarto, & septimo metaph. tex. commen. septimo. Sed animaduertendum quòd huiusmodi regula amplectens illas tres conditiones uerificatur tantum in analogicè dictis & non in uniuocis, uel æquiuocis. hoc modo Auer. in septimo metaph. commen. quarto, & in octauo metaph. commē. septimo octauo physicorum commen. septuagesimoseptimo, pnuit esse intelligendum, cum fuerint duo quorum alterum est causa alterius, illud quod est causa, dignius habebit illud nomen. Et probatur per Aristo. quòd talis regula intelligatur tantum uera in analogicè dictis, nam dicit Arist. in hoc tex. 15. quòd propter quod unumquodque tale, & illud magis est. tunc sic, ubicunq; est magis & minus, ibi est prius & posterius. & ubi prius & posterius ibi est analogia. ut patet quarto metaph. tex. commen. secundo, & non uniuocatio quia uniuoca per Aristo. in anteprædicamentis, æqualiter participant nomen & definitionem, & non per prius & per posterius, neq; etiam erit æquiuocatio, quoniam per Arist. in anteprædicamentis, in æquiuocatione tantum est participatio nominis, & nō rationis aliquo modo. concludendum igitur est quòd tantum in analogis causis, & effectibus uerificāda sit huiusmodi regula & propositio Aris. ex qua declaratione sequitur Marcum Antonium Zimaram defecisse in theorema. 57. non enim distinctè aperuit Arist. & Auer. mentem, an regula uerificetur tantum in causis uniuocis, uel analogis, uel æquiuocis, sed confusè determinauit esse ueram in quolibet genere causarum, & non declarauit quòd tantum in causis analogis. & quòd magis admiratione dignum est, attulit loca Auer. & non exactè ea enucleauit. nam per istam responsionem, quòd regula Aristo. intelligi debet tantum in causis analogis, & non uniuocis, uel æquiuocis, ruunt infinita propemodum argumenta quæ Apollinaris & cæteri erexerūt. patet etiam Themistium & Philoponum errasse, cum non distinxerint de causa analoga, uel uniuoca: neque rectè perceperint sententiam & uerba Arist. in tex. & Suess. astipulans ambobus in eadem est damnatione. Amplius asserimus neque etiam Scotum Aristo. mentem intellexisse, cum determinauerit ueram esse propositionem in causa tantum uniuoca, & excluserit æquiuoca. & licet posset dici pro eo, quòd cum analoga sit secundum ipsum cum uniuocatione, quod intellexerit causam uniuocam analogam: tamen defecit, cum non perpenderit illam particulam { magis } in text. Aristotelis quæ particula expresse indicat causam analogam. unde cum analogiæ fecerit mentionem, non distinctè declarando, an illa causa sit pura uniuoca, uel uniuoca analoga, uidetur proculdubio defecisse. similiter arguendi ueniunt cœteri expositores, Ægidius Rom. Pau. Ven. Linconien. Apollinaris, & summulistæ. Sed contra nostram determinationem instare quispiam posset, quoniā si uera esset in analogis, tunc malè & nō ad propositum sumpsisset istam propositionem Arist. in tex. ad probandum suum intentū, quòd pręmissę debent esse magis scitę, quàm conclusio, & probatur consequentia, quoniam secundo posteriorum ultimo, & sexto ethicorum quarto, præmissarum est intellectus, & conclusionis est scientia, quoniam ibidem dicitur, quòd scientia est habitus conclusionis per demonstrationem acquisitus, unde uidetur quòd nō sint analoga, sed æquiuoca, & sic propositionē suam ipse Arist. uerificauit in eis quæ non sunt analoga, Dicitur quòd non possunt

tisse æquiuoca, præmissæ & conclusio, quoniam tunc Aristot. fecisset comparationem in æquiuocis quod ipse abhorruit in æquiuocis, ut patet septimo physicorum text. commen. 18. & 31. quod in specie atoma est comparatio. ergo signum est, quod non sint æquiuoca, unde breuiter determinando dicimus, quod sunt analoga, & sic cõparatio est analoga: nam sicuti scientia habetur de analogis, ut docuit Auer. secundo physicorum tex. commen. tertio, & primo posteriorum tex. commen. 179. & quarto metaph. com. secundo, & alibi, ita quoque potest fieri comparatio inter ipsa analoga, & hoc modo dicendo nullum inde sequi absurdum autumemus. posset tamen & fortasse dici, quod ista propositio, omnis comparatio fit in uniuoco; fallit secundum logicam considerationem.

Commen. 15.

Cum notificauerit quod expediet.} Secatur hoc commentum in duas partes. in prima parte Auer. continuat. in secunda ibi {& dum dixit} ponitur expositio textus. Continuatio Auerro. talis est, quod postquam Arist. notificauit, & probauit præmissas demonstrationis simpliciter, esse notiores {conclusione ante usum syllogismi,} idest conclusione antequam esset scita: nunc intendit notificare quod ipsæ præmissæ debent esse notiores conclusione postquam est scita. & probat Auerro. ratione & exemplo, quod præmissæ sint notiores conclusione, postquam scita est per demonstrationem ipsa conclusio. ratio est per regulam supradictam, quam tangit ibi {scientia enim præmissarum} & probat per exemplum de igne ibi quando dicit} exempli gratia { & sic concludit Auer. Aristot. intentionem, esse in hoc textu probare præmissas esse notiores, conclusione scita. Sed contra, quia Aristot. intentio non est probare, præmissas esse notiores conclusione scita, sed hoc uult inferre, quia præmissæ sunt causæ scientiæ conclusionis, & ideo magis scitæ, ita quod non solum debent præcognosci, sed aliquid magis. scilicet perfecte sciri. Respondemus nos Aristo. in tex. fecisse comparationem inter præmissas, & conclusionem scitam per ipsas præmissas & ideo concludit Arist. uigore & uirtute illius famosissimæ propositionis, scilicet propter quod unumquodque tale & illud magis, ipsas præmissas esse magis scitas, quam conclusio scita per eas; quod & eo constat quando Auerr. dicit {nunquid uero demonstrationis.} Aduertas quod Auerro. exponit tex. {aut omnia, aut quædam} & uidetur dicere, quod ideo locutus fuit sub disiunctione, quia {nondum est commonstratum ex hoc sermone} quod, scilicet præmissæ ambæ sint notiores conclusione, & forsitan per ly, hunc sermonem, posset exponi, quod Auerro. uelit sic dicere, quod nondum plene patet ex hoc sermone, idest ex hac prima ratione, quod præmissæ omnes sint magis scitæ, quã conclusio scita per eas: Cætera quæ dicit Auer. clara sunt

Non potest autem fieri, ut ea magis quisquam credat quæ nescit, & circa quæ non melius dispositus est quam si scierit, quam ea quæ cognoscit atque assentitur. At euenit id profecto, si non prius cognouerit principia quispiam quam ea quæ per demonstrationem creduntur: magis enim principijs, aut omnibus, aut quibusdam credere, quam conclusioni necesse est.

Postquam Aristo. in præcedenti tex. fecit primã rationem, a latinis ostensiuam nuncupatam, quod, scilicet præmissæ nedum debent esse notiores conclusione, sed etiam magis scitæ, nunc intendit in præsenti tex. secundam erigere rationem ad illud idem confirmandum, quæ a latinis ratio ducens ad impossibile nuncupatur, & ab Auer. uocatur ratiocinatio secundum euidentiam. & antequam formetur hæc ratio, aduertas ut etiam dicit Auer. quod pro constanti habendum est, quod præmissæ primo sciuntur, & conclusiones sciuntur secundo. Hoc præsupposito sic arguitur pro secunda ratione. aut præmissæ sciuntur magis quam conclusiones, aut sciuntur æqualiter cum cõclusione, aut sciuntur minus quam conclusiones. sed non potest dici quod sciantur minus, quam cõclusiones, quoniam tunc sequeretur hoc falsum & impossibile, quod illud quod est ignotum, esset magis notum quam notum, neq; etiam potest dici, quod præmissæ sint æqualiter notæ cũ cõclusione, tunc enim sequeretur hoc aliud falsum & impossibile, quod ignotum, esset æqualiter notũ cum noto ergo a primo ad ultimum ad euitandum impossibile, dicendum est, quod præmissæ sunt magis notæ, & scitæ quam conclusiones. & hanc conclusionem Aristot. innuit in principio tex. quando dicit. } Fieri autem non potest ut ea magis quispiam. {Sed occurrit dubitatio cõmuniter apud expositores. quid Arist. intelligat per scientem, & quid per melius dispositum quam sit sciens? Philoponus per scientem intelligit eum, qui scit per demonstrationem, & per melius dispositum, quam fuerit sciens, intelligit eum qui non scit per demonstrationem, sed per terminos, ita quod Philoponus per scientem, uult intelligere eum qui habet habitum cõclusionis, & per melius dispositum intelligit habentem habitum principiorum. Sed errat Philoponus quoniã habens habitum conclusionis, etiam habet habitum principiorum. quo dato sequitur quod idem est sciens, & magis dispositus quam sciẽs, quod Arist. in tex. uidetur ire inficias. Ægidius Romanus per scientem intelligit habentem solum quia est, & per melius dispositum, intelligit habentem propter quid. Sed multifariam errat, primo quia uidetur sibi contradicere, quoniam hic concedit habentem, quia est esse scientem, & oppositum fassus est infra commen. 30. quod per demonstrationem quia non habetur scientia: Præterea neque cognoscens effectum solum est sciens, neque cognoscens causam solam, est magis dispositus quam scitus, cum ille qui cognoscit effectum per causam, sit magis dispositus, quam ille qui cognoscit tantum causam, uel effectum, alias quoque assignat expositiones ipse Ægidius quas prætermitto. Paulus Venetus per scientem intelligit intelligentem coniunctum, idest intellectum humanum magnitudini coniunctum: & per melius dispositum intelligit intelligentem separatum, idest intellectum qui semper est in actu, ut Deus & intelligentiæ: & sic distinguit, quod aliquid est sciens tantum, ut homo: aliquid peius dispositum quam sciens ut brutum, & aliquid magis dispositum quam sciens, ut Deus & intelligentiæ. Sed toto cœlo eum errare dicimus, & multisquidem modis. Primo nanq; modo, quoniam ut diximus in expositione tex. primi, Aristo. loquitur de doctrina & disciplina intellectiua, quæ apprehenditur intellectu humano, et non intellectu diuino, uel intelligentiarum, quia neque Deus neq; intelligentiæ discurrunt, unde notitia intelligentiarum non dicitur doctrina, neq; disciplina, neq; una intelligentia aliam docet, uel ab alia addiscit, ad addiscere enim requiritur de potentia alicuius notitiæ ad actum reduci, quod quidem intelligentiis competere non potest, eo quod nunquam sunt in potentia, sed semper sunt in actu intelligendi, & multo magis hoc intelligi debet de intellectu diuino: Secundo errat, quia Aristo. comparat hic præmissas ad conclusionem scitam, ergo hic intelligit Aristot. de eo intellectu qui intelligit præmissas, & conclusionem. at dictum est intellectum Dei & intelligentiarũ nõ intelligere aliquid cum discursu, quia non sunt in potentia intelligendum: ergo falsa est expositio, quod per me-

lius

lius dispositum, debeamus intelligere intellectum separatum. Et licet intellectus separatus sit melius dispositus ad intelligendum quam intellectus noster coniunctus, nõ tamen debet dici melius dispositus ad intelligendum præmissas uel conclusionem: ueluti Arist. facit comparationem. Vnde pro ueritate sic est dicendum, quòd Aristo. non ponit cathegoricè & in rei ueritate, ipsum qui est melius dispositus quam sciens, sed hypotheticus est sermo eius nihil ponens in esse, ita quòd sic uoluit dicere Aristot. quòd nemo, scilicet neq; sciens, neque aliquis alius plusquam sciens, si esset reperibilis, potest magis credere conclusioni, quàm præmissis. ex qua declaratione apparet etiam error Thomæ de Vio, uolentis tueri Albertum & diuum Thomam sequentes opinionem Philoponi, quam supra exarauimus & impugnauimus. Si quis autem textum hunc, planius & facilius uoluerit legere & intelligere, hoc modo dicere debet. non potest autem quisquam neque sciens, neque si fuerit melius dispositus quã sciens credere magis ea quæ nescit, quam ea quæ cognoscit, credit, atque assentitur. & hunc clarissimum modum circa facilitatem huius textus, excerpsimus tum ex translatione Argyropuli, cũ etiam ex textu, quem exponit Auer. in magna comment, Vnde inferimus neque ipsum Suess. clarum aperuisse Aristo. sensum, in hoc textu, quem obscurum ipse uocauit. Et cum Aristo. dicit {at euenit id profecto} uult dicere quòd absque dubio continget illud impossibile quòd aliquis magis crederet ijs quæ non nouit, quam ijs quæ nouit {si non prius} supple tu & magis cognoscantur {principia} idest præmissæ quam conclusiones. Concludit deinde Arist. {magis enim principijs,} idest ipsæ præmissæ debent esse magis scitæ quàm conclusio. Et nota quòd Aegidius Romanus exponens illa uerba {aut omnibus, aut quibusdam} dicit quod ista uerba possunt referri ad quadruplicem diuersitatem, uel ad diuersitatem principiorum, uel ad diuersitatem præmissarum, uel ad diuersitatem modorum cognoscendi, uel ad diuersitatem scientiarum, & suam aperiendo opinionem multa dicit, quæ non placent, siquidem Arist. opinio est tantum comparare conclusionem ad præmissas, & nõ ad diuersitatem modi cognoscendi, neq; ad diuersitatẽ scientiarum, ut sole clarius constat ex supradictis duabus rationibus: nil enim aliud concludere intendit Aristot. quam pręmissas esse magis scitas conclusione.

Commen. 16.

Cum posuerit quod causæ.} Secatur hoc commentum in duas partes, in continuatiuam, & expositiuam ibi {et dixit & cum nostra scientia,} Dicit igitur Auerro. continuando hoc modo, quod postquam Aristot. posuit quod causæ magis & dignius debent esse {quam res illæ} idest quam effectus ipsarum causarum, & hoc iam declaratũ est pro maiori, & intelligas tu nedum pro maiori huius rationis, sed etiam præcedentis rationis. Dicit Auerro. {tulit minorem præmissam} idest sub illa maiori, quod causæ habent magis & dignius esse, quam effectus, sub sumitur ista minor, quod præmissæ sint causæ conclusionum {quo ad in esse eius assertionem,} idest quo ad esse & uerificationem ipsarum conclusionum. {Extra itaque} Auerro. ex duabus illis præmissis, hanc infert conclusionem pro secunda ratione, quæ, a latinis dicitur, ratio ducens ad impossibile, & conclusio est ista. {quòd magis asseramus præmissas, idest quod præmissę debent esse magis scitæ, & maior fides de eis habenda est. {Cum non sit possibile} assignat rationem Auerro. cur est quod magis debemus scire pręmissas quam conclusionem, & format rationem eo, modo, quo exeximus in expositione textus. & totum residuum commen. cum ex se pateat, non eget declaratione. Et aduertito quod licet Auer. non explicauerit Aristot. secundum exigere rationem, ueluti in expositione tex. ostendimus, tu tamen per ea quę ipse in commen. asserit, facile reperies eum sensisse, ueluti nos enucleauimus.

Debentem autem habere scientiam quæ per demonstrationem est, non solum oportet principia magis cognoscere, magisq; eisdem credere, quàm ei, quod demonstratur; sed neq; ipsis credibilius, neq; notius esse aliud ex contrarijs primis principijs, ex quibus fit syllogismus contrariæ deceptionis. Siquidem oportet simpliciter scientiam immutabilem esse.

Latini fere omnes unanimi assensu, huncin modum continuant, quod postquam Aristo. probauit quod principia sunt notiora & magis scita in ueritate, nunc intendit probare quod opposita ipsorum principiorum sint notiora in falsitate. Sed proculdubio multipliciter errant, primo quidem, quia nec sensus, nec uerba Aristo. in textu hoc explicant, non enim Aristot. intentio est loqui de ijs quę sunt notiora in falsitate: secundo non semper oppositum principij est notius in falsitate, sicut ipsum principium est notius in ueritate: tertio philosophus loquitur de ea notoritate, quæ deseruit ad scientiam habendam, nam conclusit duodecimo text. præmissas demonstrationis simpliciter esse notiores nobis & natura, ueluti innuit etiam in tex. septimo, sed opposita principiorum cum sint falsa, non possunt sciri, ut docuit Aristo. in principio tractatus. tex. uidelicet decimo. quod non est, non contingit sciri, si ergo non possunt sciri, neque possunt esse notiora, falsum est hoc igitur quod Aristot. intendat probare opposita principiorum esse notiora in falsitate: quarto uidetur Aristoteli fuisse superfluum hoc uelle probare, quoniam si constat nihil esse credibilius in ueritate ipsis principiis, ex consequenti patet nihil esse notius eorum oppositis in falsitate. Ideo postpositis aliorum nugis, sic pro uera continuatione contra omnium placita, dicendum esse asserimus. Cum philosophus probauit pręmissas esse notiores & magis scitas cõclusione, nunc uult probare ipsas præmissas seu ipsa principia demonstratiua in ordine ad sua principia opposita esse, ita nota, & scita, quod nullum oppositum eorum, potest esse eis notius & credibilius. & quod hæc continuatio & intentio conformior sit auribus Aristo. legito textum. nam dicit {debentem} idest qui uult habere scientiam, {quę per demonstrationem est,} idest demonstratiuam, oportet, ut non solum principia sua per quæ talem scientiam acquirit magis cognoscat, & credat {quam et} scilicet, conclusioni, seu quæsito naturaliter ignoto, quod est propria passio, ut superioribus textibus sæpius annotauimus, {quod} scilicet quæsitum {demonstratur} scilicet in conclusione demonstrationis demonstratur inhærere subiecto, & improprie dicitur conclusionem demonstrari, unde magis proprie per ly {quod} quæsitum intelligi debet, nam cum tria requirantur in scientia demonstratiua ueluti docuit nos Arist. primo poste. tex. commen. 76. cap. uigesimoquinto, subiectum, passio, & dignitas, sola passio est illud, quod demonstratur, subiectum est de quo, dignitas uero seu pręmissa est illud per quod. {sed neque ipsis credibilius} nunc id quod intendit, probare uult Aristot. & dicit, sed etiam oportet, ut nullum ex ijs quæ sunt cõtraria primis principiis sit credibilius ipsis, scilicet primis principiis: quasi dicat, oportet semper prima principia

esse nota, & uera & credita, & pro nullo futuro tempore, credatur oppositum illorum esse notius, uerius & credibilius: {ex quibus fit} idest ea quibus principiis oppositis, fit syllogismus {contrariæ deceptionis} idest qui generat deceptionem quę est contraria scientiæ, sit enim syllogismus falligraphus. Sed pulchre dubitatur circa tex. quoniam sicut dixit principia esse notiora & magis scita conclusione, cur etiam non dixit esse notiora & magis scita, & credita oppositis principiis; sed dixit quod nullum ex principiis oppositis est notius ipsis principiis ueris? Respondetur, quod cum primus magister, Aristotel. nihil sine sufficienti probatione dixerit, ut nobis notatum reliquit Auerro. primo de generatione commen. 38. propterea non ab re concludimus ipsum potius dicere uoluisse, quod nullum ex oppositis principiis possit esse notius & credibilius principiis ueris, & noluit dicere, quod ipsa principia uera sint notiora & credibiliora ipsis principiis oppositis: & ratio huius est quoniam si dixisset se uelle probare, quod principia uera sint notiora, & credibiliora ipsis principiis oppositis, tunc fecisset comparationem in ęquiuoco. quod abhorret septimo physicorum tex. com. 29. & 31. nam comparatio (ut supra diximus) fit, aut in uniuoco. aut in analogo: modo si dixisset principia uera esse notiora, & credibiliora principiis oppositis, tunc absque dubio fecisset comparationem in ęquiuoco, nam principia uera & falsa æquiuocantur sicuti ens, & non ens, quoniam falsum est non ens, ut docuit supra Arist. tex. decimo, & cum falsum non sciatur neque credatur, sequitur ex necessitate quod ipsa principia uera, non possunt neque debent dici, esse notiora & credibiliora principiis oppositis, quoniam cum omne comparatiuum præsupponat positiuum, tunc sequeretur, quod dicendo principia uera esse notiora, & credibiliora principiis falsis, præsupponeretur ipsa principia falsa esse nota, & credibilia, quod est falsum, quia iam dictum est, ex tex. decimo, quod illud quod est falsum non potest neque cognosci, neque credi, neque sciri: Ex quibus patet, quare Aristot. non dixit principia uera esse notiora & credibiliora principiis falsis oppositis, sed dixit quod nullum ex oppositis principiis est notius & credibilius ipsis principiis ueris. Sed instabis, quoniam idem est dicere. principia opposita non esse notiora & credibiliora principiis ueris, & principia uera esse notiora principiis oppositis, ergo si cum dixit uno modo, poterat etiam dicere alio modo.

Dicitur negando esse idem, quinimmo asserimus, multum differre inter se has duas propositiones. principia uera esse notiora, & credibiliora principiis falsis, & principia falsa non esse notiora, & credibiliora principiis ueris, nam prima propositio est falsa, ut supra declarauimus & secunda est uera. Amplius prima propositio est affirmatiua, & secunda est negatiua. unde non est idem dicere, ut facile cernis. Subdit Aristo. {siquidem} & uult dicere, quod oportet esse ita, scilicet ut non magis credantur opposita principia, quam ipsa principia uera si oportet scientem simpliciter, immutabilem esse, a sua scientia, id est non mutari, quia si aliter esset, mutaretur utique, sicuti probatū est tex. septimo & octauo, & hoc uult dicere his uerbis {siquidem oportet simpliciter scientem esse immutabilem.} Quid uerò Aristot. intelligit per simpliciter scientem, uario modo exponitur nos tamen superflua resecando & breuitati studendo dicimus eo modo intelligi quo exposuimus supra in tex. septimo, circa definitionē ipsius scire simpliciter, & sciens simpliciter. capitur enim ut distinguitur contra scientem propter quid, & quia: & non capitur ut distinguitur contra secundum quid, ut perperam exponit Suessa. quoniam sicuti præmissæ demonstrationis simpliciter debent esse immutabiles, ita sciens simpliciter debet esse immutabilis. potest etiam dici, quod capitur ly, simpliciter, ut distinguitur contra, per accidēs quoniam per accidens scientem, non per propria principia nil prohibet mutabilem esse a sua scientia. de syllogismo contrariæ deceptionis, quid sit, & quomodo differat ab aliis speciebus syllogismi, diffusior erit sermo in cōmenti expositione.

Commen. 17.

Cum præmissas esse notiores conclusione.} Diuiditur hoc commentum in duas partes, in prima Auerro. ponit continuationem, in secunda uero ibi: {& dixit, quia autem} incipit exponere textum. In prima igitur parte Auerro. sic continuando dicit. {Cum præmissas} & uult sic dicere quòd postquam Aristot. de præmissis demonstrationis probauit in supradictis rationibus unum commune ipsis, & aliis pręmissarum speciebus, scilicet esse notiores conclusione. nunc intendit in ista tertia ratione declarare illud quòd est proprium tantum pręmissis demonstrationis, scilicet, ipsas esse ita immutabiles, quod non possit aliter esse, quod conclusio non sciatur, nisi per illas præmissas, & hoc uult explicare ibi, quando dicit. {uult significare certam assertionem quæ propria est ipsis præmissis ueris.} Et aduertendum quod Auerro. uidetur dupliciter deficere. primo quidem, quoniam Aristot. non probauit supradictis rationibus, præmissas esse notiores conclusione, sed intentio eius fuit probare eas esse magis scitas conclusione, ueluti exposuimus supra. secundo errat, quoniam non est Aristo. intentio probare in hoc tex. præmissas demonstrationis esse immutabiles, sed est probare nil esse eis notius & credibilius, & sic concluditur Auerro. errasse. Sed nos dicimus pro Auerro. ad primum, respondendo sicuti etiam diximus supra in expositione comment. decimoquinto, quod non est intentio eius dicere, quod Aristoteles non probet etiam, ipsas præmissas esse magis scitas conclusione, nam non solum præmissas syllogismi topici, oratorij, & demonstratiui, sed etiam eas esse magis scitas conclusione, & sic concludimus Auerroem negasse ipsas præmissas non esse magis scitas conclusione. cum hoc uelit Aristoteles in textu. Ad secūdum etiam faciliter respondetur, quod quamuis Aristoteles non explicet, demonstrationis præmissas debere esse immutabiles, tamen ex hoc quod dicit, quod nullum oppositum ipsarum pręmissarum debet esse eis notius & credibilius, sequitur ex necessitate ipsas præmissas esse immutabiles, quo ad ueritatem, & fidem, seu credibilitatem, & hoc modo uoluit dicere Auerroes, unde asserimus, melius non posse dici, quam Auerr. enucleauit. Vltetius scire uolumus, quod hæc Auerrois continuatio hoc modo declarata, non est aliena a nostra, sed potius supradicta nostra continuatio corroboratur, & confirmatur per huiusmodi Auerro: continuationem. {Et hęc quidem conditio,} Dicit Commentator quod per hanc conditionem seu proprietatem, scilicet præmissas esse immutabiles, Aristo. ponit differentiam inter pręmissas demonstrationis ex uno latere, & pręmissas syllogismi topici & oratorij ex alio latere: & differentia in hoc consistit (dicit ipse) ꝙ si præmissæ sunt immutabiles tunc faciunt demonstrationem, si uero mutabiles sunt, & contingentes, tunc constituunt syllogismum topicum & rethoricū. & hoc uult dicere ibi. {Dum uero crederet.} Prosequitur autem exponendo tex. {Et dum dixit} declaratq; quę species syllogismi sit illa, quę conficitur & construitur (ut habetur in tex. suo) ex principiis oppositis, quæ sunt mendacia: & dicit ꝙ est illa species syllogismi, qua utuntur sophistę, idest est syllogismus sophisticus, unde diuidit Auerro. præmissam in ueram & falsam dicens

{assertio

{ assertio ergo est mendacii & ueridici } pro quarum præmissarum diuisione penes ueritatem & falsitatem, animaduertendum est, quod hoc modo facienda est huiusmodi diuisio, ut plenius & facilius intelligantur, uerba Auer. in commen. omnis præmissa, aut est totaliter falsa, aut est totaliter uera, & hoc uult dicere Auerro. ibi { assertio ergo est mendacii & ueridici } si est totaliter & penitus falsa, & pro omni tempore falsa, tunc facit syllogismum sophisticum, dicit Auerro. & deceptorium, ut dicit Aristo. in tex. si uero fuerit totaliter uera, ita quòd ut dicit Auer. {non credatur eius oppositum} idest immutabilis sit ab ipsa ueritate. tunc facit syllogismum demonstratiuum: & si fuerit præmissa uera secundum contingentiam, hoc erit tribus modis, aut æqualiter uera & falsa, et sic facit syllogismum rethoricum, ut dicit hic Auer. aut est magis uera quam falsa, & sic facit syllogismum dialecticum, seu topicum (& tu addas) licet hic non explicauerit Auer.) aut est magis falsa quam uera, & sic facit syllogismum poeticum. Et scito quod non ob aliud Auer. posuit hanc præmissarum diuisionẽ, nisi ob hunc finẽ ut manifestaret differentiam propter quam syllogismus demõstratiuus differt a syllogismo topico, & rethorico, quoniam præmissæ syllogismi demonstratiui sunt ueræ pro omni tempore, & impossibile est quod in aliquo tempore possit credi oppositum illarum esse eis notius, & credibilius, non sic autem dicẽdum est de præmissis syllogismi topici & oratorii, cum sint mutabiles, & in aliquo tẽpore ueræ. Amplius notabis, quòd ex hac diuisione præmissarum expresse colligitur, quod quinque sunt species syllogismi, unde ualet hæc consequentia, quinque sunt species præmissarũ syllogismi, ergo quinque sunt species syllogismi. Sed dices ratione cuius tenet hæc consequentia, quinque sunt species seu differentiæ præmissarum syllogismi, ergo quinque sunt species syllogismi? Dicitur ꝙ ideo ualet quoniam Arist. septimo meta. tex comm. 17. protulit, ꝙ in accidentibus differẽtia propria est materia, sed pręmissa est materia syllogismi, ut Auer. in prologo magnæ commen. & alibi, & merito ergo a differẽtia seu specie præmissarum sumuntur species syllogismi, & cũ quinque sint species seu differentiæ præmissarum (ut diximus) secundum Auer. quinque etiam erunt species syllogismi, & nemini dubium esse debet, ꝙ ex Arist. primo rethoric. cap. 3. sumpsit Auer. hunc uenandi modum specierum syllogismi. Vlterius adnotabis, ꝙ hac eadem regula Auer. uenatus fuit tres esse species demonstrationis, hanc, scilicet faciendo consequentiã, tres sunt species pręmissarum demonstrationis, ergo tres sunt species demonstrationis, ut patet secundo cœli commen. 3. primo post. com. 95. & in epito. logic. cap. de demonstratione, & iste modus uenandi tres species demõstrationis dicitur a priori, nam est alius uenandi modus tres esse species demonstrationis, scilicet a fine proprio, qui dicitur a posteriori, de quo abundè diximus in quæsito de regressu demonstratiuo. {Sed hoc non accideret naturæ } Auer. increpat eos qui diuiserunt propositiones seu pręmissas demonstratiuas topicas & oratorias, penes ueritatem, & falsitatem, quoniam { usi sunt partitione accidentali, } nam dixerunt quod illæ præmissę quæ sunt ueræ, sunt demonstratiuæ, & reliquę aliæ præmissæ, sunt secundum falsum, idest omnes aliæ præmissæ ab ipsis demonstratiuis, diuiduntur penes falsum, nam dicunt, { si illarum mendacium, } idest falsum fuerit paruum, tunc præmissę topicæ { si fuerit æqualiter } scilicet cum uero, tunc sunt præmissæ { oratoriæ } idest rethoricæ, & tandem dicunt ipsi { si autem fuerint mendaces secundum totum } aut fuerint mendaces, idest falsę in maiori parte ipsæ præmissæ, tunc sunt sophisticæ. Et aduertas quod propter hanc etiam rationem ipsi errarunt, quoniam crediderunt præmissas falsas in maiori parte, esse sophisticas, & hoc falsum est, nam sunt poeticæ, ut supra diximus. Hæc uerò adnotare uoluimus, ne aliquis ex iis uerbis positis in hoc commen. crederet pro constanti, Auer. uotum esse quod præmissæ siue fuerint falsæ secundum totum, siue secundum maiorem partem, sint sophisticæ, quod falsum est secundum Aristotelem in libro rethoric. ut iam supradiximus, & etiam repugnat Auerro. nam licet sint sophisticæ cum falsæ fuerint secundum totum, non tamen cum fuerint falsæ in maiori parte, quoniam ut sic poeticę præmissæ dicuntur. Subdit Auerro. { Hæc autem oratio } pro intellectu horum uerborum notato, quod uerior est translatio Buranę, quam Abrahami, quoniam ipse Burana transtulit affirmatiue, sic dicens. Et hic sermo uerus est de propositionibus ueris. Sed Abrahamus legit negatiue hoc modo. { Hæc autem oratio non est uera de propositionibus ueridicis. } Et sole clarius constat quod non debet legi negatiuè, sed affirmatiue, quoniam Auer. intẽdit inferre contra eos, qui male diuiserunt ipsas præmissas, penes ueritatem & falsitatem, quod talis { oratio } idest sermo de diuisione præmissarum, est facienda penes ueritatem quæ intelligitur per se ab intellectu, quoniam ueritas est adæquatio rei ad intellectũ, & non penes falsitatem } quę accidit illis } scilicet præmissis. Sed uidetur Auerro. sibi contradicere in hoc eodem commento, quoniam paulo ante dixit. { assertio ergo est mendacii & ueridici, } idest propositio seu præmissa est diuisibilis secundum ueritatem & falsitatem, & ex tali diuisione colligit species præmissarum syllogismi, ut enucleauimus: hic uero dicit digrediendo contra quosdam, quod malè diuiserunt præmissas penes ueritatem, & falsitatem: ergo uidetur sibi expręsse aduersari in tam paruo spatio. Pro huius contradictionis enodatione, animaduerte, quod in hoc Auer. obiurgauit eos quos ipse taxat, eo quod ipsi dixerunt, omnes præmissas demonstrationis fundari in ueritate, & omnes alias præmissas demptis demõstratiuis fundari in falsitate, scilicet tam rethoricas, quam topicas & sophisticas, & penes falsitatem diuidi inter se ipsas pręmissas, rethoricas, topicas, & sophisticas. In hoc ipse Auerro. eos reprehendit, quoniam diuiserunt pręmissas alias, a præmissis demonstratiuis penes falsitatem, quæ accidit illis, & non penes ueritatem, quæ uerius ab intellectu percipitur. ipse uerò, alio modo præmissarum diuisionẽ enarrauit, (ut diximus) nam uoluit, quòd præmissis prima sui diuisionè, aut sit totaliter falsa, & sic est sophistica, aut sit totaliter & immutabiliter uera, & necessariò, & sic est demonstratiua, aut est uera, mutabiliter, & cõtingenter, & sic est tribus modis, ueluti supra enumerauimus, exponendo Auerro. opinionem, conformiter ad singula uerba commen. & sic facile constat, in dictis Auerro. in hoc eodem commen. nullam reperiri contradictionem, patet etiam quomodo differat diuisio præmissarum secundum Auerro. a diuisione tradita ab illis, quos obiurgauit, & nisi hoc modo dicatur, haudquaquam intelligi poterunt uerba commen. huius. Dicit autem prope finem comm. {intentio autem huius libri.} Notato quòd Auer. exponens uerba tex. quod, scilicet præmissæ debent esse inuariabiles, dicit hoc esse uerum eo quia intentio Arist. in hoc libro primo posteriorum incipiendo, a tex. decimo, usq; ad 30. non est aliud, nisi dinumerare { indicia } idest signa & conditiones. { quæ dum aduenitunt primis præmissis } idest præmissis demonstrationis simpliciter, {habetur scientia} quod scilicet conditiones præmissarum demonstrationis simpliciter { sint huiusmodi assertionis } idest sint inter alias conditiones inuariabiles, & immutabiles: nam pręter istas conditiones, quod sint de omni per se, & secundum quod ipsum, idest primæ, de quibus ipse Auer. profusissime, & doctissime loquitur in epito. logic. quæsito tertio & quarto oporteret etiam ꝙ sint immutabiles, & inuariabiles ipsæ præmissæ demonstrationis simpli

citer, & ponit notandum scitu dignum ipse Auer. in ultimis uerbis commen.} Et hoc dignum est poni subiectionem} & uult sic dicere, q nisi cognoscamus, quæ sit intentio Arist. in hoc libro primo poster. minimè poterimus intelligere, & exponere uerba Arist. in tex. quapropter cum intentio Arist. sit loqui de conditionibus præmissarum demonstrationis simpliciter (ueluti etiam ipse Auer. retulit infra in principio commen. 55.) facile intelligitur præmissas esse mutabiles, esse conditionem præmissarum demonstrationis simpliciter, hoc uult dicere Auer. in his ultimis uerbis. Et aduertas q ex his uerbis quando dicit. {Intentio autem huius libri} plura colliguntur digna animaduersione. Primum hoc est, quòd Aristot. non componit demonstrationem in primo poste. sicuti Philop. & quam plurimi latinorum falsò imaginati sunt, sed dumtaxat cõditiones exhibet & docet, quomodo debent esse præmissæ demonstrationis simpliciter, ad hoc ut ueram habeamus scientiam, & sic latini non animaduertentes q aliud est facere demonstrationem, & aliud est tradere & docere conditiones, ut sciamus eligere demonstrationem. dixerunt Arist. demonstrationem facere in primo libro poster. & ne hallucineris, quoniam cum sermo sit in hoc primo libro poste. de præmissis tantum ipsius demonstrationis simpliciter quæ sunt materia, ut docuit Auer. in prologo poster. & non si sermo de forma ipsius demonstrationis, sequitur necessariò q Arist. non componit demonstrationes in primo post. nam ex sola materia non fit cõpositum, quapropter inferius maximopere hallucinatos fuisse, quotquot senserunt, Arist. intentionem esse facere demonstrationem, & demonstrare. Secundum quod colligitur ex uerbis Auer. est istud q intentio Ari. in hoc primo libro poster. sit docere conditiones præmissarum demonstrationis simpliciter, ueluti etiã dixit infra in cõ. 55. Sed iunior posset dubitare contra Auer. quoniam ipsemet Auer. in prologo poster in principio, dixit hæc uerba formalia. {Dicimus itaq; libri intentionem esse scrutari demõstrationes & definitiones} demonstrationes. s. in primo libro, & definitiones in secundo libro, & in eodem prologo loquens de diuisione principali lib. poster. dixit, q in primo libro continetur demonstratio, & in secundo definitio, ergo si intentio Arist. est loqui in primo poster. de demonstratione ut ipse bis annotauit in prologo, non igitur uerum dicit hic, quod intentio Arist. in hoc libro sit loqui de conditionibus præmissarum. & sic uidetur Auer. sibi aduersari. Dicimus haudquaquam Auer. sibi contradicere, nam se ipsum exponit in prologo in principio, ubi dicit, quòd Aris intentio est loqui in primo post. de demonstratione, scilicet {quo ad res quæ procedũt uice materię ipsarum} at istæ res, ut dicit Auer. {sunt præmissæ ueræ} idest præmissæ cum suis conditionibus. quę conditiones sunt q sint ueræ primæ immediatę, notiores priores. causæ, de omni, per se, & secundum quod ipsum & hoc modo intelligi etiam debet, quando dicit diuidendo librum poster. q in primo cõtinetur demonstratio, scilicet quod ad præmissas sic condicionatas, hoc etiam modo intelligi debet in hoc commen. quoniam dicit, q intentio Arist. sit loqui de conditionibus præmissarum, idest loqui de præmissis. quæ sunt materia demonstrationis docẽdo, quas & quales conditiones debeant habere præmissę demõstrationis simpliciter, ad hoc ut ueram & perfectam generent scientiam. & non est uerisimile, q Auer. uelit dicere hic, q Arist. intentio sit loqui de conditionibus præmissarum, excludendo præmissas, nam cum istę conditiones sint proprietates & affectiones præmissarum, nõ possunt intelligi sine præmissis, hoc enim est proprium, & de ratione accidentium propriorum, ueluti dixit Arist. septimo metaph. tex. commen. 17. quod non possunt intelligi & definiri sine eorum subiecto. Tertium quod colligitur est quòd ex his uerbis soluitur argumentum, quod facit Ægidius Romanus in primo poster. in principio, ad probandum, quod de demonstratione non habeatur scientia quoniam tunc per aliam demonstrationem, & sic erit processus in infinitum. Respondetur enim faciliter ex his uerbis Auer. q de demõstratione habetur sciẽtia, sed nõ per demonstrationem, sed per inditia & conditiones, quæ requiruntur ad præmissas demonstrationis simpliciter, quę est instrumentum perfectissimæ scientiæ, & hoc etiã modo posset dici ad argumentum, quod facit Scotus in tertia quæstione uniuer.

Quibusdam quidem igitur, propterea quòd oportet prima scire, non uidetur esse scientia Quibusdam uerò esse quidem. omnium tamen demonstrationes esse quorum neutrum neque uerum, necessarium est. Ponentes quidem non esse omnino scire, hi ad infinitum uolunt reduci, tanquam non sint utique scientes posteriora propter priora, quorum non sunt prima, rectè dicentes. Impossibile enim est infinita pertransire.

Dicant alii quicquid eis libuerit, hunc in modum continuare præsentem textum nobis uisum est, quod postquam Arist. in precedentibus tex. definiuit demonstrationem simpliciter, declarauitq; , conditiones præmissarum quæ & quales sint, ad perfectam scientiam habendã, nũc intendit excludere errores antiquorum perperam sentientium circa ipsam demonstrationem, & duo sunt isti errores: primus est, nullius esse demonstrationem, secũdus uero, omnium esse demonstrationem, & comprehendit Aristot. duos istos errores, in his textibus, scilicet tex. 18. 19. & 20. Causa continuationis & intentionis esse debet secundo canonem, & regulam Aristo. in primo de anima tex. commen. 11. & secundo de anima tex. commen. 12. & 16. & quarto physi. tex. comm. 31. & secundum Auer. etiã supradictis locis, quod omnis uera definitio, quæ dat quidditatem, debet habere tria propria, quorum unũ est, ut per illam dissoluantur quæstiones contingentes in re. i. circa ipsum definitum: secundum, ut per illam appareant accidentia essentialia, quia definitiones completæ innatæ sunt reddere causas omnium accidentium: tertium est, ut ex definitione appareat difficultas, idest motiuũ difficultatis & hoc est proprium rerum difficilium definiri, ueluti tradidit Auerro. in quarto physicor. in commen. 31. & quarto cœli commen. secundo, ut igitur Aristo. ostenderet supradictam demonstrationis definitionem esse ueram & optimè assignatam circa conditiones, quæ requiruntur ad instrumentum ueræ scientiæ, uoluit in medium afferre duos istos errores circa demonstrationem, ad excludendos eos, cum munus sit ueræ deffinicionis excludere errores contingentes circa definitum. Ex qua declaratione, apparet manifestus error Linconien. qui uoluit cap. istud de erroribus non esse partem necessariam huius primi libri posteriorum, sed poni ab Aristote. ad bonitatem, & complemnetum doctrinæ, quam profectò opinionem falsam esse, & contra Aristot. sole clarius constat ex supradicta regula Aristot. quòd omnis bona definitio de necessitate debet excludere errores contingentes circa definitum, & hæc est una conditionum requisitarum ad optimam definitionem, quapropter dicendum est, quod cap. istud, in quo Aristot. excludit errores contingentes circa demonstrationem, non sit ad bonitatem tantum, & complementum doctrinæ huius primi libri posteriorum sed etiam ad necessitatem præsentis libri. Verum ut Aristo. intentio clarius habeatur, placitum est nobis pręsentem textum duas in partes secare, in prima Aristot. ambos errores recitat, in secunda uero, ibi {ponentes quidem} ponit primam rationem parti-

ticularem negatiuam demonstrationem esse. Dicit igitur in prima parte. quod circa ipsam demonstrationem duæ sunt opiniones antiquorum quæ opponuntur cõtrariè, & ambæ sunt falsæ, & nullo modo necessariæ, nam quidam dixerunt hanc propositionem uniuersalem negatiuam, nullus est demonstratio. quidam uerò alii, protulerunt hanc uniuersalem affirmatiuam. omnium est demõstratio, Sed antequam formetur ratio negantium demonstrationem. primitus necessario sciendum occurrit, quod ambæ opiniones cõueniunt in eodem fundamento, quod tale est. quod quicquid scitur, scitur per demõstrationem: & quod hoc sit uerum, quod, scilicet ambæ opiniones innitantur huic fundamento, probatur per Auer. infra incõ. 21. in principio, ubi dicit. {Nos uerò non credimus, quòd quicquid scitur, sciatur per demonstrationem, & est credulitas qua errauerunt duæ sectæ} Et quòd magis est confirmatur per Arist. in principio tex. comm. 21. ubi dicit, nos uero dicimus, nõ omnem scientiam demõstratiuam esse, supple tu, sicuti dicebant ambæ opiniones antiquorum, tunc habito hoc pro constanti, quod ambæ opiniones conueniant in hoc fundamento quod quicquid scitur, sciatur per demonstrationem: quidam prob. bant negatiue, nullius esse demonstrationem, seu scientiam, per hanc rationem particularem, si omne quod scitur, scitur per demonstrationem, tunc quæritur, aut ipsa prima principia sciuntur, aut non: si sciuntur per demonstrationem, tunc quæritur, de illis aliis principiis, & sic daretur processus in infinitum, & hoc innuit ibi Arist. {Ponentes quidem enim non esse omnino scire hi ad infinitum uolunt reduci} Et si daretur processus in infinitum, in ipsis principiis, tunc ipsa principia essent ignota, quoniam infinitum est ignotum, ex tertio phys. 65. & sic si ignorantur prima principia cum sint infinita, ignorabantur etiam posteriora cum dependeant a prioribus, quapropter concludebant antiqui omnia ignorari, priora quidem, quoniam sunt infinita, & infinitum quatenus infinitum, ignotum est, ut diximus, posteriora etiam ignorari contingit quoniam cum dependeant à prioribus, & priora ignorantur, ergo oportet ignorari ipsa posteriora, & sic patet ratio dicentium nullius esse demonstrationem, neque priorum neque posteriorum entium, non esse priorum entium demonstrationem, quoniam si demonstrarentur tunc abiretur in infinitum, ut diximus, neque etiam posteriorum entium, quoniam posteriora non possunt demonstrari nisi per priora, & priora sunt ignota, ergo & ipsa posteriora ignorantur, & sic nullorum entium est demonstratio. Et cum dicit Arist. {recte dicentes} Aduertito, quod expositores fere omnes non clare exponere uidentur, circa quod recte dixerint antiqui, ideo cum Auerroe dicas in calce comme. 18. quod Arist. laudauit hanc antiquorum rationem circa unam premissam, scilicet circa hanc, quoniam ipsi dicebant quod processus in infinitum sit impossibilis, & {recte dicentes sunt,} dicit Arist. sed non laudauit eos, circa aliam præmissam, in qua ambæ opiniones conueniunt, quod quicquid scitur, demonstratione sciatur, & notato quod huic expositioni Auer. maxime fauet tex. quẽ transtulit Burana, ubi dicit, & enunciatio hæc est uera & recta, hoc est, quod processus in infinitum sit impossibilis, & translatio Abrahami idẽ explicat, & confirmatur etiã hic exponendi modus per textum nostrum, quem communiter habemus & legimus, secundum quod habetur in codice græco. Et fortassis ignorantia expositorum excusari posset ob malam diuisionem uerborum Arist. in tex. nam sic debet legi textus, faciendo unam præmissam completam ut dicit Aue. {recte dicentes impossibile est enim infinita pertransire} Et si sic [illegible] tent cæteri expositores, utique non errassent, sed hęc est causa erroris expositorum, quoniam ipsi ly, {recte dicentes} referunt ad superiora uerba, quod, scilicet posteriora non possunt cognosci, non cognitis prioribus, & sic uolunt ipsi esse legendũ {Non sint scientes posteriora propter priora, quorum non sunt prima recte dicentes} Sed cum Auer. expositio conformior sit textui, propterea cum eo sentiendum esse ducimus. Circa talem modum procedendi Arist. expositores dubitant, cum quęstio si est, præcedat quæstionẽ quid est, ut patet secundo poster. primo, cur igitur ipse Arist. totum oppositum obseruauerit, nam prius determinauit, & locutus fuit de quid est demonstrationis, nunc loquitur de si est ipsis demonstrationis, & sic uidetur Arist. aliud docere, & aliud exequi. Respondet Philopon. non esse absurdum, quid nominis præcedere si est, nam eo modo procedit hic Arist. sicuti processit quarto phys. loquens de uacuo, ubi præcognitio quid nominis uacui, præcedit si est ipsius uacui, similiter facit hic, sed non est dicendum sit, de præcognitione quid rei, quæ non pręcedit ipsum si est. Sed quam sit erronea huiusmodi responsio, facile patere potest, quoniam Arist. non definiuit demonstrationem definitione quid nominis (ut falso credidit ipse Philop.) sed definitione quid rei, nam nullibi Arist. eam aliter definiuit Neque etiam dicendũ est quod Arist. definierit definitione quid rei ipsam demonstrationem in primo top. cap. primo. & definierit eam definitione quid nominis in hoc primo poster. quoniam non sunt diuersæ definitiones, ut patet, & si diuersitas aliqua esset, potius credendum esset Aristo. definisse definitione quid rei ipsam demonstrationem, in hoc libro, quàm alibi, cum hic de intento eam pertractet. Linconiensis facile euadit, quod nihil refert, quid est præcedere si est, quando sermo de si est non per se & necessario, sed ad bonitatem & cõplementum consideratur in doctrinis, cuiusmodi est proposito, nam uult ipse Linconien. quod cap. istud de erroribus, non est pars necessaria huius lib. poster. sed ad bonitatem ponitur ab Aris. At nos supra dando causam cõtinuationis & intentionis Arist. in hoc tex. diximus Lincontensem toto cœlo errasse. Suessanus dicit, quod licet per se ordine doctrinæ quæstio si est, præcedat quæstionem quid est, tamen per accidens potest esse contrarium, ut in proposito dicit ipse, quoniam intendit Arist. remouere errores ex huiusmodi quæstione, si est, ad ostendendam bonitatem supradictę definitionis ipsius demonstrationis. Sed nemini dubium est, ipsum Suess. errasse, quoniam artifex non considerat ordinem per accidens, neque ea quæ sunt per accidens, ueluti protulit Aristot. in sexto metaph, tex. commen. quarto, ubi dicitur, quod ens per accidens a nulla scientia consideratur, neque speculatiua, neque operatiua, non igitur credendum est, quod Arist. usus fuerit ordine per accidens, circa ipsam demonstrationem, prius eam definiendo, & postea mouendo quęstionem an sit, idest quod ipsum quid est demonstrationis, præcedat si est ipsius demonstrationis. Præterea nedum Suess. sed omnes alii expositores maximopere hallucinantur, præsupponendo Aristo. in hoc lib. mouere quæstionem de si est ipsius demonstrationis uel scientiæ, nam scire cupiunt causam, cur quæstio quid est ipsius demonstrari pręcedat quæstionem si est ipsius demonstrationis, & sic præsupponunt pro constanti, Arist. mouere quęstionem de si est demonstrationis, quod præsuppositum falsum est, quia disputare contra destruentes scire, seu demonstrationem ipsam spectat ad metaphysicum, ut protulit Auer. quarto metaph. primo. & tertio cœli comme. quarto, ueluti diffusius in primo tex. assignando causam, cur Arist. posuerit illam propositionem uniuersalem, omnis doctrina, & omnis disciplina ex præexistenti fit cognitione. Qua propter aliter dicendum est, pro ueritate, ad dubitationem quod Arist. non mouet quęstionem de si est ipsius demonstrationis (ut crediderunt cæteri expositores) & sic frustra dubitatur, quomodo quæstio quid est demonstrationis, pręcedat quæstionẽ si est ipsius demon-

strationis, sed excludit errores & difficultates cõtingẽtes circa definitionem datam ipsius demõstrationis, quoniã (ut supradiximus) de natura optimarum definitionũ est, ut per illas remoueantur ac deleantur oẽs dubitationes cõtingentes circa rem definitam, & hoc modo dicendo sequitur Arist. non aliud docere, & aliud exequi, quod utiq; non omnes uiderunt.

Commen. 18.

Et dixit quòd, quidam crediderunt.} Auerro. in hoc comment. prætermittens continuationem fortassis tanquam claram & notam, solum exponit. & primo consormiter ad tex. declarat opinionem antiquorum destruentium penitus ipsam demonstrationem, nam uoluerunt præmissam demonstrari per aliam demonstrationem, & & sic in infinitum, quod est falsum & hoc dicit ibi Auer. {Et asseruerunt hoc, quia putauerunt} Et subdit. {Et alii dixerunt} narrando breuiter opinionem antiquorum dicentium {quòd demõstratio sit quid existens,} idest quod omniũ est demonstratio & non opinatur aliquid falsum sequi, quia dicunt præmissam demõstrationis per conclusionem & conclusionem reciproce demonstrari per suas præmissas, & quando dicit {Et dum dixit, neutra harũ} Notato quòd Auerro. exponit illam partem tex. in qua Arist. concludit, quòd neutra illarum opinionum est uera, & necessaria, & uidetur Auer. in sua expositione excludere obiectionem, quam aliquis aduersus Arist. facere posset, & obiectio talis est, illæ supradictæ opiniones antiquorum scilicet nullius est demonstratio, & omniũ est demonstratio opponuntur contrarie, sed lex seu natura propositionum contrariarũ talis est, quòd si una est uera, & reliqua est falsa, ergo male dicit Aristote. in tex. quòd neutra est uera. Vnde Auerro. uolens excludere hanc obiectionem, dicit {Intendit neutram harum duarum} quasi uelit dicere, quod illa regula intelligitur de contrariis in materia necessaria seu naturali, & in materia remota: quòd una propositio sit uera, & reliqua falsa, sed in materia, contingenti, in qua sunt huiusmodi contrariæ possunt esse ambæ falsæ, & ideo Arist. dixit neutram illarum esse ueram. Et cum dicit {neque necessarium est} aduertas, quod Arist. uidetur se ipsum exponere, nam uult assignare causam, quare sunt ambæ falsæ, licet sint contrariæ. respondet ipse {neque necessarium est} quasi uelit dicere, ideo sunt ambæ falsæ, quia non sunt in materia necessaria, seu naturali, nam si essent in materia necessaria, tunc non essent ambæ falsæ, sed de necessitate una esset uera, & alia falsa. & ideo concludit Auer. {quod fit, quia contraria sunt ambo falsa} & subdit quod cum ambæ illæ opiniones falsæ sint {ueridicum uero est} idest uera opinio est dicere, quòd aliquorum est demonstratio, & aliquorum non est demonstratio, ueluti dicet Aristot. paulo post, scilicet in tex. 21. & sunt duæ propositiones ambæ ueræ, quæ opponuntur subcontrarie, ut dicemus in in expositione tex. commen. 21. & cum dicit {dum uerò dixit, primi quidem} declarat causam seu rationem propter quam primi antiqui, idest aliqui antiquorum abstulerunt de medio omnem demonstrationem, idest dixerunt, nullius esse demonstrationem. Et dicit quòd huiusmodi antiquorum ratio fundatur super duas propositiones, seu præmissas & prima est quia illi crediderunt, quod impossibile sit scire aliquid nisi per demonstrationem, ita quòd uoluerunt quod quicquid scitur, sciatur per demonstrationem. & aduertas etiam (ut diximus in tex.) quod opinio antiquorum dicentium, omnium esse demonstrationem fundatur super hanc eandem propositionem. secunda propositio est, {& crediderunt quod impossibile sit transmeare infinitum,} idest quod detur processus in infinitũ, est impossibile. Tunc stantibus his duabus propositionib. 18. seu præsuppositis ipsi antiqui inferebant & ostendebant causam seu rationem, propter quã dicebant nullius esse demõstrationem, & ratio particularis talis est secundum eos, quia, omne quod scitur, scitur per demonstrationem duarum pręmissarum, & illæ duæ præmissæ sciuntur per demonstrationem aliarum præmissarum & illæ aliæ per alias. & sic in infinitum, erit iste demonstrandi modus: sed infinitum non potest dari, ergo neque dabitur demonstratio. & hoc modo dicendo. litera Auer. clara est, & utraque translatio idem sonat. Prosequitur Auer. exponendo ultima uerba tex. dicens {intendit de una præmissa} dicit quod Aristo. laudauit antiquos quod bene & rectè dixerint circa secundã præmissam seu propositionem, quod scilicet processus in infinitum sit impossibilis, & non circa primam præmissam, quicquid scitur, scitur per demonstrationem & aduertito (ueluti etiam annotauimus in tex. expositione) quod solus Auer. intellexit & aperuit Aristo. mentem in hac ultima parte præsentis tex. Amplius notabis, quod totalis ratio antiquorum negantium demonstrationem claudit duo membra, & ex quolibet illorum membrorum potest confici una particularis ratio, ad probandum non dari demonstrationem secundum antiquorum opinionem. Vnde si quęres quæ est totalis ratio comprehendens duo membra, & duas particulares rationes? Dicitur, quod dicebant antiqui arguendo, aut præmissæ demonstrationis procedunt in infinitum, aut est status in eis: si procedunt in infinitum tunc fit prima ratio particularis in hoc tex. 18. si uero datur status in eis, tunc fit secunda ratio particularis, quam formabimus in tex. sequenti: & quod hoc sit uerum, scilicet quod totalis ratio contineat duas particulares rationes, colligitur ex Auer. in comm. 19. in cuius principio dicit, hæc est, ac si esset alia argumentatio & quamuis Auer. utatur illis uerbis {ac si esset} nihilominus potest teneri, quod sunt duæ rationes particulares: neque enim sic dicere repugnat uerbis Arist. in tex. & hoc cæteri expositores non animaduertunt.

Sin autem stant, & sint principia, hæc ignota esse cum demonstratio non sit ipsorum quod quidem dicũt esse scire solum. quod si non est prima scire, neq; quæ ex ijs sunt, erit scire, neque simpliciter, neque proprie sed ex conditione, si illa sunt.

Vbi Arist. in pręcedenti tex. posuit primam rationem particularem antiquorum negantium demonstrationem dari, in præsenti tex. format secundam rationem particularem de mẽte eorundem antiquorum negantium demõstrationem, & non est ualde laborandum hic ad huiusmodi continuationis causam assignandam, quoniam iam dictum est, totalem antiquorum rationem, duas continere particulares rationes, iuxta duo membra illius totalis rationis, unde posita, & declarata prima ratione consentaneum erat secundam ipsorum antiquorum declarate rationem, quæ talis est, sin autem stant, idest si uero non est processus in infinitum in ipsis principiis seu pręmissis, sed statur in eis, tunc oportet ipsa principia ignorari, & probat Arist. consequentiam cum dicit {cum demonstratio non sit ipsorũ,} idest ideo oportet ignorari ipsa principia si datur status in eis quia non habet aliqua priora principia per quæ demonstrentur, & si non demonstrentur, oportet ea ignorari, quoniam fundamentum commune ambobus opinionibus est (ueluti diximus) quod quicquid scitur, scitur demonstratione: & concludit Aristot. {quòd si non est prima scire,} idest si principia non sciuntur, posteriora etiam oportet, neque scire simpliciter, neque proprie, sed solum sub hac conditione, si principia sint. Quapropter cum neque priora, neque posteriora

sciantur,

sciantur, sequitur quod nullius est demonstratio, & cōcludendo totalem rationem ex ambobus membris siue procedatur in infinitum in ipsis principiis, siue ipsa principia stent, sequitur semper secūdum ipsos antiquos, quod nullius est demonstratio. Circa uerba tex. dubitatio occurrit, quid Arist. intelligat, per scire simpliciter, & per scire proprie. Expositores ferre omnes confundunt istos terminos, scilicet scire simpliciter & scire proprie, quasi uelint dicere, quod Aristo. idem intelligat per scire simpliciter & scire proprie. Verum cum primus magister nihil dixerit sine forti probatione, ueluti protulit Auer. in primo de generat. com. 38. non est credendum uerbis superfluis eum usum fuisse, & absque ratione idem replicasse, neque etiam diceret sātum phylosophum nominibus synonimis uti in doctrina demōstratiua, sicuti etiam nobis notum reliquit Auer. Ideo aliter dicendum est, quod Aristo. non confundit istos terminos, sed per scire simpliciter intelligit scire per causam, de quo locutus fuit supra tex. secundo. & per scire proprie, intelligit scire per effectū proprium, quod est scire quia, ut patet, primo poster. cōm. 95. ita quod uult dicere Aristo. si ipsa principia non sciuntur neque posteriora scientur aliqua specie demonstrationis, neque, scilicet scire simpliciter per causam, neque scire proprie, scilicet per effectum proprium conuertibilem. & ratio est, quia utcunque scire est ex prænotis; scire simpliciter est ex prænotis nobis & naturæ, & scire proprie est ex prænotis nobis, & nullo istorum modorum ipsa posteriora poterunt sciri, si ipsa priora seu principia ignorabuntur. Quid uerò Aristo. intelligat, per scire ex suppositione, in expositione comm. dicemus.

Commen. 19.

Hæc est ac si esset.} Videtur Auer. in hoc commento, duo facere, continuare, scilicet & exponere: Continuat in principio commen. cum dixit{ Hæc est ac si esset } ita quod uult dicere Auer. dando cōtinuationem, quod postquam Arist. posuit primam particularem rationem antiquorum destruentium scire, seu demonstrationem, nunc intendit secundam eorundem particularem rationem ad idem probandū, ponere, & declarare: & ideo dicit { Hæc est ac si esset, } idest Arist. construit & erigit nunc secundā rationem seu argumentationem de mente{ destruentium naturam ipsius demonstrationis } ex placito antiquorū negantium demonstrationem. Et notato quod Auer. format, & erigit hanc secundam rationem antiquorum, ibi, cum dicit{ Cum enim illi posuerit } Sed antequam erigatur hæc secunda ratio, prius corrigēda est translatio Abrahami, nam hic in principio commen. dicit { nesciri } debet corrigi, & legi hoc modo { non sciri } ueluti in translatione Buranæ habetur, & dato quod in nulla translationum ita esset, dicimus quòd necessario ita debet corrigi eo modo quo diximus, quia aliter Auerrois uerba non possent intelligi. Hoc prænotato, Auer. dicit, quod hæc secūda ratio antiquorum duas præmissas cōtinet, prima est, quod quicquid scitur, non scitur nisi per demonstrationem: secunda præmissa est, præmissæ demonstrationis non sciuntur demonstratione. Dicit Auer. { quod uerum est } approbat eos recte sensisse circa secundam præmissam. tunc stantibus iis duabus præmissis, pro duobus præsuppositis, dicit { inuult ex duabus iis præmissis. principia demonstrationis non esse scita } & ex consequenti posteriora ignorabuntur & litera clara est. Et cum dicit Auer { Et dixit præmissa existente nota } Aduertas quod uidetur exponere æquiualenter, quid Arist. intelligat per scire ex conditione, sicuti habemus in tex. nostro & notabis quod Auer. & Themis. conuenire uidentur, quod per scire ex conditione intelligatur, quod ars quando sumit aliquid demonstratum in alia arte, supponit illud alibi esse demonstratum, & istud uocāt scire ex suppositione, id est supponendo alibi, scilicet in alia arte esse demonstratū & sic uidetur Auer. dicere quod si deueniatur ad præmissas ignotas, non fit sciētia per causā, nisi ex suppositione, idest supponendo illo esse demōstrata alibi, quæ scientia (ut dicit Auer.) est topica, nam primo topic. primo, consensu omnium, uel plurimum, uel præcipuorum in arte, sumuntur præmissæ opinatæ, & generant opinionem, quæ scientia ex suppositione improprie dicitur, nam, ut dicit Auer. quando supponunt ut notæ, faciunt demonstrationem ex suppositione, idest topicam, si uero notæ fuerint, faciunt scientiam. Vnde intēdit adhuc non esse standum sed oportere procedere ad sciendum supposita per præmissas, si scientiam debent facere, uel ergo non erit scientia, uel erit processus in infinitum, & erit idem, scilicet non esse scientiam, & hoc uult dicere Auer. in hac ultima parte commen.

Alij de ipso scire quidem fatentur per demonstrationem utique esse solum. sed omnium esse demonstrationem nihil prohibet. Contingit enim circulo fieri demonstrationem, & ex iis quæ ad inuicem sunt.

Vbi Aristo. posuit errorem antiquorum probantium duabus particularibus rationibus, nullius esse demonstrationem nunc secundum ponit errorem aliorum antiquorum, dicentium, omnium esse demonstrationem & antequā declaretur istorum error, prænotandum est (ut diximus in expositione tex. præteriti) quod utraque opinio innititur huic fundamento quod quicquid scitur, scitur per demonstrationem. Amplius notandum est quod hæc opinio ponit omnium esse demonstrationem per circulationem absque quod procedatur in infinitum in ipsis principiis. Quibus præsuppositis, dicit Aristotele de mente antiquorum quod omnium est sciētia per demonstrationem nam principia sciuntur, non per superiora principia, sed per conclusiones, & conclusiones sciuntur, quia demonstrātur per principia & sic ad inuicem sciuntur & demonstrantur. Et notabis quod primam, præmissam innuit ibi Aristoteles, cum dicit. { Fatentur per demonstrationem utique solum } idest uolunt & concedunt ipsi antiqui ex secunda secta, quod quicquid scitur, scitur per demonstrationem. & cum dicit Ari. in tex. } sed omnium esse demonstrationem nihil prohibet } ponit pro secunda præmissa, quod omnium sit demonstratio per circulationem & probant hanc secundam præmissam uniuersalem ex hac particulari { & ex iis quæ ad inuicem sunt } & uult dicere Ari. quod ipsi antiqui ex hac particulari, quod datur demonstratio circularis in terminis conuertibilibus inferebant hanc uniuersalem, quod in omnibus priora per posteriora circulo demonstrari possunt, & iā sole clarius constat ipsos antiquos, maximopere hallucinatos fuisse, in hac eorum deductione, non enim sequi debet, quod in omnibus fiat circulus demonstratiuus, licet concedatur in terminis dumtaxat conuertibilibus.

Commen. 20.

Ait secunda uero secta.} Auerro. paucis uerbis huius commen. duo simul absoluit, continuat, & exponit. Continuat dum dicit { Secunda uero secta } nota quod illa dictio { uero } exponitur & intelligi debet continuatiue, sicut solet sumi ly, autem. ita quod Auer. uult dicere continuando quod postquam Arist. narrauit errorem primæ sectæ negantis demonstrationem, nunc narrare intendit errorem secundæ sectæ concedentis omnium esse demonstrationem, cum dicit { Adeo quod illi } format rationem huius secundæ sectæ, & duo supponebant antiqui: pri-

mum, quod quicquid scitur, scitur demonstratiue. Et cũ dicit {& quod impossibile est} narrat secundum ipsorum antiquorum presuppositum, seu secũdã præmissam, quæ talis est, quod habetur sciẽtia de præmissis, absque quòd procedatur in eis directè infinitum, & stantibus iis duobus præsuppositis dicit Auerro. {sed placuit illis,} id est ex illis duabus præmissis intulerunt antiqui ex secunda secta, omnia sciri per reciprocationem, præmissas, scilicet per conclusiones, & conclusiones per præmissas, ue luti diffusius & clarius in tex. expositione perlibrauimus.

Nos uero dicimus non omnem scientiam demõstratiuam esse, sed immediatorum indemonstrabilem: & quòd hoc necessarium sit, manifestum est, si enim necesse est scire quidem priora, & ex quibus est demonstratio, stant autem aliquando immediata, hæc indemonstrabilia necesse est esse: Hæc igitur ita dicimus: & non tantum scientiam sed & principium scientiæ esse quoddam dicimus, quo terminos cognoscimus.

Aliorum postpositis opinionibus circa continuationem, sic dicendum est pro uera & peripathetica continuatione. Postquam Arist. in præcedẽtibus textibus, scilicet in tex. 18. 19. & 20. narrauit duas antiquorum opiniones contrariè oppositas, & ambas falsas cum earum rationibus: nunc in isto respondet breuiter rationibus ambarum opinionum, & suam respõsionem manifestat esse ueram, ibi, quando dicit {Et quod hoc necessarium sit} Ex qua continuatione & intentione, sequitur tex. hunc diuidi in duas partes. in prima respondet rationibus utriusque opinionis in principio tex. in secunda ibi {Et quod hoc necessarium sit} declarat & manifestat ueritatẽ suæ responsionis. Sed antequã ad textus expositionem accedamus, prænotandum uolumus, quod ex hac nostra continuatione, iuxta Arist. aures, sequitur eos errasse, qui crediderunt, & sibimet persuaserunt, quod Arist. tantũ intendat hic suam dare opinionem. quorum, scilicet debet esse demonstratio. hoc enim asserere falsum est: primo, quia Arist. fuisset diminutus, si non respondisset rationibus utriusque sectæ; secundo si Arist. intenderet tantum suam aperire opinionem: præsupponeretur mouisse quæstionẽ de si est demonstrationis, quod quidẽ supra impugnauimus, non enim eius intentio fuit, mouere quæstionem de si est demonstrationis, ueluti omnes fere latini & Philoponus crediderunt: & ex consequenti non est dicendum quod Arist. postquam duas antiquorum posuit opiniones, suam hic determinet opinionem. Ideo dicendum est habita & præsupposita diuisione huius textus, quod Arist. in prima parte præsentis textus, respondet rationibus utriusque sectæ quam quidem respõsionem paucissimis uerbis absoluens dicit {Nos uerò dicimus non omnem scientiam demonstratiuam esse} Et Aduertito quod Arist. uafræ & mira arte, una & eadem responsione soluit rationes ambarum opinionum contrariè oppositarum: nam uidens quod ambæ opiniones, huic uni innituntur fundamento, quod quicquid scitur, scitur demonstratiue, ueluti etiam diximus in principio tex. 18. ipse respondendo, negat fundamentum illud, {Nos uerò dicimus non omnem scientiam demonstratiuam esse,} idest nos respondemus negando illud fundamentum, quia non omne quod scitur, scitur per demonstrationem & ex consequenti ruunt rationes utriusque sectæ, & huic expositioni fauet Auerro. in principio commen. ut dicemus: & dixit {Nos} In numero plurali, tum ob maiestatem philolophicam, cum etiam ut aliorum autoritate suam cõfirmaret opinionem. Et quia dixit respondendo, quod non quicquid scitur, scitur demonstratiuè, statim subdidit, declarando quæ sint illa, quæ sciuntur, & non per demonstrationem, & dicit {sed immediatorum indemonstrabilem,} idest ipsa principia immediata sciuntur, & non per demonstrationem, & sic aliquorum est scientia, quæ non demonstrantur. ita quòd statuit Aristo. quòd ueritas consistit in duabus propositionibus subcõtrariis, q̃ sunt istæ, aliquorum est demonstratio ut mediatorum, & aliquorũ non est demonstratio, ut immediatorum, & ambæ ueræ sunt, & non reperitur ueritas in illis propositionibus contrariis antiquorum utriusque sectæ quòd omnium sit demonstratio, & nullius sit demonstratio, nam ambæ istæ uniuersales contrariæ sunt falsæ, ut supra diximus. {Et q̀ hoc sit necessarium, manifestum est} Hæc est secunda pars huius tex. in qua Arist. uult manifestare & probare suam responsionem esse ueram, quòd, scilicet non omnia quæ sciuntur, sciantur demonstratiuè, quoniam aliqua sciuntur, & non per demonstrationem. & probat hoc Aristo. de principiis immediatis, quæ oportet necessario sciri dicens. {Si enim necesse est scire quidem priora} Non enim dici debet, quòd principia ex quibus est demonstratio, sint ignota, quoniam debent esse nobis nota, & naturæ, ut dictum est, tex. 12. ergo oportet necessariò esse nota & scita. sed {stant autem aliquando immediata,} idest sed quia sunt immediata ipsa prima principia, idest non habent alia priora principia, per quæ demonstrentur, nam hoc dicitur principium immediatum, ut patet tex. 13. quo non est aliud prius, tunc concludit Arist. {hæc indemonstrabilia necesse est esse,} idest sequitur necessariò, quòd responsio Arist. sit optimè tradita, quòd aliqua sciãtur ut puta prima principia, quæ cum sint immediata, necessarium est esse indemonstrabilia: Deinde dicit {Hæc igitur ita dicimus} Animaduersione dignum est, contra placitum omnium expositorum quòd Arist. remouet tacitam hanc obiectionem, quam aliquis posset mouere: quoniam dictum est, quòd prima principia sciuntur & non per demonstrationem, dubitatio est si non sciuntur per demonstrationem ipsa principia, quomodo seu per quid sciuntur? Respondet Arist. {hæc igitur ita dicimus} quasi uelit dicere, hæc prima principia sciuntur per intellectum {quo,} idest quo intellectu terminos cognoscimus: ita debet exponi, & non debet sumi ly, {quo,} idest inquantum, ueluti multis placitum fuit dicere. Et cum dicit Arist. {Et non tantum scientiam} uult dicere quòd non solum habetur scientia de ipsis principiis immediatis, sed eorum cognitio est principium scientiæ: & hoc modo exponi debent ista uerba contra cæterorum expositorum placitum. Sed occurrit dubitatio, quare habitus principiorum denominatur intellectus, sicuti uidetur dicere hic Arist. & in secũdo poster. in fine, & in sexto ethic. cap. quarto? Respondetur, quòd per hanc similitudinem ut colligitur ex secundo phys. ubi dicitur quòd ita se habet principium in speculabilibus sicuti finis in operabilibus: ita quòd sicut finis imponit necessitatem iis, quæ sunt ad finem, ita principia conclusiones necessitant, sicuti ergo motus uoluntatis in finem recipit denominationem a potentia uolitiua, & dicitur uoluntas, motus autem in ea quæ sunt ad finem dicitur electio. ut nobis notatum reliquit Aristo. in tertio ethic. cap. quinto, ubi dicitur, quòd uoluntas est finis, & electio dicitur eorum quæ sunt ad finem, ita motus intellectus in principia, recipit denominationem ab ipsa potẽtia intellectiua, & dicitur intellectus: motus autem in conclusiones dicitur scientia: habitus, ergo principiorum propriè dicitur intellectus, & habitus conclusionis dicitur scientia. uerum sumendo scientiam, pro certitudinali cognitione, principia prima dicuntur sciri.

Commen. 21.

Ait nos uerò non credimus,} licet Auer. non explicauerit continuationem, præsupponens causam notam esse, tamē ex suis uerbis facile eam excerpere possumus eo modo quo supra continuauimus, prætermissa igitur continuatione ab Auerro. tanquam nota solum expositio in hoc commen. ab eo tangitur, & dicit ipse quòd Arist. respondendo rationibus utriusque sectæ negat illud fundamentum commune ambabus opinionibus, quod, scilicet quicquid scitur, sciatur per demonstrationem & hoc uoluit dicere ibi{& est credulitas qua errauerūt duæ sectæ,} idest ambæ sectæ crediderunt, quòd quicquid scitur, scitur per demonstrationem & hanc credulitatem, seu fundamentum negat Arist. Et aduertito, quòd hunc expositionis modum solus Auer. doctissimus uidit. dicit autem {sed credimus inueniri} declarat & exponit, quæ sint illa quæ sciuntur siue demonstratione & dicit ea esse prima principia, & hoc uult dicere ibi { sequitur itaque quòd scientia attingat præmissas} Amplius prosequitur exponendo textum & dicit{ac iterum quia non fit scientia sola demonstratione, } nota quòd conformiter ad Auerr. in hoc loco, nos diximus in expositione textus, quòd Arist. intendit remouere tacitam obiectionem, quomodo, scilicet ipsa principia sciantur, si non sciuntur per demonstrationem, & dicit Auer. quòd Arist. ita respondet, quòd datur scientia, quæ nō fit demonstratione, sed intellectus & hoc modo sciūtur ipsa principia, nam sexto ethi. quarto, & secundo poste. ultimo, principiorum est intellectus & hoc innuit ibi Auer. cum dicit {Sed etiam aduenit nobis}& notandum est, quòd per intellectum, non intellectus diuinus ue falsò ausūauit Philoponus, sed humanus intelligitur, & nō intellectus agens ue Themistius perperam tradidit, sed possibilis, ueluti tangit Aristo. in tex. & Auerro. in commen. & quod debeat intelligi intellectus possibilis, probatur ex uerbis Aristotel. in tex. nam dicit { quo terminos cognoscimus } dictum autem in expositione tex. quod ly, {quo} debet exponi sic, quo, scilicet intellectu, sed intellectus comprahendens terminos simplices est intellectus possibilis, & non agens, ut liquido constat in tertio de anima, ergo de intellectu humano possibili sermo Aristot. intelligi debet, quando dicit hic & sexto ethic. cap. quarto & secundo poster. ultimo, quod principiorum est intellectus, & quod intellectu apprehēdimus terminos illorum principiorum : Deinde dicit prope finem commen.{ Et intendit hic} exponit quid Aristot. intelligat in tex. per terminos, quando dicit {quo terminū ipsius syllogismi, cuius, scilicet syllogismi præmissæ sunt per se notæ. Sed ista Auerro. expositio non uidetur tuta, quoniam Aristote. uidetur loqui de terminis quibus componuntur ipsa principia, & non de medio termino syllogismi.

Circulo autē quod impossibile sit demonstrare simpliciter, manifestū est: siquidem ex prioribus oportet demonstrationem esse, & notioribus, impossibile enim est eadē sibi inuicem simul priora & posteriora esse.

Postquam Aris. respondendo probauit fundamentum illud commune ambabus opinionibus esse falsum, scilicet quicquid scitur, scitur per demonstrationem, intendit nunc destruere aliud fundamētum secundæ duntaxat opinionis: quæ ultra illud commune fundamentum, hoc etiā particulare assumpsit quod datur demōstratio circularis simpliciter. Et aduertito quod Arist. tres confecit rationes demonstratiuas ad destruendum hoc particulare fundamentum secundæ opinionis, quod scilicet non detur demonstratio circularis simpliciter. Amplius sciendum est, ad clariorem notitiam harum trium rationem, quod una quæque istarum trium rationum, duobus claudit textibus. prima quidem ratio duobus continet textus, scilicet tex. 22. 23. secunda ratio duos alios absoluitur textibus scilicet tex. 24. 25. tertia demum & ultima, duos etiam alios comprahendit textus, scilicet tex. 26. & 27. & redeundo ad primam rationem dicimus, quod Aristo. in præsenti tex. 22. erigit primam rationem, & in tex. 23. ponit replicā ad quandam ipsorum antiquorum euasionem & notabis quod Arist. antequam erigat rationem, præsupponit unū concessum ab antiquis, quod, scilicet demonstratio simpliciter procedit ex notis nobis, idest sensatis, & ex notis naturæ, idest ex prioribus in esse, & hoc præsuppositū tangitur ibi { siquidem ex prioribus, oportet demonstrationem esse, & notioribus} quo præsupposito habito arguit Arist. deducendo ipsos antiquos ad impossibile hoc modo: si præmissæ notificant simpliciter conclusiones, ergo oportet eas esse priores, & notiores, nobis, & naturæ, & cum conclusiones notificant simpliciter ipsas præmissas, oportet similiter eas conclusiones esse priores, & notiores & nobis, & naturæ: & sic sequeretur, quod idem esset prius & posterius notius & ignotius, respectu unius & eiusdem: quia præmissæ quatenus notificant conclusionem, sunt priores & notiores nobis & natura: quatenus uero notificantur, a conclusionibus efficiuntur ignotiores & posteriores, & sic idem respectu eiusdem erit prius & posterius, notius & ignotius, & secundum eundem modum considerandi ut tangit Auerro. sicuti dicemus in commen. Sed hoc est falsum & impossibile, ergo est impossibile circulariter demonstrari & hoc modo exponi & erigi debet hęc prima ratio ex hoc tex. quem utique exponendi modum cæteri expositores non uiderunt. & dicitur ratio posterioristica.

Commen. 22.

Cum hæc secunda secta. } Auer. longe melius quam alii expositores, duo facit in hoc commen. primo continuat, & secundo exponit. & continuando, notat illud fūdamentum quod sumit Aris. concessum ab ipsis antiquis (ut diximus in tex.) quod, scilicet demonstratio simpliciter procedat ex prioribus & notioribus nobis & naturæ siue procedatur a præmissis ad conclusiones, siue a cōclusionibus ad præmissas per circulationē, & hoc tangit Auerroes in principio commento, cum dicit{cum hæc secunda secta ponat demonstrationem fieri } Et sic continuando dicit Auer. quod postquam antiqui ex secunda secta posuerunt pro fundamento, dari circularem demonstrationem simpliciter, nunc Arist.{incœpit commonstrare destructionē essendi demonstrationem reciproce procedentem,} idest incœpit demonstratiue destruere demonstrationem circularem probando quod sit impossibilis demonstratio circularis simpliciter. Et aduertas, quod continuatio ista iuxta Auerro. mentes, facilius & clarius, & breuius habetur in trāslatione Buranæ, Quæ enim Abrahamus obscurius dixit, in Buranæ trāslatione clarius explicata inuenies, nedum in hoc commen. sed in singulis quibuscunque aliis huius lib. commentariis. Et cum dicit Auerro. } primo quatenus est demonstratio { aduertas, quod Auer. in iis uerbis hoc uult innuere quod Arist. intentio est ostendere circulum esse impossibilem in demonstratione simpliciter, non autem in syllogismo, quoniam contra hoc militant & concludunt rationes Aristo. quod sit impossibile dari circulum in demōstratione simpliciter, non concludunt quod non possit dari circulus in syllogismo, & hoc uoluit explicare Auer. doctissimus in supradictis uerbis. Et ulterius animaduersione dignum est, quod Auerro. intimius & radicitus Arist. uerba perlu

Expositores ferè omnes ita continuare uidentur quod postquam Arist. primam fecit rationē aduersus antiquos ex secunda secta, quod sit impossibilis circularis demonstratio simpliciter, nunc secundam contra eosdem, ad idē probandum erigit. Sed proculdubio errant, quoniam hæc secunda ratio, per se destruit syllogismum, eiusq; notitiam, & per accidens demonstrationem & scientiam, nā idem per idem monstrare cum sit petitio principii ex secundo priorum cap. 17. destruit syllogismum per se & principaliter, & per accidens demonstrationem, cum igitur expositores non distinxerint inter per se & per accidens inartificialiter locuti sunt, ars enim non nisi ea quæ per se sunt, curat, & non quæ per accidens sunt. Ideo Auerroi astipulantes aliter continuandū esse dicimus, q ubi Arist. demonstrauit per primam rationem posterioristicam, esse impossibilem circulum in demonstratione simpliciter. nunc per secundam rationem prioristicam intendit probare, circulum neque etiam esse possibilem in syllogismo, ex hoc medio prioristico, quia petitio principii secundo priorum cap. 17. principaliter syllogismi naturam destruit, & per accidens demonstrationes, aliasq; ipsius syllogismi species. Sed aduersus hanc nostram continuationem, quis obiicere posset, quoniam non intendit Arist. loqui de syllogismo in hoc libro, ergo neque dicendum est, quod ipse Arist. secundam construxerit rationem ad probandum non dari circulum in syllogismo. Dicendum est cum Auerroe in comment, quod licet non sermo sit de syllogismo in hoc lib. uoluit tamen repetere, habitum induens prioristicum, & ad bonitatem doctrinæ, ad uersus antiquos: sicuti etiam dicimus in expositione commenti. Et scito, quod quamuis hæc secunda ratio sit prioristica, nihilominus dici potest posterioristica, quoniam destruit etiam naturam demonstrationis. Et tandem concludimus quod Arist. per has duas uoluit probare, quod ratio circularis non solum non est demonstratiua, sed etiam neque syllogistica, & non mirum esse debet, quod ratione prioristica utatur hic contra antiquos, quoniam in sexto tex. contra sophistarum responsionem arguendo, (ut quidem expositores ibi scripserunt) nedum posterioristica, sed etiam prioristica usus est ratione, licet nos ambas ad unam deduxerimus, ut expositione tex. sexto annotamus. Amplius scire uolumus, quod duobus etiam clauditur textibus præsens textus. Et aduertas quod hæc secunda ratio hoc modo fit, si daretur circulus, tunc sequeretur quod nihil aliud esset dicere, quam hoc est, quia hoc est, id est probare idem per idem, unde sic facile esset omnia probare, & hoc est quod dicit Aristo. in principio tex. {Sed nihil aliud dicere} Et notato quod Arist. uidetur continuare se ipsum ad tex. præcedentem, & formare rationem præsentem ut diximus. Sed animaduersione dignum est, quod nō potest intelligi, quomodo sequatur & ualeat ista consequentia, quam facit Arist. in hac secunda ratione, si daretur circulus, tunc nihil esset dicere, quam probare idē per idem, si annotentur omnia præsupposita quæ Arist. in tex. innuit. Primum est, quod quicquid est causa causæ, est causa causati. & hoc explicat Arist. ibi. {Hoc accidit, tribus terminis positis} & notandum quod hoc primum præsuppositum continetur in tex. 24. non enim de alio loquitur Arist. in hoc tex. 24. nisi de hoc primo præsupposito: & declarans eum, dicit, quod debeat accipi tres termini. a. b. c. dicens quod si ex. a. sequitur b, & ex b. sequitur c, consequens est quod ex a sequatur c, præsuppositū dictū, quod quicquid est causa causæ est causa causati, & dicit Arist. quod facere. {reflexionem} idest circulum per plures, aut p pauciores terminos nihil refert, & uult dicere hoc modo, quod circulus ipse quantum ad uim argumentandi, siue per paucos terminos, siue per plures fiat, non refert. t. siue accipiantur tres termini, siue duo termini, semper idem uidetur inferre idem, & subdit Aristote, {hoc enim erat circulo demonstrari} idest cum idem probetur seu inferat idem, est facere circulum; & sic patet primum præsuppositū ex hoc tex. & non potest intelligi adhuc quomodo ualeat consequentia, quam facit Arist. in sua ratione, nisi in fine sequentis tex. ut dicemus ibi, nam oportet etiam aliud annotare præsuppositum, de quo sermo erit in principio tex. sequentis, & nisi hoc modo exponeretur textus iste. nequaquam intelligi posset, & dicāt alii expositores, quicquid eis libuerit.

Commen. 24.

Cum ostenderit impossibilem esse reciprocationem.} Antequam hoc præsens commen. à nobis diuidatur, primus lectores monere uolumus quod illa uerba in calce commen. {Et postquam enunciauit} Non sunt de essentia comment. sed indicant continuationem tex. 25. & hoc uitio translatoris factum esse diximus etiam in expositione commen. nom & in quam plurimis quoque comment. hanc malam partitionem, contra Auerrois uotum factam esse inuenies. Hoc prenotato, ad comment. diuisionem deueniendo dicimus, quod Auer. præsens comm. in duas partes secatur, in partem continuatiuā & expositiuam, continuat igitur Auer. Cū dicit. {Cum ostenderit impossibile} Et continuatio fiat secundum Auer. eo modo, quo diximus in tex. nam Auer. continuationem secuti sumus, & summa continuationis hæc est, quod postquam Arist. probauit, quod circulus non potest fieri in demonstratione simpliciter, quatenus est demonstratio simpliciter, hoc probaue supple tu per rationem posterioristicam, tunc intendit probare per rationem, scilicet prioristicam, quod ipse circulus, neque est possibilis, ut sit syllogismus. Et subdit Auerro. } & tanto minus esse demonstratiuum, } idest si ipse circulus non est syllogismus, neque etiam erit demonstratiuus. Sed quia quispiam posset dicere, quod non oportebat Aristot. probare in hoc libro posterio. ipsum circulum non esse syllogismum, quoniam iam in lib. priorum illud probauit, ideo Auer. uidens hanc obiectionem dicit. {& iam explicauerat hoc} in quibus uerbis mouet dubitationem istam. Sed cum dicit {Sed repetit hic illud} Dat Auerro. responsionem ad supradictam dubitationem, dicens uerum esse, hoc fuisse dictum ab Aristo. in libro priorum, sed Arist. uoluit repetere illud in hoc libro, tum ut magis concluderet contra antiquos, cum etiam ad bonitatem doctrinæ, ueluti etiam diximus in nostra continuatione. Placet nobis, prius exponere quædam uerba Auerrois, quæ tetigit ipse in principio commenta, dando cōtinuationem, antequam accedamus ad expositionem, quam ipse tangit exponendo textum, et uerba sunt ista. {Et q possibile sit occurrere reciprocationem, inter demonstrationem causæ & demonstrationem essendi} in quibus uerbis clare ipse Auer. confitetur dari circulum inter demonstrationē propter quid & quia tantum. Et cum subdit Auer. {Et q nequeat} aduertito quod nullo modo ipse Auerro. concedit quod circulus fiat in demonstratione simpliciter, ita quod uult ipse, quod non solum ambo processus non debent esse demonstratio simpliciter, sed etiam nullus ex ambobus processibus debet esse demōstratio simpliciter, & hoc uoluit dicere ibi, {Aut cum alia demonstrationis specie} & hoc idem tetigit ipse Auer. in comm. 23. Vlterius animaduersione dignum est, quod circulus non datur inter ambos processus, qui sunt demonstratio propter quid, quia tunc idem respectu eiusdem, & secundum eundem modum, esset prius, & posterius, & notum, & ignotū natura: sicut iam probauit Auer. optime in comm. 22. declarando, quare circulus non potest dari inter ambos processus, qui sunt demōstratio simpliciter. Neque etiam datur inter ambos processus, cum fuerint demonstratio quia, si quis tamen uberrime

scire cupit quomodo fiat iste regressus demonstratiuus, legat quæsitum nostrum. Et cum dicit { Nihil enim refert dicere } aduertas quod Auer. exponere uidetur illa uerba tex. nostri. { Per plures uerò aut per pauciores reflexionem dicere, nihil differt } Et exponit ipse per pauca habere, syllogismum simplicem. & per plura habere, intelligit syllogismum compositum. & dicit quod Aristot. uult dicere sic in illis uerbis supradictis, quod. Hæc res ita est euidēs, } idest ita ipsa circulatio comprehenditur in syllogismo simplici, sicuti in composito, & Auerro. in textu suo habent { Neque differt dicere eam esse paucarum rerum, aut inter duas res } Sed tamen concludit Auerro. quod quanto pauciores fuerint præmissæ, tanto euidentior & clarior erit reciprocatio seu circulatio, & hoc monuit Auerro ibi quando dicit. { Verum tamen quanto pauciores &c. } Prosequitur deinde ipse Auer. exponendo textum, & dicit. { Hæc quidem oratio fert duas expositiones } Et aduertas quòd Auer. intelligit illam partem tex. in qua dicitur. { Quando enim a existente, ex necessitate erit b } Et dicit Auer. quod a, b, c, possunt exponi dupliciter, prima expositio, quod a significet præmissas, & b significet conclusionem. & notato quod Auerro. præsupponit quod a, & c, sint idem, & sicuti a significat præmissas, ita c significet præmissas, & illa prima expositio tangitur ibi cum dicit, { Vna quod a capiatur uice præmissæ syllogismi } Et secundam expositionem tangit ibi. { Et contingit quòd acceperit } Et Auer. in hac secunda expositione, per a intelligit minorem extremitatem, & per b medium terminum, & per c maiorem extremitatem & parum post subdit Auerro. utranque expositionem esse ueram { Et utraque expositio est apud me uera } Et tota iam patet litera Auerro. Sed cum dicit in calce comment. { Et postquam enunciauit } iam monuimus in principio comment. quod hæc uerba sunt continuatio sequentis tex.

Ponatur a in quo c, igitur b existente, a esse dicere, est c esse dicere. hoc autem, quoniam a existente, c est: c uerò ipsi a idem est, quare contingit circulo dicentes esse demonstrationem, nihil aliud dicere, quam quoniam a est a, sic autem omnia demonstrare facile est.

Vbi Arist. posuit & declarauit primum præsuppositū, ut facilius & clarius intelligatur secunda ratio, in præsenti tex. alterum ponit præsuppositum, sine quo haudquaquam intelligeretur huiusmodi secunda ratio. Et aduerto quod secundum præsuppositum dependet à primo, nam pro primo præsupposito intelligendo & declarando, quomodo, scilicet sit uerum, quòd quicquid est causa causæ, est causa causati, assumpsit Arist. illas tres literas a, b, c, & nunc pro secundo præsupposito, sumit quòd a, & c sunt idem, & hoc præsuppositum explicauit ipse in principio tex. cum dicit. { Ponatur a in quo c, } idest secundum præsuppositum sit hoc, quòd a, &c. sint idem, tunc stantibus & concessis iis duobus præsuppositis (quorum primum fuit declaratum in tex. præcedenti, secundum uerò in hoc præsenti textu) hoc modo erigi debet hęc secunda ratio prioristica: si daretur circulus, tunc idem esset causa sui ipsius, quoniā quicquid est causa causæ est causa causati, nam si a est causa b, & ipsum b est causa c, ergo a est causa ipsius c, patet hoc per primum pręsuppositū, & tunc sequitur aliud, quod si a est causa ipsius c, erit etiam ipsum a causa sui ipsius, & hoc patet per secundum præsuppositum, quod a, & c sunt idem, & si sic est, tunc concludit Aristote. { quare contingit circulo dicentes esse demonstrationem nihil aliud dicere, quam quoniam a est a, & facile esset omnia monstrare hoc modo.

Hæc diximus circa crassam huius tex. mineruam breuiter hanc secundam rationem formando. Sed ad uberiorem doctrinam pro hac secunda ratione iterum formanda, quædam prænotanda sunt, ex declaratione illius uerbi positi nedum in textu præsenti, sed in te. præcedenti, quid Aristo. intelligat per rationem facilem cum dicit { sic autem omnia monstrare facile est } Vnde pro intellectu horum uerborum, dicendum est, quod Arist. per rationem facilem intellexit, rationem leuem & uulgarem, & non scientificam, sed inartificialem ita quod ratio leuis & facilis est illa, quam sciunt uulgares, & ratio inartificialis est, qua non utitur ars, nec docet causam, & colligitur hoc ab Aristote. in primo metaph. ubi dicitur quod facile uulgatum non pertinet ad artem, sed solum difficile, ut patet secundo poster. siquidem quæ sunt manifesta omnibus sensibus, & uulgaribus ars spernit, quia ad eam non spectant, & hoc uoluit dicere Aristote. in primo tex. de gener. tex commen. septimo uocando rationem facilem non scientificam, & inartificialem, nam dicit ibi, quod ad pauca respicientes faciliter enunciant, idest non scientifice, & inartificialiter probant. tunc stante hac declaratione quid intelligatur per rationem facilem, arguit sic Aristot. aduersus antiquos: si daretur circulus seu regressus in artibus, tunc nihil aliud probaretur, quam a est si a est, sed ista ratio, per præsuppositum declaratum, est ratio facilis, uulgaris. & inartificialis, ergo regressus circuli positus ab ipsis antiquis, est leuis, uulgaris, & inartificialis, & sic non pertinet ad artem. consequentia probatur, quoniam probatur idem per idem, ut a est, quia a est, & clarius patet hoc probatum ab Aristo. in secundo priorum cap. 17. ubi connumerantur duo syllogismi qui faciunt ad regressum, primus est omne b est a, omne c est b, ergo omne c est a. Secundus syllogismus, quo fit regressus est talis, conclusione prænota, & accepta pro prima præmissa, ut omne c est a. & pro minori sumatur conuersa alterius minoris omne b est c. & pro conclusione sumatur maior prioris syllogismi, ergo omne b est a, & sciendum quod isti duo syllogismi regulantur per dici de omni, hoc modo: primus syllogismus regulatur sic. c est quia b est, & b est quia a est, ergo a primo ad ultimum. c est quia a est. secundus uerò syllogismus regulatur contrario modo, a est quia b est, & b est quia c est, ergo à primo ad ultimum, optimè concludit Aristo. in hoc tex. a est quia est, & hunc exponendi modum Philoponus & latini non animaduertetunt.

Commen. 25.

Dicit dum compositio reciprocæ. } Continuatio non ponitur ab Auerro. in hoc commen. quia ea patet in calce præcedentis commenti, ueluti ibidem annotauimus, breuibus igitur se expediens Auerro. literalem duntaxat posuit expositionem. continuatio est quam ponit in comme. 24. { Et postquam enunciauit } Notandum quòd huiusmodi continuatio clarius percipitur ex translatione Buranæ, unde uult dicere Auerro. quod postquam Arist. enunciauit secundum quam dispositionem, idest quo pacto debet erigi secunda ratio contra antiquos, nunc prosequitur suam declarationem, ut, scilicet secundam concludat rationem: & nisi hoc modo exponerentur uerba Auer. non esset ad propositum eius continuatio. Reliqua quæ dicit circa tex. expositionem cum clara sint, nostra non egent expositione, siquis tamen Auerro. hanc expositionem, quam ipse facit exponendo tex. Aristote. locupletare uoluerit, addat & suppleat, ut supra exarauimus. Neque etiam Auer. impingendum est, quod eius continuatio in hoc comm. non fuerit conscripta, sed translatoris uitio factum esse credito.

At uerò

At uerò neque hoc possibile est, nisi in his quæ se inuicem consequuntur, sicut sunt propria. uno quidem igitur posito, ostensum est quod nequaquàm necesse est, aliquod esse alterum. dico autem uno, quoniam neque termino uno, neque positione una posita: ex duabus autem positionibus primis, minimis, siquidem contingit & syllogizare: si igitur a quidem ad b, & ad c sequatur, & hæc ad inuicem, & ad ipsum a, sic quidem ex inuicem demonstrare omnia quæsita in prima figura, ut dictum est in ijs, quæ de syllogismo. ibi enim ostensum est, quoniam in alijs figuris, aut non fit syllogismus, aut non de acceptis.

Quidam latinorum ita continuant, quòd postquã Arist. fecit duas rationes aduersus antiquos, nunc intendit eos increpare & repræhendere ex eo quòd, malè argumentati fuerunt, ex singulari inferendo uniuersale, idest ex hac particulari propositione, quòd conuertibilia possunt circulo demonstrari, intulerunt hanc propositionem uniuersalem, igitur omnia possunt circulo demonstrari: & sic uolunt Suess. & alij, quod Arist. intendat nunc ostendere ipsos antiquos defecisse in malo arguendi modo. Sed facile est ostendere, ipsum Suess. & sequaces errasse, cum Arist. uerba non innuant hoc, quòd, scilicet intentio Arist. sit manifestare, eos tantum defecisse in modo arguendi. Ideo quicquid ipsi & alij dicant, sic clare & distinctè, continuatio fieri debet, quòd ubi Aristot. duas edidit rationes aduersus antiquos ex secunda secta, unam posterioristicam, alteram uerò prioristicam, quòd non detur regressus seu circulus; nunc tertiam construit rationem, qua probatur aduersus eosdem, quòd non omnia sciantur demonstratiuè per circulationem, & huius continuationis causa iam clara est, nam ipsi antiqui ex secunda secta, duo asserebant, primum quòd datur regressus: secundum, quòd omnia sciuntur per regressum. Qua propter cum Aristo. funditus euerterit primum eorum dictum duabus rationibus, consentaneum erat, secundum eorum similiter dictum delere, & sic tertiam erigit Arist. rationem ad illud delendum, & scire uolumus, quòd tertia hæc ratio, duobus etiam textibus clauditur, sicuti duæ supradictæ, ut iã notauimus. Sed antequam formaliter erigatur hęc tertia ratio Arist. primitus animaduertendum est, quòd Arist. in hoc tex. 26. prius proponit, quædam necessariò prænotanda, & deinde in tex. 27. format rationem ex illis prænotatis. ponit igitur in hoc tex. 26. quatuor prænotanda, ex quibus dependet intellectus tertiæ rationis. Primum prænotandũ est istud, quòd syllogismus circularis non potest fieri nisi in terminis conuertibilibus, ut dictum est in secundo priorum cap. quinto, & hoc prænotandum tangit Arist. in principio huius tex. 26. cum dicit { At uero neque hoc possile est &c. } Et scito per ly, { propria } debere intelligi secundum Arist. ueluti iam notauit Auer. subiectum proprium, & definitionem, quæ dicuntur propria, idest conuertibilia, sicuti etiã inferius annotabimus quid sit prædicatum proprium, & primum in commen. 36. contra Alpharabium, & in quæsito de medio demonstrationis multa etiã diximus de prædicato primo cõtra Alpharabium, & quid sit secundum Auer. Secundũ præsuppositum tale est, quòd syllogismus circularis non potest fieri ex uno termino tantum, neque ex una propositione tantũ, sed necessario ex tribus terminis, & duabus propositionibus. hoc præsuppositum patet declaratũ in secundo priorum cap. quinto & sexto & tãgitur in tex. ab Arist. cum dicit { Vno quidem igitur posito } & dicit Aristote. ibidem. { Ex duabus propositionibus primis & minimis, } idest ad minus ex duabus propositionibus constat syllogismus, & non intelligi debet, quòd propositio sit minima. & dicuntur illæ propositiones primæ idest præmissæ, & prius positæ ante, scilicet conclusionem, quæ ad minus, idest quæ præmissæ non possunt sumi in syllogismo pauciores & in numero binario, & omnes cæterorum expositorum interpretationes, superfluas esse censemus, cum sint extra Arist. mentem. Tertiũ præsuppositum hoc est, quòd syllogismus non potest fieri, nisi in prima figura, & in primo modo primæ figuræ: hoc præsuppositum, declaratũ fuit ab Arist. in secundo prior. cap. quinto, sexto, & septimo, & tangitur in textu præsenti, cum dicitur ibi { si igitur à quidem ad b & ad c sequitur } Et aduertas quòd Philoponus nititur declarare quomodo in alijs figuris, non fiat circulus, nisi tantum in prima, sed cum nostrum excedant propositum, prætermittenda putauimus: nam hæc tria præsupposita, sumit hic Arist. declarata ex propria intentione, in proprio loco, scilicet in secundo lib. priorum cap. quinto, sexto, septimo, quapropter siquis diffusius ea scire cupit: legat Arist. secundo priorum supradictis tribus capitibus. Quartũ prænotandum est quòd antiqui dixerunt, dari regressum ut omnia sciantur, & licet hoc prænotandum formaliter nõ sit in uerbis Arist. in hoc tex. 26. tamen uirtualiter cõtinetur ut patet per tex. superiores, & hoc modo debet ordinari tex. iste 27, & non sicuti Suess. qui secus Arist. mentẽ intelligens, alio modo ordinare conatus est, & præter Arist. & Auerro. uota,

Commen. 26.

Ex quo ij censent reciprocam. } Istud comm. est facilis intellectionis, & in duas partes secatur, in continuatiuam. s. & expositiuã. Continuat in principio, & exponere incipit ibi { Et dixit rursus impossibile } Quo ad continuationem igitur uult sic dicere Auer. ꝙ postquam Arist. ostendit circulum esse impossibilem, & contra ipsos antiquos, & quia ipsemet antiqui dicet Auer. { ex quo ij censent, } idest cum ipsi antiqui, dixerint etiam, quòd omnia sciantur per demonstrationem circularem { intendit iterum hoc commostrare quòd hoc sit impossibile. } idest intendit nunc ipse Arist. tertiam facere rationem, ꝙ impossibile sit omnia sciri per regressum, & utraque translatio tàm Abrahami quàm Burane hoc innuere uidetur secundum rem, licet aliqualis differentia uerbalis inexistat: Et cum dicit { Et dixit rursus impossibile est } incipit exponere textum. Verum ut facilius, clariusue intelligatur, quod dicit Auer. distinguito hoc comm. in tria, secundum quatuor præsupposita, quæ Arist. præsupponit in tex. antequã formetur tertia ratio, ueluti diximus in expositione textus. Vnde cum dicit { reciproca enim demonstratio } tangit primum præsuppositum, ut diximus in tex. quòd scilicet syllogismus circularis non potest fieri, nisi in terminis conuertibilibus, ut patet iam in secundo priorum cap. quinto. & quando dixit { Sed ex paucissimis fit demõstrationibus } secundum tangitur præsuppositum, quòd scilicet syllogismus circularis non potest fieri ex uno termino tantum, neque ex una propositione tantum, sed necessario ex tribus terminis & duabus propositionibus, ueluti docuit iam Aristote. secundo priorum cap. quinto. et non oportet immorari circa expositionem uerborum Auerro. in commen. nam ex se patent: Cum dicit { Dixit uerò in prima figura } Tertium declarat præsuppositum, quod tale est, quòd syllogismus circularis, non potest fieri, nisi in prima figura, & in primo modo eiusdem, ueluti Aristo. secũdo priorum cap. quinto, sexto, septimo, & hoc modo secando præsens commentum, clarissimè percipitur tota Auer. expositio,

Quae uerò non mutuò praedicantur, nequaquam est demonstrare circulo. Quare cum pauca haec in demonstratione sint, manifestum est, quòd & uanum, & impossibile sit ex iis quae sunt ad inuicem esse demonstrationem, atque propter hoc contingere omnium demonstrationem esse.

Postquam Aristo. in praecedenti textu quatuor praenotanda praelibauit, in praesenti textu intendit erigere tertiã rationem ex illis quatuor praesuppositis, quae talis est, ille processus est inutilis, uanus, & impossibilis, per quem non scitur finis totalis, ob quem ponitur ille processus, sed regrediendo à conclusione, non possunt sciri omnes praemissae, sed solum quae sunt conuertibiles, ergo sequitur contra antiquos quòd regressus non facit scire omnia, & ex consequenti talis regressus est uanus, inutilis, & impossibilis, & ideo optimè conclusit Arist. in fine tex. { manifestum est, quòd & uanum, & impossibile. } Et tota litera clara est. Quaerunt expositores omnes in praesenti loco, utrum detur regressus demonstratiuus, & in multos prolabuntur errores, nos in quaesito nostro de regressu demõstrationis uberrimè et fusissimè diximus quid sentiamus, quare non est, ut hoc loco aliud hac de re repetamus.

Commen. 27.

Dixit quando res non conuertuntur. } Auerro. praetermittens continuationem in hoc commen. tanquam claram, breuibus tex. expositionem absoluit, & exponens tex. dicit demonstrationem circularem concedendam esse in iis quae sunt ad inuicem, & non de omnibus rebus, ueluti antiqui tradiderunt. Hinc sequitur Suess. non caret reprehensione qui ad aures Aristo. tueri uoluit, nullo modo demonstrationem circularem esse possibilem, sed pro hoc legito diffusissimè in quaesito nostro de regressu demonstratiuo.

Quoniam autem impossibile est aliter se habere id cuius est scientia simpliciter, necessarium utique erit scibile, id quod secundum demonstratiuam scientiam est: demonstratiua autem est, quam habemus in habendo demonstrationem: ex necessariis itaque syllogismus est demonstratio: accipiendum ergo ex quibus & aliquibus demonstrationes sunt.

Quod sunt expositores, tot ferè sunt continuationes, & expositiones diuersae circa praesentem tex. Nos breuitati studentes, insigniores famosioresq; in medium afferemus, ut ex earũ recitatione uerior appareat, & habeatur continuatio. Philop. & eius assecla Suess. in hunc modum continuant. Postquam philosophus redarguit antiquos utriusque sectae, tam eos qui nullius demonstrationem esse dicebant, quam eos, qui omnium demonstrationem esse supponebant, nunc consequenter & ordinatim redit ad illud declarandum quod ab initio inceepit, quid nam sit demonstratiua scientia. sed quoniam hoc sciri non potest nisi sciamus quorum est demonstratio & de quibus est demonstratio, resumit sermonem de iis, & declarat subiectã materiam. Sed haec continuatio pluribus de causis diminuta esse uidetur, prima causa est, quia Arist. non reuertitur ad declarandum quid sit scientia demonstratiua, cum intendat tantum loqui de conditionibus praemissarum demonstrationis simpliciter, ueluti diffusius saepe saepius superius enucleauimus, & signanter in expositione comm. 17. ad Auer. aures annotauimus. Secunda est, quia non particularem assignat rationem, cur Aristo. uelit demonstrationem esse ex necessariis, oportet autem ut declaretur, ex quo moueatur Aristo. ut dicat demonstrationem habere hanc conditionem, ut sit ex necessariis. Sed clarior etiam huiusmodi impugnatio aduersus Philoponum apparebit, ex nostra uera continuatione: & quicquid concluderur contra Philoponum, & aduersum Suessanum concludet, cum eius ferè semper sequatur opinionem. Diuus Thomas ita continuat do asserens quòd postquam philosophus ostendit quid sit syllogismus demonstratiuus, in parte ista incipit ostendere, ex quibus & qualibus fit. Sed pace eius dicimus ipsum à mente Arist. alienum esse, primò quidem, quia (ut diximus) Arist. intentio non est in praesenti libro posteriorum declarare, neque quid sit syllogismus demonstratiuus neque probare & ostendere necessitatem ipsius syllogismi demonstratiui, ueluti bis superius aduersus diuum Thomam animaduertimus, scilicet in textu primo, & in continuatione tex. septimi. Secundò errat quia confusè loquitur, non specificando de quo, aut quali requisito loquatur Arist. in hoc textu. 28. nam nos quaerimus intentionem particularem in hoc tex. particulari, & non intentionem totius capitis sicut eam proponit diuus Thomas. Tertiò errat, quia non dat causam intentionis, cur Arist. haec intendat. Ægidius Romanus, duplicem assignat continuationem, & utranq; falsam, ut ostendemus. Prima eius continuatio talis est ꝙ postquam Aristote. ostendit quod demonstratio est ex primis & ueris, in parte ista declarat ex quibus et ex qualibus primis, & ex quibus, & ex qualibus ueris habeat esse demonstratio, & assignat rationem ipse Ægidius, quia non sufficit scire demonstrationem esse ex primis & ueris, nisi sciuerimus quae, et qualia sunt illa prima, & non contentus hac prima continuatione, subdit secundam, dicens postquam ergo philosophus determinauit de iis quae sunt materialia respectu demonstrationis, quia ostendit demonstrationem esse, ex primis & ueris, in parte ista determinat de iis quae sunt formalia ostendens ex quibus, & qualibus ueris sit demonstratio, quia est de omni, per se, & secundum quòd ipsum. Verum probamus utrasque has continuationes esse contra Aristote. mentem, & primò arguitur contra primam, quoniam Aristote. intendit loqui de alia conditione ab illis quas posuit superioribus textibus, loquitur enim de necessario, docens ex quo & quali necessario debent esse praemissae demonstrationis simpliciter, & sic non loquitur ex quibus, & ex qualibus primis & ueris debet esse demonstratio: Praeterea, mirum est cur potius ipse Aristote. (ut dicit Ægidius) uelit declarare ex quibus & ex qualibus primis & ueris constat ipsa demõstratio, & non doceat ex quibus & ex qualibus causis & ex quibus, & ex qualibus immediatis, & sic de aliis supra dictis conditionibus, reiicienda igitur uenit huiusmodi cõtinuatio. Neque etiam secunda ipsius Ægidii continuatio uera esse aliquo modo potest, quoniam omnes conditiones praemissarum demonstrationis simpliciter, habent rationem materiae, nam esse necessarium est conditio materialis, & non formalis, & similiter dicendum est de hisce tribus conditionibus, scilicet de omni, per se, & secundum quòd ipsum, quae sunt conditiones ipsius necessarii, ut dicemus in expositione commen. et in commen. 29. hoc idem tangetur, & clarior patebit impugnatio utriusque continuationis Ægidii, cum nostra declarabitur continuatio. Paulus Venetus secundam Ægidii Romani sequens continuationem, breuibus se expediens dicit ꝙ postquàm philosophus inuestigauit ex quibus ex demonstratio materialiter, tunc determinat ex qualibus est formaliter. Vltra impugnationem, quam aduersus Ægidium adduximus, hoc quoq; modo posset reprehendi quoniã Arist. ut dicit in textu, intendit loqui ex quibus, et ex qualibus, ergo non tantum ex qualibus fit ipsa demõstratio, sed etiã ex quibus fit. hę sunt famosiores cõ

tinuationes,

tinuationes, ad quas omnes aliæ cum reduci possint, non opus est, eas impræsentiarum recensere. Sed hic, & alijs postpositis omnibus pro uera, & peripathetica continuatione sic dicendum putamus, quòd postquàm Aristo. digressus fuit contra antiquos perperam sentientes de ipsa demonstratione, nunc reuertitur ad declarandam aliam conditionem præmissarum demonstrationis simpliciter, eas, scilicet esse necessarias. Et causa huius continuationis talis est, quoniam declaratæ fuerunt omnes aliæ conditiones ipsarum præmissarum demonstrationis simpliciter, scilicet eas esse, ueras primas, immediatas, priores, & notiores, & causas, nunc declaranda remanebat ista alia conditio. s. præmissas esse necessarias, & ideo non absoluit eam declarare. Sed dubitabis & pulchrè, quomodo cognoscitur, quòd esse necessarium sit conditio præmissarum demonstrationis simpliciter? Respondetur, quod cognoscitur ex regula ista (quam in textu primo, & in tex. septimo, octauo, & nono tetigimus) quòd artifex ex conditionibus finis præcognitis, elicit, & uenatur omnes conditiones instrumenti, quo peruenitur ad illum finem, hanc regulam docuit Aristo. in tertio ethico. cap. sexto, & septimo metaphysico. 23. sed scire est finis præmissarum demonstrationis simpliciter, ut est superius abunde declaratum in tex. septimo, octauo, & nono, ergo ex conditionibus ipsius scire, colligere debemus conditiones ipsarum præmissarum demonstrationis simpliciter, quæ sunt instrumenta ad ipsum scire, tunc prosyllogizatur, sed inter alias conditiones, quas posuit Arist. in definitione ipsius scire, est quòd non contingat aliter se habere, idest, quòd sit necessaria causa, ueluti supra etiam declarauimus in definitione scire in tex. septimo, & ista particula non fuit declarata, ut patet iam, ergo necessario declaranda erat, merito igitur Arist. uoluit eam in præsentia declarare, unde patet continuatio & causa continuationis. Amplius adnotandum est, quòd sicuti sunt uariæ huius tex. continuationes, ita uarias comperimus expositiones, quæ cum sint facilioris impugnationis, nostra non egent impugnatione, ideo antequam ad tex. expositionem deueniamus, animaduersione digna duo sunt: primum est, quòd Aristo. nedum in hoc tex. intendit dicere præmissas esse necessarias, sed etiam probare intendit, quòd ipsæ præmissæ sunt necessariæ: Secundum uerò tale est, quòd Aristo. eodem probandi modo utitur hic, quòd præmissæ sunt necessariæ: sicuti usus fuit in tex. 10. cum probauit, quòd præmissæ debent esse ueræ: nunc stantibus hisce præsuppositis, sic probat Arist. quòd præmissæ sint necessariæ. conclusio est necessaria, ergo præmissæ debent esse necessariæ, sic probauit Aristo. textu decimo, quòd præmissæ sint ueræ. conclusio est uera, ergo præmissæ sunt ueræ. Et aduertas quòd Aristoteles per illud {Cuius est scientia simpliciter. & impossibile est aliter se habere} intelligit conclusionem. & per {id quod secundum demonstratiuam scientiam est} intelligit præmissas. Vnde Arist. infert conclusionem dicens {ex necessariis itaque} idest si conclusio est necessaria, & præmissæ necessariæ debent esse: Et quia necessarium multiplex est, ideo Arist. subdidit {Accipiendum ergo est ex quibus} Quasi uelit dicere, cum multæ requirantur conditiones, & proprietates, ad hoc ut præmissæ dicantur necessariæ, erunt etiam declarandæ, quæ, & quales debent esse conditiones, & proprietates ipsius necessarii, ut sciamus discernere præmissas necessarias a non necessariis, ut tangit Auerro. in calce commen. antecedens supradictum, scilicet conclusio est necessaria, iam patet. consequentia etiam patet, quoniam sicuti uerum non nisi ex ueris per se, ita necessarium non nisi ex necessario, per se. Vlterius aduertas quòd Aristo. eodem modo intellexit hic de necessariò sicuti ipse dixit in tex. septimo, & propterea illuc recurrito, & reiicito quæ hic asserunt latini, & Græci contra Arist. mentem. Expositores quærunt, an necessarium sequatur ex contingentibus, Sed quia similes sunt huiusmodi dubitationes illis, quas adduximus in tex. 10. an uerum ex falsis contingat sequi. & multa illic recensuimus in expositione comm. 10. propterea pro uera nostra opinione dicendum est, sicuti ibi declarauimus, ideo legito quæ ibi exarauimus, superfluum enim est, eadem toties exarare: multæ aliæ particulæ textus patebunt in comm. expositione.

Commen. 28.

Postquàm iam ostensum est.} Duo itidem facit Auer. in hoc comm primo continuat, & secundo exponit, ibi {Et dixit notum autem est} Quo ad continuationem igitur Auer. dicit hoc modo, quoniã declarata fuit definitio demonstrationis, quòd oportet, ut præmissæ habeãt istas omnes conditiones, quòd sint causæ, primæ. ueræ immediatæ, notiores, & priores, & necessariæ, & quia dictum declarauit de aliis conditionibus, & non dixit ipse Aristo. quomodo præmissæ debent esse necessariæ, ideo ad complendum sermonem de omnibus conditionibus præmissarum, uult declarare quomodo præmissæ debent esse necessariæ, & cum dicit {Et ille est epithetus, qui inter} aduertas quod ista uerba Auer. possunt dupliciter exponi, uno modo secundum translationem Buranæ, quod Aue. uelit dicere, quod ista conditio, scilicet esse necessarium, est fundamentum omnium aliarum conditionum supradictarum, & hoc uoluit dicere in his uerbis Burana {quæ sunt conditiones procedentes, a reliquis conditionibus per modum fundamenti} alio modo potest exponi secundum translationem Abrahami dicentis {Et ille est epithetus, qui inter cæteras conditiones gerit uicem conceptionis} quasi Auer. uelit sic dicere, quod esse necessarium, est definitio ipsarum præmissarum demonstrationis simpliciter: sed esse priores, notiores & causas &c. non sunt definitiones, sed sunt proprietates, & cõditiones ipsarum præmissarum, sed prima expositio per conceptionem intelligendo fundamentum, ut transtulit Burana, uidetur uerior, & conformior uerbis Aristo. quoniam ut etiam dicemus in expositione tex. sequentium, ipsum necessariũ est subiectum istarum etiam proprietatum, & conditionum, scilicet de omni, per se, & secundum quod ipsum. uel sic exponantur ista uerba & melius, sicuti conceptio, idest definitio est nobilius instrumentum sciendi, quã sit demonstratio, ueluti demõstrauimus in proprio quæsito, ita hæc conditio. s. esse necessarium, est nobilior conditio, quàm omnes aliæ conditiones requisitæ ad ipsas præmissas demonstrationis, quia omnes conditiones reducuntur ad esse necessarium, & ista expositio uerior est. Et aduertas quòd quamuis dicat Auer. quæsito 4. logic. quòd nobilissima & perfectissima conditio sit, esse primũ, tamẽ loquitur ibi in cõparatione ad dici de omni, & per se, sed esse necessariũ est perfectius omnibus aliis conditionibus. Sed contra hanc continuationẽ Auer. occurrũt dubitationes, & primo arguitur, quia falsum esse uidetur quòd Arist. ex definitione demonstrationis, declarauerit supra dictas conditiones præmissarũ. s. eas esse causas primas, ueras, notiores, priores, & immediatas, nam diximus sæpe sæpius, quòd ex definitione ipsius scire. Aristo. uenatus fuit conditiones præmissarũ demõstrationis simpliciter, per regulam quam tetigimus in tex. quòd artifex ex cõditionibus finis præcogniti colligit conditiones instrumẽti per quod attingit ipsum finẽ, nõ igitur rectè dixit Auer. quod Aristote. ex definitione ipsius demonstrationis declarauit, & posuit conditiones præmissarum demonstrationis, idem enim per idem probaret: Secundo sic arguitur contra ipsum Auerroem, non esse uerum, quòd Arist. posuerit in definitione ipsius demonstrationis quòd

præmissæ sint necessariæ, ut patet expressè in tex. oono omnes alias conditiones ibi posuit, & non posuit eas esse necessarias, ergo Auer. expresse contradicit Aristot. Nisi sic diceretur, non posset defendi Auerroes, Vnde ad primam dubitationem dicendum est, quòd ipse Auer. sic uoluit dicere in principio commen. postquam ex definitione scire demonstratiua 29. non enim tetecit ipsos scire definitionem, licet explicauerit tantum demonstrationis definitionem, haudquaquam latebat ipsum Auer. conditiones præmissarum demonstrationis debere sumi ex conditionibus scire, quod est finis præmissarum demonstrationis, & ut uerius & proprius loquamur, est finis ipsius demonstrationis, ut patet tex. octauo & nono. Ad secundam obiectionem faciliter quoque respondemus quòd licet Arist. non ponat expresse in tex. oono illam, scilicet esse necessarias ipsas præmissas, tamen intelligi debet, quoniam tot sunt conditiones instrumenti ad finem, ut dictum est per illam regulam sæpius enucleatam, quot sunt conditiones finis: sed esse necessarium, est ultima conditio posita in definitione scire, cum dixit ibi, Arist. {& non est contingere hoc aliter se habere} idest oportet causam necessariam esse, ut exposuimus in definitione scire, ergo esse necessarium erit etiam conditio ipsarum præmissarum demonstrationis simpliciter, quæ est instrumentum ad ipsum scire. & sic dicendo, non sequitur Auerro. aduersari Aristo. Quinimmo dicimus uerba ipsius Auer. esse summoopere conformia & declaratiua uerborum Aristo. Cætera quæ dicit Auer. exponendo tex. cum ex se pateant, nostra non egent declaratione. Sed cum dicit Auer. in illis uerbis {& postquam argumentatus est} aduertas quòd illa uerba innuunt continuationem tex. sequentis, & assignat Auer. causam ibi cum dicit {Ex ijs enim proprietatibus} Quare uult loqui de illis tribus conditionibus, scilicet de omni, per se, & uniuersali, & causa est ista, quoniam per istas tres conditiones, cognoscitur necessarium a non necessario, & ex consequenti illæ tres conditiones sunt notiores ipso necessario, & sic sunt priores.

Sed primo determinabimus quid dicimus de omni, & quid per se, & quid uniuersaliter: & de omni quidem hoc dico, quod utique est, non in quodam quidem, in quodam autem non, et neque aliquando quidem, aliquando uerò non, ut si de omni homine animal, si uerum est quidem hunc dicere hominem, uerum est etiam dicere animal. & si nunc alterum, & alterum: & omni linea punctum, similiter est. signum autem est, nanque instantias sic ferimus, ut de omni etiam interrogati, aut si in quodam non, aut si aliquando non.

Aliorum relictis continuationibus, & introductionibus ad hunc tex. sic dicendum putamus quòd postquam Aristo. reperit & probauit, quòd oportet præmissas demonstrationis simpliciter esse necessarias, nunc incipit inquirere proprietates & conditiones, quibus sunt, & cognoscuntur quòd sunt necessariæ: hanc continuationem accepimus ab Auer. in calce commen. 26. & solum Auer. rectè & iuxta Aristo. mentem introduxit hunc tex. Et sciri uolumus quòd præsens tex. in duas secatur partes, in prima parte, scilicet in principio tex. enumerat tres conditiones, & proprietates ipsius necessarii, prima est de omni, secunda per se, & tertia est uniuersale. in secunda uerò parte ibi {& de omni quidem hoc dico} declarat Aristo. primam conditionem, scilicet quid intelligat per ly, de omni. Restat ut habita hac tex. diuisione, accedamus ad uerborum expositionem circa ly, de omni. Et scito, quòd sermo est in præsenti libro de dici de omni posterioristico, & non de dici de omni prioristico, inferius patebit discrimen inter utrunque. Et cum dicit in tex. {Dico} Aduertas quòd Aristo. uult innuere definitionem quid nominis ipsius de omni, scilicet quid explicetur per ly. de omni, & non dat definitionem quid rei, ueluti diffusius infra dicemus, aduersus omnes expositores, & describens ipse Aristote. ipsum dici de omni, duas assignat particulas describentes, & explicantes quid nominis ipsius dici de omni: prima particula seu conditio, requisita ad ipsum dici de omni posterioristicum, est, ut habeat uniuersalitatem subiectorum, seu suppositorum, & hanc explicauit ibi Aristot. cum dicit {quod utique est, non in quodam quidem, in quodam autem non} secunda uerò particula, & conditio est, quòd habeat uniuersalitatem temporis, & hanc etiam explicauit Aristo. cum dixit {neque quòd aliquando quidem, aliquando uerò non, } Et quoniam intellectus noster facilius manuducitur ad rei ueritatem capescendam per exemplorum positionem, uelut docuit & usus fuit assiduè alibi ipse Aristot. ideo ut facilius apprehendatur huiusmodi descriptio ipsius dici de omni, statim subdidit exemplum dicens {ut si de omni homine animal, } scilicet prædicatur, & innuit uniuersalitatem suppositorum, seu subiectorum, cum dicit {si uerum est hunc quidem dicere hominem, uerum est etiam dicere animal} & innuit uniuersalitatem temporis, cum dicit {& si nunc alterum, & alterum} quoniam homo non quandoque est animal, & quandoque non, sed semper & homo est, & animal est: & cum dicit {& si in omni linea punctum similiter} secundum assignat exemplum ipse Aristo. in prædicamento accidentis, ut innueret, quòd non tantum ipsum dici de omni posterioristicum reperitur in uniuersalibus substantiæ, sed etiam in uniuersalibus accidentis, nam in unoquoque genere est quid, ut retulit Arist. primo topicorum cap. septimo, & ipsum quid, seu pars quidditas dicitur, & sumitur secundum uniuersalitatem suppositorum, & temporum, & comperies hoc esse uerum in omnibus habentibus quidditatem in omni prædicamento, & ideo Arist. uoluit assignare exemplum, unum in prædicamento substantiæ, & alterum in prædicamento accidentis, & hoc non animaduerterunt cæteri expositores. Et cum dicit in calce tex. {signum autem} Notato quòd Aristot. probat a signo, quòd ipsum dici de omni posterioristicum debeat habere illas conditiones supra dictas, scilicet uniuersalitatem subiectorum, & temporis, & præsupponit hoc Aristot. quòd tot modis aliquid construitur, quot modis destruitur, sed & duobus modis ipsum dici de omni posterioristicum destruitur, ergo duobus modis construitur. Vnde si propter temporis particularitatem dictum de omni destruitur, & propter temporis uniuersalitatem cõstruitur, & similiter si propter subiecti particularitatem destruitur, & propter subiectorum uniuersalitatem construitur. & sic patet probatio quomodò utroque uniuersalitas sit necessaria ad ipsum dici de omni posterioristicum. Et aduertas quòd quando Aristo. dicit in tex. {Nanque instantias sic ferimus} demonstratur induit habitum topicum, utitur instantiis, & hæc dicta sint circa crassam tex. expositionem. Operæpretium est modo, ad uberiorem intellectum eorum, quæ dicta sunt in tex. expositione, aliquas mouere dubitationes. Prima dubitatio hæc est, circa illud uerbum {primo} cur id posuerit Aristote. & ad quod retulerit? Dicitur quòd ly, {primo} dicit ordinem in hoc tex. nam Aristo. posuit eum ut innuat ordinem dicendorum, ita quòd uoluit dicere primo, idest antequam sciatur, & cognoscatur ipsum necessarium, primo determinandum de tribus hisce proprietatibus, & conditionibus, scilicet de omni, per se, & uniuersale. Et si quæres, cur prius de iis tribus. s. de omni, per se, & uniuersali, quàm de ipso necessario? Respondetur ex Auerro. in calce commen. 28. quòd de eo prius est pertractandum, quod est causa propter quam aliquid sit,

sit, & cognoscatur. exemplum, cum animal rationale sit causa, ob quam homo sit, & cognoscatur, prius determinandum est de ipso animali, & rationali: sic in proposito, cum istæ conditiones. s. de omni, per se, & uniuersale, sint causa, propter quam præmissæ demonstrationis simpliciter sint, & cognoscantur necessariæ, & differant à non necessariis, propterea ipse Arist. prius de iis tribus determinandum esse statuit, quàm de ipso necessario, & hanc responsionem innuit Auer. in fine commen. 28. cum dixit. {Ex his enim proprietatibus & attributis potest cognosci necessarium à non necessario quia sunt notiores apud nos ipsos necessario, & illius proprietas.} Et sic Auer. concludit, quod cum istæ tres conditiones. s. de omni, per se, & uniuersale, sint causa per quam constituitur ipsum necessarium, & per quam ipsum necessarium differt à non necessario, & sint etiam notiores quam ipsum necessarium. propterea prius de illis agendum fuit, quàm de ipso necessario & hoc nemo expositorum uidit, nisi solus Auer. qui solus Aristot. mentem in hoc libro poster. profundius tetigit. Sed contra hanc responsionem iunior sic posset instare, quoniam uidetur Arist. egisse totum oppositum, nam prius locutus fuit de necessario. s. in tex. 28. ubi dixit, probauit, & conclusit demonstrationem esse ex præmissis necessariis, & in hoc tex. 29. determinandum esse proponit de tribus hisce conditionibus, quæ requiruntur ad ipsum necessarium. ergo nedum responsio nostra superius data est falsa, sed etiam uidetur Aristot. sibi ipsi contradicere. Pro solutione notandum, quòd aliud est probare præmissas esse necessarias, & aliud est declarare, quomodo, seu quid requiratur ad hoc, ut præmissæ sint necessariæ. tunc stante hac distinctione, facile euadimus hanc instantiam, & dicimus quòd Arist. non sibi contradicit, neque responsio nostra falsa est, quoniam ipse in tex. 28. probauit & statuit præmissas demonstrationis simpliciter, oportere esse necessarias, & non determinat, & declarat quomodo sint necessariæ, nam si determinasset quomodo sint necessariæ, antequã declarasset conditiones & proprietates per quã sunt, & cognoscuntur quod sunt necessariæ, tunc utique sibi contradiceret. in isto uero tex. 29. Ari. proponit quod prius determinandum est de tribus hisce proprietatibus. s. de omni, per se, & uniuersali, antequam sciatur quomodò ipsæ præmissę demõstrationis sint necessariæ, et differant à non necessariis. Adhuc occurrit dubitandum, cur prius à dici de omni, quam, à ly per se, et uniuersali, ubi inceperit ipse Aristo. Dicitur, quòd usus fuit sua regula quam ipse docuit primo physi. tex. commen. 4. quod à communioribus semper est inchoandum, & Auer. dicit in prologo primi physi: & in prologo huius magnæ comm. quod propter tres causas, semper inchoandum à communioribus & ab uniuersalioribus, prima causa est, quia ipsa cõmuniora sunt notiora: secunda est, ne fiat repetitio in scientia: tertia causa est: ut demonstrationes fiant ex primis & ex propriis. de iis tribus causis diffusius diximus in expositione prologi huius magnę commentationis. pro prima causa uide Arist. primo physi. tex. com. 57. ubi dicit, quòd est secundum naturam prius communia dicere, & sic circa unumquodque propria speculari. pro secunda causa uide etiam Arist. in primo de partibus animalium in principio, ubi dicitur, quod ab ipsis communibus est incipiendũ, ne idem multoties repetere contingat. & pro tertia quoque causa legito infra in hoc libro, in cap. de uniuersali incipiendo à text. 36. sed ipsum de omni est uniuersalius & communius quàm per se, & uniuersale, ut patet discutiendo; ergo merito Aristot. incæpit ab ipso de omni, quàm à ly per se, & ab uniuersali. Potest etiam dici pro secunda responsione, quòd ideo prius ab ipso dici de omni incæpit, quoniam est prius, & probatur quod sit prius ex Ari. in quinto metaph. cap. de priori, et in postprædicamentis, ubi dicitur quòd inter alios prioritatis modos illud dicitur prius, quod ponitur in definitione alterius, & est causalius, & non econtra, sed ipsum dici de omni ponitur in definitione ipsius uniuersalis, & non econtra, ergo est prius: & si est prius, optimè Arist. fecit incipiẽdo ab ipso dici de omni. Si amplius quæres: quæ istarum trium cõditionum est nobilior, & magis faciat ad necessitatẽ præmissarum demonstrationis simpliciter? Auer. edidit quæsitum quartum log. in quo de intento loquitur de conditionibus quæ requiruntur ad necessitatem præmissarum demonstrationis simpliciter. & in principio quæsiti dicit quòd Arist. intentio est, quòd præmissę, ad hoc ut sint necessariæ, oportet ut habeant tres conditiones, quarũ una est, quòd prædicatum insit toti subiecto semper, idest q sit de omni, secũda est quòd prædicatiò sit per se, & tertia q prædicatio sit prima, idest quòd insit subiecto absque medio alterius rei. & antequam perueniat ad finem quæsiti ipse Auer. ponens comparationem inter ipsas conditiones hæc uerba formalia protulit. {Notabilissima autem harum trium cõditionum, & excellentissima, & fortissima ipsarum circa hanc rem, est ipsas esse primas.} Et prope finem quæsiti dicit. {Iam autem significatur quòd primitas sit fortissima conditionum demonstrationis} & sic patet quid dicendum ad dubitationem, q tertia conditio est nobilior aliis, & magis facit ad necessitatem præmissarum demonstrationis simpliciter. & ratio quare sit nobilior, iam patet, quia claudit primam & secundã: & quicquid habet tertiam conditionem, habet primam & secundam, & non econuerso: & ideo nobilior duabus aliis. Et notato q hæc etiam est causa propter quàm Auer. inscripsit illam epistolam de primitate prædicatorum tanquam a nobiliori. Et alterius ad excludendam hãc obiectionem, quam aliquis facere posset, si tertia conditio est nobilior, cur ab ea Arist. non incępit tanquam a nobiliori dicimus per Arist. q non a nobiliori, sed ab uniuersaliori & a nobis notiori inchoãdum est, ut supra diximus. Amplius solent dubitare expositores omnes, tum græci, cum latini, quomodo differant inter se, dici de omni posteriosticum, & prioristicum? Ad hanc dubitationem ita respondendum esse asserimus, quicquid alii expositores dixerint, q dici de omni prioristicum, & dici de omni posterioristicum, differunt dumtaxat in hoc, q dici de omni posterioristicum habet duas uniuersalitates. s. subiectorũ & temporum, ut diximus iam in expositione textus; sed dici de omni prioristicum, unam habẽt uniuersalitatem, scilicet subiectorum, & hoc uidentur etiam innuere Themistius, & Philoponus. unde falsò Suess. impinxit eis, aliter eos sensisse. Et confirmatur hæc responsio per tex. Arist. nam hæc duplex uniuersalitas constituit ipsum dici de omni posterioristicum, unde patet temeritas illorum, qui uoluerunt sapere plusquã Arist. addendo uniuersalitatem locorũ, quod falsum esse affirmamus, tum quia eam Aris. non posuit in tex. cum etiam, quia locus est magis de conditione indiuidui quàm uniuersalis, at de indiuiduis non habetur scientia, et sic non debet intelligi ipsa uniuersalitas locorum, ut multi existimarunt. Amplius notandum q Auerro. in quæsito quarto logic. in principio, duobus uerbis utranq; absoluit et explicauit uniuersalitatem, loquens de tribus conditionibus, quas debent habere præmissæ demonstrationis, et dicit ibi, q una est, quod prædicatum insit toti subiecto semper, et loquitur, de dici de omni: et cũ dicit quod {insit toti subiecto} explicat uniuersalitatem subiectorum, et cum dicit {semper} explicat uniuersalitatem temporum, et sic Auer. conformis Aristot. Notabis insuper quod ipsũ dici de omni posterioristicum habet uniuersalitatem subiectorum seu suppositorum propter formam syllogismi, et habet uniuersalitatẽ temporis propter materiam necessariam, circa quam ipse demonstrator uersatur, necessariom enim cum sit illud, quod non contingit aliter se habere ut dictum est in defi

nitione scire in tex. 7. et etiam in tex. 28. erit semper, et si erit semper, tunc dicet temporis uniuersalitatem. Quærunt quoque expositores omnes, cur Arist. definierit ipsũ dici de omni per duplicem negationem, cum per negationes nihil possit uere definiri? Quicquid alij expositores dixerint, pro solutione notandum est, et pro discrimine inter definitionem, et descriptionem, et sermonem, qui non est neque definitio, neque descriptio, ueluti eruditissimè exarauit Auer. in epito. logic. in sermone de rebus compositis, ubi Auer. uult dicere, quòd complexum est duplex, distans, et indistans, complexum distans est compositio enunciationis circa ueritatem uel falsitatem, & dicitur distans quia ponitur copula uerbalis, faciens distare extrema: complexum indistans est totum oppositũ, quia nulla ponitur copula uerbalis, et est triũ specierum ut dicit ibidem Auer. scilicet definitio, descriptio, et sermo qui non est, neque definitio, neque descriptio. Definitio adhuc debet distingui, quoniam duplex, ex Aristo. secundo poster. cap. 10. & tex. com. 44. & 45. est quid, nominis, et quid rei. Et quid rei ex eodem loco, distinguendum est, quod triplex, scilicet principium demonstrationis, demõstratio conclusio, & demonstratio positione differens. Et dicit Auer. ponendo differentiam inter definitionem quid rei, & ipsam descriptionem, quod definitio quid rei componitur ex genere & differentiis, ueluti docuit Arist. sexto top. & primo topic. quarto, sed descriptio componitur ex genere & propria passione, uel ex genere & accidentibus. Aliam quoque assignat differentiam Auer. quia definitio est propria demõstratori, & descriptio est propria topico. Et sermo qui neque definitio, neque descriptio est, componitur ex specie & accidente, dat exemplũ Auer. ut Socrates est homo albus, & talis sermo est proprius rethorico. Ex his ergo omnibus ad formam dubitationis dicimus, quod in definitione quid nominis, nihil refert ut ponantur negationes, at Arist. definitione quid nominis, definiuit ipsum dici de omni, ut iam diximus explicando in tex. illud uerbum (dico.) Et Auer. similiter in comm. dicit quòd est definitio quid nominis. Vnde non uerè dicitur descriptio, ut communiter omnes asserunt latini expositores. Errant etiam ipsi latini, non rectè assignantes differentiam inter definitionem & descriptionem. Errant insuper quia nihil meminerunt illius tertiæ speciei, scilicet sermonis, qui neque definitio, neque descriptio est. Præterea errant, quòd ipsum dici de omni habent descriptionem, nã definitio & descriptio sunt incomplexorum. sed ipsũ dici de omni est quid complexum, unde dicendum est quòd habet definitionem quid nominis, quæ multis modis differt a definitione quid rei. ipsa enim definitio quid nominis, est etiam complexorum, & non tantum incomplexorum, est etiam non entium, & sic nihil refertur ut ipsa definitio quid nominis detur per negationes, sicuti fecit Arist. Insuper adnotandum Suess. sibi contradicere, quoniã in libro priorum dicit, ipsum dici de omni cum explicetur per orationem complexam, non habere definitionem, neque descriptionem, sed habere quandam interpretationẽ: in libro uerò posteriorum in expositione huius, concedit habere descriptionem, et dicit, quod descriptio potest dari per negationes, et sic sibi contradixit. Neq; excusari potest, quod in libro priorum loquatur de dici de omni prioristico, et in lib. posteriorum loquatur de dici de omni posterioristico, quoniam utrũque per orationem complexã explicatur, ergo utrunque caret definitione et descriptione, cum sit complexum. Illæ uerò quæstiones, quas hic afferunt expositores, quomodo differant uel conueniant propositio uniuersalis, & dici de omni, & cur Arist. non fecerit mentionem de dici de nullo, cum sint faciendæ & mouendæ in libro priorum, superfluum duximus, eas in hoc loco recensere, in libro priorum multa etiam num, circa illas dubitationes diximus. Ista quoque dubitatio non est prætereunda, an possit explicari affirmatiuè ipsum dici de omni, sicut explicatur negatiuè? Respondet Suessa. quod non potest explicari affirmatiuè, quoniã tunc sequeretur quòd esset falsa, nã si diceretur quòd prædicatum de omni, sit illud quod inest cuilibet subiecto et semper, nunc oporteret, subiectum semper plura continere sub se, quod falsum est de lucido ipsius solis. quia non dicitur de omni sole cum nõ sint plures soles. affert etiam instantiam, quia non semper, nam cum ante mundi creationem non fuerit tempus, non semper igitur homo fuit animal, & sic concludit Suess. quod nullo modo ipsum dici de omni debet & potest explicari affirmatiuè, sed tantum negatiuè. Nos uerò dicimus quod licet clarius & uerius explicetur negatiuè quam affirmatiuè, tamen potest etiam explicari affirmatiuè, ueluti dixit Auer. in epit. log. in quæsito quarto in principio, ubi assignans tres conditiones quæ requiruntur ad necessitatem præmissarum demonstrationis dixit quòd prima conditio est dici de omni, & explicat eam affirmatiuè, ueluti etiam superius enucleauimus, & dicit Auer. hæc uerba formalia {quarum una est, quòd prædicatum insit toti subiecto, & semper} et intelligit de dici de omni posterioristico. Et ad instantias, quas attulit Suess. dicimus, ad primam, quod regulæ Arist. & artis sunt ueræ ut plurium, & sic Arist. intẽtio est de subiectis, quæ ut plurimum plura continent sub se supposita. Et secundam instantiam, faciliter quoque euadimus, respondendo Arist. opinionem esse homines semper fuisse, quia semper fuit mundus, ueluti primo cœli contra Platonem retulit. Et quod dicimus contra Suessanum, aduersus etiam alios expositores asserimus.

Commen. 19.

Cum eius intentionis sit ostendere.} Ponit Auer. duo in hoc commen. primo declarat intentionem Arist. quæ & qualis sit, & secundo exponit ibi cum dixit. {Dixit primo,} & notato quod cõtinuatio secundũ Auer. colligitur ex com. 28. prope finem commen. ubi dicit. {Et postquã argumentatus} quam continuationem legito in tex. expositione in principio, non enim decet eadem toties repetere, & dando intentionem Arist. ipse Auerro. in principio commen. dicit, quòd intentio Arist. est assignare tres conditiones, per quas sunt, & discernuntur ipsæ præmissæ necessariæ a non necessarijs: & sunt tres ipsæ condiciones, constituens præmissas esse necessarias: prima est de omni, secunda per se, & tertia quod sit uniuersalis prædicatio. Et Auer. incipit exponere, cum dicit. {Dixit primo} Itaq; uult dicere ipse exponendo textum, sicuti etiam nos diximus, quod ly, primo, dicat ordinem dicendorum. nam antequam sciatur quomodo & qualiter præmissæ debent esse necessariæ, primo oportet declararet tres conditiones istas, quæ faciunt & constituunt ipsas præmissas esse necessarias. Et cũ dicit Auerro. {& prædicatio propria ei in hoc libro.} Aduertas quod ipse Auerro. cõparat ipsas tres conditiones, scilicet de omni, per se, & uniuersales inter se quæ, scilicet illarum magis faciat ad necessitatem præmissarum demonstrationis, & uerius consideratur in hoc libro. & dicit ipsæ, quod tertia cõditio, scilicet esse uniuersale, proprior est huic libro, idest magis facit ad necessitatem præmissarum demonstrationis, & hanc eandem declarationem posuit Auer. in quæsito quarto logico, ueluti etiam supra annotauimus. Ex quibus conditionibus prænotatis, asserimus quòd nullus alius modus esse potest ad cognoscendum ipsas præmissas esse necessarias, nisi per has tres conditiones: & quotquot alij modi afferuntur ab expositoribus, superflui sunt. Deinde cũ dicit. {iam conuenit quod primo,} aduertas, quod Auer. excludere uidetur obiectionẽ istam, nam aliquis posset instare, quoniam quæstio quid est, præsupponit quæstionem, si est, nõ enim

quid sit risibile ipsius hominis cognosci potest, nisi praecognoscatur ipsum risibile inesse homini. similiter ipsum dici de omni non potest definiri, nisi praecognoscatur quòd prius insit ipsis praemissis necessarijs. & sic prius erat determinandum, ipsas conditiones inesse ipsi necessario, & postea definire oportebat ipsum dici de omni, & alias duas conditiones. Vnde Auer. excludens hanc instãtiam dicit {iam conuenit quod primo} quasi uelit dicere quod definitio quid rei, semper praesupponit inesse, non tamen definitio quid nominis, qualis est harum trium conditionum: nam definitio, et praecognitio quid nominis, est principium omnis agnitionis, ueluti, exarauit, & doctissimè lucidissimus Themistius in secundo poster. cap. nono. ut saepè saepius in principio huius libri, & praecipue in tex. secundo diximus, caetera quae dicit Auerro. exponendo tex. ex se patent.

Per se autem sunt, quaecunque sunt in eo quod quid est, ut triangulo linea, & lineae punctum. Substantia enim ipsorum ex ijs est, & in ratione dicenti quid est insunt.

Expositores ferè omnes ita continuant, quòd postquã Aristo. determinauit de dici de omni, hic determinat de per se. Qui & si primo aspectu uerum asserunt, nihilominus multipliciter deficere uidentur, primo quidem, quia continuationis huiusmodi causam non assignant, cum sine forti probatione primus magister nihil dixerit, uelutinobis nacũ reliquit Auer. in primo de generat. com. 38. & secundo de generat. commen. 6. & causa assignari debet, cur prius de per se quam de uniuersali loqui uoluerit. Secundo quoque defecerunt, non enim reddiderunt rationem, cur Arist. uarios de ly: per se attulerit modos. Ideo dicendum est clarè & resolutè, pro uera & completa continuatione, ubi Arist. egit de prima conditione seu proprietate ipsius necessarii, scilicet de dici de omni, nunc de secunda cõditione eiusdem necessarii determinare incipit, scilicet de per se. Causa uero quare potius de per se, quàm de uniuersali determinare uoluerit Aristo. multiplex est, tum quia per se est uniuersalius quam uniuersale, secundo physicorum com. 3. cum etiam quia prius. sicuti dictum fuit, de dici de omni. Si ulterius quaeres, quare uarios assignauit modos per se Arist. Dicitur hoc egisse, ex regula quam ipse docuit primo coeli tex. com. 110. quod omne multiplex, prius distinguendum est, antequam definiatur, & determinetur. sed cum, ly per se, multipliciter dicatur (ut narrat iam Arist.) uoluit prius ipsum distinguere, antequam determinetur, qui sint illi modi deseruientes demonstrationi simpliciter, idest ex quibus praemisse demonstrationis simpliciter componentur, ad hoc ut sint, & cognoscantur necessariae. Amplius notandum est, quod per se capitur multis modis, ueluti tradidit Aristot. in quinto metaph. tex. com. 23. & in paraph. metaph. tractatu primo cap. de essentia, & omnes ferè illos modos uidetur Arist. enumerare, non quod artifex demõstratiuus omnibus eis utatur, sed ut eliciat (ut diximus) eos dumtaxat modos, qui demonstrationem potissimam ingrediuntur: nam duo sunt, primus, scilicet, et secũdus, ut statuit Aris. in tex. 35. Quatuor nanque Arist. enumerabit modos seu significata ipsius per se, ut uidebim. Sed in praesenti tex. primum declarat significatum dicens, quòd primum significatum ipsius per se, est quando praedicatum est definitio subiecti, uel pars definitionis, & hoc innuit Arist. cum dicit, {Per se autem sunt quaecunque sunt in eo quod quid est} idest in primo modo dicendi per se, sunt quaecunque pertinent ad definitiuam rationem, quando scilicet definitio uel pars definitionis praedicatur de definito. & ut clarius, habeatur mens & intẽtio Aris. dicimus, quod Arist. uult dicere hoc modo, in ijs uerbis. {Quaecunque sunt in eo quod quid est} idest illa sunt in primo modo dicendi per se, quae formaliter dicuntur & praedicantur de subiecto, quoniam primus modus dicendi per se significat causam formalem, & nedum definitio est forma secundum canones Auerro. sed quaelibet pars definitionis, nam dixit ipse Auer. secundo physic. com. 91. & septimo metaph. com. 43. quòd definitio continet formam communem, & propriam. & sic per {quod quid est} intelligas praedicatum quod est forma, seu formaliter dicitur de subiecto, & per hunc exponendi modum, quamplurimas euitabis instantias, sicuti dicemus dubitando in fine huius tex. Dicit deinde Arist. in tex. {ut triangulo linea & lineae punctum} aduertas hic, quòd manifestat id quod dixerat per duo exempla, dicens, quòd per se & formaliter linea dicitur de triangulo, & similiter punctum per se, & formaliter dicitur de linea. & assignat rationem Aristo. dicens. {substantia enim ipsorum} idest essentia quam significat definitio ipsorum, idest trianguli & lineae, {ex ijs est} scilicet, ex linea & puncto. & quia aliquis posset credere, quod propter hoc linea componeretur ex punctis, ideo Arist. ad remouendam hanc obiectionem, & falsam imaginationem subdidit. {& in ratione dicenti quid est, insunt} quasi uelit dicere, quod quamuis dicatur lineam esse ex punctis, non propter hoc credendum est, lineam componi ex punctis. sed sic debet intelligi, quod punctum est de ratione lineae, sicuti linea est de ratione ipsius trianguli. & hunc exponendi modum latini non uiderunt. Pro uberiori intellectu eorũ quae dixit Ari. notato, quod ingredientia definitionem sunt in duplici differentia, quaedam ingrediuntur definitionem sui definiti in recto, & quaedam in obliquo, exemplum primi, ut homo est animal rationale, exemplum secundi, habetur in tex. de triangulo, & de linea, triangulus sic definitur ab Euclide, quòd est figura plana tribus rectis lineis contenta, hic patet, quod linea ingreditur definitionem trianguli in obliquo: similiterq; si definitur linea, quòd est quantitas continua, cuius partes per punctum immediatè continuantur, patet, quòd punctum ingreditur definitionem lineae in obliquo, uoluit ergo Arist. exemplificare de partibus definitionis in obliquo potius quam in recto, ne crederemus quod tantũ illae partes definitionis praedicarentur per se formaliter in primo modo, quae sunt in recto, & non illae, quae sunt in obliquo. Vnde ex hoc loquendi modo ipsius Arist. hanc debemus excerpere sententiã, quod sicuti sunt in hoc primo modo dicendi per se praedicationes quae sunt in recto, ita quoque sunt in primo modo dicendi per se. praedicationes quae sunt in obliquo. Sed iunior dubitabit, cur definitio dicatur substantia? Pro solutione notandũ quod hoc nomen substantia multiplicem habet diuisionem, una diuisio assignatur ab Arist. in quinto metaph. tex. com. 15. ubi quatuor assignauit significata: primum est, quòd omne illud dicitur substantia, quod est per se subsistens: secundum dicitur de forma, quae est illud per quod aliquid est per se subsistens: tertium dicitur de materia: quae est subiectũ illius formae. quartum dicitur quidditas seu quod quid erat esse. Et, aduertas quòd illa diuisio substantiae, quam posuit Arist. in secundo de anima tex. com. secundo, quòd substantia dicitur de tribus, scilicet de materia forma, & composito, primo fuit Architae Tarentini, ueluti nobis notatum reliquit Simplicius in libro praedicamentorum, & in primo physic. in expositione tex. septimi, & sic ab Archita sumpsit Arist. hanc diuisionem de triplici substantia. & dicit Simplicius quod propria Arist. diuisio fuit illa, quam protulit in praedicamento substantiae, in primam & in secundam. Notabis insuper, quod licet substantia dicatur multis modis. famosior tamen eius significatio est illa, quae dicitur de indiuiduo substantiae, & legito causam in paraphrasi metaph. tract. primo cap. de substantia. Substan

tia diuiditur adhuc in quattuor modos, ut retulit Arist. septimo metaph. tex. commen. 44. & octauo metaph. com. secundo, ubi dixit Auer. substantiam famosè diuidi in quatuor modos. & ueniendo ad formalem solutionem & responsionem supradictę dubitationis, dicimus substantiã ultra alia significata, significare etiam ipsam definitionem & cur definitio dicatur substantia, hæc fortassis posset ratio assignari, ex secundo de anima tex. comm. 2. & 8. ubi dicitur, quod substantia est illud, ad cuius ablationem auffertur substantia, & cum ad ablationem definitionis, illicò auferatur definitum, merito sub hoc respectu, ipsa definitio dicitur. & nuncupatur substantia ab Arist. Et notabis quòd Arist. protulit in septimo metaph. tex. commen. 53 quod substantia quam significat definitio, non habet generationem, neq; corruptionem, supple tu sicuti definitum, quoniam definitio ex secundo poster. & septimo metaph. & in epito. logic. est uniuersalium, & uniuersalia non generantur, neque corrumpuntur: & similiter definitiones cum sint unũ cum definitis ex septimo metaph. tex. com. 21. non generantur, neque corrumpuntur. Dubitatur an Themistius & Philoponus differant in declarando hoc primo modo dicendi per se? Suess. uoluit eos differre dicens quod alter intellexit Themistius, & alter Philoponus. Nos uerò secus esse dicimus, & ambos eodem modo exposuisse asserimus, quod. s. illa sint in hoc primo modo dicendi per se, quæ in eo quod quid est de subiecto dicuntur, idest quæ formaliter prædicantur, siue sit tota definitio, siue pars definitionis, nullum enim est discrimen inter eos, nisi uerbale, sed quòd Themistius addiderit quod illa quæ prædicantur per se in hoc primo modo, debent dici de omni, nemini dubium esse debet, ipsum Themistiũ uerũ dixisse, nam in tex. 18. declarauimus, quod ideo Ari. incœpit à dici de omni, quoniam est uniuersalius quam per se, & uniuersale; & se habet tanquam genus ad illa, unde concludimus Suess. hallucinatum fuisse. Dubitant etiam super expositores, quot sint species, seu gradus primi modi dicendi per se? Respondent Scotistæ, & formalizantes, quatuor esse species, seu gradus, huius primi modi dicendi per se, quos quidem gradus nos ita ordinauimus, ut facilius & distinctius eorum opinio cunctis habeatur. Primus gradus seu species est, quando tota definitio prædicatur de definitio. Secundus quando pars definitionis, siue genus, siue differentia prædicatur de definito. Tertius est, quando superius de inferiori, seu magis commune de minus communi, prædicatur. Et notato quòd uolunt, omne magis commune dici per se de minus communi, & sic cõcedunt, ens prædicari per se de quolibet. Quartus & ultimus secundum eos talis est, quando idẽ de se ipso prædicatur, ut homo est homo, & Sortes est Sortes. Sed licet uera sint, quæ dixerunt in primo, & secundo gradibus, tamen omnino falsa esse asserimus, quæ ipsi dixerunt circa tertiũ & quartum gradum. Primò quidem aduersus eos sic demonstratiue arguitur, utrunq; gradum, tertium. s. & quartum, funditus euertendo, ex uerbis Arist. in tex. nam dicit. quod ea duntaxat prædicata, sunt in hoc primo modo dicendi per se, quæ {sunt in eo quòd quid est} idest quæ sunt definitio aut pars definitionis, sed non omne superius seu magis commune est definitio, seu pars definitionis sui inferioris: neque etiam idem potest esse definitio, seu pars definitionis sui ipsius, ut sole clarius constat: ergo penitus delendi sunt huiusmodi duo gradus, scilicet tertius & quartus. Neque dicendum est, ut eorum sequaces moderniores, euadere nituntur, quod ea quæ dixit Arist. uerificãtur de primo, & secundo gradibus. sed non propter hoc sequitur, quod non debent dari isti duo alĩ gradus, s. tertius & quartus etiam de mente Ari. Nam ista euasio nulla est, quia aut isti duo gradus s. tertius & quartus sunt necessario ponendi, aut nõ. dicendũ non est, quod sint necessarĩ, quia tunc Arist. fuisset diminutus, cum non posuerit eos, ergo non sunt necessarii, & ex consequenti frustra positi sunt à Scotistis & formalizãtibus. Præterea Arist. in tex. 35. huius primi posteriorum concludit, ex quatuor modis seu significatis adductis ab ipso, duos duntaxat modos dicendi per se, ingredi demonstrationem potissimam uelut diffusius ibi dicemus. tunc si primus modus dicendi per se ingrederetur demonstrationem potissimam secundum quatuor illos gradus positos à Scotistis, sequerẽtur quod demonstrationem potissimam ingrederentur omnia superiora, tam essentialia, quàm non essentialia, & propositiones innaturales in quibus idem de se ipso prędicatur, quod fallissimum esse constat, ex canonibus & regulis traditis ab Aristo. in primo posteriorum. Secundo sic arguitur aduersus eosdem, & præsertim contra tertiũ gradum, in quo concedunt ens prædicari per se de quolibet, quod utique repugnat Arist. in primo top. cap. 4. ubi quatuor enumerantur prædicata, de quorum numero non est ipsum ens, non enim est genus, nec definitio, nec proprium, nec accidens, ergo si non est prædicatum, neq; erit prædicatum per se de quolibet. Tertio sic, & demonstratiuè contra quartum gradum, in quo cõcedunt idem prædicari per se de seipso, hoc modo arguitur: si concederetur prædicatio in qua idem de se ipso, tunc sequeretur quod syllogismus posset constare ex duobus terminis quod est contra Arist. primo priorum. Quarto sic ad idem arguitur, Arist. secundo top. cap. 19. secundum unam diuisionem, & secundum aliam diuisionem in calce cap. 6. habet pro inconuenienti, quod idem de se ipso prædicetur, & uerba sua formalia ista sunt { siquis gaudere ei quod est lætari ponet accidere, idem sibi ipsi dicet accidere, } idest siquis dicit gaudere est lætari, dicet quòd idem prædicatur de eodem, ergo ipse habet pro inconuenienti, quod idem de eodem prædicetur. quamobrem prædicatio in qua idem de se ipso dicitur, nedum potest esse in primo modo dicendi per se, sed neque debet uocari prædicatio, nam prædicatũ semper debet esse aliqua ex parte diuersum à subiecto. Quinto ad idem hoc modo dicitur, protulit Aristo. septimo metaphysi. tex. commen. 59. quòd quærere propter quid musicus homo, musicus homo est, nihil est quærere, ergo non concedi debet propositio, in qua idem de se ipso dicitur. Sexto ad idem, dixit Auer. primo priorum in digressione de quarta figura contra Galenum quod idem dici de seipso, est in fine abhominationis, quoniam tunc sequeretur, quod idem causaret seipsum; & causaretur à seipso: & probatur ista sequela ex Auer. secundo de anima commen. 67. ubi ponitur differentia inter prædicata primi modi & secundi modi, nam prædicata primi modi sunt causa subiectorũ, & prędicata secundi modi causantur à subiectis: tunc si daretur propositio, in qua idem de se ipso dicitur, sequeretur quod idem causaretur a se ipso, quod non est dicendum, ergo, a primo ad ultimum, non debet concedi propositio, in qua idem de se ipso dicitur. Sed uide quæ contra hoc idem, diximus supra in expositione tex. 4. ubi fecimus digressionem aduersus Porphyrium quòd male definiat indiuiduum in cap. de specie. Paulus Venetus, & sequaces pro eorum opinione asseruerunt, quòd aliquid esse in hoc primo modo dicendi per se contingit dupliciter, uno modo essentialiter, alio modo per reductionem. unde dicunt illam propositionem esse in primo modo dicendi per se essentialiter, cuius prædicatum est de quidditate subiecti, & illam propositionem dicunt esse reductiuè in primo modo dicendi per se, cuius prædicatum dicitur per se de subiecto sed nõ est de quidditate subiecti. Et dicunt quadrupliciter aliquam propositionem esse per reductionem in primo modo dicẽdi per se: primo quando definitum prædicatur de definitione, aut de aliqua parte definitionis: exempla, ut animal rationale est homo, et animal est homo, seu rationale est homo, & dicit Paul. Venetus, quòd per reductionem huius

modi

modi propositiones sunt in primo modo dicendi per se, conuertendo eas simpliciter secundo, quãdo inferius prædicatur de suo superiori. tertio, quando idem prædicatur de se ipso. quarto, quando disparatum de disparato prædicatur, ut homo est asinus: aut quando oppositum de opposito, ut homo est non homo, & cæcum est uidẽs, & sic de similibus. Sed quod dicit Paulus de propositione, quę essentialiter est in primo modo dicendi per se, uerum est, sed ea quæ asseruit declarando, quòd quatuor modis contingit, quòd aliqua propositio sit in primo modo dicendi per se per reductionẽ, omnino falsum & undequaq; Arist. repugnans assentimus, nam regula Arist. est, quòd artifex non curat de iis, quæ sunt per accidens, & similiter neque curare debet propositiones, quæ sunt innaturales, & in fine abhominationi, sicuti iam tetigimus demonstratiuè arguẽdo aduersus Scotistas. Thomas de Vio, uoluit propositiones quæ reponuntur in hoc primo modo dicendi per se, esse in triplici differentia, quasdam propriè & principaliter, ut quando definitio de definito, & differentia de eo cuius est differentia: quasdam autem propriè secundariò, & sunt illæ, in quibus reliqua pars definitionis dicitur de definito, ut quando genus de definito dicitur. quasdã uerò impropriè, & sunt illæ in quibus definitio non essentialis, sed additamentalis dicitur de definito, scilicet illa quæ secundum exigentiam modi significandi prædicatur de definito: exemplum, ut simum est nasus curuus. Sed quæ dixit ipse Thomas de Vio, circa propositiones impropriè dictas erronea sunt, quoniam Arist. intentio est determinare de iis propositionibus, quæ sunt per se, & propriè in hoc primo modo dicẽdi per se, & non iis quæ sunt impropriè ueluti supra tetigimus aduersus Paul. Venetum. Ideo neglectis omnibus aliorum opinionibus, ita & peripatheticè quidem, iuxta Arist. & Auer. aures de speciebus seu gradibus primi modi dicendi per se, sentiendum esse ducimus, quòd tres sunt species seu gradus primi modi dicendi per se. & hoc probatur ex hoc tex. Arist. ubi dicitur, quod illa prædicãtur per se in primo modo, quæ sunt in eo quod quid, idest quæ formaliter dicuntur, sed illa quæ formaliter prædicantur de subiecto, sunt tribus modis, ergo tres sunt species primi modi dicendi per se: & probatur minor, quoniam definitio est forma, ut patet septimo metaph. commen. 40. 21. 34. & 36. & sic formaliter prædicatur de definito, & similiter partes definitionis sunt forma ueluti Auer. tradidit secundo phys. commen. ultimo, septimo metaph. commen. 43. ubi dicitur, quòd genus apud Arist. est forma uniuersalis, & differentia particularis, hoc idem protulit Auer. primo metaph. com. 17. & octauo metaph. com. 6. si ergo quælibet pars definitionis est forma, dicendum erit, quòd formaliter prædicatur de definito & sic a primo ad ultimum, tres erũt gradus seu species primi modi dicendi per se, primus. s. quando tota definitio de definito: secundus, quando differentia de definito: tertius uerò gradus, quando genus de definito prędicatur. Et confirmatur hoc esse uerum quòd, scilicet tres sint species primi modi dicendi per se, auctoritatibus Auer. ut in epit. log. cap. de demonstratione princip. quinto metaph. commen. 23. & septimo metaphy. commento. 21. & secundo de anima commento. 67. in quibus sane locis, tres dicit esse species primi modi dicendi per se. Et aduertas, quòd quamuis Auer. tres dicat esse species, & eas enumerando, prius assignet genus, secundo differentiã, & tertio definitionem, ut patet in omnibus supradictis locis, tamẽ in supradictis locis nõ dicit, quod prima species sit in qua genus prædicatur de definito, & secunda sit, in qua differentia, ac tertia, in qua tota definitio de definito: sed tantum simpliciter enumerat eas, & dato quòd diceret, tu intelligere debes secundum ordinem notionitatis & uniuersalitatis. siquidem genus uniuersalius est quàm differentia, in plus enim se habet animal, quàm rationale, & si uniuersalius est ipsum genus, erit notius, nã uniuersaliora sunt nobis notiora. ut docuit Arist. primo physic. tex. commen. 4. sed secundum ordinem nobilitatis & perfectionis prima species esse debet, quando definitio de definito, secunda quando differentia de definito, & tertia quando genus prædicatur de definito. Amplius ratione dignum est, quòd iste primus modus dicendi per se, secundum omnes eius tres species dicit causam formalem, & hoc sic intelligitur, quia prædicatum est causa formalis subiecti, ueluti protulit Auer. in secundo de anima cõmen. 67. & in epito. logic. cap. de demonstratione, & per hoc distinguitur iste primus modus a secũdo, ueluti dicemus in expositione sequentis tex. quod in primo modo dicendi per se, predicatum est causa formalis subiecti, & in secũdo modo subiectum est causa materialis prædicati, ut etiam dixit Auerro. in secundo de anima commen. 67. & in cap. de demonstratione. Alia insuper dubitatio occurrit contra, id, quod determinauit Arist. quando dixit quod illa sunt in primo modo dicẽdi per se, quæ accipiuntur in definitione. tunc sic, sed subiectum accipitur in definitione accidentis proprii, ut homo accipitur in definitione risibilitatis, dicendo, risibilitas est aptitudo hominis ad ridendum, ergo sequitur, quòd subiectum prędicatur per se in primo modo de sua propria passione: quod est falsum, & repugnat Arist. in hoc textu. Verum omissis aliorum nugis, ita breuiter dicendum est ad hanc dubitationem, quod huiusmodi dubitatio procedit ex falso intellectu, quem multi expositores habuerunt, nam textus Arist. ita intelligi & exponi debet, ueluti etiam supra exposuimus, quod illa sunt in primo modo dicendi per se, quæ prædicantur formaliter de subiecto, idest sunt causa formalis subiecti, ueluti exposuit Auer. secundo de anima cõmen. 67. & in epito. log. de demonstratione. tunc habita hac expositione, facillime respondetur ad dubitationem istam, quod licet homo ponatur in definitione risibilitatis, & prædicetur de risibilitate, tamen quia homo non est causa formalis ipsius risibilitatis, sed tãtum causa materialis (quoniam quarto metaph. commen. 2. substantia est causa materialis accidentis) propterea nõ sequitur quod debet prædicari per se, in primo modo homo de ipsa risibilitate. Præterea, cum hæc definitio, risibilitas est aptitudo hominis ad ridendum, non sit per essentialia & per intrinseca, sed per additamentum, haudquaquam dicendũ est, quod prædicetur de suo definito per se in primo modo, neque etiam pars huiusmodi definitionis prædicabitur per se in primo modo de definito. Adhuc dubitabit iunior, quoniam Auer. secundo de anima comm. 67. ponens discrimen inter primum & secundum modum dicendi per se, dixit quod primus modus dicendi per se, est quando prædicatũ est causa subiecti, & quando subiectũ est causa prædicati, tunc est secundus modus dicendi per se, & hoc idem asseruit Auer. in epito. log. in cap. de demonstratione, sub iis uerbis, quòd primus modus dicendi per se est {quando fuerint prædicata causa quibus cõstãt subiecta} tũc si hoc esset uerum, sequeretur quod ista propositio, risibile est homo, esset in primo modo dicendi per se probatur consequentia, quia prædicatum est causa subiecti, ut patet. confirmatur etiam, nã est naturalis quia per Auer. cap. de demonstratione propositio naturalis est, quando prædicatum est causa subiecti, ergo dicendo risibile est homo, est propositio naturalis. Respõdetur quod dictum Auer. intelligi debet eo modo: quo supra exposuimus, quod, scilicet tunc propositio est in primo modo dicendi per se, quando prædicatum est causa formalis subiecti: & tunc est in secundo modo, quando subiectum est causa materialis prædicati. & quia in ista propositione, risibile est homo, prædicatum non est causa formalis subiecti, sed tantum materialis. ideo huiusmodi propositio non potest esse in primo modo dicendi per se, quia

immo dicimus eam, neq; debere dici & uocari propositionem, quia non subucitur, quòd debet subuci, neq; prædicatur quod debet prædicari, cum sit innaturalis, & de modo loquendi in consueto. Ad confirmationem illam quòd sit naturalis, quia prædicatũ est causa subiecti: dicitur q̃ debet esse causa formalis subiecti, at homo est causa materialis, & sic est propositio innaturalis. Quid autem sit propositio de modo loquendi consueto, & inconsueto, seu quid sit propositio naturalis, & innaturalis, legito ea quæ diximus supra in expositione tex. 4. ubi diffusius de iis pertractauimus, & sermo quòd de hoc primo modo dicendi per se, erit etiam sermo inferius, ubi latior, & amplior patebit differentia, inter omnes quatuor modos dicendi per se, quos quatuor modos Auer. nuncupat quatuor significata, ut in commentariis Auer. habebitur, ubi exactissime quoque declarabitur, quæ sint uera significata ipsius per se, seu qui sunt ueri dicendi modi per se, & concludetur ad Arist. & Auer. autem (quicquid dicant alij) quod duo tantum sunt ueri dicendi modi per se. Nunc uerò ad commento expositionem accedamus.

Commen. 30.

Cum per se dicatur tribus modis.} Duo similiter facit Auer. in hoc commen. primo introducit seu continuat textũ, secundo exponit eum, quo ad continuationem igitur dicit, {cum per se dicatur.} & notato quod ad plene huiusmodi continuationem intelligendam debet suppleri, eo modo, quo diximus in nostra continuatione, quòd expedita prima conditione, scilicet dici de omni, aggreditur secundam continuationẽ quæ est ly, per se, & quia per se uaria habet significata, ut innuit Auer. in principio cum dicit { cum per se dicatur tribus modis } ideo Arist. prius enumerat ea, & primum significatorum declarat, seu primum modum dicendi per se exponit, & dicit Auer. quòd primus modus dicendi per se, est quando {per se dicitur de omnibus prædicatis acceptis in subiectorum definitionibus } idest tunc est primus modus dicendi per se, quando prædicatum, aut est definitio, aut pars definitionis, eo modo, quo diximus in expositione tex. & quia reliqua quę dicit Auer. circa tex. expositionem, ex se patent, ideo haudquaquam circa ea immorandum est. Sed cum dicit, {& hoc quidem prædicatum} notabis q̃ intendit enumerare quot sunt species seu gradus primi modi dicendi per se, & tres assignat species seu gradus, prima species est, quãdo completa definitio de definito prædicatur, secũda, quando differentia, & tertia quando genus, ueluti diffusius, diximus in tex. expositione, quòd Auer. opinio est, quòd tres sit species primi modi dicendi per se, nedum in hoc commen. sed in secundo de anima commen. 67. septimo metaph. commen. 11. & quinto metaph. cõmen. 23. & in epito. logic. in cap. de demonstratione. Sed quispiam ex uerbis Auer. in calce huius commen. dicere posset aduersus Auer. quod sibi contradicat, quoniam quinque uidetur assignare species primi modi dicendi per se, primo quando tota definitio, secunda quando differentia, tertia quando genus, quarta quando pars generis, quinta uerò quando pars differentiæ, & sic sunt quinque species. Oppositum uerò dixit in secundo de anima commen. 67. in epito. logic. & quinto metaph. commen. 23. & septimo metaph. commen. 11. nam tres tantum assignauit species, ergo uidetur sibi contradicere expresse. Huic dubitationi facile respondemus, ueram ipsius Auer. intentionem esse, tres tantum esse species primi modi dicendi per se, & non quinque. pro cuius intellectu, animaduersione dignum est, quòd Auer. clarius & distinctius suã aperuit mentem de his speciebus primi modi dicendi per se, in epito. logic. in cap. de demonstratione, ubi loquens de duabus partibus definitionis, scilicet de genere & de differentia, dicit hæc uerba formalia. { Et unumquodq; eorũ est propinquum aut remotũ} quasi uelit dicere, q̃ si latet genus propinquum, poni debet uice illius genus remotum, & similiter si latet ultima differẽtia, uice illius sumi debet differentia remota, siquidem ultimę rerum differentię nos latent, ueluti idem protulit octauo metaph. commẽ. 5. & septimo metaph. commen. 4. & quando latent ultimę rerum differentiæ debemus eas circumloqui per accidentia propria. Ex qua declaratione, dicitur quod Auerro. hoc modo uult dicere, quod quando est pars definitionis, hoc erit dupliciter, aut genus uel propinquum uel remotum, aut erit differentia uel propinqua, uel remota, & hoc modo intelligi debent uerba Auer. non enim intentio sua est, quòd debeat sumi etiam differentia remota & similiter genus remotum: sed remotum ipsum tunc sumi debet, quando latet propinquum. & aduertas, quòd Auer. per genus remotum intelligit genus generis, dummodo non transgrediatur genus illius rei, de qua fit consideratio, idest genus artis, hoc modo Auer. exposuit seipsum in commen. 31. ueluti ibi dicemus, & sic nulla est cõtradictio in dictis Auer. & remanet tres dumtaxat esse species primi modi dicendi per se, & non quinque.

Et quibuscunque eorum, quæ insunt ipsis, ea ratione insunt quid est declarante, ueluti rectum & curuum in sunt lineæ, & par & impar numero, & primum & compositum, & isopleurum. & altera partes longius. & omnibus his insunt ratione quid est dicente, & illinc quidem linea, hinc uerò numerus. Similiter autem & in alijs huiusmodi unicuique per se esse dico.

Vbi philosophus primum exposuit & declarauit significatum, seu modum dicendi per se, in præsenti textu secundum declarare intendit significatum, nam dicit Arist. quòd illa prædicantur in hoc secundo modo dicendi per se, quæ sunt de numero{ eorum quæ insunt ipsis } scilicet subiectis accidentium, {Ea} scilicet subiecta {insunt in ratione quid est declarante, }idest ponuntur & accipiuntur ipsa subiecta in definitione quidditatiua ipsorum accidẽtium. & notato quod dixit Arist. {in ratione insunt, quid est declarante, }quia si esset descriptio, tunc non diceret quid est, & ex consequenti non esset prædicatio per se in hoc secundo modo, & cum dicit{ ueluti rectũ & curuum insunt lineæ &c.} quatuor exẽplis manifestat & exponit hunc secundum modum dicendi per se. tria exempla patent quo ad eorum quid nominis, & quid rei. sed circa quartum exemplum duplex occurrit dubitatio. prima, quid Aristot. intelligat per isopleurum & quid de scalenõ ue in aliquibus textibus habetur. secunda, quod est subiectum harum duarum passionum, scilicet isopleuri & scalenonis. Sed ad primam facile dicimus, quòd isopleuros significat æquilaterum, & scalenon significat id quod habet tria latera inæqualia, quia unum altera parte est longius, ut dicit Arist. in tex. Ad secundam uarij sunt dicendi modi, & opiniones, quidam dixerunt auctoritate Euclidis in primo, quod non sunt passiones numeri, sed magis sunt species trianguli. Sed hæc responsio erronea est, quoniam si sunt species trianguli, tunc nõ prædicabuntur per se in secundo modo, quoniam ea quæ prædicantur per se in hoc secundo modo, sunt accidentia propria de eorum subiectis, & non sunt species de earum genere, neq; conuerso, neq; etiã dici potest, quòd species sit passio sui generis. Suessanus de mente Alexãdri tueri conatur, quod subiectũ harũ passionum quatuor, scilicet curui, & recti, isopleuri, & altera parte longioris sit linea, & pro subiecto aliarum quatuor passionum, scilicet paris, & imparis, primi & compositi, assignauit numerum. Quod textus Arist.

Aristo. repugnare uidetur, nam ex uerbis Aristo. expresse habetur, quod ipsa linea sit duarum tantum passionum, scilicet recti & curui subiectum, & non quatuor, ergo non est dicendum aliter quam Arist. innuat, & eius uerborum series indicat, & ex consequenti errauit quatuor assignando ipsi numero, cum sex ei conueniant ex ordine uerborum Aristot. Ideo aliter dicendum censemus cum Philopono, quod isopleuros & scale non sint passiones numeri, ueluti declarat Philoponus, & uerba Arist. secundum eorum ordinem hoc indicant quicquid alii dicant, & sic concludimus quod cum octo passiones enumerentur in tex. duarum primarum subiectum est linea, & reliquarũ sex subiectum est numerus, & nõ linea aut triangulus. Et redeundo ad tex. animaduertendum esse censemus quod cum Aris. dicit. {Et omnibus his insunt in ratione quid est dicente} ipsa subiecta supradicta, scilicet linea & numerus ponuntur in uera & quidditatiua definitione suarum passionum supradictarum. quod autem linea & numerus ponuntur in definitione omnium passionum prædictarũ patet. {Illinc quidem linea} idest linea ponitur ut subiectum in definitione harum duarum passionum, scilicet recti & curui. {Hinc uero numerus} idest in definitione reliquarum sex passionum ponitur numerus ut subiectũ. et concludit Arist. {similiter autem & in aliis huiusmodi unicuiq; per se esse dico} & uult dicere hoc modo ipse Arist. quod non solũ hæc quæ insunt numero & lineę sunt prædicata per se secundo modo, sed similiter in aliis huiusmodi per se esse dico unicuiq; subiecto, quod ponitur in earũ passionum definitione. Et aduertas pro clariori & faciliori intellectu uerborum Arist. circa hunc secundum modum dicendi per se, quod aliud est dicere, subiectum esse definitionem prædicati, & aliud est dicere, subiectũ poni in definitione prędicati, tunc dicimus quod Ar. intellexit quod tunc est secundus modus dicendi per se quando subiectum ponitur in definitione prędicati, & non oportet quod ipsum subiectum sit definitio prædicati, & per hoc differt iste secundus modus a primo modo, nam in primo, prædicatum nedum ponitur in definitione subiecti, sed etiã est definitio subiecti; & assignatur causa quare in secundo modo ipsum subiectum non potest esse definitio prædicati quia tunc esset propositio innaturalis, dicendo, risibile est homo nam propositio naturalis tunc est ut protulit Auerro. in septimo metaph. commen. 59. & in epito. logic. cap. de demonstratione, quando prædicantur causæ de suis causatis, & accidentia de suis subiectis (uelut etiam diffusius declarauimus in tex. 4. in digressione contra Porphyrium) sed dicendo risibile est homo, non prædicatur causa de suo causato, neque accidens de subiecto, non prædicatur causa. f. formalis de causato, ergo non est naturalis, & aduertas quod per hunc exponendi modum soluuntur quamplurimæ instantiæ, ut dicemus. Amplius notandum est, ex Auer. in comme. & in secundo de anima commen. 67. & in epito. logic. cap. de demonstratione, quod primus modus significat causam formalẽ. & secundus significat causam materialẽ, idest in primo modo dicendi per se, prædicatum est, causa formalis subiecti & in secundo modo subiectum est causa materialis prędicati, uelut etiam supra tetigimus exponendo primũ modum, præterea ut dicit Auer. prædicatum primi modi est substantia & prędicatum secundi modi est accidens proprium. Dubitant expositores quot sunt gradus seu species huius secundi modi dicendi per se? Paulus Vene. duplicem assignat gradum propositionum, quæ in hoc secũdo modo ponuntur, primus est earũ propositionum, quæ essentialiter & directe sunt in hoc secundo modo, & sunt illæ, in quibus prædicatum est passio subiecti quod subiectum ponitur in definitione prædicati, ut iã exposuimus in textu secũdus gradus est propositionum quæ indirecte, & per reductionem sunt in hoc secũdo modo dicendi per se, & subdiuidit Paulus Venetus hunc secundum gradũ dicens, quod quadrupliciter cõtigit quòd aliqua propositio sit indirecte, & per reductionẽ in hoc secũdo modo dicendi per se quæ longum esset recensere, tu legito eum, si placet. Et licet multæ adduci possent rationes demonstratiuæ cõtra ea quę dicit Paulus Venetus circa quadruplicem modum propositionum, quę sunt indirecte et per reductionem in secundo modo dicendi per se, tamen breuitati studentes, hanc unam afferimus rationem quòd cũ non conformia tex. Arist. existant, ea undequaque falsa, & derisione digna sunt. Vnde noluimus terere tempus, et paginas inutiliter deperdere, in expugnandis tot falsis imaginationibus & captionibus. Thomas de Vio, triplicem assignauit gradum propositionum, quæ reponuntur in hoc secundo modo dicendi per se. Primus gradus est propositionum, quæ proprie & principaliter sunt in hoc secundo modo dicendi per se. Secundus est propositionũ quæ proprię & secundario. Tertius uero est propositionum, quæ improprię. & exempla huius triplicis gradus, legito apud eum, quæ ne prolixi haberemur, prætermisimus. Huiusmodi quoque opinio cum omnibus ferè eius dictis sit contra Arist. mentem in hoc tex. ut sole clarius patet, facilis quoq; est impugnationis quapropter noluimus immorari circa eius expugnationem. Suessanus dicit prædicata huius secundi modi dicendi per se, esse in duplici differentia, quædam sunt naturalia, & quædã sũt innaturalia, exemplum de naturalibus prædicatis, ut homo est risibilis, exemplum de innaturalibus prędicatis, ut animal est homo, & uidetur Suessanus hanc assignare rationem, quare tã prædicata naturalia, quàm innaturalia sint in hoc secundo modo dicendi per se, quoniam subiecta ponũtur in definitionibus suorum prædicatorum, nã homo ponitur in definitione risibilitatis, & dicendo animal est homo ly animal ponitur in definitione prædicati, idest hominis, & dicit Suessanus quod ex hoc exponẽdi modo, sequitur quòd non oportet prædicata huius secundi modi dicendi per se esse de omni, & hoc ipse impingit Themistio. Amplius concludit Suessanus ex mente Themistii & Philoponi, quod ad hoc ut propositio sit in hoc secundo modo dicendi per se tantum requiritur, ut subiectum ponatur in definitione prædicati. Sed sole clarius cõstat, maximopere hallucinatum fuisse ipsum Suessanũ & toto cœlo aberasse dicendo, quod prædicata innaturalia sint in hoc secundo modo dicendi per se, nam hoc ex eruditissimorum peripateticorum classe nemo dicit, quòd prædicatum innaturale deseruiat demõstrationi potissimæ, sed contrariũ prorsus dicũt. ipsa enim propositio innaturalis (ueluti protulit Auer. aduersus Galenũ in primo priorum cap. de quarta figura) in fine est abhominationis, nam tunc ars est uera cum insequitur opus naturæ ueluti Auer. nobis notatum reliquit secundo poste. com. 94. primo posterior. commen. 41. 56. et secundo physico. com. 23. 24. & in quæsito quarto posteriorristico, & confirmatur per Arist. in quarto metheor. cap. 18 quòd ars imitatur naturam, quapropter cum hæc propositio animal ẽ homo, sit innaturalis, nullo modo dicendum est, quod sit in hoc secundo modo dicendi per se. Præterea falsum est quod ad prædicata huius secundi modi dicendi per se non requiratur dici de omni, nam hoc dicere est penitus Aristo. contradicere, qui ob id incœpit à dici de omni (ueluti diximus) quoniam est quoddã uniuersalius se habens ut genus ad per se, & ad ipsum uniuersale, nam omne per se, est de omni, ergo prædicata in hoc secundo modo dicendi per se, necessario debent esse de omni, nam istæ tres conditiones. s. de omni per se, & uniuersale (ut supra diximus) hunc habent essentialem connexũ, quod tertia conditio non põt esse sine prima & secunda cõditionibus, et secunda conditio non põt esse sine prima. Neq; etiã credendũ est, quòd Themistius ita uoluerit, sicuti sibi impin-

git Suessanus. Ulterius errauit ipse Suess. credens Themistii & Philoponi opinionem esse, quod ad prædicata huius secundi modi dicendi per se, tantum requiratur ꝙ subiectum ponatur in definitione prędicati. & mirum est quomodo ipse Suessanus, in re tam clara fuerit hallucinatus, uult enim Arist. in textu, quod non tantum subiectũ ponatur in definitione prædicati, sed declarauit illud prædicatum esse accidens proprium, & si non esset accidens proprium ipsum prędicatum, haudquaquam subiectum poneretur in eius definitione, nam docuit Aristo. in septimo metaphy. tex. commen. 17. quod in definitione accidentium essentialium, idest propriorum & non accidentium communium ponitur subiectum. cum igitur prædicatum huius propositionis, animal est homo, non sit accidens proprium, nõ erit in secundo modo dicendi per se. & Auer. in commen. (ut iam dicemus in eius expositione, & notauimus etiam supra) dixit quòd prædicatum huius secundi modi dicendi per se est accidens. sed primi modi prædicatum est substantia: & nedum hoc requiritur, sed etiam opus est, ut sit prædicatio naturalis, sicuti tradidit Auer. in cap. de demonstratione ubi assignans decem conditiones pęmissarum demonstrationis simpliciter assignauit inter alias hanc. s. ꝙ pęmissę debẽt esse pędicationes naturales, sed animal est homo, est propositio innaturalis, non igitur in aliquo modo dicendi per se erit. Quapropter secus nobis dicendum est iuxta Auer. doctrinam, & conformiter ad Aristot. autem, ut patet nedum in commen. 31. (ut ibi dicemus) sed etiam in epito. logic. cap. de demonstratione, quòd duæ sunt species seu gradus huius secundi modi dicendi per se. Prima species est quando subiectum capitur in definitione prædicati, nam dicendo risibilitas est aptitudo hominis ad ridendum, homo capitur in definitione risibilitatis sui prædicati. Secunda uerò species est, quando in definitione prædicati, ut sumitur genus subiecti, ut dicẽdo, risibilitas ẽ aptitudo animalis ad ridendum, ut sumitur genus generis ipsius subiecti ut risibilitas est aptitudo corporis animati ad ridendum, nã tam animal quod est genus subiecti, quàm etiã corpus animatũ quod est genus generis subiecti, possunt accipi in definitione ipsius risibilitatis. Et aduertas quòd tale genus generis ipsius subiecti non debet esse (dicit Auer in cap. de demonstratione) uniuersalius genere artis, idest non debet transgredi & excedere genus illius rei quæ consideratur exemplum, si sermo est in prædicamento substantiæ, non debemus accipere genus alterius prædicamenti, aut quantitatis, aut aliorũ, uel si sumus in una scientia non debemus transgredi ad aliam scientiam. Et notandũ etiam ex mente Auer. (ueluti diffusius in expositione com. dicemus) quòd sicuti homo accipitur in definitione suæ proprię passionis loco differentię, ita etiam & genus ipsius hominis, & genus generis illius hominis debet sumi loco differentię, & quod subiectum positum in definitione sui proprii accidentis habeat locum differentiæ, patet ex Arist. septimo metaph. tex. commen. 17. & clarior notificabitur hæc positio, cum exponemus cõmẽ. Adhuc occurrit dubitatio, an ista propositio, animal est homo. & omnes aliæ in quibus species prædicatur de genere, sint in hoc secundo modo dicendi per se, & uidetur quòd sic, quia Aristoteles docuit in tex. quòd illa propositio, est in hoc secundo modo dicendi per se, in qua subiectum ponitur in definitione prædicati, sed dicẽdo, animal est homo, ly animal, ponitur in definitione hominis, ergo est in secundo modo dicendi per se, & similiter ista propositio, omne animal rationale est homo, propter eandem causam, erit in secundo modo dicendi per se, nam ipsum subiectum est definitio prædicati ut patet, & similiter dubitatio est, an ista propositio, rationale est homo sit in secundo modo. Et confirmatur per Auerro. quod omnes istæ propositiones supradictæ sint in hoc secundo modo dicendi per se, nam ipse Auer. in secundo de anima comm. 67 ponens discrimen inter primum & secundum modum dicendi per se, dicit, quod in primo modo dicendi per se prædicatũ est causa subiecti, sicuti in expositione tex. 30. sæpius dictum est, in secundo uerò modo dicendi per se, subiectum est causa prædicati. sed in supradictis propositionibus subiectum est causa prædicati, ergo sunt in hoc secundo modo dicendi per se. Pro solutione huius dubitationis animaduersione dignum est, contra responsionem aliorum expositorum, quod multæ exiguntur conditiones ad secundum modum dicendi per se, prima quod subiectũ ponatur in definitione prædicati, & hanc conditionem explicauit Ar. in tex. præsenti: secũda conditio quod sit prædicatio naturalis, & hanc conditionẽ communem posuit Auer. in epit. logic. cap. de demonstratione, ubi inter decem conditiones quas assignauit esse necessarias ad præmissas demonstrationis simpliciter, hanc conditionem sextam posuit, quod prædicatio in eis scilicet præmissis demonstrationis simpliciter sit secundum cursum naturalem, & hoc in utroque modo dicendi per se, nam pęmissæ demonstrationis simpliciter sunt in primo & secundo modo dicendi per se. Tertia conditio peculiaris huic secundo modo dicendi per se, talis est, ꝙ prædicatum sit accidens proprium, & per conditionem istam dicit Auer. in commen. differt etiam iste secundus modus a primo, quoniam prædicatum primi modi est substantia, & prædicatum secundi modi est accidens proprium. Quarta conditio etiam particulariter conueniens secundo modo dicendi per se, talis est, ex Auer. secundo de anima com. 67. ꝙ subiectum sit causa materialis pędicati, secus est in primo modo dicendi per se, ubi prædicatum est causa formalis subiecti, ueluti enucleauimus in expositione tex. 30 multæ quoque aliæ competunt ei conditiones, sed pro nũc hæ sufficiant pro dissolutione & enodatione illarum propositionum. Tunc stantibus iis conditionibus clare respõdendum est. Quicquid dicant Thomas de Vio, Suessanus, et Ægidius Romanus, quod ideo istæ propositiones, animal est homo, rationale est homo, animal rationale est homo, non sunt in secundo modo dicendi per se, quoniam non habent omnes supradictas cõditiones enumeratas, non enim subiecta ipsarum propositionum sunt causa materialis suorum prædicatorũ, sed sunt causa formalis, quoniam dictũ ex in expositione tex. 30. ex mente Auerro. in secundo physic. commen. 28. & 91. & septimo metaphy. commen. 43. & alibi quoque, ꝙ quælibet pars definitionis est forma. Præterea non habent hanc aliam conditionem, quòd prædicatum in eis sit accidens proprium, nam est substantia, ut patet. Insuper sunt propositiones innaturales, nam propositio naturalis ex Auer. in epito. logic. in cap. de demonstratione, est duobus modis, aut quando causæ de suis causatis prædicantur, aut quando accidentia de suis subiectis prædicantur, sed in supradictis propositionibus non causa de causato prædicatur, neque accidens de subiecto, ut patet ergo huiusmodi propositiones non dici debent naturales, & ex consequenti in nullo modorum dicendi per se reponi debent.

Commen. 31.

Ex quo prædicata per se dicuntur secundum.} Istud commen. in quatuor secatur partes, in prima Auer. continuat, in secunda exponit, in tertia digreditur ibi. { Et contingit opinari, } in quarta uerò parte ibi. { Dum autem dixit. } reuertitur ad exponendum textum. In prima ergo parte dicit Auer. continuando. { Ex quo prædicata per se dicuntur secundum duas species} & uult dicere sic Auerro. cum ipsa prędicata per se dicantur duobus modis,

modis, & dictum est de primo modo in præcedenti tex. nunc intendit loqui de secundo modo, & hoc innuit cum dicit. {Quarum altera est &c.} Et aduertas ꝙ Auer. dando continuationem, declarat & exponit primum & secundum modum, & declarando primum modum dicit. {quarum alter est}. i. prima species seu primus modus dicendi per se, est, quando. {Prædicata sumuntur in subiectorũ definitione.} Veluti diffusius dictum est in tex. præterito, & cũ dicit. {& hęc prædicata sunt in prædicamento substantię &c.} Notato, ꝙ Auer. declarat in quibus prædicamentis possunt esse, ipsa prædicata primi modi dicendi per se, & dicit ꝙ possunt esse nedũ in prædicamento substantiæ, sed in singulis aliis prędicamentis, & patet hoc esse uerum per hęc exempla nedum prædicamenti substãtiæ, dicendo, homo est animal & homo est rationalis, sed etiam in prædicamento qualitatis, ut albedo est color, & sic de aliis prædicamentis accidentis. {Cœpit meminisse de secunda specie.} incipit declarare secundam speciem. i. secundum modum dicendi per se, & aduertas quod correctior & clarior est translatio Buranę, nã translatio Abrahami dicit, Prædicamentorum, & debet legi sic. s. prædicatorum. & ad secundum modum dicendi per se redeundo, dicit Auer. ꝙ {est huius conuersa} idest secundus modus dicendi per se, est totum oppositum primi modi, nam in primo modo prędicatum sumitur in subiecti definitione, & in secundo modo dicendi per se {Subiecta subintrant definitiones prædicatorum.} Et cum dicit. {& huius speciei prædicata.} notabis, quod Auerroes aliam explicat differentiam inter prædicata primi modi, & secundi modi, nam prædicata primi modi possunt esse indifferenter omnium prædicamentorũ, sed prædicata secundi modi. non sunt nisi accidentia. & ne aliquis crederet quod possint esse accidentia tam communia, quam propria, statim addidit Auer. dicen. {& ideo hæc propria sunt} id est non sunt omnia accidentia, sed dumtaxat accidentia propria, quę essentialiter insunt suis subiectis. {Subiecta uero sunt prædicamenti substantiæ.} Postquam dixit in quibus prædicamentis sint prædicata secundi modi dicendi per se, nunc exponit & declarat in quibus prædicamentis sũt subiecta, de quibus dicuntur ista prædicata per se, & dicit {sunt prędicamenti substantiæ} idest possunt esse in prædicamento substantiæ. & in aliis prædicamẽtis exempla, homo est risibilis in prædicamẽto substantiæ, & linea est recta, in prædicamento quantitatis, deinde dicit {Et talia sunt duarum} diuidit nunc Auerro. ipsa subiecta, quæ sumuntur in definitione prædicatorum secundi modi dicendi per se, & secat in duas species. prima quando sumitur subiectum in definitione prædicati. secunda cum dicit. {Aut suũ genus, uel sui generis genus.} Sicuti iam declarauimus in dubitatione dę speciebus secundi modi dicendi per se quot sunt de eius mente hic, & in cap. dę demonstratione, exempla utriusque speciei assignantur, & primo, quando subiectum sumitur in definitione prædicati, ut homo in definitione risibilitatis, exempla de secunda specie quando, scilicet genus subiecti sumitur in definitione prædicati, ut par & impar de numero, qui est genus octonarii, denarii, quinarii, &c. qui sunt species paris & imparis, unde cum non habeant ueram speciem, prędicãtur de genere nominato, ut puta de numero: exemplum, quando genus generis, ut par & impar de quantitate discreta quæ est genus ipsius numeri. {Modo non transgrediatur genus illius} ut puta si sumus in mathematica non ualet dicere, quod numerus est quantitas absolute, nam quantitas absolute, a mathematica non consideratur, & ideo transgreditur genus artis, consideratum a mathem. sed oportet dicit Auer. quod sumatur illud genus quod est. {essentiale} idest per se illi arti, & cum dicit. {Et illud sumitur.} Aduertas quod Auerro. declarare intendit quam uicem gerat subiectum quod capitur in definitione prædicati, & dicit, ꝙ gerit uicem differentiæ, ut in exemplo, risibilitas est aptitudo hominis ad ridendum, illud subiectum homo, differentiæ locum tenet in tali definitione. Sed antequam deueniamus ad expositionem digressionis quam facit Auerro. aduersus Alpharabium, duo prius discutienda sunt. Primum est contra Ar. & Auer. nam uolunt quod prædicata secundi modi sint illa, in quorum definitione sumatur subiectum, modo hoc uidetur falsũ & erroneum, nam si ita esset, sequeretur quod substãtia prædicaretur de accidente, & sic esset prædicatio innaturalis, & iam dictum est, quod prædicatio naturalis secundum Auerroem in cap. de demonstratione, est duobus modis, aut quando prædicatur causa formalis de suo causato & sic est primus modus dicendi per se, aut quando prædicatur accidens de subiecto, & sic est secundus modus dicendi per se, ergo cum prędicatur substantia de accidente, erit innaturalis prędicatio, & per cõsequens male dicit Aue. ꝙ subiectum differentiæ locum subeat in definitione accidentis. Secundum est istud, uidetur enim Auer. sibi contradicere, nam dixit in principio comm. quod prædicata per se sunt in duplici specie, seu dicuntur duobus modis, oppositum uero dixit in comm. 30. in primis uerbis quod per se dicitur tribus modis, & in commen. 34 dicit quod quatuor sunt significata per se, & sic uidetur Auer. undequaque sibi contradicere circa numerum modorum dicendi per se. Ad primam dubitationem antequam respondeatur formaliter & resolute, primo notandum est, quod docuit Arist. quod substantia potest prædicari de accidente denominatiue & in obliquo, ut patet septimo metaph. tex. commen. 25. 34. & 43. & nono metaph. com. 12. & primo met. 17. & primo phys. com. 15. in quibus locis habetur ꝙ materia, nõ prędicatur de eo cuius est materia nisi denominatiue, ut puta archa est lignea & non lignum. tunc stante hac regula Ar. dicimus formaliter & distincte ad dubitationem ꝙ non inconuenit substantiã prædicari de accidente denominatiue & in obliquo, cum subiectũ sit materialis causa sui accidentis ex quarto metaph. cõ. 2. prędicabitur denominatiue & in obliquo de suo proprio accidente, ut patet in hoc exemplo, risibilitas est aptitudo hominis ad ridendum, clare patet quod non in recto, sed in obliquo ponitur subiectum, sed tũc esset absurdũ quando substantia prędicaretur essentialiter & in recto de accidente, quod utiq; habet pro inconuenienti ipse Ar. unde hoc modo intelligas quando Arist. dicit in tex. quod tunc est secundus modus dicendi per se, quando subiectum ponitur in definitione prędicati, & similiter cum dixit in septimo metaph. tex. commen. 17. quod accidentia essentialia, idest propria recipiunt subiecta in eorum definitionibus, & locum differentiæ subeunt, ut dicit Auer. in commen. & non generis, quia sicuti per rationale differt homo ab equo, ita per hominem differt risibilitas ab hinnibilitate. Et aduertas ꝙ ex hoc, ꝙ subiectum positum in definitione accidentis proprii, uicem differentiæ tenet, ueluti dicit Auer. colligitur differentia inter definitionem substantiæ & accidentis. Nam Arist. in septimo metaph. tex cõ. 17. quæsiuit an accidentium coniunctorum. i. propriorum sit definitio & concludit Arist. in calce te. 17. ꝙ primo ipsa definitio est substantiarum, capiendo definitionem pro ratione, & secundario per analogiam est ipsorum accidentium propriorum, hoc idem habetur in septimo metaph. ab Auer. in comm. 13. 14. & 15. Et si scire cupis, cur ipsa propria accidentia, non habent ueram definitionem, sicut substantia. Respondet Auer. septimo metaph. in commento. 17. duas assignans causas cur est, quod propria accidentia, uera non possint habere definitionem. Prima causa, talis est, quia genus & differentia quæ sumuntur in eorum definitione non sunt eiusdem prædicamenti, ut patet per hęc exempla, quoniam nasus & curuitas quę sumuntur in definitione simi, non sunt eiusdem præ-

dicamēti, naſue in prædicamento ſubſtantiæ, & curuitas in prædicamento quantitatis, & ſimiliter cū ſumitur homo in definitione riſibilitatis. dicendo, riſibilitas eſt aptitudo hominis ad ridendum, iam clarum eſt, quod homo & aptitudo quæ ſumūtur in tali definitione non ſunt eiuſdem prædicamenti, homo quidem in prædicamento ſubſtantiæ, & aptitudo ponitur in prædicamento qualitatis. Secunda cauſa aſſignatur ab Auer. & iſta eſt, quoniam illud quod congregatur ex ſubiecto & accidente ex definitione ipſius accidentis proprii, non facit unum in actu, ſicut illud quod congregatur ex genere & differentia, ex definitione ſubſtantiæ, & propterea definitio primarie eſt ſubſtantiarum, & ſecundario per analogiam eſt ipſorum accidentium propriorum. Ad hęc notabis quod neceſſario ipſa accidentia propria, debent habere definitionem ſaltim analogice dictam, & ſi nō pure uniuocam, quoniā ſi eſſet æquiuoca tunc de æquiuocis haberetur ſcientia et artifex conſideraret, quod repugnat. Vnde infertur correlarium & appendix ex textu iſto, & ex tex. Ariſto ſeptimo metaph. tex. com. 17. quod duplex eſt definitio, eſſentialis ut illa quę datur per genus & differentiam, & addit amē talis, ut illa quæ datur per ſubiectū, & per accidens, ueluti eſt definitio propriorum & eſſentialium accidentiū. de prima definitione ſermo eſt in primo modo dicendi per ſe: de ſecunda uero ſermo eſt in hoc ſecundo modo dicendi per ſe, & utraque definitio ſemper ab artifice demonſtratiuo conſideratur. Amplius annotabis quod definitio propriorum accidentium licet non conſtet ex genere & differentia, non propter hoc tamen dici debet deſcriptio, ut diſtinguitur omnibus modis contra definitionem, quoniam Auer. in epito. logic. in ſermone de rebus compoſitis, ponens diſcrimen inter definitionem, deſcriptionem, & ſermonem neutrum, dicit quod deſcriptio componitur ex genere & ex proprio, & dat exemplū, homo eſt animal politicum, uel ex genere & accidente, ſcilicet communi, ut homo eſt animal ſcribēs, ſed accidentia propria non definiuntur per genus & accidens proprium aut accidens cōmune, ut patet in definitione riſibilitatis, et in definitione ſimitatis, ergo accidentia propria nō dicuntur deſcribi, ſed definiri, licet ſecundario & analogice ut declarauimus. Præterea probatur quod non ſit deſcriptio; quoniam Aue. in ſupradicto loco ponens aliud diſcrimē inter definitionem & deſcriptionem quo ad utriuſq; conſiderationem, dicit quod definitio eſt propria demonſtratori artifici, ipſa uero deſcriptio, eſt propria topico artifici, & ſermo neuter, qui nec definitio nec deſcriptio eſt, dicit ibidem Auerro. quod eſt proprius rethorico artifici. Tunc ſi deſcriptio non eſt propria demonſtrationi, non eſt dicendum quod Ariſto. deſcribat ipſa accidentia propria, ſed pro ueritate & peripathetice aſſerendū eſſe dicimus, quod propria & eſſentialia accidentia habeant definitionem, & ſi non primario, ſecundario tamen per analogiam. Verum ſi adhuc dices, an deſcriptio aliquo modo poſſit dici prædicatum per ſe in ſecundo modo? Diſtinguendum eſt de ipſa deſcriptione ſecundum Auerro. in epito. log. in ſermone de rebus compoſitis, quoniam uel ipſa deſcriptio componitur ex genere & accidente proprio, uel componitur ex genere & accidente communi. ſi primo modo ſic poterit eſſe prædicatum per ſe, quatenus, ſcilicet illud accidens proprium ponitur loco differentiæ, nam protulit ipſe Auerro. octauo metaphyſi. commen. 5. & ſeptimo metaph. commen. 41. quod quando latuerint differentiæ ſubſtantiales, poſſumus circumloqui eas per accidentia. ſ. propria, ſed ſecundo modo, quando. ſ. componitur ex genere & accidente communi ipſa deſcriptio, tunc nullo modo ab artifice demōſtratiuo conſideratur, ſed erit propria tātum topico artifici, & hoc modo intelligi debet id quod ſupradiximus, quod deſcriptio eſt propria topica artifici. ſ. deſcriptio compoſita ex genere & accidente communi, neq; etiam hoc repugnat Auer. dicimus, quando ipſe dixit, quod deſcriptio eſt propria topico, quoniam ipſe intellexit, eo modo. quo nuper nos enucleauimus. Pro ſecundæ dubitationis ſolutione notandū eſt, quod aliud eſt dicere quatuor eſſe modos ſeu ſignificata per ſe, & aliud eſt dicere duos eſſe modos ſeu ſpecies prædicatorum per ſe. Amplius diſtinguendum eſt, quod modi ſeu ſignificata ipſius per ſe. bifariam conſiderantur aut ſecundum aliorum mentem, aut iuxta Ariſt. placita. Quibus habitis diſtinctionibus, nullā utiq; dicimus eſſe contradictionē in dictis Auer. nam quando dixit in cō. 39. in principio com. quod per ſe dicitur tribus modis. i. tria ſunt ſignificata ipſius per ſe, dicimus quod iuxta aliorum placita hoc protulit cum uero retulit in comm. 34. in principio. quod quatuor ſunt ſignificata ipſius per ſe, hoc utiq; ad Ariſt. aures exarauit. Præterea neq; ſibiipſi contradicit, cum dicit duas eſſe ſpecies prædicatorum per ſe. Quoniam multum intereſt dicere prædicatum per ſe, & modum dicendi per ſe, ueluti paulo ante annotauimus: prædicata enim per ſe, ſunt duo, ſeu duæ ſunt ſpecies prędicatorum per ſe, ſcilicet prędicata primi & ſecundi modi, & de iis duabus ſpeciebus prædicatorum per ſe locutus eſt Auer. in principio huius commen. ſed in commen. 34. locutus eſt de modis ſeu ſignificatis per ſe. Qui modi dicendi per ſe (ut dictum eſt) ſunt quatuor. & ſic concludimus nullam eſſe repugnantiam in dictis Auer. Et cum dicit. {Et contingit opinari.} Aduertas quod iſta eſt tertia pars commen. in qua Auerro. digreditur aduerſus Alpharabium, cauſa huiuſce digreſſionis eſt iſta, quoniam ut habetur primo elenchorum primo, ſapientis eſt non ſolum dicere uerum, ſed mentientes manifeſtare, unde cum Alpharabius falſum dixiſſet, et eſſet magnę auctoritatis uir uoluit ipſe Auer. tanquam bonus & eruditus artifex removere ipſius Alpharabii opinionem, eiq; reſpōdere, ſed quoniam ut habetur ex Ariſt. primo topicorum cap. nono, ſtultum eſt de quolibet proferente contraria opinionibus ſollicitum eſſe, ideo non omnibus reſpondendum eſt, ſed iis qui ſunt, aut magnæ auctoritatis, aut cum ratione loquuntur, quapropter ipſe Aue. uoluit reſpōdere Alpharab. cum uir eſſet magnæ auctoritatis, eius remouēdo opinionem, quæ talis eſt, quod non eſt cōditio generis, quod ſumitur in definitione prædicatorum ſecundi modi dicendi per ſe, quod non traſgrediatur ipſum genus artis, quia poteſt accipi genus generis artis, hoc eſt, genus tranſgrediens ipſam artem. {Prout opinatur Alpharabius} & cum dicit ipſe Auer. {Ait enim ille} notabis quod Auer. refert uerba formalia, quæ ipſe Alpharabius dixit in ſuo lib. poſteriorum analyticorum, & iſta ſunt, quod aliqua accidentia per ſe in ſecundo modo. {ſunt prima} id eſt ſecundum quod ipſa, & ſunt illa in quæ primo partitur ipſum genus illius artis, ut puta in medicina, ægrotabile & ſanabile, in quæ primo diuiditur ipſum corpus humanum conſideratum, a medico. {Et quædam non prima} dicit quod ſunt quædam alia accidentia non prima, ſecundum ipſum Alphar. in quæ diuiditur ipſum genus excedens artem, licet non primo, tamen per ſe & cum dicit. {id autem eſt error notorius.} Notato, quod ipſe Auerro. uult manifeſtare dicta ipſius Alpharab. eſſe falſa, & probat cum dicit. {Quoniā quando in definitionibus, ita quod probatio Auerro. talis eſt. quoniam ſi in definitionibus ipſorū accidentium eſſentialium, aut aliquorum ipſorum ſumeretur genus egrediens ipſam artem, poſſet fieri quod in definitione ipſorum accidentium acciperetur genus egrediens ipſam artem, uſque ad genus ſupremum, quoniam per ipſum Alpharabium nulla eſt differentia, ſi in definitione ipſius accidentis capiatur genus generis artis, & genus generis egredientis ipſam artem, quanto ſurſum poſſumus aſcendere, nā non eſt maior ratio de uno quam de alio genere, tranſgrediente artem uſq; ad ſupremū. {Ex quo omnia} nunc di-

cit

xit quòd si hoc esset, omnia transgrederentur genus artis ipsius & modum considerat de illius. {Quoniam si poneremus esse naualia.} Probat nunc Auerro. ducendo ad impossibile & dicit, quoniam si nos poneremus in ipsis accidentibus, uel in definitionibus ipsorum ingredi genera agredi ntia ipsam autem omnia aut quędam, reddit causam, quare dixit, {aut quædam.} ne fiat aceruus artium, & si hoc esset quod ipsa accidentia essentialia, aut per se essent communia pluribus quam uni arti, sequeretur q̄ res diuersæ naturæ, essent diuersæ naturæ & essent unius naturæ, quod est impossibile, nam inducunt contradictionē. s. illud quod non sit unius naturæ, esse unius naturę. q̄ est summe ridiculum & falsum. ut dicit Auerro. & hoc manifestatur exemplo, si medicus considerat corpus humanū ut est ægrotabile & sanabile, & per ipsum Alpharabium, ista accidentia possunt conuenire generi egredienti ipsam artem, & sic conuenirent animali, corpori, substantiæ, & enti, & sic sequeretur hoc ridiculum & falsum quod corpus coeleste, & substantiæ abstractæ essent sanabiles & ægrotabiles, & medicus consideraret sanitatem, omniū corporum naturalium. s. tam hominis quam asini ęqui, & formicæ, ergo non est dicendum, quod accidentia unius artis possint conuenire per se generi egredienti illam artem, nam quæ cōueniunt in accidenti proprio & per se. conueniunt in natura, & sic plures artes, quę differunt forma propria, idest modo considerandi proprio, essent unius naturæ, ut puta in exemplo dato si medicus considerat corpus humanū ut ægrotabile est & sanabile, & ista conuenirent corpori & substantiæ, tunc medicina & philosophia naturalis quæ considerant de corpore naturali, et metaphysica quæ considerat de ente, et multæ alię artes conuenirent in una natura, adeo quod in medicina, esset philosophia naturalis, metaphy matematica & alię diuersę artes, deinde dicit. } Sed fit dubiū circa hoc } Notato quod Auer. excludit tacitum dubium, quod quis aduersus dicta eius facere posset, et dicit, sed posset dubitari circa illam præmissā artis uniuersalis, de metaphysica nam illa est ars uniuersalis, quę contemplatur ens, quatenus ens, non contractum, ut patet quarto met. tex. com. primo. {Quod putatur commune} dicit quæ sint ista, et dicit q̄ sunt illa, quæ ęquantur uni tertio, æquantur inter se ut puta tria et tria æquiualent tribus ergo ęquiualent sibi inuicem, et aliud est, quod quando proportionalia permutantur, quod plura sunt, ut puta, sicuti se habent tria ad sex, ita quatuor ad octo, ergo, sicuti se habent octo ad sex ita quatuor ad tria{ Videtur .n. quod ipsa ambiant.} Nūc probat quod istæ pręmissæ excedāt genus artis, nam istę usitantur in arithmetica, geometria, et philosophia naturali, et uerificantur in quantitate in communi, quæ consideretur, a mathematico, nam ut habetur ab Arist. in prædicamentis, æquale et inæquale competunt quantitati, et etiam habetur hoc idē in quinto meta. cap. de relatione, quæ nanq; quantitas in cōmuni, consideratur a mathematico ergo datur aliquod consideratū in arte, quod excedit genus artis, & cum dicit. {Nos uero explicabimus qualis sit, horum dispositio.} Aduertas quod Aue. non soluit, sed promittit soluere hoc dubium infra, scilicet in ca. 24. & in com. 74. sed pro nunc nos dicimus quod istæ pręmissæ possunt considerari dupliciter, uno modo ut sunt præmissæ uniuersales & accidentia. & sic non considerantur in geometria, & philosophia naturali, nam excedunt artes & scientias illas, alio modo possunt considerari ut contrahuntur & sic cōsiderantur ab illis artibus, quando contrahuntur ad illas ut puta, quæ æquiualent uni tertio, æquiualent inter se, cū considerantur ab arithmetica contrahuntur, & sic dicitur, tria & tria æquiualent tribus, ergo æquiualent inter se, & sic de aliis, & sic patet solutio, quod cum contrahuntur fiunt propriæ illis artibus. Deinde dicit. { Dum autem dixit.} Hæc est quarta pars huius commen. in qua Auer. reuertitur ad expositionem tex. & dicit quod quando Arist. dixit in tex. in cuius definitione prædicati accipitur subiectum, debet intelligi subiectū proprium, aut genus generis subiecti. quod capitur ipsis accidentis & oppositi, dummodo non transgrediatur genus artis, dixit oppositi, ut puta par & impar sunt opposita, & in definitione ipsorum accipitur numerus {Prout sunt rectum & obliquum} dat exemplum de istis & dicit linea, non omnis linea est recta, uel obliqua. ex quo exēplo dat nobis intelligere, quod prædicatio ista debet fieri cum disiunctione, nam non ualet, omnis linea est recta sed dici debet, est recta uel obliqua, & similiter omnis numerus, aut est par, aut impar, aut primus aut compositus. {Et intendit per primum.} Declarat Auerro. quid Ar. intelligat per primum numerum, & dicit numerum primum esse illum, qui non constituitur ex alio numero, ut puta dualitas quæ licet cōponatur ex duabus unitatibus non propter hoc tamen dici debet numerus compositus, quoniam unitas ipsa non est numerus, sed principium numeri. & sic dat exemplum in rebus habentibus latera, omne enim habens latera aut æquilaterum, aut diuersi laterum. { Et dum dixit, & in horum singulis.} Hic declarat, quæ sunt subiecta, quæ accipiuntur in definitione ipsorum accidentium, & dicit quod hic intendit per subiecta. genus quod diuiditur prima diuisione, in illa accidentia, & illud genus est, quod prædicatur uniuersali prædicatione, de ipsis oppositis accidentibus, ut numerus de quo prædicantur par, & impar, cum ipse numerus non sit proprium subiectum, sed genus subiecti, nam propriū subiectum paris est dualitas, & quaternitas, & propriū subiectum imparis est ternarius, quinarius, &c. & ideo cum non habeat determinatam speciem ponitur genus nominatum, {Et non fertur medium. } Reddit causam, cur non dat exemplū de ipsis propriis subiectis ipse Aristoteles, & dicit quod sunt manifesta, cum scilicet sit manifestum hominē poni in definitione risibilitatis, & equū in definitione hinnibilitatis.

Quæcunque uerò neutro modo insunt, accidentia sunt, ut musicum aut album animali.

Quicquid Themistius & sequaces asserāt, hunc in modum præsens textus continuandus uenit Cum Arist. dixisset quæ sint prædicata per se, nunc declarare intendit quæ sint prædicata per accidens, & dicit Aristo. quod illa sunt { quæcunque neutro modo insunt } idest quę non sunt, neque in primo neque in secundu modo, non sunt in primo modo, quoniam non ponuntur in subiectorum definitione. Non etiam sunt in secundo modo, quoniam nō recipiunt subiecta in eorum definitionibus, & hęc prædicata, sunt accidentia communia, & dat exempla Arist. in textu, de huiusmodi prædicatis accidentalibus cū dicit {ut musicum aut album animali} tam musicum, quam album prædicantur per accidens de animali, & non in primo, aut in secundo modo, non in primo modo, quoniam album & musicum non ponuntur in definitione animalis neque etiam in secundo modo. quoniam animal non ponitur in definitione ipsorum, & si substantia prædicabitur de accidente, dicendo albū est equus aut musicum est homo, hoc non erit, nisi secundum prædicationem innaturalem, quam reiiciendam esse supra probauimus in expositione tex. 30. ad Ar. & Auer. aures.

Commen. 32.

Postquam enunciauerat quod prædicata. } Istud com. in tres secatur partes. In partem continuatiuam in princ

pio. In partem digressiuam quam tangit ibi. {Veruntamen existimatur.} & in partem expositiuam, ibi. {De prædicatis accidentalibus.} Quo ad primam partem ita Aue. continuando dicit, quod postquã Arist. enunciauerat, i. pro uero posuerat, prædicata per se esse duarum specierum. {aut quæ prædicantur} declarat primam speciem prædicatorum esse eam, in qua prędicata sunt de essentia subiectorum. {aut quod ipsummet prædicatum.} Declarat secundam speciem prædicatorum per se, esse illam, in qua prædicatum est ipsum subiectum idest ut dicit translatio Buranæ & clarius prædicatum sit illud, de cuius essentia est subiectum, & cum dicit {Notum est quod dum,} aduertas quod Auer. uidetur soluere hoc dubium. Cur ipse Ar. non probauit duas dumtaxat esse species prædicatorum per se. Respondet Auer. quod ideo Arist. non probauit, quia. {Notum est,} quod duæ sunt species prædicatorum per se, primus, scilicet & secundus modus. {Et quod prædicata} idest & alia prędicata quæ sunt extra istos duos modos prædicatorũ per se sunt prędicata per accidẽs {quoniam per se notum est in hac arte,} idest ista diuisio est nota, quod. s. prædicata, aut sunt essentialia, quo ad primum modum dicendi per se aut sunt accidentalia loquendo de accidente proprio, quo ad secundum modum dicendi per se. Et aduertas quod non absque iniuria Auer. addidit illam particulam. {in hac arte} Quoniam non quęcunq; ars pertractat conditiones & proprietates præmissarum demonstrationis simpliciter, sed tantum de eis pertractatur in hoc lib. primo posteriorum analyticorũ, ueluti protulit Auer. nosset primo posteriorum analyticorum in textu commenti decimi septimi in calce illius cõmenti ueluti ibi adnotauimus. Deinde dicit ipse Auer. {Verũtamen & æstimatur.} Hæc est secunda pars huius commenti in qua Auer. digreditur & satis pulchre, & huiusmodi Aue. digressio originatur ex duobus dubiis, quæ ipse Auer. erexit aduersus Arist. Primum dubiũ tale est, nam uidetur Arist. errasse, quia dixit quod solum prædicata per se, sunt in primo & in secundo modo, & tamen uidetur oppositum. nã aliqua sunt prædicata per se. quæ non sunt, neque in primo, neque in secundo modo dicendi per se, & talia sunt definitiones relatiuorum, ut habetur, a principe philosophorum Aristo. in libro sexto topicorum capitulo quarto, & hoc primum dubium tangit magnus noster commentator Auerro. cum dicit. {Verũ tamen æstimatur esse} & manifesta est modo constructio literę Auer. circa hoc primum dubium. Secundum tangit dubium cum dicit. {Similiter putatur quod &c.} Et uult dicere sic ipse Auer. quod maior pars causarum efficientium est, per se, & necessaria, & tamen non prædicatur neque in primo neque in secundo modo dicendi per se, ergo non tantum sunt duæ species prædicatorum per se. sed debet dari tertia species prædicatorum per se, & ideo dicit Auer. {Cur ergo Arist. non posuit huiusmodi tertiam speciem &c.} & circa literæ expositionem notabis, quod dixit Aue. {prout est maior pars causarum efficientium} quoniam sunt aliquæ causæ agentes, quæ cum sint connexæ & coexistentes rei capiuntur & ingrediuntur definitionem ipsius rei, exemplum ponitur ab Auer. infra comm. 35. interpositio terræ inter solem & lunam, est causa efficiens ipsius eclypsis, & est coexistẽs & cõnexa illi. {Quoniam non omnes} dicit Auer. quod non omnes causæ accipiuntur in definitione, & per hoc probat quod nõ omnes causæ agentes sunt prædicata per se, quia non omnes accipiuntur in definitione, nam solum causa formalis, est illa quæ ponitur in definitione, quæ quidem causa semper est in subiecto, in omni differentia temporis, & ideo hæc sola ingreditur definitionem ut habetur septimo metaphysices textu & commento trigesimoquinto, & secundo posteriorum cap. de causis, & primo posterio. tex. commen. 7. ueluti ibi diximus definiendo ipsum scire, reliquæ uero causæ possunt esse extra ipsum subiectũ, nã causa materialis potest esse absque subiecto ipso & composito, causa agens & finalis similiter, præter aliquas causas agentes, quę simul sunt cum subiecto, (ut dicemus infra in com. 35.) & istæ accipiuntur in definitione ipsorũ subiectorum. Ista sunt duo dubia quæ erigit Aue. quibus probat contra Aristo. quod præter duas species prædicatorum per se. debet dari alia tertia species prędicatorum per se, ut patet de relatiuis, & de maiori parte causarum efficientium. {Et aduertas quod Auer. in soluendis hisce duobus dubiis, hunc obseruat ordinem, primo expedit se de secundo dubio, & secundo soluit primum dubium, & & circa secundum dubiũ uolens expedire se ipsum dicit hæc uerba. {Huius autem responsum transferendum est in illius loci expositione.} Non soluit Auerro. secundum dubium, sed pollicetur se soluturum eum {in illius loci expositione} scilicet infra paulo post in commento. 34. & 35. Nobis tamen pro nunc sic uisum est, fore soluendum hoc secundum dubium: præsupponendo, quod aliud est prędicatũ per se, & aliud est esse per se, qua distinctione præhabita, dicimus, quod quando Arist. dicit, quod duæ sunt species seu modi dicendi per se, scilicet primus & secundus intelligit quod tantum duæ sunt species prædicatorum per se, & quando dicit quod causæ sunt per se, aduertas quod non intelligit, quod sint prędicata per se, sed quod sunt per se, idest per se attribuuntur ipsis subiectis modo differt dicere prædicatum per se, & esse seu attribui per se, ueluti sunt ipse causæ agentes, quæ attribuuntur per se, & non sunt prædicata per se, & sic cum diuersi mode loquatur Arist. de per se, tollitur contradictio, nam uera contradictio ueluti docuit Arist. primo periherm. est unius de eodem & c. Ista sunt quæ nobis dicenda occurrunt circa huiusce modi secundi dubii solutionem. Deinde dicit. {hic autem respondetur ad alteram ambiguitatem} Auer. uult respondere ad primum dubium, & dicit. {& dicimus quod eius intentionis.} Respondet Auer. ad primum dubium quod tale erat, quia uidebatur Arist. errasse, eo quod posuerit solum illa prędicata esse per se, quæ sunt in primo & in secundo modo, & pręteremiserit relatiua (quæ sunt prædicata per se, & tamen non sunt, neque in primo, neque in secundo modo. Nunc ipse Auer. dat solutionem, & dicit quod licet sit tradere, res, quibus utendum est in maiori per illud quod ipse protulit sexto metaphysi. commen. 6. quod regulę artificiales ualent, ut in pluribus. nam ista regula fallit in relatiuis, modo dicit Aristot. quod sunt per accidens, quæ sunt ut in paucioribus & ars despicit, legito Aristo. sexto metaphysic. tex. comm. 5. ubi annotauit regulam ad cognoscendum, quandu aliquid est necessarium, & aliquid est per accidens & dicit ibi quod illud, quod neque est semper, neque est secundum magis, est per accidens. Aliam quoque possumus addere responsionem (præter illã Auer.) quæ est talis, quod illa sunt prędicata per se, quę ingrediuntur demonstrationem, ut dicemus in textu trigesimoquinto diffusius: sed relatiua non ingrediuntur demonstrationem, ergo non sunt prædicata per se, sed per accidens. & probatur minor, quod, scilicet, ipsa relatiua non ingrediantur demonstrationem, quoniam omnis demonstratio includit ignotum naturaliter, non enim ad per se nota erigitur demonstratio, sed ad ignota, ut patet secundo posteriorum primo, sed ipsa relatiua non includunt ignotum naturaliter. nam uel sunt æque nota, uel æque ignota. ergo non ingrediuntur demonstrationem, & ex consequenti si non ingrediuntur demonstrationem, erunt prędicata per accidens. Probatur adhuc ipsa minor, cum scilicet ipsa relatiua, eorumq; definitiones, demonstrationem non ingrediuntur, quoniam omnis demonstratio ex primo posteriorum comment. 95. & alibi ut sępe sæpius diximus, uel est quia, uel propter quid, uel potissima, & omnes istę

tres

tres species aliquam causam habent, ipsa enim demõstratio, quia habet causam in cognoscendo, licet non in essendo, sed in relatiuis unum non est causa alterius, ueluti docuit Aristo. capitu. de relatiuis, & in post prædicamenta cap. de simul. eadem quoque ratio assignari potest, cur ipsorum relatiuorum definitiones non ingrediantur demonstrationem, quoniam omnis definitio est per causam formalem, septimo metaph. tex. comm. 15. sed relatiuorum nulla est causa formalis, ergo nec definitio ipsorum ingredi poterit, probatur etiam ipsa eadem minor hac alia probatione, quia omnis demonstratio est per notiora & priora ex hoc primo poster. tex. commen. 11 & 12. sed in relatiuis unum non est notius altero, quia sunt simul natura ueluti docuit Arist. ergo relatiua non ingredi possunt demonstrationem, & memẽto. quòd nos in expositione primi textus annotauimus, quod illa maior proposito, omnis doctrina & omnis disciplina &c. non contineat sub se relatiuorum notitiam. Sed insurgit dubitatio aduersus id quod dictum est, quod, scilicet relatiuorum unum nõ est causa alterius, nam uidetur oppositum, quoniã protulit Arist. secundo phys. tex. comm. 30. quòd materia & forma sunt sibi inuicem causę, & sunt relatiua ipsa materia & forma, ut patet secundo phys. tex. commen. 36. ergo unum relatiuorum est causa alterius, & ex consequẽti uidetur Arist. sibi ipsi contradicere, cũ in libro prædicamẽtorum oppositum dicat, quod unum relatiuorum non sit causa alterius Respondetur uerum esse, quod materia & forma sunt relatiua ueluti dixit Arist. secundo phys. tex. commen. 26. sed distinguendũ est de relatiuis, & dicimus quod materia & forma non sunt relatiua secundum esse, sed secundum dici, & sic posset dici fortasse, quod Aristo. intellexit de relatiuis secundũ esse, cum dixit, quod unum relatiuorum non est causa alterius, sed non intellexit de relatiuis secundum dici, cuiusmodi sunt materia & forma. Posset etiam dici, quòd materia & forma sunt relatiua. tamen quando dixit in secundo phys. tex. comm. 30. quod sunt sibi inuicẽ causæ, dicimus quod non intellexit ut sũt relatiua, sed ut sunt substantiæ, idest non intellexit formaliter sed fundamentaliter, & sic non erit absonum confiteri, quod relatiua sunt sibi ipsis causæ, non ut relatiua sed ut sunt substantię, sicuti patet in proposito de ipsa materia & forma, & dubitatio nulla est: Redeamus ad exponendum residuum commento. Dicit Auer. { Definitiones enim sunt compositorum quæ sunt perfecto esse } Notato, quod Auer. declarat suam responsionem, quam dedit ad primum dubium de relatiuis, & dicit quod definitiones sunt compositorũ, quia composita ipsa habent, perfectum esse, scilicet extra animam, nam rea quę non sunt extra animam, sunt simplices, & definitiones ipsarũ sunt imperfectæ, quia non habent ueram existentiam extra animam, sicuti sunt relatiua, res, enim sicuti sunt ita definiuntur, nam ueræ definitiones sunt substãtiarum, ut patet septimo metaph. tex. comm. 14. solius substantiæ est definitio principaliter, & secundario aliorum entium, ueluti etiam dixit Auer. septimo metaph. commen. 32. & & commen. 14. & 15. Si uero ulterius scire cupis iuxta Auerro. mentem, cuius sit definitio, singularis, an uniuersalis lege Auer. in epit. logic. in secundo quæsito logic. ubi de intento soluit hoc dubium, & non tedebit te, illuc recurrere, pro nunc sat sit monstrasse locũ, non enim præsens negotium expostulat, ut de intento quæstio fiat, utrũ singularium, uel uniuersalium sit definitio: & ad literam Auer. redeundo dicimus, quod cum ipsa relatiua, nõ sint entia composita, non erit definitio ipsorum, & cum dicit Auerro. { Quarum esse est quasi in mente } uult probare, quod non sint entia composita, quia sunt quasi in mente. Et animaduersione dignum est, quod non potest intelligi quomodo relatiua sint quasi in mente, ut prius hoc annotetur, quod relatiua habẽt duo significata, scilicet esse formale, & esse materiale. esse materiale dicitur fundamentum ipsorum relatiuorũ, in quibus inuenitur ipsa relatio & esse formale est ipsamet relatio, & ista relatio indiget discursu & est in intellectu. & sic intelliguntur ista uerba Auer. quando dicit, quod esse ipsorum relatiuorum { est quasi in mente } idest esse formale ipsorum relatiuorum. modo esse formale est maior pars rei. & ideo maiorem entitatem habent in intellectu ipsa relatiua, quam extra animam. Amplius notandum est. quod ideo Auerro. dixit in commento. quòd relationes sunt simplicia, quia quod est in intellectu, est simplex ut patet tertio de anima, sicut intellectum est, ita apprehendit, sed est simplex, ut patet tertio de anima tex. commen. 14. quod est sicuti tabula &c. ergo simplicia apprehendit sed sic est. quod relatiua sunt in intellectu secundum esse formale ergo sunt simplicia, nam quod est in intellectu est forma & non compositum ut patet tertio de anima tex. comm. 38. species lapidis, & non lapis est in anima, & tertio de anima tex. commen. sexto dixit Aristo. quod intellectus est locus specierum, & Auerroes pulcherrime enucleauit hoc in libro destruc. destructionum aduersus Algaz. disput. tertia in solut. dubii 18 ubi dicit, quod intellectus humanus & alii intellectus scilicet intelligentiarum communicant in hoc, quod intelligunt entiũ formas & ꝙ forma cuiuslibet est id, quod comprehendunt de forma entium, & eorum ordine, sed differunt quia entium formæ causæ sunt humani intellectus ab eis enim perficitur sicut quælibet res perficitur, a sua forma, sed intellectus aliarum intelligentiarũ est causa entium, ex quibus uerbis colligere hoc duntaxat uoluimus, quod noster intellectus simplicia apprehendit, & ob id ipsa relatiua cum fint in mente seu intellectu, dicuntur simplicia, ita quod ualet consequentia. sunt in intellectu. Dubitabit iunior, cur Auer. addidit ly. { quasi } quando dixit. quod relatiua sunt quasi in mente? Dicitur additam fuisse illam particulam { quasi } ne crederemus quod ipsa relatiua secundum totale esse eorum. essent ab intellectu. Et notabis etiam quod si ly, quasi, sumatur, id est uere, dicimus quod hoc asserere non erit absurdum, quia paulo ante dictum est, ꝙ ipsa relatiua secũdum esse formale ipsorũ, sunt in intellectu, & si uerè secundũ esse eorum materiale non sunt in intellectu. Et tandem completiue dicimus quod ideo dixit Auerro. ipsa relatiua esse in mente, quia parum sensu percipiuntur, & ideo quasi in mente, } quasi parum entitatis habent, ueluti ipsemet dixit in 12. metaph commento. 19. quod relatio est debilioris esse ex eis prædicamentia, ita quod quidam putauerunt, quod esset ea secundo intellectis, unde discurrendo per omnia prædicamenta, excepto prædicamento relatiuorum, nã si uidetur quantitas uel qualitas, statim cognoscitur quanta & quomodo est, at relatiua difficile cognoscuntur, nam si uidetur Sortes, qui est filius, & Plato qui est pater non cognoscitur, ꝙ ille, sit filius, & ille sit pater nisi uideatur Sortem esse filium, & Platonem esse filium Ex quibus omnibus concluditur quod relatiuorum non sũt uerę definitiones, nam si haberent ueras definitiones, quia sunt reciproce, idem esset causa alterius, quod est absurdum, ueluti exposuit Aristotel. in libro prædicamentorum in postprædicamentis, cap. de simul, ubi dicitur, ab Aristot. quod relatiua sunt simul natura. & sic unum nõ est causa alterius. { Et respõsum quo ad illud } dicit Auer. quod quorum non est definitio scilicet uera esse, potest definitio sed imperfecta, de qua definitione imperfecta non intendimus, & assignat Auer. rationem cum dicit { ac ipse Arist. etiam &c. } ita quod uult sic dicere, quod regulæ hic datæ ab Ari. sunt ueræ pro maiori parte, & sunt essentiales huic arti { Res uerò quæ peculiares sunt &c, } idest illæ res quę appropiantur unicuiq; generi entium sunt in artificiales, & sic sunt, ut in paucioribus, modo ea quæ sunt ut in paucioribus, sunt per accidens, ueluti supra no-

tauimus ex Arist. sexto metaph. tex. comm. quinto. Nā regula artificialis est uniuersalis, & continet plusquam unū genus } idest est in pluribus & ideo dixit ipse Auer. in principio huius comm. quod prædicata, quæ sunt præter primum & secundum modum, illa pro maiori parte sunt accidentalia, & cum dicit { de prædicatis accidentalibus quod sint musica } Hæc est tertia pars huius cōm. in qua ipse Auer. exponit textum, & dicit quod ista sunt prędicata accidentalia, animal est album & animal est musicum. nam albedo, & musica, non sunt de essentia animalis quatenus est animal. quoniam animal per se diuiditur in bouem & asinum &c. & non in album, uel non albū & musicum, nam in album & non album diuiditur { coloratum inquantum est coloratum } & similiter in musicū & non musicum non diuiditur animal, sed homo { cum ipsa, } scilicet musica sit { illi, } scilicet homini } essentialis, } idest per se, & sic illud quod est per se, est de omni. Et aduertas, quod cum musica sit essentialis & per se ipsi homini, quod primus modus proprii quem posuit Porphyrius est idem cum quarto modo, quia musica conuenit soli homini, ut dicit ibi Porphyrius & conuenit omni, nam est per se sed quod est per se est de omni, licet non actu, aptitudine tamen. Sed occurrit dubitatio non prætereunda, quomodo intelligi debent uerba illa Auerro. quod regulæ ut in paucioribus non sunt artificiales. Dicitur q̃ hoc modo ueniunt intelligenda, & uerificanda, quoniam quod est in paucioribus, non est de omni, quod non est de omni, non est per se, quod non est per se est per accidens, quod est per accidens non est artificiale, nam ars cōsiderat ea, quę sunt per se, & despicit ea, quæ sunt per accidens, & ista sufficiant circa præsens commen.

Amplius quod non de subiecto dicitur alio quodā, ut ambulare alterum quid existens, ambulans est, & album: substantia autem & quæcunque hoc aliquid significant, non alterum quid existentia sunt, quod quidem sunt: Quæ quidem igitur non de subiecto, per se dico, quæ uerò de subiecto, accidentia.

Omnes expositores conueniunt (Themistio excepto) quod Arist. postquam declarauit duo significata seu duos dicendi modos per se, nunc tertium intendat declarare modum dicendi per se. Et licet uerum dicant Arist. tertium declarare significatū ipsius per se, tamen eos defecisse asserimus quia causam non assignant, ob quam ipse Arist. ductus fuerit ad assignandos alios modos ipsius per se, cum tantum duo supradicti modi demonstrationi deseruiant potissimæ, uelut ipse determinat tex. 35. quapropter cum latini nō assignauerint causam propter quā Arist. præter duos supradictos modos, alios etiam uoluerit assignare modos, merito arguendi ueniunt. Themistius quoque licet optime senserit circa textus enucleationem, quod primæ dumtaxat substantiæ in tali reponatur modo, defecit tamen, sibi ipsi persuadens, quod Arist. quartum uelit assignare significatum ipsius per se, & iste error dependet a superiori tex. ex quo tertium ipse excerpsit significatum, de ipsis prædicatis accidentalibus, quod falsum esse pro constanti habuimus. Ideo sic continuandū est, quod postquam Arist. explicauit, declarauitq; primū & secundum modum dicendi per se, in hoc tex. intendit tertium, declarare modum seu significatum ipsius per se. Causa huius continuationis, intentionisq; talis est, quoniam regula est Arist. primo cœli tex. comm. 110. quod omne æquiuocum, prius est distinguēdum, antequam determinetur, sed ly, per se. est ęquiuocum, prius igitur uoluit Arist. uaria eius significata explicare, antequam determinet, quę significata, seu qui modi dicendi per se deseruiant demonstrationi potissimæ, hanc causam diffusius explicauimus in principio comm. ex Auer. placitis. Et animaduersione dignum est, quòd in declarando huiusce modi tertio significato, seu dicendi modo per se, uariæ sunt expositorū opiniones. Prima expositio est Roberti Linconensis asserentis, quod per se dupliciter sumitur, scilicet complexe, & incomplexe, primo modo capitur tripliciter, scilicet pro primo, secundo, & quarto modo dicendi per se: secundo uero modo, quando sumitur incomplexe, capitur etiam tripliciter, quia ly, per se, aut excludit omnem causam, & sic Deus est per se, aut excludit causam materialem & sic intelligentiæ sūt per se, aut modū essendi in alio, & sic substantiæ primæ scilicet Sortes & Plato sunt per se, dicit ergo Linconiensis, quòd Arist. per { substantiam } intelligit substantiam primam prædicamenti substantiæ, & per { quæcūque significant hoc aliquid } intelligit deum & intelligentias. Ista expositio imponit superfluitatem Arist. quod non est dicendum, & quod imponat superfluitatem probatur hoc modo, quia poterat dicere } ut quæcūque significat hoc aliquid absq; quod poneretur ly, { substantia } nam significare hoc aliquid principaliter dicitur de substantia prima ueluti docuit Arist. de prædicamento substantiæ in tertia proprietate. Præterea significare hoc aliquid dicit Arist. in prædicamento substantiæ in tertia proprietate est proprium omnis substantiæ primę, quæ dicitur in ordine ad substantiam secundam, quæ significat quale quid, ut ibidem asseruit Arist. sed deus & intelligentiæ non dicuntur substantię primæ, in ordine ad substantias secundas, non enim habet genera & species, & præcipue Deus benedictus. non igitur Arist. per significare hoc aliquid intelligit deū & intelligentias. Philoponus duas inuere uidetur expositiones, quarum una est hæc, quod Aristo per { substantiam { intelligit secundas substantias: & per { quæcunque hoc aliquid significant } intelligit substantias primas, ista quoque expositio falsa est. quoniam Aristo. concludēs in calce huius tex. suam opinionem quid intelligat per illud quod est per se in hoc tertio significato, dicit { quæ quidem igitur non de subiecto sunt per se dico } sed secundæ substantię, scilicet species & genera, dicūtur de subiecto ergo non sunt per se in hoc tertio significato, & quod dicitur contra Philoponum, aduersus etiam Thomam de uio concludere dicimus, nam cum Philoponó in huius modi expositione conuenire uidetur. Et aduertendum etiam est, quod non est opinio diui Thomæ, quod Arist. per substantiam intelligat genera, & species prædicamenti substantiæ per { quæcunque hoc aliquid significant } intelligat primas substantias. sicuti falso impingit Paulus Venetus, nam diuus Thomas dicit, quod iste modus tertius de ly, per se non est modus prædicandi sed dicitur modus existendi. tunc si iste modus tertius, est tantum existendi, sequitur quod non conueniret in tali modo ipsæ substantiæ secundæ quoniam prędicantur de suis inferioribus, & sic diceretur modus prædicandi potius quam existendi, quod neget diuus Thomas, quare maximopere arguēdus uenit Paulus Venetus, cum attribuat diuo Thomę, quod ipse non explicat: Quinimmo dicimus diui Thomę opinionem conformem Arist. auribus. & solus ipse inter latinos ueritatem tetigit circa hoc. Reliquum est ut omissis hisce expositionibus sic clare dicatur iuxta Arist. mentem, quod tertius iste modus per se, est primarum dumtaxat substātiarum, quæ proprie, & principaliter per se subsistunt, seu existunt, ueluti uberrime Arist. in prædicam. in cap. de substantia explicauit, quæ non solum subiecto non insūt, sed neque de subiecto dicuntur, sicuti iam digressi fuimus superius in expositione tex. quarti contra Porphyrium de definitione indiuidui. Ex quibus inferimus, quod substantię secundæ, & accidentis haudquaquam reponi debent in hoc tertio modo seu significato ipsius per se, &

quod

quòd hæc sit Arist. intentio in hoc tex. facile unusquisque uerba Arist. recte perpendens cognoscere poterit, nam dicit Aristote. in tex. { Amplius quod non dicitur de subiecto alio quodam, } idest illud dicitur esse in hoc tertio significato ipsius per se, quod non prædicatur de aliquo subiecto, & hoc in rei ueritate tantum est prima substantia { ut ambulare alterum quid existens ambulās est } Aduertas (quicquid alii expositores afferant) quod Aristo. declarat & explicat hoc tertium significatum per opposita, nam ut protulit Auer. in epito. logic. cap. de rhetor. demonstr. rei intelligentia per suum oppositum efficitur notior, & dicit ut ambulans. & album est alterum, idest nō existunt per se. sicut prima substantia. Aut dicendum est & potest esse alia expositio, quod per ambulans & albū Aristot. intelligat subiectum ambulationis quod utique est substantia prima, & similiter subiectum albedinis quod est etiam substātia prima. nam subiectum primum & immediatum accidentis communis est substantia prima, homo enim sanatur, quia Callias sanatur, ueluti docuit Arist. in primo metaph. & hæc alii expositores non uiderunt { Substantiæ autem & quæcunque hoc aliquid significant } hunc exemplo manifestat, & dicit ꝙ illa sunt in hoc tertio modo seu significato { quæ significant hoc aliquid, } idest quę sunt substantiæ primæ, ueluti ipsemet Arist. uoluit in cap. de substantia, quod substantia prima est illa quę proprie hoc aliquid significat, sicuti etiam paulo ante diximus { non alterum quid existentia sunt, quod quidem sunt } nunc probat Arist. quare ipsæ primæ substantiæ dicantur per se existere, & ratio talis est, quia nō indigent aliquo ad existendum ueluti ipsæ secundæ substantię, & accidentia omnia, & hoc in quā modo exponi debent ista uerba, & dicant alii quicquid uelint. { quæ quidem igitur non de subiecto per se dico } Epilogat Aristo, ex dictis inferendo, & concludendo, quę sint illa, quæ reponenda ueniunt in hoc tertio significato, & dicit } per se dico, } idest nuncupo & dico, illa esse in hoc tertio significato per se, quę neque de subiecto dicūtur, neque etiam subiecto insunt. { Quę uerò de subiecto accidentia } idest quæ uero de subiecto prædicātur, uel subiecto insunt, accidentia uocantur. Ex hoc epilogo sole clarius constat quod solum substantiæ primæ in hoc tertio modo per se reponi dicuntur & ex consequenti tertius iste modus, existendi, & non prædicandi dicitur. Sed dubitare posset iunior, quod non solum substantia prima uerum etiam substantia secunda intelligi debet in hoc tertio modo dicendi per se, nam dicit Aristoteles in hoc tex. { Substantia autem & quæcunque hoc aliquid significant } Ex quibus uerbis clarissime colligitur, quòd etiam substantia secunda intelligi debet, quoniam ly { & } est dictio copulatiua, copulans diuersa, ita quod per substantiam debemus intelligere secundam substantiam, & per hoc aliquid significatur substantia prima, & sic ly { & } copulat diuersa: & si sic non diceretur, utique Arist. superfluus fuisset, quamobrem non solum prima substantia, sed secunda intelligi debet in hoc tertio modo dicendi per se. Huic dubitationi ita breuiter respondendum esse dicimus, quod nullius est roboris, & momenti, quoniam illa particula { & } non sumitur in tex. copulatiue, sed expositione, ueluti Scotistis placuit in septimo meta. tex. comm. quarto quod cum dixit Arist. substantia est prior accidente, ratione, cognitione, tempore, & natura, nam uolunt ipsi quod ly &, sumatur expositiue, an illorum expositio sit uera, & peripathetica, non est præsentis negotii, sat sit monstrasset locum: nos uerò dicimus quod ly, { & } expositiue sumi debet & non copulatiue, & dicant alii quicquid eis libuerit. Et si instabit adhuc iunior, quoniam nomina synonima non usitantur in doctrina demōstratiua, ueluti exarauit Auerro. primo phys. comm. primo & quarto physic. comm. 189. & primo cœli comm. primo, ergo si Arist. per substantiam intelligit substātiā primam, & per hoc aliquid significare intelligit etiam substantiam primam tunc Arist. usus fuisset nominibus synonimis, & superfluus quoque diceretur. Respondetur ex Auerro. in quarto physic. commen. 45. quod nomina synonima usitantur in doctrina demonstratiua ad exponendum, sicuti est in proposito, ita quod tex. Aristo. hoc pacto intelligi debet { substantia autem & quæcunque hoc aliquid significant } idest substantia, & idest quæ hoc aliquid significat ut substantia prima, adeo quod secūda particula est expositiua primæ particulę, & hoc pacto exponendo, uera habetur Aristote. intentio: Alia quoque occurrit dubitatio ex textu Aristo. quid ipse intelligat per subiectum? Respondet Thomas de uio Cardinalis, quod intelligit subiectum inhæsionis, huius etiam opinionis quamplurimi sunt. Nos uero omissa multiplici significatione huius nominis subiecti, quam notauimus in quæsito de subiecto, dicimus quod Aristote. in principio tex. & in epilogo, per subiectum intelligit, inferiua, ita ꝙ sensus uerborum Aristotelis talis est, quod substantia prima non dicitur de subiecto aliquo, idest non prædicatur de aliquo inferiori sub se. Et Aduertas, quod hoc idem annotauimus superius in expositione tex. comm. quarti ubi fecimus digressionem aduersus Porphyrium de indiuidui descriptione: potest etiam intelligi subiectum inhæsionis, habendo respectum ad accidentia, sed quod Arist. de nullo alio subiecto hic loquatur, nisi de subiecto inhæsionis (ueluti Thomas Cardinalis & alii secum dixerūt) absonum est dicere. Adhuc dubitandi an ex tex. occurrit nam in calce ex. scilicet in epilogo dicit ipse Aristo. { quæ uero de subiecto accidentia } Ergo species & genera prædicamenti substantiæ cū dicantur de subiecto tunc erunt accidentia, & sic substantia diceretur accidens, quod est absurdum. Hanc quoque dubitationem multifariam euadere possumus, & primo quidem sic, quod Arist. per dici de subiecto, intellexit esse in subiecto, sicut accidentia insunt subiecto. Et notato quod ipsū, esse octo modis sumitur ab Arist. in quarto physic. tex. commen. 23. & legito ibi. Secundo potest dici, quod aliquid esse accidens potest intelligi bifariam, aut secundum rem, idest quod ipsa res sit accidens, aut secundum modum, nam substātiæ præcipue ipsius substantiæ primæ est per se existere, & quicquid non existit per se, sed existit in alio, uidetur habere quendam modum accidentalem. Qua propter cum solæ primæ substantię per se existant, cætera alia sunt in ipsis primis substantiis, dicendum est, quod omnia alia a primis substantiis sunt accidentia, & sic ad formam dubitationis respondendo dicimus. quod genera & species prædicamenti substantię dicuntur accidentia non secundum rem: sed secundum modum, quatenus non per se existunt, sed ut existunt in primis substantiis.

Commen. 33.

Ex quo intentio hic est numerare, } Istud commen. secatur in duas partes, in continuatiuam, scilicet & expositiuam. continuatiua pars patet in principio commen. & expositiua ibi. { Et dicitur breuiter } Quo ad primam igitur partem, ita continuat Auer. quod postquam explicauit Arist. duas species primi modi dicendi per se, quę præmissis demonstrationis simpliciter cōueniūt, incœpit mētionem facere de tertia specie seu de tertio significato ipsius per se. Et cum dicit. { Non quia sit aliquid } notato. quod Auerro. tacitam remouet obiectionem quam aduersus Aristo. aliquis facere posset, cum ista tertia species seu tertium significatum non faciat ad propositum quia deseruit demonstrationi potissimæ, cur igitur cum Arist. posuit ergo superfluua fuit ipse Aristo? unde Auerro. uolens excludere hanc obiectionem. dicit, { Non quia sit ali

quid iuoans } Et uult dicere Auerro. quòd Aristote. non posuit hanc tertiam speciem, ut iuuaret, seu ut esset necessaria ipsa demonstrationi potissimæ, sed posuit eam ut seruaretur regula data ab ipso primo cœli tex. commen. quod omne æquiuocum prius est distinguendum. hanc etiam regulam confirmauit ipse Auerro. quarto phys. comm. 14. in principio commen. ubi dixit, quod artifex demonstratiuus prius distinguit nomina æquiuoca. uide etiam pro hoc quomodo intelligatur in tertio, & quinto, metaph. utrobique commen. primo qua propter cum ipsum per se sit quoddam æquiuocum uoluit ipsum distinguere, & accipere membra quæ faciūt ad propositum, & adeo dicit Auer { Et dirigat ad significatum de quo intendit sermonem facere,} idest ex tot significatis ipsius per se, eliciantur & secernantur ea duntaxat significata, quæ uere faciēt ad præmissas demonstrationis simpliciter. } Et dicitur per se de omnibus } Hæc est secunda pars huius commen. in qua Auerro. exponit tex. declarando quæ sint illa, quæ sunt in tertio modo seu significato per se. & dicit quod sunt ipsa singularia prædicamenti substantiæ, quæ sunt, & existunt per se, & non existunt in aliis. { Et huic significato repugnat quod alteri inhæret } Dicit Auerro. quod contrarium ipsis singularibus substantiæ, est ipsum accidens, nam sicuti substantia per se existit sine aliquo, ita accidens non potest esse & existere sine aliquo } prout est ambulans } Nunc declarat quæ sint ista, quæ sunt contraria. & contrario modo se habēt, quam ipsa singularia substantiæ, & illa quæ subiiciuntur ipsi deambulationi, sunt alia, a singularibus. { deambulationis } idest accidentium. { Significatum enim deambulationis } Declarat quæ sint ista, & dicit quod significatum deambulationis, idest ipsius accidentis quod inest ipsi ambulanti. est aliud quam ipsum subiectum ambulationis quod est singulare substantiæ. { Deambulatio autem inhæret alteri } Reddit causam cur sint diuersa. & dicit quod deambulatio inhæret alteri, idest deambulanti { Intendit subiectum albedinis } Nunc declarat exempla Arist. in tex. & dicit quod quando Arist. dicit. { Album } Intendit subiectum albedinis quod est singulare substantiæ { Et quicquid quale ipsum } Exponit ea quæ sunt per se in tertio modo. & dicit quod sunt ipsa singularia substantiæ, quæ non existūt in aliquo sed per se sūt, nec etiam prędicantur de aliquo, & illa quę existant in aliqua re, sunt accidentia. { Intendit quòd hæc singularia } Declarat ista singularia substantiæ, & dicit quod illa. { quæ intendimus per demonstrationem. } Sed uidetur Auer. sibi contradicere, quoniam superius dixit quod iste tertius modus in quo sunt ista singularia substantiæ, non ingreditur demonstrationem, hic uero dicit, quod intendimus singularia propter ipsam demonstrationem. qua propter expręsse sibi contradicit. Pręterea, singularia sunt corruptibilia, de corruptibilibus nō habetur sciētia neque demōstratio, ut patet primo poster. diffusius & septimo metaph. 18. & 53. Pręterea omnis scientia, aut definitione, aut demonstratione habetur, nam duplex est instrumentum sciendi, ueluti explicauit Auer. in prologo primi poster. & tu legito quæsitum nostrum de nobiliori instrumētum sciendi, sed ipsa singularia non definiūtur nec demonstratione sciuntur, ueluti explicauit & docuit Arist. septimo metaph. tex. commen. 53. & tex. comm. 35. Dicimus haudquaquam Auerro. sibi ipsi contradicere, & primo sic dicitur, quod ipsa singularia quatenus sūt singularia. non sciuntur, nam sunt corruptibilia & sunt infinita per Porphyrium cap. de specie, sed si sciuntur hoc sub ratione uniuersali: adhuc si scire cupis cuius nam sit definitio an singularis uel uniuersalis, legito Auer. in epit. logic. quęsito secundo logic. sat sit pro nunc monstrasset locum Potest etiam dici, & magis ad propositum, quod non est intentio Auerro. quod ipsa singularia ingrediantur demonstrationem, & quod hæc responsio sit uera, pon deranda est translatio Buranæ, ubi sic dicitur. { Et hæc sunt indiuidua, quorum exempla intendimus per designationem ex parte } Vnde increpanda uenit translatio Abrahami, quia hoc modo dicendo, patet non fuisse Auerro. mentem, ipsa singularia ingredi demonstrationem & non debet legi { per demonstrationem, } ut dicit translatio Abrahami. sed debet legi } per designationem } ut dicit translatio Buranæ, & per designationem debemus intelligere manifestationem. subdit Auerro. { Quatenus ipsa esse. } aduertas quod iterum ipse Auerro declarat ista, & dicit quod sunt illa quæ non existunt in aliquo, ut ipsa singularia accidentium, neque prædicantur de aliqua re per se, & naturaliter, ueluti diffusius superius in expositione tex. quarti, ubi digressi fuimus aduersus Porphyrium de indiuidui definitione, & in expositione commen. quarti. ubi discrimen posuimus inter indiuiduum accidentis, & indiuiduum substantiæ, eo quia indiuiduum prædicamenti accidentis prædicatur de aliquo naturaliter & non uniuersaliter, sed ipsum indiuiduum prædicamenti substantiæ, non prædicatur de aliquo neque naturaliter, neque uniuersaliter. { Et hoc est id quod dicitur } Confirmat hoc per definitionem ipsorum, quæ dicuntur primæ substantiæ, nam primæ substantiæ non sunt in aliquo nec dicuntur de aliquo, ueluti patet in cap. de substantia in prędicamentis. { Hoc est dictu } nunc declarat illam prędicationem primarum substantiarum, & dicit quod sunt illa quę non notificant essentiam alicuius rei, nec aliquam rem, quæ sit extra suam essentiam, idest non non notificant de aliquo prædicationem essentialem, idest quæ notificat essentiam alicuius, neque quæ non notificat essentiam, scilicet accidentalem prædicationem, nam si dicimus, uenien est Sortes, nunc licet ista sit prædicatio per accidens, tamen non est naturalis, immo econtra, quia ueniens seu ipsum accidens naturaliter est in Sorte, & ita debet prædicari, & si prædicatur econuerso, est contra positionem nostram, & non quod ita sit apud naturam, ars enim debet imitari naturam ueluti nobis notatum reliquit Arist. quarto meteo cap. 28. & alibi.

Adhuc autem alio modo quod quidem propter ipsum inest unicuique, per se dico quod autem non propter ipsum, accidens. ut si ambulante corruscauit, accidens est: non enim propter ambulationem corruscauit, sed accidens dicimus hoc. Si uero propter ipsum, per se, ut si aliquid interfectum interijt, & secundum interfectionē quoniam propter id quod interfectū est, interijt. Sed non quod accidat interfectum interire.

Postquam Arist. explicauit ac declarauit tres modos seu tria significata ipsius per se, nūc quartum modum seu significatum ipsius per se, aggreditur. Neque nobis sit curæ, quod Themist. quintum dicat esse significatum, quoniam, quoquot quatuor assignant esse significata, rectius Aristot. mentem percipiunt, quam ipse Themist. qui quinque esse uoluit. unde dicit Aristot. { Adhuc autem, } idest ultra tres supradictos modos, illud dicitur per se in hoc quarto modo quod inest alicui propter ipsum, & non dicitur esse illud, quod non inest propter ipsum, nam illud quod inest propter aliud est per accidēs. { Vt si ambulante corruscauit } Aduertas quod Arist. dat exemplum de ambobus, tam, scilicet de eo quod inest alicui propter ipsum, quam de eo, quod inest per accidens, & primo dat exemplum de eo quod inest per accidens. { Vt sit ambulante corruscauit, } idest si aliquo ambulāte corruscauit est accidens. { Non enim propter } assignat causam, quod sit per accidens, & non per se, sumendo illud quod nuper diximus, quod illud est per se, quod inest

est alicui propter ipsum. deinde ponitur minor: sed ambulatio non est causa corruscationis, ergo sequitur quod si aliquis ambulauerit & corruscauerit, ista corruscatio non inerit per se illi ambulanti, sed per accidens.{Si uerò propter ipsum } Nunc exemplum ponit de illis quæ sunt per se, & dicit, si autem illud tale est causa uera illius, cui inest, illud est per se. nam ista dictio, propter, semper dicit causam, ut patet quinto metaph. { Vt si aliquid interfectum interiit, }idest quemadmodum si quis fuerit iugulatus & interierit, hoc erit per se, nam iugulatio est causa uera mortis.{ Sed non quod accidat interfectum interire } Nunc probat ipse Aristo. per oppositum, quòd sit per se, & dicit quod non accidit iugulatum interire, idest quod iugulatio non est causa per accidens interfectionis, quare si non per accidens, ergo per se, nam omne quod inest alicui, aut per se inest illi, aut per accidens, & non datur medium. Et ex hoc colligimus quod iste quartus modus dicendi per se, est quando causa prędicatur de causato, ita quòd dicitur modus causandi. Sed hic dubitandum occurrit, cum iste quartus modus dicatur modus causæ, seu causandi, quæritur an dicatur modus causandi, in omnibus generibus causarum, uel tantum in aliquo genere causarum? Ægidius Rom. & Paulus Venetus dicunt, quod in hoc quarto modo est habitudo causæ finalis & efficientis: sed significat causam finalem principaliter, & efficientem ex consequenti, quatenus scilicet necessitatur a fine, ad productionem eiusdem finis. Aliorum etiam fuit opinio, dicentium, quòd iste quartus modus tantum causam efficientem significat, nam dicuntur quòd causa per se æqualia sunt ex Arist. quinto metaph. tex. comm. 23. unde quot modis dicitur causa, tot modis dicitur per se, sed quatuor sunt genera causarum, ergo quatuor sunt genera per se quorum unum dicit causam formalē ut primus modus. secūdum dicit causam materialē ut secundus modus dicendi per se: tertium significat causam finalem, ut tertius modus dicendi per se: quartus uero significat causam efficientem, & est iste quartus modus dicendi per se. Et probant isti quod iste quartus modus significet tantum causam efficientem, quoniam Arist. in hoc tex. tantum exemplificat de causa efficiente, ergo signū est, quod iste quartus modus, dicitur modus causandi tantū in genere causæ efficientis, & in nullo alio genere causarum, ex exemplo Arist. in hoc tex. Nos uero contra asserimus pro ueritate, quod iste quartus modus dicitur modus causandi secūdum omnia quatuor genera causarum, scilicet secundū causam formalem, materialem agentem, & finalē sicut manifestatur per ista exempla, & primo in genere causæ materialis ut homo ē carneus, & archa est lignea, istæ propositiones sunt in quarto modo dicēdi per se: similiter de causa finali, ut homo est creatus a deo ad felicitatem, est in quarto modo, & etiam in genere causæ efficiētis, ut homo generat hominem, sicuti etiam exemplificat Aristote. de causa agente. Et notandum, pro causa materiali quod denominatiue prędicatur ueluti procului Auer. nono metaph. commen. 12. ubi dicit quod prædicatur denominatiue, non uere, sed attributiue, nam denominatiuum (ut dicit Aristo. in anteprædicamentis) est quodcunque ab aliquo habet appellationem secundum nomē & differunt casu, idest cadentia, sed subiectum de quo prędicatur ipsa materia, non prædicatur uere denominatiue, nam non solum habet ab ipsa apellationem secundum existentiam & per hoc differt denominatiuum ab ipso attributiuo (ut ibi dicit Auer.) Adhuc uerificantur in causa formali, ut homo est compositus ex materia & forma, Sed notato, quod quando ipsa forma est definitio uel pars definitionis, non prædicatur in quarto modo, sed in primo modo dicendi per se, sicuti supradiximus; in expositione tex. commen. 20. Amplius probatur ratione, quod iste quartus modus dicendi per se, sit modus causandi in omnibus quatuor generibus causarum & non in causa efficiēti uel finali ut omnes communiter asseruerunt, & ista ratio sumitur a definitione huius quarti modi, ueluti dicit Aristote. in hoc tex. ubi dicit quod illud est per se in hoc quarto, modo, quod inest alicui propter ipsum, sed & causa materialis, & formalis, & finalis & efficiēs, insunt per se alicui, ergo omnes causæ possunt esse in hoc quarto modo, & patet iam per exēpla supradicta, & per ista etiam. nam exercitium per se inest ambulanti propter sanitatem, quæ est causa finalis: materia etiam per se generatur & corrumpitur. concludendum igitur est, quod secundum hunc quartum modum possunt esse omnia quatuor genera causarum. Restat respondere ad eorum rationem, per quam probant quod tantum uerificetur iste quartus modus in causa efficienti, & dicimus quòd licet Aristot. non posuerit exemplum nisi de causa efficienti, non tamen propter hoc dicendum est quod etiam in aliis non uerificetur, quoniam in secundo poste. cap. de causis docuit demonstrare per omne genus causæ. Alia quoque dubitatio est, quomodo differant inter se isti quatuor modi dicendi? Quicquid antiqui & moderni expositores dicant, sic dicendum est, istos quatuor adinuicem differre, primus modus est eorum, quæ prędicantur, seu dicitur modus prædicandi: secundus dicitur inhærendi, tertius existendi & subiiciendi, quartus uerò dicitur modus causandi. alias quoque assignauimus differentias superius inter primum & secundum modum dicendi per se, plures Paulus Venetus & sequaces afferunt, quas sub silentio pertransire putauimus cum non sint peripatheticæ.

Commen. 34.

Hinc apparet q hoc sit quartum significatum.} Auer. in hoc commen. duo facit, primo continuat. secundo digreditur. causa digressionis est ista, quia uult soluere primum dubium quod mouit in commen. 32. Et aduertito, quod in calce huius commen. ibi cum dicit.{ Eius autem sermo in hoc paragrapho quem scripsimus est per se intelligibilis} assignat causam, quare dereliquit expositionē huius tex. Quo ad primam igitur partem, scilicet quo ad continuationem. Auer. ita continuat quod ubi Arist. expediuit se de tribus significatis ipsius per se, nunc quartū assignat significatum, licet aliqui (dicit Auer.) dixerint ac putarint, non esse quartum significatum. Et cum dicit. { Ex quo illius oppositum } ponit rationem illorum, qui dicunt hoc significatum non esse distinctū a supradictis, quia omne quod est, & inest alicui, aut inest per se, aut inest per accidens, sed oppositum isti quarto modo, est per accidens, ergo quod est in hoc quarto, modo, est per se, { Omne enim } probat maiorem, & dicit, quod omne quod inest alicui, aut inest per se, aut inest per accidēs, & non datur medium inter illa. Sed cum inquit ipse Auer. { Dum uero significatum } probat hoc significatum esse distinctum ab illis duobus superioribus.{ prædicata enim quæ sumuntur} demonstratiuam affert rationem ad hoc probandum, quod, scilicet sit distinctum, & dicit illa quę sunt in primo & secundo modo, uel sumuntur in definitione subiectorum, uel sunt de essentia prædicatorum, & debent { esse causæ inexistentes rei, } idest existere debent cum re ipsa, & nunquā possunt esse sine illa, quæ est causa formalis. Addit minorem. { causa uero efficiens, } idest, sed ipsæ causę efficientes sunt extra rem, ergo nō sunt neque in primo neque in secundo modo, quia non capiuntur in definitione, quod est proprium primi & secundi modi, ueluti diximus. Deinde cum dicit. { Et ideo si effectus} uult soluere primum dubium quod erexit supra scilicet in commen. 32. nam duo dubia mouit, primum fuit de relatiuis, quod soluit ibi ut iam enucleauimus: secundum uero fuit de causa efficiente quod ipse noluit sol-

uere ibi, sed distulit eius solutionem in præsenti loco, sicut ibi ipse dixit, & eius solutio in hoc cõsistere uidetur, quod licet per se, illa causa, scilicet causa efficiẽs insit illi effectui, tamen non capitur in definitione effectus { per accidens } idest non est prędicatum per se, in primo nec in secundo modo, & sic clara est solutio illius secũdi dubii, nã quod non est in primo nec in secundo modo, est per accidens: sed quod est in quarto modo est per se, & tamen non est per accidens, & sic concludendum est, quod causa efficiens est causa per se, sed non est prædicatum per se, & potest etiam exponi sic, cum dicit { nisi per accidens } quod ipse Auerro. uelit remouere dubium, quod quis aduersus eum facere posset. & dubium tale est, quoniam aliqua causa efficiens capitur in definitione, ut interpositio terræ inter solem & lunam est causa efficiẽs, & capitur in definitione eclipsis, quæ effecta est ab ipsa interpositione terræ inter solem & lunam, tanquam a causa efficienti, & ideo dicit { nisi per accidens } et de per accidens non curat artifex: { & idcirco posuit, } idest & propter hoc posuit & dixit hoc significatum, esse quartam speciem ipsius per se. Insuper cum dicit { nunquid uero hæc species } Hec est secunda pars huius commen. in qua digrediendo quærit, an ista quarta species dicendi per se, deseruiat demonstrationi potissimæ, & dicit. { Difficile enim est, } idest est difficile { commonstrare rem, } idest quæsitum per suam causam efficientem. dicit { difficile } quoniam aliqua causa efficiens potest demonstrare quæsitum ut interpositio terræ inter solem & lunam & dicit { difficile, & non impossibile. } quoniam posito efficiente } reddit causam cur sit difficile, nam ut dictum est supra tex. commen. septimo, scire est rem per causam cognoscere, propter quam est quæ est causa formalis, & semper est cum subiecto in omni differentia temporis. { Et aduertas quod Auer. de ista ratione ponit minorem, sed posita causa efficiente, non sequitur effectum esse, ergo non ingreditur iste quartus modus ipsam demõstrationem simpliciter, nam ut dicit Aristot. secundo poster. cap. 13. posito effectu ponitur causa, sed non conuertitur, idest posita causa ponitur effectus. { Et sic raro } nunc iterum probat ipsam efficientem causam non ingredi demonstrationem potissimam nisi raro, & tunc non per se, scilicet ut causa efficiens, sed ut habet aliquid de causa formali, nam sicuti causa formalis est cum subiecto in omni differentia temporis, ita ipsa causa efficiens aliquando ut patet de interpositione terræ inter solem & lunam, { sicuti etiam dicemus in commen. sequenti. } Hæc itaque prædicatio } nunc dicit ad quid deseruiat iste quartus modus, & dicit quod deseruit & utilis est ipsi demõstrationi quia & propter quid. & non demonstrationi simpliciter. { Quæ sunt definitiones in potentia, } idest quę habẽt premissas in quibus continetur ipsa definitio in potentia, nam sicuti dictum est uberrimé in quæsito de medio demonstrationis potissimæ, ipsum medium demonstrationis simpliciter, est definitio, quæ ut causa sumitur, sed cum cognoscitur quod in tali definitione quæ est causa sit uerum genus & uera differentia, tunc non amplius dicitur definitio in potentia, sed definitio in actu, { Et hanc ob causam } nunc reddit causam, quare Arist. posuit hunc quartum modum & dicit quod iste quartus modus deseruit demonstrationi quia, & propter quid deseruit demonstrationi quia, nam procedit ab effectu ad causã, & illa causa potest esse causa efficiens. & deseruit demonstrationi propter quid, ex eo quia regredimur ad propter quid effectus, & sic etiam ille effectus, potest esse respectu causæ efficientis. { Eius autem sermo } Reddit causam cur non exposuerit tex. & dicit quod est per se intelligibilis, idest sine alia expositione, quasi uelit dicere ipse Auer. ita non facit frustra, sed si ipse exposuisset, tunc fecisset contra artem. Demum pro clariori intellectu quomodo omnis causa sit extra rẽ ipsam, præter formalem. notandum est, discurrendo, & exemplificando circa tria reliqua genera causarum, quoniam causa efficiẽs potest esse sine effectu, nam si domus est, non sequitur quod sit domificator, sic & de causa finali, nam potest esse exercitium, & tamen non erit sanitas. de causa uero materiali, licet semper sit in subiecto, quãtũ ad existentiã, tamen potest esse sine ipsa, quantum ad essẽtiam, quoniam quęlibet pars definitionis est forma, ut docuit Arist. septimo metaph. tex. commen. 35. & Auerro. secundo phys. commen. 91. & septimo metaph. commen. 43. & in quamplurimis aliis locis hoc idem habetur.

Quæ igitur dicuntur in simpliciter scibilibus, sic ut insint prædicatis, aut prædicata ipsis insint, & propter ipsa insunt, & ex necessitate, non enim contingũt non inesse, aut simpliciter, aut opposita: ut lineæ rectum, aut obliquum, & numero par, aut impar. Est enim contrarium aut priuatio, aut contradictio in eodem genere, ut par, uel impar in numeris est, quatenus sequitur. Quare si necesse est affirmare, aut negare necesse est, & quæ sunt per se, inesse. De omni quidem & per se determinatum sit hoc modo.

Postquam Arist. distinxit ipsum per se, quatuor eius significata enumerando, cum sit æquiuocum, quia regula est quod omne æquiuocum prius sit distinguendum, in præsentia uult ostẽdere, quod ex quatuor significatis duo tantum sunt necessaria ipsi demonstrationi simpliciter, scilicet primum & secundum significatum seu primus & secundus modus dicendi per se. Causa continuationis iam patet, nam cum distinxisset ipsum per se æquiuocum, uoluit determinare de quo significato ipsius per se, sermo sit necessarius ipsis præmissis demonstrationis simpliciter. Ex qua continuatione, apparet error omnium expositorum, cum Græcorum, cum latinorum, scilicet tam Themistii, & Philop. quam etiam diui Thomæ Ægidii Romani Alber, Pauli Veneti Apoll. & cæterorum. Et animaduersione dignum est quod ipsorum error in hoc præsertim constitit, quia absolute dixerunt, quod Arist. intendit determinare de modis, qui deseruiant demonstrationi, & non determinate dixerunt, cui demonstrationi, an quia, an propter quid, uel potissimæ; uel demonstrationi in communi. Non enim dicendum est quod Arist. intendat determinare de modis deseruientibus demonstrationi in communi, quia sæpe sæpius dictum est, & signanter in expositione commen. 17. prope calcem, quod in hoc lib. potissimo est intentio de demonstratione in communi, sed de demonstratione potissima, ergo non intendit Arist. determinare de modis deseruientibus demonstrationi in communi, sed demonstrationi potissimæ. Sed ut facilius clarius ut præsens tex. intelligatur, placuit nobis eum prius diuidere, in tres partes in prima parte, duos dumtaxat modos dicit ingredi demonstrationem potissimam, scilicet primum & secundum modum. in secunda parte ibi, { Et ex necessitate } probat quod illi duo tantum modi sunt necessarii demonstrationi potissimæ, & non alii, scilicet tertius & quartus modus. In tertia uero parte ibi. { De omni quidem &c. } Ponit epilogum communem ipsi dicit de omni & ipsi per se. Superest ut ad textus expositionem accedamus. Dicit igitur in prima parte huius tex. quod ex omnibus supradictis modis & significatis ipsius per se, illa significata scibilibus, qui per se conueniunt. { in simpliciter scibilibus, } de quibus simpliciter supra definito in tex. septimo, & ex consequenti, conueniunt ipsi demõstrationi simpliciter, duo sunt, scilicet primus & secundus modus, & cum dixit { sic ut insint prædicatus }

dicatis} dat exemplum de secundo modo, & dicit quòd illa, scilicet conueniunt ipsi scire simpliciter, }quæ insunt prædicatis,{ idest quæ ponuntur in definitione prædicatorum, nam dictum est quòd in secundo modo dicendi per se subiecta ponuntur in definitione prædicatorum { Aut prædicata ipsi insunt} Nunc exemplificat de primo modo dicendi per se, & dicit aut quando prædicata insunt ipsis,{ idest ipsa prædicata ponũtur in definitione subiectorum, ueluti diximus in declarando ipso primo modo dicendi per se, in expositione tex. 30, & subdit. } Et propter ipsa sunt,{ idest & ipsa insunt illi per essentiam. idest ut ipsa prædicata sint de essentia subiecti, sicuti diximus etiam supra in expositione tex. 30. & sic hucusque dixit quòd duo tantum modi ingrediuntur demonstrationem potissimam, primus, scilicet, & secundus modus.{ Et ex necessitate } Hæc est secunda pars huius tex. in qua Arist. probat, quòd tantum duo supradicti modi, scilicet primus & secundus conueniũt, & sint necessarii demonstrationi potissimæ. & notabis, quod probatio Arist. præsupponit definitionem ipsius scire, in tex. septimo. que est, quod scire est rem per causam cognoscere, &c. & etiam quòd illa causa sit necessaria, sed ista prædicata, scilicet tam primi, quã secundi modi sunt necessaria, ergo ista prędicata sunt de cõditionibus ipsius scire. Et notato quod quartus modus per hanc etiam rationem non ingreditur demonstrationẽ simpliciter, quia secundo post. cap. 13. posita causa efficiẽti, materiali, & finali, non ponitur effectus: econtrario est in primo & secundo modo dicendi per se, nam posito subiecto, ponitur accidens proprium, & posita definitione ponitur definitum, & econtra. quam ob rem quartus modus non erit utilis demonstrationi potissimę contra diui Thomæ opinionem, dicẽtis secundum & quartum modũ ingredi demonstrationem, & non alios. { Non enim contingunt} probat Arist. per opposita. & modum hunc probandi per opposita explicauit Auer. in epi. logic. cap. de ratio. demonstratiua, & dicit Arist. ꝙ ista sunt necessaria, quia nõ contingunt non inesse ipsis. Et aduertas quòd negatio præposita facit ęquipollere suo contradictorio, ut habetur secundo perier. cap. penul. & sic, non contingit esse, idem est, quòd necessarium est esse. & sic probat, ꝙ illa quæ ingrediuntur primum & secundum modũ, sunt necessaria ipsis subiectis.{ Aut simpliciter.} idest siue prędicẽtur simpliciter, idest uno modo. Si scire, uelis quot modis, ly, simpliciter, sumatur, legito supra in expositione tex. quarti. hic capitur.{ simpliciter,} idest uno modo, sicuti sumpsit Porphyrius in cap. de genere in princi. cũ dixit, uidetur autem neque genus, neque species simpliciter dici. {Aut simpliciter, }idest uno modo, ut homo est risibilis. {aut opposita,} idest siue prædicentur cum oppositione priuatiua, seu contraria, uel contradictoria. exemplũ, ut numerus est par uel impar, & { lineæ rectum aut obliquum,} idest linea est recta uel curua. Et animaduersione dignum est, ꝙ solum exemplificauit Arist. in prædicatis cum oppositione, quia quæ prædicantur simpliciter, sunt manifesta, & illa erant magis immanifesta, {Est enim cõtrarium} nunc probat Arist. quod ipsa prædicata cum oppositione insint necessario ipsis subiectis: & sumit maiorem, quæ habetur decimo metaphysi. quod contradictio & quæcunque subeunt uicem contradictionis, necessario insunt suis subiectis; nam contradictio est illa, quæ non habet medium secundum in omni materia : & hac maiori habita, ponit minorem in tex. sed ista opposita, scilicet contrariè, uel priuatiue, habent uim contradictionis { in eodem genere, } idest subiecto apto nato : sequitur ergo quòd ista opposita necessario insunt ipsis subiectis. { ut par uel impar } Exemplificat de pari & impari quod prædicatur de numero priuatiuè. & quamuis par & impar sint prædicata priuatiua, retinẽt tamẽ uim cõtradictionis, quia sunt in subiecto apto nato. {quatenus sequitur, }idest quemadmodũ uerè possũt prædicari ut puta de numero, nõ solũ par, sed etiã impar uerè prædicatur. s. cũ disiũctione, & de qualitate uerè prædicatur par, & sic de aliis. { quare si necesse est} Nũc probatur, ꝙ ista prædicata cum contradictione per se insunt ipsis subiectis, & dicit si necesse est affirmare uel negare .i. si illud primum principium. s. de quolibet dicitur esse uel non esse, est necessariũ sed contradictio obtinet uim primi principii, & fundatur in illo : ergo contradictio necessario & per se inest subiectis: sed tam prædicata contrariè, quam priuatiue, obtinent uim contradictionis in subiecto apto nato : ergo necessario & per se insunt ipsis subiectis. Et scito ꝙ nunc cõtria obtinent uim contradictionis. s. in subiecto apto nato, quando sunt contraria naturalia, ut dicit Arist. in post prædicamentis cap. de oppositis. Deinde cum Dicit.{ De omni quidem igitur} Hęc est tertia pars huius tex. in qua Arist. epilogum communem assignat de dicto de omni, & de ipso per se. Et aduertas quòd ratione epilogi, posset dici, quod de omni & ipsum per se, unicum debent habere etiam caput. Sed occurrunt aliquæ dubitationes, & prima talis est, quoniam sunt plures alii modi dicendi per se, quam isti quatuor enumerati hic ab Aristote. nã quinto metaphysic. cap. de secundum se, dicit Aristote. quod superficies est causa materialis ipsius coloris, & tamen non est in aliquo istorum quatuor modorum. multos etiam alios modos posuit ibi Aristote. scilicet in quinto metaphysices textu & commento uigesimotertio, quos non numerauit hic, unde sequitur hic ipsum fuisse diminutum. Aliqui dixerunt, quod ista propositio superficies est colorata, est in quarto modo, quia explicatur causa materialis, quæ est ipsa superficies respectu coloris. Sed aduersus istos ita arguitur. quoniam materia capitur trifariam, primo ut est materia ex, qua, secũdo pro materia in qua, & tertio pro materia quæ est pars definitionis. tũc est materia ex qua, quando est illa, ex qua fit aliquid, & illa materia est pars illius, ut domus fit ex lateribus, & cementis. materia in qua, est illa quando aliquid existit in ea ut superficies in qua existit color, & non est pars coloris, & demum materia sumitur ut est pars definitionis, ut quãdo dicimus risibilitas est aptitudo hominis ad ridendum. Et aduertas quod talis materia, ut sumitur, scilicet in definitione, stat loco & uice differentiæ, & sic homo positus in definitione risibilitatis, stat loco differentiæ, sicut etiam supra in commento 33. diffusius diximus. Ex quo notatione dignum est, quod naturalis semper definit per materiam ut patet primo de anima tex. commen. 16. & hoc sic intelligitur, quod materia sumitur uice differentiæ, & materia est illa per quam differt naturalis a mathematico & a metaphysico qui considerant res abstractas a materia, ut anima est actus corporis physici potentia uitam habentis, ex secundo de anima tex. commen. 14. in cuius definitione corpus sumitur uice differentiæ, quæ facit cognoscere existentiam rei, & sic considerata est in primo modo dicendi per se, quoniam est pars definitionis, & hoc non uidit Marcus Antonius Zimara in suo Theoremate, quando examinat quo nam modo dialecticus rationalis debeat definire per formam ipsam, & quo pacto ipse philosophus naturalis debeat definire per ipsam materiam. Sed quando consideratur ut est materia ex qua, tunc est in quarto modo, ut homo est compositus ex materia & forma, & homo est carneus, sicuti etiã supra diximus in exponendo, & declarando quartum modum dicendi per se, & concludendo tandem contra supradictam responsionem, dicimus quod ista propositio, superficies est alba, non est in quarto modo dicendi per se, quia superficies non est materia ex qua, sed in qua. ut dictum. Ideo quicquid alii dicant, dicendum est, quod sufficit Aristo. distinguere ipsum per se, quod est ęquiuocum, & accipere membra pertinentia ad pro-

positum, & non posuit alios modos, tum quia breuitati studuit, cum etiam quia non erant de necessitate, solum primum & secundum accepit modos. Et si adhuc instas, si duo duntaxat modi sunt necessarij demonstrationi potissimæ, scilicet primus & secundus modus, cur alios enumerauit Arist. Themistius causam afferens dicit, quod alios enumerauit modos philosophus amplificandi, exornandique causa. Philoponus itidem sentire uidetur, dicens, eos enumeratos esse, plenioris & uberioris diuisionis gratia. Nos uero dicimus ambos defecisse, & non ueram assignasse causam, nam si Arist. alios attulit modos, scilicet tertium & quartum, ut amplificaret, ut dicit Themistius, & ut pleniore faceret diuisionem, ueluti placuit Philopono, propter eandem quoque causam debebat ipse Aristot. omnes alios modos enumerare, quos posuit in quinto metaph. tex. comm. 23. Ideo pro ueritate aliter dicendum est, quod ideo alios uoluit afferre modos, ut nobis ostenderet, ipsum per se, esse æquiuocum: & quia erat æquiuocum, uoluit prius ipsum distinguere (sicuti iam diximus) & postea determinare, quod duo tantum modi deseruiunt, primus, scilicet & secundus. Alia quoq; occurrit dubitatio, cur etiam ipse Arist. non assignauerit modos dicendi per se negatiuos, cum inferius faciat mentionem de demonstratione negatiua? Dicendum est, quòd licet non fecerit mentionem de modis negatiuis, expresse, & formaliter, tamen cum negatiuum uirtualiter contineatur in affirmatiuo, dicēdum est, quod uirtualiter eorum meminit: nam dicendo, homo nō est asinus, est per se negatiua, tamen intantum est per se, quatenus, scilicet uirtualiter in ea affirmatiua: nam homo non est asinus, est per se, quia homo est animal rationale, & asinus est animal irrationale, & sic est per se, quia uirtute animalis rationalis negatur animal irrationale ab homine. Vlterius dubitatur cōmuniter ab expositoribus, an omnes modi quatuor ingrediantur demonstrationem potissimam? Thomas de uio Cardinalis dicit, quod aliud est loqui de iis modis perseitatis in ordine ad totam demonstrationem simpliciter, & aliud est loqui de eis in ordine ad cōclusionem tantum ipsius demōstrationis simpliciter, qua distinctione præsupposita, dicit ipse, quòd in ordine ad totam demonstrationem, simpliciter, & in communi omnes modi quatuor ingredi possunt demonstrationem, nam maior, & minor, & conclusio fieri possunt, & in primo, & in secundo, & quarto modo, ut patet discurrēdo per demonstrationes, quando demonstratur una definitio per aliam, uel passio prima per definitionem subiecti, uel secūda passio per primam. & subdit quòd tertius quoq; modus ratione subiecti non excluditur a demonstratione uniuersaliter. si uero sermo est de conclusione tantum ipsius demōstrationis, sic secundus, & quartus modus tantum ingrediuntur ipsam demonstrationem. Istam opinionem erroneam esse, multipliciter comprobatur. Primo quidem errat dando distinctionem illam, quòd aliud sit loqui de iis quatuor modis in ordine ad totam demonstrationem simpliciter, & aliud sit loqui de eisdem in ordine ad conclusionem tantum ipsius demonstrationis. non enim ista distinctio est ad propositum dubitationis, quoniam dubitatio est an omnes modi ingrediantur demonstrationem potissimam, & sic sermo est in ordine ad totam demonstrationem, & non in ordine ad conclusionem tantum ipsius demonstrationis. Secundò errat, quoniam dicit quòd si sermo est de tota demonstratione simpliciter, sic omnes modi ingrediuntur eam; quod utique asserere, expresse Arist. cōtradicit, nam (ut diximus supra in expositione textus) tantum duo ingrediuntur modi ipsam demonstrationem primus, scilicet & secūdus modus, & tertius modus cum sit de primis substantiis, quæ sunt singularia, impossibile est ut ingrediatur demonstrationem, ueluti diximus in textu, & commento 33. singularia enim neq; diffinitiue, neque demonstratiue sciuntur, ut sæpe superius ostendimus. Quartus etiam modus cum possit esse in omnibus generibus causarum, sicut determinauimus supra in textu trigesimo quarto, non potest ingredi demonstrationem potissimam, quoniam tantum causa formalis ingreditur demonstrationem potissimam, ut pluries annotauimus in superioribus textibus. Tertio errat, quia exemplificando de demonstrationibus, dicit quòd hoc est, quando scilicet demonstratur una definitio per aliam, uel passio prima per definitionem subiecti, uel secunda passio per primam. & nemini dubium esse debet quòd huiusmodi exempla nō possunt uerificari de demonstratione potissima, nam dictum est sæpius, quòd medius terminus demonstrationis potissimæ, tantum est causa formalis, & non potest esse quælibet causa, sicuti etiam demonstraui in quæsito de medio demonstrationis potissimæ, non igitur peripathetica est huiusmodi opinio, sed potius Aristo. contraria est undequaq; Diui Thomæ opinio hæc est, quod secundus & quartus modus dicendi per se, ingrediantur conclusionem demonstrationis, quæ conclusio demonstrationis dicitur propriè & per se scibilis. Amplius assignat causam diuus Thomas, cur est quod secundus, & quartus modus ingrediantur conclusionem demonstrationis, quia contingit quandoque quòd idem sit per se causa alicuius, & per se subiectum eiusdem, ut patet de subiecto respectu propriæ passionis. Vnde innuit ipse diuus Thomas quòd ipse secundus modus & quartus sunt idem realiter, & differunt formaliter, quia perseitas secundi est prædicationis, & perseitas quarti est causalitatis: hæc est opinio diui Thomæ, & hoc modo intelligi debet. Et non fuit intentio ipsius, quòd Aristotel. uelit quod tantum secundus & quartus modus ingrediantur demonstrationem simpliciter, sicuti Ægidius Romanus & Paulus Venetus & quidam modernorum putant, Nos uero dicimus diuum Thomam defecisse, & hoc multipliciter ostendimus: Primo quidem sic, non enim Aristo. in tex. determinat, de modis deseruientibus tantum conclusioni ipsius demonstrationis, sed de modis deseruientibus toti demonstrationi: Diminutus etiam fuisset ipse Aristo. si tantum de modis conclusionis demonstrationis locutus fuisset, & non etiam præmissarum: Secundo falsum est, quod secundus et quartus modus tantum formaliter differāt & cōueniant realiter, nā si ita esset; tūc sequeretur quod quartus modus esset realiter nec necessarius demōstrationi seu conclusioni ipsius demonstrationis, quod falsum esse probauimus in tex. 34. Præterea conclusit Arist. in tex. quod duo tantum modi sunt necessarij demonstrationi potissimæ primus. s. & secundus, & nullam mentionem fecit, in tex. de quarto modo, ut Themistius, & Philoponus & Auer. & Albertus animaduerterunt, ergo signum est quod quartus modus non est idem realiter cum secundo modo. Amplius numerauit Arist. ista quatuor significata ipsius per se, & non solum formaliter ad inuicem differre sed etiam realiter arbitratus est. Præterea per accidens euenit, quod illud, quod est subiectum alicuius, sit etiam causa illius: sed non propter hoc dicendum est, quod semper secundus modus & quartus sint idem realiter, nam secundus dicit tantum causam materialem, ut diximus in tex. 31. sed quartus modus quodlibet genus causæ cōplectitur ut dictum est, ergo non semper realiter conueniunt, nam licet fortassis conueniant in genere causę materialis, non tamen in reliquis tribus causarum generibus, legito etiam ad hoc idem quæ exaraui in quæsito de medio demonstrationis. Ideo aliter dicendum est pro ueritate, quod duo tantum modi ingrediuntur demonstrationem potissimam, primus, scilicet & secundus modus, ueluti diximus etiam exponendo præsentem textum, primus namq; modus ingreditur ratione medij termini, qui est tantum causa maioris extremi, ueluti demonstratum

est in quæsito de medio demonstrationis potissimæ. Secundus uerò ratione conclusionis, ut sole clarius patet. Et ex hoc patet Ægidium Romanum errasse, quia omnes uouit modo ingredi posse ipsam demonstrationem potissimam: & quia multa ex ijs quæ dicemus in commen. ex positione, concludere uidentur aduersus Aegidium, propterea non immorandum esse duximus circa eius opinionis impugnationem.

Commen. 35.

Dum dixit, quibus utimur in demonstrationibus.} Auer. in hoc commento prætermittens continuationem tanquam claram, tria facit. Primò exponere incipit. Secundo digreditur aduersus Alpharabium ibi {Et ideo error est putare} Et tertio reuertitur ad textus expositionem ibi.{Et dixit quatenus illa} Dicit igitur Auer. in principio commen. exponendo tex. quòd primus & secundus modus deseruiunt demonstrationi, intelligendum est de demonstratione simpliciter, & non de alijs duabus speciebus demonstrationis {Attributio enim causæ efficientis} notato quod Auer. reddit causam, cur solum primus & secundus modus ingrediantur demonstrationem simpliciter, & non alij modi, scilicet tertius & quartus: & causa est ista, quoniam demõstrationem simpliciter ingreditur causa formalis ueluti sæpius dictum est, sed causa efficiens & aliæ causæ non ingrediuntur demonstrationem simpliciter, sed solum ingrediuntur demonstrationem quia, & interdum ingrediuntur demonstrationem causæ tantum. Et notato quod hanc particulam {interdum} posuit Auer. quia quando causa & effectus reciprocantur, proceditur a quia ad propter quid, & econuerso: sed quando non reciprocantur, ingrediuntur demonstrationem quia tantum, & interdum demonstrationem causæ tantum, ut dixit etiam ipse in epit. logic. cap. de demonstratione, ubi dicitur, quod quando causa & effectus non reciprocantur, tunc de eis potest fieri una demonstratio, uel propter quid, ut puta hic est ignis, ergo hic est lux, & non sequitur, hic est lux, ergo hic est ignis, nam stellæ & luna lucent, & tamẽ nõ sunt igneæ, & hic est fumus, ergo hic est ignis, & non conuertitur, hic est ignis, ergo hic est fumus, nam ignis elementalis est ignis & non fumus. quando autem conuertitur, potest effici utraque demonstratio ut primus motus est, ergo primus motor est, & primus motor est, ergo primus motus est. {Et ideo error est putare} Hæc est secunda pars commenti in qua Auerr. digreditur aduersus Alpharabium, & dicit quod est error putare quod in omni demonstratione, tam simpliciter, quam quia, & propter quid {esse sumendum prædicata tali prædicatione} idest prædicata quæ sunt in quarto modo, ut dicebat Alpharabius in suo libro. {Causæ enim} nunc reddit causam cur prædicata illa quarti modi non ingrediuntur demonstrationem simpliciter, & dicit, quod causæ quæ sunt extra rem, quæ sunt omnes prætee formalem, non ingrediuntur omnem demonstrationem {nisi per accidens} non ingrediuntur demonstrationem simpliciter nisi raró & per accidens. {Hoc est quando contingit causam} declarat nunc Auerro. quando causa efficiens ingreditur demonstrationem simpliciter, & dicit quod hoc tunc est, quando contingit causam efficientem, esse in re non separatam ab ipsa re, & sic habet aliquid de causa formali, {prout est sito} dat exemplum idest proue est interpositio terræ inter solem, & lunam. {Et similiter finis} nunc dicit de causa finali, & inquit, quod etiam causa finalis ingreditur definitionem, quando, scilicet suerit ignota differentia, & sumatur pro differentia: exemplum, ut domus est quid compositum ex lateribus, cemẽto, &c. defendens nos, a frigore, & a calore {& ut uniuersalius inquam,} idest & ut in summa dicam ponere omnes quatuor causas, scilicet efficientem, finalem, materialem, & formalem {fieri medios terminos,} idest intrare demonstrationem simpliciter {& ponere omnes species,} idest & dicere quod solum primus & secundus modus ingrediantur demonstrationem simpliciter est sibi ipsi repugnans,} idest contradicunt, quoniam dicere duo & dicere quatuor est contradictio. Sed quæritur cur Auer. non fecerit mentionem de causa materiali? Dicendũ est quod causa materialis ingreditur definitionem, & ut dicit existentiam, & non ut dicit essentiam, & huiusmodi definiẽdi modo utitur naturalis qui semper definit per materiam ad differentiam metaphysici & mathematici qui abstrahunt a materia, causa autem formalis ingreditur primum modum dicendi per se, nam est definitio, modo definitio est in primo modo dicendi per se, ut dictum est in tex. 30 {Dixit uero & hæc quoque} Auer. digrediendo exponit etiam particulam, quam nos habemus in textu nostro {Et ex necessitate} Et dicit quod ista prædicata sunt per se, & necessaria, idest debent habere istas duas conditiones scilicet quod sint per se, & necessariæ, nam non omne necessarium est per se, non conuertitur, prout dicebat Alpharabius {quum sententia Arist.} idest cum opinio Aristo. sit contraria huic {hoc est, quod omne necessarium} dicit opinionem Alpharabii qui dixit quod Aristot. intelligebat, quod omne necessarium est per se, sed hoc non est uerum quia Arist. infra in cap. 33. dicit, quod risus uendentis & ementis, est quoddam necessarium. & tamen non est per se: & sic etiam non omne per se, est necessarium, ut superficies est colorata, est per se, per Arist. quinto metaph. cap. de secundum se, & tamen non est necessaria, nam datur aliqua superficies, quæ non est colorata, ut superficies uitrea, aerea, & aquea. {Et dixit, quatenus illa in esse suis subiectis} Hæc est tertia pars commen. in qua Auer. reuertitur ad textus expositionem, & dicit quod Aristote. assignat causam cur ista accidentia sint necessaria, scilicet ea accidentia de quibus exemplificat in tex. & dicit quod ideo sunt necessaria, quia per se existunt, seu insunt ipsis subiectis {contra accidentia} nunc dicit & declarat ad cuius differentiam hoc dixerit, & dicit, quod ad differentiam accidentium quę sunt per se, & non sunt necessaria, & dat exemplum {prout est hominis canities} quæ inest homini per se, in secundo modo, nam subiectum capitur in definitione prædicati, & tamen non est necessarium simpliciter, sed secundum quid: quoniam non omnis homo in senectute canescit, nec in omni tempore, & cuiusmodi sunt conditiones necessarij, scilicet quod sit semper, & de omni subiecto, & ideo non est necessarium simpliciter. Sed, ut facilius, clariusq; intelligatur id quod dictum est, notabis quod accidens duplex est, unũ quod consequitur formam, & alterum, quod consequitur materiam: accidens quod consequitur formam, est ut rationabilitas, & risibilitas hominis, quæ ingrediuntur ipsam demonstrationem simpliciter: accidens uero quod consequitur materiam non ingreditur demonstrationem simpliciter, nam demonstratio simpliciter, fit in mathematica & metaphysica quæ considerant res sine materia, sed ingreditur demonstrationem quia, & propter quid, quę fit in philosophia naturali, quæ considerat res cum materia {et utrunque oppositorum} nunc dicit Auer. quod Aristo. dat causam, cur ista accidentia sint necessaria, et dicit quod ista accidẽtia sunt necessaria ipsis subiectis, quia ambo opposita suorum accidentium continentur in suo subiecto; et subiectum ipsum, scilicet genus subiecti non diuiditur prima diuisione in unum oppositum, sed in duorum disiunctione, et copulatione. nunc dat exemplum, ut numerus et linea, nam linea non diuiditur in rectam solum, sed in rectam, et obliquam, et numerus non solum in ipsum par sed in par et impar. {Et ideo quando consideratur} in

fert nunc corrolarium Aue.& dicit quod quando aliquid accidentia non prædicantur cum disiunctione, scilicet de illis accidentibus quæ prædicantur cum disiunctione, ad differentiam illorum quæ prædicantur simpliciter.idest uno modo, illa accidentia non sunt necessaria, nec sunt per se, ut numerus est par.ista non est uera prædicatio per se, sed ista numerus est par, uel impar {Et ideo dum inue/neris} nunc dicit aliud, scilicet quod non sufficit, ut illa accidentia prædicentur cum disiunctione, sed oportet ut prædicentur de subiecto apto nato, & quod contineantur in illo, unde non est per se ista prædicatio, animal est par uel impar, nam licet par uel impar prædicentur cũ disiunctione tamen cum non contineantur in genere animalis, non eruot sibi propria, neque per se de illo dicentur, sed debet dici, animal aut rationale, aut irrationale, risibile aut non risibile, {Hoc autem sic existente} uidetur Auer. quasi digredi aduersus eos, qui dicebant, quod aliqua ac/cidentia fuot opposita in genere cuius sunt.& sunt per se, & aliqua sunt per se, & non sunt opposita, dicit ergo Au. quod hoc est falsum, nam omnia accidentia quæ prædicantur de genere subiecti, & non de proprio subiecto, semper sunt opposita, ut numerus est par uel impar.tamen possunt esse aliqua accidentia, quę prædicantur sine oppositione, uel disiunctione, quæ tamen prædicantur de subiecto pro prio, & non de genere subiecti, ut omnis dualitas est par, {si autem intenderet} dat alium sensum uerbis illorum, qui dicebant quòd aliqua accidentia prædicantur de genere subiecti cum oppositione, & sunt per se, & aliqua nõ, & sunt per se, & dicit, si autem illi uolunt intelligere per hoc, quòd quando unum genus habet plura opposita.& unum oppositum seperatum prædicatur cum alio opposito separatim alterius oppositionis, hoc dicit esse uerum {sed per accidens} & cum dicit {prout par & solidus} nunc dat exemplum de istis, & dicit, ut est numerus qui habet plures oppositiones.s.parẽ & imparem, solidum & non solidum, hoc fit per accidens, & non per se, non obstante, quod par conuenitat cum solido, & non solidum cũ impari{Ex quo autẽ non exponit}exponit nunc Aue. illam particulam textus nostri, quæ dicit}est enim contrarium, & dicit quòd Ari.declarat quæ oppositio fit de pari & impari, & dicit quòd ambo opposita non sunt habitus alterius.idest quòd unum est habitus& alterum est priuatio, quasi dicat, quòd est oppositio priuatiua, prout fit in contrariis, } idest cum multæ aliæ fiot oppositiones, scilicet contrariæ, priuatiuæ & affirmatiuæ & negatiuæ, ꝙ cum non esset manifestum de ipso pari & impari, ideo Arist.locutus est de pari & impari, quæ sunt opposita secundum habitum & priuationem, aut secundum affirmationem & negationem {quæ non comprehenderet aliqua mens} quia, scilicet erat obscurum. {intendit quod dum numerus} nunc exponit aliam particulam tex. & dicit quòd numerus necessario est par aut impar: & aduertas quod Auer.exponit textum suum deprauatum, & excusandus est, ex falso textu. Sed pro complemento antequã ad sequentis textus declarationem accedamus, dubitatur, an propositio per se conuertatur in per se? Quicquid dicat Thomas de uio Cardinalis pro ueritate ita distinguendum est, quod ipsa propositio per se, aut habet substantiã pro subiecto, aut habet accidens: si habet substantiã pro subiecto, tunc dicimus, ꝙ nunquam per se, conuertitur in sper se, neque in eodem modo, neque in alio modo, sed conuertitur in propositionem innaturalem, quam Arist.et Auer.abhorrent: quid sit propositio naturalis & ionaturalis iam in tex. quarto, & alibi in superioribus textibus diffusius dictum est. Vnde si diceretur, homo est animal rationale, & conuerteretur, tunc absque dubio esset innaturalis, & similiter si homo est risibilis, conuerteretur, esse etiam innaturalis: sed si subiectum fuerit accidens, dicimus quòd remanet perseitas, sed non in eodem modo, exemplum, ut omne prope est non scintillans, & omne non scintillans est prope, quæ ambæ sunt per se, & una est in primo modo, & alia in secundo modo.

Vniuersale autem dico, quod utique, & de omni est, & per se, & secundum quod ipsum: manifestum igitur est, quod quæcunque sunt uniuersalia, ex necessitate insunt rebus. Per se autem & secundum quod ipsum idem est: ut per se lineæ in est punctum & rectitudo: etenim secundum quod linea est. & triangulo secundum quod triangulus est insunt duo recti. Etenim per se triangulus duobus rectis æqualis est.

Expositores ferè omnes tam græci, quam latini præsentem textum ita introducunt, ꝙ postquam Arist.determinauit de omni, & per se, hic determinat de uniuersali. Et licet uerũ dicant, tamen deficere uidentur, quia non assignant causam, cur Aristoteles intẽdat loqui de ipso uniuersali. Ideo dicendum est ꝙ postquam Arist. determinauit de duabus conditionibus, scilicet de omni & per se quæ sunt conditiones necessariò requisitæ ad necessitatẽ præmissarum demonstrationis, nunc intendit etiam ina re de tertia conditione, scilicet de uniuersali. Causa uerò huius intentionis, cur.scilicet uelit loqui de uniuersali, colligitur ex tex.29.ubi Arist.proposuit se fore determinaturum de tribus hisce conditionibus, s.de omni per se, & uniuersali, nam sine ijs tribus conditionibus, haudquaquã præmissæ demonstrationis simpliciter necessariæ esse poterunt. & quia determinauit de duobus, operæpretiũ erat ut de tertia quoque sermonem ageret. Et aduertas quod Arist.antequam definiat ipsum uniuersale, de quo ipse intendit loqui, primo assignat eius conditiones, quas tradit in præsenti tex. & secũdo definiet ipsum sicuti uidebitur in sequenti tex. Ex quo sequitur expositores hallucinari credentes, ꝙ Arist.definiat uniuersale in hoc tex. non enim intẽdit nunc definire ipsum, sed duntaxat distinguere tanquam multiplex. Et scito quod duobus modis multiplex potest distingui, aut numerando uaria significata, aut addendo aliquas cõditiones uni significato, per quas distinguitur ab aliis significatis. Aristoteles autem non distinguit ipsum uniuersale uaria significata enumerando, sed aliquas cõditiones ei addẽdo: sed quod uniuersale sit multiplex.patet, quia datur uniuersale in prædicando, quod describit Aristo.in primo periher.cap.quinto, & datur uniuersale in essendo, de quo loquitur Arist. in metaph. uolens igitur Arist.distinguere istud uniuersale posteriorist. cum, seu demonstratiuum ab aliis, apposuit quasdam cõditiones per quas differt ab illis: Vnde cum dicit in tex. {Et de omni est, & per se} facit differre hoc uniuersale posteriorist.cum, ab uniuersali in essendo, quod utiq; nõ dicitur de omni, neq; dicitur per se. quia nõ capitur in subiecti definitione, sicuti est in primo modo dicẽdi per se, neq; subiectũ capitur in eius definitione, sicuti secundo modo:& cũ dicit{ Et secundum quod ipsum} aliam assignat cõditionẽ Arist.per quã uniuersale hoc posteriorist. cũ differt ad uniuersali in prædicãdo, nam licet sit de omni, tamen non conuertitur cũ subiecto. Vnde cõcludimus quod Ari.posuit istas conditiones uniuersalis quòd.s. sit de omni, per se, & secũdũ quod ipsũ.nõ ut definiat ipsũ uniuersale, sed ut distinguat:& pbatur quod Ari.nõ definiat ipsũ uniuersale, quia tunc uere definitur aliquod, cũ definitur cũ illo ad quod ordinatur:sed sic est, ꝙ uniuersale ordinatur ad demonstrationẽ, ergo tunc uere definitur, quando definitur cum ipsa demonstratione; sicuti faciet in principio tex. sequentis, cum dicit{ uniuersale autem est tunc }& definitur cum ipsa demonstratione, quia deseruit illi tanquam ad finem, ergo illa est definitio seu descriptio,

descriptio, quam assignat in tex. sequēti, & non ista, nam ista (ut diximus nuper) est distinctio ipsius æquiuoci per conditiones sibi oppositas. Et notabis, quòd eodem modo usus est hic Arist. quo primo priorum ubi uolens distinguere ipsam conuersionem, non adduxit sua significata, sed apposuit unam particulã qua differret ab aliis conuersionibus, & dixit conuersio in terminis, & per istam particulam differt ab aliis conuersionibus. hoc etiam modo usus est in præsenti tex. Aristo. Ita quòd uoluit dicere in principio huius tex. ꝙ uniuersale istud posterioristicum debet habere istas tres conditiones (sicut etiam exponit Auer. in princ. com.) ꝙ sit de omni, per se, & secundum quod ipsum, idest conuertibile. & dicit {manifestum est autem} infert unum corrolarium, ꝙ quæcunque sunt uniuersalia, de necessitate insunt suis subiectis. Sed quæritur, quomodo sequatur hoc corrolarium, seu ista consequentia, cum Arist. non fecerit mentionem de aliquibus præmissis, ex quibus possit sequi istud corrolariũ, seu hæc cõclusio? Dicendum est, quòd intulit hoc corrolarium ex præmissis, quas supra probauit, nam dictum est, quòd oẽ per se, est necessarium, sed omne uniuersale est per se, ut in hoc tex. habetur, ergo omne uniuersale est necessarium. Adhuc dubitatur, quare Arist. dixit uniuersalẽ principio tex. in numero singulari. & in hoc corrolario dicit uniuersalia in numero plurali? Dicimus, quòd dixit uniuersale i genere, quod est unũ, & dixit uniuersalia in numero plurali, quoniam plura sunt in specie, nam hoc uniuersale est triplex, ueluti diffusius dicetur in comm. s. tota definitio ultima differentia, & propria passio. deinde cum dicit {Per se autem, & secundum quod ipsum idem est} manifestat minorem, & dicit, quòd uniuersale & per se est idẽ, s. idẽtitate reali seu subiecti, & istã partem tex. expositores non recte etiam intellexerunt. {Ut per se lineæ inest punctum, & rectitudo} Nunc manifestat exemplo, & dicit, ut punctus enim est per se lineæ & conuertitur, nam ubi aliquod terminatur cum punctis est linea & econuerso, & rectitudo etiam inest per se lineæ, & secundũ quod ipsum. & duo recti insunt triangulo per se, & secundum quod ipsum, nam prædicatur passio de subiecto, & sic patet, quod illud quod est per se, est secundum quod ipsum. Sed dubitatur, quia non uidetur uerum, quòd per se, & secundum quod ipsum sint idem, quia tunc Arist. fuisset superfluus, faciendo duo capita distincta de ipsis, & multiplicasset entia absque necessitate. Præterea, nõ omne per se, est secundum quod ipsum, quoniam ipsum per se, est uniuersalius, quam ipsum uniuersale, & non cõuertitur cum ipso, ergo non est idem, & exempla hoc indicant esse uerum, nam homo est animal, est in primo modo, & tamen non est secundum quod ipsum. & multa ẽt alia exempla hoc explicant, non igitur uerũ est, quòd per se, & secundum quod ipsum sint idem. Et licet multi multa dicant, nos tamen dicimus, quòd idẽ est per se, & uniuersale, sed intelligitur de illo per se, quod ingreditur demonstrationem simpliciter, & sunt idẽ identitate subiecti seu reali, & differunt ratione seu formaliter, ex qua responsione apparet error omnium ferè expositorum. Superest modo, ut ad commen. expositionem accedamus, ubi multa scitu digna annotabuntur.

Commen. 36.

Postquam explicauit quid sit illa prædicatio.} Auerro. quatuor facit in hoc pulcherrimo & nobilissimo comm. Primo continuat. Secundo exponere incipit ibi, {Et dum dixit} Tertio digreditur aduersus Alpharab. & Them. de primitate prædicatorum, & incipit ibi. {Et iam iam facta est contentio} Et quarto reuertitur ad tex. expositionem, ibi. {His itaque uniuersis attributis} Quo ad continuationem, igitur Auer. hoc modo continuat, quòd postquam Aristote. explicauit prædicationem, idest conditionem de omni, & similiter conditionem de per se incœpit facere mentionem de prædicatione uniuersali. {quæ amplectitur trea conditiones} Declarat quæ sit ista prædicatio uniuersalis, & dicit quod est illa, quæ habet tres conditiones, scilicet quòd sit de omni per se, & prima, idest conuertibilis. {omne enim primum} Nunc reddit causam, cum prius tractauit de per se, quàm de uniuersali, & dicit quòd ipsum per se est uniuersalius, & probat hoc, quoniam omne primum, est per se, & non econtra, ergo merito ipsum per se præcedit ipsum uniuersale? Et cum dicit. {Intendit quod dum nos.} Hæc est secunda pars comm. in qua ipse Auer. incipit exponere paraphrasticè uerba tex. et inquit quòd quando Arist. dicit ipsum uniuersale, debemus intelligere prædicatũ uniuersale, quod habet tres conditiones, scilicet quòd sit de omni, et insit omni subiecto, et omni temporis curriculo, scilicet præsẽti, præterito, et futuro. et sic debet habere uniuersalitatem temporis, et subiectorum, ueluti diximus in expositione ipsius dici de omni et sit per se, et insit subiecto primo, idest conuertibiliter. Deinde cum dicit. {Et iam facta est contentio} Hæc tertia pars comm. in qua pulcherrime digreditur aduersus Alpharabium, et Them de primitate prædicatorum, idest quid intelligat Arist. per primum prædicatum: et causa digressionis est ista. quia Al. Alpharab. et Themi. erant uiri magnæ autoritatis, et cũ male fuerint interpretati Arist. mentem, quid sit primum prædicatum, uoluit Auer. aduersus eos digredi, ne aliquis eorum opinionibus credens, hallucinaretur. et dicit. {Et iam facta est contentio,} idest iam fuit quæsitum, a multis expositoribus, quid est primum prędicatum demonstrationis secundũ ipsum Arist. et cum dicit. {Quòd autem inuenimus in lib. Alpharabii.} Narrat opinionem Alpharab. quid, scilicet ipse intelligebat de prædicato primo. et dicit quòd opinio Alph. talis est. quòd illud est prædicatũ primum, quod nõ prædicatur de genere subiecti, ut puta, rationale prædicatur de homine, et non prædicatur de genere hominis, idest de ipso animali, quod est genus hominis. {Aliqui uero dicunt &c.} Nunc narrat opinionem Them. & sequacium, & dicit Auer. quòd aliqui dicunt, quòd illud est primum prædicatũ. {quod non prædicatur de subiecto} scilicet mediante aliquo alio, & illud solum est primum prædicatum. exemplum, ut rationale prædicatur de homine non mediante aliquo, sed immediate. & cum dicit. {Quod si ita esset} Nunc arguitur aduersus Them. & sequaces, deducendo huiusmodi opinionem ad inconueniens, & dicit quòd si ita esset, quod illud tantum, est primum prædicatũ quod prædicatur de subiecto immediatè, tũc omne prædicatum primum, prædicaretur de subiecto immediatè. {Sed Aristo. ostendit} Nunc ostendit & probat ex uerbis Arist. istud esse falsum, & dicit, quòd hoc nõ est uerũ, quia is dicit, quòd habere duos angulos &c. est prædicatio prima de triangulo, ut in tex. habetur, & tamen prædicatur mediante aliquo. i. mediante hoc, quia hẽt angulũ extrinsecũ, & sic patet, quòd aliqua est prędicatio prima, in qua prædicatũ dicitur mediate. {Præterea, quia si poneremus & cætera} Secundum uidetur erigere rõnẽ aduersus Them. & notato, quòd hæc ratio est ex cõcessis ab ipso Themistio, & dicit, quia si poneremus primum prædicatum esse proprium. s. subiecto, idest prædicari de ipso immediatè, tunc excluderetur a prædicatis demonstrationis prædicatio generis, quod conceditur ab ipso Them. & non solum genus, sed etiam accidens cõmunis ipso subiecto, & magis propriũ ipso genere, ut animal de homine, & sensibile quod ẽ propriũ genere. i. animalis, & cõius subiecto. i. homine. {Aristo. autẽ absque ullo dubio} Reprobat hanc eandem opinionẽ ex dictis Arist. quòd hoc non sit uerum. s. quod genus, & accidens proprium ipsi sit primum prædicatum, & dicit

quod Arist. {adiecit, } idest addidit, duabus conditionibus præassumptis scilicet non solum quòd sit de omni, & per se, sed quod habeat hanc tertiam conditionem, quod sit primum, idest conuertibile, modo genus, & accidens proprium ipsius generis, non est primum prædicatum de subiecto, quia non est conuertibile: {Verumtamen inuenimus Aristo. sermonem} Auer. nunc arguit contra opinionem Alph. & dicit quòd Arist. non intelligit per primum prædicatum, quod non prædicatur de genere subiecti, nã est aliquod huiusmodi, & tamen non est primum prædicatum, nam quod huiusmodi est, non prædicatur primo & immediate, sed ob aliam causam. {Verbi gratia de ambulatio} Dat exemplum, & dicit prout est ambulatio, quæ est communior subiecto homine, & proprior generi ipsius hominis, & tamen non est uerum quòd homo inquantum homo ambulet, nisi mediante alia natura, quia bipes, & sic ambulatio non est primum prædicatum de homine. {Tamen ille dixit } monstrat esse uerum, quòd non sit primum prædicatum, & dicit quòd Arist. apposuit conditionem, quòd insit primo subiecto: sed istud prędicatum non inest primo subiecto, ergo non est primum prædicatum. {Hoc itaque existente } concludit Auerro. contra Alph. & dicit quod primum prædicatum, non est illud, quod est commune subiecto, & si non prædicatur de genere ipsius, prout describebat Alpharab. Deinde cũ dicit {Quia uerò illud quòd non inest} determinat ueritatem de ipso prædicato primo, & dicit, quod illud, quòd nõ inest rei per aliam naturam, potest esse mediate & immediate, & sic facit diuisionem ipse Auer. de duplici primitate, scilicet subiecti, & causæ, & dicit quòd primum prædicatum, aliud inest subiecto immediatè simpliciter, aliud mediante, scilicet causa, tamen immediate subiecto, & sic habemus primum causæ, & primũ subiecti. & dat exemplum de iis, quæ insunt mediate, & dicit omnia accidentia propria insunt subiecto per medium, scilicet per causam, quæ causam præcedat ipsum subiectum, ut risibilitas inest homini per causam, idest per animal ratiõe, quę est causa ipsius, & licet insit mediante causa, inest tamen immediatione subiecti, quia non inest alteri subiecto primo, quàm ipsi. {Qua de re significatum primi} Concludit ergo ipse Auer. quòd non sit bona descriptio primi prædicati, scilicet esse illud, quod inest subiecto immediate, quando hæc descriptio tantum competit causæ, idest definitioni, & differentiæ, quæ sunt prima prædicata. & non omni prædicato primo competit huiusmodi descriptio. {Qui etiam intelligit } Probat iterum esse falsam descriptionem hanc assignatam ab ipso Themist. & dicit quod qui dicit, quod primum prædicatũ est, quod tantum prædicatur immediate difficile est ei dicere primum prædicatum, esse accidens proprium, sicuti alii dicunt, & cum dicit. {Qui autem prædicauit } Nunc reuertitur ad reprobandam opinionem Alpharab. & dicit, quòd qui dicit, quod illud est primum prædicatum, quòd non prædicatur de genere subiecti, prout Alpharabius putat, sequeretur quod illud, quod non est primum, esset primum, ut supra probatum est de ipsa ambulatione hominis, quæ non prædicatur de genere, idest de animali, nam non est de omni, & tamen non est primum. } Iam enim exposuerat Arist. {Confirmat nunc dictum suum ipse Auerro. ex autoritate Arist, & dicit quod Aris. uult quòd primum prædicatum est quod prædicatur de re, in quantum est ipsa res, idest æqualis sibi. {Et ideo uerisimile est, quòd primum, } idest & ideo debet esse uerum, quòd ista dictio, primum, ponitur pro conditione in præmissis, & quæsitis demonstrationis, nam ad hunc finem posuit Arist. in quantum deseruit demonstrationi. {Sit quòd illius prædicatio} Nunc declarat istud primum & dicit, quòd est illud quod non prædicatur de subiecto per aliam naturam cõplexam, idest uniuersalem ipsi subiecto, ut puta sensibile prædicatur de homine mediante alia natura, scilicet animali, quod comprehendit ipsum hominem. {Et proprie discerni } Nunc dicit ad quid posuit istam dictionem, primum, in isto prædicato, & dicit quòd idcirco posuit illud primum, ut discerneret conditiones demonstrationis simpliciter, quæ prædicatio non fit mediate, nisi aliqua causa subiecti, idest immediatione causæ & subiecti. {Signis autem satis} dicit ad cuius differentiam dixit, & dicit quòd est ad differentiam demonstrationis quia, nam ipsi satis est prima conditio, scilicet quod prædicatum sit de omni, quæ conditio non sufficit demonstrationi simpliciter, idest quod non solum debet habere istas conditiones, sed etiam alias, quod, scilicet sit per se, de omni, & primum. {Et ideo Arist. } Confirmat hoc esse uerum, scilicet quod demonstratio simpliciter debet habere prædicatum, primum, & dicit ideo Arist. posuisse istam conditionem ipsi demonstrationi simpliciter, quia dictũ est supra tex. commen. nono quòd demonstratio simpliciter procedit ex primis, ueris, immediatis, causisq; conclusionis &c. {Hinc itaque ostensum est } Nunc concludit, & dicit quod ostensum est, quòd primum prædicatum apud Arist. & illud {quod prædicatur de re, non per aliam naturam subiectam } idest quod primum prædicatum est, quod non prædicatur de re immediatione subiecti distincti a natura illius subiecti, quod, scilicet sit æqualis illi alteri naturæ subiecti. {Prout est prædicatio } Dat exemplum & dicit, prout est color, qui prædicatur de corpore mediante alio subiecto, idest superficie, quę est distincta, a natura corporis, & est æqualis illi, nam in rebus generabilibus & corruptibilibus, data superficie, datur corpus, & econtra, & ideo æqualis, quia conuertuntur, & hoc non est prædicatum primum. {Et ob naturam communiorem } Dat aliam conditionem ipsi prædicato primo, & dicit quod prædicatum primum non debet esse communius subiecto, de quo prædicatur {Prout est prædicatio angulorum} dat exemplum, prout est prædicatio angulorum duobus &c. quæ prædicatur de scalenone mediante triangulo simpliciter, qui est communior scalenone, & sic ista non est prædicatio prima, quia non æqualis, sed in plus. {His itaque uniuersalis attributis} Hæc est quarta pars huius comm. in qua Auerro. reuertitur ad textus expositionem, & dicit quòd prædicatio, quam uocamus uniuersalem in hoc libro, habet istas conditiones, quod sit de omni, per se, & prima {Et nihil differt} Exponit aliam particulam, & dicit, quòd nihil differt dicere, inter prędicatum primum & per se, scilicet de una specie prædicatorum, in qua prædicatum sumitur in definitione subiecti. {Et dixit hoc} Reddit causam, cur hæc species per se, sit eadem cum primo prędicato, & dicit quòd in hac specie est differentia & definitio, quę prędicatur in eo quod quid est, & immediate: sed primum prædicatum est huiusmodi, ergo est idem cum primo modo dicendi per se, scilicet definitio & differentia, & non genus ipsius subiecti, nec definitio ipsius generis, quę ingrediuntur primum modum dicendi per se, uelutisup. com. 30. dictum est, nam non sunt prædicata prima ut dicit Aristote. Et cum dicit {Contra id quod Alpharabius } Iterum contradicit Alpharabio ex uerbis Arist. nam Alpharab. dixit, quòd genus est primum prædicatũ, quoniam ut uidetur ex definitione ipsius primi prædicati data ab ipso, scilicet primum prædicatum est quod non prædicatur de genere subiecti, ergo est primum prædicatum, & hoc differt a significato speciei, dicendi per se, quę non est idem cum primo prędicato. Punctus enim inest} Redit ad expositionem textus, & dicit punctus inest lineę, & rectitudo etiam, & utraque, scilicet tam punctus quàm rectitudo sumitur in definitione ipsius lineę, idest quod significatũ de illis, quæ sunt per se in primo modo, dummodo sunt definitio & differentia, sunt idem quòd per se, & cum di-

cit,

cit. {Intendit quòd id sit per se} exponit aliud exemplum Ari. in te. suo, quod dicebat, similiter & equitas angulorũ, & dicit quod istud prædicatũ est in primo modo & est idẽ quod per se, nam licet sit proprietas quædam trianguli, tamen quia sumitur in definitione, & ipsæ proprietates manent uice differentiæ, quæ est forma, quando ipsa latuerit, ideo est in primo modo, nam sumitur in definitione subiecti pro differentia, ut etiam dicit Arist. secundo poster. secundo, & octauo metap. quinto. Ex hoc loco accipimus quod propriũ licet sit in secundo modo, tamen quando ponitur uice differentiæ, est in primo. Et sciendum est, quòd licet hæc Auer. dicta sint uera ex aliqua parte, tamen non plene satisfaciunt. Quinimmo dicimus, quod uidentur esse contra Arist. quoniam, per se, & secundum quod ipsum non solum sunt idem in aliquibus gradibus primi modi dicendi per se, sed etiam in secundo modo dicendi per se, nam per se & secundum quod ipsum, sunt idem tripliciter (sicuti etiam diximus) aut quando tota definitio prædicatur, aut quando differentia, aut quando propria passio: & propterea concludimus Aue. in hoc non habuisse mentem Arist. Amplius pro uberiori doctrina huius quæstionis, quid sit prædicatum primum secundum Ar. & Auer. legito in epito. logic. in epistola de primitate prædicatorũ, & in quæsito tertio logicali & in quæsito quarto, ubi dicit quòd nobilissima, excellentissima & fortissima harum trium conditionum, scilicet de omni, per se, & primum, seu secundum quod ipsum, (quę sunt tres conditiones, per quas præmissæ demonstrationis simpliciter sunt necessariæ) est ipsas præmissas esse primas. & aduertas quòd nisi legantur prius supradicta quæsita haudquaquam distinctè & clarè poterit intelligi præsens digressio, quam facit hic Auer. aduersus Alpharab. & Themistium.

Vniuersale autem est tunc, cum in quolibet, & primo demonstratur: ut duos rectos habere, neque figuræ inest uniuersaliter: & tamen est demonstrare de figura, quòd duos rectos habeat, sed non de figura qualibet: neque utitur qualibet figura demonstrans: quadrangulus enim figura quidem est, non habet autem duobus rectis æquales. Sed isocheles habet quidem quoslibet duobus rectis æquales, non tamen primò, sed triangulus prius: quandocunque igitur primum demonstratur duos rectos habere, aut quodcunque aliud, huic primo inest uniuersale: & & demonstratio per se huius uniuersalis est, aliorum autem quodãmodo non per se, neq; isocheles est uniuersaliter, sed est in plus.

Quicquid Philoponus, & latini expositores dicant, ita continuandus est præsens tex. quod postquam Ari. posuit tres conditiones ipsius uniuersalis, per quas differt ab aliis significatis, in pręsenti tex. ipsius uniuersalis assignat definitionem. Et sciendum, quod tex. iste in duas secatur partes, in prima Arist. ponit definitionem ipsius uniuersalis, in secunda ibi. {Vt duos rectos habere} exponit partes definitionis. Quo ad primam igitur partem, dicimus quod Arist. definit uniuersale, & probatur quod hoc sit uerum, nam ut patet septimo metaph. tex. com. 39. tunc uerè definitur pars, quando definitur cum illo cui deseruit, sed sic est, quòd ipsum uniuersale est pars propositionis, seu præmissæ, & præmissa est pars demonstrationis, ergo tunc uerè definitur, quando definitur cum illa: sed in principio huius tex. definitur ipsum uniuersale cum demonstratione, ergo nunc uerè definitur ipsum uniuersale. & minor probatur, nam uniuersale est prædicatum in propositione. {& primo demonstratur} ergo &c. Deinde cũ dicit Arist. {ut duos rectos habere.} Hæc est secunda pars huius tex. in qua Arist. exponit per opposita, primam particulã, & dicit duos rectos habere, non est prædicatum de figura uniuersaliter, nam si monstretur de figura quòd est habens duos rectos &c. non est dicendũ quod est prædicatũ uniuersale: nam hæc est fallacia consequentis, quoniam deficit illa conditio quæ dicit de quolibet modo, neque etiam de omni figura monstratur habere duos rectos, ergo &c. Et cum dicit. {Quadrangulus enim figura quidẽ est} probat quod habere duos angulos non est prædicatum uniuersale, quia non de omni figura dicitur, nam quadrangulus est figura, & tamen non habet duos rectos. Deinde cũ dicit. {Sed isocheles habet quidem.} Aduertas quòd exponit secundum particulam quæ est, primo, & per opposita exponit eam, sicut exposuit primam, & dicit quod nõ solum debet habere istam conditionem, quod sit de omni, sed quòd sit primò, nam cum per primam particulam non differat ab uniuersali definito, primo periherm. cap. quinto, addidit hanc secundã particulam, quæ est sibi differentiam ultima, per quam differt ab aliis uniuersalibus. & dicit. {Sed isocheles &c.} tamen quia non inest ipsi primo, ideo non est prædicatum uniuersale. & probat quia inest triangulo prius. & notato, ꝙ dicit, inesse, quia ipsum uniuersale (ut supradiximus) est prædicatum, modo de ratione prædicati est inesse subiecto. {Quandocunq; igitur primum demonstratur.} Nunc colligit has duas conditiones in unum, & infert ex dictis, sicut ostendit illa dictio. {igitur} & dicit, omne quod primo monstratur, & inest de omni, dicitur esse uniuersale prædicatum de ipso subiecto. {aut quodcunque aliud} idest non solũ de isto exemplo supra dato, sed in omnibus aliis exemplis quæcunq; fuerint. & dixit hoc, ne quis putaret hoc solum semper sequi in isto exemplo posito. & dicit. {& demonstratio per se} idest ex isto prædicato per se conficitur demonstratio uniuersaliter. Et pro hoc notandum est, quod duplex est demonstratio, si. uti habebitur infra in com. 39. nam quædam est, quæ habet præmissas notas per se, et uniuersales, & de hac nomen demonstrationis primo dicitur, ut puta quando demonstratur ꝙ omnis homo est risibilis. alia est. quæ dicitur demõstratio particularis, et est illa quæ habet præmissas notificatas per aliam demonstrationem superiorem præcedentem: & nomen demonstrationis dicitur analogice de uniuersali, et de particulari, postquam. s. sunt notificatæ præmissę nam per prius dicitur de uniuersali tanquam de causa, & per posterius dicitur de particulari ut causata. & ideo dixit ipse Ari. {aliorum autem quodammodo,} idest diminutè & per posterius. nam si demonstratur quod Socrates est risibilis, hæc est demonstratio particularis. & aduertas, ꝙ quando præmissæ demonstrationis, non dicitur analogice de demonstratione uniuersali, & particulari, sed dicitur æquiuoce, sicuti exarauit Auerro. superius in commento. Et pro intellectu horum uerborum {neq; isochelis est uniuersaliter, sed est in plus} notabis, quod triangulus est quoddã genus, habens sub se species, scilicet scalenonem, equicrurem & isopleurum & habet etiam propriam passionem. s. habere tres angulos, æquales duobus rectis. & dicit Ari. quod si de isochele uel alia specie trianguli, dicitur hoc prędicatum, non dicitur uniuersaliter, nam {est in plus} idest conuenit aliter quàm isocheli, quoniam triangulus plures habet species, ut diximus. Hinc sumitur quod prædicatio generis de specie, ut puta, homo est animal, non est prædicatio prima, quia se habet in plus. Quamobrem ex uerbis Arist. in hoc tex. excerpere debemus, quod prædicatio prima est illa, quæ conuertitur, & est æqualis cum suo subiecto. Et amplius notandum est, quod ideo Arist. exempla dat in mathematicis, quia omnes fere eius demonstrationes sunt simpliciter, & hoc modo textus iste exponi debet: & dicant alii, quicquid uelint.

Commen. 37.

Cum significatum primi, quod est speciei.} Istud com.

in duas secatur partes, in prima Auer. uidetur continuare, in secunda ibi.{ Dixit ut uersale} incipit exponere. Quo ad primam igitur partem, ita continuat Auer. Cũ Arist. dixisset, quod idem est per se & primo. s. quòd per se est in primo modo. nunc incipit definire ipsum uniuersale. Et cum dicit.{ Vniuersale itaque} est secunda pars commen. in qua exponit tex. & describit ipsum uniuersale, & dicit esse illud, quod est de omni, & primo. Et Auer. assignat causam, quare Arist. non explicauit & posuit in definitione uniuersalis. quòd etiam debet esse per se, & dicit.{ Et non indiget ut adiiciatur per se} idest non opus est, ut ponatur, ly, per se, in definitione uniuersalis, quoniam primum & per se sunt idem in primo modo. scilicet definitio & differentia, & non genus generis, nec definitio ipsorum, & hoc explicauit Auer. dum dixit.{ Hoc autem ita fit &c.}& cum dicit{quoniam & si iam} Nunc declarat, ob quam causam, posuit Arist. istam conditionem in definitione ipsius uniuersalis, quòd. scilicet sit de omni, & dicit, quoniam si aliquis commõstraret de aliqua figura ꝙ habeat duos angulos ęquales, hæc non est prædicatio uniuersalis, quia non competit omni figuræ, ergo non est uniuersalis, nec per cõsequens est prædicatio prima{ & postquam commonstratio particularis} idest quòd ex habere duos angulos potest confici demonstratio particularis, id est potest commonstrari de specie, ut infra. s. in comm. 39. patebit, & qui demonstrat hoc, non demonstrat de qualibet figura, nam quadrangulus, seu tetragonus est figura, et tamen nõ habet duos rectos, et si hoc demonstrari possit de aliqua figura, tamen non erit uniuersaliter. Et dum dicit.{ quoniam natura particularis &c.} reddit causã et dicit, quoniam natura particularis non decernit rem propriam. et probatur, nam Aristo. tradidit in primo topic. cap. quatro, et similiter Porphyrius asserit, ꝙ proprium est illud quod conuenit omni, modo quod est particulare non est proprium, quia non conuenit omni. et dixit{ in quantum} nam ista dictio notat illud, quòd ita est particulare quòd nõ contineat uniuersalitatem, nam aliꝗ est particulare: quod continet uniuersalitatem, ut aliquod animal est risibile. est particulare, et tamẽ est uniuersale, quia supponit pro homine, quid est uniuersalis, et dicit quòd licet ista propositio, si uers. s. aliquod animal est risibile, tamen non est finita, idest determinata, nam genus est in potentia, modò omne in potentia, est indeterminatum: sed quando diuiditur in species, est determinatum. et dicit ipse Auer. quod.{pars enim ut pars est, non decernit hoc} scilicet prædicatum, nam conditio ipsius prædicati est, ꝙ sit primum, et non particulare.{ Trigonus uerò.} Nunc exponit aliam partem tex. et dicit quòd licet prædicatio de duobus rectis, sic de toto subiecto, scilicet trigioni isochelis, tamẽ non inest sibi primo, nam idest triangulo primo.{ Res itaque cui primo.} Declarat aliam partem tex. et dicit, quòd omnis res cui inest æqualitas angulorum, aut quodcunq; aliud prædicatũ simile isti. s. quòd sit primum, et habeat alias conditiones, illud est prædicatum uniuersale. et dat primam responsionem. s. quando dicit Arist. et quocunq; aliud, idest non solum istud. sed omne aliud simile isti posse esse prædicatum,{uniuersale suppositum et appositum} per suppositum, intelligit subiectum, et per appositum intelligit prædicatum, ut dicit primo periherm. & uult Auer. dicere hoc modo, omne prædicatum, quod est suppositum & oppositum est conuertibile, & est prædicatum uniuersale. Et cum dicit.{ Ac etiã posset esse} dat aliam responsionem, & dicit quòd Arist. intelligit. ꝙ omne aliud prædicatum, quod est extra istud & non habet istas conditiones, est per accidens, & tunc respõdet illi particulæ quæ dicit.{res itaq; cui primo} quasi dicat, illud est prædicatum uniuersale, & omnia alia quę non sunt ita, sunt per accidens.{& uera demonstratio} exponit & dicit quod Arist. intendit de illa demõstratione, quæ est per se, & existimatur quòd sit demonstratio, nam ut dixit ipse Arist. supra in tex. septimo in definitione ipsius scire, definiendo ipsum dixit scire, est rem per causam cognoscere, &c. & sic demonstratio quæ facit scire, non solum debet esse demonstratio, sed debet existimari quod sit demonstratio, & cum dicit.{quia nõ uera est quę &c.} aduertas quod dixit hoc, ad differentiam demonstrationis particularis: quæ uidetur demonstratio. s. perfecta, & tamen non est, nam licet sit demonstratio, tamen non est demonstratio perfecta: nam dixit Arist. primo top. primo, quòd demonstratio non solum debet habere præmissas notas sed debet sumere fidem ex aliis principiis, sed illa demonstratio particularis habet pręmissas seu prædicata per accidens, non quod sint totaliter per accidens, quia quod est per aliud, est per accidens, sed dicitur per accidẽs quia per aliud, & illud aliud est causa, & dicit quod ista prædicata per accidens deiiciuntur, à demonstrationibus. s. perfectis.{De rebus uerò.} Nunc exponit ultimam particulã textus, & dicit quod prædicatio de duobus rectis & cętera, de speciebus trianguli non est prædicatum uniuersale in hoc libro, uerum potest esse prædicatum uniuersale, quod definitur primo periherm. cap. quinto.{quoniam hoc prædicatum superasset ipsum subiectum.} Reddit causam & dicit, quoniã hoc prædicatum est in plus et uniuersalius illo, sed quãdo est prædicatũ, est uniuersalius illo subiecto, tunc est prædicatum per accidens.{ Ponitur enim per se.} Assignat causam, & dicit quod uerè illud est per accidens, nam prædicatum per se, est naturæ sibi ęqualis, at quod est uniuersalius est in plus & non ęquale ergo &c.{sicq; apparet} nunc infert unum, & dicit ꝙ de conditione istius prędicati primi est, quòd sit proprium, idest conuertibile. Sed antequam complicaui pręsens cõmen. est animaduersione dignũ quod sunt perlibrãda quędam uerba Auer. quę paulo ante dixerat, & ista sunt{hoc autem ita fit, quia prędicatio, quę non est prima, est prędicatio cui admiscetur quod est per accidens} ex quibus sane uerbis sequitur clarissimè quod ista propositio, homo est animal, est per accidens. quia prędicatum non est primum, idest cõuertibile. Et aduertas etiã quod ista propositio, homo est animal, est necessaria, sed distinguendũ est de necessario, sicuti Auer. infra in cõm. 44. distinguit, & in epit. log. in quæsito tertio, quod duplex est necessariũ essentiale, scilicet & accidentale, unde ista propositio est necessaria accidentalis, & nõ essentialis, & legito pro hoc, quę scripsi in quęsito de medio demonstrat. potissimæ, & legito etiam supra in commen. undecimo, et similiter ipsum accidens bifariam capitur: sicuti dictũ est, in quęsito de medio demonstrationis potissimæ,

Oportet autem non latere, quoniam multoties contingit peccare, & non esse quod demonstratur primum uniuersale, secundum quod uidetur demonstrari uniuersale primum: oberramus autem hac deceptione, cum aut aliud nihil sit accipere à superiori præter singulare, aut singularia: aut si sit quidem, sed innominatum sit in differentibus species rebus: aut contingat esse sicut in parte, totum, in quo demonstratur: his enim quæ sunt in parte in est quidem demonstratio & erit de omni: sed tamen non huius erit primi uniuersalis demonstratio: dico autem huius primi secundum quod est demonstratio, cum sit primi uniuersalis.

Postquam Arist. doctrinam tradidit de ipso uniuersali, conditiones ac definitionem eius docendo, nunc docet errores, qui accidunt circa ipsum uniuersale, ex quo utique procedendi modo, uidetur Aris. magnam habere curam de ipso uniuersali. Sed occurrit dubitatio, quia ars non

docet

docet ea, quæ non sunt necessaria, neq; faciunt ad bonitatem doctrinæ, sed errores contingêtes circa ipsum uniuersale, non solum non sunt de necessitate: sed neq; ad bonitatem faciunt doctrinæ, non igitur Arist. de eis pertractare debuit. Respondet Auer. in comm. & dicit, quòd Arist. docet istos errores, ut caueamus. exemplum de nautis, qui docent scopulos ut caueamus, malum nanq; non possumus cauere, nisi prius cognoscantur a nobis. non ab re igitur Arist. docere uoluit errores, quibus errare cõtingit circa ipsum uniuersale. Sed antequam ad tex. expositionem accedamus, prius præsens textus secandus est, ut facilius clariusq; intelligatur, unde in duas eum diuidimus partes in prima ponit errores, & in secunda ibi {oberramus autem} docet qui sint. Quo ad primam igitur partem dicit Arist. quod accidit errare circa ipsum uniuersale, quando .s. monstratur uniuersale, & putatur, quod non sit mõstratum, & etiam quando non monstratur, & putatur quod monstratur. Sed contra primum errorem arguitur sic, ueritas correspondet rei extra animam, & uerum est idem .s. quod correspondet rei extra animam, modo dicitur de primo, quòd licet partes nõ monstrasse ipsum uniuersale, & tamen est demonstratum, non idcirco debemus stare tuo sensui nam ubi ratio & ueritas correspondent, non est stãdum opinioni aliquorum, iuxta Arist. dictum in secundo de anima tex. com. 159 neq; est standum sensui, nam falsa iudicat, ut qui sensu dicit solem pedalẽ. Respondetur, quod scire, sicut dixit Arist. supra tex. septimo, est rẽ per causam cognoscere, & cognoscere quod illa sit causa, mõ non solum debemus scire per causam, sed cognoscere causam, eodem modo, cum ipsum uniuersale ordinetur ad ipsum scire, non solum debemus ipsum monstrare, sed etiã cognoscere ipsum monstrasse (ut ibi habetur,) nam licet esset ipsum uniuersale, & non cognosceres, non acquireres illud scire: Deinde dicit Arist. {oberramus autem hac deceptione.} Hæc est secunda pars præsentis tex. in qua exponit, & declarat qui sint isti errores, & quomodo fiant, & dicit, quod primus error accidit, quãdo ex aliquid in sua specie unum, & non est accipere aliquod uniuersale diuersum a singulari .i. quod idẽ sit singulare, & uniuersale, ut phœnix, terra, &c. & fecerimus demonstrationem de eo, & putetur quod non sit prædicatio prima, ut terra mouetur ad medium, nã non est de qualibet terra, quia una est, & sic non est uniuersale, quia uniuersale est de quolibet, & sic iste error accidit circa illam particulam {primã} & licet non sit uniuersale in actu, tamen est in aptitudine, & est propter defectũ materiæ, est nanq; apta nata ut sit uniuersalis, nam si plures essent terræ, mouerentur ad mediũ. Et cum dicit ipse Arist. {aut est quidẽ} exponit alium errorẽ, & dicit {aut est quidem} .i. uel si habeat aliquod superius, & ipsum sit innominatum in rebus differentibus specie, & aliquis monstrauerit aliquod prædicatum de illa specie, & putetur quod sit uniuersale, quoniam est de omni, & iste error est contrarius primo. Et cum dicit {aut contingat esse &c.} docet alium errorem, & dicit uel accidit error, quando aliquod totum mõstretur in parte, nam iis, quæ sunt in parte, erit demonstratio, quia de omni, sed tamen non huius prima quia non uniuersaliter. Et scias, quod in tex. sequenti assignabuntur exempla de istis erroribus. Sed tãdem, ut unusquisq; tironum facilius hosce tres errores memoriæ mandet, sic clarè, & distinctè dicẽdum. Primus error est, quando sub aliquo superiori non possumus inuenire, nisi unũ singulare, & si illi singulari assignetur passio superioris, tanquam subiecto adæquato, tunc est error, ut si habere tres, assignaretur per se adæquate, & primo, ipsi isoscheli, est error. Secundus error est quando aliqua passio inest pluribus differẽtibus specie, quorum superiori non est nomen impositum, si contingat demonstrare illam passionem superioris de aliquo illorum tanquam de subiecto primo, est error, ut commutatim proportionari inest numeris, lineis, corporibus, & temporibus, & illa non habent superius nominatum, de quo huiusmodi passio, primo possit demonstrari, unde si de uno illorum demonstretur, est error. Tertius error contingit, si passio inferioris demonstretur de superiori tanquam de suo primo subiecto, ut si non cõcurrere quod est passio linearum parallelarum demonstretur de lineis rectis, tanquam de subiecto primo, error est, & quamuis exempla istorum errorum, in sequenti tex. ponantur de intento ab Arist. uoluimus tamen ea nunc afferre ad maiorem declarationem, & hæc circa tex. sufficiant.

Commen. 38.

Dixit expedit iam nobis ne erremus. {Auer. in hoc cõmen. omissa continuatione tanquam clara, nil aliud facit nisi exponit tex. & dicit, quod oportet scire, nam accidit error circa istud contrarium .i. quod de uniuersali putetur quod sit uniuersale, & non sit, uel non putetur quod sit, & sic. Et cum dicit {intendit quod iã} exemplificat de primo errore, & dicit quod quando monstramus aliquod de rebus .i. de illis, quę non sunt nisi unum in sua specie, & putemus ipsum non esse prædicatum uniuersaliter, & tamẽ est uniuersale, erramus, quia putamus esse sicut demõstratio singularis, ut pura dicimus, quod eadem est demonstratio particularis Sortes est animal, sicut terra est in medio, hoc autem non est uerum, quia est uniuersale in sua natura, ut dicit Arist. primo cœli tex. comm. 91. & est hic error quando putamus non commõstrasse uniuersale, & commonstramus, & docet istum errorem ut caueamus. Et cum dicit {cœpit mentionem facere} de secundo errore huic contrario loquitur, & est quando .s. putamus commonstrasse, & non commonstrauimus: ut quando aliquę species diuersæ habent aliquod prædicatum, quod competit primo alteri superiori innominato, ut ęqualitas quę prædicatur de numero, de linea, magnitudine, motu, & tẽpore, quæ sunt a speciebus diuersis artificibus consideratæ, & tamen quando in Geometria commostramus æqualitatem de magnitudine, putamus monstrasse uniuersale, & non est ita, quia æqualitas inest magnitudini, & aliis, non quatenus sunt magnitudines, sed conuenit alicui alteri superiori innominato, prius: ut exempli gratia, numero proportionali, ut infra dicetur. & sic æqualitas non commostratur de numero, & magnitudine uniuersaliter, & primo, nam conuenit alteri naturæ innominatæ, & ista .s. numerus, magnitudo &c. non habent naturam uniuocã, nam si æqualitas esset natura communis istis magnitudinibus &c, numeraretur in aliquibus artibus cõmunibus, ut in metaph. quæ est communissima. infra autem dicit, ubi uult tractare de istis prædicatis, quomodo sint, uidelicet utrum æquiuoca, uel uniuoca, & comm. iam patet.

Si igitur aliquis demonstrabit, quòd rectæ non concurrant, uidebitur utique huius esse demonstratio, propterea quia in omnibus rectis est. sed non est, nisi quidem, quòd sic æquales sint, fiat hoc, sed secundum quòd quomodolibet æquales.

Postquam dixit Arist. errorem trifariam fieri circa ipsum uniuersale, nunc ipsorum trium errorũ exempla proponere intendit, & aduertendum q non eo modo narrat exempla, quo posuit errores, sed in hoc tex. tertii erroris exemplum tantum declarat, & dicit, si quis monstret, q lineæ rectæ non incidunt .i. non intersecant se, cum fuerint æque distantes, uideretur utiq; quod istud prædicatum, scilicet quando lineæ rectæ fuerint æque distãtes, non coincidunt, sit prima prædicatio, eo q inest omnibus lineis, idest eo quod sit de omni, nam omnis recta æquidistans

non intrinsecat se, si protrahatur in infinitum. {sed non est} Manifestare intendit, quomodo non sit prædicatio prima, nam non est secundum quod ipsum. i. lineæ.n. rectæ non inquantum sunt lineæ rectæ, cum sint æquidistantes, nõ coincidunt, {sed uel quomodolibet æquales}.i. non solum quando sunt lineæ rectę, sed quomodocũq; sint, dummodo sint æquales.i.æquidistantes, siue tortuosæ, siue flexibiles. dummodo æquidistent, non coincidunt: ergo patet, quod non sit prima prædicatio de lineis rectis, licet sit de omni; nam non solum inest ipsis rectis, sed aliis generibus linearum, dummodo æquidistent. modo quod est prædicatio prima conuertitur, sed ista non conuertitur, ut patet ergo non est prima, cum conueniat aliis extra ipsas lineas rectas. Et notabis, quod Arist. per hunc terminum {æquales} intelligit æquidistantes, & per, intercidere, ut multi textus habent, intelligit concurrere.

Commen. 39.

Dixit rursus etiam contingit subduci.} Istud comm. in duas diuiditur partes, prætermissa continuatione, quia clara est. In prima exponit totum tex. in secunda ibi {uerum tamen nõ intendit Arist.} digreditur aduersus Themistiũ. Quo ad primam igitur partem, aduertas quod Auer. exponit tex. suum, & quod dicit est uerum, sed non ad propositũ circa tex. nostrum. Ideo dicit, quod nos possumus errare, & decipi per medium terminum. s. quãdo commõstramus aliquod inesse alicui per medium, quod putamus esse uniuersale, & tamẽ non est. {Hoc est}. s. uniuersale supra definitum, quod sit de omni per se, & primo, & sic accidit error quando putamus esse ipsum medium uniuersale, & tamen non est, sed putamus ipsum esse uniuersale. i. primum, cum ipsum medium sit uniuersale. Et cum dicit {Hoc est consequendi illud ab illo} declarat istud uniuersale quomodo intelligitur hic, sed non illud, quod de omni, per se, & primo, sed dico illud, quando ab eo aliquid consequitur, ut si homo est animal, est, sed non econtra, ergo animal est uniuersalius. Et cum dicit {& inuentionis illius} declarat alio modo. s. esse illud, in quo inuenitur aliquod in potentia, sicuti species quæ inueniuntur in potentia in genere, ueluti tradidit Porphy. in cap. de specie. etiam cum dicit {aut quia est} exponit alio modo, & dicit, aut quia est in medio uniuersali. i. aut est econuerso, scilicet, quando aliquod inuenitur in medio uniuersali, ut puta, pars in toto, scilicet quomodo inuenitur species in genere. {Demonstratio enim} Docet errorem ipsum, & dicit, quod demonstratio, quæ habet tale medium, scilicet uniuersale, dico de omni, conclusio erit uniuersalis. i. prima. i. quod in quæsito prædicatum prædicetur primo de suo subiecto. i. quod tantum in conclusione erit prædicatio prima, & non in præmissis, ut puta qui demõstrauerit quod homo sit risibilis per medium, quod est rectæ staturæ, & dicatur, omne animal rectæ staturæ est risibile, omnis homo est animal, ergo omnis homo est risibilis. nunc solum in quæsito est prima, nõ in maiori, nam licet esse rectæ staturæ conueniat soli homini, tamen est per accidens {contra errorem}. i. iste error qui accidit huic demonstrationi, in cuius conclusione est prædicatio prima, est contraria errori qui accidit {præmisso supposito} idest errori supposito. s. secundo, in quo ut patet, nec medius terminus, nec quæsitum {est principii} idest primum. nam dictum est supra tex. comm. 13. quod idem est primum, & principium, & ut patet medius terminus non prædicatur primo in maiori, nec in minori, nec in cõclusione, & cum dicit {. i. dum hoc dico} declarat quomodo medius terminus debet esse, ut primo prædicetur, & dicit {dico medium terminũ} quo mediante, res. i. quæsitum ostenditur inesse alicui rei, & dicit {qui ingreditur sub medio termino uniuersali} idest qui medius terminus prædicatur de illa uniuersali, in eo quod quid est, idest debet esse definitio, & differentia in eo quod quid est: sed quia erant aliqua, quæ prædicantur ex uia quid est, in quibus non est prædicatio prima, idcirco dixit, {& non solum ex uia quid est, sed primo} idest conuertibiliter: uel dixit primo, quoniam passio propria non prædicatur ex uia quid est de subiecto, & ideo dixit primo. & cum dicit {idest prout facit} exemplificat ipsum errorem, quem proposuerat, & dicit prout facit ille, qui demonstrat, quod lineæ paralellæ, idest æquales, nõ intersecent se, & demonstret per medium quidem, quod linea ipsas incidens facit duos angulos intrinsecos ex eadem parte constitutos. & dicit} idest & putat {nunc mõstrat istam prædicationem non esse primam, & dicit. & si putet hunc medium terminum prædicari primo de lineis paralellis, idest si putet quòd ille medius terminus. s. quando linea cadit super lineas paralellas fiunt anguli duobus rectis æquales, dicatur primo de ipsis paralellis lineis, quia est de omni linea paralella, quam dum incidit aliqua linea, fiant duo anguli, fiunt casu. i. dum cadit linea super illas lineas paralellas. i. quod fiant duo anguli æquales, non est causa, ut non cõcurratur inter se. {Sed huius causa est} dat causã, & dicit, quod causa huius est. quia aggregatum ex iis. i. illi duo anguli, qui facti sunt a linea cadenti, super ipsas lineas, sunt æquales duobus rectis, siue uterq;. s. angulus sit rectus, siue alter sit recto maior. i. obtusus siue recto minor. i. acutus. & sic patet quod est error medii termini, qui conuenit alteri ab ipsis lineis paralellis, & sic non primo prædicatur de ipsis paralellis. Et cum dicit. {Et perinde hinc} monstrat per aliam causam, quod lineæ paralellæ non intercidant. quia si hoc esset, daretur triangulus habens tres angulos maiores duobus rectis, quod est falsum, & contra definitionem suam, nam habet tres angulos, duobus rectis æquales. Deinde cum dicit. {Verumtamen non intendit Arist.} Hæc est secunda pars comm. in qua Auer. digreditur aduersus Themistiũ, & dicit quod non fuit mens Arist. in tali exemplo dicto, s. quod ablatio concursus. i. quod lineæ paralellæ non concurrant ob tale medium supradictum. & reddit causam, & dicit quod si hoc esset quæsitum, esset notius medio termino, & sic demonstraretur notum per ignotius, quod est petitio. & cum dicit {quia uerisimile est} monstrat exemplo, & dicit, nam notius est lineas non concurrere, quod est quæsitum, quam casu lineæ fieri duos angulos æquales &c. quod est medium, sed ad hoc responderetur, quod exemplorum est manifestatio, & nõ uerificatio, & dicit, & ideo Themist. exposuit illud, quod ille intendisset, per hunc errorem. s. quando aliquis monstrauerit lineas, quas incidit una linea, facere duos rectos ęquales siue uterq; illorum angulorum sit æqualis siue non. i. sic obtusus, & hoc, s. {quoniã lineas esse paralellas in hoc quæsito, non inest primo lineis talis conditionis} idest quæ nõ se intersecant, sed inest omnibus lineis, in quibus cadit aliqua linea, & facit duos rectos æquales, siue sint tortuosæ siue non. {Geometræ enim consueuerunt} idest si quis uelit habere demonstrationem de æquidistantia linearum, non hic traditur, sed in libris Geometrarum, nam ibi est medium, per quod potest demonstrari. {Error uero prædicationis huiusmodi} nunc Auer. reuertitur & dicit, quod iste error non accidit ex medio termino, sed in quæsito, {prout qui commonstraret.} Dat exemplum, & dicit, prout qui commonstraret, isochelem habere tres angulos æquales & cætera. {cum ille id explicet} idest Themistius dicat hunc errorem fieri in medio termino, quod non est uerum, quasi dicat ipse {& iam explicasset etiã} idest nec dicendum est, quod sit error in prædicatione non prima quæsitorum. & cum dicit {quod sic sicut prędicatio &c.} dat exemplum, ut supra qui demonstret isochelem habere tres angulos æquales &c. {& mirum est} confirmat hoc esse uerum, scilicet, quod non sit error, sicut dixit in

quæsi-

quæsito, & in medio termino, & dicit quòd non est intelligendum, ꝙ Arist. meminerit de istis erroribus, qui sunt manifesti, qui .s. errores accidant huic prædicationi primæ: & ponat, unam speciem .s. quā supra diximus fieri in medio termino, uel in quæsito, quæ sit contraria huic prædicationi primæ. { Moris enim est illius qui aliquid scit } probat hoc & dicit, quòd moris est illius qui scit aliquid & relinquitur sibi errores circa illud quod scit. & dicit { illa loca, & idest errores debent esse latentiores, quam illud quod scit, cui ipsi errores incurrunt. Et cum dicit. { & hic quidem locus est } nunc declarat istum errorem ad mentem suam, qui uidetur difficilior, & latētior omnibus aliis supradictis, & dicit quod iste error accidit, quādo est una differētia, quæ diuiditur in duas uel in plures, & nos commonstrauerimus aliquam proprietatem alicui per unam partem illius differentiæ diuisæ, & non per illam differentiam uniuersalem non diuisam, quæ est communis illis differentiis diuisis: nam illa demonstratio, quæ sit per medium terminum talem, idest per illam differentiam communem & essentialem, fit prima, & non illa quæ fit per unā illarum differentiarum. { Prout fit illi } declarat exemplo idest prout facit ille, qui nō demōstrat, quod homo sit discursiuus, quia est rationalis, sed quia disciplinabilis rationis { aut commonstrat } nunc dat aliud exemplum, ut qui commonstrat quod animal sit cognoscens per tangere, & non per sentire: & error est, quia animal cognoscitur ꝙ habet omnes sensus, & demonstratio fit per sentire, & non per tangere aut audire, quod est una pars ipsius sensus, alio autem exemplo possemus monstrare, ut si diceremus quod homo est gressibilis, quia habet duos pedes, et nō quia habet pedes, nam habere pedes diuiditur in illum qui habet duos pedes, & quatuor, & centum pedes &c. unde si quis de homine monstraret per illum medium terminum, quod est duos pedes habere, non primo demonstraret, & sic Auerro. uult istum errorem reducere ad medium terminum, uerum cum nos aliter habeamus in tex. nostro, dicimus istum errorem non solum fieri in medio termino, sed in maiori, & in minori.

Et si triangulus non sit alius quam isocheles, isocheles utique uidebitur esse. & proportionale quod cōmutabiliter sit, quo numeri sunt, & quo lineæ, & quo solida, & quo tempora, quemadmodum demonstratum est aliquando seorsum: contingens autem est de omnibus una demonstratione demonstrari: sed propterea quia non est nominatum id, in quo hæc omnia unum sunt, numeri, longitudines, tempora, solida, & speciē differunt ad inuicem, seorsum accipiuntur, nunc uerò uniuersaliter demonstratur: non enim inquantum lineæ, aut numeri sunt, inerat. sed in eo quod hoc est, quod uniuersale supponunt esse.

Iste tex. ita introducitur, quod postquā Arist. exēplificauit de tertio errore, in præsenti tex. intendit exemplaponere de duobus aliis erroribus, scilicet de primo, & secundo. Vnde dicendum est quod præsens tex. in duas secatur partes, in prima exemplum assignat de primo errore, in secunda ibi. { Et proportionale quod commutabiliter } exemplificat de secundo errore. Quo ad primam igitur partem, dando exemplum ipse Arist. de primo errore, dicit, & si triangulus non sit alius, quam isocheles, isocheles utique uidebitur esse hoc .s. habere tres angulos æquales duobus rectis, secundū ꝙ isocheles, & illud uideretur esse uniuersale: nunc uerò nō est, non enim secūdū quod isocheles id inest, sed secundū quod triangulus: quare non est uniuersalis demonstratio, quæ est in isochele, sed quæ in triāgulo. { Et proportionale quod cōmutabiliter. } Hæc est secunda pars huius tex. in qua exemplificat de secūdo errore, & inquit, & proportionale, quòd commutabiliter sit, hoc est, posse commutatim proportionari demonstratur de numeris, quo numeri sunt, & de lineis quo lineæ sūt & de corporibus, quo corpora siue solida sunt, & de temporibus quo tempora sunt, ita, ut est demonstratum aliquando seorsum, illud prædicatum de singulis, ita contingens est de omnibus una demonstratione demonstrari, cōmuni uidelicet omnibus illis. Et cum dicit { sed propterea quia non est nominatum id &c. } exponit erroris causam. Et quādo dicit { nunc uero uniuersaliter } uult dicere, quòd si quis demonstret de una specie illorum, scilicet magnitudinum seorsum, idest separatim; non commonstrat primo idest uniuersaliter, nam non secūdum quòd primo lineæ proportionatur, nam conuenit alteri, a lineis, & sic non primo demonstratur de lineis, nec de aliis speciebus diuersis, sed primo demonstraretur, si esset scitum illud uniuersale, in quo communicant, quod uniuersale supponunt esse. sed non scitum. ex hoc textu colligitur clarissime, quòd illud quod est primo alicui, est æquale illi & cōuertibile, & non conueniens alteri.

Commen. 40.

Postquam narrauit quòd locus. { Auer. in hoc comm. duo facit, primo continuat, & secundo exponit ibi. { Si autē non esset trigonus. { Continuat igitur, & dicit, quod postquam Arist. exposuit tertium errorem, nunc aliorum errorum exempla ponit, & uerba commen. patent. Et cū dicit. { Si autem non esset trigonus. } Hæc est secunda pars commen. in qua incipit exponere, & dat exemplum & dicit si de triangulis non inueniretur nisi unus, sicut est de sole, tunc posset fieri demonstratio de ipso æquicrurie, & similiter est de re quæ habet unum indiuiduum, nihil prohibet fieri demonstrationem de ipsa quatenus ipsa est, idest demonstratio prima & uniuersalis. { Exempli gratia. } Dat exemplum, & dicit de sole, si instituimus demonstrationem, quòd est tota pars terræ, id est maior pars, similis demonstratio est, ac si diceremus quod homo est rationalis. & sic de ipso homine non inueniretur nisi unum indiuiduum, posset etiam fieri demonstratio prima & uniuersalis de illo. { & idcirco } concludit tandem, quòd quando aliqua species habet unicum indiuiduum, potest fieri demonstratio. & dicit Auerro. } prout contingit mihi quod ego uiderim unum } scilicet hominem de regione aphrica, & tamen possem de illo facere demonstrationem. { Postquam autem commonstrauit } introducit aliam partem textus, & dicit quod postquam demonstrauit, quòd in specie quæ habet unum indiuiduum potest fieri demonstratio uniuersalis, incœpit facere mentionem de demonstratione, quæ fit in diuersis speciebus & non primo: ut si æqualitas monstraretur de lineis, & magnitudinibus, non est possibile quod sit demonstratio prima, { idest, iam possibile est commonstrare } idest quod possibile est quod fiat demonstratio prima de ipsa æqualitate, & proportionalitate, quæ commonstrata sunt de istis speciebus, scilicet quando fuerint ipsa unita in unum, idest quod fuerit inuenta natura communis ipsis, quæ est innominata. & sic esset demonstratio de illa natura, inquantum est natura talis, idest, demonstraretur de ipsa primo, conuertibiliter, & uniuersaliter. Et cum dicit, { idest quando iis differentibus } uult dicere Auerro. sed quando illa prædicata demonstrantur de illis speciebus separatim; putatur quod sit demonstratio prima, & non est, quoniam æqualitas & proportionalitas non conueniunt lineis, quatenus lineis, idest primo & conuertibiliter, neq; numeris. { Sed circa tales propositiones } promittit de istis quæstionibus se locuturum infra, scilicet in commen. 73. { Intendit, } idest sed demon-

ftratio prima effet, fi illud ens uniuerfale commune iftis fpeciebus effet fcitum.

Propter hoc nec fi aliquis demonftret unumquemq; triangulum demonftratione, aut una, aut altera, quod duos rectos habeat unufquifque, ifopleuron feorfum, & fcale non, & ifocheles; nondum cognouit triangulum, quod duobus rectis fit aequalis, nifi fophiftico modo; neque uniuerfaliter trangulum, ne quidem fit nullus eft præter hæc triangulus alter. non enim fecundum quod eft, cognouit, neque omnem triangulum: fed fecundum numerum, fecundum fpeciem autem non omnem, & fi nullus eft quem non nouit.

Quicquid dicant alij expofitores, textus, ifte ita introducendus & continuandus eft, quod poftquã Arift. pofuit exemplũ fecundi erroris circa finẽ præcedẽtis tex. & exẽplum fuit in genere innominato, in præfenti textus ut clarior & notior fiat ille fecundus error, intendit declarare eundem fecundum errorem in genere nominato, & hæc quæ dicit Arift. in hoc tex. inferuntur ex dictis, ut notat illa dictio{ propter hoc} ficuti patet in principio huius tex. & dicit propter hoc, ideft propter hanc caufam, quia prædicatio generis de fpecies non eft prima, neque, fcilicet, eft prima fi quis monftret fingulum triangulum demonftratione, una, aut per plures, quòd habet tres, idest neq; fi quis una demonftratione includat omnes fpecies trianguli, aut feparatim de unaquaq; uidelicet, una demonftratione de omnis fpeciebus: ut fiquis dicat, omne habens angulum extrinfecum habet angulos, omnis ifocheles, fcalenon & ifopleuron eft triangulus. { Nifi fophiftico modo. } Refpondet Arift. tacitæ obiectioni, nam poffet obijci, quòd bene cognofci poteft, fed dicit Arift. { fophiftico modo idest per accidens: nam qui cognofcit prædicatum ineffe generi per fpeciem, quæ eft pars eius, cognofcit per accidens: quia quod conuenit per partem, conuenit per accidens, ut colligitur ex quinto phyfic. tex. commen. primo, modo fpecies eft pars generis, ergo &c. Sed dubitatur, nam licet hoc fit uerum, quando demonftratio fit de una fpecie trianguli, tñ quãdo fit de omnibus fpeciebus fimul, bene poteft cognofci prædicatum uniuerfale, nam totum nihil aliud eft, quã fuæ partes, ex primo phyfico. tex. commen. 17. modo fpecies funt partes generis, ergo patet quòd cognofcendo fpecies unius generis, cognofcitur ipfum. Refpondetur quòd licet fit uerum, quòd totum non fit aliud quam fuæ partes, hoc ualet integratiuè & materialiter: fed partes, & totum, funt diuerfa fecundum rationem & diffinitionem, ut patet intuenti; & ideo argumentum non fequitur. { Neque uniuerfaliter trangulum, } idest non nouit triangulum uniuerfaliter, idest in communi{ nequidem } idest & fi nullus triangulus in fpeciali reperiatur, nifi illi de quibus una fuerit facta demonftratio fimul. { non enim fecundum quod eft, } idest non cognouit ipfum triangulum fecundum ipfum, idest illam prædicationem effe de triangulo primo, & uniuerfaliter, idest neq; de omni, quæ eft conditio primæ prędicati. { fed uel fecundum numerũ} idest fecundum numerum fuarũ fpecierum, uidelicet inductione, ut dicit Auer. in commen. { fecundum fpeciem } idest non cognouit ipfum fecundum fpeciem, fed folum fecundum numerum, etiam fi omnes fpecies cognouerit. Sed dubitabitur, nã uidetur oppofitum dicere ipfe Arift. quoniam fupra probauit, ꝙ triangulus eft cognitus fecundum fpeciem. Pro folutione notandum eft, quod fpecies dupliciter intelliguntur (ficuti Porphirius tradidit in cap. de fpecie,) fcilicet, ut totum, & ut pars: fi fecundum totum, fic refertur ad indiuidua: fi ut pars, fic refertur ad genus, hoc habito, dicitur, quòd Arift. hic intelligit, quòd non eft cognitus triangulus fecundum fpeciem, idest ut refertur ad genus, idest non eft cognitus fecundum quod eft fub uniuerfali, & fic fedatur contradictio.

Commen. 41.

Poftquam præoftenderat quòd prima prædicatio. } Tria facit Auer. in hoc commen. primo continuat. fecundo exponit tex. ibi. { Neque etiam quando commonftratur. } & tertio digreditur ibi, { Hoc autem fed exiftente. } quo ad primum, ita Auer. continuat, ꝙ poftquam Arift. dixit quod prima prædicatio fit propria. & quod, fcilicet debet effe illa, quæ prædicatur in quid de re, ut eft definitio: nunc redire intendit ad declarandum defectum, ob quem, fcilicet, demonftratio erit de re, quę nõ fit de omni. Sed pace Auerro. non eft uerum, quòd prædicatio prima debeat effe illa, quæ in quid prædicatur de re, quoniam propria paffio, eft prædicatum primum, ut fupra diximus & tamen non prædicatur in quid de re. Et cum dicit. { nõ per aliam naturam} uult dicere, ꝙ illud facit primam prędicationem, quod prædicatur per fe, & non per aliam naturam; nam quod ita prædicatur, per accidẽs eft. { Redire ad declarandum expofitionem} introducit textum & dicit quòd Arift. redit ad declarandum errorem fubintrantem demonftrationem quæ fit de omni, idest primo. { ficut dum quifpiam. } Dat exemplum, ut fi quis commõftraret æqualitatem de numero, feu proportionalitatem. {fimiliter etiam} dat aliud exemplum, ut fi quis commonftraret habere tres de omnibus fpeciebus feparatim ipfius trigoni, dicit quod ifta non eft prædicatio prima. & poftq demonftrauit quod qui demõftrat de una fpecie trigoni feparatim, nõ demõftrat ipfam primo & per fe, affert caufam; & dicit, quòd hæc non fit fecundum modũ uniuerfalis quod demonftrat alicui ineffe aliquid per fuam naturam, & effentiam, idest primo & per fe: nam uniuerfale, ut hic definitur, eft infantã, aut definitio, aut differẽtia, aut propria paffio, quæ funt effentiæ & naturæ, idest formæ {quoniam qui notificat } dat exemplum de iftis & dicit, quoniam quod demonftratur una demonftratione, quòd ifocheles, ifopleuros, & æquilaterus habent duos angulos æquales duobus rectis: hoc attributum non fcitur per fe, & fecundum naturam, idest primo hoc ineffe ipfi; fpeciebus fecundum naturam. nam quod eft fecundum naturã eft per fe, modo habere duos angulos ineft per accidens ipfis fpeciebus. {quoniam apud illum. } Reddit caufam, quoniã non oftendetur trigonus quatenus trigonus de fpeciebus, & fi fcit ipfam de trigono in uniuerfali, fcit per accidens, idest per aliud, & per partem quod eft per accidẽs, ut fupradiximus. Et innuit} dat caufam cur dixit per accidens, & dicit ad denotandum, quod illud quod eft per accidens, non ingreditur demonftrationem: ergo quod non fcit ad aliquid de omni, idest primo, non fcit illud demonftratione, fcilicet perfectiffima, quę facit adipifci illud fcire fupra definitum, fcilicet in tex. feptimo, nam demonftratio particularis ut puta de fpecie facit fcire fophiftico modo, & per accidens, & hoc eft quod fupra intendebat Arift. in definitione ipfius fcire, in tex. feptimo, ubi dixit, & non fophiftico modo. nam excludebat demonftrationem particularem. {idest quod utens} idest quod qui utitur ifta demonftratione. {quæ fit de fingulis fpeciebus trigoni, non fcit hac difpofitione, idest habere tres de ipfo trigono, nifi per accidens, & fic nefcit hãc difpofitionem ineffe omni trigono, quod non relinquatur ullus trigonus. { Ille enim nefcit. } Affignat caufam, nam ille nefcit hanc difpofitionem de trigono, quatenus trigonus eft. { Qua fcientia adipifceretur} idest qua demõftratione fciret omnem trigonum effe talis conditionis, dicit quod nõ ueræ funt, ficut fi fieret demonftratio ipfa de ipfo trigono

in communi. {Sed esset apud illum}.i. si ille habet scientiã hoc esset tanquam si haberet per inductionem, quę inductio non facit acquirere prædicatum primum per se, & naturaliter, nam eadem est demonstratio de omnibus speciebus alicuius generis. {Ac si dixisset:} Dat exemplum, et dicit, quòd qui sciret de isochele scalenone etc. quòd habet duos angulos, non sciret hanc dispositionem inesse omni trigono, uidelicet quòd omnis triangulus habet tres. {Quis.n.scit} dat causã, & dicit, ꝙ qui scit scire hãc dispositionem inesse ipsis trigonis, hoc modo scientia scit inducere, idest inductiue de omni triangulo, & scit per illam scientiam, quæ prouenit ei per hanc rem, idest per inductionem omnium specierum ipsius trigoni. {Dum hoc inquisiuerit,}. i. dum fecerit inductionem de omnibus speciebus trigoni, uerum erit, ex summa demonstrationum, quas fecerit de singulis speciebus, quòd omnia trigonus habet duos &c. ex demonstratione autem non adipiscitur nisi per accidens {Sed non adipiscitur uniuersale naturale}.i. primo & per se, inductio enim nõ facit adipisci prędicationem uniuersalem, & per se {nisi per accidens}.i. ratione primi principii, ueluti secũdo priorum cap. proprio, & secundo cœli com. 49. & 59. colligitur. Sed notandum est, quòd ideo inductio non facit acquirere prædicationẽ per se, quoniam inductio quatenus inductio est, est instrumentum topicum, ut patet primo top. cap. 10. topicus autem uersatur circa contingentia, quæ non sunt per se, nam omne per se, est necessarium ueluti dictum est supra: & si aliquando facit hoc, non erit ratione sui, sed primi principii, quod est per accidens, & non consideratur ab arte. sed quia omne per accidens reducitur ad per se, ideo hoc est per se ipsi principio demonstratiuo. Deinde cum dicit ipse Auer. {hic autem defectus scientiæ} aduertas quòd facit quædam præambula, ad digressionem, & dicit quòd defectus scientiæ.i. ipse error sequitur, cum prædicatum prædicatur de genere subiecti ut sensibile, quod prædicatur de genere hominis, qui est subiectum. {Idem sequitur de prædicato}.i. non solum quando prædicatum prædicatur de genere subiecti (ut supra diximus) sed quando prædicatum non prædicatur de genere subiecti, sed uniuersalius subiecto, ut puta animal quod prædicatur de homine estq; uniuersalius illo, & non prædicatur de genere subiecti, idest de animali. {Qui enim scit prædicatum}.i. qui scit hoc prædicatum, quòd prædicatur de subiecti genere, non scit illud de natura, cui hoc prædicatum inest primo & per se. sed {scit per accidens} idest per partem. {& idcirco non meretur ingredi prædicata demõstratiua, id, quod est uniuersalius subiecto,} quasi dicat ipse Auer. sed id ingreditur, quod est conuertibile. Et subdit Auerro. {siue hoc prædicatum prædicetur} de genere, scilicet subiecti, ut sensibile, {siue non prædicetur de illo} idest illo genere subiecti, ut augumentabile, & diminuibile, quod prædicatur de corpore animato; sed tamen non prædicatur de animali prædicatione uniuersali, idest prima. {Hoc autem ita fit} assignat causam, quia quòd hoc fit, est quia quod est per accidens, repugnat illi per se. modo orationes demonstratiuæ fiunt de per se, sophisticæ autem fiunt ex accidentalibus, at sophisticæ orationes, & demonstratiuæ repugnant: oportet igitur, ꝙ demonstrationi non immisceatur aliquod per accidens, siue proximum, ut dicendo homo est sensibilis, uel remotum, ut homo est albus. Sed cum ipse Auer. dicit. {Hoc autem fit existente.} Aduertas, quòd incipit digredi, & scias etiã, quod ista digressio in duas secatur partes, in prima ponit opiniones. in secunda, ibi. {ego uero diu credidi} ponitur propria Auer. opinio. & ulterius scias, quod duas ipse Auer. narrat opiniones Alpharabii, scilicet, & Auempaces, primo recitat Alpharabii opinionem dicens {quonam pacto ait Alpharabius in suo libro,} quod quædam sunt prædicata demõstratiua propria, idest conuertibilia, & quædam prima, & non propria, idest per se & non conuertibilia. Et aduertas quod in translatione Buranæ, ponitur diuisio quadrimembris ipsorum prædicatorum secundũ Alphar. opinionem, & ideo melior est translatio Buranæ quam Abrahami. & dicit Auer. {ò utinam cognoscerem} idest utinam possem cognoscere in suo libro modum Ar. quomodo adiecit conditionibus præmissarum demonstrationis, quòd sint per se, de omni, & primæ, quasi dicat ipse Auer. non inuenio in libro ipsius Alphar. modum Aristo. seu conditiones, quas ipse Ari. Assignauit pro præmissis demonstrationis. {hic enim datur locus} idest dictum ipsius Alpharabii, magnam nobis exhibet curam speculãdi in hoc, iuxta illud philosophi primo top. cap. 9. quod non quodlibet proferente contraria curandum est. ideo cũ Alpharabius uir esset magnæ auctoritatis, necesse erat ei respondere. {Hęc enim conditio.} Aduertas quod Auer. primam facit rationem aduersus Alpharabiũ & dicit, quòd si illa conditio quam posuit Arist. scilicet primo, esset necessaria tantum demonstrationi perfectissimæ, tunc Aris. fuisset diminutus, quia non posuit & assignauit conditiones & regulas communes omni demonstrationi. {si autẽ conditio illa} idest si illa conditio est communis seu uniuersalis omnibus speciebus demonstrationis, tunc errauit ipse Alpharabius cũ dixerit, quædam prædicata esse prima, & quædam non prima &c. cum omnia prædicata debeant esse prima & propria. {si autem hæc conditio quã Arist.} Nunc arguit secundam etigens rationem aduersus Alphar. & dicit si illa conditio quam posuit Arist. est tantum de bonitate, & non necessaria demonstrationi. adhuc errauit ipse Alpharabius cum non distinxerit & dixerit, ꝙ aliqua conditio est necessaria demonstrationi, quædã uero non sunt necessariæ, sed de bonitate, quibus nanq; conditionibus demonstratio fit melior. & ipse Alphar. numerasset prædicationem uniuersalem, ob quam fit melior, inter conditiones de bonitate ut reliquas. s. per se, & de omni, inter conditiones necessarias. sed quod dicit, hoc non fecit, ergo errauit, nam si hoc esset, debebat numerare omnes conditiones esse necessarias præter conditionem de primo, quæ facit uniuersalem prædicationem. {si autẽ res ita se haberet}.i. si hoc esset ad complementum, ut completa posset fieri doctrina, utranq; uiam. s. Aris. & Alpharabii necesse esset aggregare simul, & scire uiã Arist. propter melius, & uiam Alphar. propter necessitatem. Deinde cum dicit. {Auempace uero ait.} Nunc Auer. recitat opinionẽ Auempacis, qui defendebat Aris. & dicit, quod Arist. intendebat tractare demonstrationes, quæ sunt definitiones in potentia. i. non in actu, nam facta demonstratione, acquiritur definitio, ideo posuit illam cõditionem, s. primo, sed Alphar. considerans demonstrationem, ut est simpliciter. i. in communi, repugnat ipsi Aristo. & sua sententia est alia, a sententia Arist. Sed cum dicit ipse Auer. {hoc autem est} aduertito, quod arguit contra ipsum Auempacem, & dicit, quòd tantũ est dicere hoc, quantũ est dicere, quod illa conditio est posita ab Aristo. propter melius, & sic ad primum redimus. {Demõstrationes.n.} probat, & dicit, quod demonstrationes, quæ sunt definitiones in potentia sunt perfectiores, & ideo Arist. uidetur ponere illam conditionem. s. primo, de bonitate: nam per illam cõditionem, demõstrationes fiunt meliores & ideo propter melius est, & sic uult Auempace, quod Arist. assignauit cõditiones, ob quas demõstratio sit melior, & perfectior, dedit conditiones de bonitate doctrinæ. {& sub silentio} idest non fecit mentionem de illis cõditionibus, quæ sunt necessariæ. {Alpharabius uero contrarium}. scilicet quia notificauit necessarias conditiones, & tacuit meliores. i. quæ sunt propter melius. {Et secundum hoc}. i. dato hoc, utraq; doctrina esset manca, & diminuta, scilicet tam Arist. quàm Alphar. {Et maiorem partem exponentium.} Et uult dicere hoc modo ipse Auer. quomodo hoc

ſcilicet poſſit eſſe uerum, nam ſi hoc eſſet, nō latuiſſet maiorem partem exponētium.i. animaduertiſſet maior pars exponentium, & præcipue{potiores} quaſi dicat Alexander, & Themiſtius. Deinde cum dicit,} Ego uero diu credidi,{ Auer. ſuam ponit opinionem, & ſententiam, & dicit longo tempore arbitratus fuit congregare ſententiam Alpharabii, & Ariſto. ut bene poſſit compleri doctrina, & tandem dicit ipſe Auer. cum ego conſideraui definitionem demonſtrationis ſuperius datæ, in tex.9. quòd ſit illa, quæ procedit ex ueris, primis, &c. uiſū eſt mihi quod dixit Ariſt. eſſe uerum. & quod dixit Alphar. eſſe falſum. {Quoniam ſi demonſtrationi.} Probat quod dicit, nam ſi demonſtrationi non ſufficit ſolum præmiſſas eſſe ueraces, prout dixit, ſed etiam annexas ei, ſcilicet primas, & non ſolum hoc.ſ. quod ſint per ſe, & huiuſmodi cauſa eſt, quia quod eſt uerum per accidens, eſt per accidens uerum, & non per ſe, ſed id, quod eſt per accidens, etiam ſi ſit uerax, non facit acquirere ſcientiam ueram niſi per accidens, at demonſtrationis conditio eſt, ut ſciatur res, ſecundū quod eſt apud naturam, & non ſecundum quod eſt per accidens, nā ſic demonſtratio facit ſcire res artis, ut ſunt.{ Hoc autem conſcito } ideſt cum hoc ſciuerimus, quando demonſtrationi additur, quod eſt per accidens. {illius occaſione} ideſt quod eſt per accidens, non ſit ſcientia uera. ſecundum quod eſt apud naturam, neque ſcientia, prout res eſt apud naturam: nam hæc eſt definitio ueritatis.ſ. ſcire aliquam rem, ut eſt apud naturam, ſcilicet, per cauſam. {Et explicatum eſt} ideſt dictum eſt, quod illud quod eſt per ſe, & non primum, eſt per accidens, & hæc tanquam minor ſit, quòd quādo ſcientia prouenit a tali prædicatione, non ſit uera, & conſona operi naturæ. & formetur ſic maior ſcientia uera facit acquirere rem, prout eſt apud naturam: ſed quod eſt per ſe, & non primum, eſt per accidens: quaſi dicat, ergo non facit acquirere ſcientiam uerā neque in rebus artificialibus, neq; in naturalibus.{ Sequitur ergo.} Concludit Auer. quod demonſtratio, quæ non habet prædicata prima, nō ſit penitus demonſtratio.i. nullo modo. {Prædicatio.n. generis de ſpecie} aſſignat cauſam, & dicit, quòd prædicatio generis non eſt hoc modo prima, ſcilicet ut hic definimus. {Hoc autem ſic ſe habente} ſcilicet ut diximus, quomodo non poſſet putare ſic eſſe.{ Themiſtium uero inuenimus} Arguit contra Themiſtium, & dicit, quòd Themiſt. concedit prædicationē generis de ſpecie eſſe primam, ueluti tradidit primo poſt., capi.12. & concedit definitionem prędicati primi datam ab Ariſ. & ſic facit duos errores, & propter hoc.ſ. quod dixit Themiſt. ego puto, quòd Alphara. deſcripſit aliter prædicatum primum quam Ariſt. {ueritas autem eſt quòd genus.} Dicit ueritatem ad mentem ſuam, & dicit quod genus non eſt prædicatum primum, nā non prædicatur, quia non prædicatur de una ſpecie in quantum ipſum, ideſt cōuertibiliter, ſed de pluribus tamen prædicatur: at prędicatum primū eſt conuertibile, & proprium, ut ſępius dictū eſt. {oportet ergo genus.} ideſt ſi eſſet prædicatum primū, tunc prædicaretur de natura ſibi æquali, quæ natura eſt ſubiecta formæ, quæ forma eſt ipſum genus, & ſic genus eſt forma ſolum potentialis. {ille enim non diſcernit} Ponit deceptionem ipſius Themiſtii, & dicit, quòd ipſe nō facit differentiam inter prædicationē generis, & alia quæ nō ſunt propria ſubiecto, ſed putat omnia eſſe prædicata prima. {Et ſicut qui ſcit.} Monſtrat exēplo, & dicit, quod eſt, ſicut qui ſcit, quòd anguli duobus rectis inſunt iſocheli, & non ſcit ineſſe ipſi naturæ æquali, cui primo ineſt. }Sic qui ſcit generis prædicationem de ſpecie} non ſcit de natura propria, ſed per accidens. Sed dubitatur, quoniam ſupra in commen. 30. & Ariſtot. etiam in tex. dicit, quod prædicatio generis de ſpecie, eſt in primo mō dicendi per ſe, ergo non per accidens prædicatur. Reſpondetur, quòd per ſe capitur dupliciter: uno modo ut excludit omnem perſeitatem, & ſic dictum Auer. eſſet falſum, ſi ſic ſumeretur, alio modo, ut excludit primitatem: & ſic eſt uerum quòd prædicatio generis de ſpecie eſt per accidens, reſpectu primæ prædicationis.{ Badē itaque.} Concludit quod abiiciatur a prædicatis demonſtrationis, prædicatio generis de ſpecie, & paſſionis ipſius generis de ſpecie, ut homo eſt ſenſibilis. Et cum dicit{ ſi autem quiſpiam,} Nunc dat modum, quomodo prædicatio generis poteſt eſſe prima. Et aduertas, quod Auer. coactus uidetur dicere hoc. quoniam Ariſt. in ſuis libris, multa quæſita facie generis, & ipſius ſpeciei. ut puta in metaphyſica, utrū ſpōgia maritima ſit animal, & ſic dicit, quod poteſt eſſe prima, quando proprie, & particulariter profertur, & non abſolute, ut dicendo, homo eſt quoddam animal, & pro hoc uideas ſecundo poſter. commen. 94. nam ibi amplion modo declaratur hoc. Et ſic ab Auer. habemus, quod prædicatio generis excluditur a demonſtratione, & poteſt eſſe prima, quādo propriè profertur, & quod demōſtratio, quæ non habet prædicata prima, non eſt penitus demonſtratio. Supereſt modo cōgregare rationes eius ſigillatim. Quarum prima eſt iſta, de inſufficientia, quæ dicit; ſi illa conditio, ſcilicet primo, non conueniſſet omni demonſtrationi, tūc fuiſſet inſufficiens ipſe Ariſt. nam debet dare conditionē communem omnibus demonſtrationis ſpeciebus, quapropter dicendum eſt, quòd illa conditio, ſcilicet primo, conuenit omni demonſtrationi, & non poteſt eſſe demōſtratio, niſi habeat illam conditionem, aliter Ariſt. mancus eſſet, ac diminutus. Secunda ratio, eſt ex definitione ipſius demonſtrationis, quoniam demonſtratio ex tex. 9. procedit ex primis ueris, &c. ſed quod conuenit per definitionem, conuenit per ſe, & quod eſt per ſe, eſt de omni; ergo omnis demonſtratio habet prima prædicata, & ſi non habet, non eſt demonſtratio, quia caret definitione ipſius demonſtrationis, & ſi erit demonſtratio, non niſi ęquiuocè erit. Tertia ratio, ſumpta a definitione ipſius ueri, nam ueritas eſt illa, quæ facit acquirere rem, ut eſt apud naturam, ſed ſic eſt, quod demonſtratio facit acquirere iſtam ueram ſcientiam, ergo demonſtratio debet eſſe uti eſt apud naturam, ſed res apud naturam, eſt per cauſam primam, & immediatam, ergo ipſa demonſtratio debet eſſe per immediata, & prima; aliter non faceret acquirere ſcientiam, uti eſt apud naturam: & confirmatur dictis ipſius Auer. in quæſito, tertio poſter. ubi dicit, quod ſcientia uera eſt illa, quæ facit nos ſimiles Deo excelſo. & talem ſcientiam ueram acquirimus nos per ipſam demonſtrationem. Quarta ratio eſt, quæ colligitur ex dictis ſuis, ſcilicet quod eſt per accidens facit deceptionem, & non ſcientiam. quod non eſt primo eſt per accidens, ergo demonſtratio non prima, facit potius deceptionem, quam ſciētiam. Concludit ergo Auer. quod demonſtratio, quæ non habet prædicata prima, non eſt penitus demonſtratio. Sed animaduerſione dignum eſt, quod Auer. circa hoc. Primo contradicit ſibi ipſi. Secundo Ariſt. &c. Tertio contradicit ueritati. Et primo probatur, quod cōtradicat ſibi ipſi, quoniam ipſe Auer. in epit. log. quæſito tertio poſter. dicit. ꝙ prædicatum primum eſt de conditionibus demonſtrationis ſimpliciter, quæ eſt definitio in potentia, & non demōſtratio quia, & propter quid, Item in com. 10. dixit, quod demōſtrationes, quæ ſunt mediatę, ſunt demonſtrationes per poſterius. Secundo probatur, quod contradicat Ariſ. quia ſupra in tex. 14. aſſignat unum principium demonſtrationis, quod dicitur ſuppoſitio, quæ eſt demōſtrata in aliqua arte, & tamen eſt demonſtrationis principium. Itē primo top. primo dicit Ariſt. quod demonſtratio non tantum eſt illa, quæ habet præmiſſas immediatas, ſed etiam illa, quæ ſumit fidem a prima. Tertio probatur, quod cōtradicat ueritati, quia Ariſ. demōſtratiuè probat in primo phyſ. quod materia prima eſt ingenita, & incorruptibilis. Itē in octauo phyſ. probauit, ꝙ primus motor ſit æternus:

mus. Et in secundo cœli, quod aqua sit sphærica, & quòd terra sit sphærica, ista probantur demonstratiuè, & tamē non sunt prædicata prima. Superest his respondere, & soluere rationes ipsius Auer. pro quarum solutione, quædam prænotanda sunt. Primum est quod demonstratio dicitur analogicè, per prius de demonstratione simpliciter, & per posterius de aliis. Secundum est, quod demonstratio simplex est dupliciter consideranda, una est, quæ hēt duas præmissas immediatas et unam conclusionem. altera dicitur demonstratio tamen, quę simplex dicitur cōposita, & est illa, quæ habet unam demonstrationem præcedētē, & alterā subsequentem, & suæ præmissæ sunt demonstratæ per alteram demonstrationem præcedentē. & hæc distinctio colligitur ab Ari. primo poster. 42. & ab Auer. in epito. logic. cap. de syllogismo composito. Tertium est, quòd uerum est duplex, unum quod correspondet rei naturæ, & agenti naturali. alterum uerum est, quod dicitur respectu nostri, ut puta procedere per effectum ad causam, nam non est ita apud naturam, immo natura procedit econtrario, scilicet a causa ad effectū, ut ipsemet Aue. protulit secundo poste. commen. 94. & 95. Quartum est, quòd aliquod esse per accidens, est dupliciter, uno modo per causam suam essentialem, & iste modus licet dicatur per accidens. tamen non uere & proprie: alio modo est ut homo est albus, iste modus est per accidens uere, quia albedo non est causa hominis. His habitis præsuppositis, respondetur ad argumenta ipsius Auer. Ad primam eius rationem dicimus, quod Ari. definit demonstrationem simpliciter sicuti sæpe sæpius diximus, et ista conditio, scilicet primo, competit tantum demonstrationi simpliciter, neque propter hoc ipse Arist. est diminutus, quia à cap. 3. dat alias conditiones conuenientes demonstrationi propter quid & quia, & similiter in secundo poster. cap. de causis. Ad secūdam rationem. dicitur. quod illa conditio conuenit omni demonstrationi, scilicet quæ ibi definitur, sed ibi definitur demonstratio simpliciter, ergo conuenit etiam demonstrationi simpliciter. Ad tertiam rationem respondetur. quod duplex est uerum. ut supradiximus, uerum naturale, & uerum, respectu nostri. & licet aliæ demonstrationes non faciant acquirere uerum naturale, tamen faciunt acquirere uerum ut est apud nos. nam ut habetur tertio de anima. 34. 35. & 39. natura dedit nobis uiam procedendi ab effectibus, tanquam, à nobis notioribus ad causam, & sic procedit demonstratio quia, quæ licet non faciat acquirere uerum, ut est apud naturam, tamen facit acquirere uerum, ut est apud nos. Ad quartam quoque rationem respōdetur per distinctionem supradictam, quod aliquid esse per accidens stat dupliciter, uno modo per causam, alio modo uerè et tunc dicitur, quòd illud quod est per accidens, facit deceptionem, scilicet illud quod est uerè per accidens. at illud quod uidetur per accidens, & est per causam suam, non facit deceptionem: & illæ demonstrationes quæ sunt tali modo, scilicet mediatæ sunt demonstrationes quia, & licet non sint demonstrationes per prius, sunt tamen per posterius. & non excluduntur, a genere demonstrationis, ueluti superius dictum est sæpissimè, & in proprio quæsito de regressu demonstratiuo.



REDIMVS Hieronymum Balduinum non minus sequentes textus omnes & commentaria esse interpretatum quàm superiores. Hactenus tamen fieri nō potuit quantacunque usi sumus diligentia, ut id quod ad prioris libri poster. analytic. Arist. & Auer. comment. interpretationem deest, inuentum sit, excepta paucorum aliquot textuum expositione quam hic subiungimus. Quare boni consulet æquus lector, ac qualiacunque damus libenti animo leget, interea dum nos omni solertia, atq; omni studio laborabimus in inquirendis cæteris quæ hic doctissimus uir doctrinæ suæ non uulgaris monimenta reliquit.



VM igitur conclusio quidem ex necessitate est, nihil prohibet medium non esse necessarium, per quod monstrata est: est enim necessarium & ex non necessariis syllogizare: sic & uerum ex non ueris. cum autem medium ex necessitate est, & conclusio est ex necessitate, sicut ex ueris uerum est semper. Sit enim a de b ex necessitate, & hoc de c, necesse est ergo & a, c inesse: sed cum non ex necessitate sit conclusio neque medium necessarium esse possibile est: sit enim a in c non ex necessitate inesse, in b autem a, & hoc in c ex necessitate & a ergo in c ex necessitate erit: sed non esse supponebatur.

PHiloponus hunc textum continuat, quòd postquam Arist. demonstrauit præmissas demonstrationis esse oportere necessarias, & nihil posse demonstrari ex non necessariis. nunc declarare intendat non esse idem de syllogismo sentiendum, cum in eo liceat ex non necessariis syllogizare. & ratio est, inquit, quia posset suspicari aliquis superfluè ostensa ea esse quæ de demonstratione attulit. Nanq; nulli dubium uidetur si conclusio demōstrationis necessaria existat, quin & propositiones sint necessariæ. Vult ergo ostendere superflua non esse quæ de demonstratione sunt ostensa. ꝙ enim demonstrationis conclusio necessaria sit, omnibus est manifestū, at ꝙ præmissæ demōstrationis necessariæ sint, non omnibus patet. immo plures philosophi dixere illas esse probabiles, ut Protagoras. quare cum possibile sit ex non necessariis necessaria concludere, & hoc in syllogismo reperiatur, posset quispiam suspicari idem de demonstrare esse sentiendū. unde duas nobis conclusiones proponit discutiendas. prima est ꝙ necessarium potest ex non necessario syllogizari. secunda quod ex causa necessaria & medio necessario non potest nisi effectus necessarius prouenire. Has uerò persuadet medio sumpto a simili, et formatur ratio in hunc modum. Sicut se habet uerum ad falsum, ita necessarium ad non necessarium; & eodem pacto sicuti uerum opponitur falso, ita necessarium non necessario opponitur. Sed uerū quandoque ex uero, quandoq; ex falso prouenit: ergo & necessarium quandoq; ex necessario, quandoq; ex nō necessario. exemplum primi. ꝙ quandoq; ex falsis uerum deducitur, omnis lapis est substātia, omnis homo est lapis, ergo omnis homo est substantia. Similiter ex nō necessario necessarium sequitur, ut si dicatur omne ambulans est rationale, omnis homo ambulans, ergo omnis homo rationalis. Hæc est Philoponi expositio, quæ, ut uides, pulchra est. Auerroes uerò uult, quod postquam Arist. supra declarauerat conclusionem necessariam posse syllogizari ex præmissis non necessariis & contingentibus, in præsente textu intēdat probare conuersum, uidelicet, ꝙ si præmissæ sunt necessariæ, conclusio quoq; ex necessitate erit necessaria. & de prima inquit {cum igitur conclusio,} idest, cū conclusio ex necessitate est, nihil prohibet, ut mediū per quod concluditur, sit necessarium. {est enim necessarium ex non necessariis} probat hoc à simili, & litera clara est. Quod ad uerba attinet, accipit {monstrata} pro syllogizata, ut notauit Philponus. {Cum autem medium} hoc est conuersum, ꝙ ex necessario medio non nisi necessarium sequitur, sicuti ex ueris uerum, ut patuit secundo priorum. Sed dubitabis, conclusio debet esse semper similis alicui præmissarum, ut dixit Arist. primo priorū. Sed ubi conclusio est necessaria & propositiones cōtingentes, cōclusio nulli præmissarum similis est. Dicitur ad hoc dubium, quod dictum Arist. uerificatur quo ad qualitatē et quantitatem premissarum. nam non potest esse conclusio affirmatiua, quin & aliqua præmissarū sit affirmatiua, quinimmo oportet ut ambæ præmissæ affirmatiuæ existant. similiter non potest esse conclusio uniuersalis, quin & aliqua propositionum ita se habeat. Sed dices Arist. inquit primo priorum in prima mixtione, ꝙ ex maiori de necessario & minori de contingenti sequitur necessaria, & huius rei causa est quia conclusio debet alteri præmissarū assimilari. Ad hoc dicendum, ꝙ licet conclusio per se semper alicui præmissarum debeat assimilari, attamen per accidens potest contrarium euenire, ut est in proposito. Secundum dubium, conclusio contigens, & conclusio necessaria opponuntur, sicut pręmissæ necessariæ, & contingentes: sed ex præmissis necessariis non sequitur conclusio contingens, immo è conuerso. Cōsequentia patet per regulam topicam Arist. sicut oppositum in opposito, ita propositum in proposito. Ad hoc, dicet quis, consequentia negatur. & ad regulam topicam dicitur ꝙ est uera de priuatiuis oppositis: modo necessariū & contingens non ita se habent. Sed hoc falsum est, cum ista priuatiuè opponantur: nam contingens est priuatio necessarii, ut arguatur in hunc modum. quæcunque sunt eiusdem rationis, quicquid competit uni per se, & alteri competit: sed non necessarium & contingens eiusdem sunt rationis, ergo quidquid alteri istorum competit, & alteri competere debet. at necessarium non necessario opponitur priuatiuè, ergo & contingens necessario priuatiuè opponitur. Quare dicendum est, quod regula Aristotelis cum

sit topica, ut in pluribus habet ueritatem, ut in paucioribus fallit. & sic est in proposito. {sit enim a de b ex necessitate,} Quid faciat Arist. hoc in loco clarum est, cum enim supra in secunda conclusione dixerit ex necessariis propositionibus non necessariam cõclusionem colligi, & hanc a simili nobis manifestauerit exemplo ueri & falsi, consequenter eandem declarare intendit per regulatiuũ principium syllogismorũ, quod est dictum de omni. fuit enim dictum in primo priorum quod dici de omni efficitur, quando nihil est subiecti sumere de quo non prædicetur prædicatum. Vnde inquit, quod si a quod est prædicatum ad b, de b necessario prædicatur, & b iterum de c necessario prędicatur, ergo & a de ipso c necessario prædicabitur. Sed cum non ex necessitate} cum declarasset quod si propositiones sunt necessaria, conclusio quoq; est necessaria. ex hoc modo uult aliud declarare, quod. s. si conclusio non est necessaria, neq; mediũ necessarium esse potest. {sit enim a in c non} probat hoc deducendo ad impossibile iterum per principium regulatiuum syllogismorum, quod est dici de omni & inquit, sit a in c non ex necessitate, hoc est sit conclusio, c est a, cõtingens, in b autem a ex necessitate, supple insit. & hoc. s. b in c ex necessitate sit, conclusio sequitur, quod a in c ex necessitate erit per dictũ de oĩ quod erat nihil esse sub subiecto sumere de quo prædicatũ non prędicetur, quia sequitur conclusio necessaria, oppositum eius quod dicebat ut conclusionem non fore necessariam: conclusum enim fuit illam esse necessariam contra quam supponebatur. ut hæc sit ratio, b est a ex necessitate, c est b ex necessitate, ergo c est a ex necessitate. tu uerò supponebas c esse a contingenter. Sed dubitabis tu, quia per hoc idem principium probabo & ego præmissas contingentes non nisi contingentem conclusionem parere: per dictum uidelicet de omni. arguam enim sic. a contingenter inest b. & b ipsi contingenter quoq; inest, ergo sequitur quod ipsum a contingenter c inerit. ut hæc sit ratio. b est a contingenter, c est b contingenter, ergo c est a contingenter. atq; hoc pacto ex contingentibus propositionibus conclusio semper contingens erit. Hæc dubitatio mihi sẽper fuit perdifficilis. cum nullus expositorũ eam moueat. alias aũt dicebam, quod, licet ex præmissis contingentibus, per se non nisi conclusio contingens sequatur, per accidens tamen contrarium euenire poterat, ut conclusio sit necessaria. Et licet gratia formę semper de quocunq; prędicatur subiectum, de eodem prædicetur & prædicatum, attamen gratia materiæ, & per accidens potest contrariũ euenire. Sed dices tu, ergo a simili dicere possumus, quod licet per se & gratia formæ ex præmissis necessariis sequatur conclusio necessaria, tamen per accidens potest cõtrariũ euenire, quod repugnat Aristoteli. Hæc replicatio diu ancipitem animum tenuit meum. At nunc dicerem, quod non est simile de necessario, & contingenti: nam contingens est quędam natura diminuens; & propter hoc, contingens additum præmissis, facit ut quandoq; ex talibus præmissis contrarius procedat effectus: sed necessarium cum non sit natura diminuens, si præmissis ipsis addatur, prohibet, ut ex ipsis oppositus procedat effectus: sed ex talibus semper consimilis effectus proficiscitur.

Quoniam igitur si scit demonstratiue, oportet ex necessitate inesse, manifestum quoniam & per medium necessarium oportet habere demonstrationem, aut non sciet: neque enim propter quid, neque quia: quare necesse est illud esse: sed opinabitur, nesciens, si opinabitur non necessarium tanquam necessarium, aut neque opinabitur similiter, siue quoniam sciat per media, siue propter quid, & per immediata.

Cum pręmissas demonstrationis necessarias esse declarasset, & nonnulla etiam, quæ maxime nostro cõferebãt proposito, consequenter ea, quæ supra declarauerat, epilogat, nonnulla etiam utilia adiungendo: & inquit, quod si aliquis sciuit aliquod quæsitum demonstratiuè, ex his manifestum est, quod oportet ut illud quæsitũ necessario subiecto insit, nam tale fuit scitum per medium necessarium. sicut. n. dictũ supra, proprium demonstrationis esse ex necessariis principiis procedere: at modo ex principiis necessariis non nisi necessaria colligitur conclusio. unde inquit, quoniam si aliquis scit demõstratiuè, supple aliquid prædicatum inhærere subiecto, oportet illud prædicatũ ex necessitate subiecto inesse. {manifestum est} probat hoc, nam patet, quod oportet demonstrationem habere per medium necessarium. {aut non sciet} hoc est secundum quod epilogat, & supra declarauerat. dixerat enim supra, quòd si aliquis scit per medium contingens aliquid quæsitum necessarium, non scit propter quid illius, neque quia: & hoc ut ipse supra dixit, quia medium per quod aliquid quæsitum demonstratur, oportet ut sit indemonstrabile, & ut non contingat aliter se habere. & hoc breuiter epilogans inquit {aut} supple, si quæsitum illud fuit scitum per medium contingens, non sciret, neq; propter quid, neq; quia, illud prædicatum. Quod ad uerba attinet, dixit neq; propter quid, neq; quia, necesse est esse illud prædicatum. Auerr. inquit, quòd hoc dixit, propter tertium genus demonstrationis, sæpe. n. sæpius declarauimus de mente huius uiri triplex esse demonstrationis genus, alia enim demonstratio propter quid dicitur, & hæc dat non nisi propter quid effectus, nam cum esse effectus, & inhærentia accidentis ad subiectum est nobis nota, non est opus demonstratione: cum autem talis inhærentia nos latet, hoc facit scire demõstratio propter quid: demonstratio autem quia, & si multiplex est, cum tamẽ sola illa quæ ab effectu ad causam procedit, mereatur demonstratio nuncupari, talis demonstratio non nisi existentiam rei scire facit: nam cum esse causæ sit nobis ignotum, per demonstrationem quia, ab effectu procedendo tale esse nobis notum efficitur. Demonstratio autem potissima uires utriusq; demonstrationis agregat, & esse rei quod demonstratio quia, faciebat, nobis notificat; similiter & propter quid illius quod demõstratio propter quid faciebat. & ideo Tham. dicebat, quod talis demonstratio uno examine utrunq; nobis absoluit, & si est, & propter quid est. Ad propositum ergo redeundo, inquit Auerro. quod ideo hoc annotauit Aristo. quia qui per medium contingens conclusionem necessariam præcognouerit, ille tantum nullo demonstrationis genere præcognouit, neque demonstratione propter quid, neque quia, neque potissima demonstratione. {sed opinabitur.} Dissoluit tacitam obiectionem, quæ ex dictis sequitur posset. n. quispiã dubitare, esto quod qui sciat per medium contingens, nullo demonstrationis genere sciat: an ita, qui assumit illud medium cõtingens, credens tamẽ illud esse necessarium sciat demonstratiuè? Huic respondet Auer. quòd iste opinatur se scire, sed re uera non est sciens. inquit ergo, sed aut si assumat medium, scilicet non necessarium, sed contingens ut necessarium opinabitur se scire, scilicet, sed re uera non sciens est. {Aut neque opinabitur} hæc est uera obiectio, quam hic dissoluit, & dubitatio est, esto quod qui assumit medium contingens, ut necessarium opinetur se scire, sed re uera non sciat, an qui conuersum facit, sciat? & qui assumit medium necessarium ut cõtingens, sciat? respondet Aristo. quòd hic re uera scit, quia, & propter quid, sed ipse non opinatur se scire. & inquit aut qui assumit medium necessarium, ut contingens, neque opinabitur eodem modo, nam talis non opinatur se scire, sed re uera scit. {siue ipsum quia} quoniam ipsum quia, & propter quid potest per diuersa, distinctaq; media scire.

piam quia, & propter quid possunt sciri ex mediatis propositionibus & immediatis, unde inquit Philop. quod hęc demõstratio facit scire, quia ex mediatis propositionibus omne umbram non faciẽs defici, luna umbram non facit, ergo deficit. hęc uero demonstratio quia, est per immediata: quod umbram non facit in plenilunio, deficit, luna est huiusmodi, ergo deficit. demonstratio uero propter quid procedens per immediata est: quod est per diametrũ cũ sole existens, deficit: luna est cum sole per diametrum existens, ergo deficit. Demonstratio propter quid per immediata procedens est: omne quod a terra superatur, deficit, luna per diametrum cum sole existens superatur a terra: ergo deficit. Dixit ergo inquit Philop. {neq; quia neq; propter quid} siue per mediata siue per immediata, quia utraque demõstratio potest duplici modo confici. & sic inquit Ari. quod siue talis demonstratio quia, assumit mediũ necessariũ, siue erit quia & propter quid per mediata uel immediata, semper scientia in ueritate scitur. Sed hæc uerborum ponderatio est contra Ar. Auer. & ueritatem: dicebat .n. Ar. in hoc primo post. demonstrationis principia immediata esse oportere, nam si immediata non forent, sed mediata, cum possint demonstrari, uel est deueniendũ in infinitũ, ubi, uel est deueniendũ ad principia immediata per quæ demonstratio ipsa procedit. ergo negauit Ari. demonstrationem aliquam ex principiis mediatis posse procedere, quod & Auer. in hoc primo post. 37. 39. 41. & in quæsito tertio de conditionibus, uidelicet ꝙ procedant per prædicata de omni, per se, & prima: modo apparet quod nulla talis demonstratio per hæc procedens potest per mediata procedere, & ideo Auer. in epit. de demonstratione, cũ uideret quod demonstratio habita per causam remotã, procedebat per mediata, dixit hanc demonstrationẽ uocari dialecticam: hoc idem dixit quarto phy. 28. Ad hæc arguitur ratione, scire per demonstrationem est cum quæsitum cognoscimus per causam, propter quam res est, & non cõtingit aliter se habere: sed causa remota & mediata non est causa propter quam res est, neq; conuertibilis cũ re ipsa existit: ergo scire per talem causam habitam non erit demonstratum, quare dicendum cum Auer. supra declarauimus dicente, ꝙ tales syllogismi uocantur syllogismi necessarii, & si demonstrationes dici ualent, demonstrationes per accidens appellantur, pro quanto in talibus est aliqua illarum conditionũ admixta: possunt enim esse præmissę tales, de omni, uel per se, licet nunquam primæ, hoc est ẽt id quod dixit Ari. in hoc primo post. 4 t. quod scire genus per speciem est scire per accidens, & demonstratio quæ facit tale scire per accidens, dicitur demonstratio per accidens, pro quanto pręmissæ talis demonstrationis sunt de omni, per se, licet non primæ, quare aliter uerba illa textus ponderamus, & Auer. in com. ea ponderat. unde notandũ ueluti declarauit Ari. secundo poste. ꝙ una conclusio põt per diuersas causas demonstrari, licet una non sit demonstratio quæ procedit per tales causas, ut fuit supra discussum: diuersis .n. demonstrationibus eadem conclusio põt demonstrari, & procedent tales demonstrationes per diuersas causas; & ideo Arist. ut hoc annotaret dixit {neque quia} hoc est siue existentiã, quæ habetur per demonstrationem quia, sciant aliquis per media, supple, plura, siue per immediata, hoc per unũ procedere, siue propter quid, hoc est siue rem cuius esse est nobis notum, causa autẽ ipsius est nobis ignota, quæ habetur, & scitur per demonstrationẽ propter quid sciat aliquis per media plura, uel per unũ mediũ, supple, semper ille talis demõstratiue scit & scit propter quid, & esse rei. Sed dices, dictum fuit supra ab Auer. & etiam nos declarauimus, ꝙ demonstrationem propter quid non subintrant differentiæ extrinsecæ, sed tãtũ intrinsecæ, ut causa formalis: quo sequitur quòd propter quid non potest sciri per diuersa media, sed tantum per unum. Ad hoc dicendum, ut diximus supra ex Auerro. quod licet demonstrationem propter quid per se causæ extrinsecæ non ingrediantur, tamen per accidens possunt ingredi. & hoc est quando causa efficiens non separatur ab re ipsa, ut de eclipsi, & interpositione terræ similiter & causa finalis, & si per se non possit ipsam introire, attamen per accidens non inconuenit ingredi. quando enim propria differentia nos latet, tunc loco illius causam finalem apponimus & si Aristo. uolens huius ueritatem demõstrationis propter quid, demonstrare, dixit siue propter quid ipsum sciatur per plura media, siue per unum.

Accidentium autem non per se quomodo definitum est, per se quidem non est scientia demonstratiua, non enim est ex necessitate monstrare conclusionem: accidens enim contingit non esse, de tali autem dico accidente.

Quid faciat Arist. hic, nondum clarum est. Auerr. uult, quod postquã supra Ar. declarauerat, quod ille qui scit aliquod quæsitum per propositiones accidentales, & contingẽtes, non scit demonstratiuè, in præsenti dissoluat dubium quoddam, posset enim quispiam dubitare, ex quo supra dictum est ab Aristo. quod secundus modus per se erat accidentium, et de tali fuit ab Ar. dictum, quod ingreditur demonstrationẽ, posset modo merito quis dubitare quod demonstrationes ipsæ procedant ex principiis contingentibus, & accidentalibus. ideo Ar. huic occurrens inquit, moderando dicta sua, præmissæ accidentales quæ essentiales, & per se, non sunt, demonstrationẽ non ingrediũtur, sed illæ præmissæ accidentales quæ essentiales sunt, & per se bene demonstrationẽ ingrediuntur, & de talibus fuit factus sermo supra, ꝙ demonstrationes ingrediũtur; Philo. autem uult quod postquam Ar. declarauit quod id quod demonstratur, oportet esse necessariũ, similiter quod præmissæ demonstrationis oportet ꝙ sint necessarię, et ꝙ prædicationis quæ demonstrationes ipsas ingrediuntur sunt per se, quoniam secundus modus per se est accidentium quę non possunt à subiecto separari. ne ergo aliquis putaret quod quodlibet accidens inseparabile demonstrationem ingrediatur, nunc determinat quod accidens inseparabile demonstrationẽ ingreditur, & inquit ꝙ illud accidens quod per se subiecto inest, demonstrationem ingreditur. inquit ergo {accidentium autem non per se quomodo determinatum est per se} idest accidentium quę contra distinguuntur accidentibus quæ per se subiecto insunt, non est scientia demonstratiua. {non enim} reddit causam huius, quare hęc accidentia demonstrationem non ingrediuntur, & inquit, quia ex talibus non necessario demonstratur conclusio aliqua, non enim contingit supple ex necessitate demonstrare conclusionem aliquam. {accidens enim} probat hoc, quia cum tale medium sit contingens, & accidentale, potest non esse, nam fuit dictum ab Ari. in primo topic. quod accidens est illud quod potest esse, & non esse, modo fuit supra demonstratũ quod per tale medium essentialiter conclusio necessaria nõ sequitur nisi per accidens {de tali autem} concludit modo quod de tali accidenti loquutus est, quod demonstrationẽ non ingreditur. Quo ad uerba dixit {accidentiũ uero non per se quomodo determinatum est.} Dubitatur modo quia uidetur ꝙ detur aliquid accidens ꝙ non sit essentiale quid. tamen sit per se, nam dixit eo modo quo determinatum. Dicendum ut Themi. supra dicebat, quod dantur plura accidentia nõ essentialia quę per se esse dicuntur. nam hæc est per se, superficies est alba: uerum per se hic accipitur, ut idem est quod immediatum, quia cũ albedo insit superficiei nõ mediãte alia natura, sed immediate, dicitur per se hoc modo, & sic Ari. hoc innuens dixit eo modo quo determinatum est. Sed dubitatur, inquit enim Ar. quod illud accidẽs demonstrationem non ingreditur, quod potest esse & non esse,

esse, tunc huic maiori addo minorem: sed accidens inseparabile non potest esse & non esse, cum nullo pacto ualeat a subiecto separari, ergo tale accidens potest demonstrationem ingredi, quod falsum esse patet ex iis quæ supra dixit Aristo. nam tale per se, subiecto non inest. Ad hoc dicendum, & notandum quòd accidēs inseparabile potest dupliciter considerari, uno modo ut comparatur ad subiectū cui inseparabiliter inest, ueluti albedo in cigno, cum enim albedo taliter cigno inest, quod ab ipso minime separari ualeat, dicitur accidens inseparabile: alio modo potest in se spectari, & ut sic albedo quātum est de se, potest separari a cigno, & ut sic potest esse & non esse, et sic ad dubitatum dicitur quòd illud accidens quod inseparabile dicitur, potest per se esse, & non esse; sed si prouenit, ut non possit a subiecto separari, hoc modo non est per se, & ratione sui, sed per accidens, & gratia subiecti, & sic quodlibet accidens commune, & non essentiale potest esse, & non esse: quare cum ita se habeat, demonstrationem non ingreditur. Sed dices quæ differentia est inter cōmune quod inseparabile est, & inter accidens proprium quod inseparabile est? Ad hoc respondet Them. quod hæc est differentia. quia accidens commune inseparabile nō determinat sibi aliquod subiectum, ueluti albedo non tātum sibi determinat cignum, quin etiam & multa alia subiecta, ut niues & alia; si autem ab aliquo subiecto non potest separari, hoc non est ex parte sua, qui de se indifferens est ad quodlibet subiectū, sed prouenit ex parte subiecti: accidens autem proprium unum tantum sibi determinat subiectum, & ab illo separari minime ualet, neque in alio subiecto reperitur, ueluti risibile determinat sibi hominem. uel possumus dicere ut Auer. in hoc primo post. 44. quòd accidens commune inseparabile nō est necessarium per se, sed per accidens: accidens autem essentiale est necessarium per se, quia inest subiecto & ratione prædicati, & ratione subiecti, ut fuit supra discussum.

Et tamen ambiget fortasse aliquis, cuius causa hæc oportet interrogare de his, si non necesse est conclusionem esse: nihil enim differt si aliquis interrogatus contingentia, postea dicat conclusionem, oportet autem interrogare non tanquam necessarium esse propter interrogata, sed quod dicere necesse est illa dicenti, & uerè dicere si uera sunt quæ insunt.

Cum declarasset contingentia demonstrationes ingredi non posse, quia ex non necessariis necessarium minime concluditur, consequenter ut placet Auer. dissoluit difficultatē in dictis suis accidentem. posset enim quis ambigere, si cōclusiones necessariæ non possunt esse orsi ex præmissis necessariis, ergo conclusio non necessaria non nisi ex præmissis non necessariis prouenire potest, & per consequens aliquis syllogismus confici non potest nisi ex præmissis procedam necessariis. nā si conclusio quæ necessario sequitur, non nisi ex præmissis necessario sequitur, ergo conclusio quæ ex præmissis contingentibus habetur, non necessario sequitur, quòd est, quia id quod fuit dictū in primo prior. de definitione syllogismi, quod semper conclusio necessario sequitur siue præmissæ necessariæ sint, siue contingentes. Possumus tamen faciliori modo textum introducere ut Philop. uult, Cum Arist. declarasset contingentia demonstrationē non posse ingredi, quia ex iis non deducitur conclusio necessaria, quærit modo qua de causa de contingentibus interrogatio dialectica efficitur: nam uidetur quod interrogatio talis uana sit, cū dialectica interrogatio non efficitur, nisi, ut arguens consensum assumat respondentis, & ex consensu capto conclusionem necessariam inferat, at modo cum ex contingentibus conclusio non possit deduci necessaria, frustratoria igitur & uana erit interrogatio illa: unde inquit & si supple, ex contingentibus non potest conclusio necessaria deduci, ambiget quispiam fortasse cuius causa hoc est. quòd oportet, de iis propositionibus contingentibus interrogare. {si nō necessariæ} reddit causam huius & inquit, si nō necessarium est ex illis propositionibus conclusionē necessariam, & sic frustatoria interrogatio illa uidetur. {Nihil enim differt} huius causā reddit, nihil enim differt si quis contingentia interrogatus, postea dicit & afferat conclusionem, nam siue interrogatus siue non interrogatus existent, siue consensu capto, siue non, necessaria nūquam erit conclusio. Sed dices possibile pluribus dicitur modis, nam quoddam est ut in pluribus, quoddam ad utrūque, quoddam uidetur rarum, quæritur modo si dialecticus procedit ex possibilibus, ex quibus procedit? Ad hoc dicendum, ut inquit Auerro. in hoc primo post. 17. uerum primo sciendum quod possibile duplex, quoddam uerum, quoddam falsum, ueluti Socrates sedet, ipso sedente, est possibile uerum: si autem non sedet, est possibile falsū. unde quòd aliqua res sit uera, uel falsa, illi accidit non ex parte sua, sed quatenus rei illi est admixta possibilitas, nā possibile inquit Arist. est illud quod potest esse, & nō esse: per cōsequēs ratione possibilitatis res uera quādoque, uel falsa dicitur: unde conclusiones sunt tres quę ex possibilibus procedunt, ut dialectica, oratoria & sophistica: uerum hec est differentia inter has quòd dialectica procedit ex possibilibus quæ ut in paucis falsa existunt; oratoria autem ex possibilibus rebus quæ æqualiter ueræ & falsæ esse possunt, sophistica uerò ex his procedit quę ut in pluribus falsa existunt, raro autem, & ut in paucioribus uera. Ex quibus apparet circa quod possibile dialecticus uersatur, nam circa illud, quod ut in pluribus est uerū, ut in paucis falsum {oportet autem. Cum dubium proposuisset, aggreditur modo ad illius solutionē. soluit igitur, dicens, quòd duplex est necessarium, quoddam enim est necessarium ex natura rei, quòd alii necessarium cōsequētis uel illati appellant: quoddam uero est necessarium secundum consequentiam, uel secundum illationem; unde conclusio in quolibet syllogismo necessario sequitur necessitate cōsequentiæ, nam siue præmissæ sunt necessariæ ex natura rei, siue necessariæ hoc pacto nō fuerint, dū modo in modo & in figura disponantur, conclusio necessario sequitur, & sic necessarium per consequentiam omni syllogismo inest: necessarium autem per naturā, & per consequentiam non nisi demonstrationibus competit: unde conclusio demōstrationis est ex necessitate, tum quia præmissæ sunt in modo & in figura dispositæ, tum quia tales præmissæ ex natura necessariæ existunt, ex quo nō contingunt aliter se habere. Dissoluens igitur dubium, inquit {oportet nos interrogare} propositiones contingentes similem {non tanquam necessarium esse} similem conclusionem propter interrogata hoc est nos propositiones cōtingentes interrogamus, non quod necessaria sit cōclusio per propositiones necessitate consequentis, sed necessitate consequentiæ tantum: sed supple interrogare oportet {quod dicere} hoc est deducere illa, scilicet interrogata {dicenti} hoc est illis interrogatis a respondente concessis} & uera dicere}. in uera deducere {si uera sunt quæ insunt} & conceduntur. & sic patet dilucidatio difficultatis; interrogatio dialectica non est uana, nā licet interrogatio non habeat de contingentibus, uel deducatur conclusio necessitate consequentis, attamen efficitur ut conclusio deducatur necessaria necessitate illationis & consequentiæ. Sed dices, an de propositionibus necessariis & demonstratiuis contingit interrogare? & uidetur quòd sic, nam inquit Arist. primo elench. cap. secundo, doctrinalis disputatio quatruplex est, demonstratiua, dia-

lectica, tentatiua, & sophistica, modo omnis disputatio per interrogationem efficitur, in demonstratiuis igitur erunt interrogationes. Ad hoc dicendum, uerum sciendum, quod interrogationes pluribus efficiuntur modis ut ibidem ab Arist. patet, aliquando enim efficiuntur interrogationes ad hoc ut respondentis consensum assumamus; quãdoque efficitur interrogatio, non ut consensũ a respondente accipiamus, sed propter terminorum intellectionem, nam inquit Arist. primo elench. quod ex ignorãtia terminorum de facili paralogizamus, & sic terminis intellectis proposito proposita, ut sic intelligitur. quarẽ dicendum, quod si assumamus primo modo interrogationem. hæc in demonstratiuis non reperitur, nam demonstrationes de se ueræ sunt, & siue admittantur, siue non a respondente, semper ueræ sunt. sed talis interrogatio in dialecticis efficitur, nam in talibus interrogamus ut consensum assumamus, quo capto oppositum inferamus: sed prima interrogatio bene reperitur in demonstrationibus nam interrogat discipulus præceptorem, non ut consensum assumat, sed interrogat ut addiscat.

Quoniam autem ex necessitate sunt circa unumquodq; genus quæcunque per se sunt, & secundum quod unumquodq; est: manifestum est: quoniam de ijs, quæ sunt per se, scientificæ demonstrationes, & ex talibus sunt.

Quid faciat Arist. in præsenti textu dubiũ est apud expositores tum latinos, tum græcos, tum arabes. omissis autem aliorum expositionibus, Auer. subtilissime textũ hunc cum præcedenti, continuat, ꝙ postquam Arist. supra demonstrauit quam pluribus rationibus præmissas demonstrationis oportere esse necessarias. consequenter intendit declarare pręmissas demonstrationis esse per se, de omni, & primas. Sed dices, supra hoc declarauit Aris. quorsum ergo hic repetitur? Ad hoc dicendum, quod licet hoc supra declarauerit, attamen ea quæ de talibus dixit, fuerunt sumpta per modum fundamẽti, unde potest ratio ordiri in primo primæ. omne necessarium est per se; fuit. n. supra declaratum omne necessarium demõstrationem ingrediens esse necessarium per se: sed omnes præmissæ demonstratiuæ sunt necessariæ, ut per præhabita patuit, ergo omnes præmissæ demonstrationis erunt per se, & primæ. Sed dubitabis quia uidetur Arist. cõmittere circulum, nam supra uolens probare præmissas demonstrationis esse necessarias, probauit per hoc quòd sũt per se. at modo uolens probare præmissas esse per se, probat, per hoc quod sunt necessariæ, & sic circulum committit. Ad hoc dicitur quod Arist. non negat dari circulum in diuerso genere demonstrationis, sed bene negat dari in eodem genere demonstrationis, ut fuit supra discussum, & hoc etiam patet ex ipso Arist. in octauo phys. 53. nam in principio illius, ut in textu, quinto, sexto, & octauo, probauit motum esse æternum quia motor est æternus, post modũ in 53. econuerso per motus æternitatem probauit motoris æternitatem: uerum prima demonstratio fuit sumpta ab effectu, secũda autẽ a causa. & sic patet. quòd circulus admittitur in diuerso genere demonstrationis, ut in demonstratione quia, & propter quid. & sic modo dicẽdum. quod licet supra Arist. inuestigauerit necessitatem præmissarum per perseitatem, illa ratio fuit sumpta ab effectu, uel ab eo quod se habet ut effectus. nam inquit Auer. septimo metaph. secundo, quod ea quæ ita se habẽt quorum unum est prius altero, semper prius concurrit ut causa posterius ut causatum. sic modo cum necessarium sit cõmunius ipso per se; erit ergo prius. cõmuniora enim priora sunt minus communibus, ut animal respectu hominis: quare necessarium ut causa cõcurrit, per se tu effectus, & sic ratio prima fuit sumpta: hæc autẽ secunda cum sit sumpta ex necessario, erit igitur ex cõmuni, & sic patet ꝙ circulum nõ committit in eodem genere demonstrationis; & syllogismi, sed in diuerso. de syllogismo igitur ponit primo minorem, secundo maiorem tertio conclusionem, inquit {quoniam} supple declaratum est, quod ea quæ circa unumquodq; genus demonstrationis, scilicet ex necessitate sunt. hæc est minor quod ea quæ demonstrationem ingrediũtur necessaria sunt sed {quęcunque per se} hæc est maior quæcunquę per se sint & quatenus ipsum necessaria, supple, sunt. {manifestum} concludit, manifestum igitur est, quod demonstrationes scientificæ sunt de iis quæ per se sunt, & ex talibus sunt. Quod ad uerba attinet, dixit {unumquodq;} ut notaret quod loquitur de per se, quod idem est secundum quod ipsum, & prædicatum primum. quasi uelit dicere, quæcũque per se sunt, & quatenus unumquodq;, hoc est secundum quòd ipsum. Aliud uerbum ponderandum, dixit {ex talibus} intellige tu pręmissas, quæ cum sint per se. sunt primę, ut sensus sit, demonstratio procedit ex præmissis per se. & ex talibus, hoc est ex præmissis quę cum hoc quod sint per se sunt ex talibus, scilicet ex primis. Auer. in commento mouit quæstionem de prædicatione prima, an prædicatum primum reperiatur in cõclusione demonstrationis? & hanc mouet propter Alex. & Them. qui maxime in hoc hallucinati fuerunt, & primo dicũt, quod prædicatio prima in conclusionem non reperiatur, & ratio est quia illud dicitur prædicatum primum, quòd prædicatur de re sine medio: sed in conclusione maior extremitas inest minori extremitati mediante alio, ut per mediũ terminum: ergo maior extremitas de minori non prædicatur prædicatione prima. unde quidam, propter hanc ambiguitatem Alex. ut refert Them. dixit quod primitas conclusionis est, ut conclusio illa sit deducta ex præmissis primis, & sic uir iste primitatem in conclusione negauit. Them. autem redarguit Alexãdrum, quia ipsa primitas reperitur in quibusdam conclusionibus, ergo sequitur Alexandrũ errasse. & sic post uolebat Them. quod conclusiones demonstrationis sunt duarum specierum, quædam enim sunt quæ proueniunt ex propositionibus per se notis, & tales cõclusiones dicebat esse primas: quædam uero conclusiones sunt quæ sunt, ex positionibus, quæ sunt conclusiones similium talium præmissarum, et tales primas esse negabat. Auer. autem inuehitur cõtra Them. nam speculatio quam fecit Arist. de prędicatione prima, est uniuersalis, & non particularis: at si quędam conclusiones esset primę, quædam uero non ista speculatio esset particularis non autem uniuersalis. Fuerunt etiam quidam qui ob hanc diffinitionem dixerunt Aris. nullã talem conclusionem concedere. Sed isti etiã maxime hallucinantur, ut in processu demonstrabit Auer. unde tandem Auerro. uult quòd primitas reperiatur in conclusione, & in præmissis, uerum differenter distincteq;, eo modo ut supra declarauimus nos, nam cum prædicatum primum duo importet, quod sit prædicatum cõuertibile, & immediatum; prædicatum immediatum habet duo significata, quiddam enim dicitur immediatum, quia cum insit alicui subiecto, nõ inest illi mediãte alio subiecto, et mediante alia natura composita: secundum significatũ est, ut illud dicatur prædicatum immediatũ, quod subiecto inest non mediante alia causa; exẽplum secũdi, rationale inest homini. non mediante alia causa, quia homo dicitur rationalis quia homo. exemplum primi, risibile inest homini non mediante alio subiecto medio, licet mediante alia causa, ut mediante rationabilitate. & per consequens cum habere tres insit isocheli mediante alio subiecto, ut triangulo, & mediante alia causa; non erit prædicatum immediatum ratione, isochelis. His declaratis, inquit Auerro. quòd primitas inest conclusionibus, et pręmissis; uerum differenter distincteq;, nam in conclusion

licet

licet prædicatum insit subiecto non mediante alio subiecto, & sic dicitur prædicatum primum, prima modo tamen mediante alia causa, ut per terminum, ut ratio concludebat: in præmissis autem & præsertim in maiore illud prædicatum inest, & non mediante alio subiecto, nec mediante alia causa, cum medius terminus sit diffinitio maioris extremi. his igitur declaratis apparet quòd tam in præmissis quam in conclusionibus primitas reperitur: unde si prædicatum primum in conclusionibus non reperitur, sequeretur quòd tales conclusiones nullo pacto possint esse quæsita in demonstrationibus, nam talia non possunt sciri per se nec primo, quia in conclusionibus erit primitas eo modo quo diximus. unde hęc conclusio; omni demonstrationi est apponenda, siue illa demonstratio sit causæ, & esse; siue sit causæ tantum, siue esse tantum. unde prædicata quæ sunt prima tam immediati subiecti quã causæ, proprie insunt præmissis demonstrationis potissimæ, & demonstrationis propter quid, & hæc prædicata Arist. appellauit causas proximas & immediatas: quare ex his manifestum relinquit, quod primitas in conclusionibus reperitur. Sed dices uidetur Auer. sibi ipsi contrarius nam supra dixit, ut 41. & 37. & 39. quod prædicatũ primum est prædicatum appropriatum quod de re proprie dicitur, non mediante alio subiecto: at modo hic inquit quòd prædicatum primum duntaxat est prædicatum quod de re prædicatur non mediante alio subiecto, et non posuit primam conditionem. Ad hoc dicendum quòd hic non erat dubiũ de prædicato primo, quo ad primam conditionem, sed quo ad secundam, nam primam non cognouit nec Alexander nec Them. ut patuit supra, nam ex quo isti dixerunt quòd prędicatũ primum idem est, quod prædicatum immediatum, tota difficultas est de secunda conditione, an quo ad illam conditionem conclusiones demonstrationis procedant, et sic ut breuitatis amicus primam omisit, & de secunda tantum de qua erat quæstio, facere uoluit sermonem.

Accidentia enim non necessaria sunt. Quare non necessarium conclusionem scire propter quid sit, neque si semper sint, non per se autem: ut sunt per signa syllogismi, hoc enim per se, non per se sciet, neque propter quod. propter quod autem scire, est per causam scire.

Cum Arist. Cœpisset nobis manifestare præmissas demonstrationis oportere esse per se, prima ratione sumpta à causa; consequenter eandem conclusionem declarare intendit secunda ratione sumpta ex oppositione. unde regula est topica, quod quando sunt duo contraria, & alterum illorum est naturale subiecto, alterum erit illi uiolentum uel non naturale, & è contra quando alterum illorũ est uiolentum alicui subiecto, alterum erit illi naturale, ueluti de caliditate & frigiditate ignis, quod alterum istorũ est illi naturale ut caliditas, alterum uiolentum ut frigiditas, cum ergo per se & per accidens sint opposita: & prædicata per accidens demonstrationem non ingrediantur, ergo ea quæ demonstrationem ingrediuntur erunt prædicata per se; de ratione non ponit nisi uirtutem mediĳ & illius probationẽ, inquit ergo {accidentia namque} hoc est. prædicata accidentalia, hoc est quæ per accidens insunt subiectis non necessaria sunt demonstrationi {quare non} probat quare ex his non est, hoc est, non contingit scire conclusionem propter quod sit, & sic ex his quæ sunt per accidens demonstratio non constat, ergo si ex his demonstratio non constat, per regulam topicam constabit ex his quæ sunt per se. {neque si semper} cum ostendisset prædicata accidentalia non ingredi demonstrationem, cum talia prædicata accidentalia in duplici existant differentia, quædam separabilia à subiectis, ut albedo ex homine: quædam inseparabilia, ut albedo in cigno, posset quispiã merito suspicari, q̃ talia accidentia, cum semper subiectis insint, demonstrationem ingrediantur, ideo Arist. hoc remouens inquit, neque si accidentia, scilicet, semper subiectis insint {non autem per se sunt} non possunt demonstrationem ingredi. ergo patet quod licet accidentia inseparabilia, à subiectis, dummodo per se illis non insint, demonstrationem non ingrediuntur. {ut sunt per se} Manifestat quod dixit per exemplum, ueluti sunt syllogismi qui per signa procedunt, tales enim syllogismi licet ex accidentibus inseparabilibus procedant, quia talia in subiectis per accidens sunt, non possunt dici proprie demonstrationes sed demonstratio signi, ueluti si aliquis uult probare mulierem peperisse quia habet lac in mammillis, ut si dicatur quod habet lac in mamillis peperit, mulier habet lac in mamillis, ergo peperit. uel si ostendimus ibi esse ignem quia ibi est fumus. unde licet tales syllogismi procedant ab accidentibus inseparabilibus à subiectis, non tamẽ demonstrationes dicuntur, {hoc autem, scilicet quæsitum quod habet inquiri per se, est ueluti, quod mulier peperit per se est, non per se tamen scit & hoc quęsitum, scilicet ex istis signis, & si non ualeant à subiectis separari. {neque propter quod} exponit se ipsum Arist. cum dixit quod talis syllogizans non per se sciet, declarat modo quod intelligit, per non per se scire, & inquit, neque propter quod, & sic non scit per se, quia non propter quod. {nam propter quod} reddit causam huius, nam scire propter quod, est rem scire per causam, sicut supra habitum. Ex quo clarissime colligitur demonstrationem procedentem a signo non esse demonstrationem, hoc idem inquit Auer. in commento quod demonstrationes procedentes a signo non sint proprie demonstrationes.

Propter hoc ipsum ergo oportet & tertio medium, & primum, medio inesse. Non ergo est ex alio genere descendentem demonstrare: ut geometricum in arithmeticam.

Postquam Arist. demonstrauit quòd syllogismi per signa procedentes cum faciant scire prius per posterius non faciunt scire demonstratiue, & rem uera scientia, hoc idẽ de suis præmissis declarare intendit quòd præmissæ uidelicet talium syllogismorum non sciuntur scientia uera nisi cum fuerint per suas causas scita. nam cum tales præmissæ procedant per effectus & signa, quæ sunt res posteriores, non possunt sciri talis effectus, & signum nisi per causas proprias. consequenter correlarie concludit quonam pacto termini demonstrationes ingredientes esse debent, & inquit quod oportet quod sint per se. inquit ergo {propter ipsum} textus debet dicere {per se oportet igitur} ad hoc supple tu, ut aliquod uera scientia sciatur, medium oportet per se tertio inesse, & primum medio per se inesse. Quo ad uerba sunt plura notanda, primum est quid intelligat per hoc tertium. primum dicendum quod intelligit maiorem existentem nam infra inquit Ari. quod ratio primi termini hoc est maioris extremi est medium in demonstratione. Sed dices uidetur quod subiectum sit prius, quia cum subiectum concurrat ut causa respectu passionis, causa prior est causato. Ad hoc dicendum, q̃ prius est dupliciter, quo ad nos, & quo ad naturam: modo subiectum est prius quo ad naturam, quia causa, nõ autem quo ad nos: maior extremitas est prior quo ad nos. Per tertium autem intelligit subiectum, siue minorem extremitatẽ, ita quod uult dicere, oportet enim ut maior extremitas, sit medius terminus in maiori propositione per se, & ratio est quia medius terminus est causa essendi maioris extremi in demõstratione potissima, & propterquid de quibus modo loquimur: unde non tantum oportet ut

medius terminus sit causa maioris extremi in se, sed oportet ut sit causa medius terminus per ipsum, & ipsa maior extremitas insit termino minori. uerum quando ita se habet medius terminus, ut sit causa maioris extremi in se, & inessendi, ingreditur demonstrationem potissimam, nam per tale medium demonstratio potissima procedit, ut fuit supra discussum, demonstratio autem propter quid licet eius medium sit causa essendi maioris extremi, non tamen est causa inessendi, nam quòd maior extremitas subiecto, insit, notum est, sed causa talis inhærentiæ quæritur: ex quo efficitur, quòd si medius terminus est causa quare maior extremitas de minori in conclusione prædicatur prædicatione prima, euenit ut ipse medius terminus quando prædicatur de minori in propositione minori, prædicetur per se prædicatione prima. similiter manifestum est quòd prædicatio maioris extremi de ipso medio in maiori propositione est essentialis, & prima, & ratio est quia fuit dictum quòd modi per se sunt duarum specierum, quarum prima est quando prædicatum ponitur in ratione subiecti, secunda quando subiectum ponitur in diffinitione prædicati: at modo cum medius terminus sit subiectum maioris extremi, & ponatur in ipsius ratione, prædicatio igitur illa erit per se in secundo modo. similiter quando medius terminus in propositione minori prædicatur de minori, ibi est prædicatum per se, nam uel medius terminus cum hoc quòd sit causa maioris extremi est etiam causa minoris, et sic euenit ut prædicatum medij de minore sit per se in primo, nam prædicatum ponitur in diffinitione subiecti, et medius terminus, quod prædicatum minoris existit, in ipsius diffinitione ponitur, siue medius terminus est causa tum maioris tum minoris, adhuc illa erit prædicatio per se, nam licet medius terminus non ponatur in diffinitione subiecti. impossibile tamē ut subiectum non ponatur in diffinitione medij. & sic erit secundus modus. Ex quibus uerbis multa bona colligimus, primum colligitur quod sit medium in demonstratione potissima, nam inquit Auer. hanc distinctionem. ut credo nā hęc suis dictis cōmoda nimis uidetur, quod passio ipsa quæ demonstratur & est maior extremitas, est in duplici differentia: quædam enim fluit ex principijs sui subiecti, ueluti risibilitas est passio fluens ex principijs hominis nam causa risibilitatis est animal rationale, quędam uerò passio non fluit ex principijs subiecti, ueluti eclipsis est passio lunæ, non tamen fluit ex principijs lunæ. His ergo declaratis inquit Auer. ꝙ quotiescunq; prædicatum fluit ex principijs subiecti, tūc causa maioris extremi est causa subiecti, ueluti causa risibilitatis est ēt causa hominis, nā animal rationale est causa hominis, quod etiam est risibilitatis causa, & sic medius terminus est causa maioris extremi, & minoris. si autem quæsitum ex principijs subiecti non fluit, medius terminus est causa maioris extremi tantum, nam cum tale quæsitū non dependeat à subiecto, nō oportet ut per causas subiecti demonstretur, nam si demōstretur per causam subiecti, tūc non demonstratur per causam propter quam res est, & sic quęsitum non esset demōstratiue scitum, ut ex præhabitis patuit. Sed dices, per hoc nos nō habemus an diffinitio maioris extremi sit medius terminus uel minoris, sed quòd quandoq; causa est utriusque, quandoq; causa alterius. modo in plus se habet causa quàm diffinitio. Ad hoc dicendum ut dixit Auerro. in epit. de demonstratione, quod non semper medius terminus est diffinitio, sed quandoq; differentia est medius terminus, & sic aberrant latini dicentes diffinitiones semper esse medium. Ex qua declaratione cessant omnes latinorum dubitationes hinc inde factæ. uerum de his speciales facimus quæstiones. hic satis est hæc raptim tetigisse, ex quo huius occasionem Auer. nobis in commento dedit. Secundo dubitatur an quodlibet accidens proprium & determinatū subiectum habeat? & uidetur quòd non, auctoritate Them. supra dicentis, quòd hæc est differentia inter accidens essentiale, & commune, quod accidens essentiale habet subiectum determinatum, accidens autem commune non habet propium ac determinatum subiectum. Sed in contrarium est Arist. & Auer. septimo metaph. secundo, dicens quod inhærentia accidentis ad subiectum est de essentia accidentis: ergo quodlibet accidens habet propriū & determinatum subiectum. Ad hoc dicendum, & sciendum quòd determinatio duplex est, quædam enim est determinatio generis, quædam est determinatio speciei, ueluti Socrates est determinatus, & determinatione generica, & specifica: nam est determinatus ad species, quia homo, & ad genus, quia animal. Sic ad propositum, subiectum determinatum duplex est, quoddam est determinatū determinatione generis. quoddam est determinatū determinatione speciei, & sic ad propositum quodlibet accidens habet subiectum determinatum, aut determinatione generis, aut speciei: & tunc dico quod accidens commune habet subiectū determinatum determinatione generis, nā si habet diffiniri oportet ut in ipsius diffinitione cadat ipsa substantia: accidens autē proprium habet etiam determinatum subiectum et determinatione generis & speciei, nā accidens propium quatenus accidens est, habet ut in ipsius diffinitione cadat substantia, ut propium habet ut determinat sibi species, ueluti de risibili, et homine. Ex his ergo patet ad difficultatē responsum quod Themi. intellexit de determinatione subiecti quo ad speciem. Tertio dubitatur, an aliquid accidens possit esse respectu unius subiecti accidens commune; & respectu alterius accidens proprium et essentiale? Ad hoc quidam moderni expositores respondent quod impossibile est ut aliquid accidēs respectu unius sit commune, & respectu alterius sit propriū & hoc quam pluribus confirmant rationibus. arguunt ergo primo, quòd est contingens respectu unius non potest esse necessarium, ut patuit supra respectu alterius. secundo sequeretur quod semper ad corruptionem cuiuslibet accidentis corrumperetur substantia, cum quodlibet respectu alicuius substantiæ esse ualeat, quod est contra Ari. in libro de longitudine & breuitate uitæ. Præterea nullum, oppositū potest de altero opposito uerificari: sed accidens est oppositum accidenti per se: ergo accidens per accidens nullo pacto potest dici accidens per se. quarto sequeretur quod quodlibet accidens per accidens esset simpliciter necessarium: & sequela deducitur, quodlibet accidens per accidens potest esse proprium: sed omne propium accidens est per se: ergo accidens commune est per se: sed omne per se est simpliciter necessarium: ergo omne accidens commune simpliciter necessarium. Sed hæc positio est contra ueritatem, & contra Ari. inquit enim octauo phy. omne per accidens debere ad aliquod per se reduci, sed omne accidens cōe est accidens per accidens, ergo quodlibet accidens ad accidens per se reduci debet. Præterea omne accidens quòd determinatam causam in subiecto habet est illi subiecto proprium, sed quodlibet accidens siue proprium siue cōmune, propriam causam in subiecto obtinet, ergo quodlibet proprium erit. at hoc est contra Auer. septimo meta. 10. primo coeli 14. 52. quarto physi. 43. 47. secundo de anima 132. & tertio de anima 28. Adhuc est hæc opinio contra Arist. secundo phy. 66. ubi expresse habetur quod nullum per accidens est natura prius eo quod est per se, & ita cum posterius non possit esse sine priori, impossibile est quod aliquod sit accidentaliter & nunquam essentialiter. Per responsione igitur est notandum, quod accidentia per accidens possunt ad duplex subiectum comparari, scilicet ad proprium, sic respectu eius sunt essentialia, & diffiniuntur per illud ut simitas per nasum: & possunt comparari ad subiectum extraneū, et sic sunt per accidens respectu illius, & non hēnt diffinitionē datam per illud. hęc distinctio colligitur ex Auer. septimo metaph.

metaph. 18. Secundo est sciendum quòd una & eadem res potest dici necessaria & contingens respectu tamen diversorum, ueluti risibile est res necessaria respectu hominis, respectu tamen asini est contingens: similiter calor cælestis est res necessaria, sed respectu stirpium res erit per accidens. his ergo declaratis deuenio ad argumentorum solutionem, & ad primum, nihil quod est continges respectu unius est necessariũ respectu alterius hoc negatur: & si dicitur quod hæc dixit Auer. secundo phys. 48. negatur, quia immo totum oppositum ibi loquit, nam in illo commento Auer. digreditur de casu an necessario inueniatur in rebus, & primo narrauit opiniones Themist. & Auic. & ipsius impugnatio est Them. ubi apparet quod allegata proposito est de mente Auic. ibi contra Them. unde inquit Auer. ibi quòd si hoc esset uerum, quod id quod est necessarium respectu unius, non est contingens respectu alterius, eueniret profectò ut non detur contingens ut in paucioribus, modo tale est per se necessarium, per accidens contingens. Ad secundum negatur sequela, & cum probatur quod quodlibet accidens propriũ esset, non ualet, concedo ut comparatur ad propriũ subiectũ, & per consequens illo accidente corrupto illud subiectũ proprium corrumpitur. Ad tertium nullum oppositum uerificatur de altero, conceditur: sed accidens per accidens opponitur accidenti proprio. Ad hoc dicendũ quod non semper accidens per accidẽs opponitur accidenti per se, nisi respectu unius etiam eiusdem comparetur: nam oppositum inquit Arist. debet esse respectu unius & eiusdem, modo ista non opponuntur, hodie pluit, cras non pluit, & sic ad sermonem dico, quod si accidens per accidens comparetur ad unum & idem subiectum, ut sic sunt opposita, & unum non potest uerificari de altero, & hoc modo non est contra nos, quia accidens commune nõ dicitur proprium nisi comparetur ad proprium subiectum, sin autem ad diuersa comparetur subiecta, ut sic non sunt opposita, & unum de altero uerificari nõ inconuenit, quin immo est necessarium, nam tunc non daretur contingens ut in paucioribus. Ad quartum dicitur si quodlibet accidens per accidens ad propriũ comparatur subiectũ, quodlibet tale erit necessarium uel per se uel per accidens. Sed circa dicta iunior dubitabit, quia uidetur, quod hęc dicta sint contra Auer. nam inquit Auer. septimo metaph. quinto quòd hæc est differentia inter accidens essentiale et proprium & per accidens, quia in diffinitione accidentis per se cadit subiectum, in diffinitionem accidentis communis non cadit subiectum. Ad hoc dicendum quod Auer. ibi non uoluit negare quod in diffinitione accidentis communis, prout comparatur ad subiectum extraneum, non cadat subiectum, quia hoc est falsum, nam inhærentia subiecti est de essentia accidentis: sed uoluit dicere quòd in diffinitione illius non cadit subiectum proprium, & determinatum, determinatione specifica, sed secus est de accidenti essentiali, nam in illius diffinitionem cadit subiectũ determinatum determinatione specifica. Sed aliquis adhuc dubitabit, cum accidentia sint in duplici differentia, quædam enim sunt accidentia in concreto, quædam sunt accidentia in abstracto, an in diffinitionem cuiuslibet accidentis ponatur subiectum? & uidetur quòd non, nam accidentia abstracta ideo dicuntur quia abstrahunt a subiectis. Ad hoc dicendum quod in diffinitione cuiuslibet accidentis, siue concreti, siue abstracti; semper debet poni subiectum, uerum differenti modo, ut dicemus: unde est primo sciendum, quòd cum diffinitio sit oratio indicans essentiam, ens autẽ aut substantia est, aut accidens, ideo diffinitio erit uel substãtiæ uel accidẽtis, & hæc differunt dupliciter, primo quia diffinitio substantię nõ includit additum, quod sit, extra genus substantiæ, nec extra suam essentiã, nam substantia composita quæ propriè diffinitur octauo meta. septimo, non diffinitur nisi per materiam, & formã, quæ sunt de genere substãtiæ, & quidditate ipsius sin autem erit substantia simplex quæ diffinitur, quoquo modo talis diffinitio dicetur per additamentum, nam in tali diffinitione ponitur aliquid quod non est de essentia diffiniti, non tamen ponitur aliquid quod sit extra genus, nam si diffiniatur forma ponitur materia, quæ licet sit extra quidditatem, non tamen extra genus est: diffinitio autem accidentium est data penitus per additamentũ, quia in diffinitione accidentis debet poni subiectũ, quod est extra genus, quia substantia, & extra quidditatem. secunda differentia quæ colligitur ex Auer. primo metaph. sexto est, quia id quod ponitur in diffinitione substantiæ ut differentia, est quasi forma, & quod ponitur ut genus est quasi materia. id autem quod ponitur in diffinitione accidentis ut differentia, est materia: id autem quod ponitur ut genus est forma, & ratio est quia dicebat Auer. quarto metaphysic. secundo, quod subiectum est causa accidentis, non enim in genere causæ materialis, ueluti si dicamus simitas est nasi curuitas, diffinitio autem accidentis in concreto differt a diffinitione accidentis in abstracto, ut inquit beatus doctor, in libro de sensu & sensato, cap. de colore, quod in diffinitione accidentis in concreto subiectum ponitur loco generis, ut simum est nasus curuus, sed in diffinitione accidentis in abstracto, loco differentiæ ponitur subiectum, ut simitas est curuitas nasi, & aliquid de genere accidentis illius loco generis. Sed quidã arguunt contra hoc, quod inquit beatus doctor. primo, concretum & abstractum secundũ esse idem sunt, ergo idem debet poni loco generis in diffinitione utriusque. secundo quod se habet per modum distinguens, & ratione cuius diffinitum differt e quocunque alio, semper id debet poni loco differentiæ in diffinitione, sed substantia est huiusmodi in diffinitione accidentis, ergo. Ad hoc est contra Auer. octauo metaph. sexto, secundo metaph. 15. primo post. 32. nam inquit, quod id quod ponitur in diffinitione accidentis loco differentiæ est materia, & differentia, in diffinitione accidẽtis in abstracto ponitur subiectũ in obliquo, sicut in concreto in recto, et ideo dicitur abstractum quia non concernit subiectum in recto. Quare aliter dicendum esse puto, quod in hoc differt diffinitio concreti ab diffinitione abstracti, quia subiectum in diffinitione accidentis in concreto ponitur in primo loco, & in recto, ut simus est nasus curuus, sed id quod est de genere accidẽtis ponitur in secundo loco: subiectum autem quod ponitur in diffinitione accidentis abstracti ponitur in secundo loco, & in obliquo, id autem quod est de genere accidentis ponitur in primo loco, & in recto, ut simitas est curuitas nasi. unde idem certo sensisse beatum doctorem, quia nemo est ita fatuus, qui putauerit subiectũ esse genus accidentis, sed appellauit subiectum dici genus secundum similitudinem, per quãto sumitur genus in diffinitione & obtinet primum locum sexto top. & septimo metaph. 43. unde ad formam argumenti dicitur, quòd non ob id accidens dicitur abstractũ, quia abstrahit a subiecto, ita quod in huius diffinitione non ualeat poni subiectum, sed tantum dicitur abstractum pro quanto tale accidens non potest de subiecto in recto prædicari { Non igitur est } postquam Arist. demonstrauit demonstrationis præmissas esse per se, & necessarias, consequenter correlariè intendit demonstrare quod demonstratio non potest transferri de arte in artem. Sed dices quid intelligit Arist. per translationem demonstrationis de arte in artẽ? Ad hoc quidam respondent, ueluti refert Auerro. in commento, quòd per translationem intelligit, quod si debet aliquod quæsitum demonstrari, præmissæ per quas demonstratur, sint duarum specierum, ueluti si demonstratur animam immortalem esse: & propositio maior erit de consideratione metaphy. minor autem sit de consideratione naturalis. Sed hoc uerum non est, nam hoc nulli dubium est, quòd hoc

fit impossibile, nullus enim ita fatuus foret, qui diceret duas artes esse unam artem: nam sicut demonstratio omnis ex tribus cōsistit terminis, ex maiori extremitate, minori, & medio, clarum enim est quod maior extremitas quæ habet demonstrari de minori sit unius artis, ergo medius terminus impossibile est, ut sit duarum artium, nam cum medius terminus sit unus duæ igitur artes una erit. Quidam alii ut Io. Grammat. inquit quod per translationem intelligit, quod si nos demonstrabimus aliquod quæsitum geometricum per aliquod medium, illo tali medio nos non ualemus uti ad demōstrandum aliquod quæsitum arithmeticum, & sic per translationem demonstrationis intelligit demonstrationem unam non posse duas artes ingredi. quidam autem alii dixerunt quod per trāslationem demonstrationis intelligit quòd quæsitū quòd demonstratur si unius artis, & præmisse per quas demōstramus sit alterius artis, ut puta, ut quæsitū demōstrandum sit physicum, & propositiones ex quibus commonstratur sunt metaphysicæ uel geometricæ. Auer. autem in hoc commento, ut in quæsito quinto, uult quod trāslatio demōstrationis est quotiescunque subiectum de quo habet aliquod demonstrari sit unius generis artis, & quæsitū & medius terminus sint alterius generis artis, ueluti si de motu de quo est consideratio physici demonstratur aliqua passio geometrica per medium geometricum sic inquit Arist. quod demonstrationes effici hoc pacto est impossibile, & ratio est quia demonstratum est supra terminos demonstrationem ingredientes oportere esse per se, & primo modo, si medius terminus, & quæsitum genus transcenderet per se nullo pacto esse ualent, non enim posset quæsitū subiecto per se inhærere, nec medius terminus ipsi subiecto, cum genus trāscendat. similiter impossibile est maior propositio in ambabus artibus per se sit. nam res quæ per se unius generis sunt, io duplici sunt differentia, uel enim illa capiuntur in diffinitionibus generis subiecti, uel econtra quod ipsium genus capitur in diffinitionibus talium, sin autem res ipsę capiuntur in diffinitionibus generis, ergo oportet ut res illæ sint causæ propriæ illius generis, aut non propriæ, per sufficientem diuisionem: si autem sunt causæ proprię, ergo secundum quod ipsum de genere artis prędicabuntur, causę enim proprię quæ in diffinitionibus ponuntur secundum quod ipsum prædicatur, ex se manifestum est, cum tales sint genere appropriatæ & cōuertibiles per se, igitur illius artis erunt si igitur illæ causæ non erunt appropriatæ, ergo oportet sint appropriatæ illi generi quod comprehendit hoc genus artis, & illi generi erunt primæ, si sic ergo est, euenit ergo ut genus artis sit illud genus comprehendens hoc genus, si hoc igitur ambiens est genus, & sic hoc quòd nos posuimus genus artis est species illius, ex quo sequitur quòd illud quòd fuit positum genus artis non esse genus, quòd est falsum, & consequentia probatur quia species illius generis ambientis. unde notandum quòd genus duplex est, quoddam enim est genus logicum & est illud quod prædicatur de pluribus, quoddam uero est genus physicum, & istud non est nisi subiectum artis, & scientiæ de quo habent demonstrari passiones in arte consideratæ unde sermo hic est de genere physico, quod genus subiecti dicitur, non autem de genere logico, tunc modo ea quæ diximus, exemplis manifestando. si diceremus quod primus motor, est genus artis in scientia naturali, ergo oportet ut de ipso omnia prædicata in scientia naturali considerata demonstrētur, quia hoc erat genus artis: modo hæc prædicata quæ de ipso demonstrantur quę genus artis transcendere dicuntur, aut sunt per se, aut non: si secundum, ergo de ipsis demonstratio aliqua non conficietur, ut patuit supra. si autē per se, ergo oportet sue quod subiectū ponatur in diffinitionibus talium & est secūdus modus, quia genus artis non transcendit, nam talia prædicata sunt accidentia essentialia quæ species sibi determinant, & in illa semper spectantur, & sic prędicata quę genus transgredi ponebantur, non sunt per se secundo modo: ergo si sunt per se, oportet ut talia ponantur in diffinitione generis atttinet talis modus erat primus, si ponuntur in diffinitionibus illius, ergo uel erant causæ propriæ & cum subiecto conuertibiles, aut non erant causæ propriæ, & cum subiecto conuertibiles; si primum, ergo genus non transcendunt, ut patet, quia si transcederent nō essent cum genere illius artis conuertibiles, & sic non essent causæ propriæ ut fuit acceptum, sin autem dicatur quod nō sunt causæ propriæ & conuertibiles, ergo oportet ut alicui generi artis sint propriæ & cum illo conuertibiles. si sic, ergo oportet ut genus illud sit comprehendens huius genus, ergo oportet ut sit illius generis ambiētis species. hæc est pars subiectiua ergo sequitur quod illud quod ponebamus esse genus artis non est genus artis, sed pars subiectiua, & species. quare ex his concluditur quod si termini qui demonstratione ingrediuntur per se sunt, ut fuit supra conclusum, sequitur, quòd non contingit demonstratum transgredi de genere in genus, & sic patet quo nam pacto correlarium hoc ex præhabitis sequatur. ueniamus modo ad literæ expositionem, inquit ergo Aristote. {si uerum est } supple tu quod ea quæ demonstrationem ingrediuntur per se sunt } non igitur est, } idest contingit transcendentem demonstrare ex alio genere { ut geometricum } manifestat quod dixerat exemplis, ut geometricum, scilicet quæsitum non contingit demonstrare in arithmetica, per medium supple, geometricum,

Tria enim sunt in demonstrationibus, unum quidem, quæ demonstratur conclusio: hoc autem est, quod inest alicui generi per se. Unum autem, dignitates. Dignitates autem sunt, ex quibus demonstratio. Tertium autem genus subiectum, cuius passiones, & per se accidentia ostendit demonstratio.

Cum Ari. demonstrasset ex quo præmissæ demonstrationis oportet quòd sunt per se, non licere demonstrationem transcendere de genere in genus, cœpit modo determinare, ex quibus determinationes ipsæ conficiantur. sed dices quorsum hoc fecit? Ad hoc respondet Auer. & Philop. ad hoc ut latius & fortius demonstret quòd non licet demonstrantem transcendere de genere in genus: unde, inquit, quòd tria sunt ex quibus demonstrationes conficiuntur, quorū primū est ipsum quæsitū quod habet de subiecto demonstrari, quòd cum fuerit demonstratum dicitur conclusio, & hoc quæsitum oportet per se subiecto inesse. secundum sunt ipsæ dignitates, & propositiones per quas quęsitū ipsum demonstratur. tertium est ipsum genus artis, hoc est subiectū de quo habent per se demonstrari passiones, & essentialia accidentia. unde inquit {tria igitur sunt in demonstrationibus} hoc est tria sunt ex quibus demonstrationes ipsæ conficiuntur. {unū quidem} declaratur quæ sunt ista tria & inquit unum quidem est conclusio, quæ demonstratur, quæ antequam sit demonstrata, dicebatur quæsitum {hoc autem est} exponit cui quæsitum ipsum inesse debeat, & qualiter inesse debet, & inquit {hoc autem} quæsitū est illud {quòd inest generi} subiecti alicui per se. { unum autem } exponit secundum, scilicet dignitates. { dignitates } declarat quæ sunt dignitates, & inquit dignitates, sunt illæ ex quibus demonstratio constat. { secundum autem } declarat tertium quòd est genus quod dicitur subiectum cuius subiecti demonstratio ostendit passiones, & accidentia per se.

se. Quod ad uerba attinet. Auerro. notat illud quod dixit Aristot. quod quæsitum est illud quod inest alicui generi per se, non dixit non inesse, ut notaret quod demonstrationes non nisi ex propositionibus affirmatiuis constant nam syllogismi constantes ex propositionibus negatiuis non dicuntur demonstrationes, sed syllogismi potius necessarii, & si demonstrationes dici ualent per accidens demonstrationes dicuntur quatenus præmissæ illæ nonnullas illarum trium conditionum continent. Sed dubitabis si medius terminus quoque demonstrationem ingreditur cur de ipso mentionem non fecit ? Ad hoc respondet Auerro. quòd medius terminus continetur sub dignitatibus, nam per dignitates nihil aliud Aristot. intellexit nisi prædicationem medii termini de minori extremitate in minori propositione, & prædicationem maioris extremi de medio ipso termino in propositione maiori.

Ex quibus igitur demonstratio fit, contingit eadem esse. Quorum autem genus alterum est, sicut arithmeticæ, & geometriæ, non est arithmeticam demonstrationem conuenire in magnitudinibus accidentia, nisi magnitudines numeri sint (hoc autem quo modo contingit in quibusdam posterius dicetur) sed arithmetica demonstratio semper habet genus circa quod fit demonstratio, & aliæ similiter.

Philoponus uult quod postquam Aristo. declarauit ea ex quibus unaquæq; demonstratio conficitur, dixitq; illa esse tria, consequenter differentiam inter hæc tria ponere intendit, & differentia est quod dignitates & propositiones maxime communes diuersis sciẽtiis esse possunt, sed subiectum & quæsitum sunt unicuiq; arti, & sciẽtię propria. Auer. autem uult ꝙ postquam Ari. declarauit. quod tria sunt ex quibus demonstratio ipsa constat, & ꝙ translatio demonstrationum non efficitur nisi per conuenientiam artium in aliquo istorum trium, uult modo declarare quòd si communicant, non communicant in subiecto, nã artes diuersæ habent subiecta diuersa, de quibus ars demonstrat passiones, & accidentia per se. Sed dices, hoc uidetur falsum, quia sunt quamplures scientiæ diuersæ quæ in subiecto cõmunicant, nam metaphysica, & physica diuersæ sunt scientiæ, & tamẽ sunt circa idem genus subiecti, utraque enim istarum corpus considerat. Ad hoc respondet Auer. quòd licet aliquę scientiæ communicent in subiecto, tamen differunt in modo considerandi. unde sciendum ꝙ subiectum scientię duplex est, alterum quod est quasi materia, quòd nonnulli rationem materialem appellant, aliud quasi forma, siue ratio formalis, & hæc ratio est illa qua omnia in arte considerãtur, & per quã ars differt ab arte: per hanc quoq; passiones omnes & affectiones in subiecto proficiscũtur. exemplum, lignum spectat physicus, & lignum spectat mathematicus, modus tamen considerandi est diuersus: ac naturalis lignum spectat quatenus motus principiũ in se obtinet, faber uero artis affectionibus subiicitur. Ex hac distinctione dicendũ ꝙ scientiæ bene conueniunt in ratione materiali, sed differunt in subiecto formali, & de hoc loquitur Aristo. quod scientiæ diuersæ nullo pacto possunt conuenire, non autem de subiecto materiali. Tunc ad punctum argumẽti dico, quod licet physicus & mathematicus conueniãt in ratione materiali corporeitatis. non tamen in ratione formali corporeitatis, nam aliud corpus est quod considerat mathematicus, illud enim non est nisi trina dimensio ꝙ est corpus de prædicamento quantitatis, corpus autem quod physiologus naturalis considerat est corpus de genere substantię. patet ergo huius textus intentio ꝙ Arist. uult declarare in quibus artes diuersæ communicãt, & in quibus non. inquit ergo quod artes diuersæ in dignitatibus conueniunt, in genere autẽ subiecti differunt. ex quibus igitur demonstratio fit eadem esse cõtingunt, scilicet pluribus scientiis, ueluti sunt dignitates quæ præpositiones maxime dicuntur, nam in hoc axiomate quæcunque sunt uni, & eidem æqualia sunt inter se ęqualia, in hoc inquã & geometria & arithmetica conueniunt. { Quorum autem } cum declarasset ea in quibus scientię diuersæ cõueniunt, consequenter intendit declarare in quibus artes differunt, & inquit, quod differunt in genere subiecti. unde duo facit, nam declarat in quibus artes differunt, & simul & semel declarat quod in artibus differentibus in genere subiecti, non possumus in ipsis eãdem transferre demonstrationem, ueluti cum arithmetica, & geometria cõueniunt in illo principio, quæcũque sunt eidem æqualia, inter se sunt æqualia, cum non differãt in genere subiecti, non potest una, & eadem demonstratio in ipsis transferri & ratio est, inquit Philoponus, quia existẽtibus subiectis diuersis impossibile est ut idem prædicatum per se, & uniuersale de genere subiecti prędicetur. inquit ergo { quorum est } quarum scientiarum { genus } idest subiectum, {alterum est} hoc est diuersum & distinctum, in his, scilicet non contingit eadem uti demonstratione: } ut arithmeticæ } exemplificat de scientiis in subiectis differentibus sicut sunt arithmetica & geometria alia enim ut geometria magnitudines considerat, arithmetica numeros. { non est }'idest non contingit propter hanc diuersitatem subiectorum demonstrationem scilicet arithmeticam cõuenire accidentibus, quę in magnitudinibus sunt nisi magnitudines. siue numeri. { hoc autem quomodo } Hic dissoluit tacitam difficultatem. Posset quispiam dicere quod sunt multæ scientię quibus una demonstratio conuenit, ueluti est in scientiis subalternis, nam potest demonstratio scientiæ subalternantis conuenire accidentibus scientię subalternatę. & ideo Aristoteles huic obiectioni occurrens, inquit, quod quomodo se habeat, posterius dicetur, quando loquetur de subalternatione scientiarum. { arithmetica } redit, unde effluxerat, & reddit causam, quare eadem demonstrationem diuersæ scientię uti nõ ualeant, & inquit, quia unaquęq; scientia habet subiectũ proprium de de quo propria accidentia demonstrat, ueluti arithmetica habet genus circa quod demonstratio efficitur, & aliæ scientię similiter. Sed dubitabis. supra dictum fuit quod scientiæ, & artes diuersæ in duobus conueniunt, in quæsito, & in dignitatibus. At modo Ari. inquit, quod tantum in uno conueniunt, ut dignitatibus, sed in quęsitis, & subiectis differunt. Ad hoc respondet Auerro. quod ueluti dignitates in triplici existunt differentia, quędam sunt omnibus scientiis communes, de quolibet dicitur esse uerum uel falsum, & quędam pluribus, ut si ab ęqualibus æqualia demas quę remanent sunt æqualia: sunt enim communes geometrię, & arithmeticę. quædam tantum uni scientiæ, propriæ, 'ue motum esse actum entis in potentia inquantum huiusmodi, ita de quæsitis sentiendum, quod quędam communia pluribus existunt scientiis, quędam propria uni scientię. modo Aris. hic loquitur de quęsitis propriis, unde in propriis quęsitis. scientię differunt.

Quare aut simpliciter necesse est idem esse genus, aut aliquo modo, si debet demonstratio descendere, aliter autem quoniam impossibile, manifestum est: ex eodem enim genere necesse est ultima, & media esse: si nanque non sunt per se, accidentia erunt.

Cum demonstrasset tria esse ex quibus unaquęque de

monstratio conficitur, secundo declarauit in quibus sciētiæ differunt, & conueniunt, & propter hoc non licet eadem demonstratione in diuersis scientiis uti. consequenter intendit declarare quomodo de genere in genus transcendere licet, & hoc correllarie ex dictis deducit, & inquit, quare si debeat demonstratio transcendere, ita ut eisdem demonstrationibus in diuersis utamur sciētiis, necesse est aut simpliciter idem esse genus subiecti aut aliquo modo ut in scientiis subalternantibus, & subalternatis. exēplū, uelut corpus cœleste cōsiderat physicus quod est sphæricum, & hoc quoq; considerat Astrologus: unde licet ista conueniant in genere subiecti, in quæsito attamē aliā tradit causam quæsiti physicus, & aliam Astrologus. nā Astrologus probat talem figuram esse sphæricā per hoc quòd lineæ exeuntes ab eius centro sunt æquales, nā arguit Astrologus, omne corpus a cuius centro si extrahantur lineę sunt æquales, est sphæricum, hoc enim patet per diffinitionem figuræ sphæricæ, corpus cœleste est huiusmodi ergo. Physicus autem inquit, quod corpus cœleste est sphæricū quia motus eius est circularis: omne corpus quòd motu circulari mouetur est sphæricū nam fuit demonstratū ab Aris. in octauo physic. 75. quòd motus circularis non potest effici nisi in magnitudine circulari, sed corpus cœleste est quod mouetur motu circulari, ergo sphæricum. apparet enim quod demonstratio in talibus quoquo modo transgreditur. exemplum autem in subalternis est, nam inquit Aristo. quod scientia subalternans assumit subiectum scientiæ superioris cum differentia accidentali, ut lineam considerat Arithmeticus & ipsam quoque Perspectiuus considerat, uerum cum hac differentia accidētali, quia considerat lineam uisualem. Ad hæc, principia perspectiuæ fuerunt conclusiones & quæsita in sciētia Arithmetica, & sic apparet quod demonstrationes eædē esse uidētur, quod idem assumatur in utraq; demonstratione. {aliter autem} cum declarasset quomodo est possibile demonstrationem transgredi, consequenter declarare intendit quòd alio modo est impossibile: inquit aliter impossibile est transgressionem fieri, nisi his duobus modis. {manifestum enim} reddit causam huius & ratio est quia tres termini qui demōstrationem ipsam ingrediuntur sunt essentiales generi artis, modo termini appropriati, & essentiales, non possunt pluribus sciētiis esse communes: inquit, manifestum est quòd & ultima & media necesse est esse ex eodem genere, nam nō possunt extrema ut maior extremitas, & minor, esse unius generis subiecti, & medium alterius generis {si non per se} huius reddit causam, quia tres termini per se sunt, ita quod maior extremitas per se de medio prædicatur, medius autem de minori per se, unde si tres isti termini non per se essent, ergo accidentia sunt, ex quibus demonstratio cōstare minime ualet. quo ad uerba, per ultima, maiorem & minorem intelligit extremitatem, nam ista sunt extrema, inter hæc enim mediat terminus medius, dicuntur ultima. unde ultima extrema dicūtur, uelut dixit etiam ipsemet Ari. secundo metaphy. unde uult Arist. q̄ hæc tria eiusdem generis scibilis sint, nam si eiusdem generis non forent, non per se essent, & ex ipsis demonstratio cōstare non posset, ut si propositiones essent geometriæ conclusiones autem arithmeticæ.

Propter hoc geometriæ non est demōstrare quod cōtrariorum una sit scientia, sed neque quod dico ubi sit unus cubus, neque alterius scientiæ, quod alterius est: sed aut quæcunque sic se habent adinuicem, ut quod alterum sit sub altero, ut perspectiua ad geometriam, consonantia ad arithmeticam.

Quum Arist. nobis demonstret terminos demonstrationem ingredientes oportere esse per se & propter hoc quod non licet demonstrantem trascendere de genere in genus, ex quo quæsita propria & substantia diuersarū scientiarum sunt diuersa: consequenter id quod dixerat exemplis intendit manifestare, unde inquit {propter hoc} hoc est propter hanc quia non licet transcendere demonstrantem de genere in genus, non est geometrię, scilicet, munus demonstrare unam esse scientiam contrariorum, nam hoc proprium philosophi est, uel dialectici. {Sed neque} dat secundum exemplum, sed neq; geometriæ proprium est demonstrare q̄ duo cubi sint unus cubus, nam geometria magnitudines contemplatur ex quo per se, inquit, insunt: sed hoc est proprium stereometrię quæ circa corpora solida uersatur, unde cubus stereometriæ subiectum existit. Sed dices quid intelligit Aristo. per cubum? similiter quid per duos cubos esse unum? Est sciendum quòd numerus ut bis tria, potest dupliciter capi, uno modo quo ad unitates in ipso coniunctas, nam numerus est unitatum aggregatio, & potest capi quo ad ductum qui significatur quo ad aduerbium bis, ulterius est sciendum quòd sicut patet in arithmetica, & in algorismo hoc est de radicum extractione, omnis numerus uel est linearis, uel superficialis, uel solidus, & numerus solidus diuiditur, quidam est solidus cubicus, quidam non cubicus. similiter numerus superficialis diuiditur, quidam est superficialis quadratus quidam non quadratus. numerus linearis est ille qui causatur secundum processum non habendo respectum ad ductum, ut unum, duo, tria, quatuor, & dicitur linealis, quia habet se ad modum lineæ habentis unam dimensionem, similiter iste numerus sumitur secundum unum processum, numerus superficialis est qui causatur ex ductu in numerū, & hoc dupliciter, uel eiusdem numeri ut bis, duo, ter, tria, & ille est superficialis quadratus; uel causatur ex ductu alterius numeri in numerum, ut bis, tria, & iste dicitur superficialis non quadratus, numerus autem solidus est qui causatur ex duplici ductu numeri in numerum, & hoc dupliciter, uel eiusdem numeri, ut bis, duo bis, & sic dicitur numerus solidus cubicus, uel alterius numeri, ut bis, tria bis & sic est solidus non cubicus. Habito igitur quid sit numerum cubicus, inquit modo Aristo. duos cubos esse unum cubum, intelligit cubum duplarem, ut bis, duo bis si dupletur adhuc remanet numerum cubus. Sed de hac re multa Philop. uidere ipsum. Sed dubitabis, nam multoties euenit, ut scientia particularis consideret aliquam passionem artis communis ueluti physicus considerat unum & multa, modo hæc passio est considerationis mathematici. Ad hoc respondet Auerro. quia licet aliqua scientia quandoque consideret passiones artis superioris, non considerat tamen eas sub ratione communi, & eo modo quo a scientia illa superiori considератor, sed eas considerat, ut illas contrahit & appropriat ad genus subiecti, unde physicus considerat animæ potentias, quia animæ potentiæ sunt aut, una, aut multæ, ideo considerat unum & multa, ut arti contrahuntur, & ut sic passio hæc propria efficitur. {sed aut quæcunque} dixerat supra quod si aliquæ reperiuntur scientię quę aut idem simpliciter genus subiecti obtinent, aut quoquo modo, eadem demonstratione possumus in ambabus uti, uelut sunt scientiæ subalternę. cum hoc igitur supra explanasset, uult modo illud exemplis manifestare. unde sciendum quòd quatuor conditiones requiruntur ad subalternationem scientiarum, prima ut subiectum scientiæ inferioris sit sub subiecto scientię superioris, & hoc modo arithmetica geometriæ non subalternatur, nam geometria quantitatem continuam considerat, arithmetica quantitatem discretam, ut numerus, secunda conditio, oportet, ut subiectum inferioris superaddat differentiam accidentalem subiecto superioris:

tis: hac ratione perspectiua, quæ considerat lineas uisuales subalternatur geometriæ. quæ lineas absolute considerat, addit enim perspectiua lineę uisualitatem. tertia ut principia scientiæ inferioris sint conclusiones in scientia superiori. quarta ut principia inferioris probentur in superiori, a priori, non autem a posteriori. quando igitur aliqua scientia has non obtinet conditiones non uera subalterna dicitur inquit Aristoteles. {sed aut,} scilicet continget eadem uti demonstratione quoquo modo in scientiis, quęcunque sic se habent ad inuicem ut alterum sit sub altero, ut perspectiua ad geometriam se habet, ut musica ad arithmeticam. Sed circa dicta insurgit difficultas, quia uidemus quod scientiæ inferiores probant principia artis superioris, uelutí physica & astrologia sunt scientiæ inferiores & partes ad metaphysicam, & tamen hęc tradunt principia metaphysicę, physicus enim probat ut in octauo physicorum patet, substantias abstractas esse quę sunt principia in scientia diuina: similiter astrologus ut patet ab Arist. duodecimo metaph 44. probat numerum substantiarum abstractarũ. Ad hoc respondet Auer. quòd non inconuenit, ut scientia inferior & particularis probet a posteriori, & ab effectu principia scientiæ superioris, sed bene est inconueniens si scientia inferior probaret a priori principia scientiæ superioris, quia ut sic, sequeretur ut scientia superior subalterneretur scientiæ inferiori, & sic ad propositum cum dicis, physicus probat substãtias abstractas esse, cõcedo a posteriori, ut uia mot' æterni, ut patet primo physicor. ultimo, secundo physi. 22. & 26. octauo physic. 92. duodecimo metaph. quinto & sexto, non autem illas esse a priori demonstrat, quia ut sic sequeretur ut metaphysica physicæ subalternaretur. similiter & astrologus a posteriori probat numerum intelligentiarum ut intuenti duodecimo metaphy. patet, & ex hoc dissoluitur achilles Scoti contra Auerro. arguit enim uir iste in prologo primi post. quod si physicus probaret substãtias abstractas esse, ergo metaphysi. physicæ subalternaretur. & consequentia probatur, nam illa scientia quæ probat principia alterius scientiæ, talis illi subalternatur, sed physica cũ metaphysica est huiusmodi, ergo. peccat enim, ut uides argumentum per fallaciam consequentis, quia licet physicus probet principia metaphysico. hoc tamen a priori non facit, & sic argumentum non sequitur. Sed in dictis Aris. insurgit maior difficultas, dixit enim quod illæ scientiæ quæ in genere subiecti non cõmunicant, eadem demonstratio in talibus reperiri minime ualet, nam hoc uidetur esse falsum, quia omnes demonstrationes habitæ in octauo physico. sunt etiam habitæ in duodecimo metaphy. Adhuc quamplures demonstrationes in partibus philosophiæ naturalis habitæ, in scientia diuina habentur, modo apparet quod hæ duæ scientiæ genere subiecti differunt: Adhoc respondet Auerro. secundo metaphys. sexto, ubi duo nobis tradit, primum quid consideratio de omnibus causis in eo quod causæ sunt, pertinet ad scientiam diuinam, quia quanto consideratio uniuersalior fuerit, tanto proprior scientię diuinæ erit, sed consideratio causæ pro ut causæ sunt causæ subiecti transmutabilis, est scientiæ naturalis; hoc idem dixit septimo metaph. septimo, & nono metaph. secundo, dissoluens propositam difficultatem, inquit, quod sicut aliquo consideratur a naturali per modum metaphysici uelutí motus potest in infinitum uelocitari sexto physicor. decimotertio, ita demonstratio aliqua erit naturalis per se, potest tamen tradi sub modo & forma metaphysici, uidelicet sub forma uniuersali, & sic talis demonstratio secundum rem erit naturalis, & secundum modum erit metaphysica, & ideo inquit, quod quamuis Aristoteles utatur in metaphysica demonstrat omnibus scientiæ naturalis, quæ sunt secũdum rem physicæ, tamen inducit eas uniuersalibus, idest per modum metaphysici, quoniam quanto fuerit demonstratio uniuersalior, tanto erit proprior scientiæ diuinæ, Arist. obseruat se in hac intentione, scilicet, inducendo demonstrationes uniuersales alio modo, quam in scientia naturali, quia in scientia naturali inducuntur physicæ secũdum rem. & secundum modum; in metaphysica secundum modum, & sic ad formam argumẽti dicitur, quod licet eædem demonstrationes habitæ, in scientia naturali, inducantur in metaphysica, alio tamen modo ibi sunt inductæ, modo inquit Aristo. quòd non debemus uti eadem demonstratione in scientiis diuersis secundum eundem modum.

Neque si aliquid inest lineis nõ secundum quod lineæ nõ sunt, & nõ inquantum ex proprijs principijs, ut si pulcherrima linearum recta est, aut si contrario modo se habeat circulari, non enim secundum quòd proprium ipsarum genus est, sed inquantum commune quoddam.

Ex dictis correlarie documentum inferre intendit, & documentum est quod nulla scientia potest demonstrare de proprio subiecto accidentia, quæ illi non sunt essentialia, uelutí geometra non potest demonstrare ea quę lineis per accidens insunt, sed dumtaxat ea quæ illis per se insunt, uelutí geometra non potest demonstrare lineam rectam esse pulcherrimam omnium linearum, quia pulchritudo lineæ inest per accidens, unde inquit, neque si aliquid inest lineis non secundum quod lineę sunt, neque inquantum ex proprijs principijs sunt, est geometræ, scilicet demonstrare {ut si pulcherrima} exemplificat ut si linea recta pulcherrima linearum est, non est geometræ demonstrare {aut si contrario} secundum exemplum. nec est geometræ demonstrare si linea recta sit contraria lineę circulari, non secundum quod linea est, inest sibi contrarietas [illegible] in multis alijs accidunt. {non enim secundũ} reddit causam huius, nam hæc ut pulchritudo, contrarietas non secundum quod proprium genus ipsarum, sed inquantum commune quoddam est. Quærunt hic iuniores ad quem artificem spectat considerare quod linea recta sit pulcherrima linearum. uel quod sit contraria circulari? Ad hoc dicendum aliorum in hoc ambagibus omissis, quod ad mathematicum spectat considerare, nõ autem per habitum mathematici, sed per habitum metaphysici. hic enim est ille qui contrarietatem spectare habet, & hoc modo mathematicus induens sibi habitum metaphysici has considerabit uerum non demonstratiue, nam cum quæsitum transcendat genus subiecti, & illi per accidens insit, non potest tale quæsitum demonstratiue scire. Sed dicta Aristo. hic inquit quod non spectat ad mathematicum. Ad hoc dicendum quod inquit, quod non spectat ad mathematicum per habitum mathematici, ut illud demonstratiuè sciat.

Manifestum autem est, & si sint propositiones uniuersales ex quibus est syllogismus, quod necesse est, & conclusionem perpetuam esse huiusmodi demõstrationis, & simpliciter (ut est dicere) demonstrationis Non est ergo demõstratio corruptibilium, neque scientia simpliciter sed sic est sicut secundum accidẽs & non uniuersalis ipsius est, sed aliquando & sic.

Postquam Arif. probauit demonstrationes esse ex necessarijs, ex his quæ sunt per se, quod nō licet demonstrātē transcendere de genere in genus, consequenter declarare intendit demonstrationem non esse corruptibilium, sed æternorum, & arguit hypothetice a positione antecedentis ad positionem consequentis, & formatur sic syllogismus, si præmissæ demonstrationis sunt uniuersales, ergo id quod demonstratur erit perpetuum, sed præmissæ demonstrationis sunt uniuersales ut patuit, ergo id quod demonstratur perpetuum erit. Sed dices unde ualet hęc consequentia? Dicendum quod ualet per ea quæ supra declarauit. unde sciendum quod uniuersale, ut supra diximus, duplex est, prioristicum & posterioristicum, nam hic sermo est de uniuersali posterioristico, & erat illud quod erat de omni, per se, & secundum quod ipsum, at modo omnis propositio per se, & prima, est necessaria, ergo si demonstrationis præmissæ uniuersales sunt, necessariæ erunt. sed necessarium est id quòd non potest aliter se habere, præmissæ, ergo hoc pacto erunt, quare ex his sequitur quòd id quod demonstratiue scitur perpetuum erit, & sic per præmissas uniuersales intelligit præmissas per se primas & necessarias. Sed dubitabis, quia uidetur quod hæc perscrutatio superflua sit, nam si per præhabita habemus ꝙ demonstratio ex his quæ possunt aliter se habere, habebitur quoque quod nulla demonstratio ex corruptibilibus sit, quare uidetur quod præsens perscrutatio superflua & uana sit. Ad hoc quidam dicūt quòd ex quo dictum fuit ab Aristotele secundo physicor. quod pręmissæ duplicē habent habitudinem ad cōclusionem, scilicet habitudinē causæ efficientis ratione medij, nam præmissę respectu medij uicem causæ efficientis habent, secundo præmissæ possunt comparari ad extremitates, & ut sic uicem causę materialis subeunt, ita quod conclusio dependet a pręmissis, & in genere causę efficientis, & materialis, & sic dicunt quod Aristoteles supra probauit demonstrationem esse ex non possibilibus aliter se habere ut ly, ex, dicit habitudinem causæ efficientis, quare cum dixit demonstrationē esse ex præmissis nō possibilibus aliter se se habere, ly ex dicit habitudinem causæ efficientis, modo cum [illegible] demonstrationē non ex corruptibilibus, ly, ex, d[illegible] habitudinem causæ materialis, & ratio est quia Ar. hic probat perpetuitatem conclusionis ex uniuersalitate præmissarū quę uniuersalitas non nisi penes extremitates sumitur, ex quibus materialiter conclusio dependet. Sed hæc responsio est contra Ar. supra enim probauit præmissas demonstrationis esse necessarias per hoc quod conclusio & scibile quod demonstratiue scitur est necessarium, modo apparet quod non tantum præmissas cōsiderauit respectu extremitatū quia immo respectu medij, aliter probatio sua nulla esset, nam si per hoc quod conclusio est necessaria, scimus præmissas necessarias, conclusio tamen non nisi aggregatio maioris & minoris extremitatis est, ergo acceperat maiorem extremitatem, & minorē esse necessarias, & concludit præmissas necessarias. modo præmissę non nisi respectu medij fuerunt sumptæ, quare aliter dicendū. unde dico quod licet supra Ar. probauerat demonstrationem esse ex non possibilibus aliter se habere, ibi habuit respectum ad præmissas, nam per hoc ꝙ scibile est necessariū, conclusit demonstrationem esse ex præmissis necessarijs, tunc habet respectum ad conclusionem, cum probat conclusionem esse æternam per hoc quod pręmissę sunt uniuersales, hoc est necesse, & per se, unde ut intelligenti patet, demonstrationes omnes Aristote. secundum hunc modum procedunt, inquit ergo {manifestum est autem} quod si sunt propositiones ex quibus syllogismus s. demonstratiuus constat, uniuersales, quod necesse conclusionem esse perpetuam huius demonstrationis, & ut simpliciter. i. uniuersaliter dicam demonstrationis. s. cuiuscunque. Quod ad uerba attinet, dixit {huiusmodi demonstrationis} & {ut simpliciter dicam demonstrationis,} nam cū principalis intentio sua sit inuestigare demonstrationē perfectissimam quæ potissima dicitur, ne ergo aliquis crederet quod tantum huius demonstrationis potissimæ conclusionē oportet esse æternā, ideo subdit {ut simpliciter} i. ut uniuersaliter dicam cuiuslibet demonstrationis, siue sit demonstratio propter quid, siue quia. oportet conclusionē esse æternam {non est} cum compleuit rationes nunc concludit dicens, ergo ex dictis apparet ꝙ demonstratio, neq; scientia simpliciter est corruptibilium, {sed sic est} uult hic Philop. ꝙ Ar. dissoluat dubium, posse. n. quispiam ambigere an quoquo modo demonstratio sit corruptibiliū. unde ad hoc inquit ꝙ rei corruptibilis scientia & demonstratio per se nō est, sed per accidens. unde inquit sed rerum. s. corruptibilium non est demonstratio, sed sic est demonstratio sicut secundum accidens. Quo ad uerba dixit {demonstratio & scientia simpliciter} ut notaret ꝙ scientia distinguitur a demōstratione, nā scientia est effectus, demōstratio aūt causa est, at mō causa ab effectu distinguitur.

Cum autem ita sit, necesse est alteram non uniuersalem esse propositionem, & corruptibilem: corruptibilem quidem, quoniam & conclusio est: non uniuersalem autem, quod hoc quidem erit, hoc autem non erit ex quibus est: quare non est syllogizare uniuersaliter, sed quoniam nunc est.

Probat ꝙ dixerat per deductionē ad impossibile, nam si scientia non est rei corruptibilis per accidens, ergo per se: si ita est, necesse est, ut altera propositio non sit uniuersalis, sed corruptibilis. Sed dices, unde ualet hoc? dicēdū, ut infra latius probabimus, scientia non nisi uniuersaliū est, non autem particularium, nam uniuersale æternum, & particulare, cum omnem materiam includat quę omnis corruptionis causa, est corruptibile. ergo si conclusio demonstrationis erit corruptibilis, oportet ut sit particularis, nam oē corruptibile non nisi particularium, est, uelut dixit Aris. in proœmio metaphy. quod indiuiduorum generationes sunt. cum ergo conclusio sit particularis, nō potest autem sequi cōclusio particularis ut fuit declaratū in primo priorum nisi altera præmissa fuerit particularis, siue syllogismus in prima figura, siue in secūda, siue in tertia efficiatur, sic ergo inquit Ar. quod si conclusio est corruptibilis, igitur oportet ut altera præmissarū sit particularis & non uniuersalis; si sic est, ergo demonstratio nō erit ex uniuersalibus, quod apparet esse falsum ex his quæ supra dixerat, nam propositiones demonstrationē ingredientes oportet omnes uniuersales esse, alioquin demonstratio non erit demonstratio. Ex his ergo concludit demonstrationem per se esse rei æternæ, per accidens corruptibilis: unde inquit {cum autem ita sit} uidelicet quod demonstrationis conclusio sit rei corruptibilis per se, necesse est alteram propositionem non uniuersalem, sed corruptibilem. {corruptibile} probat consequentiam, uidelicet ꝙ si conclusio est corruptibilis ꝙ præmissa altera est corruptibilis, corruptibilem quidem dico alteram præmissam esse quia conclusio corruptibilis, nam fuit demonstratum primo priorum quod conclusio particularis & corruptibilis non nisi ex altera propositione particulari & corruptibili sequitur. {non uniuersalem.} Probat quod altera præmissa oportet ut nō sit uniuersalis, quia subiectum conclusionis de quo demonstratur passio corruptibilis, est corruptibile, at uniuersale non est corruptibile, sed æternum; sequitur ergo ut altera præmissarum non uniuersalis sit. modo non uniuersalem dico oportere alteram præmissarum esse, quare subiectum conclusionis {hoc quidem erit, hoc aūt non erit, ex quibus est,} nam cum subiectum particulare accipitur, aliqua eorum de quibus prædicata, erunt, aliqua

uero non erunt{quare non est syllogizare} concludit ex opposito oppositum. quare non est uniuersaliter syllogizare, sed quoniam nunc est, hoc est particulare dum illud particulare est, sed circa dicta insurgit difficultas quo pacto de singularibus est scientia, & demonstratio per accidens? Ad hoc dicendum, unde sicut primo debetis secundum Auer. & Arist. duo esse principia, primum q forma ipsa est principium essendi, & ratio est quia dicebat Aristot. septimo metaphysic. q idẽ est ens & esse, at modo cum forma sit principium entitatis, erit & essendi principium, & ideo dicebat Boethius in lib. de unitate & uno q omne esse peruenit a forma, itaq; forma est principiũ essendi. secundo forma est principium intelligendi: dicebat enim Auer. nono metaph. secundo, q omne quod intelligitur per id quod est in actu, at modo cum forma sit ens in actu, quinimo est ipse actus, principium igitur erit intelligendi. tertio forma est principium uniuersalitatis, res enim quæ est principium intelligẽdi est principiũ uniuersalitatis, omne enim quod intelligitur, uniuersale est Arist. tertio de anima. 14. secundo physic. 49. & sexcẽtis in locis, ergo forma cum sit principium intelligendi, est principium uniuersalitatis: dicebat enim Auer. primo coeli. 91. q forma est fundamentum uniuersalitatis, ergo forma est illa quæ facit uniuersale, & est principiũ intelligendi, & principium essendi, esse enim esse effectus formę, secũdo de anima ait Arist. materia autem opposito modo se habet, quia est principiũ non essendi, materia enim est illa per quam res habet non esse, propter non esse quod est admixtũ in sua substãtia, ueluti dixit Auer. primo phys. 59. & Arist. dicebat, q materia est ad maleficium ordinata, ergo materia principium erit non essendi, cum per ipsam omnis generatio, corruptio, & translatio efficiatur secundo materia est principium non intelligendi, per materiam enim res non intelligitur, cum actus sit ratio intelligendi, & distinguendi, septimo metaph. 19. materia autem est pura potentia, unde ipsum compositum quamuis sit, & aliquo modo intelligatur, hoc est propter ipsam formã, & omne quod intelligitur habet habitudinẽm ad ipsam formam. tertio ipsa materia non est principium uniuersalitatis quemadmodũ & ipsa forma. quare cum hęc ita se habeant, sequitur q particulare quod est compositum, si intelligatur, ratione formæ & uniuersalis intelligatur, non autem ratione sui, atq; ita q de eo si scientia est & demonstratio, q per accidens sit.

FINIS.



HIERONYMI

BALDVINI EXPOSITIO
seu potius fragmenta in secundum lib. Poster. analyticourm Aristotelis.



VERITVR quid in secunda parte libri intendat Aristoteles? Dicendum, intentionem philosophi esse continuare primam partem cum secunda, etenim ex tertio & ethicorum sexto, ars quaelibet in agendo, faciendo, uel docendo ex fine ordinat res docendas, ut quid primo, & quid secundo, tractare debeat. Intendit itaq; Arist. ordinare secundam partem cum prima libri huius, & causam ordinis reddere. At quemadmodum Galenus in libro de constitutione artis cap. primo, non ordinat partes artis, nisi ex rebus consideratis in his artibus: ideo primò uidendum est, quae sint ea quae considerantur in hoc libro, ut ex eorum cognitione sciamus cōtinuare primum librum cum secundo. Quaeritur ergo primò quae est res considerata quam intendit Aristoles docere hoc secundo libro? Respondet Simpl. & Philop. Albert. diuus Thom. & Suess. quod res quaesita est medium demonstrationis. agitur ergo in hoc secundo libro de intentione medii. probat hoc diuus Thom. ex primo post. primo, doctrina demonstratiua ex praecedente fit cognitione, scilicet medii. sed de hoc medio non tractauit in primo libro, ergo necessario in secundo. Arguunt etiam aliquid ad hoc probandum ex primo priorum 24. una ars, unus liber docet genus syllogismi & potestatem seu facultatem creandi eum, quae est inuentio medii: & cum liber poster. doceat genus syllogismorum, ergo idem liber debet docere facultatem faciendorum syllogismorum, quae est iouentio medii. Tertio ad idē, si secundus liber dicitur tractare de diffinitione, aut de ea tractat ut diffinitio, aut ut instrumentū, non ut diffinitio, quia liber inscribitur de demonstratione, & non de diffinitione, ergo de ea tractat ut instrumētū & medium in demonstratione. Vltimo arguunt ex secundo poster. 40. Arist. considerat omnes causas ut medium, inter quas est forma, quae est definitio, & considerat per accidēs & non per se, ex. 7. meta. 40. tractat de diffinitione per accidens, hic in quantum causa, & medium. Hęc est modernorum opinio, quorum rationes sunt magis igne quam commendatione digne, cum Arist. Auer. & ueritati aduersentur. Auer. enim continuans tex. commēto primo dicit, ꝙ cum tractauit Arist. in primo lib. de demonstratione & de eius speciebus, nec non etiam de conditionibus & intentionibus, quae tradūtur de ipsis, tractat in hoc secundo libro de diffinitione ut instrumētum notificans quaesitum quid diuersum a demonstratione, & ideo de diffinitione, non ut medium, quod etiam testatur in prologo primi poster. Continuationem secundi libri cum primo dicemus ex hoc quod diffinitio & medium sunt idem subiecto, & ratione differunt (etenim diffinitio ex primo top. quarto est oratio & instrumentum notificans quid, medium autem primo post. secundo diffinitur ut principium & causa conclusionis quaesitae) propterea continuans libros poster. Auer. dixit quod cum tractauit eas, scilicet diffinitiones in primo libro ut praemissas, ut medium & principium, tractat eas in secundo ut diffinitiones: & explicans magis ueritatem, dicit {ut ducunt ad perfectam conceptionem,} idest ad perfectam scientiam diffinitiuam, ut instrumenta, non ut media. uocat enim diffinitionem conceptionem, quia ex tertio de anima secundo, scientia diffinitionis est simplex conceptū, rei, nō dicens esse uel non esse, sicut sciētia demōstratiua. primo enim post. 13. & septimo metaph. 42. assignans differentiā inter diffinitionem consideratam a metaphysico & a logico, dicit, in analyticis tractari de diffinitionem, ut instrumentum, in metaphysica ut significat rerū naturas, idest ut diffinitio est unum entium, uel actu, uel potētia, uel unum, uel plura. Quod illi etiam Arist. contradicant patet & ex prologo huius secundi: etenim cap. secundo proponit uelle commostrare ipsum quod est, quod est quaesitum ignotum naturaliter, idest quomodo possit demonstratione acquiri. ideo argui potest contra illorum positionē hoc pacto: quod quaerit Aris. docere, est ipsum quid ignotum naturaliter, quęsitum, quomodo demonstratione acquiratur; sed medium demonstrationis primo poster. secundo, est praecognitum non quaesitū, ex primo poste. 12. est notum nobis & naturae, & comme. octauo immediatum, indemonstrabile, non habens medium, ergo, diffinitio quam quęrit Aris. non est mediū demonstrationis. Et subdit ibidem {& quis modus introductionis ad ipsum quid est,} .i. instrumentū. secundo enim met. 15. & 16. idem est instrumentum. sciendi, uia sciendi, & eius modus, quaestio ergo de introductione ad quid est, quaestio de instrumento, non de medio medium enim inducit ad notitiam conclusionis demonstrationis, non ad quid est. medium. n. primo posteriorum undecimo & octauo, est causa essendi & scientiae conclusionis. Item ad idem primo topicorum quarto, diffinitio, ut diffinitio, explicat quid

quid propriū diffiniti, diffinitio autē ut medium ex primo posteriorum 15. est causa conclusionis quæsitæ: sed secundo posteriorum cap. secundo, proponit tractare de diffinitione, ut diffinitio est, per respectum ad diffinitum, non quo ad conclusionē quæsitam, ergo sequitur ꝙ pertractare intendit de diffinitione ut diffinitio, non ut medium. Item probatur quia in principio huius secundi libri quærit an idē possit sciri demōstratione & diffinitione, cū sint instrumenta diuersa & quęsita diuersa. & subdit probando, ꝙ non faciant scire idem. demonstratio enim facit scire quia; diffinitio uero quid notificat. ergo non idem. cum diuersa notificent quæsita. ratione Arist. patet etiā intentum ex processu a principio huius ad undecimum caput ubi quærit quæsitum quid, an dum est naturaliter ignotū uenari possit, diuisione ut instrumento proprio, an demōstratione, an syllogismo hypothetico, an alio instrumēto. Sciendum tres esse diffinitionis species ex secundo post. 40. præter diffinitionem quid nominis, quæ non est propriè diffinitio, secundo poster. 22. ex Themist. prima est principium demonstrationis, secunda medium demōstrationis, tertia est demonstratio sola positione differens. do exemplum interpositio terræ, diffinitio eclipsis est mediū ad eclipsim demonstrandam, quæ est per se nota naturaliter non indigens demonstratione, ex primo poster. cap. 5. Secunda quæ est demonstrationis conclusio ignota naturaliter, per demonstrationem concluditur; exemplum defectus luminis est diffinitio eclipsis ignota naturaliter, hæc concluditur demonstratione per eam quæ erat principiū, hoc modo, interponitur, ergo deficit in lumine, terra interponitur, ergo deficit. Tertia species diffinitionis est, quæ differt positione tantum, & forma a demōstratione, ut secundo post. 37. per totum processum. differre dicitur positione quia quod anteponitur in demonstratione, postponitur in diffinitione. exemplum, quia demonstratio dicit, interponitur, ergo deficit. diffinitio uero orationem postponit. est enim eclipsis defectus luminis lunæ, ob terræ interpositionem: quare differunt solo ordine, idest sola forma. quare Arist. in hoc secundo libro ad 70. textum excludit considerationem diffinitionis quæ est principiū & medium demonstrationis, & tantū eam uenatur quæ est conclusio, & sola positione differēs a demonstratione quę est ignota. Si autem dicatur, in hoc libro à 70. tex. ad 101. tractat de diffinitione, quæ est principium, ergo ibi tractat saltem de inuentione medii. Respōdeatur Aristotelem ibi non inquirere inuentionem diffinitionis quę est principium, quia illa per se nota est nobis & naturæ, ex primo poster. 12. quare non eget arte inueniendi, quia ex primo poster. 17. quæ sunt nota sensui. sunt uulgaria & despicienda. sed uult inquirere quo modo debemus inuenire partem diffinitionis, quæ est principium demonstrationis, non ut principium, sed ut instrumentum notificās ipsum quid est. Ideo dicendū quod cū Ar. in primo agat de medio ergo superflue ageret in secūdo. probatur ꝙ de eo agat in primo, quia sumendo exemplū à sensatis, tunc docemus inuenire bonum reubarbarum, cum docemus conditiones sensatas, per quas bonum cognoscimus reubarbarum, scilicet cum tingit. & tunc docemus inuentionem boni equi, cum docemus conditiones equi bonitatem notificantes, sed conditiones notificantes medium principium demonstrationis docentur in primo libro non in secundo, ergo de inuentione medii tractatur in primo non in secundo. Quod conditiones istæ describantur in primo libro poster. Auer. in prologo dicit, primus liber non tractat de forma demonstrationis, quia eam docuit Arist. in libro priorum. (ut diximus in illo) sed tractat de materia quę sunt præmissæ, principium, & medium, & tractat de eis attributa. idest conditiones proprias eis, quibus sint tales, & deducant ad perfectam scienciam demōstratiuam. ergo de medio demonstrationis simpliciter tractauit in primo libro usq; ad 65. de medio uero demonstrationis, quia à 91. infra. ut Arist. dicit primo post. 21. inquit enim. Si scire est ut posuimus & c. scilicet præmissas esse tales, tertio ethic. 91. Arist. ex fine præcognito ordine & eligit res ordinatas considerandas in arte sicut facit hic, cum in tex. 8. præcognouit quid sit scire, in 11. ex fine præcognito eligit subiectum edocendum. & dicit si finis uidetur esse scire simpliciter per se necessarium & c., ergo necessario premissa, idest principium, idest causa cōclusionis necesse est esse cum eius istis conditionibus, scilicet per se, de omni & c. quasi dicat conditiones præmissarum principii demonstrationis & causæ uolo considerare, in toto hoc libro. Arguitur etiam a simili, de inuentione, medii topici, sophistici, rethorici, & poetici tractauit, dū, nos edocuit præmissas & conditiones quibus edoctis sciamus cognoscere medium & pręmissas topicas & c. ita etiam tractauit de medio demonstratiuo & eius inuētione dum conditiones præmissarum eius edocuit, quod quidē, in primo libro exequutus est non in secundo. Si dicatur, Arist. primo poster. tractat de pręmissis, sed medium est aliud ergo non tractat de medio. dicendū quod medium nihil aliud est, quàm præmissa nota, idest diffinitio nota. habetq; easdem conditiones, quas præmissis tribuit Ari. Si quærat quis cōtra primam sectam, si de diffinitione ut instrumentum sciendi, non pertractauit in secundo libro Aristo. ubi ergo de eo tractauit? Respondet Albertus in prioribus suis: quod Arist. fecit hunc librū, sed non reperitur modo. pro hac responsione notandum ex septimo metaphy. com. 42. quod metaphy. tractat de diffinitione id quod omisit logicus, sed in analyticis dimisit non incompletum negotium. logicus ut dicit hic Auer. tractauit ibi de diffinitione ut instrumentū quo intellectus ducitur in cognitionem quidditatis rerum. metaphysicus uero considerat diffinitionem ut significat quidditatem rei, hoc est per accidens. quidditates per se cōsiderantur a metaphysico, per accidens uero sermo diffinitiuus. Suess. dicit de diffinitione ut instrumentum Arist. tractare in libr. topic. quod est contra Auer. in hoc cōmēto, & primo poster. in prologo, & commento tertio eiusdem secundi. topicus enim considerat diffinitionem & genus ut sunt in anima, demonstrator autem ut sunt in scientiis speculatiuis extra animam, de quibus non disputat topicus. quærimus ergo diffinitionem quę est instrumentum scientiæ, non opinionis, dans enim utilitatem primo top. cap. 2. dicit ad exercitium, ad obuiandum falsis opinionibus, & ad persuadēdum principia artis. Ideo nugæ sunt dicere cum Philop. metaphysic. tractare de diffinitione, ut est instrumentum sciendi, nam septimo metaph. loco adducto clare Auer. dicit de diffinitione, ut instrumentum est pertractare posterioristicum. quomodo dicit Arist. in analyticis tractasse, sed metaphysicus considerat quidditatem, ut ens, in se, primo enim metaph. usq; ad 42. quærit si causa quam notificat diffinitio, est forma, an materia, & dicit esse formā. in octauo aūt libro dicit, esse actum, quærens an sit actus uel potentia. si enim metaphysicus consideraret diffinitionem ut instrumentum sciēdi, ergo esset ars organica quia a modo considerandi ars denominatur, quod esset contra Arist. primo metaph. in procemio, ubi dicit metaphysicam non esse inuentam ad euidentiam, idest ut doceat modum & uiam seu instrumētum sciendi, & ut res noscatur. ergo metaphysica non est organica. Item primo poster. in prologo contra Alpharabium dicit ꝙ secunda intellecta quæ sunt res logicæ, idest subiecta considerata a logico considerantur a metaphysico tantum ut entia non ut instrumentum. Et subdit in primo libro post. immo diffinitionis species ut instrumenta a logico, & ut entia a metaphysico considerantur contra Alpharabium, & est ratio ex quarto meta. primo & secundo, & sexto eiusdem primo & secūdo, quod ratio, seu modus considerandi a met.

a quo non potest separari, est ens inquantum ens, ergo diffinitiones inquantum entia, non ut instrumenta considerabit. Item primo topicorum cap. 8. & 18 & in quæsitis cap. de qualitate faciendi demonstrationem ir epito. log. dicit quod modus quærendi proprius & considerandi quæsita logica, est organum & instrumentum. & ideo omne consideratum ut organum & instrumētum ad logicum pertinet. Et pro clara præmissorum notitia, notandum, ex primo de anima tertio quod duo tantum sunt instrumenta sciēdi, diffinitio, scilicet qua sciatur substantia rei, & demonstratio per quam accidens propriū cognoscimus. causa autem huius redditur secundo poster. 94. quia scientia uera imitatur naturam, & primo ph. 65. substantia est duplex, materia, scilicet & forma, materia enim ex 10. metaphy. 34. est causa rei per accidens, & ideo excluditur a scientia primo post. octauo. remanet ergo sola forma scienda de substantia ipsa, quæ est causa per se loco dicto, quæ scitur diffinitione, immo est ipsa diffinitio septimo metaph. 43. accidentia autem quæ sunt per accidens primo poster. 53 & sexto metaphysi. sexto, excluduntur a demonstratione, & arte. accidentia uero propria quia per se, scibilia sūt, altero instrumento, scilicet demonstratione, ex secundo poste. 40. Vnde dicamus quod res scibiles apud naturam sunt formæ propriæ, & propria accidentia. ergo duo tantum instrumenta sciendi, diffinitio, qua forma, & demōstratio, qua accidens proprium. Notandum etiam quod instrumentum sciendi ad demonstrationem & diffinitionem, est unum nomen quod dicitur de eis non uniuoce, idest una natura communi, non æquiuoce, sed analogice significans plures naturas ordinatas principaliter ad unā essentialiter. Ex quo addatis, & quia est unum aliquod scibile, ideo de eo est unus liber & una ars, liber post. sed ex secundo poster. 94. scientia uera sequitur quod sit consentiens enti. & quarto metaph. secundo ens & res dicitur de substantia & accidente analogice, ergo hic liber tractat de demonstratione & diffinitione, ex quibus scitur substantia & accidens analogice. ideo est diuisus in duas partes. In prima tractat de demonstratione, in secunda de diffinitione. & hæc est conclusio Auer. primo posteriorum in prologo.

Si dicatur secundo poster. 53. subiectum quoddam dicitur totale commune toti arti, quoddam partiale, idest pars subiecti, & quia inter partes subiecti est una nobilior & prior. quæ nam uocatur subiectum principale, demōstratio, an diffinitio? Respondetur quod uocant modernit improprie primam partem subiecti subiectum principale, quia hoc nomen subiectum solum totali conuenit proprie, & debet uocari prima pars inter partes subiecti. Si quæratur, quæ sint conditiones principales primæ partis subiecti? diximus in libro priorum: ut sit nobilior, & perfectior reliquis, secundo ut illius partis cognitio, sit illa, ad quam ordinatur cognitio reliquarum partium. do exemplum septimo metaph. in prologo 12. metaph. substantia separata, est principale subiectum & pars subiecti in metaphysica causam reddit Auer. quia nobilior principalior, & perfectior, & uniuersa cognitio aliarum partiū, ordinatur ad ipsius cognitionem tanquam ad finem. Ad propositum ergo quæsiti Auer. hic comm. 69. dicit quod prima intentio, idest primum subiectum in hoc libro est definitio. quare si tractauit de demonstratione in primo libro, ideo id fecisse testatur, pro quanto ad diffinitionem ordinatur, ergo diffinitio est primum subiectum & principale, ut arguit Auerr. primo posteriorum tt. scientia diffinitionis est quid perfectius scientia demōstrationis, ergo diffinitio perfectior demonstratione, ergo subiectum principale. Ampliat hanc rationem Auer. in epit. de demonstratione. illa scientia, illud instrumentum est perfectius quod magis desideratur naturaliter a nobis, quia secundo de generatione. 50. natura semper desiderat melius, sed naturaliter desideramus scientiam diffinitionis, ergo diffinitio melior est subiectum principale. probatur ex artibus, quia sicut operatiuæ ita & speculatiuæ se debent habere in hoc, sed artes operatiuæ desiderant diffinitionem rei, non accidens rei per demonstrationem, quia faber desiderat scire substantiam mallei & diffinitionem, non accidentis eius demonstrationem, & medicus substantiā reubarbari & diffinitionem, nō accidens eius per demonstrationē, nisi inquantum inducat eum ad substantiæ cognitionē, quia artifex id desiderat quo facit suum finē & suū opus. sed substantia reubarbari facit operationem qua colera euacuatur, sed accidēte, scito per demonstrationem nihil scitur ad cognitionem substantiæ, ergo quod desiderat artifex, est substantia non accidens. Item cum sit diffinitio perfectior & nobilior ex secundo post. loco dictu, scientia uera imitatur esse naturæ secundo metaph. quarto sicut res ad esse naturæ ita & scientia ad nobilitatem: sed esse rei habetur per formā: & diffinitio, est illud quod dat ei opus & esse, materiam: & accidens: secundo phy. tertio & secundo de anima 34. forma dat primo nomen & diffinitionem non materia & accidens. ergo quo ad naturam principale esse rei forma est secundo, phys. 12, & octauo metaph. septimo ergo principalis scientia de re est per diffinitionem quæ est forma. Nota ultimo ex septimo metaph. quinto quod prædicta substantialia quæ diffinitione sciuntur sunt ea quæ sunt perfectiora, & primo intenduntur sciri de re ipsa. prædicata accidentalia quæ demonstratione noscuntur, sunt imperfectiora, & secundario intenditur eorum scientia propter primam, ex quo sequitur, quod prima scientia sit diffinitiua & principale instrumentum si diffinitio. Causam huius quære septimo metaph. 20. quia substantia est ens per se, intentum sciri. accidentia sunt entia per aliud, ergo intenta per aliud & non per se sciri. Ex quibus omnibus colligere oportet subiectum totale in hoc libro esse analogū instrumentum sciendi, diuisum in duas partes, in demonstrationē, scilicet de qua tractat in primo libro: & diffinitionem de qua in secundo. Subiectū uero principale & finale est diffinitio. Signū autē huius est quia semper Arist. de subiecto principali ergo in ultimo præterquam in libro cœli ob causam dicendam alibi de anima intellectiua subiecto principali illius libri, tractat i tertio de anima de primo motore subiecto principali phys. in octauo, de substantia separata quę est subiectum libri met. in 12. ergo de definitione ut subiecto principali tractabit in secundo & ultimo libro posteriorum.

Scita seu habita intentione, possumus continuare secūdum librū cum primo cum, Auer. in prologo huius secundi. Cum instrumentū sciendi, quod est subiectum libri huius, duas contineat principales partes, demonstrationem, scilicet, & diffinitionem, et in primo tractauerit & declarauerit quid sit demonstratio, reliquū est ei in secundo pertractare quid sit diffinitio. Si quæratur an tractet aliud de demonstratione in primo libro quam quid sit? Respondet Auer. tractari eius diffinitiones & species ipsarū & quot sint. de quibus primo posteriorum 95. & in quæsito quinto posteriorum. dicitq; tres esse demonstrationis species per se, quia causæ tot sunt simpliciter. dixit species per se quia primo posteriorum cap. 39. quędam demonstratio est particularis, demonstratio quædam est a causa remota; quæ sunt demonstrationis species, sed non per se, sed per accidens & æquiuoce dictæ.

Si autem quęratur, cum dixerimus quod Aristoteles in primo libro tractauerit de demonstratione, & assignauerit eius diffinitionem, tractat ne ibi de ea aliud? Respondet Auer. in quinto, quod tractat etiam dispositiones consequentes, idest accidentia eius propria. Sed quæritur cum demonstratio habeat duas partes, ex primo priorum & ex prologo primi posteriorum, formam, idest syllogismum

mum

mum & materiam, idest præmissas quarum conditiones tractat hic Aristoteles? Respondetur de præmissarum conditionibus, ex quibus species demonstrationum cōstituuntur. ut solet uocare Auer. præmissas ex quibus species constant, ut quinto metaph. de conditionibus autem & forma syllogismi tractauit in libro priorum. Species uero seu diffinitiones præmissarum demonstrationis ex primo post. 53. sunt quædam in quibus omnes demonstrationis species conueniunt, aliæ quibus, inter se differunt, communicant. quod sunt prædicata & subiecta propria de omni, per se, & inquantum ipsum: quoniam si non ita fuerint ex primo posteriorum 29. erit demonstratio particularis, & per accidens, si non propria sed communia erunt. Differunt uerò demonstrationis species inter se, quia præmissę demōstrationis simpliciter, ut Ari. 1. post. 11. 12. & 95. debent esse causæ propriæ primo notæ, nobis quia sensatæ, naturæ quia priores in esse, differunt hæ præmissæ demonstrationis simpliciter in quantum notæ nobis & sensatæ, a præmissis demonstrationis causæ tantum quæ licet primo notæ sint naturæ & priores in esse, insensatæ tamē & ignotæ nobis, & notificatæ demōstratione quia. differunt uerò a præmissis demōstrationis quia in quantū sunt priores in esse & notę naturę, hæ enim notæ sūt per effectus posteriores in esse, & ignotæ naturæ. Conditiones propriæ quæsito & conclusioni sunt istę, scilicet ignotum nobis, & ignotum naturę. ignotum nobis quia insensatum, ignotum naturæ quia posterius in esse. effectus enim accidens est ut plurimum secundo posteriorum 40. & 46. Sed differunt etiam demonstrationes quo ad quęsitum, primo post. 95. quæsitum enim demonstrationis, quia, ignotum est nobis, quia insensatū sed notum naturæ, quia prius in esse causa est. differt a quæsito causæ tātum, quia licet dicatur notū nobis quia sensatum, tamen, ignotum naturæ quia posterius in esse, & ideo quia præmissa differens, & conclusio differens, habet hunc finem differentem. at demonstratio simpliciter notificat esse quęsiti effectus & propter quid sit. & ideo demōstratio simpliciter seu absolute uocatur. quia absoluit omne quæsitum de effectu. Conditiones autē demonstrationis quia sunt, quia quo ad præmissas sunt effectus posteriores in esse sensato, noti nobis inquātū posteriores in esse & effectus. differt a demonstratione simpliciter in qua medium est causa prior in esse, inquantum sensatum notum nobis. differt a demonstratione causæ tantum in qua medium insensatum ignotum nobis, notum naturæ quia prius in esse; & notificat propter quid effectus, non esse effectus; quæsitum enim demonstrationis quia, notificat esse effectus, non eius propter quid. simplex autem demonstratio utrunque quęsitum absoluit. differt autem demonstratio propter quid ab illis fine, quia facit notitiā causæ tantum, non essendi. ex quibus patent differentes cōditiones præmissarum demonstrationis & omnes tam quo ad præmissas, quam quo ad conclusionem uel quo ad finem.

Notandum cum hoc, ex septimo metaph. quod ens tantum & sine hac conditione, perfectum uel primū, est ens, analogum ad substātiam & ad nouem prędicamēta accidentium, ens autem cum hac conditione, primum, uel perfectum, substantia est. pariter dicendum de demonstratione ut refert Auerro. primo posteriorum 95. contra Auicen. quòd quædam est demonstratio tantum, sine conditione, quod sit perfecta. & hæc uocatur demonstratio quia re quædā uero non est tantum demonstratio, sed habet cōditionem secum annexam quod sit perfecta & illa est demonstratio simpliciter quę per causā est. & de hac dixit primo posteriorum octauo ubi scire simpliciter diffiniuit, & distinxit ab eo qui est per accidens a primo enim tex. ad 95. docet Arist. conditiones pręmissarum simpliciter exinde ad 103. docet conditiones demonstrationis quia & causæ tantum, & ab tex. 103. ad finem libri ut declarat Auer. hic in commento tractat de euentis præmissarum demōstrationis, idest de eis quę sunt per accidens. Pro quo animaduertendum quòd considerata in arte sunt quatuor modis, aut sunt essentialia ut diffinitio, & accidentia propria, aut sunt per accidens quæ consideramus in arte, non autem per se, tertio quędam ad bonitatem et doctrinę facilitatem, non autem necessario. ideo ad 103. usque tractauit Aristoteles essentialia ut diffinitiones & accidentia propria: postea ad finem usque de euentis, idest de iis quæ sunt per accidens pertractauit ad doctrinæ bonitatem. etenim post tex. 103. ubi de figura demonstrationis affirmatiua sermone fecit, illud fuisse credendum est bonitatis doctrinæ gratia, siquidem in primo priorum de ea de necessitate tractauit. Aristoteles itaque tex. 132. quia poterat accidere in syllogismum affirmatiuum & negatiuum error per syllogismum falsigraphum, per accidens ad remouendum errorem tractat de eo tex. 133 ne quis credat principia prima naturaliter nobis aduenire, docet sensu & inductione scita uenari, a 134. ad 138. te probat statum in mediis demonstrationis ex bonitate doctrinę, non de necessitate, cum artifex hoc debeat supponere & non probare. tex. uerò 139. & 140. determinat an in prædicationibus sit status, an sit processus in infinitum. post uerò ad doctrinæ commodum demonstrat scitum & scientiam differre ab opinato & opinabili. ultimo se excusat, cur non tractet, de aliis habitibus intellectualibus, scilicet arte, prudentia, & sapientia, &c.

Sed quæres propter id quod dicitur in prologo primi priorum, cum demonstratio habeat duas partes, formam scilicet de qua pertractauit Aristoteles libro priorū, & materiam de cuius conditionibus, scilicet præmissarum fuit declaratum ab eo, primo posteriorum: cur non datur etiam tractatus qui consideret & doceat conditiones materiæ partium diffinitionis? Respondet Alpharab. ut dicit Auer. in prologo posteriorum esse tractatum in libro Porphyrii in quo conditiones traduntur generis & differentiæ quę sunt partes diffinitionum. Sed contradicit ei Auer. quia Aristot. fuisset diminutus cum nullibi de hac re tractasset fuitq; liber Porphyrii inutilis, quādo quidē prædicata considerata ibi, uel in quid prædicantur uel in quale, & sic de eis pertinet ad topicum pertractare, ut primo top. quarto. uel considerantur ut prædicata per se, & tūc de eis arguitur primo posteriorū cap. de per se, ergo inutilis est tractatio Porphyrii: non necessaria licet possit dici fuisse institutam tractationē illam ad introductionē Crysaori, cui ore loqui non poterat. Ad argumentum, uero dicendum, quod illa cuius conditiones plurimæ sunt eædem & non differunt nisi in paucis, non merentur diuersum tractatum, sed eundē, quia quod potest fieri per pauciora, frustra, fit per plura ut in natura ita in arte. Sed conditiones præmissarum & diffinitionis sunt eædem & nō differunt nisi in paucis, ergo non merentur distinctum tractatum, ergo Aristoteles tractans primo posteriorum cōditiones pęmissarum demonstrationis, simul conditiones partium diffinitionis una uice declarauit. Etenim primo poster. 63. postquam diffiniuit conditiones pęmissarum demonstrationis, subdit & similiter de diffinitione, idest eædem sunt conditiones partium diffinitionis quod probat demonstratiue, ibidem, & secundo poster. 45. Species diffinitionis sunt tres, prima demonstrationis conclusio. secunda demonstrationis principium. tertia aggregatum ex utrisque. ergo necessario omnes species diffinitionum, sunt partes demonstrationis, & conditiones partium eius, sunt conditiones partium demonstrationis. Si uelles aliquis scire, quæ sunt illa, in quibus diffinitio & demonstratio differunt? Dicendum ex primo poster. 11. & 20. quod medium demonstrationis habet notificare solum quæsitum quia, sed non quid, quo

niam ut ibi declarat, fieret petitio principii si secus esset. diffinitio uerò & partes eius habēt notificare prædicatum in quid, non tamen in esse per se. item præmissæ demonstrationis sunt semper notæ & partes eius: partes uerò diffinitionis aliquando ignotæ naturaliter. Sed dicetur si sint in his distinctę diffinitio & demonstratio, non merentur distinctū tractatū? Respondetur ex sexto metaphy. sexto, quoniam quæ pauciora & raro sunt, non curantur ab arte. Sed quæres an Aristoteles tractauerit de forma diffinitionis? Respondet Auer. in prologo, non habere formam, ideo non fecit de ea tractatum. Si uerò dicatur ex primo priorum 37. & primo de interpretatione cap. quinto, demonstratio differt a diffinitione forma, habet enim formam orationis enunciatiuæ esse uel non esse, affirmā do uel negando, diffinitio uero habet formam connexionis uniuersalis, inter actum & potentiam. genus & differentiam, septimo metaph. 42. non dicens esse uel non esse, ex primo poster. 14.79. ergo diffinitio habet formam, & merito, ex octauo enim meta. 15. diffinitio est una per se ex actu & potentia, habet ergo actum & formam. Pro solutione dicatur, quod forma diffinitionis ut cap. 19. & 28. dicitur, uno tantum modo dicitur, ut scilicet genus sit ante differentiam ne fiat nugatio. at forma demonstrationis diuersimoda est: uariat enim per multos modos, & figuras, & mistiones, ideo egemus arte per ea, quoniā ubi non potest cadere error; non egemus arte. sed in forma diffinitionis non potest cadere error, quoniam una est non uariabilis, ergo non eget tractatu nec arte. ideo Aristoteles pertractauit de forma demonstrationis quoniam erat diuersa & uariabilis, ne peccatum in ea commutatur, nec de forma diffinitionis librum distinctum composuit, cum unica sit modo semper, diffinitio, nec error in eius forma commisceri potest; cum semper genus ante differentiam debeat constitui, ne fiat nugatio.

Quæstiones æquales sunt numero iis quæcunque uerè scimus. Quærimus autem quatuor: quia, propter quid, si est, & quid est. Cùm enim hoc insit, aut hoc quærimus, in numerum ponentes: ut utrum sol deficiat, aut nō, ipsum quia quærimus. Signum autem huius: inuenientes enim quia deficit, pausamus: & si in principio sciremus quia deficeret, nō quæremus utrum. Cùm autem sciamus ipsum quia, ipsum propter quid quærimus: ut scientes quia deficit sol, & quia mouetur terra: propter quid deficit, & propter quid terra mouetur: quærimus hæc quidem sic.

Diuiditur liber iste in proœmiū & tractatū. tract. incipit ibi {principiū autē futurorū} qui diuidetur loco suo: & prologus usque ibi extenditur. est enim prologus tertio rhetor. cap. de prologo: donec præuidetur & prædicitur id quod narrandum, dicendum, declarandum, & docēdum in tractatu est. sed usque ibi Aristoteles prædicit, ergo uult docere ut patet ex uerbis eius. dicit enim {dicendum quomodo monstretur quod quid est, inquirendum quis modus demonstrationis} ergo ibi finitur prologus. Diuiditur prologus in tres partes. in prima inquirit numerum scitorum ex numero quæsitorum, & signum huius est, quoniam hoc epilogat & dicit {quæ inuenientes scimus tot sunt. in secunda parte ibi. Quærimus aut non quærimus. monstrat omnia quæsita reduci ad quęsitum quid est in tertia parte. {quomodo autem mostretur ipsum quod quid est,} scilicet quoniam omnis quęstio est diffinitione quæ est quæsitum nobilissimum. & infert suam intentionē dicens, ideo hic intendimus inuestigare quis modus, quod instrumentum erit ad ostendendum hoc quæsitum quid est, adeo nobile. Prima pars diuiditur in duas partes: in prima syllogizat numerum scitorum ex numero quęsitorum: in secunda ibi {cum enim utrum} dicit quatuor esse quæsita. Ad primū syllogizat in tertia figura in disamis ut a in diffinitione b uniuersalis affirmatiua inferendo candeintutt. Scita autem quatuor sunt hæc. si est, quid est, quia est, & propter quid est. probat hoc; quoniam quæsita sunt æqualia numero his quæ scimus; idest quot sunt quæsita, tot sūt scita, idest tot sunt scita quot fuerunt primo ignota naturaliter, quęsita. Notandum ad hoc ex primo cœli, secundo physicor. tertio, in epitomate, & in quæsito de syllogismo hypothetico scita tribus dici modis, quædam sunt principia cognita, ut hoc principium, ut omne totum est maius sua parte, & de quolibet dicitur esse uel non esse. uocantur primo nota ex tertio de anima 36. & primo post. 133. quoniam a pueritia fuerunt nota nobis, nunquam fuerunt nobis quæsita, dubia, aut ignota. sed nobis acquisita sensibus ut in hoc cap. penult. docet Aristoteles, dicuntur naturaliter nota, quoniā tertio de anima, natura intellectus est, ut primo sit notum illis, quod primo fuerit sensatum. & quoniam hę propositiones fuerunt primo sensatæ, ut Auerro. dicit ibi primo posteriorum, ideo naturaliter notæ intellectui dicuntur. & sola terminorum cognitione sunt scitæ. At quę uocantur prima quæsita, ideo dicuntur alia, quoniam ignota nec scita antequam demonstratione earum acquiratur scientia. ignotæ sunt etiā quoniam insensatæ, nec alio instrumento acquiruntur nisi sola demōstratione, ut Auer. primo priorum cap. de syllogismo hypot. Quod hoc sic uerum, patet primo priorum quoniam syllogismus est in quo sequitur conclusio, aliud a præmissis: conclusio enim est naturaliter ignota, præmissæ uerò notæ naturaliter, quare syllogismo cathegorico ignotum naturaliter uenatur. Et notandum quod primæ quæstiones non sunt notæ omnibus nec sensatæ omnibus sensibus, sed nota tantum sunt perfectis in arte, non autem artes inchoantibus. Nec primæ quæstiones sunt notæ omnibus artibus, sed in arte propria, & quoniam sunt sensatæ aliquo sensu proprio, ideo sunt naturaliter notæ, nec indigēt demōstratione. sed aliqua faciunt manifestatione cum omnibus sensibus non sint notæ, ut topicis instrumētis, ut inductione syllogismo hypothetico rhetorico, exemplo, & enthymemate. Quod autem hoc intendat Aristoteles, probatur, quandoquidem de illis scitis loquitur quæ ordinātur ad ipsum quæsitum quid, quę reducuntur ad ipsum scitum quid quod probatur textu sequenti, quoniam ad quod omnia ordinantur est quęsitū ignotum naturaliter, de quibus intelligit Aristoteles hic. Sed quæres an diuisione possimus uenari ignotum naturaliter? Ad hoc uocat Auer. dictionem petitionem quoniam synonima sunt. inductionem uocat inquisitionem quoniam secundo priorum 23. inductio procedit ab inquisitione sensata singularium ad uniuersale, & tūc respondeo errasse Platonē, ut clarius infra exponendum, fuit. n. opinatus, diuisione uenari posse ignotū naturaliter & ipsius diffinitionem. Diximus enim primo priorum quod diuisio ideo non potest ostendere ignotum naturaliter quoniam petit principium: quod monstrat Aristoteles exemplo. si enim uolo probare hominem rationalē esse, hoc diuiso modo, omne animal aut rationale, aut irrationale, sed non irrationale, igitur rationale, iste est syllogismus diuisiuus qui petit & sumit quod uult probare in conclusione, scilicet non esse irrationale. Dicit {æquales his quæcunque scimus} quæcunque est signum uniuersale additū ad textum quod ex primo de interpretatione secundo, dum additur prædicato, falsam facit enunciationem. sed hoc signum quęcunque uniuersale accipitur ab Aristoteles pro ut distribuit naturas communes in sua singularia, & isto modo dixit Aristoteles congrue addi prædicato ut ęquiualet uni particulari negatiuæ ad quā seque

te sua indefinita affirmatiua subcontraria, & isto modo non inconuenit sic dici quoniam non sumitur ly quęcunque, distributiue æqualiter particulari, at non omnibus sed aliquibus, quoniam secundo post. 94. dicit Auer. quod genus non prædicatur de specie nisi contractum ut homo est aliquod animal, & sic conuertibilis est prædicatio & per se. ita in proposito quoniam scitum est communius quæsito, ideo dixit quæsitum est æquale scito, non omni, sed alicui quod scitum ponit conclusionem notam.

Si queratur ad quam intentionem Ar. posuit numerũ quæstionum ad numerũ scitorum? Respondent Philop. & Suess. ut mostraret omnem quæstionẽ reduci ad quęstiones medii, de cuius inuentione uult tractare in hoc secundo. sed confutaui superius eorum positionẽ tanquam falsam. sed respondetur quæsito ex Auer. inquit enim ipse quod diffinitio & demonstratio sunt instrumenta diuersa, quia quęsita sunt diuersa, quęsitum enim diffinitionis est quid. reliqua tria sunt demonstrationis, ideo ex supposita diuersitate & diuerso numero quæstiorum demostrat diuersitatem diffinitionis & demonstrationis, quatuor ergo sunt quæsita inter quæ nobilissimum est quæsitum quid ad quod omnia alia reducuntur quoniam est ignotum naturaliter, ergo indiget instrumento, quo ueneretur & manifestetur cum sit ignotum, ut docet in hoc secundo libro Aristotel. numerat ergo & docet quæsita ut eligat subiectum suum, scilicet diffinitionem instrumentum nobilissimum illorum, per {æqualia existere} Auer. & Philop. intelligunt unum esse subiecto, & differre ratione. unum esse subiecto dicuntur ex quarto metaph. tertio, quæ habent unam naturam subiectam in qua simul uel existunt uel generantur uel simul corrumpuntur, ut albedo, & dulcedo, in lacte, quoniam habent subiectum in quo simul existunt, & talis unitas, quinto meta. ca. de uno est unitas per accidens, quoniam non habet diffinitionem diuersam, quoniam non sunt in primo nec in secundo modo dicendi per se cum alterũ nõ ponatur in alterius diffinitione. Si quæratur quę est ratio diuersitatis inter quæsitum & scitum cum dixeris ratione differre? Respondendum ex primo posteriorum cap. penultimo quod scientia & scitum sunt idem subiecto cum opinione & opinato, idest idem re subiecta, sed differunt ratione, idest diffinitione in quantum scientia & scitum sunt per certas causas non possibiles esse aliter, econtra autem de opinione & opinato, quoniam non per certitudinem aliquam habetur sed potest aliter esse. Hic Auer. dat exemplum aliud primo post. 14 de genere quodam præmissarum quod dicitur suppositio, quæ supponitur in una scientia ut nota, in alia est conclusio demostrata, dum est ignota ratio. ita in proposito quæsitum in quantum prius quæritur scim: dum autem ex notis aliquibus præmissis fuerit notificatum per demostrationem, sub hac ratione uocatur, conclusio, & non quæstio. Notandum quod quæsita ista quatuor ut clare legitur commento quinto possunt considerari & declarari duppliciter. uno modo ut quæsita extra animam, naturalia, prima intentione quæsita a scientiis speculatiuis. secundo modo possunt considerari ut sunt in anima, per intellectum facta, non ut naturalia. & secunda intentione quæsita a logico, idest topico, seu dialectico. exemplum dum quęro an homo sit animal rationale, est quæsitum extra animam, quoniam quæro animal rationale, quod est in singularibus hominibus extra mentem, ut primo de anima octauo, quoniam quærimus ut a natura est in hominibus, & talis est prima intentio, ex primo de anima, scilicet scire res singulares, quæ sunt a natura. quoniam primo poster. 94. tunc est scientia uera quam primo intendimus cum iuxta esse naturæ scimus. & tale quæsitũ est scientiarum speculatiuarum, sexto, metaph. primo, quoniam per hoc differt consideratio speculatiui a factiuo, factiuum enim considerat res factas ab arte. speculatiuum uero a natura. res logicæ & eius quæsita non sunt a natura ut quarto metaph. secundo, ut si quæritur an hoc quod dicitur animal rationale, sit diffinitio hominis, hoc quęsitum est in anima & est res formatæ per animam. Diximus enim in quæsito de subiecto logicæ quod diffinitio & secunda intellecta sunt facta ab anima ut sint organa ad cognoscendũ principia, & naturas rerum extra animã ideo dicuntur secundo intellecta quoniam secunda intentione quęruntur scilicet ab intellectu, ut primo topi. octauo, non enim quęro scire diffinitionem, nisi quoniam est mihi organum ad sciendum animal rationale de homine.

Sed si quęratur an quęsita sint æqualia scitis prima intentione, an secunda intentione? Respondet Auer. hic commento tertio quod Aristoteles intendit quęsita extra mẽtem in singularibus quę sunt a natura, non ab intellectu quia quęsita sunt æqualia scitis prima intentione, quæ sunt scientię speculatiuæ. & talia sunt quæsita prima quę seruiunt demonstrationi & diffinitioni solum facientibus scientias speculatiuas. quod probatur sexto ethi. cap. de scientia: quoniam scientia solum speculatiua dicitur esse de prædicatis naturalibus, quoniam de uoluntariis agibilibus est prudentia. Si dicas qualia extra mentẽ in singulis, sunt singularia de quibus non est scientia septimo metaph. 51. Ad hoc dictum fuit ex primo de anima, octauo, quod aliud est quod scitur prima intentione, & aliud est ratio subiecti qua scitur quæ sciuntur prima intentione sunt singularia non uniuersalia, quoniam non intendo scire hominem, etenim hic homo a natura est, non autẽ homo in communi, ideo dicitur quod de singularibus nõ est scientia, sub ratione singulari, unde singularia sunt scita res autem & naturæ uniuersales sunt ratio sciendi.

{Cum enim utrum hoc est} in hac secunda parte principali huius textus uult Auerro. quod postquam Aristoteles sumpsit quæsita esse quatuor, modo probet illa esse quatuor ex numero aduerbiorũ, tot enim sunt aduerbia quęrendi quot quæsita. Quod non satisfacit. contradicit enim sibi ipsi, dicit enim quod huic quæsito simplici si est satisfacit hoc aduerbium, utrũ, sicut composito, quia est an in epit. cap. primo dicit quod hoc aduerbium utrique seruit, ergo unum satisfacit duobus quæsitis, non ergo æqualia numero, ideo dicamus quod Aristoteles in hac secunda parte uult manifestum reddere id quod dixit quęsita esse quatuor simplici inductione, quoniã regulæ logicæ debent supponi & non demõstrari si non sint ignotæ naturaliter, sed medio modo ignotæ, ideo manifestat eas facili modo non intelligentibus, & topica ratione: esse enim rei secundum Themist. secundo post. 23. & quinto metaph. 14. esse scilicet simplex extra res, & esse compositum, ut prædicatum cum subiecto. & utrunque habet causam, esse simplex habet causam suam ipsum quid, idest diffinitionem, esse compositum habet causam sui ipsum propter quid. quo stante arguimus syllogismo diuisiuo a sufficienti partium enumeratione. cum quærimus prima intentione quæsitum naturale, aut est simplex aut compositum, cum aliud esse in natura non reperiatur. Si quærimus esse simplex est quæstio an est. ut si deus est, si quærimus causam huius etiam, est quæsitum quid, diffinitio, est forma secundo de anima septimo, si quærimus cõpositum ut prędicati cum subiecto, an homo sit rationalis, uocatur quæsitum quia est. si modo quęratur causa esse compositi uocatur propter quid est. & hæc concludit Aristoteles conclusa partium enumeratione. & hunc seruat ordinem in tex. primo, enumerat & exponit quęsitũ quia, in secunda parte, ubi ait {Cognoscentes autem} enumerat quæsitum quid. Si quæraretur a compositis incepit? Dicunt aliqui quod fecit inductionem singularium quæsitiorum, inter quæ non est ordo. sed hoc fatuum est dicere. Ideo dicendum ex primo phy. secundo, quoniã notius, ideo de compositis prius quoniam notiora nobis,

item quoniam quæsitum quod est ultimum & finale ad quod reducuntur omnia, ideo prius incœpit a compositis ad simplicia, quoniam ultimo intentum est quid quæsitum. si quæratur ab Aristotele quæsitum de esse cõpositi, quomodo uocetur? dicit uocari quia, dicit enim in tex. intendo per hoc nomen, quia est, utrum sit hoc, aut hoc. & addit Auer. utrum subiectum sit hoc aut hoc. aut prædicatum sit hoc &c. et ideo dicebat Them. a quo sumpsit Auer. an hoc prædicatum insit subiecto aut aliud sibi contrarium. & dixit Auer. {tale prædicatum significans tale ens} ad differentiam quæsiti simplicis, in quo non quæritur tale uel tale ens, pro ut ens in particulari, sed ens simpliciter & in uniuersali, & addit Aristoteles an sol deficit uel non, quæ sunt contradictoria quæ quæruntur per quæsitum quia. Sed contra hoc arguit Themist. in fine primi cap. dans differentiam inter modum quærendi topicũ & demonstratiuum: sumens ab Aristotele primo topic. quarto, quoniam topicus sumit problema cum contradictione, hoc modo, an homo sit animal rationale uel non, & potest concludere ambas partes ueras uel falsas dummodo conuincatur aduersarius. Demonstrator aũt sumit unam partem tantum sine contradictione, scilicet ueram, ut an homo sit rationale quomodo Auer. & Aristoteles dicunt quæsitum quia demostrare hoc aut non hoc? Pro responsione notandum, hic & in epit. logico cap. de retho. demonstratiua, pręcognitio de qua loquitur in tex. duplex est, alia agens scientiam demonstrationis, & ista est scientia & cognitio præmissarum, quæ facit scientiã de conclusione, alia est dirigens non ad scientiam, sed ad quęsitum, idest dirigit nos ut sciamus quærere demonstratiue. & uocantur istæ cognitiones quid nominis quoniam non quærimus duo contraria cum modo quæstionis, ut una pars sit uera & altera falsa. sed determinemus solum partem ueram, quam postea demonstrator solum demostrat, ideo uocantur dirigentes quoniam dirigunt ad partem ueram concludendam non ad scientiam. ex quo patet solutio, cum dicis, demonstrator quærit sine contradictione. non est uerum in principio, immo ut dicit Aristoteles hic, quærit utrum sit hoc aut non hoc, ante directionem factam per præcognitiones, & hoc modo loquitur hic Aristoteles. sed quando Them. dicit quærit demonstrator unam partem, scilicet ueram, intelligit, post directiones factas per præcognitiones, ad quæsitũ quod uolumus concludere, & non quærere. ergo dices quod demonstrator, ut topicus quęrit contraria ut primo post. 13. quoniam ut patet in post pręədicamentis cap. de oppositis, contraria sunt quorum in materia necessaria tantum una parauera reliqua falsa, & ambo sunt uniuersalia in omateria. sed topicus arguit in omni materia, & una est uniuersalis, altera particularis, sed demonstrator nunquã particularẽ capit & intelligit topicus contrarium per contradictorio, ut ibi Auerro. testatur. {in numerum ponentes} Declarat Aristoteles quæsitum quia, alia declaratione, & dicit in quo quærimus an hoc subiectum sit hoc prædicatum, idest tale ens particulare non uniuersale, ponentes in numerum, idest cum quærimus prædicatũ quæ est dispositio, et forma determinata, numerat, quoniã quęrimus de subiecto duo contraria per præcognitiones, dirigentes nos, accipiamus subiectum determinatum uno eorum numero, scilicet pręədicatum uerum & non falsum. Sed dicendum quod hæc expositio est uera, non tamẽ ad propositum, pro intelligentia ergo notandum, quod esse rerum aliud est in potentia, aliud in actu. quod est in potentia ex septimo metaphy. octauo, est materia prima: est enim potentia omnia decem pręədicamenta. esse autem in actu est duplex, septimo metaphysic. trigesimotertio & trigesimoquarto, & tertio de anima nono, in actu essentiæ & in actu existentiæ. in actu essentiæ ex locis dictis est forma solum esse existentiæ, & existentia rei uniuersale in anima est esse rei tantum, unde secundo physicorum tertio, forma est principium essendi per se rei, materia autem per accidens. & istud esse essentię ex quinto metaph. decimoquarto, est speciei solum & forma, res autem quæ existunt, sunt aliæ tertio de anima octauo, & primo cœli 95. est enim existentia formæ in materia, non formæ solum; tale autem est singulare, cum non dicat aliud nisi formam in materia, & ens per accidens secundo poster. 33. quoniam non uenit a forma solum, sed ab ipsa in materia inclusa, ideo ex secundo de anima septimo, illamet forma a qua res habet actum essentiæ, habet etiã actũ existentiæ, & dictionis: sine materia uero dat actũ unitatis & indiuisibilatis. Ad propositũ Aristoteles quærit in quæsito quia, ens aliquod particulare, nõ simpliciter in quæsito uero, si est, quærit quæsitũ simplex & uniuersale. Vltimo notãdum ex primo topicorum quarto quod prædicata omnia naturalia quæ potest ars cõsiderare, sub his quatuor continentur, scilicet genere, diffinitione, proprio, & accidente, uniuersaliter dico, quoniam topicus est artifex uniuersalis quarto metaph. quinto, & ideo docet genera prædicatorum uniuersalia omnibus. Ex quo infertis, primo, ut clare patet quarto, metaph. tertio, quod illa quatuor prædicata, dicunt & prædicant de specie subiecta naturaliter, ut dicit Auer. formam seu dispositionẽ aliam diuersam & numeratam, a forma ipsius substantia genus enim & diffinitio quando prædicatur de specie dicunt aliam formam actu diuersam, animal enim sumitur a forma sensitiua ex secundo de anima, forma uero hominis quæ est rationalitas non a forma sensitiua, ergo hoc genus animal quod est prædicatum de homine dicit formam seu dispositionẽ actu diuersam tote a forma hominis. Si arguatur contra ex septimo metaph. quarto, diffinitio est forma diffiniti, ergo diffinitio non dicit aliam formam actu diuersam. Respondemus ex primo phys. nono quod diffinitio est forma subiecti, modo differenti, quoniam in genere est forma confusa & in parte diuersa, ergo diffinitio ratione generis dicet formam diuersam, non autem ratione differentiæ, quæ est determinans res & subiecta. quod magis patet de accidenti proprio & communi, quoniam non solum dicunt dispositionem & formam diuersam, sed dicunt aliquid extra genus ipsius subiecti, cum sint diuersorum generum, & non sint partes essentiæ ipsius subiecti. Ex quibus patet quatuor prędicata iam dicta dicere de subiecto dispositionem & formam actu diuersam, & additam formę ipsius subiecti. Infertis secundo quod talia pręədicata non prædicantur de subiecto, ut entia in parte, quoniam si id confusum quod in genere latet pręədicatur, de specie, ut sit aliquod prædicatum ipsius ut particulare esset diuersum a subiecto, sed pręədicatur uniuersale, quod quidem est ens non diuersum, ideo cum prædicatur esse existentiæ & unitates de ipso subiecto, non pręədicatur forma & dispositio actu diuersa a forma. subiecti, sed illamet, quæ est forma ipsius subiecti: propterea dicebat Aristoteles quarto metaphy. tertio, cum dicimus de hoc subiecto, homo, quod est ens, quod est, existens & unum, non dicimus quid additum, sed illammet formã, quæ est hominis per conditiones illas repetitas, & probatur ex secundo de anima septimo, & secundo phys. tertio, quoniam forma est illa per quam res est per se ens, & per se unum. item hoc idem probatur deducendo ad inconueniens, si dicendo homo est ens homo est unus prædicas prædicationes repetitas & formam additam diuersam numero a forma hominis, ergo homo non erit ens per se, quod est falsum. probatur quoniam ens per se, est per formam suam, & fuit sumptum per se ens quod est unum per formam additam diuersam, ergo homo per se non erit ens nec unum per se. Si autem contra hoc arguatur, cum hæc propositio ex dictis, homo est ens, & est unus, non dicat formam diuersam ergo erit

propo-

propositio nugatoria, cum dicat idem. Soluit Auer. quoniam diuersitas modi, si non formæ tollit nugationem, quoniam facit diuersimodam prędicationē de subiecto. eadem enim forma numero, ex decimo metaph. octauo, est qua homo est ens, & est unus ut .n. indiuisibilis absq; materia est unus, ut in materia existens est ens. Concluditur ergo quod prædicata quatuor composita prædicant de subiecto dispositionem & formam diuersam numero actu a forma subiecti: quæ autem prędicant existentiā, prędicant eandem formam non diuersam numero, sed tantum modo essendi diuersam, & talis est forma subiecti sine materia, sub hoc modo existentiæ. & ideo secundo posterior. 33. declarans quæsitum, si est, expositione Auerro. dicit {quærimus an id quod est in anima, sit extra animam} idest an homo in anima sit extra animam, tertio enim de anima. 38. in anima solum forma est; extra autem est forma in materia: idest quærimus formam diuersam in modo essendi, idest, an id quod est in mente, sit extra mentem, & habeat existentiam in materia. & ideo. dicit de quæsito quia {ponentes in numerum} quoniam cum quęsito quia, quęrimus quatuor genera prædicatorum, quæ prædicant & significant formas diuersas actu numeratas, a forma subiecti: ideo quærentes quæsitum quia, ponimus in numerum, quoniam quærimus formas actu diuersas, contra id quod quęritur de quęsito si est, quod quærit rei existentiam, & non formam diuersam nisi in modo essendi, & hoc quod dictum est manifestat Aristoteles ratione exemplari de qua dixit secundo priorum cap. de exemplo, est enim ratio exemplaris syllogismus expositorius compositus ex duabus præmissis ad sensum notis & digito monstratis, notificat ergo hoc modo diffinitionem datam de quæsito quia, quoniā quærentes utrum sol deficiat aut non, quærimus utrum hoc sit aut non, idest utrum sol sit cum defectu luminis aut non, cum conditione ponimus in numerū, quoniam defectus prius dicit formam numeratam, diuerso numero a sole. cui adde; sed quęrere utrum sol deficiat, aut non, est quærere quia, quęsitum ergo quia quæritur utrum hoc sit aut hoc ponens in numerum. Si dicatur, solem deficere in lumine, idest eclipsari est ad sensum notum, & primo topicor. nono, quę sensui patent, non quęruntur, nisi ab illo cui sensus deficit, cur ergo dixit solem deficere esse quæsitum? diximus ex primo prior. quod exemplorum non quęrimus ueritatem, ut etiam primo de generatione & corruptione. 19. & licet supponere exempla falsa, dummodo manifestent quod uolumus. {Signum autem.} Non contentus Aristoteles ratione exemplari, uult etiam illud signo, idest ratione a signo demonstrare quod exponens Auer. dicit ab euidentia, quę primo posteriorum. 95 est demonstratio quia, quæ procedit ab effectu conuertibili, & notiori, ut a signo. sicut in proposito, scitū est scientiæ effectus. Dices ergo Aristot. demonstrat in logica? dixit antea quod ad demonstrationem requiritur ut medium sit notum naturaliter, & quod demonstratur sit naturaliter ignotum, sed regulæ logicæ sunt per se notę omnibus uel fere per se notæ, & ideo licet arguat ab effectu conuertibili, non tamen demonstrauit, quoniam non procedit a noto naturaliter ad ignotum. Sed dices, quomodo ergo demonstrat hic? Respondet Auer. secundo physic. 3. ab æqualiter euidentibus, idest a noto naturaliter ad aliquantulum ignotum, non ad ignotum naturaliter, id quod faciūt, ut ibi dicit, rationes topicæ, rethoricę, & poeticæ, s. inductione & exemplo. Arguit ergo Arist. hoc pacto, id quęrimus naturaliter, & desideramus quod inuenientes cessamus a motu quæstionis, ut utrū deficiat aut non {ponentes in numero,} quę autem sunt per se nota Aristoteles relinquit sensibus, & experientię, nō enim quæruntur euidentia nisi ab insanis & fatuis, & causam huius dat naturalis philosophus primo de generatione. 51 & 55. quoniam habitibus præsentibus in materia cessat motus ad illum. si ergo Arist. imitatur naturam secundo post. 94. ergo cum scientia & finis quæstionis ipsius quia est in intellectu, desideriū motus inquisitiuus debet cessare. {& si in principio sciremus:} Iterum idem manifestat, quia, si in principio sciremus, idest tantum quæstionē sciremus quia deficit sol, non quęreremus utrum deficiat aut non, ponentes in numerum. ex quo sequitur quod dum ista quærimus ipsum quæsitum quia quærimus. causam primi reddit naturalis primo phys. octauo, quoniam causa appetitus & desiderij, est potentia & priuatio rei. cum ergo scimus in potentia, tunc quęrimus, quoniam ex tertio physic. 6. motus est actus entis in potentia, si ergo sciētia uera assimilatur naturæ ut diximus, tunc mouetur anima quærendo cum non habet cognitionem rei quam uult quærere. Dubitant ad hoc, quoniam, ipsum quia est quærentes uidemur supponere sic esse, non autem quærere, quia deficit sol. Respondent Moderni quidam, quod quæstiones, alię sunt submodo quæstionis quæ sitæ pro ue sunt; aliæ sunt quæstiones & quæsita sub modo quæstionis cum conditione, ut an est, quia est, & propter quid est, sub modo quæstionis quæruntur: ipsum uero quia est, inter quæsita reponitur, sed non quæritur sub modo quęstionis, quoniam dicere quia est uidetur modus supponendi, non quærendi. Sed dicit Aristot. quia est, est quærere utrum hoc, aut hoc sit. & iste modus quæstionis est in exemplo suo, utrum deficiat sol aut non, sub contradictione. & ideo ista quæstio potest considerari dupliciter, uno modo antequam dirigamur per pręcognitione, ad detinendum unam partem contradictionis ueram & non aliam: & hoc modo hoc quæsitum quia quæritur sub modo quæstionis, ut in exemplo Aristotelis demonstratur, utrum deficiat sol aut non. secundo modo consideratur, postquam directi a præcognitionibus detinemus unam partem ueram excludendo alteram tanquam falsam, & sic non quęrimus per quia sub modo quæstionis, sed sub modo suppositionis. supponimus enim tunc uerum esse, solem deficere, & non eius contradictorium. Sed notandum ex tertio ethicor. sexto, quod aliud est supponere, & aliud est scire suppositum. Artifex enim in principio supponit finem esse, licet illum ignoret, in primo physi. primo, Aristoteles supponit finem suum scientiam perfectam esse, attamen illam non habebat aut sciebat, sed bene quærebat illam scire, a simili in demonstratione simpliciter supponimus effectum esse, tamen illum nescimus sed scire quærimus. ita etiam dicendum de quęsito quia est post directionem & detētionem factam supponimus esse quia est, quia deficit sol, sed non scimus, sed quærimus. {Cum autem scimus.} Cum declarasset Aristoteles quæsitum quia, nunc intendit aliud quæsitum compositū manifestare, quod propter quid uocatur, & ordine collocatur post quæsitum quia. cum enim ipsum quia sciuerimus, tunc quærimus propter quid, cuius nomen explicans Themistius dicit propter quid, idest, cur prædicatum inest subiecto, uel ob quam rem prædicatum inest subiecto, & hoc quærere est causam quærere propter quam prædicatum inest subiecto, & est expositio Aristotelis secundo physicorum. uigesimoseptimo, & primo posteriorum nonagesimoquinto, ergo quæstio propter quid, est quæstio causæ. {ut scientes quia.} Dixerat Aristoteles quęsitum propter quid quæri post quęsitum quia, nunc uero ordinem manifestat duplici exemplo, postquam scimus quia deficit sol, & quia mouetur terra, idest motum inesse terræ, quærimus postea statim propter quid, idest, propter quam causam insunt hæc prędicata his subiectis. {quærimus hæc quidem sic} cum notificauit duo quæsita composita, & ordinem explicuit

illorũ, modo epilogat & dicit hæc quæsita sic quærimus, modu,scilicet exposito etc. Si quæratur, quare quæsitũq; a procedit quæsitũ propter quid? Respondet quidã quia est communius, & primo physic. quarto, communiora præcedunt. Sed hoc falsum est. Ideo dicamus quod quęsitum quia est de effectibus & de accidentibus, ut plurimum, quæ quoniam magis sunt sensui nota, quæsitum uero propter quid est de causis quę sunt substantiæ non cadentes sub sensu, ignotę naturaliter ut plurimum. ergo ipsum quia est, ut plurimum non est quæsitum, sed notum naturaliter, propter quid autẽ est naturaliter ignotum et quæsitum, ergo quæsitum quia non est communius, sed notius, cum sit de his quæ cadere possunt sub sensum, uel igitur non potest quæri ipsum propter quid nisi prius quæramus quia, uel ambo simul necesse est quęri, ut in demõstratione simpliciter dicta quæ utrunq; quæsitũ absoluit, & licet quæsitum propter quid est, ultimũ sit quod quæritur, est tamen primum quod ab artifice intenditur, ut dicit Aristoteles primo phy. primo, quod finis intentus per scientiam perfectam est per causam propter quid. Si dicatur quæsitum de causa est primum quod exequitur in primo phy. dicit enim in fine primi textus quod considerata exequenda in primo sunt principia & causæ rerum naturalium. pro solutione notandum, quod aliud est scire causam propter quid, aliud est scire causam applicatam effectui ob quam est effectus. primum ergo non est scire propter quid, quoniam propter quid refertur ad effectum. ut dicit Arist. primo poster. octauo, scire est cum causam cognoscimus, & quoniam illius est causa, scilicet effectus. in lib. ergo physic. docet quid causæ non applicando effectui. sed in libris propriis, ut applicatæ sunt effectibus pertractat postquã scit quia. Diximus enim ex quæsito octauo post. & in prologo primi libri post. & decimo ethic. nono, quod fœlicitas, perfectio nostra, & finis, non est scire, quia de re, sed causam propter quam est, merito homo naturaliter desiderans scire, non contentatur scientia quæ fit quia, sed ultimum quærit quæsitum propter quid, ut finem suum.

Quadam autem alio modo quærimus: ut si est, aut non est centaurus, aut Deus: hoc autem si est, aut non simpliciter dico: sed non si albus est, aut non.

Postquam Aristot. declarauit quæsita composita, & exemplo, & ratione, utrunque monstrauit, idem nunc intendit facere, de duobus simplicibus quæsitis, scilicet si est, & quid est; numerare, scilicet, uult ea & nominare, & demum ordinẽ in eis ponere. in prima ergo parte proponit intentum, & dicit quędam alia quæsita a duobus quęsitis, quæ sunt alia & diuersa ab illis, quoniam diuerso modo quęruntur & specie distincto ab illis, unde quasi innuit rationem probantem hanc diuersitatem, nam quæ diuerso modo specie quæruntur, sunt diuersa quæsita, sed ista duo quæsita quæruntur diuerso modo specie alio, ab illis. ergo diuersa sunt hæc ab illis. Sed quæres, quis est diuersus iste quærendi modus? Respondet Auerro. in commen. quæsitum quia quærebatur sub modo compositionis, sed sequens quæsitum, quid est, quæritur sub mõ simplici, de ente simpliciter, & isti duo modo quærendi scilicet modus compositus, & simplex differunt: ergo sub diuerso modo quęruntur. Sed pro huius intellectu notandũ ex Ar. tex. quarto & sexto, ꝙ quãdo quærimus quia, quęrimus ens in parte, idest aliquod ens quod est signum particulare, & tale est ens compositum, ideo dicit ꝙ quærit per uiam compositionis, quia quærimus ens particulare compositum. sed quando quærimus si est, secundo poster. 33. quærimus existere etiam rei extra animam, quæ est ens simpliciter, idest uniuersaliter. significat enim tale prædicatum ens in communi. Alia etiam est differentia inter ista duo quęsita ut dicit Aris. tex. sexto, quoniam in quæsito si est, non quærimus prædicatũ sed subiectum. ut si est homo &c. quod est subiectũ propositionis nõ prædicatum de quo ars quærit ut alteri inexistens, quærit ergo subiectũ & substantiam subiecti quæ in anima est concepta, an sic sit extra animam. et exponens se dicit, idest aliquid eorum quæ prædicantur de subiecto uel per se uel per accidens, idest dictorum primo top. quarto, & sunt tria illa prædicata quæ sunt genus diffinitio, & proprium accidens, & propterea alterum per accidens, idest accidẽs cõmune, & hoc est quod declarat Auer. in commento, ꝙ in quęsito quia, quærimus esse connexum, idest non substantiam subiecti, sed diuersam & additam illi. ex quibus patet quomodo modo isti quærendi differant. {ut si est aut nõ cẽtaurus} In hac secunda parte simul nominat ultimum illorum quęsitorum, & exẽplo etiam manifestat. Et ex hoc sumunt moderni quæsitum si est esse duplex, affirmatiuum, & negatiuum. quoniam quærere si Deus est, est quærere affirmatiue, si non est autem, negatiue. quod artifex probat de non entibus. Sed hoc non est uerum, quoniam omne quęsitum demonstratiuum est affirmatiuum, non negatiuum, & maxime de quæsitis loquendo de quibus hoc in loco agit. Pro quo notandum ut patet commen. primo & tertio ex Auerro. intendit Arist. docere quæsita naturalia per se, non per accidens in arte, ergo ars specularia per se intendit, non per accidens. Vnde & primo cœli hæc propositio uacuũ non esse, quod est quæsitũ negatiuum non est per se, quoniam artifex de his non quærit nec per se curat aut intendit, sed per accidens, ne impediant cognitionem loci. ergo cum hic loquatur de quæsito naturali per se artis, non intendit quęsitum negatiuum de non entibus. Probatur secundo, quæsitum si est, ordinatur ad quæsitum quid est, sed ad tale ordinatur affirmatiue, scilicet essendi, & non negatiue: ergo solum loquitur de quęsito si est affirmatiuo. Item primo poster. quinto, ea quærit demonstrator ex quibus omnis demonstratio & omnis scientia habet ueritatẽ, sed explodit Aristoteles non entia quoniã falsa, & non demonstrantur, nec de ipsis est scientia. ad exemplum autem, respondetur ex primo de generatione. 19. quod exemplorum non requiritur uerificatio. Si quæres, si semper quæsitum demonstratiuum si est terminat ad affirmatiuum, cur sub forma contradictionis posuit? Respondetur sicut diximus ex Auerro. de quæsito quia est, 33. primi poster. quoniam quęsitum si est, & præcognitio quid nominis eius, dirigit nos ut eligamus partem ueram demonstrabilem ex contradictoriis, scilicet existere esse partem affirmatiuam. & ideo dicit infra tex. 33. quod cum ex præcognitione nominis in mente, cognouimus formam rei, quærimus in quæsito simplici, an sicut in mẽte ita extra mentem sint directi a præcognitione nominis, { Hoc autem si est aut non est } In hac tertia parte postquam notificauit & exemplũ dedit de quæsito si est, simul manifestat quod proposuit, scilicet esse differentem & diuerso modo quærere quam in quæsito quia, quoniã in eo modo quærendi dico, idest prędico simpliciter, idest esse simpliciter ad differentiam quæsiti, quia in quo prędico ens compositum, & particulare, quod est oppositũ ad esse uniuersale & simpliciter. { non si est album aut non } notificat exemplo tanquam notiori id quod dixit, & prædicat unum prædicatorum quod est accidens commune & formam accidentalem diuersam a forma subiecti connexam, & additam.

Cognoscentes

Cognoscentes autem quoniam est, quid est quærimus, ut quid igitur est Deus, aut quid est homo, Quæ quidem igitur quærimus, & quæ inuenientes scimus hæc & tot sunt.


Postquam Arist. diffiniuit quæsitum simplex, si est, & ordinauit, nunc ordinare & notificare quæsitum, quid est, intendit. & dicit quæsitum secundum in numero simplicium, & quartum, inter omnes esse quæsitum quid, cui adde ex primo topicorum quarto, quid, esse prædicatum conuertibile, ad differentiam generis quod non conuertitur cum suo subiecto. sed dices, cur Aristoteles dimisit hanc limitationem, quando quidem primo posterior. 36. quæsitum, quid, generis, non est demonstratiuum, quoniam est commune, & demonstratio est ex propriis, & tantum propria demonstrat primo poster. 53? Dicendum, ideo dimisisse, quoniam loquitur de quęsito demonstratiuo proprio. & dicit { Cognoscentes ipsum si est } unde uidetur notare ordinem, quod nō solum tractare intendit de quæsito quid est, post quæsitum, si est, sed etiam post eius cognitionem. & dicit, { ut quid homo, aut Deus } ex quo patet id quod supra diximus, quod nō quærit demonstrator quæsitum negatiuum sed affirmatiuum, quoniam negatiuum per accidens quandoque intendit, ut primo poster. 95. quod per se est, semper est, sed quarto physicorum, probat non esse uacuum ad remouendam falsam aliorum opinionem, ergo præter intentum & per se. { Quę quidem igitur quærimus } epilogat nunc id quod probauit, pro quo notandum quod syllogismus Aristotelis hic erat, quæsita ęqualia numero sunt scitis, sed quęsita sunt quatuor, si est, quid est, quia est, & propter quid est, & hoc probauit diuisione, exemplo, & descriptione, epilogando nunc concludit, ergo inuenta & scita quæsita sunt hæc quatuor. Quærunt hic, cur quæsitum si est, præcedit quęsitum quid est? Respondent ex primo physicor. quarto. quoniam simpliciora & uniuersaliora præcedunt: sed si est, est simplicius & uniuersalius ipso quid est, ergo si est debet præcedere. Sed contra, falsum est quod si est sit simplicius ipso quid est, nec ualet ratio qua hoc probant, quoniam de non entibus quæritur si est, de quibus non quæritur quid est. hanc enim probationem reiecimus supra, quoniam demonstrator nō quęrit non entia, nisi per accidens. Præterea si est, ordinatur ad quid est necessario, ergo de nullo quęritur, si est, de quo non quæratur quid est. Præterea, si est, compositius est ipso quid est: diffinitio enim primo topic. quarto, declarat essentiam rei, & solam formam. existentia uerò est forma in materia, septimo metaphysic. 35. & est quid compositum, ergo quæsitum si est cum quærat existentiam extra animam, quærit compositum: quid, autem cū quærat diffinitionem, quærit simplicem formam sine materia. Et ideo dicendum ex primo metaphys. 18. & primo posterior. primo, & sexto topic. quarto, quod omnis doctrina, tam demonstratiua, quam diffinitiua fit ex præcognitione dirigente ad quæsitum, si est subiecti, & quid nominis, ex quo dare causas, si est, subiecti diffiniti, est præcognitio diffinitionis & quæsiti quid, & præcognitio præcedit necessario. ergo cognoscere quæsitum, si est, necessario debemus ante quæsitum quid, quoniam est eius pręcognitio. Secunda causa; est quoniam forma, quę est diffinitio, septimo metaphys. 35. est quid uniuersale in anima, nam tertio de anima. 38. essentia carnis, est essentia rei, quæ est forma uniuersalis sine materia, forma autem existens in materia & singulare compositum. & ex tertio de anima. 30. intellectus non cognoscit nisi quod prius fuit sensatum. sensatum enim sua natura est notum intellectui. ideo quæsitum si est præcedit quid, quoniam si est, quærit existentiam in materia, & sensatum magis, sed illa quęsita intendit Aristoteles & eo ordine quo fuerunt ordinata apud naturam. sed primo de anima capit. quarto, Themistius & duodecimo metaph. quarto Auer. uniuersale a quo habet esse quid est, capit esse a singularibus a quibus intellectus agens elicit uniuersale, ideo forma uniuersalis habet esse posterius ipsa existentia. Quo stante ista quæsita sunt ordinata in arte, ita, ut se habent apud naturam: ergo primo ordine debemus quærere existentiam, deinde formam uniuersalem apud intellectum. Si dicatur. naturam considerat naturalis & eam non probat esse, secundo physicor. tertio. Respondet Auer. commento tertio, & dicit quærimus scire quæsitum si est quā do est insensatum et ignotum naturaliter, ad exclusionem esse rerum per se notatum. Sed quod inquirit artifex secundo physi. tertio, scilicet esse natura, est per se notum. Si dicatur. cur Auer. in commento uocat quęsitum, quid, incomplexum? Respondetur, quoniam primo poet. cap. de locutione, oratio est duplex, complexa et incomplexa. complexa est cum uerbo, nam primo de interpretat. cap. quarto, non affirmat nec negat oratio absque uerbo. dicitur ergo incomplexa et sine uerbo incomplexa oratio et diffinitio quæ ex genere et differentia constat. est enim composita octauo metaphy. decimoquinto, compositione essentiali ex actu, idest differentia, & ex potentia idest genere: et ideo uocauit quæsitum, quid, incomplexum, ne aliquis credat ipsum esse compositum compositione uerbali, & non esse numerandum inter quæsita simplicia. { Quæ quidem igitur quærimus et quæ cum inuenimus scimus } limitatur hoc dictum ab Auerro. pro quo notandum ex secundo post. 94. quod uera scientia dicitur, cum est iuxta naturam humanam, et desiderata humano desiderio. Ideo dicit Auer. cū inuenimus, scimus scientia, scilicet uera, quando cognoscimus res ipsas iuxta naturas earum, in scibili quidam quærunt auctoritates poetarum quæ sunt opinabilia, quęrunt ergo scire non uera scientia nec iuxta modum naturalem. Et subdit { hæc et tot sunt. } idest tot sunt numero quæsita et scita. At cum primo topic. sexto, idem et plura dicatur, numero, specie, et genere, quo istorum modorum intendit Aristoteles cum dixit tot esse scita quot sunt quæsita? Respondet Auer. intendere tot species scitorum et quæsitorum. Vos uero limitate ipsum de specie subalterna, quę potest diuidi in alias species, secundum species demonstrationis, nā ipsum si est, demonstratur demonstratione quia, et demō stratione simpliciter. propter quid demonstratione causæ tantū et simpliciter. et quid habet species quatuor diuersas definitionis, aliter enim definit naturalis, aliter mathematicus, intelligit ergo species subalternas quæ possunt diuidi in alias species. Sed quæres quid intelligit Aristot. per inuenientes? Pro hoc notandum est ex primo poster. 133. & tertio de anima. 36. quod ex scitis & notis nobis quædam sunt a natura, seu naturaliter, quoniam sunt acquisita a nobis ordine naturali intellectus, non per artem, & hoc modo, ex tertio de anima tertio, intellectus solum intendit sensatum, quoniam quæ per se, & sua natura sunt nota sensui, sunt etiam nota intellectui sua natura. quoniam hunc ordinem ponunt naturalem, ut intellectus capiat intellectionem suam a sensatis, ex tertio anima. 38. sed quæ sunt scita per artem, quoniam ars docet nos præcognitiones ex primo posteriorum secundo, quæ dirigunt nos ad quærendam scientiam, ideo hæc cognitio dicitur inuentiua, quoniam ars docet nos ipsam inuenire. & hoc est contra expositores primi posteriorum, ubi Aristoteles soluit Cauillum Menonis, uolunt enim ibi agere Aristotelem de notitia inuentiua. sed istæ cognitiones sunt nobis datę naturales secundum naturę ordinem intellectui cognitæ, quoniam sine arte aliqua noscuntur.

Quæ autem sciuntur per artem quatenus docet inuenire præcognitiones primo poster. secundo, quæ dirigunt nos ad quæstiones & ad quærendas scientias & præmissas earum, ut primo posterior. 11. & docet cognitiones præmissarum quibus acquiritur scientia, ista dicuntur sciri doctrina inuentiua, non naturaliter acquisita. ex quo patet scita quæ sunt æqualia quæsitis, esse hæc quatuor. fuerunt scita per inuentionem, & docta per artem, ad differentiam scitorum naturaliter quæ sunt sine artis inuentione. Ex dictis ergo poterimus elicere differentiam inter quæsitum, scitum, & inuentum, quoniam idē sunt, sed ratione differunt, sed notandum ex primo physic. 81 quod priuatio & potentia est causa, appetitus. ut quæramus scire oportet nos esse scientia priuatos. & ut ipsam tunc actu quærimus dicimur quærentes. scientes autem dum scientiam actu habemus. uocamur uero inuenientes prout id quod cognoscere appetebamus potentia, actu cognoscimus per artem, per præcognitiones dirigentes & agentes, non per ordinem naturalem. Intellectus dum scit prima principia, habet quæsitum in potentia, & habet scientiam & scitum in actu. Sed contra hoc arguunt ex duodecimo met. 17. & 18. omne quod fit fit a simili in actu in specie, tam in natura, quam in arte. si ergo scitum in actu de potentia reducitur ad actum, ergo necessario ex aliquo priori in actu, ergo semper actus scientiæ est ante quæsitum quod est scientia in potentia. Sed respondet Aristoteles nono metaphys. duodecimo & tertiodecimo, quod potentia est prior actu respectu eiusdem numero, idest respectu Socratis, sic est uerum quod quæsitum sit prius scito in actu in Socrate respectu eiusdem numero. sed in specie falsum est quod potentia sit prior actu nam secundum speciem per rationem dictam supra semper actus præcedit potentiam. omne enim quod deducitur de potentia ad actum, efficitur ab aliquo in actu eiusdem speciei, scientia enim in actu efficitur in Socrate a scientia in actu existēte in doctore, uel a scientia in actu existente in ipso quæ est cognitio agens & dirigens præmissarum, ergo scita sunt æqualia quęsitis respectu eiusdem numero. Arguunt aliqui contra hoc, quadratura circuli fuit quæsita, sed nunquam fuit inuenta, aut scita: ergo aliquod quæsitum non erit scitum. Respondent ex primo topicorum sexto, æquale & idem tribus modis dici uidelicet genere, specie, & numero. Cum ergo dixit Aristo. quæsita esse ęqualia scitis, intellexit, specie ęqualia: species enim quæsitorum sunt æquales speciebus scitorum: non intelligit, numero ęqualia esse. Argumentum ergo probat de ęqualitate numerali non specifica. & ita recte memini sic Auerro. exposuit, tot quęsita quot scita, idest tot species scitorum uere. nullum ergo est quæsitum quod non sit scitum, uel scibile a nobis. tertio enim de anima fœlicitas, & finis noster perfectus habetur per scientias speculatiuas omnes perfecte & complete scitas, quod si aliquod quęsitum fuerit non scibile in arte, finis noster non erit perfecte acquisibilis, primo de anima octauo. & Themistius cap. quarto. uniuersalia non habēt esse nec esse uerum, apud intellectum nisi per singularia. unde Aristoteles in prædicam. cap. de substantia dicebat, quod destructis primis substantiis, reliqua corrūpuntur. extra animam enim uero tantum species est uera, in quantum in singularibus suis existit. si ergo aliquid singularium est quod non erit scibile in specie, ergo non erit uerum, quod species quæsiti sint æquales speciebus scitis. probatur, genera & species & uniuersalia se habent ut totum & omne ad sua singularia, & inquantum sunt totum & oē, in tantum sunt prædicata. cum enim ex secundo prior. 26. totum & omne destruatur particulari contradictoria sibi opposita, destruo enim istam, omnis homo currit per hanc aliquis homo non currit, quæ est sua contradictoria, & cum hæc sit uera, ergo altera pars erit falsa. Ex quo patet ratio si per te aliquod quæsitum non erit scitum, ergo & sua contradictoria erit falsa. scilicet, quod species quæsiti sint æqualis scitis. Pro solutione sciendum tertio ethicor. sexto. ars & natura nunquam quærit uel desiderat nisi quod potest acquirere actu: quoniam si quærit impossibile non erit quæstio, nec naturæ, nec artis, sed est absq; naturæ ordine. secundo notandum ex Auerro. quod hic loquimur de quæsitis quæ sunt iuxta ordinem naturæ & quæ ordine naturali cupimus scire. quoniam tunc est scientia uera, cum est secundum naturæ ordinem, secundo post. 94. Quo stante soluitur ratio contraria limitando propositionem Aristotelis: quæsita naturalia, idest iuxta ordinem naturę, uel desiderio, artis imitantis naturam erunt æqualia non genere, sed specie cum scitis. ita. dicans argumentum esse uanum, quoniam si est impossibile sciri, non erit quæsitum, nec naturale, nec artis imitantis naturam quod non quęrimus. Dubitatur hic, dictum fuit quæsita si est, & quia est. esse demonstratione acquisibilia & naturaliter ignota. si naturaliter ignota ergo insensata. sed oppositum est uerū, quoniam uidemus esse rei simplex quod est, quia est, & oppositum quoque sensu cognoscimus & est notum naturaliter. & non ignotum & demonstratione acquisitum. probatur, quoniam cœlum existere, & terram esse. sensu cognoscimus & est naturaliter notum nobis, ita & quoniā eclypsis inest Soli. & etiam lunæ, sensu uisua cognoscimus, & non demonstratione cum sit notum naturaliter. Dicunt ad hoc quod hæc quęsita quando insensata sunt, & ignota naturaliter, tunc syllogismo hypothetico cognoscuntur, & de hoc quæsito loquitur Arist. primo post. cap. 41. dicens, quod scientia non fit per sensum, quoniam tertio de anima, 9. & 18. sensus cognoscit singularia de quibus non est scientia. septimo metaphysic. 41. & 51. uniuersalia enim de quibus est scientia solum in intellectu sunt. nullum ergo quęsitum sciri potest per sensum, licet sit notum naturaliter. Sed soluit argumentum Aristo. in fine cap. ibi quomodo quæsitum si est, & quia est, si est notum sensui, intellectu cognoscantur. & dicit, ꝙ sensus cognoscit tantū singularia. ex quibus inductione & actione intellectus cognoscuntur uniuersalia, quod enim sentitur sensu est singulare, quod cognoscitur intellectu est uniuersale. Ad argumentum ergo patet solutio, Aris. posuit inter quæsita ignota naturaliter, si est, & quia est cum sunt insensata & ignota naturaliter. cum autem sunt sensata & nota, non sunt quæsita. Arguunt iterum ex quarto phy. 31. diffinitio est illa quæ dat omnē causam idest omnia quatuor genera causarum. ex omnibus ergo causis est diffinitio: quæ est quæsitum quid. quæsitum ergo quid non est unum, sed est quatuor iuxta quatuor genera causarum. Respondent cum Simplicio. licet enim sint quatuor species causarum, tamen omnia reducuntur ad quæsitum quid, tanquam ad unum genus. Sed hi errant, secundo enim physicor. 27. & 40. de quatuor causis quærere est quæsitum propter quid, non quid. Item est error maximus dicere diffinitionem constare ex quatuor causis, probatur, ex septimo metaphysic. 34. 35. 39. & 40. diffinitio solam formam dicit, partes enim diffinitionis sunt partes formæ, nec materia, nec agens, nec finis sunt. Causam reddit huius Aristo. primo topic. 4. & 34. diffinitio dicit quid & proprium esse rei, sed sola forma est causa essendi rei & prædicatur in quid de re. ideo dicit Aristot. secundo physicor. duodecimo, quod sola forma dat nomen & definitionem rebus naturalibus non materia. agens, & finis. & in hoc libro cap. de causis, probat Arist. solam formam esse causam conuertibilem cum esse rei, & prædicari in quid, non alias causas. septimo enim metaphy. 23. 34. & 45. materia non prædicatur per se nec in quid, nisi denominatiue, & sic de aliis: nulla ergo causa alia poterit ingredi rei diffinitionem. & ideo di-

xit

xit Auer. primo poster. 35. quod nulla causa preter formam potest ingredi demonstrationem, quæ est medium in ea. sin finis ingreditur, est quoniam suo nostori nomine & significatione denotat formam, non autem ut finis. agēs raro ingreditur nisi cum est connexum essentialiter ut secundo poster. 37. non autem ut quidditas, sed ut causa diffinitionis & quidditatis, materia autem non ingreditur diffinitionem rerum naturalium nisi per accidens, & ut subiectum existentiæ. & quidditatis. falsum ergo est, diffinitionem ex aliis causis constare, præter quàm ex sola forma. Aristoteles ergo uult dare ibi tres conditiones proprias diffinitionū uerarum. prima est, ut faciat cognoscere totam rei essentiam, quæ mutatur per generationē primo de generatione. 23. & 24. quoniam forma quæ est principium proprium totius esse, per generationem acquiritur. docet enim formam quæ est totum esse rei. Itē cum scitur perfecte per formam esse rei, illud esse erit causa propria omnium eorum quæ non insunt rei, & eorum quæ insunt propriè, quoniam ex secundo physicor. quinto, accidentia quæ insunt propriè rebus, insequuntur formam tanquam causam propriam ut insint & causa eorum quæ non insunt, non essendi in re ipsa. Quo stante duas habet conditiones alias diffinitio uera, ut soluat omnia opposita, idest debet reddere causam omnium eorum, quæ sunt opposita rei; si nono sunt, quod non insint & econtra. Ex quo patet Aristotelem non dicere diffinitionem largiri omnes causas, idest omnia genera causarū. sed declarare formam quæ dicit totum esse & quidditatem rei, & dat causam entium & non entium in ea, idest eorum quæ insunt & quæ non insunt.


FINIS.



H I E R O N Y M I

BALDVINI VIRI DOCTISSIMI quæsita logica uaria iuxta librorum logicæ ordinem collecta.

Quæsitum primum, an logica sit scientia uel ars.



NTENTIO nostra in hoc Questio, est meliori modo quo possumus perscrutari, an logica sit sciētia & ars, & quoniam per ipsam logicam quatuor intelligi solēt apud peripatheticos, uel habitus quo docemur facere instrumentum, uel habitus quo tradito postea utimur in conficiendis instrumentis in artibus, aut instrumentum factū per illos duos habitus, sicuti est demonstratio ipsa, & demum intelligi potest habitus acquisitus per ipsum instrumentum. in hoc quæsito non capimus logicam pro ipso instrumēto, quoniam clarum est omnibus, quòd instrumētum faciens habitum non est habitus. Nec etiam intelligimus habitum acquisitum per instrumentum, nam in hoc omnes conueniunt, habitum.s.acquisitum per demōstrationem ex propriis esse scientiam, & acquisitum instrumento topic. ex probabilibus, esse opinionem, & ex probabilibus apparētibus, esse apparentem sapientiam, ac sophisticam, & ex similibus esse persuasionē, & demum poetico instrumento acquisitum simulatam esse notitiam, non igitur per logicam intelligere possumus habitum acquisitum per instrumētum. & assignatur ratio, quia nullus istorum quinque habituum enumeratorum est logica. & probatur sic habitus facti per instrumenta tradita in logica non sūt logica, sed isti quinq; habitus sunt facti per instrumēta tradita in logica, ergo non erunt logica, & sic nos per logicā non possumus intelligere habitū acquisitū per instrumentum traditum in logica. Neq; etiam pro ipso instrumēto. Superest igitur ut intelligatur hoc quæsitum de logica primo & secundo modo sumpta. scilicet pro logica quæ est habitus docens facere instrumēta quinque supradicta, & pro habitu quo utimur in scientiis & artibus ad faciē da hæc instrumēta, & sic sensus quæsiti nostri talis est, an logica pro habitu docente, & pro habitu quo utimur, sit scientia & ars, uel non. Et ut clarissime huiusce quæsiti ueritatis determinatio iuxta Arist. & Auer. mentem percipiatur, eundē quoq; obseruabimus modum sicut & in cæteris. Primo aliorum positiones & argumenta narrabūtur. Secundo uera ac propria iuxta Arist. & Auer. placita opinio dicetur, ac fundamenta quibus innituntur exarabūtur Tertio demum & ultimo soluentur omnes rationes aduersariorum.

PRIMVM CAPVT, IN QVO ADVERSARIORUM NARRANTUR OPINIONES & ARGUMENTA.

Opinio Ioan. Scoti doct. subtil.



COTVS subtiliss. doct. cui omnes sete astipulātur antequam determinate respondeat ad præsens quæsitum dicit logicam capi duobus modis. uno modo quatenus docet proprias & necessarias conclusiones per propria & necessario principia. alio uero modo ut ea utimur applicando ad illa in quibus est usus, & habita hac distinctione respondet Scotus per duas cōclusiones. Primam eius conclusio talis est, logica docens est scientia. Secunda conclusio, logica utens non est scientia. Primam conclusionē duabus dumtaxat rationibus uerā esse molitur. ac primam ratio hæc est, illa doctrina meritò censenda est scientia, in qua habentur omnia requisita ad scientiam, sed in logica habentur omnia requisita ad scientiam, ergo logica est scientia. maior est nota, & minor probatur, per ea quæ necessario requiruntur ad scientiam & hæc, tria sunt subiectum passio demonstranda de subiecto, & definitio per quā demōstratur passionem inhærere ipsi subiecto, at hæc tria habentur in logica, & probatur sigillatim unūquodq;, primo habet subiectum, scilicet, syllogismum, secundo est definitio subiecti tradita ab Arist. primo priorum cap. primo, & tertio sunt passiones ipsius syllogismi, quæ sunt tres, una est, quod fiat ex tribus terminis, alia, quod ordinetur in modo & in figura, & tertia quod habeat necessitatem illationis. s. q̄ conclusio sequatur necessario ex præmissis uel inferatur ab eis. Ex quibus omnibus sic formatur ratio, omnis oratio in qua quibusdā positis & concessis, per ea quæ posita sunt & concessa necessum est aliud euenire, habet tres terminos uel ordinatur in modo & in figura: sed syllogismus est oratio in qua quibusdem positis & concessis &c. Ergo syllogismus habet tres terminos, Et sic concludit Scotus in hac ratione, quod cum in logica

logica fiant demonſtrationes ergo erit ſcientia. probatur, quoniam ſcientia eſt effectus demonſtrationis, ſicut iam clarum eſt.

Secunda ratio Scoti. logicus eſt ſciens, ergo logica eſt ſciẽtia, antecedens dicit Scotus quod eſt propoſitio per ſe, & conſequentiam probat ipſe hoc modo, quoniam a concretis ad abſtracta ualet conſequentia quando eſt prædicatiuũ per ſe. His duabus rationibus probat Scotus primam eius concluſionem eſſe ueram, quod, ſcilicet logica docens eſt ſcientia.

Secunda concluſio eſt, quod logica utens non eſt ſcientia, hac, ſcilicet, ratione, quia ſcientia procedit ex propriis, logica utens procedit ex communibus, ergo non eſt ſcientia, maior eſt nota, & minorem ipſe probat authoritate Ariſto. qui adducit rationes logicas quam plurimas in ſcientia naturali, quæ procedunt ex medio communi, & non faciunt ſcire proprie loquendo, ut patet primo phyſ. tex. commen. octauo quarto phyſ. tex. comme. 87. ſexto phyſ. tex. commen. primo, octauo phyſ. 70. 76. & primo cœli tex. comm. 70. & ſic concludit Scotus logicam utentem non eſſe ſcientiam.

Perſuaſiones quorundam recentiorum quod Logica ſit ſcientia.

Quidam ex recentioribus Scotum ſequuntur, & nouis quibuſdam rationibus logicam ſcientiam eſſe contendunt, quare & horum rationes uideamus.

Primo ſic arguunt, ex modo arguendi Ariſt. qui in ſecundo phyſ. tex. com 14. probauit generationem eſſe naturam, quia eſt uia ad naturam, a ſimili dicitur, logica eſt ſcientia, quia eſt uia ad ſcientiã. & ſi modus arguendi Ar. eſt bonus, & iſte quoque.

Secundo, dixit Auer. in tertio cœli, com. quarto quod ſcientia eſt ſubiectum logicæ, ergo tota logica ſcientia eſt. & probatur conſequentia ex Ariſt. in 11. met. cap. ſexto, ubi dicit, quod unaquæq; ars uel ſciẽtia dicitur melior & deterior ſecundum ſuum proprium ſcibile, & primo poſt. tex. com. 179. & primo de anima tex. com. primi, & alibi, ergo cum ſubiectum logices ſit ipſa ſcientia, tunc ipſa logica dicitur ſaltem ars de ſcientia, & hoc erit etiam in tentum noſtrum.

Tertio arguunt etiam ex authoritate Auerro. qui dixit quòd liber Porph. eſt iſagogicus ad logicam, quæ eſt ſcientia rationalis.

Quarto, artes mechanicæ utuntur nomine ſcientiæ, ergo multo magis ipſa logica, quæ non eſt mechanica. hæc ſunt ualidiora media quibus probatur a recentioribus logicam eſſe ſcientiam.

Secundum caput, in quo ponitur uera & propria opinio Ariſtotel. & Auerro. doctrinam, quod Logica non poſſit eſſe, neque ſcientia, neque ars, contra omnes fere Logicos.

Cæterum uera ac peripathetica opinio talis eſt de ipſa logica, quòd neque ſcientia ſit, neque ars, ſed ſcientiarum ac artium organum, ſeu ut rectius loquar facultas organorum deſeruientium artibus & ſcientiis omnibus. Et hoc eſt animaduerſione dignum, quandoquidem multi ex peripatheticorum claſſe perſuadent ſibi hoc eſſe uerum, quod licet logica non ſit ſcientia & ars, quod tamen ſit uere inſtrumentum ſeu organum ad artes & ſcientias omnes: mihi uero hoc falſum eſſe uidetur, exemplo naturalis philoſophiæ in qua docentur res naturales ut dixit Auer. in prologo, & tamen ipſa philoſophia non nuncupatur res naturalis, ſic in propoſito, cum in logica doceantur inſtrumenta, ut dixit Auer. in prologo lib. poſter. in epit. logic. in principio, & in primo poſt. comm. 17. non debet uere nuncupari inſtrumentum ſeu organum (ſicut omnes & phyſic. & logici noſtri temporis credunt ſe bene dicere ad aures Ariſt. & Auer.) ſed appropriate & uere debet dici facultas inſtrumentorum, ſeu facultas rerũ quarum finis eſt, ut ſint inſtrumenta & hoc patet ad ſenſum, quoniam inſtrumentum per quod ſcimus accidens eſſentiale, eſt demonſtratio, & inſtrumentum quo ſcimus eſſentiam & ſubſtantiam rei, eſt definitio, & tamẽ logica non eſt neque demonſtratio, neque definitio. Qui ergo uerum eſſe poterit quod logica ipſa formaliter & uere ſit inſtrumentum, ut communiter credunt, niſi dicatur hoc modo quod logicæ finis ſit tradere inſtrumentum? Sed quia non exquiſite ac clarè intelligi poteſt, quomodo logica ipſa non ſit uere ſcientia, & uere ars, niſi prius fundamenta quibus innititur talis noſtra poſitio, intelligantur, propterea nunc in medium afferemus rationes, quibus nos mouemur.

Primum fundamentum ac præſuppoſitum maximopere neceſſarium huic quæſito hoc eſt, quod logica eſt duplex naturalis & artificialis ut patet primo elench. capit. octauo ubi dicit Ariſto. quod idiotæ ſyllogizant ſine arte, ſed naturaliter. Auer. inſuper huius diuiſionis meminit primo priorum quinto, ſexto, octauo, & 12. capitibus Sed tu dices quæ eſt logica naturalis? Reſpondetur quod eſt illa quã habemus ab intrinſeco, & hoc eſt quod dixit Ariſto. ſecundo ethic. primò, quod omnium artificialium quæ operamur, habemus quandam potentiam nobis inſitam, quæ ſane potentia naturalis dicitur: ſyllogizare ergo logica naturali non eſt aliud, niſi per illam potentiam innatam ſyllogizare, quæ a natura nobis inſita eſt. & ſciẽdum quòd declaratio hæc de logica naturali, præſupponit illud quod dixit Ariſto. ſecundo phyſi. tex. comment. tertio quòd natura eſt principium intrinſecum quo operamur. Logica uerò artificialis & ſyllogizare artificialiter eſt ſyllogizare neceſſario, cum recta ratione, ſine errore, per principium extrinſecum, & hoc patet eſſe uerum præſupponendo quod ars eſt principium extrinſecum, ut dixit Ariſtot. ſecundo phyſ. tex. commen. primi, quæ operatur ex fine præcognito ut patet tertio ethic. cap. ſexto, ex quo fine omnia eligit neceſſaria ad illum finẽ, & ſine errore, & cum recta ratione ex ſexto ethic. quinto, & hũc dicendi modum non aduerterunt priſci & recentiores logici. Ex quarum declaratione ſequitur logicam ipſam naturalem & artificialem inſignibus interſtitiis inuicem differre. Primo quidem differunt, quoniam ſyllogizantes per logicam naturalem ſyllogizant tantum per principium intrinſecum, & potentiam naturalem. ſyllogizantes uero logica artificiali media, cum principium extrinſeco ſyllogizant.

Secundo differunt, quoniam per logicam naturalem non poſſumus certe, & ſine errore ſyllogizare, quoniam non ex præcognitione finis. at per logicam artificialem hoc haudquaquam erit, quoniam cum cognitione finis, ſyllogizamus. ex quo omnia profecto neceſſaria eliguntur. Tertio differunt quoniam ſyllogizans naturaliter, ſi errat, minime poterit ſe ipſum ab errore corrigerè. ſecus autem eſt de ſyllogizante artificialiter, qui ex cognitione artis & regulæ, quum errat quamprimum poterit ſe ipſum corrigere.

Sed hoc loco dubitabit Iunior, an Logica Ariſt. ſit naturalis tantum, an tantum artificialis, an compoſita?

Reſpondetur, quod logica Ariſt. non eſt tantum naturalis, neque tantum artificialis, ſed neceſſario eſt compoſita ex naturali & artificiali. ratio eſt, quia non poteſt eſſe artificiale ſine naturali, ut colligitur ab Ariſto. in ſecundo ethic. cap. primo, ubi dicit, quod non poſſumus aliquid agere artificialiter, niſi habeamus potentiam naturalem, ergo logica ipſa artificialis, ad hoc, ut ſit completa, ne-

cessario requiritur, ut exordium sumat a naturali, & sequatur naturam ipsam, nam dixit Auer. primo cæli com. secundo, quòd leges artis tunc bonæ sunt, quando imitantur naturam. hoc etiam dixit Auerro. secundo, post. com. 94. quod tunc artes, & scientiæ, sunt ueræ, quando sequũtur modum naturæ: hoc insuper fundamẽtum assumpsit Auer. aduersus Galenum, quòd non detur quarta figura, quia non insequitur modum naturæ. quare necessum est dicere, quod logica Arist. composita est ex naturali, & artificiali initiata sane a natura, completa postea per artem, & regulas facientes habitum certum non facientes nos errare. ex quibus sequitur quòd logica Arist. esset imperfecta si sine naturali existeret. & sic necessariò logica artificialis ad sui perfectionem, naturalem logicam expostulasse uidetur. præterea dicitur quòd logica naturalis imperfecta est sine artificiali, ueluti retulit Arist. in 2. ethic. cap. primo, quòd operationes quarum nos habemus quandam potentiam intrinsecam perficiuntur ab arte ergo logica naturalis erit imperfecta nisi perficiatur ab artificiali ex quibus omnibus inferimus quod nos nõ loquimur hic de logica naturali, sed de logica composita ex naturali & artificiali. Secundum fundamentum seu præsuppositum a primo emanans, hoc est. quod logica artificialis, in duas secatur partes, in doctrinam seu cognitionem, & in exercitium seu usum talis cognitionis & doctrinæ: & hæc distinctio colligitur ab Arist. in primo topic. cap. 2. & clarius ab Auer. in paraph. quod logica completur duabus rebus cognitione, & usu rerum cognitarum. colligitur etiam hæc distinctio ex iis quæ dixit Arist. primo top. 9 quando dicit, quòd logicalia quę cognoscuntur & docẽtur in logica, sunt ut eis utamur ad auxiliandum aliis artibus & scientiis. Et sciendum quod illa pars logices quæ dicitur cognitiua seu doctrinalis, Auerr. uocatur modus sciendi, ut patet 2. metaph. 15. 7. metaph. comm. 2. primo phys. com. 35. 8. phys. comm. 70. & primo ethic. cap. 3. & non ab re talis logica docens dicitur modus sciendi, quia cognitio tradita in logica, est tanquam regula, instrumentum. & modus sciendi, dirigens, & ordinans omnes operationes artium & scientiarum. Illa uero pars logices, quæ communiter dicitur a latinis utens, ab Auer. nuncupatur logica usitata in primo phys. comm. 25. & 7. metaph. comm. 3. Et rectius dici debet usitata in passiua uoce, quàm utens actiue. quoniam ipsa logica non utitur aliquo instrumento propter quod utens dicatur. Sed tu dices, potest dici utens quia utitur propriis instrumentis. Respondetur quod erroneum est hoc dicere, quem errorem communiter omnes fere latini insequuntur, nõ enim logica utitur suis instrumentis, sed tantum ea docet, et declaratur hoc esse uerum quibusdam similitudinibus, & prima similitudo talis est, sicut scientia moralis tantũ docet regulas, & non utitur illis, quoniam ciues utuntur eis, ueluti dixit Arist. in 2. & 5. capit. ita ipsa logica tantum docet instrumenta, & non utitur eis, sed scientiæ & artes utuntur talibus instrumentis, ut dixit Arist. primo topi. 9 & Auer. etiam in primo post. in prologo, & in epit. logic. & in primo post. commen. 17. hoc idem explicauit quando dixit, quod in logica docentur instrumenta, quibus artes, & scientię utuntur, quasi dicat quod logica tantum docet instrumenta & non utitur eis. Secunda similitudo etiam colligitur ex 2. ethic. cap. 2. & 4. ubi dicit Aristo. quod moralis docet regulas, & non, ut ciues eas tantum sciant, sed ut eis scitis dirigantur, operenturq; per eas: & probat ibidem Arist. quia scire illas regulas nulla utilitas est ciuibus, sed operari per illas scitas hoc est utile. & manifestatur exemplo, medicus docet infirmum regulas. non ut sciat eas tantum, quia nulla prorsus inde utilitas ei aduenit, sed ut ex eis scitis operari possit ad sanitatem adipiscendam. ita dicendum in proposito nostro de ipsa logica, ex Aristo. primo topic. 9. quod logica docet regulas & instrumenta non ob scire tantum, sed ut illis scitis & cognitis possint operari artes, & scientiæ omnes: nam si artes & scientiæ solum scirent instrumenta eis subministrata a logica & nõ uterẽtur eis, assimilarentur infirmis, qui sciunt regulas sanitatis, & non eis utuntur: ex quibus similitudinibus clarissime patet, quod logica tantum docet regulas, canones, conditiones, & instrumenta singula uenandi scientiam, sed non utitur eis. & sic patet, logicam nullo modo esse scientiam, dico tam docentem quam utentem seu usitatam: & ratio est, quia non utitur instrumentis suis, scilicet demonstratione & definitione quæ uere faciunt scire, ut dixit Auer. in prologo primi post. sed tantum ea docet: & ideo Scotus, & alii secum, errarunt dicendo logicam docentem esse scientiam, quia crediderunt quod logica nedum doceat instrumenta sciendi, sed eis etiam utatur, quod falsum esse asseueramus. Amplius dubitabis, si logica non potest uti suis instrumentis, sed tãtũ aliæ artes & scientiæ, quot modis artes ipsæ & scientiæ utuntur ipsa logica? Respondet Auer. in primo phys. commen. 35. 7. metaph. 28. phys. 70. 2. metaphysi. 15. & in epith. metaph. tract. 2. in principio, quod logica usitatur in scientiis, & artibus duobus modis. Primo modo, ut est methodus quædam seu instrumentum dirigens intellectum ut possit secernere uerum a falso, & hic modus est proprior ipsi logicæ, dicit Auer. idest est proprium munus logices ut distinguat uerum a falso, sic dixit Auer. in epitom. meta. tract. secundo in principio quod nostrates dixerunt esse finem logices. Secundo modo, artes & sciẽtiæ utũtur logica, quatenus accipiunt declarata in ipsa logica, pro maximis & fundamentis ad aliquid construendum, & destruendum: & subdit Auer. quod iste secundus modus usitandi, quum usitatur in artibus particularibus non est eis proprius. sed quum usitatur in arte uniuersali, idest in prima philosophia tunc est ei proprius talis usitandi modus. Et sciendum quod ideo dixit Auer. secundum usitãdi modum ipsius logices esse proprium arti uniuersali, idest metaph. & non artibus particularibus, quia dixit Arist. 4. metaph. 5. quod circa idem, metaph. topicus, & sophistia uersantur. & hæc ratio colligitur ex iis quę dixit Auer. in 7. metaph. commen. secundo. propter igitur maiorem conuenientiam quam habet secundus usitandi modus cum ipsa metaph. quam cum aliis artibus dixit Auer. quod est proprius ipsi meta. & perpẽdito hoc quod est a plurimis Auerroistis ignoratum: Amplius dubitationis locus est, quomodo differunt ipsa logica docens, & utens, seu usitata ut rectius dicam. Pro cuius dubii declaratione, tria sunt prius annotanda. Primum est, ꝙ Actus est duplex, ut dixit Ae. secundo, de anima tex. comm. 5. actus primus, & actus secundus, & dicit Arist. quòd actus primus est sicut scientia, quæ est habitus: & actus secundus est sicut cõsiderare, quod est operatio proueniens ab habitu. Secũdum uero est quod actus primus, & secundus secundum Auer. in secundo de anima com. secundo & comm. quinto sunt idem secundum subiectũ, & differunt ratione, quod exemplo probat de anima, quę non operans est actus primus, & operans est actus secundus: modo anima non operans non differt subiecto, seu realiter a se ipsa operante, sed tantum ratione. quare sequitur quod actus primus non differt realiter actu secundo, sed tantum ratione formali secundum ipsum Auerroem. Tertium & ultimum notandum est, quod logica docens est ueluti actus primus, forma, & habitus quo diriguntur operationes artium & scientiarium: logica uero usitata assimilatur actui secundo, quoniam dum usitatur in artibus & scientiis. hoc operatione media fit, & ideo dicitur actus secundus. Ex his præsuppositis facilè respondetur ad dubitationem, quod logica docẽs & usitata, differunt eo modo quo actus primus, & secundus. dictum est autem quod actus primus, & secundus differunt ratio

ne, & conueniunt subiecto. similiter dicendum est igitur de logica docente & usitata seu usuali, quod differunt tantum ratione, & cõueniunt subiecto. ex qua solutione manifeste apparet communis error logicorum asserentium quod logica docens & usitata differant ratione & subiecto. Sed contra hanc solutionem iuniores instant probando quod differant subiecto. & accipiunt propositionem a nobis concessam, quòd, scilicet logica docens sit actus primus. & logica usitata sit actus secundus, tunc sub sumunt, sed actus primus & secũdus differũt subiecto, ergo logica docens & usitata differunt subiecto, & probãt minorẽ hoc modo. actus prim' est anima. & actus secundus est operatio eius, sed anima & eius operatio differunt subiecto, ergo actus primus & secundus differunt subiecto. & per consequens logica docens & usitata differunt subiecto. Respondetur negando secundam partem minoris. quòd, scilicet operatio animæ duntaxat sine anima sit actus secundus nam dicimus quod secundũ Auer. secundo de anima com m. secundo & com m. quinto actus secundus est anima operans. & nõ tantum eius operatio actus uero primus est anima non operans. sed quod hæc responsio sit peripathetica patet clarissime per Arist. secundo de anima tex. comm. quinto, ubi per somnum intelligit actum primum, & per uigiliam actum secundum idest anima dormiens est actus primus & anima uigilãs est actus secũdus, modus anima uigilans & dormiens nõ differunt subiecto, sed tantum ratione. & sic a primo ad ultimum dicendum est, quod logica docens & usitata nõ differunt subiecto, si non differunt subiecto, sequitur contra Scotum & sequaces, quod sicut logica usitata secundum eum non est scientia, similiter neque logica docens. consequentia iam patet, quoniam logica docens, & utens seu usitata sunt unamet res, & sic quicquid conuenit uni & alteri quoque. Amplius sciendum autumamus quod quando quęrimus an logica sit scientia . & ars, intelligimus de logica utroque modo considerata, ut scilicet est docens, & usitata. Tertium fundamentum ex quo clarissime habebitur intentum nostrum, quod, scilicet logica tam docens quam usitata neque sit scientia, neque ars, tale est: quod artes & scientię omnes dicuntur, ac denominantur tales uel tales a duobus, a subiecto & a fine. & q utrunque sit uerum, probatur ex Aristo. & Auer. primo probatur quod sint tales a subiecto, tum auctoritate, cũ etiam ratione. auctoritates siquidẽ plures sunt, ut patet in primo poster. tex. commen. 179. cap. 43. ubi dixit Arist. quod scientia est unius generis subiecti. & Auer. dicit in commen. siue subiectum fuerit uniuocum uel analogum in 1 8. metap. cap. 6. dixit etiam Aristo. quod scientia uel ars dicitur nobilior ac deterior secũdum suum proprium scibile, quam rem pulcherrime declarauit Auerro. primo de anima cap. primo. Amplius a subiecto quoque distinxit scientias, & artes Arist. in 6. metaph. tex. commen. primo, & secundo. & sexto, ethic. cap. quinto ubi dixit, q triplex est genus entium, seu entia ipsa triplici modo se habent. quædam sunt quorum principium est natura, ut patet secundo phys. tex. comm. tertio, de quibus entibus sunt tres sciẽtiæ speculatiuę reales, physica, metaphysica & mathematica. quædam sunt entia quorum principium tam secundum esse quam secundũ opus est uoluntas, & de iis entibus sunt omnes artes. alia uerò sunt entia quorum principium est intellectus duntaxat, & hæc sũt secũdo intellecta ut instrumenta notificandi, de quibus est facultas logica, ut dixit Auerro. quarto metaph. comm. secundo. & aduertendum quod talis distinctio est penes subiectum seu rem consideratam, & uocatur distinctio artium & scientiarum a priori, quando distinguũtur per subiectum seu per rem consideratam. Ratione etiam probatur q scientiæ & artes distinguantur a subiecto. sed antequam formetur ratio, tria primitus assumenda sunt fundamenta seu præsupposita ex Arist. & Auer. Primum est, quod scientia est passio & accidens ipsius intellectus & animæ ut patet 6 meta. ultimo. Secundum, differentia propria accidentium, est subiectum, sicut habetur 7. metaph. 17. Tertium uero est, quod differentia propria est tota rei essentia, ut clarum est in 7. metaph. 42. Ex quibus præsuppositis facile erigi potest ratio talis, accidentia distinguuntur essentialiter a subiecto, maior patet ex secundo & tertio præsuppositis, & minor etiam ex primo præsupposito, & minor etiam ex primo præsupposito: cõcludendum igitur est quod sciẽtiæ & artes omnes distingũtur a subiecto. Secundo probatur quod differant, a fine. quoniam tam natura quam ars sumunt necessitatẽ a proprio, earum fine, ut dixit Aristo. 3. ethic. 6. & etiam patet hoc esse uerum in secundo phys. 88. 91. 7. metaph. 23. & in secundo de anima tex. com 49. ubi dicit Ari. quod omnia a fine denominari iustum est. Et ideo dixit Auer. in prologo physic. quod homo non sciens, uel non philosophus, æquiuoce homo dicitur: & ratio est, quia caret proprio eius fine, qui dispositiue seu initiatiue consistit in speculatione scientiarum speculatiuarum & completiue in intuitiua Dei cognitione, ut etiam prolixius dicemus in expositione prologi Auer. in primo phys. cum igitur a fine omnia sortiantur esse & denominationem, sequitur artes, & scientias omnes ab earum proprio fine distingui: quam ob rem dicimus non sine ratione Aristo. in primo topic. cap 9. secasse scientias & artes ex fine, ubi dicit quod finis est triplex a quo denominatus omnes habitus intellectus. quidam est scire tantum, quidam est opus tantum, & quidã alius tantum est adminiculari seu auxiliari & statuit tandem Aristo. ibidem quod a primo denominantur tres scientiæ speculatiuæ, quia appropriate earum finis est scire tantum a secundo dicuntur artes tam actiuæ quam factiuæ, quandoquidem proprius ipsarum finis est opus tantum: a tertio uero fine dicitur logica, cuius proprius finis est tantum adminiculari & sic proprie & uere ipsa logica dicitur organica adminiculatiua seu ut rectius dicam, facultas instrumentorum adminiculantiũ artibus & scientiis omnibus. Ex quibus uerbis clarissime patet hoc tertium præsuppositum esse uerum, & peripatheticum, quod, scilicet artes & scientiæ distinguuntur a subiecto, & a fine. Sed animaduertendum est, quod quando distinguuntur a subiecto, distinguuntur a priori. seu a re considerata: & quando distinguuntur a fine, intelligitur quod distinguantur a modo considerandi, seu a posteriori. Hæc circa tria hæc præsupposita nobis in præsẽtia dicere uisa sunt: ex quorum concessione quatuor deducimus conclusiones ueras pro nostræ opinionis elucidatione. Prima conclusio, logica artificialis siue docens, siue usitata fuerit, nullo modo potest esse scientia. Probatio huius conclusionis facilis est, ex iis quæ dicta sunt nuper in tertio fundamento, ubi ad aures Aristotelis & Auerrois uerum esse sanctiuimus, quod artes & scientiæ omnes distinguuntur a subiecto, & a fine; idest dicuntur tales uel tales a duobus, a subiecto & a fine: tunc habita ueritate huius fundamenti seu præsuppositi subsumo minorem, sed logica neque a subiecto, neque a fine potest dici scientia, ergo nullo modo logica poterit esse & nuncupari scientia, maior est uera ex tertio fundamento, & minor probatur quod utranque eius partem. Et primo probatur quod logica non possit esse scientia a subiecto quoniam dixit Arist. primo post. cap. 5. 6. 15. 16. quod scientia est necessariorum & impossibile aliter se habere potentium, hoc idem etiam retulit in 6. metaph. tex. commen. 6. quod omnis scientia, aut est eius quod est semper, aut est eius quod est secundum magis: sed secundo intellecta non sunt necessaria, & uniuersaliter semper uera. ergo de eis non potest haberi scientia. Probatur minor hoc modo, quę fiunt ab intellectu non sunt semper & uniuersali-

ter uera, sed secundo intellecta fiunt ab intellectu, ut patet. 4. metaph. secundo, sexto metaph. ultimo, & clarius, ex Themistio in primo de anima, cap. octauo. ergo non erunt uniuersaliter uera & semper, & per consequens non erit scientia de eis: probatur maior huius prosyllogismi, per Aristo. ponentem discrimen inter opera naturæ & opera artis, qui dicit quod de operibus naturæ habetur scientia, quia aut sunt sēper uera aut in maiori parte, de operibus uero artis scilicet aut intellectus aut uolūtatis, non habetur scientia quia non sunt semper, & in maiori parte uera hæc profecto colliguntur ab Aristo. in 7. ethic. 5. 6. metaph. primo & sexto, assignante plurimas differentias inter scientias & artes. concludendum igitur est a primo ad ultimum, quod quum secundo intellecta, ut instrumenta notificandi sint subiectum totale & adæquatū in logica, ut dictum est alibi, & de eis non potest haberi scientia, ut iādudum demōstratum est, sequitur clarissimè quod logica siue docens, siue usitata fuerit, non possit esse ac nūcupari scientia a suo subiecto. Secundo probatur quod logica non possit esse scientia a fine, quoniam, dixit Arist. primo topic. cap. 9. quod finis logices, neque est scire, neque operari, sed tantum adminiculari, quatenus, scilicet docet instrumenta deseruientia artibus & sciētiis omnibus ex quibus omnibus concludimus demonstratiue quod logica neque a subiecto neque a fine potest dici scientia.

Verum ad hanc rationem breuiter Scotistę omnes & eorum asseclæ respondēt, quod ratio concludit de logica utente, quæ profecto non est scientia, sed non de logica docente, quæ uere est scientia, quum habeat omnes conditiones requisitas ad demonstrationem, ex qua sequitur scientia, quæ est effectus demonstrationis, sicut etiā dictum est in secunda opinione Scoti. Contra hanc responsionem pluribus rationibus instatur & quidem demonstratiuis, quibus clarissime probabitur quod logica docens nullo modo possit esse scientia. Prima ratio talis est, si logica docens est scientia, hoc maxime est ut ipsi dicunt, quia multa demonstratiue concluduntur in logica, sed falsum est quod fiat demonstratio in logica, & sic falsum quoq; erit logicam esse scientiam. probatur quod falsum sit demonstrationem fieri in logica. quoniam ea per se demonstrantur, quæ sunt per se naturaliter ignota sed quæ sunt in logica docente non sunt per se naturaliter ignota, ergo ea quæ sunt in logica docente non possunt demonstrari, & sic logica docens non erit scientia. maior probatur, ex secundo post. primo, & minor etiam probatur ex primo phys. 3. ubi habetur quod quæ facit artifex sūt nota artifici, sed intellectus noster uerus artifex et opifex est secundo intellectorum quæ considerantur in logica, ergo ipsa secundo intellecta erunt uere & per se nota intellectui nostro, & per consequens intellectus noster haudquaquam poterit ex ipsis secundo intellectis erigere demonstrationē. sed quod intellectus noster sit opifex secundo intellectorum, hoc patet 4. metaph. secundo, 4. metaph. ultimo. & ex Themistio in primo de anima cap. 8. & sic hæc tota ratio ex omni parte clarissima est. quamobrem ipsa logica docens non erit scientia. Secundo sic instatur contra eandem responsionem. modus considerandi sumitur a modo definiendi: sed quęcunque definiuntur in logica docente ab Aristo. sunt utique ab ipso definita ut instrumenta, ergo modus considerandi in logica docente est ut instrumentum, & sic non erit scientia. maior est Arist. & Auer. 6. metaph. tex. commen. secundo. sicut diffusius etiā enucleauimus in quæsito de lib. prædicam. Minor probatur inductione in omnibus definitionibus, quas ut instrumenta notificandi assignat Aristo. ut patet de definitione syllogismi in primo priorum cap. primo, quando dicit quod syllogismus est oratio in qua quibusdam &c. idest syllogismus est instrumentum ad notificādum nobis aliud, scilicet ipsam conclusionem ignotā. Et similiter intelligi debet definitio demonstrationis primo post. tex. comm 8. quando dicit Arist. quod demonstratio est syllogismus scientialis, idest. est instrumentum, quo scitur accidens propriū. eodem quoque modo exponēda uenit definitio ipsius demōstrationis traditæ ab Arist. primo topic. cap. 4. & sic de singulis dicendum est etiam definitionibus, quod, ut instrumenta assignantur in logica docente ab Aristo. ergo omnes definitiones traditæ Aristo. in logica ut sunt instrumenta notificandi. Et per maiorem assumptam secundum Arist. & Auerro. modus considerādi sumitur a modo definiendi, ergo a primo ad ultimum modus considerandi logices est ut instrumentum, & sic non erit scientia. Tertio quoque sic arguitur, quòd logica non sit scientia: modus sciendi non est scientia, logica est modus sciendi, ergo non est scientia, maior patet a simili, quia sicut modus uidendi non est uisus, ita modus sciendi non est scientia. minor probatur per Arist. secundo metaph. tex. comm. 15. dicentem, quod absurdum est quærere simul scientiam & modum sciendi, & Auerro. in comm. per modum sciendi intelligit logicam. Huic etiam rationi respondent Scotistę quo ad minorem, quod ista propositio, logica est modus sciendi, est uera materialiter, quatenus, scilicet logica ipsa docet modum sciendi, nam est de syllogismo, uel de argumēto per quod habetur scientia. sed falsa est formaliter loquendo, idest quod modus sciendi sit prædicatum formale per se conueniens ipsi logicæ. Sed hæc responsio falsa est, & probatur quod modus sciendi formaliter insit ipsi logicæ: illud conuenit per se & formaliter alicui, quod est ratio formalis illius, sed instrumentum est ratio formalis ipsius logices, ergo esse instrumentum, formaliter & per se conuenit logicæ, & sic ista propositio, logica est modus sciendi, est uera formaliter. maior est Aristoteles primo post. cap. de per se, & minor etiam est Arist. primo topic. cap. 9. ubi dicitur quod quę docentur in logica sunt instrumēta adminiculāria artibus, & scientiis, & sic habetur quòd esse instrumentum est modus considerandi logices: tunc sic arguitur, sed modus considerandi logices est ratio formalis, ut dictum est diffuse in quæsito de subiecto logices & ratio formalis per se, & formaliter dicitur de eo cuius est ratio formalis ut patet primo post. cap. de per se, ergo a primo ad ultimum, quum instrumentum sciendi seu modus sciendi sit ratio formalis logices secundum Arist. & Auer. tunc formaliter, & per se uera erit ista propositio, logica est modus sciendi. Confirmatur hoc, illud formaliter & per se cōuenit alicui, quod ponitur in definitione illius, hoc dixit Arist. in primo post. cap. de perseitatibus, sed esse modum sciendi seu instrumentum sciendi, est de essentia, & de definitione consideratorum in logica, ut latius dictum est in quæsito de subiecto logices, ergo esse instrumentum sciendi per se, & formaliter inest logicæ, & sic ista propositio, logica est modus sciendi, erit uera formaliter, & non materialiter. Quarto sic etiam instatur & demostratiue, quod ipsa logica docens non non sit scientia, illud quod procedit ex cōmunibus non est scientia, quia scientia est ex propriis sicut retulit Aristo. in primo poster. cap. 5. sed logica docens procedit ex communibus, ergo non est scientia: Ad hanc etiam rationem respondent Scot. & sequaces, negando minorem, quoniam logica docens per propria principia ostendit passiones, et idest dicitur scientia. secus autem est de logica utente; & non docente. Sed hanc quoque responsionem, cui tantopere nostrates astipulantur, quam plurimis scatere erroribus asseueramus. Primo errant, quia præsupponūt logicā docentem realiter differre a logica quam ipsi nuncupāt utentem, quod sane falsum esse paulo ante demonstrauimus, ibiq; enucleauimus, logicam utentem seu usitatam (ut rectius loquamur) non esse subiecto differentem a logica docente, sed ratione duntaxat, seu modo considerandi,

derandi. nam eadem logica secundum rem est docens & utens seu usitata, quæ profecto duo sortitur nomina, ex duobus considerandi modis: dicitur docens, quatenus docet canones, regulas, conditiones, & instrumenta deservientia & adminiculantia artibus & scientiis omnibus veluti dixit Arist. in primo topic. 9. dicitur postea logica utens seu usitata, pro quanto artes & scientiæ utuntur instrumentis edoctis in ipsa logica docente. Neque etiam uerum est, quod multi ex Scotistarum classe asserunt, quod hæc distinctio de duplici logica ab Auer. etiam assignatur in primo physi. comm. 35. 7. metaph. comm. secundo quando dicit quod logica usitatur dupliciter: nam supra diximus quod Auer. intentio in illis uerbis non est distinguere logicam in communi in docentem & utentem ut falso sibi persuadēt. sed declarat quot modis artes & scientiæ utuntur instrumētis assignatis in logica. sicuti optime norunt eruditi Auer. sectatores. Secundo errant, circa logicam utentem, non enim intelligunt quod sit ipsa logica utens, neque quid nominis, neque quid rei. Non quid nominis, quia communiter eam appellant utentem logicam, quod falsum esse superius ostendimus, ubi diximus ipsam logicam usitatam, non esse aliud secūdum eius nomenclaturam, quam usum & exercitium ipsius logicæ docentis, & hoc colligitur ex primo topico. ab Auerro. cap. secundo & ab Aristo. quando dixerunt logicam ex duabus compleri partibus, scilicet ex cognitione, & usu rerum cognitarum. Neque etiam intelligunt quid sit secundum rem ipsa logica utens, nam falsum est quod ipsa logica utens ex communibus procedat sicut omnes & antiqui & moderni sibi persuadent. & quod hoc sit falsum, dupliciter probatur, tum auctoritate cum etiam exēplo. auctoritates siquidē plures sunt ut patet primo ethi. capit. 2. secundo ethic. capit. secundo in primo de partibus animal. primo & secundo metaph. tex. comm. 15. ex quibus locis colligitur clarissimè quam libet doctrinam uti debere peritia, id est logica particulari, qua singulis artibus & scientiis, singula & propria applicamus instrumenta. cū non omnia eodem possint instrumento nosci, ut habetur in primo & secundo, ethic. utrobique cap. 2. primo topic. secundo & 2. metaph. tex. comm. 15. sed qualis natura rei, tale prorsus debet esse instrumentum. Exemplo etiā Arist. probatur logicam utentem seu usitatam esse circa particularia & non circa communia, nam 6. metaph. tex. comm. secundo, Arist. docuit proprium modum definitionis, quomodo definire debet unaquæque ars speculativa realis, idest quomodo debent artes & scientiæ illæ speculativæ uti definitione, quæ est instrumentum logicale. hoc idem fecit Aristo. in secundo physic. 17. Amplius in primo physicorum. Aristote. docuit proprium modum demonstrandi, quo naturalis philosophus uti debet, at ipsa demonstratio quo pacto fiat declaratur in logica docente, sed quando naturalis philosophia uult ea uti, particulari modo utitur. quoniam non eodem demōstrationis modo utuntur omnes artifices, ut clarum est, ergo si particulari modo ipse, philosophus naturalis utitur demonstratione, tunc sequitur quod logica docens non sit circa communia, sed tantum circa propria. Et quum hoc ita sit, dicamus resolute & distincte cōtra omnes logicos cuiuscunque classis, quod logica ipsa usitata seu ipse usus logices, non est aliud nisi appropriatio instrumenti proprii, propriæ arti, & rei consideratæ illa arte, & dicant alii quicquid uelint. Sed tu dices pro Scoto, probando quod logica utens procedat & sit circa communia. ex Arist. qui dixit primo topic. cap. secundo quod dialecticus est ille qui probat principia uniuscuiusque scientiæ, & procedit ex communibus. Amplius ipse Arist. in primo physi. tex. comm. 8. 4 physi. tex. comm. 87. & multis aliis in locis dicit rationes logicas esse ex communibus, & tales rationes non sunt nisi ex logica utente, ergo logica utens est ex communibus. His obiectionibus facile dicitur, & primo ad auctoritatem Arist. primo topic cap. secundo. dicimus quod Ari. loquitur ibi de summitate syllogismi topici, qui ingrediens omnes artes & scientias, ex communibus probat principia earum & non de tota logica ut falsò credideruut. Ad confirmationem de primo physi. 8. similiter dicendum est, quod Arist. per rationes logicas, intellexit topicas, quæ ex communibus fiunt ut dictum est. Tertio errant, asseuerantes logicam docentem esse ex propriis, quod falsum esse Ari. exemplo demonstramus, qui in libro poster. analy. docuit instrumenta communia omnibus artibus & scientiis. quam ob rem logica docens circa communia est, & non circa propria. Ex quibus omnibus clarissimè sequitur. istorum responsionem de illa duplici logica. penitus falsam esse. Hæc sunt quæ nobis uisa sunt pro probatione primæ conclusionis, quod scilicet logica siue docens siue usitata fuerit, nullo modo potest esse scientia. Secunda conclusio, logica siue ut docens siue ut usitata fuerit considerata. non est ars. & quod hæc conclusio sit uera, plures adducuntur rationes. Prima ratio est, omnis ars aut actiua aut factiua est. sed logica neque actiua neque factiua est, ergo nō est ars. maior probatur ex Arist. 6. ethic. cap. 5. ubi dicitur artem esse, uel cuius finis est actio, uel cuius finis est factio. & sciendū est, quod uocatur actio, quando post operationem non remanet opus. factio uero dicitur quando post operationem opus ipsum remanet, nam est circa rem exteriorem, exēplum est in artibus mechanicis. minor etiam patet ex iis quoniam logica ipsa non docet regulas operandi circa exteriorem materiam ut clarum est, finis enim eius dūtaxat est aliis adminiculari, ut supra etiam ostensum est. Secunda ratio, ars est eorum, quorum principium est uoluntas, ut colligitur ex secundo physi. sed eorum quæ tractātur in logica principium est intellectus ut patet quarto metaph. 2. 6. meta. ultimo, & Themistius primo de anima octauo appellauit ipsa secundo intellecta fabra animi ergo logica non est ars. & animaduertendum est, quod hæ rationes concludunt logicam ipsam non esse uere & proprie artem. Confirmatur etiam hanc conclusionem ueram esse ex Arist. primo topic. 9. ubi clare Arist. ex ratione finis, logicam ipsam neque scientiam neque artem esse demonstrat, cum finis eius nec scire nec operari sit sed tantum adminiculari. Auer. etiam huic sententiæ astipulatur in epito. metaph. tract. primo in principio, ubi dicit quod artium & scientiarum genera tria sunt uel sunt artes speculatiuæ, quarum finis est scire tātum, uel artes practicæ, quarum scientia propter opus habetur, aut sunt artes auxiliātes iis & ad istas dirigentes, & hæc sunt artes logicales. hoc idem uerbotenus retulit in epito. logic. in cap. de qualit. faciendi demonstrationes & definitiones in artibus speculatiuis. Ex quibus inferimus Zimarā hallucinatum fuisse, quando dixit quod peripateticorum opinio de logica talis est, quod sit instrumentum & pars philosophiæ, quod profecto Arist. & Auer. expresse repugnat, & causa erroris Zimaræ fuit Boethius, qui huiusce opinionis primus declarator fuit, quod, scilicet logica sit organum & pars philosophiæ, quam sane opinionem erroneam esse ac non peripateticam ex his quæ supra latius dicta sunt, manifestatur. Amplius Zimaram expresse sibi contradicere asserimus, quoniam in theor. 89. dicit quod peripatetici utrunq; sentiunt de logica, tum quod instrumentum philosophiæ sit, cum etiam eiusdem pars. cuius oppositum ait in sua tabula quando loquitur de arte, & ubi dicit ex sententia Auer. & Alex. Aphro. logicam non esse partem philosophiæ, neque practicæ neque speculatiuæ, & obiurgat eos qui secus sentiunt. quare cōcludendum est expresse Zimaram sibi contradicere, uide eum quæso locis supradictis. Sed iuniores instant. probando quod logica sit ars, ex Arist. in 6. ethic. cap. 4 ubi

Arist. quinque dicit esse habitus intellectus, scilicet, artem, scientiam, prudentiam, sapientiam, & intellectum, qua præsupposita auctoritate subsumunt minorem, scilicet, logices est habitus intellectus, ergo unum ex quinque erit: & non potest esse scientia, prudentia, sapientia intellectus, ergo erit ars, & hæc ratio ualde apparens est. Huic rationi, facilis assignatur responsio quæ talis est, quod Arist. intentio ex ibi enumerare eos habitus intellectus, qui per se desiderantur & non propter aliud. at ipsa logica est de numero eorum habituum animi, qui propter aliud sunt & desiderantur, sicut affatim superius dictum est, & creberrime ad aures Arist. qui exarauit logicam ipsam esse propter scientias & artes, ut patet in primo top. cap. 9. quamobrem dubitationem hanc nullius esse roboris sole clarius patet. Tertia conclusio declaratiua huius nostræ positionis talis est. quod ipsa logica uere & de rigore sermonis, non est nuncupanda organum seu instrumentum. probatio huius iam patet in principio secundi capitis quæsiti. Quarta conclusio decisiua pro nostra opinione hæc est, ꝙ logica neque scientia, neque ars, neque uere instrumentum est, sed uere & appropriate dicitur & est facultas organorum, seu rerum qua finis est, ut sint instrumenta deseruientia omnibus artibus & scientiis & hoc uoluit dicere Arist. primo topic. cap. 9. & Auerro. etiam in epito. metaph. tract. pri. & in epito. logic. cap. de qualit. faciendi definitiones & demonstrationes in artibus speculatiuis quum dixit, ꝙ artes logicales sunt scientiis & artibus auxiliantes, idest docent instrumenta deseruientia artibus & scientiis. Et perpendite hoc, quoniam multi ex peripatheticorum classe hallucinati sunt circa nomen clarum ipsius logices, & quale sit eius munus. Et animaduertendum etiam est, quod ueritas huius nostræ positionis quatuor supradictis cōclusionibus clauditur, longe lateq; probatis ex præsuppositis: superest tertium absoluere caput in quo obiectionibus aduersariorum satisfaciemus.

Tertium caput, in quo ponuntur solutiones rationum aduersariorum.

Solutio rationum Ioannis Scoti.

AD primam Scoti rationem, primo dicitur quod minor est falsa, & ad probationem dicitur, quod est diminuta talis probatio, quoniam ne dum ad habendam scientia requiruntur illa tria, scilicet subiectum, definitio & passio, sed etiam requiritur hoc aliud ꝙ est summopere necessarium, quod, scilicet illud quod demonstratur sit per se ignotum, sicut dixit expresse Arist. in secundo post. tex. comm. primo, nam dictum est supra contra Scotistas & contra eorum sequaces, quod ipsa secundo intellecta non sunt naturaliter ignota ipsi intellectui eorum opifici sed nota: quare sequitur quod quum ipsa logicalia sint per se nota intellectui, haudquaquā poterit erigi demonstratio de eis, & sic non demonstratio, per consequens neque erit scientia. Sed tu dices pro Scotista, duo sunt instrumenta sciendi ut dicit Auer. in prologo primi post. scilicet demonstratio, & definitio. & sic scientia non potest esse in logica per demonstrationem. erit saltem per definitionem, nam dantur definitiones in logica ut patet: Huic etiam obiectioni, facile respondetur negando quod in logica sint ueræ definitiones, quoniam dixit Arist. in 4. metaph. tex. commen. 13. quod definitio in rei ueritate non inuenitur nisi in substantia, hoc idem etiam retulit in 7. metaph. tex. 17. 19. Amplius dixit Auerro. in primo post. comm. 32. quod definitiones sunt rerum existētium extra animam, hoc idem etiam dixit in primo de anima comm. 8. & in suis quæsitis logicalibus quæsito septimo: at ipsa secundo intellecta (non dico ratione fundamentorum suorum) scilicet ut sunt secundo intellecta nūquam sunt extra animam, neque etiam sunt substātiæ. quare neque scientia de eis haberi potest per definitionem, & sic nullo sciendi instrumento logicalia ipsa possunt sciri. Neque ualet illa obiectio. hoc habet genus & differentiam, ergo hoc uere definitur. Quoniam requiritur id quod dixit Arist. & Auer. Aliis assignatur respōsio ad primam rationem Scoti. circa etiam probationem minoris, quod quando ostenditur ab Arist. primo priorū cap. 28. ipsum syllogismum habere duas propositiones & tres terminos dicimus ex mente Auer. in primo priorum cap. 28. quod talis ostensio non est demonstratio, sed manifestatio. Et assignatur causa quare non potest esse demonstratio, quoniam peteretur principium demonstrando unum essentiale per alterum. nam essentiale est ipsi syllogismo habere duas propositiones, & tres terminos, cū ponatur in eius definitiones. Posset etiā dici ad eandem Scoti rationē quod præsupponit unum falsum, quod scilicet logica utatur demonstratione, nam supra diximus quod logica tantum docet instrumenta & non utitur eis, quare non erit scientia. hæc quoque responsio optima est. Ad secundam rationem Scoti dicimus, quod sicut negamus istam propositionem, logica est scientia, ita quoque negamus hanc, logicus est per se sciēs, propter rationes supra assignatas.

Solutiones rationum aliarum.

Ad primam negatur similitudo, quoniam quū logica sit instrumentum artificiale, non denominatur a termino ad quem, secus autem dicendum est de generatione, quæ quum sit instrumentum naturale denominatur a termino ad quē, & sic dicitur natura quia est uia ad naturam. At ipsa logica denominatur tantum a principio eius effectiuo seu a termino a quo, & sic dicitur tantum instrumentum rationale, scilicet a ratione seu ab anima rationali seu ab anima ratiocinante. quam ob rem dicimus quod non est idem seu similis arguendi modus. Ad secundam de auctoritate Auer. patuit solutio in superiori quæsito, ubi declarata fuit illa Auer. auctoritas. Ad tertiā facilis est etiā solutio, quod Auer. secundum communem dicendi modum & impropriè appellauit logicam esse sciētiam, nam scientia multis modis capitur etiam apud latinos. Vel dicendum est, quod dixit logicam esse scientiam quatenus scilicet docet instrumenta deseruientia scientiis, & artibus, modo superius declarato. Ad quartam & ultimam eorundem rationem facile dicimus, negando quod artes mechanicæ uero scientiæ nomine utantur, & sic restat dicendum, quod logica ipsa nullo modo neque scientia, neque ars, neque proprie instrumentum dicitur, sed tantum facultas rerum, quarum finis est ut sint instrumenta deseruientia artibus & scientiis omnibus.

HIERONYMI BALDVINI

Quæsitum secundum, de subiecto Logices.

Præfatio.

GRAVISSIMI auctorum interpretes in cuiuslibet artis primordio, de subiecto circa quod ars illa uersatur, sæpenumero quærere consueuerunt, quod sane haudquaquam ab eis sine ratione effectum fuisse credimus, quinimmo pluribus de causis id eos perfecisse nobis ipsis persuademus, tum quia quid nominis subiecti & quæ sit necessario ante omnem doctrinam semper est præaccipiendum, ueluti Aris. sole clarius nobis notatum reliquit in primo post. tex. commen. secundo & cap. 25. & lucidissimus Themistius in primo poster. cap. secundo & secundo poster. cap. nono & Auerro. quoque in epitom. log. in principio, ex quorum placitis excerpitur quod omnis agnitionis principium & origo, est quid nominis præcognitio, cum etiam quia ratio sic expostulat quę talis est, finis semper est præcognoscendus in arte, sed cognitio subiecti est finis in arte (ut infra diffusius dicetur) ergo cognitio subiecti semper est præaccipienda in arte. quamobrem uideamus nos quid de hac re sentiendum sit. Quęritur ergo, quod sit subiectum logicæ? In hoc quæsito primo aliorum opiniones cum eorundem fundamentis ponentur, & impugnationes contra illas. Secundo uera Arist. & Auer. opinio dicetur atque secundum eos narrabuntur fundamenta. Tertio & ultimo soluentur aduersariorum omnium rationes. Sed quia dudum dictum est subiecti notitiam semper fore præcognoscendam, occurrit pulcherrima dubitatio, & scitu dignissima quæ talis est. si de subiecto præsupponitur quid & quia ut dixit Arist. primo poster. tex. com. secundo, cur est quod expositores semper quærunt in exordio scientiæ uel artis de ipso subiecto, & redditur causa huius dubitationis, quia quod præcognoscitur non debet quæri, ut dixit Arist. secundo poster. tex. comme. primo, siquidem contraria sunt ut patet secundo post. 33. quod enim præcognoscitur notum est, sed quod quæritur est ignorum, & ideo nullum pręcognitum est quæsitum & econtra, ergo cum ita sit quod nullum præcognitum possit esse quæsitum, sequitur clarissime expositores omnes male agere, proponendo quęstionem semper de subiecto in principio libri tractatus omnis, cum subiectum ipsum pręcognitum sit. Huic pulcherrimæ dubitationi sic resolute & distincte satisfaciendum est (quicquid alij dicant) quod aliud est quærere si esse subiecti debet quæri uel præcognosci in scientia cuius est subiectũ: & aliud est quærere, quid sit illud quod meretur in tali scientia has duas pręcognitiones, ut scilicet de eo præsupponantur quid & quia. Hac distinctione habita, dicimus quod expositores non quęrunt primum, sed secundum duntaxat. Sic in proposito nostro in hoc quæsito de subiecto logices non quærimus primum, sed secundũ .s. quod est illud quod meretur in logica ut de eo præsupponantur quid & quia ut uere dicatur subiectum. & animaduertendum est, quod ex hac responsione patet uera expositio tituli quęsiti, reliquũ est ut pollicita pręstemus.

Primum caput, in quo aliorum opiniones narrantur, & impugnationes contra eas.

Opinio Diui Thomę.

Inter Latinos Diuus Thomas primus expositor Aristot. uarius uidetur de subiecto logices, nam aliter in libris metaph. & aliter in libris de subiecto logices loquitur: in primo nanque lib. periherm. asserit subiectum logices esse operationes intellectus. Et probat ipse hoc modo, quoniam illud est subiectum circa quod uersatur ars uel scientia sicut dixit primo poster. tex. commen. 179. & primo physic. primo, sed logica uersatur circa operationes intellectus, ergo operationes intellectus sunt subiectum. Minorem ipse etiam probat, quia logica dicitur scientia rationalis, ex eo quia uersatur circa actus & operationes intellectus seu rationis, qui actus rationis tres sunt, simplicium apprehensio, cõpositio uel diuisio, & discursus secundum quas operationes intellectus dicit ipse, quod ordinantur omnes libri logices, nam primæ operationi correspondet liber prædicam. secundæ liber periherm. tertiæ uero liber priorum & alij sequentes, & sic ex his omnibus concludit, quod cum logica uersetur circa omnes rationis actus de necessitate sequatur subiectum logices esse operationes intellectus. hoc idem dicit in præfatione libri poster. & clarius sumendo fundamentum ab Aris. in primo metaph. in proœmio, quod homo differt ab alijs animalibus, quoniam arte & ratione uiuit. Secus autem dicit in quarto metaph. 5. ubi uult subiectum logices esse ens rationis, & probat hoc per Ar. dicentem ꝙ circa idem uersantur metaphysicus, & dialecticus, sed metaph circa omne ens. ergo & dialecticus circa omne ens, diuersa tamen ratione, quia metaphy. contemplatur ens naturę in quantum ens, ut patet 4. metaphysicus tex. com. primo & septimo logicus uero ens rationis & non reale. hęc dicit Diuus Thomas in suis libris de subiecto logices.

Ægidij Rom. rationes, pro Secunda opinione Diui Tho.

Ægidius in expositione sua super lib. elench. Secundã opinionẽ Diui Thomę insequẽs, ꝙ scilicet ens rationis sit subiectum in logica, duplici ratione probat eam esse uerã Quarum prima hæc est præsupponendo logicam dici rationalẽ: quod magis proprium est ipsi rationis, de illo considerat logica, sed entia rationis sunt magis propria ipsi rationi, quam suæ operationes, ergo logica cũ dicatur rationalis, proprie & uere cõsiderabit entia rationis pro subiecto: & aduertendum, quod Aegid Rom. facit cõparationem inter has duas opiniones de subiecto logices assignatas a Diuo Th. & dixit quod secunda opinio uerior est, & hoc cõcludit ipse in hac sua prima ratione, Maior est uera ex præsupposito, & minorẽ probat sic, quoniã tendere in operationes seu actus, non solũ proprium est intellectus, sed ẽt sensus, sed causare entia rationis munus est intellectus, & sic magis propriũ est ipsi intellectui ens rationis q̃ eius operatio, quare logica pro subiecto suo ens rationis duntaxat speculabitur, & nõ operationes intellectus. Secundo probat eandẽ opinionẽ esse ueram, inductione facta in omnibus libris logices, quandoquidẽ nõ de actib' seu operationibus agitur in libris logices, sed de cõceptibus & entibus rationis quæ fiũt ab intellectu, ergo signũ est ꝙ entia rationis sunt subiectũ in logica. Amplius pro opinione Aegidij animaduertas, quòd licet dicat in sua expositione super Porph. ꝙ syllogismus est subiectum in logica, non tamen propter hoc sibi contradicit, quoniam supra intellexit de subiecto totali & adæquato logices, ꝙ

sit ens rationis. lib. uerò Porphyrii intelligit de subiecto principali logices, quod dicit esse ipsum syllogismum, nam uult ipse quod syllogismus sit principale consideratum in logica, sed quod omnia secundo intellecta habent attributionem, sed an hoc sit uerum diffusius alibi discussum est.

Contra Diuum Thomam & Aegidium Romanum arguit Scotus Doctor subtilis.

Scotus in tertia. q. uniuer. ubi adduxit opinionem Diui Thomæ & Aegid. contra ambos argumentatur, & antequam suam erigat rationem, prius assumit hoc fundamentum, quod tres sunt præcipuæ conditiones subiecti in scientia. Prima, de subiecto necessario oportet præcognosci quid & quia, ut dixit Aristotel. primo poster. tex. comm. secundo & 25. Secunda, quòd per eius quod quid est demonstrentur in scientia passiones illius subiecti de eo, primo poster. 20. & 25. cap. Tertia uero est, quod ad ipsum omnia alia in scientia considerata determinate reducantur, aliter enim ab eius unitate non esset unitas in scientia, tunc stantibus hisce tribus conditionibus sic arguit Scotus aduersus eos. Quod caret istis conditionibus non potest esse subiectum, sed ens rationis seu conceptus caret hisce conditionibus, ergo non potest esse subiectum in logica. Maior uera est ex conditionibus subiecti. Et minor probatur, quia enti rationis deficiunt duæ primæ conditiones subiecti, & probatur hoc, quoniam Aristote. nunquam in logica definiuit ens rationis, aut conceptus, ergo cum ens rationes careat definitione, non potest de eo præsupponi quid, & similiter carebit secunda conditione subiecti, quoniam si caret definitione ipsum ens rationis, seu ipse cōceptus formatus tunc non poterit demōstrari propria eius passio de eo per eius definitionem, & sic ens rationes, seu conceptus formatus non poterit esse subiectum in logica.

Contra Scotum, male assignantem triplicem conditionem subiecti in scientia, unde sequitur defensio opinionis Diui Thomæ & Aegidij Rom.

Sed primo errat Scotus circa primam conditionem subiecti, & probatur hoc, quoniam dicit quod de subiecto semper oportet præcognosci quid & quia, sed hoc est contra Aristotel. qui dixit in primo posteriorum cap. 25. quod de subiecto non præcognoscitur esse & quid nominis quando est manifestum, quo in loco dicit Themistius, quòd ridiculum est præcognoscere, quoniam sumitur tanquam manifesta illa conditio, & ex domo affertur, sine qua frustra sit aditus ad scholas, & clarius Auerro. hoc retulit in primo poster. commen. 74. & Themistius etiam primo poster. cap. secundo, & 21. falsum est igitur semper de subiecto præcognosci quid & quia. Amplius contra eundum sic dicitur, ens secundum ipsum Scotum eiusque sequaces est subiectum in metaphysic. & tamen de eo non præcognoscitur quid & quia, quia expers est definitionis, quare dicendum erit, aut quod ens non sit subiectum in metaphysica quod est contra ipsum aut quod prima conditio subiecti ab ipso assignata sit falsa. Præterea probatur ratione, quod non oportet præcognosci quid nominis subiecti, quando est per se manifestum, quoniam ars uersatur circa difficilia & non circa facilia ut dixit Aristot. primo metaphysic. in procemio, sed quando quid nominis subiecti est per se manifestum, est facile, ergo non oportet præcognosci illud artificialiter, sed sumere & præsupponere tanquam manifestissimum. & scias quod hæc ratio est Aristot. in primo post. cap. 25. & Auerro. hoc etiam uoluit dicere in primo post. commen. secundo & comm. 74. & sic non semper oportet præcognosci quid nominis subiecti. Secundo errat Scotus in assignando secundam conditionem subiecti, quoniam secundum eum, ut supra etiam dixi, ens est subiectum in metaph. de quo non possunt demonstrari passiones secundum eius definitionem, quia caret definitione ut dictum est, ergo falsum est, quod passiones subiecti necessario demonstrentur de subiecto per eius definitionem. Neque etiam uerum est, quod Scotistę communiter dicunt, quod una passio entis demonstrari potest de ente per aliam passionem ipsius entis, quoniam dixit Arist. in primo poster. tex. commen. 11. quod principia demonstrationis potissimę debent esse caussæ, priores in essendo & in cognoscendo ut etiam Grę̨ci interpretes, & Auerro. ibi exponunt, at passio & definitio passionis ipsius entis, non possunt esse causa in essendo ipsius entis, sed tantum in cognoscendo, quoniam nullum inferius potest esse causa in essendo sui superioris, sed tantum in cognoscendo ut omnes confitentur, cum igitur nulla possit esse causa in essendo per quam passiones entis demonstrentur de ipso, sequitur a primo ad ultimum, quod potest esse subiectum in scientia, cuius partes non demonstrantur de eo per eius quod quid est & sic secunda conditio subiecti assignata a Scoto, non semper est necessaria. Amplius errat Scotus persuadens sibi ipsi, quod passiones subiecti demonstrantur de eo per definitionem ipsius subiecti, quem errorem communiter omnes insequuntur. & quod sit error probatur demonstratiue secundum Aristotel. & pro Auerroistis secundum Auerro. & Aristotelem. Præsupponendo secundum Aristotel. & Auerro. in secundo poster. cap. secundo commen. 20. primo topic. quarto t 1. metaphysic. capit. sexto, & sexto, metaphysic. tex. commen. primo, quod definitio facit scire substantiam, demonstratio uero tantum accidens, ergo falsum est, quod definitio subiecti sit medium faciens scire passionem inhærere subiecto, quoniam tunc sequeretur quod definitio faceret scire accidens, quod est contra Aristotel. Pręterea, falsum etiam est ipsum quod quid est subiecti esse medium ad demonstrandam passionem de subiecto, quoniam dixit Aristotel. in secundo posteriorum text. commen. 41. quod definitio maioris est. Et sectatores Auerro. uideant eum loquentem de medio demonstrationis in omnibus hisce locis in primo poster. commen. 11. secundo poster. commen. 95 in epit. logic. cap. de demonst. secundo poster. commen. 41. & tandem in ultimo suo quæsito logicali de medio demonst. in quo duas recitat opiniones Alpharabii & Auicennę, contra quas arguit demonstratiue, quod medius terminus in demonstratione simpliciter, est tantum causa maioris extremi, hoc est definitio passionis est medium in demonstratione potissima, sicut dicemus in proprio quæsito de medio demonstra. quare errat Scotus & alij secum hoc idem prorsus sentientes. Tertio errat Scotus, in assignando etiam tertiam conditionem subiecti, quoniam illa conditio non competit subiecto totali & adæquato, sed est appropriate conueniens subiecto, principali, nam ut infra diffusius dicemus subiectum principale duntaxat est illud, ad quod omnia ordinantur, & propter quod omnia considerantur in arte uel scientia, sicut etiam probabimus in quæsito particulari, quod definitio nobilius sit sciendi instrumentum, propterea quod ad ipsum

omnia

omnia logicalia instrumenta reducuntur. Et hæc sunt ex doctrina Auerro. in octauo physic. commen. primo si cui diffusius infra enucleabimus. ex quibus omnibus concludimus Scotum errasse, in assignandis iis tribus conditionibus subiecti.

Argumenta Scoti de subiecto Logices non concludunt contra Diuum Thomam & Ægidium Romanum.

Ad primam rationem Scoti de prima conditione subiecti, dicimus quòd non concludit contra eos, quoniam cum quid nominis ipsius entis rationis sit per se notum, non oportet ut præcognoscatur, sicut supra dictum est, & sic breuiter asserimus primam cõditionem subiecti a Scoto assignatam non semper esse uniuersaliter ueram. Ad secundam Scoti rationem de secunda conditione subiecti, facile etiam respondetur, per ea quæ superius dicta sunt arguendo contra ipsum, quod non est uera illa secunda conditio, propter tot inconuenientia superius aduersus ipsum enucleata Potest etiam dici, quòd non oportet de subiecto analogo passiones eius demonstrari de ipso sed sufficit quòd demonstrentur de speciebus suis, nam si demonstrantur de speciebus analogi, etiam de ipso analogo. exemplum est in metaph. in qua Aristo. tractans de substantia, & de aliis prædicamentis, & de principus & passionibus ipsorum, tractauit etiam de ente: sic in proposito posset dici pro Diuo Thoma & Aegid. quod cũ ens rationis sit analogum, non oportet ut passiones demonstrentur de eo, sed sufficit ut demonstrentur de eis de quibus ens rationis dicitur analogice. & hoc modo dicendo, illa secunda conditio subiecti assignata a Scoto intelligi debet de subiecto uniuoco, & non analogo, & hæc est doctrina Auerro. in primo poster. tex. com. 179. ubi duplex assignat subiectum, uniuocum, scilicet & analogum.

Impugnatio opinionis Diui Tho. & Aegidii, de subiecto Logices.

Duo dicimus contra opinionẽ Diui Thomæ & Aegidii Rom. Primum quod eorum opinio diminuta est, & probatur hoc, quoniam ut dixit Aristo. primo poste. tex. comm. 179. subiectum totale cuiuslibet artis uel scientiæ duo necessario habet, unum penes materiam, alterum uero penes formam, quorum primum ab Auer. nuncupatur res considerata, a latinis uero ratio materialis subiecti. & secundum quod ab Auerr. modus considerandi uocatur, a latinis autem dicitur ratio formalis subiecti, de quibus duabus partibus optime disseruisse Auerro. in primo poster. tex. comm. 179. pro comperto habemus, diffusiusq; nos loquuturos fore in sequenti capite pollicemur, ad rem igitur redeundo dicimus, quod cum ex necessitate totale subiectum duo hæc semper expostulet, sequitur Diuum Thomam & Aegidium diminutos esse in eorum opinione de subiecto logices. & probatur ista consequentia, quoniam ipsi assignantes pro subiecto logices entia rationis, nihil aliud assignant nisi subiectum materiale id est rem consideratam, nam entia rationis sunt tantum res considerata, & sic sunt diminuti, quoniam non assignant seu specificant modum considerandi idest sub quo modo considerantur a logico ipsa entia rationis, de quo modo considerandi infra dicemus. Quinimmo asserimus eos nedum ex parte diminutos fuisse in eorum opinione, uerum ex toto. quoniam qui dimittit modum considerandi subiecti, dimittit totum subiectum: sed ambo ipsi dimittunt modum considerandi, quia non declarant modum quo considerantur a logico, ergo dimittunt totum subiectum, & sic sunt diminuti in toto subiecto, quod peius est, maior est. Auerro. in primo post. tex. com. 179. ubi dicit quod si scientia una est, hoc habet a modo considerandi eius. probatur etiam hæc maior sic, quoniam modus considerandi sumitur a forma ut in quæstio de libro prædicamentorum ad aures Aristo. & Auer. enucleauimus, & a forma est tota rei essentia, ergo similiter tota subiecti essentia a modo considerandi suo erit, cum suus considerandi modus sit eius forma, quare sequitur quod cum Diuus Thomas & Aegidius non assignauerint modum considerandi subiecti logices, in toto eos subiecto logices diminutos esse declaramus. Secundum quod uerum esse fatemur aduersus Diuum Thomam & Aegid. Rom. hoc est, quod eorum opinio de subiecto logices falsa est, probatur sic, quoniam ambo ipsi asserunt, quod secundo intellecta ut entia rationis per se considerantur a logico, quod falsum esse dicimus, & falsitatis causa assignatur, quoniam dixit Arist. in primo poster. cap. 20. 25. & tex. com. 179. quod una & eadem ars est illa quæ considerat subiectum, principia, partes, & passiones. sed de principio effectiuo entis rationis quod est intellectus consideratur in libro de anima, ergo ens rationis ut ratio nis est, ad animasticum spectat & non ad logicum. ex quibus omnibus sequitur Diuum Thomam & Aegidium errasse.

Opinio Ioannis Scoti Doct. subt. de subiecto Logices.

Scotus in quæstionibus suis super libro Porph. q. tertia ubi aliorum opiniones obiurgauit, suam tradidit opinionem, quæ talis est, quod subiectum primum, proprium & adæquatum & totale in logica est syllogismus, & probat Scotus hanc suam opinionem hoc modo, illud est subiectum proprium & adæquatum in arte uel scientia, quod habet omnes tres conditiones iam supra ab ipso assignatas & declaratas, sed syllogismus habet omnes illas conditiones, ergo syllogismus est subiectum in logica, maior uera est ex conditionibus, subiecti, & minorẽ probat & primo hẽt primã sigillatim in tribus conditionibus, conditionem, quoniam posuit Aristotel. definitionem ipsius syllogismi in libro priorum: habet etiam secundam conditionem, quia Aristot. in libro priorum multas passiones ostendit de syllogismo per eius definitionem. & tertiam similiter, habet, quandoquidem ab ipsum omnia considerata in logica incipiendo a libro prędicam. habent attributionem, & propter ipsum considerantur, & hanc rationem demonstratiuam esse persuadet sibi Scotus, ad cõcludendũ quod syllogismus sit adæquatum & primũ subiectum in logica. Sed quia apud Aristotel. ipse syllogismus est subiectum in libro priorum & nihil est subiectum totius & partis, ideo amplius declarauit quomodo ipse syllogismus est subiectum in tota logica, & quomodo in libro priorum. & dixit quòd syllogismus dupliciter considerari potest, uno modo quo ad passiones & definitiones quæ sibi in uniuersali tantum conueniunt, scilicet quatenus est syllogismus, alio modo potest considerari quo ad passiones & definitiones, quæ sibi conueniunt non solum in uniuersali, sed etiam in particulari, idest non solum quatenus syllogismus simpliciter est, sed inquantum talis syllogismus est, uel demonstratiuus, uel topicus, uel elenchicus. & habita hac distinctione dicit ipse, quod syllogismus primo modo consideratus est subiectum in libro priorum, secundo uero modo consideratus est subiectum in tota logica. Et confirmat hoc Scotus esse possibile per simile de corpore mobili, quod est

subiectum in tota philosophia naturali, & in parte, scilicet in libro physicorum. hæc est opinio Scoti.

Contra opinionem Scoti de subiecto Logices.

Ista positio prima est diminuta, non enim explicat rationem formalem seu modum considerandi, quo considerari debet syllogismus in logica, & propterea cum sit diminuta, dicimus quod eadem prorsus argumenta quæ supra fecimus contra Diuū Thomam & Aegid. quibus demonstrauimus eos diminutos fuisse, de directo quoque concludunt contra Scotum. Amplius arguitur directe cōtra Scotum, quod syllogismus non potest esse subiectum in logica totale & adæquatum. quoniam dixit Aris. primo poster. tex. comm. 179. quod subiectum totale debet esse unum comprehendens omnia, uel ut species, uel ut principia, uel ut passiones, sed multa sūt in logica, quæ nō reducuntur ad syllogismum tanquam species ad genus, nec ut principia nec ut eius passiones, sed tantum sicut imperfectum ad perfectum, ergo syllogismus non potest esse subiectum totale & adæquatum in logica. maior iam clara est, & minor probatur, quoniam inductio, exemplū & enthymema considerantur in logica, quæ non sunt neque species syllogismi, neq; principia syllogismi aut formalia aut materialia neque passiones eius, sicut omnibus clarum: ergo syllogismus non potest esse subiectum totale in logica. Neque etiam potest esse subiectum principale in logica, quoniam de ratione subiecti principalis est ut omnia ad ipsum & propter ipsum considerentur sicuti diffusius infra dicemus, sed omnia in logico negotio considerata sunt propter ipsam definitionem, ut etiam dicemus in quæsito de nobiliori instrumento sciendi, ergo syllogismus neque poterit esse subiectum principale in logica. Dices forsitan pro Scoto, quod erit subiectum partiale. Sed hęc responsio directe destruit opinionem Scoti quoniam ipse intelligit quod syllogismus sit subiectum totale, nam uult quod in libro prior. sit subiectum partiale, quum igitur syllogismus ipse non possit esse subiectū in logica neque totale, neque, principale, neque partiale, remanet quod opinio Scoti falsa sit nam secundo post. com. 33. omne subiectum aut totale, aut principale, aut partiale est, & sic hæc ratio optima est, cum sit ex sufficienti partium enumeratione. Præterea Scotus errat confundendo nomina. quia dicit, quod primum & proprium subiectū logices est syllogismus, ita quod per primum & propriū subiectum idem intelligere uidetur, quod falsum est, quia genus substantiarum abstractarū est primum & principale subiectū in met. & tamen non est proprium, quoniam ens est proprium subiectum in met. Amplius uidetur Sc. sibi contradicere quoniam ipse in quæstionibus primi libri priorum. q. secunda in tertio notando conclusione prima. dicit quod syllogismus non est subiectum in tota logica, & probat, quia caret tertia conditione subiecti, cū ad ipsum non omnia considerata in logica reducantur. & probat quoniam diuisio, definitio, enthymema, & exēplum non reducūtur ad syllogismum, ita ut syllogismus sit eis communis. hic uero, scilicet in tertia q. uniuer. dicit totum oppositum formaliter, quod syllogismus est subiectum in logica propter tres conditiones. ergo Scotus expresse sibi contradicit. Adhuc uidetur etiam sibi contradicere, quoniam in eadē q. secunda primo prior. dicit in sua secundo conclusione, quod instrumentum sciendi est subiectum in logica, & probat per conditiones subiecti sibi dem ab eo positas. Et in tertia. q. uniuer. probat easdem conditiones conuenire syllogismo, ergo contradicit sibi expresse. Et si aliqui Scotistæ dicant fortasse, quod uera opinio sit illa de secunda. q. primi priorum, & non ea de 3. q. uniuer. Dicimus quod hoc non non potest dici, quia omnes Scotistæ asserunt, quod propria opinio Scoti de subiecto logices, est ea de 3. q. uniuer. Et si dicas an alia opinio Scoti de 2. q. primi priorum sit uera, quod, scilicet instrumentū sciendi sit subiectum in logica? Respondemus quod hæc quoque opinio diminuta & falsa est, sicut diffusius dicemus parum post. & sic concludimus quod Scotus errat tam in 3. q. uniuer. quam in 2. q. primi priorum, loquens de subiecto totali logices.

Opinio Philoponi & Ammonii de subiecto Logices.

Ioan. Gram. in principio lib. priorum, & Ammonius in principio libri prædicamentorum asserunt, quod subiectum in logica sunt uoces, seu dictiones signantes ea quæ sunt in intellectu. & probant hanc opinionem esse ueram quibusdam leuissimis rationibus. Prima est, omnia quęcunque sunt, aut sunt in anima, aut extra animam, de ijs quæ sunt extra animam sunt scientiæ & artes reales, de his uero quæ sunt in anima considerare pertinet ad librum de anima. quare remanet quod in logica non potest aliud per se considerari tanquam eius subiectum adæquatum, nisi ipsæ uoces signantes ea quæ sunt in intellectu. Secunda ratio eorundē idem probans hæc est. tota logica uersatur circa uoces, nam prędicamenta considerantur in libro prędicamen. ut sunt uoces. Amplius nomen & uerbum considerantur in libro periherm. ut sunt uoces, & similiter in aliis libris logices consideratur de discursibus expressis per uoces, ergo signum est quod uoces quatenus significāt ea quæ sunt in intellectu, sunt subiectum totale in logica, & huius opinionis meminit etiam Auicenna in sua logica cap. 3. contra quam ipse arguit.

Contra opinionem Philoponi & Ammonii de subiecto Logices.

Quod istorum opinio falsa sit omnino, una duntaxat ratione demonstratiua aduersus eos utemur quæ talis est. illud est subiectum arte & scientia omni quod per se & proprie consideratur in tali arte uel scientia, sed uoces non per se sed per accidens considerantur in logica, ergo non possunt esse subiectum in logica. Maior est Arist. primo post. tex. com. 179. ubi dixit quod subiectum, principia, partes, & passiones, per se debent cōsiderari in arte & nō per accidens, & minor probatur etiam, quoniam non ob aliud uocibus utimur in logica, nisi ut per eas exprimamus quæ sunt in anima, ut iam declarauit Arist. in principio primi lib. periherm. ergo per accidens, quoniam dixit Arist. 5. physi. tex. com. 1. quod est tale per aliud, per accidens est tale, quare cum ipsæ uoces per accidens considerentur a logica, non poterunt esse subiectum logices. Et aduertendum quod hæc impugnatio adducitur ab Auicenna, loco citato.

Opinio Ioan. Gand. de subiecto Logices.

Alia opinio est Ioan. Gand. & magis a ueritate remota, & antequam eam explicat assumit sibi unū fundamētum, quod tale est, quod in arte duo considerari solent, unum per se & primo, alterū uero per se & non primo. Hac distinctione habita, suā ponit opinionē per duas conclusiones. Prima conclusio, per se & primo considerata in logica sunt res ipsæ. Secunda conclusio, per se tantū & non primo sunt secūdæ intentiones, & probat ipse Ioan. utrāq; conclusionē esse uerā hoc modo. illud per se & primo ab arte consideratur, de quo proprie uerificantur definitiones traditæ in illa arte, sed proprię uere de rebus uerificantur definitiones assignatæ in logica, & non de secūdis intentionibus, ergo per se & primo de rebus considerat logica

gica tanquam de subiecto eius, probat ipse minorē inducendo circa omnes definitiones prædicabiliū quæ non uerificantur de secundis intētionibus, quandoquidē ipsa prædicabilia ut sunt secundo intellecta, tam accidentia sunt, & unū accidens non prædicatur de alio, neqꝫ ēt uerificari possunt tales definitiones nisi in rebus ipsis, ut Porph. tā uerificat, quare sequitur quod res ipsæ sunt ea quæ primo & per se considerantur in logica, & ex consequenti sunt subiectum in logica, & si secundæ intentiones considerantur a logico, hoc est per se & non primo, hæc sunt quæ dicit Ioan. Gand. de consideratis a logico.

Zimara arguit contra Ioan. Gand.

Marcus Antonius Zimara in suis annotationibus quas facit super Ioan. Gand. in. q. metaph. tribus arguit mediis contra hanc opinionem Ioan. Gand. Prima ratio est, illud est subiectum in sciētia de quo demonstrantur passiones, & quod diuiditur & definitur in tali scientia, sed in logica nō demonstrantur passiones de rebus, neque dantur definitiones de eis, ergo res ipsæ non possunt esse subiectum in logica, maior est Arist. primo post. cap. de unitate scientiæ tex. comm. 179. & minorem ipse probat inductione in omnibus definitionibus assignatis in logica, quare secundæ intentionis erunt subiectum in logica, tanquam primo & per se considerata, & nō ipse res. Secūda ratio eiusdem, illud est subiectum in aliqua arte uel scientia, cuius habetur præcognitio in proœmio illius artis uel scientiæ, sed Arist. in proœmio cuiuscunque libri logices semper proponit se loquuturum fore de secundis intentionibus, idest de subiectis quę sunt secundæ intentiones & non res ipsæ, ergo signū est quod primo & per se secundæ intentiones considerantur a logico tanquam eius subiectum, & non res ipsæ, sicut dixit Ioan. maior patet in tertio rethori. cap. de prologo. Tertio arguit Zimara, scientia dicitur una ab unitate subiecti, primo poster. tex. com. 179. & octauo met. septimo & nominatur a subiecto: si subiectum logices esset res ipsa realis, tunc logica diceretur realis, quod falsissimum est, hæc sunt quæ dicit Zimara contra Ioan. Gand.

Defensio Ioan. Gand. contra Zimaram.

Ad primum argumentum Zimaræ diceret ipse Ioan. probationem minoris quod secundæ intentionis definiuntur & demonstrantur, hoc est per se tantum, sed de ipsis rebus uerificantur definitiones per se & primo, quare res ipsæ & intentiones, sunt subiecta in logica sed res primo & per se, intentiones uero secundæ, per se & non primo, & sic argumentum Zimaræ non ualet. Ad secundū quoque facile responderet Ioan. Gand. quod illius subiecti debet præcognitio tractari in prologo, per quod ars uel scientia differt ab aliis artibus & scientiis, & cum logica penes secundas intentiones differat ab aliis, & non secundum res ipsas, propterea non mirum est, si in prologo lib. logices de secundo intellectis sermonem faciat, & aduertendum quod Ioannes concedit, quod ipsæ secundæ intentiones per se considerantur a logico, nam tunc concluderent argumenta Zimaræ in eum, quando ipse Gan. negaret secundas intentiones per se a logico considerari. Tertium etiam argumentum facillime euadere posset Ioan. per ea quæ dicta sunt ad secundum, quod licet logica per se & primo res speculetur, non tamen realis dici debet, quoniam ab illo denominatur per quod ab aliis artibus & scientiis differt, & quia differt per actus rationis seu per ipsas secundas intentiones, propterea rationalis nuncupatur. & sic argumenta Zimaræ nullius uidentur esse ualoris contra Ioan. Gand.

Vera impugnatio contra opin. Ioan. Gand. de subiecto Logices.

Supradictis omnibus positionibus, opinio hęc Ioan. deterior esse uidetur, & prorsus in fine abhominationis. & quod hoc sit uerum, his rationibus comprobatur. Et prima est, quod logicus non possit primo & per se cō siderare res ipsas quoniam dixit Ar. sexto met. tex. com. secundo quod modus considerandi per se res, triplex est, aut in uniuersali & sic ad metaphysicum spectat: aut in particulari, cum motu & transmutatione, & sic ad naturalem: aut tertio sine motu & sic ad mathematicum: & nullus alius est considerandi modus præter istos, ergo falsum est logicum per se & primo considerare res. Et confirmatur hæc ratio ex Arist. in sexto met. tex. com. primo, & secundo, ubi diuidit scientias considerantes res per se & primo, in tres tantum, scilicet in metaphysicum mathematicum & naturalem, nullam prorsus faciens mentionem de logica, ergo pessime asseruit Ioan. logicam primo & per se res considerare. Secundo contra Ioann. Gand. sic arguitur ex Arist. qui dixit in primo topic. cap. octauo quod quicquid logicus considerat, est ut adiuuet artes alias & scientias, hoc idem Auer. protulit in princi. epit. logic. & in septimo met. com. 42. & Themistius in primo de anima octauo, quod logicus considerat omnia instrumenta, tunc stantibus his sequitur quod logicus nō considerat primo & per se res ipsas. & probatur ista consequentia, quoniam entia realia non possunt esse instrumēta ad artes & scientias, ergo nullo modo primo & per se res ipsæ possunt considerari a logico.

Alia opinio quorundam Latinorum de subiecto Logices.

Quidam recentiores uoluerunt subiectum totale in logica esse instrumentum sciendi: cuius opinionis longe ante hosce modernos, quosdam summularios & nominales fuisse compertimus aliis uerbis dicentes, quod subiectū totale & adęquatū in logica est modus sciendi, & quia per instrumentum sciendi & modum sciendi ide prorsus pro nunc intelligendum esse autumamus, propterea aduersus utrunque dicendi modum eędem rationes ualebunt, quibus demonstrabimus eos toto cælo aberrare.

Impugnatio supradictæ opinionis.

Vtrunque hunc dicendi modum diminutum esse, hac ratione demonstramus: subiectū cuiuslibet artis & scientiæ duas necessario habere partes, scilicet rem consideratam & modum considerandi Arist. in primo poster. tex. comment. 179. nos edocuit, ut dixi sæpe supra declaratum est. sed uterque dicendi modus unam partem subiecti assignat, scilicet modum considerandi, & dimittit aliam, scilicet rem consideratam, ut in eorum opinionibus expresse habetur: ergo uterque dicendi modus diminutus est: hæc ratio demonstratio est apud logicos peri patheticos. Posset etiam dici demonstratiue quod uterque modus sit falsus. probando quod instrumentum sciē di seu modus sciendi non possit esse totale & adæquatū subiectum in logica, quoniam habetur in primo poster. 20, 25. & in secundo poster. 33. quod subiectum totale & adæquatum in scientia comprehendit omnia cōsiderata in arte tribus modis, uel ut species, uel ut principia, uel ut affectiones: sed inductio, enthymema, exemplum, syllogismus topicus, & sophisticus, considerata in logica nullo istorum modorum comprehenduntur sub modo sciendi seu sub instrumento sciendi, ergo instrumentum

aut modus sciendi nõ potest esse subiectum totale & adęquatum in logica. Maior patet ex locis. & minor probatur præsupponendo secundo Arist. & Auerro. quod duplex sit instrumentum sciendi: scilicet demonstratio & definitio, ueluti diffusius dictum est supra in tertio quæsito de nobiliori instrumento sciendi, sed inductio, enthymema exemplum, syllogismus topicus, sophisticus, rethoricus, & poeticus non sunt principia utriusque, neque formalia ut patet. nam disparata sunt & species distinctissimæ, quarũ una non est causa, & principiũ alterius, neque materiale principium neque formale. Non etiam sunt eorum passiones, ut facile patet, & tandem non species ipsorum, quoniam una species non est pars subiectiua alterius ut omnibus notum est, absonũ enim est dicere, quod syllogismus topicus aut aliæ syllogismi species sunt species demonstrationis aut definitionis, & similiter de exemplo, inductione & enthymemate dicendum. ergo a primo ad ultimum, quum hęc omnia non comprehendantur aliquo istorum modorum sub ipso instrumento seu modo sciendi, dicendum est quod instrumentum sciendi nullo modo potest esse subiectum totale & adæquatum in logica.

Alia opinio recentiorum de subiecto Logices.

Quamplurimis quoque nostri temporis logicis uisum fuit, quod subiectum totale & adæquatum in logica sit demonstratio potissima. Et persuadent hanc eorum opinionem ueram esse, propterea quod omnia considerata in logica ad ipsam demonstrationem attributionem habent, nam hæc est una ex conditionibus subiecti totalis ueluti supra in Scotum digrediendo dictum fuit, quod subiectum totale tres habet conditiones. Amplius dicunt quód demonstratio nedum habet illam unam conditionem subiecti sed alia duas, ergo est subiectum totale & adæquatum in logica. minorem probant, quod demonstratio habeat illas conditiones subiecti, quoniam de ipsa præcognoscitur quid, ut patet primo poster. cap. quinto & sic habet primam conditionem: Habet etiam secundam conditionem, quoniam per definitionem demonstrationis possunt demonstrari passiones eius de illa. Et tertiam habet etiam conditionem, quoniam omnia considerata in logica considerantur propter ipsam demonstrationem, & reducuntur ad illam, ergo cum demonstratio habeat omnes tres conditiones subiecti totalis, sequitur quod erit totale & adæquatum subiectũ in logica, hanc rationem Achillem uolunt esse isti scioli.

Impugnatio supradictæ opinionis.

Hanc opinionem quam multi ex nostratibus sequuntur, ex toto falsam esse demonstramus. Primo falsa est, quoniam subiectum totale est illud quod omnia in arte secum amplectitur, ut principia, partes, passiones: sed ipsa demonstratio potissima non claudit alia considerata in logica, neque ut principia, neque ut partes, & etiam neque ut passiones ergo non potest esse subiectum totale et adæquatum in logica. Maior habetur in primo poster. 20. 25. & Auerro. secundo poster. commen. 33. Minor etiam uera est quoniam ut supra diximus, syllogismus topicus, sophisticus, rethoricus, & poeticus non possunt esse, neque principia, neque partes, neque passiones ipsius demonstrationis potissimæ, & similiter dicendum est de inductione, exemplo & enthymemate, ergo quum hęc omnia considerata in logica nullo istorum modorum trium considerentur propter ipsam demonstrationem potissimam, sequitur quod ipsa demonstratio potissima non potest esse subiectum totale & adæquatum in logica, cũ careat conditionibus requisitis ad subiectum totale in arte. Nec me præterit hæc omnia reduci ad demonstrationem sicut imperfectum ad perfectum ueluti Græci dicũt & Auerroes, sed intentum nostrum est probare, quod hæc supradicta formaliter & realiter non sunt principia, partes subiectiuę, & passiones ipsius demonstrationis, sicut uere requiritur ad essentiã subiecti totalis & adæquati in scientia, at hæc omnia non sic sunt, scilicet realiter & formaliter aut principia, aut partes, aut passiones demonstrationis. Secundo probatur quod neque ipsa demonstratio possit esse subiectum principale in logica. Et hæc quę modo dicentur particulariter, diriguntur contra nostrates asserentes, quod & si demonstratio non est subiectum totale & adęquatum in logica, est tamẽ, subiectum principale in logica. & adducũt pro ipsis opinionẽ omnium fere Græcorum sic profecto affirmantiumquod demonstratio est principale consideratũ in logica, & per consequens est principale subiectum logices. Quam opinionem omnino falsam esse demõstrauimus alibi in quæsito de nobiliori instrumento sciendi, ubi ex intento conclusimus iuxta Arist. & Auer. doctrinam, quod definitio est nobilior demonstratione omnibus modis, scilicet nobilitate subiecti, certitudine medii, et ratione separationis a materia, quorum omnium probationem quia prolixe ibidem exarauimus. propterea eam in præsentiarum sub silentio pertranseũdam fore duximus. quum igitur ita sit quod definitio longe nobilior est quam demonstratio, sequitur ex necessitate, quod definitio sit principale subiectum in logica & non demonstratio, & hęc ratio est demonstratiua. Amplius dixit Auer. in primo post. 11. quod scientia demonstrationis desideratur propter scientiã definitionis, & in secundu poster. comm. 38. dixit quod quicquid tractatur in primo lib. ordinatur ad definitionem de qua agitur in secundo libro ex quibus locis clarissime excerpere possunt Auer. sectatores quod cum demonstratio ordinetur ad definitionem, sequitur ꝙ definitio perfectior sit quam demonstratio. Sed animaduertendum, quod licet ipsa demonstratio non possit esse subiectum totale in logica, ac etiam principale ut iam dudum demonstratum est, tamen potest esse subiectum partiale ut inferius, scilicet in secundo cap. ad aures Arist. & Auer. prolixius dicetur. Tertio & ultimo arguitur contra eandem opinionẽ, probando quod sit diminuta: quoniam dixit Arist. in primo poster. tex. commen. 179. & clarius Auer. in comme. ut etiam supra pluries dictũ est, quod ad essentiam subiecti duo necessario exiguntur, ratio materialis & ratio formalis, idest res considerata & modus considerandi, & cũ unum eorum deficit, tale subiectum diminutum erit, & totalis diminutio erit si forte modus considerandi deficiet cuius ratio est secundum Arist. & Auer. quia modus considerandi sumitur a forma ut dictum est in quæsito de lib. prædicam. in. 2. ratione demonstratiua. ad rem igitur redeundo dicimus, sed talis opinio dicens demonstrationem esse subiectum logices dimittit rationem formalem idest modum considerandi, ergo est diminuta. probatur minor quoniam solum dicitur ab istis ꝙ demonstratio est subiectum in logica, & nõ assignant rationem formalem, idest modum sub quo demõstratio est subiectum, seu sub qua ratione considerandi demonstratio quæ est res considerata est subiectum in logica. ergo cum hæc opinio tantum assignet rem consideratam & non modum considerandi, sequitur quod sit diminuta, quin immo totaliter diminuta, quoniam deficit ei ratio formalis a qua est tota subiecti essentia. Ex quibus omnibus concludimus istorũ opinionem omnino falsam esse, firmissimeq; asserimus eos haudquaquam rationibus hisce aliqua ex parte satisfacere posse.

Opinio cuiusdam moderni nostri temporis de subiecto Logices.

Quidam nouissimus in suo opusculo, quod paucis ante diebus in lucem edidit, subiectum in logica modũ cognoscendi fore prolixius examinauit, quem similiter toto cęlo aberrare demonstramus. Primũ erat, quoniam diminutè assignat subiectum, nam ut superius creberrime dictũ est aduersus aliorum positiones, totum esse subiecti necessariò ex duobus conficitur ex re considerata & modo considerandi ut latius enucleauit Auer. primo poster. commen. 179. & secundo physic. 17. 18. & assignatur ratio, quoniam ars uel scientia differt ab altera nedum ex re considerata, sed etiam ex modo considerandi ut diffusius diximus in quęsito præcedẽti an logica sit scientia, tũc habito hoc præsupposito peripathetico, sub sumo minorẽ, sed iste uir reliquit rem cõsideratam, & tãtum posuit modum considerandi seu rationem formalem, ergo expresse diminutus est. Minor ista probatur. Primo præsupponendo quod modus, uia, & instrumentum sciendi seu notificandi sint idem ex secundo metaph. 7. Secundo etiam præsupposito quod modus seu instrumentum sciendi sit ratio formalis subiecti logices ueluti latius dicemus in secundo cap. huius quęsiti ad aures Arist. in primo topic. cap. 8. & secundum Auer. in prologo primi poster. & in epit. logic. in principio, & in septimo metaph. commen. 42. ex quibus sane præsuppositis facillimè patet hãc quoq; positionem diminutam esse. Secundo sibi contradicit, quoniam in enumerãdis opinionibus de subiecto logices, inter alias excludit primo positionem asserentium orationem esse subiectum logices, & parum post suam asserendo opinionem dicit quod modus cognoscendi qui est oratio est subiectum in logica, & sic expresse sibi contradicit. At fortasse pro eo dices quod ipse posuit orationem esse subiectũ in logica sub modo cognoscendi, & hanc opinionem ipse non impugnauit, sed eorum qui orationem dumtaxat sine alio additio in logica subiectum assignarũt, & sic nulla est contradictio in eis placitis. Sed hæc euasio nequaquam satisfacit, quoniam & si non contradicit sibi in ratione formali subiecti, hoc saltem habebo, cum sibi contradicere in ratione materiali, & sic rationes quas ipse adducit quod oratio non sit subiectum, erunt etiam directe contra eum. quamobrem ista positio siue ponat modum cognoscendi siue orationem sub modo cognoscendi, semper dicendum est quod non est peripathetica. Nec me præterit id esse falsum quod ipse pro primo fundamento assumpsit, quod tria duntaxat sunt instrumenta notificandi seu cognoscendi in logica, scilicet demonstratio syllogismus topicus, & definitio, sed huius erroris plenariam notitiam in quæsito de subiecto secundi lib. post. habebis, ubi demonstrabo quod si ipse per instrumenta sciẽdi intelligit ea quæ uere faciunt scire, tunc non erunt tria ut ipse imaginatur, sed duo tantum, scilicet definitio & demonstratio ad aures Arist. & Auer. quoniam cum duo tãtum sint scibilia, scilicet substantia & accidens propriũ ut patet primo de anima. 3. duo quoq; erunt instrumenta sciendi definitio circa substantiam, & demonstratio penes accidens proprium, & sic superfluus erit syllogismus topicus. neq; etiam aliquo modo uerum esse, potest, quod ipse syllogismus topicus sit instrumentum generatiuum scientiæ, sicut clarum est. Si uero intelligit quòd tria sunt instrumenta cognoscendi nõ coarctando ad cognitionem scientificam, adhuc dico quod grauiter errat, quoniam multa cognoscuntur quæ neque demonstratione, neq; definitione, neq; syllogismo indigent tanquam instrumẽtis ad hoc ut cognoscantur, & hæc sunt (ut dixit Auer. secundo poster. primo & primo coeli secundo,) ea quæ aliquo modo nota, & aliquo modo ignota uidentur, quę si debent nobis cognosci, opus est uti hac disciplinæ maneriæ, scilicet inductione, exemplo, & enthymemate, & nõ demonstratione, aut definitione, aut syllogismo topico, quæ tantum per se ignotis deseruiunt, sicut inferius ostendemus, ergo non tria cognoscendi instrumenta, sed multo plura quam tria. Neq; ualet eius responsio quãdo dicit, quod licet sint plura, tamen omnia alia reducuntur ad hęc tria tantum. Et primo probatur quòd non possint reduci ad definitionem, quoniam definitio non dicit esse, aut non esse, ut habetur primo poster. tex. commen. 14. primo periherm. 4. secundo poste. cap. 2. & primo top. 4. sed inductio, enthymema, & exẽplum aliquid de aliquo enunciant, ergo non possunt reduci ad definitionem. Secundo neq; possunt reduci ad demonstrationem, quoniam quæ differunt specie unum eorum non potest reduci ad aliud: sed inductio, exemplum, & alia differunt specie ab ipsa demonstratione, ergo non poterunt reduci ad demonstrationem. Maior uera est, minor probatur, quoniam differunt diffinitione, ergo differunt specie, & patet consequentia per Arist. in sexto topic, & per Porphy. dicentes definitionem ingredi duas differentias, quarũ una est diuisiua, altera uero constitutiua, sed differẽtia constitutiua est specifica secundum etiam Arist. & Porph. ergo a primo ad ultimum uera est illa minor, quod inductio, exemplum, & alia differant specie a demonstratione. Tertio quod neque ad syllogismum topicum reducantur, eisdem prorsus rationibus confirmatur, quibus dudum probatum est, quod minime ad demõstrationem possint reduci. Fortasse quispiam dicet, quod alia instrumenta reducuntur ad hæc tria sicut imperfectum ad perfectum, ueluti docuit Auer. in primo poster. in prologo. Sed hæc quoq; euasio eneruatur, quoniam per ipsũ met Auer. loco pręfato, ac etiam ex auctoritate omnium græcorum ipse syllogismus topicus reducitur ad demonstrationem sicut imperfectum ad perfectũ & sic non erunt tria instrumenta, sed tantum duo, demonstratio & definitio. ex quibus omnibus opinionem huius uiri tum in se cum etiam in suis fundamentis erroneam esse ac non peripatheticam esse inferimus. Reliquum est ueram ac propriam opinionem iuxta Aristote. & Auer. doctrinam in medium afferre.

Secundum caput, in quo propria opinio de subiecto Logices narratur, iuxta Aristote. & Auerro. doctrinam, contra omnes logicos.

VEra ac peripathetica opinio de subiecto totali & adęquato logices ex Ari. & Auer. excerpta est, quod secundo intellecta ut instrumenta notificandi sunt subiectũ totale & adæquatum in logica. Sed quia huiusce opinionis ueritas haudquaquam clare & distincte percipi potest, nisi prius fundamenta quibus innititur intelligantur, propterea ut ea declaremus, supponenda nobis sunt quædam. Primũ præsuppositum seu fundamentum est, quod hoc nomen subiectum, æquiuocum est apud Arist. & Auer. & quum sit æquiuocum prius distinguẽdum est ex regula Aristote. primo. coeli tex. comm. 110. ne anceps intellectus noster remaneat. subiectum ergo quod ad hũc locũ pertinet bifariam est, unum est prioristicum & est illud quod consideratur in ordine ad prędicatum, sicut dixit Arist. primo priorum cap. primo subiectum est illud de quo prędicatum dicitur, & de hoc non intendimus loqui. alterum uero est posterioristicum, & hoc est subiectum artis uel scientiæ de quo dixit Aristo. primo poster. tex. commento. secundo quod oportet præsupponi quid & quia, & in tex. commen. 179. plura alia dicit ut exponit Auer. & de hoc significato subiecti intendimus in hoc quęsito, quando quęrimus quod est subiectum in logica facultate. Secundum præsuppositum est, quod subiectũ

artis seu posterioristicū de quo loquimur hic duplex est, quoddam est actuale, & quodam est uirtuale, nam dicitur subiectum actuale quatenus actu cōsiderātur passiones de eo, dicitur uerò uirtuale, quando non actu de eo considerantur passiones, sed de altero in ordine tamen ad eius cognitionem. exēplū utriusque, uniuersum de subiectum in lib. de cœlo & mundo, dico actuale & uirtuale, & tunc est actuale quum de eo actu dicuntur proprietates eius, sed quādo eius prædicata dicuntur de principiis, scilicet de elementis, & passionibus suis, tunc ipsum uniuersum non actuale dūtaxat dicitur subiectum in lib. de cœlo, & ipsa elementa dicūtur subiecta actualia, scilicet, in tertio & quarto libro. & animaduertendum quod fere semper subiectum actuale & uirtuale re ipsa conueniūt, & ratione tantum differentia sunt. Tertiū præsuppositū: subiectum artis siue actualiter siue uirtualiter fuerit consideratum, triplex est. hæc distinctio excerpitur ex Auer. in secundo poster. comm. 33. & ex quarto cœli commento. 32. ex quibus locis colligitur quod subiectum artis tribus modis est, totale, principale, & partiale. Et aduertendum quòd secundum Arist. & Auer. in eadem arte uel scientia hæc triplicia subiecta reperiūtur exemplum est metaph. cuius subiectum totale adæquatum est ens inquantum ens, ut dixit Arist. quarto metaph. tex. cōmen. primo, habet etiam subiectum principale, quod est substantia separata a materia ut dixit Auer. in 12. diuinorū commen. primo, & in primo phys. cōm. ult. & tertio habet subiectū partiale, & sunt decem prædicamenta ut Auer. enucleauit in paraphr. metaph. tract. secundo in principio, ubi dicit quòd ens est subiectum essentiale scientiæ diuinæ, & decem prędicamenta sunt species entis, & similiter in sciētia naturali hæc tria subiectorum genera facile reperies. Sed quia horum subiectorū cognitio in omni arte uel scientia maximopere est necessaria, propterea non ab re erit paululum immorari in unoquoq; ipsorum declarādo quid sit, quoue modo a nobis cognosci possit. Et primo occurrit declarandum quid sit subiectū totale, & adęquatum in scientia. Respondet Auer. in secundo poste. com. 33. quod subiectum totale & adæquatum est quod comprehēdit & adæquat sibi totam artem adeo quod nihil in arte per se consideratur (nisi de bonitate) quod non sit uel ipsum, uel principia, uel species, uel passiones eius subiecti sicut dixit Arist. primo poster. tex. com. 179. Et sciendum secundum Arist. & Auer. quod subiectum totale & adæquatū sciētiæ tribus nominibus uocatur, genus, compositum, & subiectum: Dicitur genus quatenus refertur ad species idest ad suas partes subiectiuas, exemplum huius, corpus naturale in cōmuni subiectum in philosophia naturali, est tanquam genus omnium specierum corporū naturalium quæ sunt partes subiectiuæ seu species eius. Dicitur compositum respectu suorum principiorū, sicut dixit Auer. primo physic. com. 65. ens naturalem cōpositum ex materia & forma. Dicitur etiam subiectum, sed in ordine ad suam passionem, sicut dixit Aris. in primo top. cap. 4. & sic patet quod cum subiectum tria habeat. s. partes principia, & passiones, ut dixit Ari. primo poste. tex. commen. 179. tribus etiam modis nominatur, ex quibus patet ꝙ non mirum est, si frequenter Arist. totale consideratum in arte uel scientia, nuncupat subiectum, & plerūque genus, ut dixit primo poster. cap. 43. tex. com. 179. & aliquando compositum ut Auer. pro eo dixit in primo physic. com. 65. Modus autem cognoscendi quando subiectum est totale & adæquatum in sciētia facile colligitur ex his, quòd, scilicet tunc subiectum est totale & adæquatum in scientia, quando non excedit neque exceditur ab ipsa modo iam declarato. hæc circa subiecti totalis triplicem nomenclaturam dicta sufficiant. Subiectū principale artis uel scientiæ, est nobilior ac perfectior pars inter alias ipsius subiecti totalis & adæquati, exemplum, in tot decem prædicamenta quæ sunt species entis, nobilior species quæ substantia est, dicitur principale subiectū, & primus motor subiectum principale dicitur in lib. physic. Sciendum etiam quod subiectum principale ab Auer. uariis nominibus nūcupatur. s. prima intentio, primus finis, & primo intentus, ut colligitur ex octauo physico. cōm. primo. & duodecimo metaph. com. primo ex iis quoque patet modus quo facilius scire ualeamus quādo subiecto est principale in arte. Subiectum uerò partiale artis aut scientiæ, est omne aliud a subiecto tali, & sic dicimus secundum Arist. & Auer. in primo poster. tex. com. 179 ꝙ principia, partes, & passiones subiecti totalis sunt subiecta partialia in arte uel sciētia. Sed aduerte quòd principia & passiones non dicuntur subiecta quatenus principia & passiones sunt sed inquantum subiiciuntur prædicatis per se cōsideratis de illis, & hoc modo uenit intelligēdus Auer. in secundo physic. cō. 3. quando dixit quod natura & principia naturalia sūt subiectum istius libri. Amplius scito, ꝙ omne subiectum principale est partiale sed non econtra modus etiam patet ex iis, ad cognoscendū quod est subiectū partiale in arte. ꝙ. s. est omne aliud per se consideratum in arte, præter subiectum totale. Quartum præsuppositum hoc est, ꝙ unumquodq; istorū trium subiectorū duas essentiales partes habet, sine quibus nullo modo subiectum esse potest, hoc præsuppositum est Aris. & Auer. in primo poster. tex. com. 179. ubi asserunt ex duobus essentialiter constitui quodlibet artis uel scientię subiectum. s. ex re considerata & modo considerādi, quæ duæ partes a latinis communiter dicūtur ratio materialis & ratio formalis, sed animaduertendum est, quòd res considerata est sicut materia, quoniam ut materia ex septimo metaph. 8. est in potentia determinabilis per plures formas, sic una res cōsiderata cum diuersis modis considerandi, potest à diuersis artibus considerari. Modus uero considerandi assimilatur formæ, quoniam sicut forma ex secundo de anima, tex. cōmen. 2. dat esse, & unitatem, tum materiæ cum etiam composito. ita modus considerandi dat esse & unitatem ipsi subiecto. exemplū est de corpore, de quo metaphysi. mathematicus, naturalis, & medicus considerant, diuersis tamen considerandi modis nam quatenus ens, solū a metaphysico ex quarto meta. primo & ex sexto metaph. 2. quatenus mobile & cū materia, sic a naturali. quatenus uero est quantum, sic a mathematico, & demum ut sanabile est, a medico, & sic patet quod eadem res diuersimode consideratur, ex multiplici considerandi modo. ex quibus sequitur quod cum subiectum cōponatur ex iis duabus partibus, necessariò ex illis erit, & nullo modo sine illis aut sine uno ipsorum esse poterit, sicut etiam supra in aliorū opiniones arguendo diximus, quoniam sicut in naturalibus materia & forma sunt necessariæ eorum partes & essentiales. sic etiam & in arte, & patet cōsequentia, quoniam ars astipulatur naturæ, quarto metheor. tex. comm. 28. & dixit Auer. in secundo poste, commen. 94. ꝙ tunc ars est uera quum insequitur opus naturæ. quamobrem concludēdum est ex his omnibus pro quarto præsupposito secundum Arist. & Auer. subiectum quodlibet, totale. principale, & partiale, ex duabus constitui essentialiter partibus, aliter & subiectū & scientia ruerent. Quintum præsuppositum de conditionibus ac proprietatibus subiecti secundū Aristo. & Auerroem tale est. quod subiectum artis uel scientiæ quatuor habet conditiones seu proprietates. Prima est ut de eo præsupponatur præcognitio quid nominis. Secunda, ut de eo præsupponatur ipsum esse notum. Tertia, ꝙ necessario de eo demonstrentur passiones. Quarta uero & ultima conditio conueniens omnibus subiectis, scilicet totali, principali, & partiali est hæc, quod considerari per se debēt in scientia cuius sunt subiecta. Sed quia istę quatuor conditiones nō ęqualiter conueniūt subiecto totali

princi-

principali, & partiali, propterea necessarium est declarare quæ conditiones omnibus subiectis, & quæ alicui ipsorū conueniunt. Et primo circa primam conditionem subiecti de qua Aristoteles primo poster. tex. comm. 2. & tex. commen. 76. loquitur, dicimus ꝙ conueniunt subiecto totali, partiali, & principali. Sed animaduersione dignū, ꝙ quando subiectum est manifestum, illius præcognitionē ars despicit, & huius causam assignat Aristote. in primo poster. tex. com. 76. cap. 25. quia est manifestum. & uult sic dicere Arist. ꝙ ars uersatur circa difficilia ut patet primo metaph. primo, sed quid nominis quando est manifestum est facile, ergo ars non eius præcognitionem habere curabit, quinimmo despiciet. Exemplum est clarum de ente quod secundum Aristotelem subiectum est in metaph. 4. metaph. tex. comm. primo, cuius tamen quid nominis præcognitionem ars metaphysica despexit, sicut supra etiam diximus. ex quibus omnibus resolutè hoc colligendum est pro prima conditione subiecti, ꝙ tunc necessariò de subiecto debet præcognosci quid nominis, quando illud non est per se manifestum, sin autē, haudquaquā præcognoscendum est, & hoc omnes fere ignorarunt. Amplius pro secunda conditione subiecti notādum est quòd talis conditio tantum subiecto totali cōuenit, non autem subiecto principali & partiali, ut dicit Auer. 4. cœli. com. 31. & secundo poster. com. 33. nam possunt demonstrari, & est exemplum de primo motore, qui est subiectū principale in octauo physicor. & tamē demonstratur. Sed notandum est contra omnes & antiquos & modernos logicos, ꝙ quādo dicimus ꝙ subiectum totale non potest demonstrari, hoc intelligitur duntaxat demōstratione quia & similiter, sed inficiamur non posse demonstrari demōstratione propter quid, neq; enim reperitur Auerro. huius oppositum sensisse, & hoc animaduertant moderni Auerroistæ. Quomodo autem hoc sit uerum diffusius dicemus in proprio quæsito an subiectum possit demonstrari, sed in præsentia sat sit monstrasse locum. Pro tertia cōditione subiecti scito, quòd talis conditio competit omnibus subiectis sigillatim, principali, partiali & totali. Sed animaduertito, quòd de subiecto totali distinguēdū est, quoniam aut est uniuocum, aut analogum (sicut pulcherrimè Auer. declarat in primo poster. com. 179.) si est uniuocum, tunc de eo necessariò demonstrātur passiones. si uerò fuerit analogum, non necessario demonstrantur passiones de eo, quoniam analogum ex quarto metaphy. 2. non habet unam naturam de qua passint demōstrari propriæ eius passiones, sed quum demonstrantur de partibus & speciebus sui, completur & habetur perfectè sciētia de ipso analogo, exemplū est de ente subiecto metaph. de quo Aristot. non demonstrauit passiones, sed de partibus duntaxat & speciebus suis. s. de substantia, & aliis prædicamētis, & sic cōplete & perfecte habetur scientia de ipso ente. hæc ex placito Auer. primo poster. cō. 179. excerpta sunt. Demum pro quarta & ultima subiecti conditione, annotandum est, quòd licet omnia subiecta per se cōsiderentur in scientia. s. ipsum subiectū totale, partiale, & principale, nihilominus diuersis modis hoc esse dicitur, nam totale subiectum per se consideratur in arte, sed nō primo, & similiter subiectum partiale. at subiectū principale per se & primo cōsideratur in arte. Vnde hanc conclusionem inferimus, quòd omnia in arte uel scientia sciri debent propter scientiam de principali subiecto, & hoc comprobatur auctoritate Auerr. & exemplo, auctoritas clarissima est Auer. in primo phy. com. ult. in cuius calce dixit, ꝙ omne quod dixit Arist. in lib. physi. principaliter est propter primum principium mouens, hoc idem quoq; repetit in octauo physicor. in com. primo, & hoc etiam explicauit in primo poster. com. 11. quod quicquid habetur in primo libro poster. analyticorum. desideratur propter scientiam definitionis, quod sane cōfirmauit postea in secundo poster. com. 38. Amplius exemplo hoc totum manifestari potest, metaphysicus siquidē cōtemplatur ens quatenus ens, eiusq; partes ut patet quarto meta. tex. com. primo. Sed hæc profectò non aliorsum, nisi propter cognitionem subiecti principalis, quod est substātia ultima, ut dixit Auer. duodecimo metaph. com. primo, ex quibus omnibus concludimus pro quinto præsupposito ꝙ quatuor sunt cōditiones subiecti scientiæ uel artis. Et per cōsequens patet Scotum in assignandis illis tribus cōditionibus subiecti, duobus modis errasse. Primò quia indistinctè & inordinate processit. non enim distinxit et determinauit de quo subiecto uerificantur tales conditiones nam dictum est triplex esse subiectum in scientia totale, partiale & principale. Secundo errauit quia tertia conditio subiecti non potest conuenire subiecto totali & probatur, quoniam ens est subiectum totale in metaph. nō tamen propter ipsum omnia considerātur, sed propter substantiam quarto metaph. primo. & duodecimo metaph. primo. Amplius Scotus uidetur sibi contradicere, quoniā in primo metaph. quæstione prima, in primo sentētiarum in prologo in secunda quæst. lat. ad secundum arg. & amplius in quæst. elench. quæst. tertia, asserit quod nihil prohibet subiectum totale posse demonstrari demōstratione quia. s. a posteriori: Cuius oppositum sentit in. 3. quæstio. uniuer. ubi uult pro prima conditione subiecti, quod de eo præsupponatur quid & quia, ergo si conditio subiecti est, ut de eo præsupponatur esse notum, tunc non debet demonstrāri quare sibi contradicit. Plura alia aduersus eum superius diximus, & dicemus etiam in quæsito proprio an subiectum possit demonstrari, ibiq; rationes Scoti suorūq; sequacium probātium subiectum posse demōstrari a posteriori facile soluentur. Sextum præsuppositum est de re considerata per se a logico. quæ secundum Aristo. sexto metaph. ult. & secundum Auer. quarto metaph. 2. est ens causatum ab intellectu, ut etiā supra diffusius diximus contra Ioan. Gand. Sed animaduersione dignum est, quòd entia quæ fiunt ab intellectu seu ipsa secūdo intellecta in duplici modo sunt, quædam positiua, & quædam priuatiua. Positiua sunt ea quibus aliquid correspondet ex parte rei idest sunt ea quorum fundamenta sunt entia realia mediate uel immediate & secundum totum. Priuatiua uero sunt ea, quibus præter esse quod habent ab intellectu, nihil profectò correspondet extra animam secundum totum, & hæc sunt omnia entia chimerica, ut sphynx, tragelaphus, & mons aureus, & demum omnes animi nudæ notiones. qua distinctione habita, dicimus quod entia intentionalia duntaxat positiua, sunt res per se consideratæ a logico, & non intelligimus de entibus intentionalibus priuatiuis, quia quod, non est non contingit sciri. Amplius sciendum etiam illud est, quod ipsa entia intentionalia positiua neque etiam considerantur omnibus modis per se ab ipso logico, nam tribus in modis considerari possunt, uel inquantum sunt entia, uel quatenus sunt effectus intellectus, aut uerò quatenus sūt instrumenta, per quæ intellectus fertur ad res ipsas ad extra & illas intelligit. Primo modo ad metaphysicam spectant. Secūdo ad animasticum ut dicemus inferius in quæsito proprio quomodo secundæ intentiones considerantur a logico. Sed tertio modo considerantur a logico, ut scilicet sunt instrumenta notificandi. ex quibus omnibus pro sexto præsupposito hoc resolutè & distinctè dicendū est, quod res per se considerata a logico est secundo intellectum non priuatiuum, sed positiuum, neque omnibus modis consideratum, sed tertio ut iam dictum est. Septimum præsuppositum est de modo considerandi ipsius logici, & dicimus quod modus considerandi logici, idest modus quo logicus considerat ipsa secundo intellecta positiua est iste ut scilicet sunt instrumenta. hoc dixit Arist. primo top. cap. 9. & Auer. in primo poster. in prologo, in

epito.logic.in principio,& in septimo meta. comm.42.et Themist.in primo de anima cap.8.& est ratio quare logicus desiderat omnia instrumenta quoniam.6. metaphy. secundo, modus considerandi sumitur a modo definiendi, sed logicus definit omnia ut instrumenta, ergo cõsiderare debet ut instrumenta, minor uera est inducendo in omnibus definitionibus exhibitis ab Arist.in logico negocio, exemplum, demonstratio est syllogismus quo noscimus&c.alia exempla adducemus in proprio quæsito.ex quibus omnibus præsuppositis tres deducimus cõclusiones responsiuas ad quæsitum,& omnes ueræ.Prima conclusio, subiectum totale & adæquatum in logica sunt secundo intellecta positiua instrumenta notificandi. Et aduertẽdum quòd assignamus secũdo intellecta positiua pro re considerata,seu pro ratione materiali, quæ res considerata ut diximus assimilatur materiæ.Et pro modo cõsiderandi seu pro ratione formali assignamus,ly,ut instrumenta,quæ assimilantur formæ.Amplius dicimus quod secundo intellecta ut instrumenta notificandi,& nõ ut instrumenta sciendi,& huius ratio est, quoniam sub instrumento notificandi clauduntur omnia alia instrumenta ut syllogismus topicus,inductio,exemplũ,& enthymema, quæ sane non uere cõprehenduntur sub instrumento sciẽdi. quare patet quòd non ab re diximus, quod secundo intellecta ut instrumenta notificandi & non sciendi,sunt subiectum totale& adæquatum in logica.quòd autẽ istã cõclusio sit uera, facile patet ex ueritate & probatione eorum quæ dicta sunt in præsuppositis. Sed dices,contra, uideris expresse tibi contradicere & dupliciter. primo circa rem consideratam subiecti totalis logices,secundo circa modum considerandi eiusdem. Primum probatur sic quoniam hic dicis ꝙ secundo intellecta sunt res considerata & ratio materialis subiecti logices. in scriptis uerò super prologo magno commen. Auer. in primo lib. poster. dixisti ꝙ instrumẽtum sciendi est subiectum in logica,& sic tibi contradicis. Secundo etiam probatur, quoniam hic dicis quod modus considerandi est instrumentum notificandi, sed in scriptis in prologo magno comm. Auer. dicis ꝙ est instrumentum sciendi. ergo tibi contradicis. Respondetur ꝙ non est contradictio,neq; in ratione materiali,neque etiam in ratione formali,nam quando dixi in scriptis in prologo Auer.in primo poster.quòd instrumentum sciendi est subiectum in logica,dico ꝙ intellexi de subiecto formali,idest de ratione formali subiecti logices,& non de ratione materiali seu de re considerata, & sic non est contradictio quo ad rem consideratam. Neq; etiam contradictio est quo ad modum considerandi,quoniam quando dixi in prologu poster. Auer.quod instrumentum sciendi est subiectum,dico quòd per instrumentum sciendi intellexi instrumentum notificandi.& accepi ibi scire, communiter, & fusius pro notificare.Secunda conclusio,subiectum principale in logica est definitio,& ratio est,quia definitio nobilior ac perfectior est demonstratione, cæterisq; aliis in logico negotio consideratis, ut diffusius latiusq; diximus in proprio quæsito ubi iuxta Arist.& Auer.placita demonstrauimus definitionem esse instrumentũ nobilibus,longeq; præstantius omnibus pertractatis in logic.habita igitur ueritate ꝙ definitio est nobilior, sequitur de facili ueritas huius secundæ conclusionis, quod principale subiectum in logica sit definitio. Sed circa hanc etiam secundam conclusionem dubitabis quandoquidem in quæstio de subiecto logices,diximus principale subiectum logices esse demõstrationem& definitionem. At in prologo Auer. primi libri poster. diximus definitionem duntaxat esse principale subiectum logices & non demonstrationem,ergo contradictio est expresse, Respondemus,quod haudquaquam est contradictio,nam quando dixi in proprio quæsito quòd demonstratio est principale subiectũ in logica, cõparaui ipsam ad alias species syllogismi, nam omnibus notum est demonstrationem longè nobiliorem esse aliis syllogismi speciebus, & si nobilior. ergo erit principalius cõsideratum in logica quam alii syllogismi,sed non dixi quod sit principalius consideratum in logica respectu omnium cõsideratorum in logica includendo etiam definitionem. At in prologo Auerro.in libro poster. comparaui demonstrationem ad definitionem, & conclusi definitionem esse principale subiectum in logica,quia nobilior est & demõstratione & aliis omnibus logicalibus instrumentis. Tertia conclusio,subiectum partiale in logica est demonstratio. Et animaduertito quòd necũ demonstratio est subiectũ partiale logices facultatis, uerum etiam & plura alia, nã quot tractatus seu libri logices sunt,tot subiecta partialia habentur de quibus subiectis partialibus in eorum quæstis proprius sermo erit. Amplius sciendum est,quod ueritas harum trium conclusionum,atq; probatio latius habẽtur in præsuppositis. Nunc ad pleniorem & clariorem nostræ determinationis notitiam, aliqua iuniorum dubia hic apponemus,ex quorum dissolutione luculentius ac clarius huiusce quæsiti ueritas percipietur.

Instantiæ quorundam aduersus hanc nostram determinationem de subiecto logices.

Primo sic arguunt,de subiecto præsupponitur quid & quis,ex primo poster.2.& tex.com.76.cap.25.Sed Aristoteles non præcognouit quid nominis secundo intellectorum in logica,ergo non possunt esse subiectum in logica,cum careant prima conditione subiecti. Secundo, etiam ex auctoritate Arist.primo poster.cap.20 & 25. ꝙ de subiecto opus est ut passiones demonstrentur in arte uel scientia,sed in logica non demonstrantur passiones de secundo intellectis,ergo ipsa secundo intellecta minimè poterunt esse subiectum in logica. Tertio, modus considerandi sumitur a modo definiendi ex Arist.6. metaph. tex.com.2.(ut etiam supra dictum est a nobis) sed definitiones datæ in logica non uerificantur de secundo intellectis, ut patet in Porphy.& in Arist.sed tantum uerificantur in rebus, ergo si definitio non uerificatur in secundo intellectis neque erit modus considerandi de ipsis, & sic non erunt subiectum in logica,&hoc argumentum facit particulariter pro opinione Gand. Quarto, subiectum debet esse unum,uel analogum,uel uniuocũ fuerit,ex primo poster.tex com.197.sed secundo intellecta sunt plura,ergo non possunt esse subiectum in logica. Quinto dixit Auer.tertio cœli com.4.quòd scire est subiectum in logica,ergo non secundo intellecta, ut instrumenta notificandi sunt subiectum in logica. Sexto, dixit etiam Auer.in epito.logic.in cap. de rebus communibus formationi & uerificationi simpliciter, quòd genera & species decem prædicamentorum sunt subiecta in scientiis,& in logica,ergo non secundo intellecta ut instrumenta notificandi. Septimo,dixit Arist.in primo posterior. tex. com.179.quòd una scientia uel ars est unius generis subiecti sed logica est una facultas,ergo unum debet habere subiectum & non tria ut determinatum est per tres cõclusiones.Hæc sunt potiora media quæ fieri possũt in nostram hanc positionem de subiecto logices.

Solutiones ad hæc dubia.

Ad primum,facilis iã est solutio per ea quæ dicta sunt in præsuppositis, & etiam in Scotum digrediendo,quod nõ necesse est de subiecto præsupponi quid nominis,quãdo est manifestum ut dicit Arist.primo post.cap.25.tex. com.76.at non mirum est si Arist.quid nominis secundo intellectorum non assignarit,quoniam manifesta sunt, ut inferius latius digrediemur. Ad secundum ex præsup/

positis

positis etiam patet solutio, ubi diximus ꝙ secundũ Arist. & Auer. non oportet ut de subiecto analoga demonstrentur passiones, at secundo intellecta sunt subiectum analogum & non uniuocum. Ad tertium diffusius dicetur inferius in responsione ad argumenta Ioan. Gand. pro nunc breuiter dicimus ꝙ definitiones traditæ in logica uerificãtur de secundo intellectis ut sunt signa & instrumenta ad cognoscendum quidditates rerum ut dixit Auer. septimo metaph. com. 42. & Themi. primo, & de anima octauo.

Ad quartum dicitur cum Auer. ꝙ subiectũ analogũ non requiritur esse unum, at ut dictum est ipsa secundo intellecta sunt subiectum analogum, unitas enim necessariò subiecti uniuocationem insequitur, ut alias longior sermo habebitur. Ad quintũ, respondetur ꝙ Auer. non intellexit ibi de subiecto posteriorístico seu de subiecto artis, sed per subiectum intellexit præcognitum seu præsuppositum, na quod quãdo dixit Auer. scientia est subiectum in logica, sic uenit intelligendus finia principaliter intentus, ac præcognitus est ipsa scientia, ad quam scientiam logica est ordinata tanquam instrumentum ad finem proprium, & ideo in logica scientia est subiectum, idest præcognitum & non quæsitũ, hæc est uerior expositio quæ assignari potest hanc Auer. auctoritatem quam modernorum multi ignorarunt. Ad sextum de epito. log. dicitur etiam quod ignorãtia prouenit ex æquiuocatione huius nominis subiecti quod multis modis sumitur apud Aristotelem & Auerroem. & ad propositum dicimus quod Auerroes quando dixit genera & species prædicam. sunt subiecta, per subiecta intellexit fundamẽta, & est sensus uerborum Auer. quòd ipsa genere species subiecta sunt in scientiis & in logica, idest sunt fundamenta nam secundo intellecta fundãtur in entibus realibus, & ꝙ per subiectum possit intelligi plerunque fundamentum, hoc patet per Arist. in prædicamento substantiæ, ubi dixit ꝙ secundæ substantiæ non sunt in subiecto, idest in fundamento, quare auctoritas Auer. nõ est contra nos. Ad septimum dicitur & facile quidem, quod Arist. ibi uoluit scientiam omnem uel artem unius dũtaxat esse subiecti totalis, sed non inconuenit ultra subiectum totale habere etiam subiectum principale, & plura partialia.

Tertium caput, in quo ponuntur solutiones ad argumenta aduersariorum,

Solutio rationum diui Thomæ.

VErũ hæc ad primã rationẽ diui Tho. dicitur ꝙ in logica considerãtur entia rationis non tamẽ ut sunt entia rationis. Amplius conceditur, ꝙ logica dicitur, rationalis non quia de ente rationis ut ens rationis est, considerat sed quoniam de instrumẽtis quibus ipsa ratio rectè ratiocinari possit, aut quia instrumenta sciendi de quibus est logica, ratiocinationes quædam dicũtur. Ad secundã respondet Scotus quod quando dixit Aris. circa idem uersari metaphysicum, & dialecticum non intelligitur circa idem subiectum, sed quoniam in logica consideratur id per quod contingit circa omnes scientias laborare, nam considerat de syllogismo quo acquirimus omnem scientiam. Sed hæc responsio directè est contra Aristotelem, intentio Aristotelis ibi est probare quod meta. uersatur circa omne ens tanquam circa subiectum, per hoc scilicet medium, quia idem est subiectum in topica & sophistica: quare respõsio Scoti falsa est, hoc sic exponitur ab Auer. ibi & in tertio metaphy. com. 3. Ideo uera datur solutio ad rationẽ diui Thomæ & dicimus quod ipse hallucinatur, sed quomodo errauerit, notanda est hæc distinctio; ꝙ topicus est duplex, alter q cognoscit regulas, & alter qui utitur eis in scientiis speculatiuis. Amplius sciẽdum quod topicus qui cognoscit regulas, est logicus in parte artis, scilicet in libro topicorum, ille uero qui utitur hoc instrumento edocto in libro topic. est artifex qui potest uersari circa omne propositũ problema, & circa omne ens, quando ergo Arist. dicit circa idem uersari dialecticum etiam, non intelligit logicum in communi, nec dialecticũ, idest topicum qui docet instrumenta, quoniam hic habet sciẽtiam propriam, scilicet logicam in parte sua, scilicet in libro topicor. & non in aliis, & sic non circa omne ens, sed Arist. intelligit per dialecticum, idest topicum qui utitur instrumẽto topico ad omne propositum problema, & ad omne ens hoc declarauit etiam Auer. in primo posterior. com. 85. & in octauo physic. com. 22. & Aristo. in primo physic. octauo, & in primo top. 2. ꝙ dialecticus qui disputat, & non qui docet instrumenta circuit omne ens. Præterea confirmatur sic talis responsio, quod non loquatur Arist. de logica totali, quoniam subdit [& sophistica] ergo per dialecticum non intelligit logicum in communi, ut falsò dixit diuus Thom. Amplius per ipsum diuum Thomam logicus in communi qui docet regulas uersatur circa ens rationis tantum, quare non circa omne ens, & sic Arist. non intelligit de logico in communi, ex quibus dicitur facile ad rationem diui Tho. negando ꝙ per dialecticum intelligat Aristo. logicum in communi. hęc circa solutionem rationum diui Thomæ.

Solutio argumentorum Ægidii Romani.

Ad primam rationem Ægid similiter prorsus dicendũ est sicut iam dictum est ad primam rationẽ diui Tho. ꝙ falsum est logicum considerare entia rationis ut sunt entia rationis ut supra dictum est in præsupposito. Nam dictum est quòd considerantur a logico ut sunt instrumenta notificãdi, & sic Ægid. maximopere errat, sicut diximus etiam supra arguendo contra ipsum. Ad secundam eius rationem de inductione in omnibus libri logices dicitur similiter ꝙ bene uerum est in omnibus libri logices pertractari de conceptibus & entibus rationis, sed tamẽ non quatenus sunt entia rationis, sicut sibi ipse persuasit.

Solutio rationis Ioannis Scoti.

Ad rationem Scoti breuiter dicitur, quòd falsa est maior, nam ut supra diximus errat in assignandis illis tribus conditionibus, & si concederetur maior, minor est falsa, quoniam non ad syllogismum omnia in logica considerata reducuntur, ut supra diximus, siquidem ad definitionem sigillatim omnia reducenda fore iam demonstratum est, & sic non concludit.

Responsio ad argumenta Græcorum.

Ad primam Græcorum rationem respondetur, ꝙ ipsi peccant in enumerandis partibus, nam partium enumeratio sic debet esse, omnia quæ sunt, aut sunt extra animã, uel sunt in anima, uel sunt rei accidentes rebus ut sunt in anima & de iis est logica ut dictum est, sed tamen nõ quatenus entia rationis, & hęc responsio colligitur ab Auicenna in sua logica. Ad secundam eorundem rationem facilis etiam est responsio per ea quæ dicta sunt, ꝙ Arist. considerat ea quatenus sunt uoces per accidens, nam ut dictum est sæpius, ea per se (ut instrumenta notificandi sunt) considerantur a logico, & sic eorum rationes pro nihil habentur.

Solutio rationis Ioannis Gandauensis.

Ad hanc rationem Ioan. respondet Zimara super annotat. Ioan. in metaphy. quod in definitionibus logicalibus, aliud est quod definitur, aliud uero pro quo definitur

& dicit quod illud quod definitur est intentio, & illud pro quo definitur est res, idest definitur secunda intentio & uerificatur in primis. Hæc responsio semper fuit mihi in intelligibilis, nō enim possum aliquo modo imaginari, quonam modo ueritas definitionis inueniatur in alio a definito, nā definitio dicitur relatiue ad definitum, & explicat uerum esse rei definitæ, quare in eodem debet esse definitio & ueritas definitionis, & sic responsio Zimaræ nō solum non peripathetica est, sed etiā falsa. Quare his omissis, dicamus, quòd in logica nō definiuntur, neq; res neq; intentiones absolute, sed intentiones ut sunt instrumēta, & fabra animi, ueluti edocuit Themist. in primo de anima octauo, exemplum, genus est quod prædicatur idest genus est secunda intentio & instrumentū ad cognoscendum tales naturas rerū quæ prædicantur de pluribus speciebus in quid, ex quibus formaliter dicitur ad rationem Ioan. Gand. quando dicit, quòd non definiuntur secundo intellecta quia de eis non uerificātur, falsum est, immo secundo intellecta definiuntur & de eis uerificantur ut sūt instrumenta, sicut patet ex præsuppositis, hoc igitur modo dicendo eneruatur ratio Gand.

Solutio argumenti modernorum Logicorum.

Ad rationem illam probantem demonstrationem esse subiectum in logica, facilè dicitur, & primo ad maiorem quod falsa est, quoniam ut supra etiam diximus illæ tres conditiones subiecti non sunt ueræ, ut communiter omnes asserunt, secundo dicitur ad minorem quod etiam falsa est, quia demonstratio non habet omnes illas conditiones, non enim habet tertiam, ut scilicet omnia ad illam reducantur, quoniam probabitur in alio quæsito, & ut etiā supra diximus, quod definitio est nobilior ac longe præstantior quam demonstratio, & sic ratio hæc penitus falsa est: hæc sunt quæ circa præsens quæsitum dicenda se obtulerunt, iuxta Arist. & Auer. doctrinam.

HIERONYMI BALDVINI

Quæsitum tertium, quis sit primus liber in logica.

Præfatio.



PERSCRVTARI nostra intentio est in hoc quæsito, quis est primus liber in logica, seu quis liber primo sit legendus in logica, cuius ueritatis inquisitione, omissis terminorum tituli nomēclaturis quia per se constant, hoc dumtaxat nobis obseruandum erit, ut clarius faciliusq; uera Ari. percipiatur sententia præsens quæsitum tria in capita secare. In quorum primo aduersariorum narrabuntur opiniones & argumenta. In secundo Arist. uera opinio cum propriis fūdamentis & rationibus dicetur. In tertio uerò solutiones ad aduersariorum argumenta ponentur.

Primum caput, in quo aduersariorum narrantur opiniones, & argumenta.

Opinio omnium fere Latinorum.

Latini fere omnes & antiqui & moderni asseruerūt, librum prædicabilium Porphy. esse primum in logica primoq; legēdum, quod pluribus rationibus astruere enixi sunt. Prima eorum ratio talis est, communia necessario præcedere debent, sed quinque prædicabilia sunt communia uniuerso logico negotio, ergo quinque prædicabilia debent præcedere totam logicam, & sic liber prædicabilium Porphyr. erit primus liber in logica, maior notissima est ex primo physic. tex. commen. 4. & minor probatur, quoniam usus ipsorum prædicabilium est cōmunis, quum eorum nomina in tota logica uersentur. Secūda ratio: omnis præexistens cognitio debet præcedere, sed liber Porphy. est præexistens cognitio ad totam logicam, ergo liber Porphy. debet præcedere, & sic est primus in logica. Tertio, arguunt ex auctoritate Auer. qui dixit in principio libri Porphy. quod erat expositurus librū Porphyrii, quia est introductorius ad scientiam rationalem, ergo liber Porphyrii est primo legēdus. Quarto, confirmatur, ex usu & consuetudine, quum diu obseruatum fuerit ut primo liber Porphy. legeretur. Quinto, astruunt ex auctoritate Arist. in quinto metaph. tex. com. primo, ubi habetur, principium doctrinæ esse, ex quo aliquis facilius adiscere potest: sed quinque prædicabilia Porphyrii sunt faciliora omnibus consideratis in logica, ergo ab eis incipiendum, & sic præcedent. hæ sunt fortiores rationes omnium latinorum.

Opinio Simplicii, Ammonii, & Boethii.

Græci omnes, quàmplurimiq; ex latinis, in hanc conuenerunt sententiam, quod liber prædicamentorū est primus in logica, quod pluribus rationibus moliri conātur. Prima ratio ipsorum hęc est. Simpliciora præcedūt composita: in libro prædicamentorum agitur de decem uocibus simplicissimis, ergo liber prædicamentorum præcedet alios libros, & sic ex primus, primoq; discendus. maior est Arist. multis in locis, ut primo physic. & alibi. Et minor etiam patet comparando decem uoces ad omnia considerata in libro periherm. prior. poster. & sic de aliis. Et insuper probatur, quoniam enunciatio componitur ex decem prędicamentis, & partes sunt priores toto, & sic liber prædicamentorum primus. Secunda ratio a Boethio enucleata, talis est; de illis primo tractādum, quæ primo impositor inuenit; sed impositor primo inuenit decem uoces significantes decem res, & secundo inuenit nomen significans decem uoces, ergo liber prædicamētorū quum in eo agatur de decem uocibus primo loco situandus est, & sic erit primus liber in logica. Tertio, quidam ex latinis hac tempestate, probāt hoc esse uerū ex uerbis Auer. in expositione lib. prædicamentorum, qui dixit in principio, quod liber prædicamentorum est primus liber in logica, & in ultimis uerbis eiusdem lib. dixit Auer. ꝙ post lib. prędicament. sequitur immediate liber periherm. Amplius, confirmatur ex Auer. etiam, qui in epit. log. in principio primo loco statuit librū prędicam. ergo primus liber est, in logica, hęc sunt potiora media huiusce opionis.

Secundum caput, in quo propria Arist. opinio narratur, cum ueris rationibus, & fundamentis.

Veram & propriam Arist. opinionem, hanc esse dicimus cum eruditis peripatheticis, quod liber periherm. Arist.

Arist. est primus liber in logica, primoq; discendus. uerum ut hæc opinio clarius intelligatur, tria sunt præsupponēda. Primum tale est, quòd ordo doctrinæ est duplex, ut dixit Auer. in primo lib. metheor. cap. primo, aut secundum necessarium, aut secundum melius. Et notandũ, ꝙ ordo doctrinæ secundũ melius adhuc est duplex, quoddam est secundum melius nobilius quoddam uero est secundum melius facilius & notius, sic debet dari ista diuisio ut sit bimembris. Ordo doctrinæ secundum necessarium est inter causam & causatũ, priora & posteriora, seu principia & principiata, necessario enim cognitio causarum præcedit effectum, ut dixit Arist. primo physic. tex. cõm. primo, primo poster. tex. cõm. 7. & secundo poster. cap de causis, quòd tũc uerè scimus aliquid, cum causas, & principia eius cognoscimus. Hic etiam ordo doctrinæ secundum necessarium inuenitur secundum Arist. in primo poster. tex. com. primo inter præcognitionem, & rem de qua quærimus doctrinam. Et secundum hũc ordinem doctrinę dixit Auer. in primo metheor. librũ physi. præcedere librum de cœlo, & lib. de cœlo præced. lib. de generatione usq; ad librum de metallis inclusiuè. Ordo doctrinæ secũdum melius, facilius, seu notius, est notius, est inter genus & species, inter uniuersale & particulare, & plerunq; inter compositum & simplex, & de hoc ordine doctrinæ dixit Arist. in quinto metaph. tex. comm. primi quòd principiũ doctrinæ est à quo quis facilè discere potest. Secundum etiam hunc ordinem dixit Auer. in primo metheoror. lib. de animalibus præcedere lib. de anima. Et librum primum poster. dicimus quoque secundum hunc ordinem præcedere secundum librum poster. Ordo uero secundum melius nobilius, est inter species & res diuersas, quarum una non est causa alterius nec notior altera, quo ordine processit Aristo. in secundo de anima prius loquens de sensu uisus, quàm de aliis quatuor. Secundum etiam hunc ordinem Aristot. processit in primo poster. tex. commen. 95. tractando de speciebus demonstrationis, prius loquutus fuit de demonstratione simpliciter, tanquam de nobiliori. Secundum præsuppositum omnia quæ considerantur in arte, sumũt ordinē & necessitatem à fine, & sicut se habent ad finem, ita ordinantur in arte, hoc dixit Arist. tertio ethic. cap. 6. septimo metaph. 23. Tertium præsuppositum, liber poster. analyticorũ est finis totius logici negotii, sicut dicetur in quæsito de nobiliori instrumento sciendi. Ex quibus tribus præsuppositis, infertur clarissima elucidatio opinionis Aristot. quod scilicet lib. periher. primus sit in logica, primoq; discendus, & duas asserimus conclusiones. Prima conclusio, liber perihermenias nõ est primus liber in logica, ordine secundum melius nobilius, & probatur ex tertio præsupposito, quoniam liber poster. analyticę est nobilior & finis omnium consideratorum in logica, ergo liber perihermenias nõ est primus ordine nobilitatis. Secunda cõclusio, liber perihermenias est primus in logica, & pręcedit alios libros logices, ordine doctrinæ secundum necessarium, & amplius ordine doctrinæ secũdum melius notius: & probatur hæc conclusio quo ad utramlibet eius partem. Primo, quòd sit primus ordine secundum necessarium, hoc pacto probatur, genus necessario præcedit id cuius est genus, sed oratio enunciatiua de qua tractatur principaliter in libro periher. est genus syllogismi simpliciter, de quo agitur in libro priorum, ergo oratio enunciatiua præcedet ordine doctrinę secundum necessarium omnes alios lib. logices, & ex consequenti liber periher. in quo agitur de oratione enunciatiua (ut dicemus in proprio quæsito de subiecto libri periher.) est primus liber in logica ordine doctrinæ secundum necessarium. Maior probatur, quoniam causa necessario præcedit causatum, sed genus seu uniuersale est causa & principiũ suorum minus uniuersalium, ergo genus necessario præcedit illa quorum est genus. Minor etiam probatur per Aristo. primo periher. cap. 4. & primo priorum cap. primo, ubi habetur ꝙ oratio enũciatiua est genus ad syllogismũ quũ in eius definitione ponatur. Præterea, dixit Arist. in primo poster. tex. com. primo, & sexto top cap. 4. ꝙ omnis doctrina etiam definitiua, fit ex prędexistenti cognitione partium necessario. ergo oratio enunciatiua cum sit pars definitionis syllogismi simpliciter (nam est genus eius ut supra diximus) necessario præcedet, & sic primus liber erit in logica. Quomodo autem liber perihermen. sit primus in logica, ordine doctrinæ secundum melius notius, dicetur diffusissimè in quæsito sequenti, ubi examinabitur ista quæstio, an liber prædicamentorum sit pars logices. Amplius animaduertendum est, quòd omnes rationes probantes quòd liber prædicamentorum non sit pars logices, probabunt quòd liber perihermenias sit primus in logica: & primo in logica discendus.

Tertium caput, in quo ponuntur solutiones ad argumenta aduersariorum.

Solutiones argumentorum Latinorum.

AD primum argumentum Latinorum respondetur, & facile, quòd aliud est usus quinque prædicabilium, & aliud est cognitio ipsorum. & tunc dicimus, quòd usus ipsorũ est bene cõmunis, nõ autem cognitio. Et cõfirmatur ista responsio ex simili respõsione, quã fecit Auer. in prologo mag. cõm. lib. poster. respondendo ad argumentum probans librum top. præcedere librum poster. ex eo quia ea quę tractantur in lib. topicorũ cõmuniora sunt quàm cõsiderata in lib. poste. & Auer. respondens ad argumentũ, dixit ꝙ usus duntaxat syllogismi topici est cõmunis, nõ autem cognitio eius. sic ad propositum dicimus, ꝙ usus quinque prædicabilium est bene communis, nõ autē cognitio eorum, nam eorum cognitio in determinata parte fuit tradita ab Arist. s. in lib top. ut etiam dixit Auer. in calce suæ expositionis in lib. Porph. & in prologo magni commenti lib. poster. contra Alpharab. Secundo quoq; posset dici, negando minorem, quoniam falsum est quinque prædicabilia esse communiora & uniuersaliora, omnibus aliis cõsideratis in logica, cum de communioribus & notioribus solum in lib. periher. tractetur (ut in quęsito sequenti de libro prædicamentorum diffusius dicetur) & sic ruit argumentum. Ad secundum, dicitur per ea quæ supra diximus, quòd minor est distinguenda, aut de præexistenti cognitione usus prædicabilium, aut de præexistenti cognitione notitiæ distinctæ eorũ, & sic dicitur, quòd minor conceditur primo modo, & negatur secundo modo, & sic argumentum nullum. Ad tertium, de auctoritate Auer. dicitur, quòd Auer. seipsum declarat in eisdem uerbis, quum dicit, cum currit consuetudo ut aperiantur libri logices in eo, ecce quòd Auerro. non ex intento proprio asserit librum Porphyr. esse primum in logica, sed ex communi consuetudine, modo mala consuetudo est deroganda, similiter dicetur in expositione uerb. Auerro. in quæsito de lib. prædicamentorum quando dicit Auerro. quòd lib. prædicament. secundum usum est primus in logica. Ad quartum, similiter dicitur, quòd nõ est usus, sed abusus, & sic delendus, quãdoquidem, unum eorum quæ solent impedire ueritatem, est mala consuetudo ut dicit Arist. secundo metaph. tex. commen. 14. Ad quintum, dicendum primo est circa maiorem quòd non semper exordiendum à facilioribus, sed plerunque, & si concederetur, adhuc secundo dicitur ad minorem negando eam, quoniam ut dicetur in quæsito de lib. prædicament. ea quæ tractantur in lib. periher. sunt priora, notiora, & faciliora, unde de necessitate liber periher. est primus in logica.

Solutio argumen. Simplicii, Ammo. & Boethii.

Ad primum Græcorum argumentum respõdemus negando prorsus minorem, quoniam simpliciora sunt considerata in lib. perier quàm decem prædicamenta ut abundè dicetur in quæsito sequenti de lib. prædicamen. Et ad secundam probationem minoris, dicitur ꝙ falsum est orationem enunciatiuam compont per se ex decem prędicamentis, nisi per accidens, nam per se componitur ex nomine & uerbo, ut uero accidit nomini & uerbo esse aliqua ex decem prædicamẽtis, sic per accidẽs oratio enũciatiua componitur ex decem prædicamentis, de hoc alias longior sermo habebitur. Ad secundum argumentũ Boethii, dicimus negando maiorem, quoniam secundũ Arist. quinto metaph. tex. com. primo, principium doctrinæ est unde quis facilius addiscere potest, at faciliora sunt nobis nomina considerata in lib. periem. quàm decem prædicamenta, ut diffusiua dicemus in proprio quæsito de lib. prædicamen. & sic argumentum non concludit ut credidit Boeth. Et ad illud quod dicunt recẽtiores latini ex auctoritate Auer. dicitur, ꝙ oportet inspicere omnia uerba eius, nam se ipsum liminat, in illis uerbis quando dicit (secũdum usum nostrum) ita ꝙ uult dicere liber prædicam. est primus in logica secundum cõmunem usum. communis enim usus fuit apud expositores præponere lib. prędicamen. aliis lib. logicæ, sed in rei ueritate non est primus, cum nec sit pars logices ut dicemus in proprio quæsito, & similiter dicitur ad confirmationẽ de epit. logic. ex quibus omnibus patet lib. periem. primum esse in logica, aduersus omnes græcos & latinos expositores.

HIERONYMI BALDVINI

Quæsitum quartum, an liber Prædicamentorum sit pars Logices, an Metaphysices.

Præfatio.



OLENNES Aristo. interpretes, tum antiquos, cum modernos, de lib. Prædicamentorum, duo exarasse comperuimus. Primum, quòd lib. prædicament. est necessaria pars logices Secundum, ꝙ inter libros logices, primo situandus est loco. Verum enimuero quum talis opinio ex deprauata consuetudine originem trahat (quę sæpe sæpius in omnibus ferè rebus per se manifestis, plurimum est in causa, ut ueritas haudquaquam exquisitè percipiatur, uelut Arist. nobis notatum reliquit in secundo metaph. tex. com. 14. 12. metaph. tex. com. 50. & Auer. in prologo tertio phys. & in primo physi. com. 71.) propterea ad funditus huiuscemodi consuetudinem euertendam, quæsitum istud in lucem prodire uoluimus, duasq; in principes partes secari curauimus. In quarum prima librum prædicamentorũ, non esse logicum, sed metaphysicum sole clarius demonstrare pollicemur. In secunda uero nequaquã eum primo situãdum fore loco contra uniuersos logicos ostẽdemus.

Primum caput, ꝙ liber prædicamentorum ex uoto Arist. non sit logicus, sed metaphysicus contra Antiquos logicos, & nostri temporis.

PRima ratio est. in eadem scientia uel arte consideratur de speciebus, principiis, & affectionibus subiecti, sin qua consideratur de subiecto sed de ente tanquã de subiecto consideratur in metaphysica, ergo de speciebus entis quæ sunt decẽ prædicamenta, ac de principiis & affectionibus eius considerari debet in metaphysica. Et sic lib. prædicam. in quo agitur de decem prædicamẽtis erit metaphysici negotii, & non logici. Maior est Arist. in primo poster. tex. com. 179 ubi dicitur ꝙ scientia quælibet quatuor contemplatur, subiectum, principia partes seu spẽs, & demum affectiones seu passiones ipsius subiecti. Et ad uertas ꝙ tex. communia sic dicit scientia est unius generis subiecti, principia, partes & passiones cõsiderãs, & Auer. pulcherrimè digreditur in cõm. 179. quomodo hæc quatuor cõsideranda ueniant in scientia qualibet, minor etiã est Arist. in quarto metaph. tex. com. primo, ubi dicit ꝙ metaph. speculatur ens inquantũ ens, & quæ huic insunt secundũ se. s. principia partes, & eius passiones. Auer. expressius hoc enucleauit ꝙ. s. decem prędicamẽta sunt species entis in epit. metaph. tract. 2. in princ. ubi dicit sic, ens est subiectum essentiale scientię diuinę, & decem prædicamẽta sunt species eius, & dicitur de eis neq; æquiuocè, neq; uniuocè, sed secundum prius & posterius ex quibus probationibus tum maioris, cum minoris clarissimè demonstratur, ꝙ lib. prædicam. nõ potest esse logicus, sed duntaxat metaph quũ in eo tractetur de substãtia ut substantia & de quantitate ut quantitas, & sic de aliis, modo substantia ut substantia, & quantitas ut quãtitas, & alia sic cõsiderata, sunt species seu partes entis, ergo ad metaphysicũ spectabũt artificẽ, & nõ logici erunt negotii. Secunda ratio est. Modus considerandi sumitur à modo definiendi, sed in lib. prædicam. definiuntur decem prædicamẽta quatenus sunt entia & res, ergo in lib. prædicam. cõsiderantur decem prædicamẽta, ut sunt entia & res, & cõsiderare prædicamẽta, ut res & entia spectat ad metaphysicum, ut dictũ est diffusè in prima ratione secundũ Arist. & Auer. ergo lib. prædicam. erit tãtum metaphysicus & non logicus. Maior probatur per Arist. & expressius per Auer. in sexto metaph cõ. 2. ubi Auer. propè finem dicit diuina, naturalia, & uoluntaria, differre in eorum consideratione ex ratione definitionis, quandoquidem in definitione diuinorũ sumitur Deus, naturaliũ natura, & in uoluntariorum definitione uolũtas ponitur, hoc dicit Arist. etiã in tex. ponens discrimen inter artes speculatiuas ergo maior est uera. ex quibus uerbis Arist. & Auer. sumitur hæc propõ famosissima tanquam regula & proloquiũ, ꝙ modus considerandi sumitur à modo definiendi, & econtra. Et probatur hæc maior hoc etiam modo. modus cõsiderandi cuiuslibet rei, insequitur modum essendi ipsius rei, hoc notum est, quum res sicut se habet ad esse ita adeo gnosci & considerari seu intelligi ut dicit Aristo. secundo metaph. tex. com. 4. & modus per se essendi est à forma ut dixit Arist. in secundo de anima tex. com. 37. ꝙ forma est causa ipsius eẽ in omnibus, & Auer. in destruct. aduersus Algaz. disput. x. in solut. secundi dubii dicit, ꝙ forma est per quam ens est ens, & ab ea prouenit operatio in quolibet ente, dixit etiã Auer. in secundo meta. com. 5. octauo meta. cõ. 7. in 2 de anima com. 2. 7. in 2. physic. com. 4. & in primo de anima cõ. 90. ꝙ forma est causa substãtię demõstratæ, & substãtiæ demõstratæ nõ sunt substãtię nisi per illã, & ab ipsa forma est definitio ut dixit Auer. 7. met.

35.40.& tertio metaph. 3 ergo a primo ad ultimum modus considerandi sumitur a modo definiendi, & sic maior ab omnibus est concedenda Minor etiam patet inductione facta in omnibus definitionibus prædicam. non enim definitiones substantiæ, quantitatis, specierũ quantitatis, qualitatis, & ipsius ad aliquid possunt eis conuenire & de eis uerificari, nisi quatenus ipsa definita sunt entia . & res Et confirmatur quoniam Ar. eodem modo definit decem prædicamenta in quinto metaph. sicut & in libro prædicam. sed in quinto meta. definiuntur ut entia & res (quoniam si considerantur a metaphysico, ut omnes concedunt) ergo similiter definiuntur in libro prædicamentorũ ut entia, scilicet & res, & sic liber prædicamentorũ est metaphysicus & non logicus. Tertia ratio quęlibet accidentia quæ demonstrantur, debent conuenire per se, proprie, & inquantum ipsum ipsi subiecto de quo demonstrantur, sed proprietates seu accidentia quæ demonstrantur de prædicamentis ꝙ eis insunt non alio mõ eis conuenire possunt, nisi quatenus sunt entia & res, ergo subiecta. s. ipsa prædicamenta quatenus entia considerantur in libro prędicam. & sic est metaphysicus & non logicus. Maior est Arist. primo poster. cap. 19 comm 53.66. quibus in locis Auer. pulcherrime declarat conditionis accidentium, quæ demonstrari debent de subiectis quomodo se habere debeant cum suis subiectis Minor etiam probatur discurrendo per singulas proprietates prædicamentorum quoniã substantiam nõ suscipere contraria non cõuenit talis proprietas ipsi substantiæ ut conceptus, uel ut uox est, sed ut est uere substantia, & similiter de proprietate quantitatis quod secundum eam æquales uel inæquales dicantur, & de qualitate & de ad aliquid, proprietates etiam dantur ut entia considerantur, & sic liber prædicamentorum est metaphysicus . & aduertas quod hæc tertia ratio, est confirmatio secundæ rationis. Quarta ratio, quicquid consideratur in arte uel scientia, quatuor modis est, uel ut subiectũ, uel ut partes, uel ut principia, uel ut passiones. sed decẽ prædicamenta nullo istorum quatuor modorũ considerantur in logica, ergo signum est quod lib prædicam. non est pars logices, sed tantum metaphysicus Maior est Ari. primo poster tex com. 179 cuius supra meminimus. Minor etiam probatur, & sigillatim circa unumquodq; illorum quatuor. Et primo, non considerantur decem prædicamenta in logica ut subiectum, sicut omnes confitentur quid autem sit subiectũ in logica, in proprio quæsito de subiecto logices determinatum est. ubi secũdo intellecta ut instrumenta sciendi ad aures Arist. & Auer. logices subiectum esse statuemus. Secundo neq; ut partes subiecti uæ subiecti logices, ipsa decẽ prædicamenta cõsiderantur in logica, sicuti omnes etiam fatentur. Tertio, non etiam ut propriæ passiones subiecti logices, ut notum est apud omnes . Quarto, demum & ultimo neq; etiam ut partes simplices seu ut principia subiecti logices, possunt cõsiderari decem prædicamenta in logica , quoniam nomina duntaxat & uerbũ sunt partes, ad quas ultimo resoluitur enunciatio, & non sunt decem prædicamenta , ergo concludendum est quum decem prædicamenta nullo modo possint considerari in logica , librum prædicament. non esse logicum, sed metaphysicum . Omnes fere Aris. expositores respondent huic rationi dicentes, quod decẽ prædicamenta cõsiderantur in logico negotio & necessario, nõ ut subiectum logices, neq; ut species subiecti, aut ut passiones eius, sed ut partes simplices remotissimæ seu principia remotissima subiecti in logica, namquodcunq; fuerit subiectũ in logica , tandem resoluetur in aliquod decem pędicamentorum, & sic uolunt ex ordine resolutiuo (ut dictũ est etiam in quæsito de nobiliori instrumento sciendi) & Græci & Latini omnes , quod lib. prædicamentorum sit pars logices , & necessaria, circa quam prima est intellectus operatio, ab ipsis latinis simplicium apprehensio nuncupata hæc quoq; responsio a modernis omnibus Simplicio, Io. Gram. Ammonio , & diuo Thoma astipulantibus, quotidie in eruditissimorum uirorum cætu adducitur . Sed hęc responsio falsa est. Quoniam ens per accidens non consideratur ab arte, sed decem prædicamenta per accidens sunt partes enunciationis in logica, ergo nõ sunt necessario consideranda in logica, ipsa prædicamenta Maior est Arist. sexto metaph tex. com 64. primo poste. 32. & quinto physic. 8. Minor probatur etiam per Arist. primo post, cap. de per se, commen. 32. ubi dicitur, quod illa sunt per se, quæ per definitionem sunt talia, quæ uero non huiusmodi, per accidens sunt, sed nomen & uerbum ponuntur in definitione enunciationis ut patet ex primo periherm. cap. 4. & non decem prædicamenta , ergo nomen & uerbum tantum sunt per se partes enunciationis, & decem prædicamenta per accidens. Amplius quod decem pędicamenta sint per accidens partes enunciationis, sic probatur, illud est per accidens tale quod est per aliud, hoc dixit Arist. quinto physic. tex. com. primo, & in primo poster. cap. de uniuersali com. 36. sed decem pędicamenta sunt partes enunciationis quatenus sunt nomina , non ut prædicamenta (ut clarũ est) ergo sunt partes enunciationis per accidens , & sic non considerantur per se in logica, tanquam pars necessaria ut omnes & Gręci et Latini asserunt & etiam Arabes, quod lib prædicam. sit necessaria pars logices . Pręterea confirmatur idem ex uerbis Aris. in principio primi libri periherm. quando dicit primum oportet constituere quid nomen quid uerbum &c. Aduertas quod per, ly, primo, multa annotauit & explicare uoluit Ar. unum est hoc, quod lib periher. primus li. sit in logica, primoq; discendus alterum uero est, referendo, ly, primo, ad nomen & uerbum , ita quod Ari. uoluit dicere hoc modo in illis uerbis, primo dicendum est de nomine & de uerbo , tanquam de per se partibus orationis enunciatiuæ, ergo signũ est quod decẽ prædicamenta nõ per se partes orationis sunt, sed tantum per accidens, & si per accidens, ergo non sunt pars necessaria in logica, quã orbem lib. prædicam. non est logicus , nisi per accidens . Quinta ratio quicquid consideratur per se in arte , continetur per se sub modo considerandi illius artis, sed decem pędicamenta non continentur per se sub modo considerandi logices, ergo neq; per se considerantur in logica, & sic non sunt pars necessaria logices. Maior est Ar. & Aue. primo poster. tex. com. 169. sexto metaph, tex. com. 2. & in secundo phy. tex. com. 17. Minor quoq; probatur, præsupponendo ꝙ modus cõsiderandi logices, est ut sit instrumentum ad alias artes & sciẽtias ut dixit Ar. primo top. cap. 8. & Auer. in prologo mag. com. lib. post in secundo poster. com. primo septimo metaph com. 42. & Themis. lucidiss hoc idẽ asseruit in primo de anima 8. ꝙ quicquid in logica consideratur, hoc est, ut instrumentũ notificandi sed decem pędicamenta non continentur sub modo considerandi logices. probatur hoc quoniam modus considerandi sumitur a modo definiendi (ut dictum est supra in secunda ratione secundum Ar. & Auer.) sed decem pędicamenta non definiuntur in lib. prædica. ut instrumenta, sed tantum ut res. (ut etiam dictum est supra) ergo non cõsiderantur ut instrumenta, & sic non poterunt per se considerari in logica . sed ꝙ prædicamenta non considerentur in lib prædica ut instrumenta patet per eorum descriptiones seu definitiones, et per proprietates attributaq; ipsorũ & facile cognoscetur quod lib. prædica non est necessaria pars logices, tum ex re considerata tum ex modo considerandi. Sexta ratio, quælibet considerata in arte sumunt necessitatem a proprio fine illius artis, ita ꝙ tanta & talia cõsiderat ars, quanta & qualia conducunt & sunt necessaria ad finem eius, sed quæ considerantur in lib. pędicam. non sunt necessaria, nec faciunt ad finem logices, ergo non debent considerari a logico ipsa decẽ prædicamenta . Maior

etiam Arist. tertio eth. cap. 6. & Auer. septimo metaph com. 23. & secundo physic. com. 91. Minor etiam uera est, habito hoc præsupposito declarato in quæsito de nobiliori instrumento sciendi in logica, ubi & rationibus & auctoritate probatum est diffusissime, finem logici negocii esse definitionem, ad quam ordinatur demonstratio quæ non potest cognosci non cognito syllogismo simpliciter, nec syllogismus simpliciter potest cognosci non cognita propositione seu oratione neque oratio potest cognosci non cognitis suis principiis simplicissimis, quæ sunt nomẽ & uerbum in quę cessat omnis resolutio. et ex quibus fit immediate ordo compositiuus quoniam nihil datur simplicius in logica ipso nomine & uerbo: ergo concludendum est ex necessitate finis ipsius logices, lib. prędica. non esse partem necessariam logices. Huic etiam rationi logici omnes respondent, negando non dari aliquod simplicius nomine & uerbo in logica, quoniam prædicamenta sunt longe simpliciora quam nomen & uerbum, & sic uolunt ultimam resolutionem in logica fieri in prædicamenta, quamobrem concludunt librum prædicame. esse partem logices & necessarium, & primam. Sed contra hanc responsionem, quæ ab omnibus & maxime nostri tẽporis expositoribus assignatur sic instatur probando, quod nomen sit simplicius prius, ac uniuersalius, quam substantia & alia prædicamenta, & plura adducuntur media, quorum primum tale est. Illud est prius, simplicius, ac uniuersalius, a quo non conuertitur subsistendi consequentia, sed si datur substantia, datur nomen, & non econtra ergo nomen est simplicius, prius, & uniuersalius quam substãtia & similiter de aliis prædicamentis. Maior est Aristo. in postprædicamen. cap. de priori, & non potest negari ab eis. Minor etiam probatur, discurrendo in omnibus prędicamentis quoniam omnis substantia est nomen & non omne nomen est substantia, & similiter omnis quantitas est nomen, & non econtra & sic de singulis prędicamentis, ergo nomen est simplicius, prius, ac uniuersalius, quã prædicamenta. Secundum medium est, illud est, prius ac simplicius alio, cuius definitio est prior ac simplicior, sed definitio nominis est simplicior ac prior definitione substantiæ & aliorum prædicamentorũ, ergo nomen est simplicius, prius, & uniuersalius quam substantia & alia prædicamenta. Maior est Aristo. in sexto topicorum, quod est locus topicus, quinimmo demonstratiuus, dicit Auer. arguere a definitione ad definitum. Minor ex Porphyr. probatur, qui dixit in cap. de differen. quod species est compositio genere, quoniam abundat ipsa differentia, ut homo est compositior animali, quoniam in definitione hominis sumitur aliquid, quod non sumitur in definitione animalis. exemplũ, animal est substantia animata sensibilis, & homo est substantia animata sensibilis & rationalis, homo ergo est compositior animali, quoniam definitio hominis est compositior definitione animalis. Sic nos dicimus in proposito nostro, definitio nominis est simplicior quam definitio substantiæ & aliorum prædicamentorum, quoniam nomen sic definitur ab Aristot. in primo periermen. nomen est uox significatiua ad placitum sine tempore, & substantia sic describitur, quod est uox significatiua ad placitum sine tempore, quæ significat talem naturam, scilicet quæ per se potest existere & sic definitio substantiæ plura amplectitur, & si plura complectitur, tunc cõpositior est quam definitio nominis, quare nomen erit simplicius quã substantia. & sic prius & uniuersalius quam substantia & alia prædicamenta. Et animaduertendum, quod istæ sex rationes cõcludunt demonstratiue ex parte eorum quæ sunt in tractatu, scilicet ex parte definitionum seu descriptionum prædicamentorũ & ex parte proprietatum ipsorum, quod liber prædicamentorum necessario est metaphysicus & non logicus. Septima ratio est ex parte subiecti libri prædicamentorum, talis ars est, quale est subiectum eius, sed subiectum libri prædicamentorum est ens extra animam, ergo & ars libri prædicamentorum est realis & non logicalis. maior est Arist. tertio de anima tex. commen. 38 & primo de anima tex. commen. primo, & primo poster. tex. commen. 179. cap. 43. & diffusius declarata fuit hæc maior in quæsito de nobiliori instrumento sciendi in logica, ubi ad aures Auerro, fuit enucleatum ex primo poster. tex. commen. 179. quod scientiæ distinguuntur ex re considerata, & modo considerandi. minor etiam patet. quoniam prædicamenta quatenus entia, sunt subiectum in lib. prædicamentorum ut in quæsito proprio de subiecto libri prædicamentorũ dicemus. & patet etiam minor per supradictas rationes quibus clarissime probatum fuit, prædicamenta ipsa considerari in libro prædicamentorum, ut entia & res sunt, quamobrẽ sequitur lib. prædicamen. non esse logicum, sed metaphysicum. Octaua ratio est ex carentia prologi, qua probatur non solum librum prædicamentorum non esse logicum, uerum etiam non fuisse editum ab Arist. præsupponendo secundum Arist. in tertio rethoric. cap. de procemio, quod ars saltem in duas debet diuidi partes, in procemium & tractatum, sed liber prædicament. caret procemio, ergo non fuit editus ab Arist. nam in omnibus eius totalibus libris apparet procemium, & probatur quod non habeat procemium ex definitione procemii secundum Aristotelem loco dicto, procemium est inuentio rei docendæ, quod non fit in anteprædicamentis. Nec ualet dicere, quod Auer. dixit anteprædicamenta esse procemium. Quoniam Auer. dicit sic, quod prima pars li. prædicamentorum est sicut procemiũ non dixit uerum procemium. Aut potest dici, quod Auerro. dixit antepradicamenta esse procemium ex cõsuetudine, & communi usu expositorum. & non secundum rei ueritatem. Nona ratio colligitur ex modo arguendi Auerr. qui in calce libri Porphyr. probauit illum non esse necessarium, hoc modo, quoniam tripliciter possunt considerari quinque prædicabilia, aut ut prædicata tantum & sic ad librum priorum pertinent, aut ut prędicata per se & sic ad librum posteriorum, aut uero ut prędicata in quid uel in quale, et sic ad librum topicorum ut patet primo topicorum quarto. A simili argumentor, ipsa decem prædicamenta possunt considerari quatuor modis, aut ut nomina tantum, & sic considerantur in lib. periherm. uel ut termini in communi & sic in lib. priorum, uel ut prædicata in quid, aut in quale, & sic in lib. topicorum, uel tandem ut prædicata per se & sic in lib. poster. & sic patet quod lib. prædicamentorum non est necessarius in logica: & si modus arguendi Auer. est bonus, & meus quoque. Decima ratio habetur ex auctoritate Auer. qui dixit in epito logi. cap. de rebus compositis, quod quamuis notitia prædicamentorum adiuuet formationem, idest definitionem, tamen non sunt necessaria nostræ intentioni quam intendimus, & similiter in sequenti cap. de prædicamen. in fine illius, ex quibus auctoritatibus clare patet lib. prędicame. non esse necessarium in logica, cum Auer. in suo epilogo non eum ponat, nam secundum Ari. epilogus est de rebus necessariis, ex quibus rationibus clarissime patet lib. prædicamentorum non esse logicum, sed metaphysicum.

Dubitant Iuniores, an lib. prædicamen. aliquo modo possit esse Logicus.

Pro huius dubii clarissima responsione, unum prius est animaduertendum, quod illa quæ considerantur in arte, uel scientia, duobus modis sunt, quædam considerantur de necessitate, & quædam ad bene esse. Illa quæ considerantur in arte ex necessitate sunt quatuor, subiectum, principia, partes subiectiuæ, & passiones, hoc dixerunt Aristo, & Auer. primo poster. tex. commento. 179. Sed

ea quæ

ea quæ considerantur in arte ad bene esse seu ex bonitate multiplicia sunt, & habetur exemplũ ab Arist. in lib. periherm. in quo consideratur de uoce ad bene esse. tunc habito hoc præsupposito, facilè respõdetur ad dubitationem, quod liber prædicamen. est logicus & consideratur in logica, non ex necessitate, sed ex bonitate seu ad bene esse. & si duas asserimus conclusiones pro distincta determinatione huius quæsiti. Prima conclusio, lib. prædicamentorum ex necessitate est metaphysicus, quia prędicamẽta sunt species entis, & ens necessario a metaphysico consideratur, ergo prædicamenta ex necessitate a metaphysico considerantur, & hæc conclusio fundatur in supradictis rationibus. Secunda conclusio, liber prædicamẽtorum ex bonitate doctrinæ seu ad bene esse, est logicus & consideratur in logica. & notandum quod supradictæ rationes hoc duntaxat concludunt. quod liber prædicamen. non est pars necessaria logices. Sed tu dices, quomodo prædicamenta ad bene esse seu ex bonitate considerantur a logico? Respondetur, ꝙ considerantur a logico tanquam præcognitiones quid nominis, hoc modo scilicet ad exemplorum uerificationem, sicut fecit Porphy. in cap. de specie, quod in unoquoq; genere, sunt generalissima, specialissima & intermedia, exẽplificauit in prædicamento substantiæ, & similiter in definitione generis. quomodo uerificatur adduxit exemplum in terminis metaphysicis, ut homo est animal, hoc idem in declarandis & uerificandis definitionibus aliorum prædicabilium ipsiusq; indiuidui fecit Porphyr. Amplius Arist. in declarandis regulis logicalibus in uniuerso logico negotio semper usus est terminis metaphysicis tãquam præcognitionibus. quamobrem dicendum est resolute ad dubitationem, quod prædicamenta cum sint termini communissimi ut patet primo phys. 8. primo post. 69 quarto meta. primo & quinto, ingrediuntur omnes artes & ingrediuntur etiam logicam facultatem a qua considerantur tantũ ad bene esse, quatenus, scilicet sunt quædam præcognitiones quid nominis. Sed dubitabis contra istam responsionem, quod falsum sit librum prędicamentorum tãquã prędcognitionem quid nominis considerari a logico, quoniam tunc sequeretur quod liber prædicament. necessario consideraretur a logico. probo consequentiam. quoniam dixit Arist. primo poster. tex. commen. 2. ꝙ præcognitio quid nominis est necessaria ante doctrinam, sed secundũ hanc responsionem, liber prædicamentorum consideratur à logico ut prędcognitio quid nominis, ergo necessario consideratur a logico, quod supra negatum est. Respondetur huic obiectioni, sed pro facillima elucidatione responsionis, animaduertendum est quod in arte sicut duo considerantur, unum ex necessitate, alterum uero ex bonitate sic etiam duæ præcognitione quid nominis debẽt haberi, una respectu necessario consideratorum, & alia respectu consideratorum ex bonitate. quo habito pro constanti, dicimus ꝙ Arist. in primo poster. tex. commen. e. intellexit de præcognitione quid nominis necessario consideratorum in arte, scilicet subiecti, passionis. & principiorum respectu terminorum, nam talis præcognitio necessaria est ante omnem doctrinam, & non intellexit de prędcognitione quid nominis ad bene esse, cuiusmodi est liber prędicamentorum qui consideratur a logico ad bene esse. quare non sequitur lib. prædicamentorum necessario considerari a logico. sed tantum ex bonitate doctrinæ, sicut dixit Auer. de lib. Porphyrii.

Argumenta Logicorum nostri temporis ꝙ liber prędicamentorum sit necessaria pars Logicea.

Prima eorum ratio talis est, illud est necessarium in arte, quod sumit necessitatem a proprio fine illius artis, sed lib. prædicam. sumit necessitatem a proprio fine logices; ergo liber prædicament. est necessaria pars logices. Maior est Arist. tertio ethic. 6. septimo metaph. 23. & Auerr. etiam secundo physi. com. 91. & hæc maior concessa fuit supra in sexta ratione. Minor probatur ab eis ex ordine resolutiuo, præsupponendo demonstrationem esse finem proprium logices sicuti etiam Græci dixerunt, quo præsupposito concesso, sic probant minorẽ, demonstratio est finis logices, quæ non potest cognosci non cognito syllogismo, nam primo physic. tex. cõm. 4. uniuersalia debent præcedere, sed primo prior. cap. 5. syllogismus est uniuersalior quã demõstratio, quia est genus illius ut patet primo poste. tex. cõ. 13. & 14. & sic necessario oportet prius cognoscere syllogismum, & quoniam primo poster. tex. com. 7. & secundo poster. com. 94. & primo physic. tex. com. primo, scientia rei perfecta habetur per principia ex quibus est res ipsa, res autẽ ex qbus est ipse syllogismus, sunt propositiones de quibus agitur in lib. periherm. Et sic necessario præcedet lib. periherm. & cum propositio componatur ex terminis illis simplicissimis traditis in lib. prædicamen. necessum est propter eandem causam, quod lib. prædicamen. necessario præcedat librũ periermenias, & demũ cum decem prædicamẽta sint simplicissima, quia nihil est eis simplicius in logica, sequitur etiam ꝙ lib. prædicamen. est primus in logica. Et animaduertendum est. quòd isti ea hoc argumento duo intendunt concludere, primum est. quòd liber prædicamẽ. est necessaria pars logices, secundum quod liber prædicamen. est primus liber in logica, primoq; discendus. Amplius sciendum. quod isti moderni acceperunt hoc argum. a Ioan. Gram. Simpl. Ammo. & Boethio, sicut dictum fuit in proprio quæsito de primo libro logices, licet ipsi non ita clare & distincte ordinauerint et exerint, sicut hic positum est. Secunda ratio modernorum, illud est uerum & concedendum tanquam uerum quod dicunt omnes, uel plures, uel sapientes, hoc dixit Aristo. primo topic. cap. primo, sed omnes Ari. expositores, Græci, Arabes, & Latini, unanimi assẽsu pariq; uoto confitentur lib. prædicament. esse necessariam partem logices, ergo uerum est aut tanquam uerũ habendum, quod liber prędicamen. est necessario pars logices. Tertia ratio eorundem, partes simplices sunt necessariæ ad totius compositionem, sicut omnes concedunt, ergo liber prædicament. est necessarius ad librum periherm. & sic est necessaria pars logices, probatur consequentia, quoniam in libro periherm. agitur de composito, scilicet de enunciatione & non de partibus componentibus ipsam, sed in lib. prædicamen. agitur de terminis simplicibus, qui sunt partes enunciationis. Ex hac etiam ratione ipsi probant, quod liber prædicamen. est primus in logica, quia simpliciora sunt priora. Quarto quoque sic arguunt, sectantes modum dicendi diui Thomæ. sicut se habet prima operatio intellectus ad secũdam, & tertiam ita liber prædicamentorum ad alios libros logices, sed prima operatio intellectus est necessaria ad secundam & tertiam, adeo quod non possunt esse sine illa, ergo & liber prædicamentorum est necessaria pars in logica, ita ut cæteri libro. logices non possint esse sine illo. Maior probatur, præsupponendo secundum Arist. in tertio de anima tex. commen. 21. quòd tres sunt operationes intellectus, indiuisibilium intelligentia, ab Auer. formatio nũcupata compositio uel diuisio, quæ fides ab Auerro. dicitur, & tertia a latinis discursus uocatur, primę operationi liber prędicamentorum correspondet, secundæ liber periherm. & tertiæ liber priorum, eiusq; species. tunc habito hoc pro constanti, facile apparet uera maior, & similitudo uerissima, cum prima operatio sit penes simplicissima, de quibus in libro tantum prædicamen. agitur & nõ in aliis libris logices. Minor quoque uerissima est, & sic lib. prædicamentorum est necessaria pars logices. Quinto argumentantur ex Ari. qui in fine antepraedicamentorum pro

haec duplici medio, decem praedicamenta esse simplicia & primū est hoc, quia si soli sine accipiuntur, nō faciunt affirmationem aut negationem, & tunc faciūt affirmationem, aut negationem quando summūtur cum uerbo. ex quibus uerbis duo inferuntur secundum Aristote. primū quod praedicamenta sunt partes per se affirmationis, aut negationis quod supra fuit negatum: secundum & est in tentum nostrum. ꝙ cum prędicamēta faciant affirmationem aut negationē, sequitur ea esse logici negotii, & probatur haec consequentia, quoniam eiusdem considerationis sunt partes, cuius est totum, sed affirmatio & negatio sunt per se considerationis logicae ut dixit Arist. in primo periherm. in princ. ergo & prędicamenta componentia affirmationem & negationem considerabuntur per se a logico, & non per accidens. Sexto, & fortius arguunt, quoniam tractare de nomine aequiuoco, uniuoco, & denominatiuo, munus est logici. & probatur, quoniam sunt termini pro secundo intellectis, & sic liber praedicament. est logicus, & necessaria pars logices, nam non posset intelligi quid sit oratio una, & plures, de quibus tractatur in primo lib. periherm. nisi sciatur quid nomen aequiuocum, & uniuocum. Amplius Ari. in lib. praedicament. in definitione aequiuoci & denominatiuorum, & similiter in diuisione & regulis anteprędicamentorū utitur his nominibus, scilicet genere, & specie, quae sunt secundo intellecta, & in toto tractatu & in epilogo eiū utitur semper nominibus logicalibus, & sic lib. praedicamen. est logicus & nō metaphysicus. hae sunt fortiores, & potiores rationes, quibus credunt moderni logici demonstratiuè cōcludere, ꝙ liber praedicamētorum sit necessaria pars logices, & nullo modo metaphysica.

Solutiones ad argumenta Logicorum nostri temporis.

Ad primam rationem respondetur concedendo maiorem, sed negatur minor, & ad eius probationem, dicitur ꝙ plures sunt errores in illa probatione minoris. Primus error est circa praesuppositum illud, quod finis logices sit demonstratio, nam in quaesito de nobiliori instrumento sciendi demonstrabimus tale praesuppositum graecorum & latinorum omnino falsum esse. Secundus error modernorum in eadem probatione minoris est hic, quoniā non clare enucleant quomodo syllogismus sit necessarius ad demonstrationem, & huius erroris causa est, quia non uiderunt Auer. quam pulchre declarantem necessitatem ipsius syllogismi ad demonstrationem in primo post. in prologo, ubi dicit ꝙ demonstratio habet duas partes, formalem & materialem, pars formalis est syllogismus de quo agitur in libro priorum, & quia pars formalis necessaria est ei cuius est pars, propterea syllogismus necessarius est demonstrationi. Tertius error modernorum est ibi, quando dicunt ꝙ de propositione agitur in lib. periherm. quod falsissimū est. & probatur hoc multipliciter, primo, quia Arist. non definiuit propositionem in lib. periherm, neque in primo, neque in secundo, ergo neq; considerat eam. antecedens est Auer. in primo poster. com. 13. & consequentia probatur per Ari. & Auer. sexto metaph. tex. com. 2. ubi dicitur ꝙ modus considerandi sumitur a modo definiendi. Secundo sic probatur. dixit Auer. primo poster. cō. 13. quod propositio est pars syllogismi. s. & maior, & minor, sed quomodo debent esse partes maior & minor solū in lib. prior. Arist. declarauit, ergo errant moderni.

Quartus error modernorum est, quia dicūt syllogismū per se componi ex enunciatione, de quo dicetur diffusius in proprio quaesito. Quinto errant, dicētes quod ꝑpositio cōponitur per se ex terminis simplicissimis traditis in lib. praedicamentorum, nam superius demonstrauimus secundo Ari. & Auer. quod enūciatio & propositio per accidēs componuntur ex praedicamentis, & nullo modo per se.

Sexto errant, quando dicunt in lib. praedicament. tractari de simplicissimis, quibus nihil est simplicius, siquidē demōstrauimus dudum hoc falsum esse. Septimo quoq; errant. quum uelint praedicamenta necessario cōsiderari in logica ex fine logices, quod erroneum esse supra ostēsum est, & diffusius dicetur in quaesito de subiecto logices. Et tandem uidentur tot esse errores modernorum in hac eorum probatione minoris. quot ferè uerba. concludamus igitur ne nimium longe sumatur nostra responsio, & dicamus ꝙ minor eorum rationis, quam tantopere magnificant, nihil nisi falsum habet. Ad secundam rationem modernorum, de opinione omnium Logicorū, Graecorum, Arabum, & Latinorum, dicendū est pace eorū, quod in hoc nō fuerūt peripatetici, & fortasse cōmunis usus & cōsuetudo, huius erroris causa fuit. nam tria sunt quę impediunt homines ne possint discernere ueritatē, ut dixerunt Arist. & Auer. secundo metaph. tex. com. 15. primū est malum ingenium uel peruersa natura. secundū est pessima consuetudo, tertium uero est mala logica. ex mala forte consuetudine in hunc prolapsi sunt errorem, persuadentes lib. praedicamen. logices ad artem necessariū esse, & cum hoc primo fore situandum loco, quod absurdum esse pauloante commostratum est. Ad tertiam rationem modernorum facillime quoq; respondetur negando penitus consequentiam, & ad probationē dicitur, falsissimum esse, quod in lib. periherm. nō agatur de partibus simplicissimis enunciationis, nam agitur de nomine & uerbo. quibus profectò nihil esse simplicius superius demonstrauimus quare superfluus fuit liber praedicamen. pro hoc. Et aduertēdū est. quod haec fuit una ex causis principalibus qua omnes dixerūt quod lib. praedicamen. sit necessaria pars logices, quia crediderūt quod in lib. periherm. tantum ageretur de enunciatione, & non de partibus eius simplicissimis, quod falsissimū esse nos pro cōperto habemus. Quinimmo dicimus, quod necesse fuit in eodē lib. perier. tractari de enūtiatione & de eius partibus. & reddit ueratio huius necessitatis, quoniā in eodē libro in quo agitur de toto, in eodem quoq; agi debet de partibus, quoniam relatiua non merentur diuersum tractatū. & propter hāc rationem, dicimus etiā quod Porphy. nō fecit duo capita de genere & de specie, sed unum duntaxat caput est eis assignandum, siquidē relatiua sunt: sic in proposito nomen & uerbum sunt partes, & enunciatio est totum, & totū & pars relatiua sunt, ergo necessum fuit tractari de partibus in lib. periherm. & sic non concludit argumentum. Ad quartam modernorum rationem, concedimus proxime illam triplicem operationem intellectus, licet posset dici quod Ari. in tertio de anima tex. cō. 21. solum faciat mentionem de prima & secunda, & Ioan. Gram. tertiam addidit, de hoc alias diffusius dicetur, sed negamus prorsus id, quod omnes & Graeci & Latini dicūt quod in lib. prędicā. sit prima operatio intellectus, nā supra diximus quod in lib. periherm. agitur de prima & secunda operationibus intellectus, & sic ratio diui Tho. eiusq; sequaciū nulla est & causa, qua ratio tota falsa est est qa sequitur ex fundamēto falso. ꝙ scilicet lib. praedicā. correspōdeat prima operatio intellectus. Ad quintam etiam modernorum rationē facilè dicitur, & si uideatur difficilis. ꝙ in fine antepraedicamen. probatur praedicamēta esse simplicia, quia ex se & solitarie nullam, nec affirmationem, nec negationē cōficiunt, & tunc utrūq; faciunt, quum uniūtur uerbo, haec colliguntur ex uerbis illis in anteprędicamen. sed non sequitur ex illis uerbis, quod praedicamenta per se componant orationem seu per se sint partes enunciationis, nam supra dictū est, quod praedicamēta sunt partes orationis, sed per accidens solum, & nomen & uerbum sunt partes per se, ut diffusius etiam dicetur in proprio quaesito, quare non concludit ratio haec. nam tunc profectò concluderet, quando diceretur in antepraedicam. ꝙ praedicam.

dicam, sunt partes per se & immediate orationis, quod non dicitur. Ad sextam & ultimam rationem quæ aliquã tesper difficilis iudicatur, dicimus cum quibusdã Græcis, quod Arist. non definit nomina æquiuoca, sed res æquiuocas, & quod hoc sit uerum, patet ex exemplis assignatis in litera, ubi dicitur de homine uero & de homine picto, nã hõ uerus & homo pictus conueniunt in nomine hoc, scilicet, homo. & sic res sunt quæ conueniunt in nomine, & non nomina ipsa, & similiter dicendum ad omnia alia uerba quæ uidentur esse pro secundo intellectu. concludendum igitur omnino est tum ex rationibus supradictis cum ẽt ex hisce responsionibus. quod lib. prędica. non potest esse pars necessaria logices, sed tantum metaphysicæ & si a logico considerantur ipsa prædicamenta, hoc est ad bonitatem doctrinæ modo iam declarato.

Secundum caput. in quo etiam demonstrabitur contra Græcos & Latinos omnes. quod liber prædicam. non sit primo situandus loco.

SEd prius animaduersione dignum est, antequam ulterius procedatur, ꝙ ex rationibus supradictis probantibus lib. prædicam. non esse necessariam partẽ, logices, sed metaphysicæ & ex iis quæ dicta sunt diffusissime in quęsito de primo lib. logices facile patet intentum nostrum, librum scilicet prædicamentorum non esse primum in logica, tum quia non logicus est, cum etiam quia primus li. in logica, & ex necessitate, & secundum melius notius est lib. periherm. uerum enimuero ad uberiorem pręsentis quęsiti elucidationẽ, hãc quoque rationem addimus quæ est, Si liber prædicamentorum præcederet aut esset primus in logica tunc hoc esset, aut ex necessitate, aut ex bonitate doctrinæ, i. ob faciliorem notitiam, aut tertio secundum melius nobilius, idest quia est nobilior liber quàm alii in logica, sed nullo modo istorum trium liber prædicamentorum præcedit libros logices, ergo non potest primo situari loco, sicuti omnes communiter asserunt & male. Primo autem probatur quod non ex necessitate, quoniã id præcedit de necessitate aliud quod est causa illius, ut patet primo physi. tex. com. 1. & primo post. tex. com. 7. sed prædicamenta non sunt causa eorum quæ in logico negocio considerantur, ut supra diffusius dictum est ergo lib. prædicam. non præcedit ex necessitate. Secundo probatur, ꝙ non præcedat ex bonitate doctrinæ, quoniam tũc aliquis liber præcedit alterum ex bonitate doctrinæ, quando in tali libro tractantur pręcognitiones deseruientes illi libro, sicuti exemplum est de lib. Porphy. qui præcedit de bonitate doctrinæ lib. prædicam. non sic autem est lib. prædicam. ad lib. periherm. & ad alios lib. logices, & probatur per ea quæ superius dicta sunt, cum oratio enunciatiua perfecte conficiatur ex nomine & uerbo absque prędicamentorum cognitione, nam dictum est supra nomen esse simplicius, prius, ac uniuersalius prædicamentis, & sic oratio enũciatiua non eget ipsis prædicamentis ad sui constitutionem, ut falsò arbitrantur & Græci & Latini oẽs, quare sequitur ꝙ liber prædica. neque est primus ex bonitate doctrinæ. Tertio probatur quod neq; præcedat secundum melius & perfectius, quoniam ostendetur in quæsito de nobiliori instrumento sciendi, ꝙ nobilius consideratum in logica est definitio, & sic lib. post. gratia definitionis est finis omniũ consideratorum in logica, & per consequens est nobilior, & si nobilior, ergo lib. prædica. non erit primus in logica secundum melius nobilius, & nullus alius est præcedendi modus præter istos sicut dixit Auer. in primo metheor. cap. primo & ut etiam superius diximus in quæsito de primo li. logices, dicendum est igitur conclusiue contra omnes logicos, ꝙ lib. prædicamentorum non est primus in logica. Sed dicet quispiam nos nobis ipsis contradicere, quoniam hic inficiamur librum prædicam. esse præcognitionem ad considerata in logica, supra uero scilicet in primo capite huius quęsiti declarantes quomodo lib. prædicam. consideretur ex bonitate doctrinæ ab ipso logico, concessimus quod lib. prædi. quatenus est præcognitio consideratur ex bonitate doctrinę ab ipso logico, & sic clarissime apparet contradictio. Pro solutione huius contradictionis recurrendum est ad prætactam in primo capite distinctionem de duplici præcognitione quid nominis: una est præcognitio quid nominis necessaria, quę est necessario cõsideratorum in arte. s. subiecti, passionis, & dignitatis respectu terminorum. altera est pręcognitio nominis ad bene esse, quæ est respectu eorum quæ considerantur in arte ex bonitate seu ad bene esse. & habita hac distinctione, dicitur ꝙ non est contradictio in dictis in nostris, nã quando diximus in primo capite huius quæsiti ꝙ lib. prædicamentorum consideratur a logico tanquam præcognitio quid nominis, intelleximus de præcognitione quid nominis ad bene esse, hic uero intelligimus de pręcognitione quid nominis necessaria, & hoc modo negatur librum prædicamentorũ præcedere libros logices, tanquam pręcognitio sic. s. necessaria. Amplius animaduertendum est, ꝙ contra hanc determinationem, ꝙ scilicet lib. prædicamentorum non sit primus in logica, possunt adduci rationes Græcorum & Latinorum, quarum meminimus in proprio quęsito de primo libro logices, etiam rationes superius factæ, scilicet in primo capite quæ probant, quod liber prædicam. est necessarius secundum opinionem communem, illęmet rationes probant etiam quod sit primus in logica, etiã primitate necessitatis.

Dubitant Iuniores omnes, quo loco libro prędicament. collocandus est, cum nullo modo possit esse in primo.

Pro clarissimo huiusce dubitationis intellectu, sciendũ est, quod ipsa decem prędicamenta dupliciter debent cõsiderari, uno modo ut sunt partes seu species entis, & sic considerantur a metaphysico ut dixit Arist. 4. meta. text. com. primo & Auer. in epit. metaph. tract. 2. principio, & per consequens sequitur ꝙ prædicamenta hoc modo considerata in eodem profecto situanda sunt loco, in quo metaphysica scientia ponitur. Alio modo considerantur prędicamenta, ut. s. continent genera, species differentias, propria, & accidentia penes prædicari in quid & in quale Et adhuc etiam duobus modis considerari possunt, aut ex bonitate doctrinæ. Si primo modo. s. ex necessitate, tunc ponitur est conclusio uera, ꝙ liber prædicamentorum ponitur in eo loco, in quo situatur liber topicorum, & probatur per Arist. qui in primo topico. cap. 7. connumerat decem prædicamenta secundum ordinem quatuor prædicatorum quæ sunt in eis. Si secundo modo, scilicet ex bonitate doctrinæ, alia ponitur conclusio etiam uera, ꝙ liber prædicamentorũ nullum habet locum determinatũ & probatur hoc, quoniam illa pars uel ille liber habet determinatam sedem in doctrina, qui est pars necessaria in illa doctrina: sed lib. prædicam. non est pars necessaria, ut probatum est, ergo non potest habere determinatum locum, & sic patet quid dicendum est resolute ad dubitationem. Ex quibus omnibus sole clarius patet resoluta determinatio huius quæsiti, in quo duo aduersus logicos antiquos & modernos conclusimus. unũ fuit quod liber prædicamen. non est necessaria pars logices sed metaphysicę de quo in primo capite huius quæsiti disseruimus. alterum uero est, quod hoc secundo capite absolutum est, scilicet quod liber prædicam. non est primus in logica.

Quæsitum quintum, an propositio singularis ingrediatur syllogismum.

Proœmium.



RIMVS Magister Aristoteles, secundo cœli tex.commen. 35. & tex.comm. 60.tribus de causis, quempiam quærere ac, dubitare posse asserit, Prima quidem, propter amentiam, cum nullum inter facilia ac difficilia discrimen ponitur. Secunda ostentationis, ac multæ petulantiæ causa cũ quidã ita de arduissimis ac profundissimis quæstionibus sicut de leuissimis dubitare ac sciscitari præsumunt. Tertia uero est, cum tantum ob philosophiæ studium & ueritatis amorem percunctatur; at duabus prioribus reiectis causis, tertiam mirum in modum commendauit Arist. scite asseuerans, quod ob ueritatis studiũ, nimia promptitudo in dubitando, potius ueneratione digna est quam temeritate, si quidem philosophi est, maximam perscrutationem facere, ob ueritatem nanciscendam, ueluti ipse Arist. in secundo metaph. tex. commen. 15. nobis notatum reliquit, Et non ab re totis conatibus, omniq; molimine dies, noctesq; pro ueritatis studio nobis elaborandum esse Aristoteles exarauit, nam sicuti sanitas, corporis est perfectio, ita ueritas intellectus Quũ igitur ob ueritatis amorem, & philosophiæ studium, iure dubitare conueniat, An propositio singularis ingrediatur syllogismum propterea de hac re nunc uerba faciemus. Et ut clarius, distinctiusq; huiuscemodi quæsiti determinatio fiat hunc sequemur ordinem, (sicuti in aliis nostris quæsitis consueuimus) Primo declarabuntur termini positi in titulo quæsiti. Secundo aliorum positiones referentur. Tertio Arist. ac Auer. uera opinio cum propriis fundamentis rationibus demonstratiuis, dilucidabitur. Quarto aduersariorum argumenta soluentur.

Primum caput, in quo termini positi in titulo quæsiti, declarantur.

PRimus Terminus declarandus est ipsa propositio, de qua duo declarare intendimus. Primo quidem eius nomenclaturam, seu quid nominis, secundo quid rei. Quo ad primum, dicimus quod illud, quod apud Græcos dicitur πρότασις, apud Latinos dicitur propositio. Hinc patet error Suessani, qui in primo priorũ capite primo dixit, quod propositio græce dicitur πρόθεσις, latine propositio, latissimum siquidem ponunt Græci discrimẽ & interstitium inter πρότασιν, & πρόθεσιν nam πρόθεσις significat apud logicos propositionem, & πρότασις significat apud Grammaticos eam orationis partem, quæ præpositio dicitur: & quandoque etiam significat propositum, seu intentum, sicuti Arist. usus est in primo topi. in proœmio in primis uerbis, cum dicit. Propositum quidem negotii est methodum inuenire, & in tex. græco habetur πρόθεσις. Ex quo discrimine clarissime apparet Suess. toto cœlo errasse quo ad quid nominis & nomenclaturam ipsius propositionis. Neque etiam uerum est, quod propositio dicatur, quasi pro alio posito, ueluti Albertus Magnus, & Burana tradiderunt, sed potius exponi deberet præpositio, quia anteponitur conclusioni. & hoc uidetur πρότασις significare. Circa secundum, quod est de quid rei ipsius propositionis, legito ea, quæ diximus in primo priorum cap. primo nam ibi est locus proprius definitionis ipsius propositionis. si quis tamen scire cupit quomodo definitio propositionis quæ assignatur in primo priorum cap. primo differat ab ea, quam ipse Arist. exhibuit in primo poster. tex. commen. 13. legat expositionem nostram in primo poster. in commen. 13. ubi Auer. duas affert expositiones, declarando, quomodo definitio tradita in lib. poster. tex. comm. 13. sit similis definitioni assignatæ in primo priorum cap. primo. Cur etiam propositio uariis nuncupetur nominibus in doctrina Arist, ueluti Græci fere omnes meminere, ut Alexander Aphrodisæus, Ammonius Ioannes Gramm & Magentinus. diximus etiam in expositione nostra in primo poster. in tex. commen. 13. ubi uberrimam diuisionem ipsius propositionis annotauimus, & omnia ea sigillatim exposuimus. uerum quod ad hoc negocium pertinet, paucis dicimus quod eadem res dicitur enunciatio, propositio, præmissa, conclusio propositio immediata, quæstio, problema, propositio dialectica, sophisma, & instantia. Atque huius quidem ratio cur propositio tot supradictis nominibus nuncupetur, in uariis locis apud doctrinam Ar. hæc assignari debet, quoniam aut consideramus ipsam propositionem extra syllogismum aut in syllogismo. Si extra syllogismum sic enunciatio nuncupatur. si in syllogismo sic dicitur propositio, & præmissa. & quia quinque sunt species syllogismi, (ut annotauit Auerro. in primo poster. in prologo & in primo com. & in epit. logic.) propterea aliis quoque nominibus appellatur ipsa propositio, nam si consideratur propositio in ordine, & sub habitudine ad syllogismum demonstratiuum. sic duobus appellatur nominibus, nam aut consideratur ante demonstrationem, & sic uocatur quæstio, seu quæsitum ut patet secundo poster. tex. commen. primo, aut consideratur. ut est in syllogismo demonstratiuo, & sic uocatur principium immediatum, dignitas, & propositio immediata ut patet primo poster. tex. comm. 13. Si uero consideratur propositio respectu syllogismi topici, duobus alus uocabitur nominibus, aut ante syllogismũ, topicũ, & sic dicitur problema aut consideratur, ut est præmissa topica & sic propositio dialectica, seu probabilis dicitur, ut Ari. docuit in primo topic. Si adhuc consideratur sub habitudine ad syllogismum sophisticum, duplex quoque sortietur nomen ipsa propositio, si ante syllogismum sophisticum, sic sophisma nuncupatur, si quatenus efficitur præmissa syllogismi sophistici tunc propositio litigiosa, uel apparens nuncupatur, & respectu syllogismi rethorici, propositio, seu præmissa rethorica uocatur, sicuti etiam poetica dicetur, si fuerit sumpta in syllogismo poetico, hæc & alia nomina ipsius propositionis, copiosius uidere poteris in nostra expositione primi poster. tex. commen. 13. Et sciẽdum est nomina supradicta ipsis propositionis esse eadem subiecto, & differre ratione, & exemplo hoc declaratur. Album, & dulce in lacte, sunt idem subiecto, & differunt ratione, ut liquido constat, ita enunciatio, propositio, & alia supradicta nomina, sunt idem subiecto, differunt ratione, ut diximus & legito Arist. in quarto metaph. tex. commen. tertio si scire cupias, quonam modo aliqua sint eadem subiecto, & differant ratione. In

super

super uideas Arist. primo physicorum tex. commen. 60. & tex. comm. 66. quod materia, & priuatio sunt unum subiecto, & differunt specie, seu ratione. Hoc idem retulit Auerr. in primo physico. commen. 60. & quinto physico. commento. 47. & tertio physico. 19. & 21. & secundo de anima commen. 147. & tertio de anima comm. primo quia aliqua sunt idem subiecto, & differunt ratione. Ex tot autē significatis asserimus propositionem sumi in titulo huius quæsiti, non quatenus enunciatio, sed quatenus syllogismi cōstitutiua quia quærimus, an syllogismus possit constitui ex propositione singulari. Secundus terminus positus in titulo quæsiti, est, ly, singularis: & scito singulare bifariam esse, quoddam est substantiæ, quoddam uero accidentis. distinctio, est pariter quæ ponitur ab Arist. in prędicam. lib. in antepraedicamentis, cap. secundo in epit. logic, in prædicam. & capitu. de specie in Porph. Amplius sciri uolumus, quod singulare, quatenus est commune ad sigularia substantiæ, & ad singulare accidentis. hoc modo definitur. Singulare est illud, quod naturaliter de nullo prædicatur, ut de inferiori, colligitur huiuscemodi definitio ex Arist. primo post. tex commen. quarto in lib. categ. cap. secundo in antepraedicamen. In primo perier cap. quinto & ex Auerro. in epit. logico. in serm. de prædicamentis, & primo poster. commen. 33. in calce com. In qua profectò definitione duæ sunt particulæ examinandæ, quarum prima est, ly naturaliter, & ponitur illa particula ad differentiā prædicatorum innaturalium. nam prædicata duplicia sunt quodam est prædicatum naturale, quoddam uerò innaturale, ut habetur in Auerro. in epito. logic. cap. de demonst. & primo poster. commen. 146 & septimo metaph. commen. 59. Themist. quoque hoc idem retulit de duplici prædicato, ut patet primo poster. capitu. 30. hanc eandem distinctionem tulit Ammonius in lib. Categ. de substantia. & quis regula est apud logicos, quod propositiones specificantur a prædicatis. quum igitur prædicatum sit duplex, naturale, & innaturale, iure propositio duplex esse debet naturalis, & innaturalis. Et si scire uelis, quid sit prędicatum naturale? Respondet Auer. in primo poster. commen. 148. quòd prædicatum naturale. est illud quod aptum natum est, inesse rei extra animā. Si uerò econuerso fuerit, tunc erit prædicatum innaturale. Si adhoc percunctaberis, quotuplex sit prędicatum naturale, Respondet etiam ipse Auerro. in primo poster. comm. 148. quòd prædicatum naturale est triplex, aut quādo causa prędicatur de causato, ut clarum est in omnibus gradibus, seu speciebus primi modi dicendi per se, in primo poster. tex. comm. 30. nam siue tota definitio, uel pars definitionis dicatur de subiecto, procul dubio prædicatur causa de causato, aut quando superius de inferiori, ut homo est substātia, aut corpus animatum, & tandem dicitur prædicatum naturale, quando accidens de subiecto, ut Socrates est albus. Et per oppositum prædicatum innaturale, quoque trifariam, aut quando causatum prędicatur de causa, aut inferius de superiori, aut subiectum de accidente, exempla tam patent. Sed aliquis obiicere posset ex uerbis Auerro. in epit. logic. in cap. de demonstr. ubi asserit. prædicatum naturale esse duplex, aut quando causa de causato, aut quando accidens de subiecto, & nullam prorsus mentionem facit de superiori quando prædicatur de inferiori, ergo uidetur Auer. sibi ipsi contradicere, Respondetur, haudquaquā Auer. sibi ipsi contradicere, quoniam sub illo modo, quando prædicatur causa de causato. intelligit etiam superius de inferiori, nam superius dicitur causa sui inferioris, unde inferimus, Auerro. non sibi ipsi contradicere, peripatheticè dictum fuisse tria esse prædicata naturalia. & tria esse prędicata innaturalia. sed & hoc uberius, & diximus in primo posteriorum in expositione tex. commen. quarti ubi digressionem aduersus Porphyrium circa indiuidui definitionem fecimus, in quo etiam ... comperies, duplicem esse prædicationem, naturalem, scilicet & innaturalem secundum Auer. in supra notatis locis, & secūdum Them. in primo poster. cap. 38. & etiam secundum Ammonium in prædicamento substantiæ. Verū Latini sub aliis uerbis eandem protulerunt distinctionem, nam quidam latinorum dicunt prędicationem duplicem esse, directam, scilicet & indirectam, alii aliter dixerunt quod uidelicet prędicatio duplex est, quædam de modo loquēdi consueto, quędam uerò de modo loquendi inconsueto, & licet uerbis differant, sententia tamen, & re ipsa, cū Auer. & Græcis conuenire uidentur. Superest ut ad primam particulam (positam in definitione singularis) redeamus. nam prima particula fuit ly naturaliter, unde cōcludimus quod singulare. non potest esse prædicatum naturale, sed innaturale, quod ab arte respuitur. Secūda particula posita in definitione singularis. est ly (ut de inferiori) quæ particula ponitur ad differentiam singularis accidentis, quod licet prędicetur de aliquo, ut pote de subiecto, in quo est non tamen prędicatur de eo. ut superius de inferiori, sicuti optime declarauit Auer. in epito. logico. in sermone de prædicamentis, & cap. de specie aduersus Porphy. ex quarum particularum declaratione clarissima est definitio singularis, quod singulare est illud, quod naturaliter de nullo prædicatur, ut de inferiori. Amplius consideratione dignum est, quod quamuis singulare substantiæ, & singulare accidentis conueniant in supradicta definitione: tamen differunt inter se essentiali differentia, ut liquidò patet. Et si scire uelis quod singulare substantiæ, sit, & quonammodo constet, legito Arist. in septimo metaph. tex. com. 35. & uideto Auerro. in prima disput. in solutione septimi dubii, ex quibus sanè locis hæc colligitur definitio. quod singulare substantiæ est illud quod constat, ex hac forma, & materia ultima, & notato quia duo requiruntur ad hoc, ut aliquid, sit singulare, & uere indiuiduum, unum est principale, & aliud secundarium: principale principium est materia, ut tradidit Auerro. in prima disput. in solutione septimi dubii. secundarium principium est collectio proprietatum, ut pote, determinata quantitas, determinata qualitas. esse in hoc tempore, esse in hoc loco, & esse ex hac forma in hac materia, & hoc secundarium, & accessorium principium, tetigit Porphy. in cap. de specie, in descriptione indiuidui. Et pro hoc secūdario principio indiuiduationis legito etiam Ari. nedum septimo metaphysi. tex. commen. 35. sed primo cœli tex. comm. 92. & 95. & quia locus iste non expostulat negotium de principiis indiuiduationis propterea pertranseundum est, & concludatur singulare, substātiæ esse illud, quod constat ex hac forma, & materia ultima, & tam primarium. quam secundarium huiusmodi definitione clauduntur, ut patet acutius & profundius speculantibus. Possent etiam hic recenseri uaria singularis significata, nam quandoque sumitur singulare, pro minus uniuersali, seu pro specie, ut docuit Aristo. secundo post. tex. comm. 82. & cap. 21. ubi habetur, quod facilius est definire singulare, idest speciem, quam uniuersale, idest genus, & pro minus uniuersali sumpsit singulare in primo poster. in cap. de demonst. uniuersali, & de demonstratione particulari: sed quia intentio nostra non est in præsenti loco, nominum omnia significata declarare, ideò concludendo dicamus, quòd in præsenti quęsito, intelligimus de singulari, quod distinguitur contra magis uniuersale, & minus uniuersale, idest contra genus, & cōtra speciem, & dicitur uerè singulare. & indiuiduum cuiuscunque fuerit prædicamenti. Et scito quod Aristo. in quamplurimis locis meminit de uere singulari, & indiuiduo, ut patet discurrendo, in eius doctrina. & præsertim in septimo metaph. tex. comm. 35. ubi dicitur, quod recedentibus singularibus a sensu, nescimus utrum sint, aut

non sint, & Auer. in commen dicit, quia non habemus certitudinem, sed existimationem. & in eodem quoque lib. tex. comm. 53. & 35. protulit, quod singularium substantiarum sensibilium nec definitio, nec demonstratio est quia habent materiam, cuius natura talis est, ut contingat, & esse, & non esse, & secundo de anima tex. com. 60 retulit q singularium secundum actum sensus est, scientia uerò est uniuersalium: & in eodem septimo metaph. tex. comm. 10. inquit, singularia esse notiora apud nos, quam uniuersalia & Auerro in secundo diutnorum com mēto uigesimoseptimo auctoritate Alex. exarauit quòd uniuersalia praecedunt singularia in intellectu, & tādem de uerè singularibus intellexit Aristo. primo poster. tex. comm. 22. cum dixit & opponuntur hęc inuicem, scilicet singularia & uniuersalia, & hæc satis sint pro declaratione secundi termini positi in titulo quęsiti. Tertius terminus positus in titulo quæsiti, est, syllogismus. per syllogismum intelligere debemus, eam argumentationis speciem, quæ distinguitur a tribus aliis speciebus argumentationis, scilicet ab inductione, exemplo, & enthymemate, de quibus meminit Aristo. secundo priorum cap. 23. & 24. & primo poste. tex. comm. primo & alibi. Reliquum est modo (habita uera terminorum declaratione) clarissimum exhibere sensum huius quæsiti, & dicimus, quòd quæsitum nostrum quum sit compositum & non simplex, unum quærit, & aliud præsupponit, siquidē omnis quęstio composita. unum quærit, & aliud præsupponit, sicuti docuit Arist. septimo metaph. tex. commen. 59. Illud quod præsupponitur in nostro quęsito, est ipsa propositio singularis, & illud quod quæritur, est an ipsa propositio singularis ingrediatur syllogismum.

Secundum Caput. in quo quorundam rationes ponuntur, probantes propositionem singularem ingredi syllogismum.

PRima Ratio, qua quidam nituntur concludere propositionem singularem ingredi syllogismū, sumitur ex uerbis Arist. in secundo priorum cap. 23. ubi asserit inductionem & exemplum reduci ad syllogismum. Quo præsupposito hunc in modum ipsi obiiciunt. Accipiatur syllogismus, ad quem reducta est inductio, proculdubio ipsius syllogismi præmissæ erunt singulares, ergo propositiones singulares ingrediuntur syllogismum, & ratio ista præsupponit definitionem inductionis. quam Arist. docuit primo topic. cap. 10. quod inductio est progressus a singularibus ad uniuersale, hoc idem protulit ipse Aristo. secundo priorum cap. 23. & 24. & primo post. tex. com. primo. Hoc quoque Auer. annotauit primo physi. com. 48. & secundo physic. commen. 80. & octauo physic. comm. 23. & & secundo cœli commen. 49. & 59. quibus sane in locis meminit ipse Auer. de duplici inductione, quarū una demōstratiua dicitur, in qua fit progressus ab uno dūtaxat singulari ad uniuersale: & altera uero topica nuncupatur, & de hac Arist. dixit primo top. cap. 10. & secundo priorum cap. 23. & 24. & alibi quod est progressus a singularibus ad uniuersale, modo siuè fuerit inductio topica, siue demonstratiua, semper habet propositionem singularem, & inductio reducitur ad syllogismum sequitur propositionem singularē ingredi syllogismum. Secunda ratio eorundem hęc est. syllogismus, qui regulatur per dictum de omni est syllogismus: sed syllogismus ipse, qui conficitur ex propositione singulari, regulatur per dictum de omni, ergo ipsa propositio singularis iure ingredi debet syllogismum. & probare nituntur ipsi hāc rationem esse ueram, per hunc syllogismum, omnis homo est albus, Socrates est homo, ergo Socrates est albus: maior huius syllogismi regulatur per dictum de omni, quia prędicatum eius, quod est, ly albus, competit cuilibet contento sub subiecto, q est ly homo ut patet inducēribus. Tertia ratio, excerpitur ex Ari. prima post. tex. commen. quarto ubi dicunt ipsi, Aristo. facere hanc demonstrationem, omnis triangulus habet tres angulos iste, qui est in semicirculo est triangulus, ergo iste habet tres angulos, & minor, & conclusio, sunt propositiones singulares, ergo propositio singularis ingreditur syllogismum. Quarta ratio colligitur ex uerbis Aristotelis in primo post. cap. 39. ubi loquitur de demonstratione uniuersali & particulari, & habetur ibi quod demōstratio particularis est ex præmissis notis sensibus, sed nota sensibus sunt singularia. ut patet primo poster. tex. commen. 12. ergo præmissæ singulares ingredi possunt syllogismum. Quinta ratio innititur syllogismo expositorio. Quoniam Arist. primo prior. cap. 24. posuit syllogismum expositorium, qui hoc modo erigitur ab eis, ut hic est homo, & hic est animal, ergo homo est animal. hunc syllogismum uocāt ipsi expositorium, & constat ex propositionibus singularibus: ergo propositiones singulares ingrediuntur syllogismū. Sexta, & ultima ratio, sumitur robur ex uerbis Auer. qui dixit in paraphr. se uelle loqui de principiis communibus libro prior. inter quæ, enumeratur propositio particularis. & confirmant hoc, quia in secundo prio. cap. 23. & 24. tractatur de inductione, & de exemplo, ergo Arist. debet loqui de propositione quę deseruit inductioni, exēplo, & enthymemati, & talis propositio, quæ deseruit istibus, est propositio singularis. concludendum igitur est, Aristot. debuisse tractare de propositione singularis. Hæ sunt potissimæ rationes quibus probatur, q propositio singularis ingrediatur syllogismum.

Tertium caput, in quò uera, ac germana narratur opinio Aristotelis cum propriis fundamentis quod propositio singularis non ingrediatur syllogismum.

ARistotelis uera opinio est, quod propositio singularis non ingreditur syllogismum, quicquid aliis libuerit: uerum ut talis opinio ad omnibus clarius, & distinctius percipiatur, (cum a nullo unquam sit pertractata) in hunc procedemus modum in hoc tertio capitu. primo quædam annotabuntur pręsupposita, seu fundamenta: Secundo, conclusiones aliquas ex illis pręsuppositis deducemus. Tertio rationibus eas conclusiones confirmabimus, quibus præhabitis, clarissima patebit opinio Arist. diluentur postea aduersariorum argumenta, ac rationes. Circa præsupposita, quę polliciti sumus, hoc primo statuimus præsuppositum, seu fundamentum, quod instrumenta notificandi quæ docet logica, duo sunt, syllogismus, & inductio, hoc protulit Aristoteles secundo prior. cap. 23. in sexto ethic. cap. quarto & primo top. cap. 10. & primo rhetor. cap. de instrum. rhetoricis, & causam assignat Arist. quare instrumenta duo sint, quoniam duo sunt genera cognoscibilium ac notificabilium, uel enim est conclusio, uel præmissa. Si est conclusio, tunc scitur syllogismo si uero est pręmissa ea scitur inductione. Sed aliquis obiicere forsitan posset, quia non tantum duo sunt instrumenta notificandi, scilicet inductio, & syllogismus sed etiā sunt duo alia, ut porè enthymema, & exemplum ueluti docuit nos Arist. secundo prior. cap. 23. & 24. & primo posterior. tex. commento primo. Pro solutione, animaduersione dignum est, quod aliquid esse tale, bifariam intelligi potest, uno modo uere, & uniuoce, alio modo proportionabiliter & analogice. exemplum primi patet. exemplum secundi, uti rex in regno, ita princeps in principatu. unde dicere possumus, princeps est rex, non uniuoce, sed proportionali opere, quia quantum, & quale opus potest rex in regno, tantum, & tale potest princeps in suo principatu. Qua distinctione præhabita,

habita, & prænotata, dicimus duo esse instrumenta, quę uerè, & uniuocè sunt instrumenta, inductionem, scilicet & syllogismum. At enthymema, & exemplum sunt et instrumenta, sed analogicè & proportionabiliter, quia quantum ualet syllogismus in artibus, tantum ualet enthymema in rhetorica, & quantum ualet inductio in artibus, tantum etiam ualet exemplum in rethorica, & hæc responsio est ipsius Aristotelis in primo rethor. cap. de instrumen. Secundum præsuppositum seu fundamentū, & maxima animaduersione dignum, hoc est: Propositio, quam Arist. definit in primo prior. cap. primo, tantum deseruit syllogismo, & non inductioni, enthymemati, aut exemplo: quod sane duplici probatur ratione. Quarum prima hęc est, illam propositionem intendit Arist. definire, quam proposuit in procemio, sed proposuit in procemio definire propositionem deseruientem syllogismo, ergo eam tantum intendit definire, quæ syllogismo subseruit. Maior patet, & minor probatur, quia tam terminus, quam propositio sunt gratia syllogismi, qui quidem syllogismus est subiectum actuale in lib. prio. & hoc uoluit dicere Auer. in prolog. magno commen. quando dixit, quòd lib. prior. agitur de forma demonstrationis, quæ forma demonstrationis, ipse syllogismus est. igitur syllogismus est subiectum actuale in lib. prio. & quæcunque considerantur in scientia sunt gratia subiecti, ueluti docuit nos Arist. primo post. tex. commen. 179. tunc dictum est propositionem eam definire Aristo. quia est propter ipsum syllogismum. Secunda ratio innititur Aris. qui secundo prior. cap. 23. & 24. dixit propositiones deseruientes inductioni, exemplo, & enthymemati esse singulares, tūc sic arguitur, si Arist. intentio fuisset definire propositionem subseruientem etiam illis tribus, scilicet inductioni, exemplo, & enthymemati, proculdubio non omisisset propositionem singularem, quæ seruit illis, sed numerando propositionis species, non meminit de propositione singulari, ergo intentio eius dumtaxat fuit definire propositionem, qua utitur syllogismus & non qua utuntur exēplum, enthymema & inductio. Ex quibus fundamentis & præsuppositis, duas inferimus conclusiones. Prima conclusio hæc est, propositio singularis non ingreditur syllogismum ullo pacto, definitum in lib. prio. & huius conclusionis ueritas, pluribus rationibus commostratur. Prima ratio est, si propositio singularis posset esse pars syllogismi, tunc conclusio syllogismi posset esse singularis, et si conclusio posset esse singularis, posset etiam esse necessaria ipsa conclusio. huiusmodi consequentiam hoc modo probamus, quia Arist. docuit primo prior. conclusionem attestari præmissis, ita quod si præmissa est particularis, & conclusio erit particularis. & si una præmissarū est singularis, conclusio quoque erit singularis, & si præmissa necessaria, conclusio insuper necessaria. sed hoc est impossibile, propositionem singularem ingredi syllogismum. & quòd sit impossibile conclusionem syllogismi esse singularem, hunc in modum probatur, quia Auer. in quæsito de syllogismo hypothetico & primo poster. primo & secundo posterio. 25. & secundo prior. 23. declarauit, quod conclusio syllogismi debet esse necessario naturaliter ignota & Auer. in paraph. dicit, quod per hanc conditionem differt syllogismus ab aliis tribus speciebus argumentationis, scilicet ab inductione, exemplo, & enthymemate, quoniam conclusio syllogismi est necessario naturaliter ignota, conclusiones uero exempli, enthymematis, & inductionis non sunt naturaliter ignotæ. Hoc quoque protulit Philop. in expos. syllogismi in primo prior. quòd conclusio sit ignota naturaliter, hoc etiam probatur per illud uerbum, aliud, positum in definitione syllogismi nam ly, aliud, dicit differentiam essentialem, ita quod Arist. uoluit dicere, quod conclusio aliud quiddam est a præmissis, quoniam præmissæ sunt naturaliter notæ, & conclusio est naturaliter ignota. concludimus ergo quod propositio singularis sit nota ad sensum, ueluti tradidit Arist. primo post tex. comm. quarto non potest esse naturaliter ignota quia quæ sunt nota ad sensum, nō sunt naturaliter ignota: ergo si propositio singularis non potest esse naturaliter ignota, concludendum est, quod nullo modo potest ipsa propositio singularis esse conclusio syllogismi, & pro hoc legito etiam Arist. primo top. cap. nono, ubi habetur, quòd orationes quæ sunt notæ ad sensum, non possunt esse conclusiones syllogismi topici, quia conclusiones syllogismi debent esse ignotæ. & non notæ. Secunda ratio, syllogismus de quo loquitur Arist. primo prior. est ille, quo acquiruntur artes, ergo solum illæ propositiones debent ingredi syllogismū, quas considerat ars; sed ars non considerat singularia nam est uniuersalium cognitio ipsa ars, ueluti docuit Arist. in procemio metaph. & singularia ars spernit, tum quia corruptibilia, tum etiam quia infinita, unde hoc modo arguendum est. Syllogismus definitus in libro prior. est syllogismus qui facit cognoscere, ea quę sunt cognoscenda in arte, sed syllogismus qui facit cognoscere artem, facit ex uniuersalibus, & non ex particularibus, ergo propositio singularis non debet ingredi syllogismum. Tertia ratio, primo prior. cap. septimo de prima figura, Aristo. dicit in definitam poni pro particulari ita quòd idem est ponere particularem quod ponere indefinitam & assignat rationem ibidem Arist. quia idem erit syllogismus de indefinito, & de particulari, ex quibus uerbis sumpta est illa propositio. de particularibus & de indefinitis idem esse iudicium & nullam prorsus facit mentionem Arist. de propositione singulari, signum igitur est, propositionem singularem non ingredi syllogismum, nam si ingrederetur syllogismum proculdubio Arist. dixisset, quod syllogismus nō tantum cōfici potest ex indefinitis particularibus sed etiā singularibus. sequitur ergo propositionem singularem nullo mō ingredi syllogismū. Quarta ratio sumitur etiā ex Aris. primo prio. cap. 1. ubi ipse Arist. definit propositionem, & eā diuidit in tres dumtaxat species, scilicet in uniuersalem, particularem & indefinitam, & non meminit de ipsa propositione singulari, ergo signum est, ꝙ propositio singularis non potest esse pars syllogismi nam si syllogismus ex ea componeretur, utique eam numerasset, & assignasset Ari. Huic rationi respondit Burana Veronensis, auctoritate Alexan. Aphrodisiei, quòd propositio singularis reducitur ad particularem, & ideo Aristot. numerando propositionem particularem, numerat etiā propositionem singularem simpliciter. Sed responsioni huic dupliciter refragamus. Primo quidem, quia primo de interpretatione cap. quarto asseruit Aristo propositionem singularem, & propositionem particularem, differre ratione, seu definitione. sed quæ differunt ratione, unum non reducitur ad aliud. ergo sole clarius patet Buranæ responsionem falsam esse. Secundo, (ut probauimus superioribus rationibus,) propositio singularis non ingreditur syllogismum, quia propter si non ingreditur, dicendum est Arist. nullo modo numerasse eam, nec formaliter, nec reductiuè. Quidem aliam attulerunt responsionem dicentes. propositionem singularem, reduci ad indefinitam. unde Aris. numerando propositionem indefinitam, numerauit etiam propositionē singularium. Sed aduersus hanc secundam opinionem sunt duæ rationes, quas modo erueximus contra opinionem Buranæ & præter eas, hæc alia est ex auctoritate Aristotelis qui dixit primo elench. cap. de elench. quod propositio indefinita non fundat contradictionem, idest duæ indefinitę, quarū una est affirmatiua, alia uerò negatiua, non contradicunt. exemplum, ut homo currit, & homo non currit. ergo signum euidentissimum est, quod propositio singularis, & indefinita sunt duę species diuersę, quia indefinita non

fundat, & efficit contradictionem, singularis uerò efficit contradictionem. & dictum est quòd quæ essentiali differunt, ita differunt, unum non reducitur ad aliud, ergo responsio horum omnino falsa est. Tertiam. Quidam Neoterici afferunt responsionem dicentes ideo Arist. non numerasse propositionem singularem, quia eius intentio est numerare propositiones facientes scientiam, sed propositiones singulares non faciunt scientiam, ideo igitur propositiones singulares non fuerunt numeratæ. Ista responsio nullius momenti est, & potius fuga, quia non loquitur Arist. de propositionibus facientibus scientiam: nam propositiones scientiam producentes sunt demonstratiuæ, de quibus in primo poster. ex intento loquitur, at in lib. prio. intentio est Arist. loqui de propositionibus syllogismum facientibus, quæ propositiones syllogisticæ sunt abstractæ ab omni materia. quapropter dicendum est, hanc tertiam responsionem, nullius esse ualoris. Quinta ratio est, syllogismus qui deseruit arti cognoscitur intellectu, sed quæ cognoscuntur ab intellectu, nō sunt singularia, uelut patet tertio de anima commen. nono quòd singularium est sensus, & secundo de anima tex. commen. 60. protulit Aristote. quòd singularium est sensus, uniuersalium uerò est sciētia, & rationes efficacissimas ac demōstratiuas habebis in quæsito de primo cognito, quòd singularia non intelligantur ab intellectu, ergo concludendum est, propositiones singulares haudquaquam ingredi posse syllogismum. Sexta & ultima ratio sumitur ex uerbis Aristotelis secūdo prior. cap. septimo ubi habetur quòd propositiones uniuersaliter ueræ ut nunc, idest pro præsenti tempore, non ingrediuntur syllogismum. exemplum assignatur de propositione uniuersaliter uera ut nūc, ut omnis homo est albus, ista propositio est uniuersaliter uera ut nunc, idest pro præsenti tempore, & causam assignat Auerro. primo prior. cap. secundo quare propositiones uniuersaliter ueræ ut nunc, non ingrediuntur syllogismū, quia sunt ueræ per accidens. Quo præsupposito, sic debemus argumentari & demonstratiuè, propositiones uniuersaliter ueræ pro præsenti tempore, non ingrediuntur syllogismum, ergo nec propositiones singulares debent ingredi syllogismū, & causa assignatur quia propositiones singulares sunt ueræ pro præsenti tempore tantū, uelut tradidit Aristote. septimo metaphysic. tex. commen. 35. & 53. & recedentibus singularibus à sensu nescimus an sint, uel non sint. Quapropter hactenus constat, propositiones singulares, nullo modo ingredi posse syllogismum. Et pro complemento scias, quòd Albertus magnus afferens causam, quare Aristo. non numerauit propositionem singularem, respondet, quia propositio singularis non potest esse conclusio syllogismi. Sed quamuis responsio Alberti magni in se sit uera, tamen insufficienter processit, neque enim ualet, non potest esse conclusio syllogismi, ergo non potest esse propositio syllogismi, nam Aristote. non loquitur in lib. priorum, de oratione quæ est conclusio syllogismi, sed loquitur de oratione, quæ est præmissa & propositio syllogismi. secundo Albertus sibi cōtradicit, nam primo priorum tractatu quarto cap. tertio exponens dicta Aristote. concedit eam speciem syllogismorum, quæ componitur ex propositionibus singularibus quam speciem ipse uocat syllogismum expositorium (de quo syllogismo expositorio locuti fuimus supra in secundo cap. in narrandis argumentis aduersariorum) ergo sibi expressè contradicit. Secunda uerò conclusio hæc est. Propositio singularis ingreditur tria genera instrumentorum, scilicet inductionem, exemplum, & enthymema. Ista conclusio patet auctoritate Aristote. secundo priorum cap. 23. de inductione, & cap. 24. de exemplo, & cap. penultimo de enthymemate, & clarius poteris hæc legere in secundo rhetor. cap. de instrumentis rhetoricis, ubi dicitur, quòd inductio ex pluribus est singularibus, & exemplum ex uno. His ita explicatis respondeamus nunc ad rationes aduersariorum.

Quartum caput, in quo Aduersariorum argumenta, & rationes abolentur.

PRo primæ rationis aduersariorum solutione, prænotandum est, quòd protulit Auerro. secundo prior. ultimo & in prolog. primi physic. quod datur homo in rei ueritate, ut tu es qui habes uerum esse hominis, & datur homo qui apparet, & non est homo, sicut homo pictus in pariete, qui non habet esse hominis, neque opus proprium. Ita in proposito datur syllogismus uerus, & syllogismus apparens, & syllogismus uerus est ille, qui habet esse proprium, & opus proprium syllogismi, ut est per definitionem syllogismi, ut scilicet ex præmissis notis naturaliter, faciat conclusionem ignotam naturaliter, & datur syllogismus apparens, qui figuram duntaxat habet syllogismi. Quo prænotato, facilè soluitur ratio, quòd inductio reducitur ad syllogismum apparentem, & non ad uerum, & hoc conceditur, sed nos non loquimur de syllogismo apparenti, sed de syllogismo uero: unde propositiones singulares, erunt duntaxat præmissæ syllogismi apparentis, & hoc non est contra nos, quare inciderunt in paralogismum aduersarii in eorum prima ratione. Secunda quoque ratio facillimè deletur, nam non ualet ista consequentia, regulatur per dici de omni, ergo est syllogismus, quia ad esse syllogismi plures exiguntur conditiones, non tantum oportet ut reguletur per dictum de omni, & de nullo, quę sunt principia formalia sed etiam necessariò requiritur inter alias conditiones, ut conclusio syllogismi sit naturaliter ignota, & præmissæ naturaliter notæ, ueluti supra demonstratiuè probauimus. ita quòd omnes conditiones debent concurrere simul ad hoc ut aliqua argumētatio sit syllogismus, & si una defecerit, non erit syllogismus, & quia in hac argumentatione (quam omnes communiter credunt esse syllogismum,) scilicet omnis homo est albus, Socrates est homo, ergo Socrates est albus, conclusio non est naturaliter ignota, cum nota sit ad sensum, ut omnibus patet, clarissimè sequitur, quòd huiusmodi argumentatio, non est syllogismus licet reguletur per dictum de omni, quod non tantum sufficit (ueluti diximus) ad hoc ut syllogismus sit bonus, gratia formæ & gratia materiæ. Tertiam rationem, nullius etiam momenti dicimus, siquidem multipliciter deficit, primo quidem, quia ipsi credunt, quòd propositiones quas assumunt in eorum ratione sint singulares, & toto cœlo errant, cum sint particulares. omnes enim & logici assentiuntur, hanc propositionem esse particularem, & non singularem, hic qui est in semicirculo est triangulus, unde maximopere obiurgandi ueniunt, cum in re tam clara, & omnibus nota, fuerint hallucinati. Secundo deficiunt, in hac earum tertia ratione, quia credunt, quod Aristote. in primo poster. tex. commen. quarto faciat demonstrationem, cum tamen Aristote. non solum in illo tex. quarto non faciat demonstrationem, sed etiam nullibi in primi poster. demonstret (& dicat Philoponus quicquid uelit) sed in illo tex. quarto dicimus eum ponere duplicem modum cognitionis, ut per eam distinctionem de duplici cognoscendi modo, possit facilius diluere, in quinto, & sexto, sophisma uulgatum Menonis, & cauillum sophistarum: & si cupis hęc copiosius scire, legito expositionem nostram primi post. tex. commen. quarto & ideo quia non habuerunt mentem Aristote. in primo poster. tex. commen. quarto propterea dixerunt eum ibi facere demonstrationem. Quartæ ipsorum rationi facilè quoque respondemus prædistinguendo de singulari, siquidem docuit Aristote. primo cœli tex. commen. 110. quòd omne multiplex æquiuo-

cum

cum, prius est distinguendum, quoniam primo elench. ignoratis terminis facilè in paralogismum incidimus. Singulare igitur uere distingui debet, sicuti etiam fecimus in primo cap. in declaratione terminorum positorum in titulo & in præsentia hæc recēsentur significata ipsius singularis. quæ posuit Auer. primo physic. commen. quarto quòd singulare est bifariam, alterum est quod uerè est singulare, & propriè ut Socrates; alterum uerò impropriè, ut est minus uniuersale, de quo dixit Aristot. secundo poster. cap. 22. facilius est definire singulare, quàm uniuersale. Hac præhabita distinctione, dicimus quòd Aristote. loquitur de singularibus impropriè dictis, cum facit comparationem inter demonstrationem uniuersalem, & particularem in primo poster. cap. 39. Ad quintam rationem dicendum est, quòd neque ipsa concludit, & primo quidem dicimus, quòd eorum argumentatio, quam ipsi uocant, syllogismum expositorium, non est syllogismus. & in præsentia ratio sit ista, quia non regulatur per dictum de omni, sed potius notio facta ad sensum digito est nuncupanda, ueluti annotauit Auerro. primo prior. cap. 24. Secundo dicimus eos hallucinari, quia credunt eorum argumentationem esse syllogismū, quem ipsi uocant expositorium, & non est ita, quia illius medius terminus, non est singularis, ueluti debet esse, sed est particularis. Amplius nos intelligimus de syllogismo, qui est bonus gratia formæ, gratia materiæ simul, & non de eo, qui est syllogismus gratia materiæ, cuiusmodi forsan est syllogismus expositorius. Sexta ratio nihil etiam obstat, quia Aristote. definit propositionem communem soli syllogismo, ueluti probauimus ipsa propositio singularis non continetur sub propositione definita ab Arist. ut sæpe sæpius dictum est, quia non potest esse pars syllogismi. Similiter dicendum est ad illud Auer. quòd Arist. loquitur de illis, quæ cōmunia sunt syllogismo, & non aliis, & tunc loquitur de propositione singulari, quando loquitur de exemplo, inductione, & enthymemate, ut patet secundo prio. cap. 23. 24. & topicorum cap. 10. Patet ergo quid dicendum sit ad aduersariorum argumenta. Ex his uerò & illud patet Suessanum aberrare cum ideo Aristo. prætermisisse se ait propositionem singularem, quia ipsa non est per se syllogistico sed tantum per accidens. nam cum per accidens reducatur ad per se, ipsa singularis ad nullam propositionem neque ad particularem, neque ad indefinitam per se reduci potest, ratione cuius posset esse syllogistica per accidens, quare concludendum est, ipsam propositionem singularem neque per accidens neque per se esse syllogisticam.

Dubitatio superaddita.

SEd aliquis posset per Auerro. auctoritatem probare, quòd propositiones singulares ingrediantur syllogismum, quoniam Auerro. in primo posteriorum commen. quarto in principio commen. protulit, quòd singularia bifariam considerari possunt. uno modo quo ad eorum existentiam, alio modo quo ad eorum attributa seu prædicata. Si primo modo considerantur, sic sensu duntaxat cognoscuntur ipsa singularia. Si uerò secundo modo, syllogismo noscuntur. Qua præsupposita auctoritate sic arguitur, si singularia quo ad eorum attributa, & prædicata cognoscuntur syllogismo, ergo ipsa singularia ingrediuntur syllogismum: & ex consequenti propositiones singulares poterunt esse partes syllogismi. Pro solutione tres possunt esse modi dicendi, & respondendi. Primus, quòd Auerro. errauerit in primo posteriorum commen. quarto: sed hoc non est dicendum, quia ipse Auerro. primo priorum fatetur, propositiones singulares non posse ingredi syllogismum ibi definitum. Secundus modus dicendi est & uerior, quòd Auerro. non dicit in primo posteriorum commen. quarto quòd singularia quo ad eorum attributa cognoscantur syllogismo. sed dicit sic formaliter, quòd eorum, scilicet attributa cognoscuntur syllogismo, modo aliud est dicere singularia quo ad eorum attributa cognosci syllogismo, & aliud est dicere, attributa singularium cognosci syllogismo, primum non ponitur ab Auerro. sed secundum, quod nos concedimus. Tertius modus respondendi, & longè melior hic esse potest, quòd Auerro. per syllogismum in primo posteriorum commen. quarto intelligit omnem speciem argumentationis, scilicet inductionem exemplum, enthymema & syllogismum, & iam superius dictum est, in secunda conclusione, quod propositio singularis subseruit inductioni, exemplo, & enthymemati, & hoc modo respondendo, patet Auer. non errasse, neque esse contra nostram determinationem.

HIERONYMI BALDVINI
Quæsitum sextum, an de subiecto præcognoscatur si est: aut de eodem aliqua demonstrationis specie inquiratur.



ARDVA & perutilis quæstio apud peripatheticos & præcipuè Auerroistas agitatur: An subiectū in scientia, si est, præcognoscatur & tanquā per se notū in scientia supponatur. An aliqua demonstrationis specie esse demonstrari possit? Causa huius difficultatis, fuit diuersitas opinantium. Nam doctor subtilis primo metaph. quæstione prima, & in primo sententiarū in prologo, & Petrus Apponensis, uulgò cōciliator nuncupatus; quæstione 8. contra Auerroem: opinantur, subiectum esse in sciētia, demōstratione quia, posse demonstrari: Marcus Antonius Zimara, inter Auerroistas lucidissimus, de mente Auerrois, oppositū nititur demonstrare. s. subiectum nulla demōstrationis specie posse demonstrari: Nos uerò tantum demonstratione propter quid demonstrari posse credimus. demonstratione autem simpliciter, & quis nequaquā. In hac ergo ardua quæstione hūc ordinē seruabimus. primo titulū quæstionis, breuibus enucleabimus, necnō quandā aliam quæstiunculā, quæ erit ueluti præuia notio ad propriū quæsitū exarabimus: omnis enim doctrina & disciplina fit ex præexistenti notione ut primo poster. primo ait Aristo. In secunda quæstionis parte, aliorum opiniones narrabimus. & ipsas tanquam ab Aristotelis mente alienas confutabimus. In tertia parte propriam, & germanam nostram ad Aristotelis aures opinionem exarabimus. quarto & ultimo si qua erunt obiecta soluenda in contrarium propriæ opinionis, diluemus.

Caput Primum, in quo quæstionis titulus breuibus explicatur, & alia quędam ueluti præuia notio ad ea quæ dicenda sunt in proprio quęsito, exarantur.

QVãtum ad primũ caput, scilicet ad titulum quęstionis attinet. sunt quatuor termini declarãdi. Primus. si est. Secundus, subiectũ. Tertius, est præcognitio. Quartus, & ultimus est demonstratio: omnes enim isti termini quæstionis titulum ingrediuntur. Quando ergò quæritur an si est, uel esse de subiecto in scientia queri aliqua demõstrationis specie, uel pręcognosci possit. pro primo est notandum: quod si est unum est de quæsitis quatuor enumeratis ab Arist. in secundo poster. inter quæ quatuor quęsita duo sunt simplicia, uidelicet. si est, & quid est, duo uerò alia composita, ut quia est, & propter quid est, quę omnia quęruntur de quæsitis naturaliter ignotis, ut secũdo poster. notauit Auer. quando dixit Aristote. quæstiones æquales sunt numero iis quæcunque ueré scimus. Addit Auerro. quæsita ignota naturaliter, quæ solum syllogismo & demonstratione noscuntur: quod apposuit Auerro. ad differentiam eorum quæ sunt naturaliter nota omnibus, ut prima principia, quę supponuntur in arte tanquam nota & ad differentiam eorum quæ medio modo sunt nota, quæ indigent aliquali declaratione exẽplo, inductione, syllogismo hypothetico per naturam, ut primo priorum capite proprio dixit Auerro. quæ uerò per demonstrationem & syllogismum quæsita noscuntur sunt naturaliter ignota, ut idem etiam retulit in epitomatibus logicalibus cap. de syllogismo, ubi inquit glosando illam particulam positam in definitione syllogismi, scilicet aliud, idest ignotum naturaliter cum solum ad talia erigatur syllogismus, & demonstratio: ex hoc sequitur quod præcognitio est contraria quæstioni, ut dicit Auer. secundo poster. commen. 33. nam quæ præcognoscuntur supponuntur ut nota in artibus, quæ uerò quæruntur sunt naturalia ignota (ut dictum est) quod enim demonstratur non supponitur, & econtra: unde contraria, sunt quæ sub uno genere non comprehenduntur, sed sub diuersis habent quasi uim contradictoriorũ, ut in postpræd. cap. de oppositis Arist. dixit. Secundo est notandum pro declaratione huius termini, scilicet præcognitio, quod pręcognitio est duplex, ut notat Auerro. primo post comm. primo & in epitom. log. cap. de thet. demonstratiua. Nã quædam est dirigens ad quæsitum demonstrationis, quæ est duplex, esse subiecti, & quid nominis. & dicũtur præcognitiones dirigentes hę, quia dirigunt ad quęsitũ demõstrationis sciendum nobis naturaliter ignotũ. nam quæ sunt naturaliter ignota non sciuntur, nisi mediãte præuia notione, esse & quid nominis, ut Themistius scriptum reliquit primo poster. cap. secundo de seruo fugitiuo, cuius nomen quia ignoratur nunquam inueniri potest. præcognitio alia est agens in demonstratione, & sunt ipsæ præmissę demonstrationis: & dicuntur agentes pręcognitiones, quia agunt scientiam conclusionis apud demonstrantem. Sed dices contra. præmissæ uidentur quòd sint causæ potius materiales quam efficientes, ut dixit Aristo. & Auerro. secundo physi 31. Quomodo ergo Auerro. dicit quod sunt præcognitiones agentes ad demonstrationes? Respondetur quod præmissę possunt considerari dupliciter, uel ratione medii termini, & sic sunt potius agentes causæ demonstrationis. secundo modo ratione maioris & minoris extremitatis & sic sunt potius causæ materiales quam efficientes. Sed aliquis iterum instabit, nam pręmissæ ratione medii termini in demonstratione sunt causæ potius formales quam efficientes, nam dispositio medii termini cum modo & figura habet locum formę. Dicendum cum Aristote. secundo physic. tex. com. 70. ubi dicit quòd tres causæ possunt in unum coincidere, ut forma & finis & efficiens. Secundo notandum ex secundo poster. tex. & commen 97. quod causa & medium idẽ est, tunc dicimus præmissas in demonstratione ratione medii termini posse appellari causas efficientes & formales scientię conclusionis in demonstratione. Ex his claré patet, quot sunt quæstiones. & quid quæstio, & quid præcognitio. Sed quia dubitabit. quæstio si est, cum sit quæstio simplex, quid quærit de ratione sua formali, ut callere possim, an de subiecto præcognoscatur, uel quæratur? & ratio dubitandi est, nam si est, uel quæritur de essentia, uel de existentia rei. si de existentia rei, cum sit accidens rei secundo poster. 33. & separabiliter, sine qua res ipsæ possunt intelligi. talia non sunt quæsita demonstratiua, cum non sint per se. uel si est, quærit de essentia, & tunc uel definitio quæritur, ut genus & differentia, & tunc erit quæsitum, quid, de causa, & esse simplicis rei, & non de esse actuali simplici. si sic, ergo quæstio si est, non est quæstio distincta ab aliis quæsitis quod est contra Aristote. secundo poster. primo, qui numerauit quæsita quatuor specie distincta. Ad hanc dubitationem respondet Gaietanus secundo poster. quòd si est, quærit existentiam, quæ dupliciter demonstrari potest. uno modo absoluté, alio modo ex suppositione: primo modo non est quæsitum demonstrationis, secundo modo sic, ut supponendo uniuersum esse, id est mundum. ignotum est esse suas species, & probat exemplo quia Aristote. probat intelligentias esse 12. metaph. ubi simpliciter quæstio si est non absoluitur, sed ex colligantia uniuersi, scilicet supponendo uniuersum esse: Exemplo alio demonstrat ibidem, quia quarto cœli 32. ignem esse, probatur ab Aristote. non simpliciter, sed ex perfectione uniuersi. Hæc solutio est falsa, nam si quæsitum, si est, monstratur ex suppositione, ergo non erit quæsitum demonstratiuum, & syllogismus hoc absoluens, non erit demonstratio, sed syllogismus hypotheticus, primo priorum. capite proprio: demonstratio enim non supponit, nec arguit ex suppositione. Præterea primo poster. 40. dicit Aristote. non dari scientiam demonstratiuam, quæ ex suppositione arguat aliam quam principiorum & præmissarum quæ in demonstratione sunt. & Gaietani exempla falsa sunt: Intelligentias enim esse nulla alia uia probatur ab Aristote. 12. metaphysic. quam ex suppositione motus æterni. & octauo physic. ex motu æterno inuestigat motorem æternum. idem Auerro. commen. ultimo primi physic. dicit. Secundum exemplum etiam falsum est. Nam quarto cœli 32. & 33. absolute Aristotel. uult probare ignem esse ex solo motu partium eius sursum (ut dicit Auer. in commento.) Pro responsione ergo propria notandum secundo poster. commen. 33. dicit existentiam esse accidens rebus sine quibus res intelligi possunt, quæ dupliciter est, alia rei singularis, quæ generabilibus & corruptibilibus est competens. quæ demonstratione non est scibilis, cum scientia æternorum sit & finitorum, indiuidua autem corruptibilia & infinita sunt ab arte derelinquenda. alia existentia est uniuersalis rei quæ successione æterna inuenitur in singularibus successiue, & in æternum fluentibus quæ demonstratione sciri potest. Ex hac distinctione patet solutio ad dubium, quæsitum enim si est, est existentiæ rei in actu quæ non est substantia, sed accidens secundo posteriorum 33. commen. & ideo est quęsitum diuersum si est a quæsito quid est. quod est de substantia & rei essentia: quod quęsitum si est, est ęternum successiue singularibus fluentibus successiue in æternum, quod demonstratione sciri potest. Auerro, secundo posteriorum 33. prior. topic. capite de accidenti declarat rationem propriam huius quęsiti formalem, & in octaua disputatione contra Algazelem in solutione dubii primi. Pro quo notat Auerro,

duo

duo primum ex definitione nominis remanere in mente nostra, conceptum quendam rei significatæ per nomen, & idem 8.metaph.14. Secundo notat Auer. q esse rei duobus modis intelligi potest, primo modo ut genus analogũ cõmune ad omnia entia & isto modo 12. meta. 2. & in disputatione octaua contra Algazelem in solutione primi dubii dicit essẽtiam analogam rerum per se prædicari. nam 4. meta. 2. analoga habent prædicata essentialia, sicut uniuoca. ergo secũdũ Auer. quærere si est, est quærere si est ens, quod prædicatũ est analogum essentiale rebus: & sic est quæstio de essentia secundũ Auer. hoc modo exponentẽ. Nam propositio de secundo adiacente potest resolui in propositionẽ de 3. adiacente, secũdũ bonos logicos. secundo modo ens significat rerũ existẽtiam actualem: quod esse inuentũ appellatur ab Auerr. primo post. in paraphrasi. 2. post. cõm. 3. esse actuale extra animã appellatur. ergo quæsitũ si est (ut secundo modo exponitur ab Auerr.) est quæsitum de esse inuento in actu reali extra animã, & tale esse est accidens rebus (ut idẽ dicit 2. post. 33. quia non est in genere prędicamentali, tum quia etiam potest remoueri a rebus saltem in uniuersali. sine eorũ corruptione. Ex ista diuisione sumit Auerro. diuersum modum exponendi quæsitum si est, si enim per ens intelligimus genus analogum, essentiam analogam, tũc sensus & ratio quærendi est ista. an ens prædicetur in quid de talibus rebus, idest (ut exponit Auer. locis dictis) an rerum principia quibus res ipsæ sunt, ut genus & differentiæ sint & tũc uidetur q quæstio sit de causa rerum & principiis intrinsecis essentiæ rerum, & non de existentia. si uero sumatur ens secundo modo pro esse inuẽto extra animam tunc sensus est (ut dicit Auer. in locis dictis an ad conceptum rei ex quid nominis præcognitio in mẽte correspondeat res extra mentem. idest an res per nomen significata in mẽte cõcepta sit extra mentẽ sicut extra animã. Auer. nullum istorũ modorum reprobat, sed dicit secundũ modum magis uulgatum esse, & dat causam, quia hoc nomẽ ens, uel esse, magis uidetur significare apud omnes existentiam quam essentiam: & credo non sine causa Auer. hos modos duos exponendi quæsitum si est non probare, nã ambo duo modi possunt concordari. Et pro concorda notandum est, quæsitũ si est esse duplex, quoddã formale, & immediatũ, quodda finale, uirtuale, & mediatũ, actuale, formale, immediatũ est existentia quęrenda per quæsitum si est. uirtuale, finale, & mediatũ est esse rei essentiæ. cum enim quærimus an homo sit quid, formaliter & immediate quærimus an conceptus hominis in mente ex definitione hominis pręconcepta correspondeat existentiæ rerũ extra animam. quod autẽ mediate & uirtualiter quæritur, est essentia ipsius hominis. quærimus enim tunc de causa suæ essentiæ quæ sunt genus & differentia, quæ ambo sunt essentia rerum. tum hoc Arist. clare scriptum reliquit 2. post. tex. cõm. 5. ubi finaliter & uirtualiter omne quæsitum reduxit ad quæsitũ causę, & medii. & sic ambo sensus sunt ueri expositi ab Auer. Primus sensus est uerus de quæsito finali & uirtuali. Secũdus sensus est etiam uerũ de quæsito formali. & sic patet quid quærat primus terminus quæstionis formaliter. Sed quispiam dubitaret, postquam cognoui rationem formalem quæsiti si est, dubitatur & uidetur q non sit quæsitum demonstratiuum, primo post. cap. primo, secundum Themistium: quæ sensu percipiuntur, neque per disciplinam neque per institutionẽ aliquam intellectualẽ cognosci possunt & primo top. primo, & nono, idem & phys. 22. Ad hanc obiectionẽ respondet Suessanus esse aliquo quęsitum si est, subiecti quod non est sensu notum, sed ignotum naturaliter & syllogismo hypothetico affirmatiuo cognoscitur. Contra arguunt. Sed primo prior. capite proprio de syllogismo hypothetico clare dicit Auerro. ignotum naturale non terminari per syllogismum hypotheticum, hoc enim solum munus est syllogismi cathegorici: modo quæsitũ, si est, est ignotum naturaliter, ut comm. primo 2. post. notatum reliquit Auerro. ergo non notificatur syllogismo hypothetico. Pro ueritate notandum syllogismum hypotheticum esse duobus modis: uno modo est potentia cathegoricus, alio modo formaliter & uere hypotheticus. Differunt hi tribus modis, nam potentia cathegoricus infert ui figuræ, modi, & formæ syllogismi cathegorici quem potentia continet ille at hypotheticus ui cõiunctionis. ille potest resolui in tres terminos, & duas propositiones, ex quibus actu syllogismus cathegoricus construi potest, qui erat potentia, hic uerò non. Secundo differunt in opere. Nam potentia cathegoricus terminat quæsitum ignotum naturaliter, cum habet uirtutem cathegorici: ille uero non, sed manifestat per se notum, uel fere per se notum (ut dixi.) Denique ut dicit Auer. potentia cathegoricus demonstratio quia est. qualis esse non potest syllogismus hypotheticus per naturam. Hoc stante patet clarè quid dicendum sit ad dubium. quæstio si est, demonstrari potest quando ignota est naturaliter, syllogismo hypothetico actu, potentia uerò cathegorico, & demonstratione quia: Sed quæres iterum si reduci potest ad cathegoricum, quomodo reducitur? Dicas clare hoc modo. sumendo quæsitum & prædicatum quæsiti, si est prædicatum maioris extremi, & ex subiecto quæsiti minus extremum, & ex eo quod positum est pro conclusione si est medium: ut si motus æternus est illud sumitur pro medio, & similiter de aliis ut si motus existit æternus ergo & motor existit æternus: sed motus existit æternus, ergo & motor existit æternus: & mirum est quomodo neget posse resolui hoc modo, cum tres termini sint ex quibus duæ propositiones formari possunt. & ex his construit syllogismus cathegoricus. Sed iterum quispiã quęrere potest, est ne uera illa opinio quę tenet quæsitum si est, quærere non de existentia sed de ueritate propositionis, ut utrum Deus sit? Diuus Thomas in quæstione quarta articulo tertio respondet quod cum quæritur in illa propositione, an Deus sit non quærimus de existentia Dei, sed an ista propositio sit uera, Deus est, ergo quæsitum, si est, secundum ipsum quærit ueritatẽ propositionis, & non existentiam. Sed sanctus Thomas in hoc mihi non placet nam propositiones in logica non sciuntur, nec quęruntur, nisi ut instrumenta, quibus res ipsę cognoscuntur (ut primo perier. dictum est) & significatum principale propositionum sunt uoces, non conceptus, sed res ipsę secundum Aristoteles. Gaetanus Cardinalis pro sancto Thoma respondet Diuũ Thomã non uelle dicere quæstionem si est, non esse de rebus & de existentia, sed uelle dicere quòd quando terminatur hæc quæstio, si est Deus, non scitur existentia Dei, sed quod ista propositio sit uera, Deus est. Secundo dicit ipse Diuum Thomam uelle hoc solum uerum esse in Deo, & non in aliis, & dat causam quia existentia in Deo est essentia, quę cognoscitur per quid, & si est, sed in aliis existentia est diuersa ab essentia & ab ipso quid est, quare sciri potest non cognitio quid. Sed iste uir errat, primo dum dicit propositionem ueram sciri, & non existentiam. nam ut dicit Auerro. primo poster. tertio scire hominem esse, ad naturalem spectat: scire uero an ista propositio sit uera, ad logicum spectat. exemplum an homo sit animal rationale, hoc scire ad naturalẽ spectat, sed an animal rationale sit hominis definitio, ad logicum spectat, similiter de aliis, ista ergo existentia quæ rebus conuenit ad naturalem spectat, & ad alias artes speculatiuas, quæ tractant de rebus, an uero illa propositio sit uera, ad logicum spectat, qui cognoscit conditiones propositionis, si sunt uerę uel non. Contradicit etiam sanctus Thomas Aristote. exemplo de Deo in quæsito si est, ubi quæritur existentia, & non ueritas propositionis: si

etiam contradicit in quolibeto secundo articulo 3. Clarè ergo patet quæsitū si est non quærere de ueritate propositionis. Potest etiam argui, quia tunc quæsitum si est, nō differret a quæsito quia est quod ueritatem propositionis quærit. Restat nunc alter terminus tituli quæstionis declarādus, scilicet subiectum quod uariis modis apud Aristote. capitur. quos nunc nolo percurrere quia satis a nobis super Porphyrium dictum est, sed quia æquiuoca sūt primo distinguenda cum propter eorum multiplex significatum confusionem causent, ut primo elenchorum & primo cœli 110. & in antepraedicamentis dictum est ab Aristote. Ideo pro nunc est notandum, quod subiectum duobus modis apud Arist. capitur, uno modo pro subiecto formali, & dicitur ratio formalis, & modus considerandi sexto metaph. secundo ab Auer. etiam in epito. logic. cap. de qualitate faciendi demonstrationes in scientiis & secundo physic. 71. ubi dicitur quod natura ingredi pot sub duas artes secundum diuersitatem modi considerandi, quia a modis diuersis considerandi sumuntur diuersitates scientiarum & econtra, sexto metaphysi. secūdo, scientiæ enim in subiecto materiali conuenire possunt, sed in modo considerandi & formali subiecto nequaquā. Alio modo capitur subiectum pro subiecto materiali, id est pro re considerata in scientia, & dicitur materiale a materiæ similitudine, quia sicut materia subiicitur formis & omnibus qualitatibus, ita subiectū subiicitur omnibus in scientia consideratis ut principiis & passionibus &c. ab Aristote. primo poster. 178. subiectum appellatur genus, quia sub se partes, passiones & species continet. meritò quarum subiectum totale & genus nūcupatur. Et iterum subiectum materiale subdiuiditur, aliud enim est totale, quod totam artem comprehendit, ita quod non excedit artem, uel exceditur ab eo, & genus ab Aristote. loco dicto appellatur. aliud est subiectū partiale quod in species uel partes subiectiuas distribuitur, & hoc secundum subiectum dicitur impropriè sicut manus impropriè totius nomine nuncupatur, & per accidens & per aliud, scilicet totius nomine, quinto physic. primo, & quia inter partes subiecti est una nobilissima, quæ sub nobilitate meretur nomen subiecti, propter quā cæteræ sunt, & ad quam ordinantur ea: appellatur ab Auerro. subiectum principale. uerbi gratia, ens, totale subiectum in metaphysica substātia prima pars entis respectu accidentis, posset dici subiectum principale in ea quando ergo a nobis quæritur an subiectum in scientia præcognoscatur esse uel demonstratione inquiratur, est uniuersalis de omni modo subiectorum, totali, scilicet et partiali, & principali & nō principali. Vltimus terminus declarandus in titulo quæstionis est demōstratio Pro quo notandum ꝙ demōstratio est nomen analogum ad tres species demonstrationis secundum Auerro. primo post. in prologo & 95. & quæsito proprio & in epito. de demonstratione 2. cœli 35. primo phys. in prologo. alia simpliciter dicta, & est illa quæ utrunque quæsitum absoluit, scilicet quia, & propter quid. alia dicitur demonstratiu propter quid tantum, quæ tantum quæsitum causæ absoluit. alia est demonstratio quia, dicta quæ tantum quia est absoluit. Has tres species esse diuersas patet, tum ex parte quæsitorum, tum ex parte mediorum quæ omnia a nobis fuerunt ad longum declarata in quæstione de regressu, & infra in corpore quæstionis aliqua de his breuibus pertractabo. nunc sat est hæc tetigisse. patēt ergo omnes termini a nobis expositi in titulo quæstionis, quando quæritur an subiectum in scientia, cuius est subiectū aliqua demonstrationis species esse demonstretur, & an eū dē esse, præcognoscatur. Sed antequam huius quæsiti ueritas elucescat, breuibus perscrutari uolumus quæstiunculam aliā, quæ erit sicut præuia notio, & quasi præcognitio ad proprium quæsitum a nobis hic enucleandum. quæ est, quæ nam ars sit illa quæ hæc inquirendo docere potest, hoc enim uidetur opus periti (ut ait Arist. primo de partibus anima. cap. prima) non solum cognoscere res, sed scire etiam quo habitu artis, & quo instrumento cognosci debent. Videtur primo quòd pertineat ad posterioristicum nam ad illum librum pertinet idipsum agere, in quo tractatur præcognitio subiecti, & quæstio de eodem, sed primo poster. 2. & 2. post primo, tractatur præcognitio subiecti & quæstio, ergo ad illum librum solum hæc inquirere spectabit, tum quia sola logica est modus & organū sciendi secundo metaph. 15. primo top. 9. ipsa enim sola docet instrumenta ad scientias & artes, sed prænotio subiecti, & quæstio sunt demonstrationi deseruientes, cum omni doctrina & disciplina fiat ex præexistenti cognitione, scilicet esse subiecti & quid nominis, tum etiam quia ad nullā aliam artem pertinere uidetur nō enim ad metaphysicam, quia illa est de ente simpliciter reali, 4. metaph. primo. prænotio uerò subiecti, ac quæstio secundum rationem in anima est: non ad naturalem, cum sit de ente habente principium intrinsecum motus & quietis, scilicet ipsā naturam 2. physic. 26. 6. metaph. 2. horum autem principium est anima extrinsecum, neque ad mathematicum, nam non est ens quātum, quod considerat mathematicus neque ad artes operatiuas quæ sunt de his quorum principium est uoluntas. Merito ergo ad illam partem spectabit quæ neque speculatiua, neque practica est, sed adminiculatiua ad ambas. quæ est logica uocata organica ab Arist. primo top. 9. in epito. metaph. cap. primo & in cap. de qualitate fac. demonstr. in singulis artibus. ad nullam ergo partem logices pertinere uidetur nisi ad librū. post. quia in arte ueteri non tractatur de istis, liber uerò topicorum pertractat de syllogismo topico qui nō facit scientiā prænotio uerò subiecti est ante scientiam, neque ad librū elench. propter eandem causam. Restat ergo ut solum in libro poster. hæc inquisitio agitetur. Sed in contrarium est. ratio, quia quod præsupponitur in illa scientia non potest inquiri in eadem, quia, hæc ad inuicem contra diuiduntur, primo poster. 14. & 2. post. 33. sed subiectum est præ notum esse, & suppositum in libro post. & unum principiorum quod sumit artifex, ergo hoc ipsum artifex non habet inquirere in libro poster. Pro dilucidatione, præmittenda sunt quædam. primum, per se notum contrarium est demonstrabili, & quot modis dicetur unum, totidem modis & alterum nominabitur. Indemōstrabile autem dicitur duobus modis, primo poster. 19. & 14. uel simpliciter in scientia, uel secundum quid, in una tantum scientia. Ita etiam per se notum simpliciter quod in omni scientia est notum, & quod opponitur ad demonstrabile, & ad quæsitum simpliciter, idest in omni scientia quoddam est suppositum secundum quid, quod est per se notum in una scientia tantum, & hoc est oppositum ad demonstrabile, ac ad quæsitum secundum quid quod est per se notum in una scientia. & illud potest esse demonstrabile in alia. & quæsitum in illa, ut est in metaphysica notum æternum esse, est principium per se sumptum quæsitum uero demonstratum in naturali philosophia, octauo phys. secundo. Secundo est notādum ut tertio cœli quarto & primo phy. octauo & primo posteriorum 69. habetur, esse unam artem communem omnibus, quæ habet defendere principia, quæ alteri scientiæ propria sunt, nam eadem scientia non idem sumit, & probat, sed alia. Et ratio est Auerro. loco dicto quia destruere principia esse, est quæstio de esse simpliciter quod pertinet ad metaphysicum, sexto metaphy. primo. Tertio notandum est, quod subiectum esse, est unum de præcognitionibus quas liber poster. topico, sophisticorum, & tota logica debet sumere tanquam notum, & principium per se sumptum in ea, & non disputare nec probare esse, hæc est sententia Auerro. primo post. 2. cum

Arist. dixisset in illo tex. artificem oportet recipere subiectum esse & praecognoscere, aut quia per se notum, aut quia demōstratum in alia scientia. & hoc quòd dicit Ar. de subiecto dicit Auer. est res per se manifesta, & si est res per se manifesta, ergo nō indiget disputatione, quasi dicat ideo philosophus eas non probat quia est unus locorum eorū, quae per se nota sunt, quae sumi debent in omni sciētia, & primo post. 17. dicit quòd intentio Ar. in illo libro est solum enumerare conditiones praemissarum demonstrationis, quae per se notae sunt de illis: sed subiectum praecognosci, est conditio necessaria requisita ad partem praemissarū demōstrationis, & ad praemissas ipsas primo pos. 2. & 72. cum ergo sit unum de enumeratis in hoc libro, subiectum debet praecognosci, & sumi, ut per se notum, & non debet inquiri in hoc libro post. signū est quia Ar. primo post. 72. ipsum tanquam per se notum sine probatione ponit & solum exemplo uel inductione sensata manifestat, ut unitas, subiectum in arithmetica quia ipsum esse praecognosci debet tanquā notum. Ex his notatis faciliter respondetur ad quęsitū, quo quaeritur an si est de subiecto sit praecognitio uel quaestio? non pertinet de hoc dubitare & quaerere in libro post. nam quae sumuntur ut per se nota in scientia aliqua, illa in eadē scientia, non inquirūtur. at, si est, praecognitio subiecti, est unum eorum quae praecognoscuntur in illo libro, non ergo debent inquiri in eodem libro, nec pertinet ad librum topicorum seu poeticorum & sophisticorum, nec in aliqua parte logicae, cum enim dixit Arist. primo post. quòd omnis doctrina & omnis disciplina fit ex praeexistenti notione, dicit Auer. quòd intendit de doctrina discursiua inter quas etiā est doctrina acquisita per discursum topicum & sophisticū, ambo ergo debent id supponere, & non inquirere. Non tamen quod quamuis topicus ut est artifex docens regulas topicas, non possit de hoc, inquirere, scilicet de principio sumpto in libro post. tamē topicus qui utitur nominibus quibus nos uti docemur in lib. topico. potest dubitare & inquirere, non solum de hoc, sed de omnibus principiis in lib. post. & in aliis sciētiis & artibus ut Arist. dixit primo top. secundo, topicum instrumentum inuentum esse ad omnium methodorum principia uiam habens. Et si dicat aliquādo metaphysicum probare principia aliarum scientiarū, intēdit metaphysicum esse quantum ad terminos, quia termini quibus utitur ipse topicus metaphysicales sunt, & communes: artifex autem topicus est, quia rationes & modi disputandi topici sunt, & ideo melius est dicere topicum disputare & probare principia aliarum scientiarū per terminos metaphysicos. Ad argumenta quae in principio facta sunt, ex his praenotatis facile est respondere. Ad primū dicimus in sola logica tractari hoc principium, illud supponendo & non disputando. Vnde non ualet suppōnitur in scientia, ergo in ea disputari debet, & inquiri. Ad aliud dicimus, disputationem de principiis ad topicū pertinere ut totem terminis metaphysicalibus. Ideò nos talē habitum induentes, quęrimus quomodo uerum est, quod si est subiecti sit quaestio, uel praecognitio. Haec de quaestiuncula, & pro de titulo quaestionis declaratione in tantum dicta sint. Restat nunc secundum caput aggredi in quo aliorum circa hoc quaesitum opiniones enarrare conabimur.

Secundum caput, in quo Scoti opinio in hoc quaesito exaratur.

IOannes Scotus primo metaphysi. quęstione prima, & in primo sententiarum, in prologo, & Conciliator in differentia octaua contra Auerro. dicunt subiectum quò ad esse suum, posse esse quaesitum & non praecognitum sola demonstratione quia, ac à posteriori posse probari, demonstratione autem propter quid minime. Primum probat, nam est aliquis effectus subiecti in scientia connexus necessariò subiecto in quo habet causam; ad cuius esse sequitur esse causae, demonstratio autem quia non nisi à posteriori ad prius uadit, ergo necessariò sequitur ad esse posterioris: ergo subiectum esse, per esse effectus, demonstratione quia, demonstrari potest. & ratio tali pacto formari potest in forma. Omnis scientia potest probare subiectum esse. inductione hoc etiam confirmatur, nam Aristotel. in libro elenchorum demonstrat syllogismum elenchum esse, qui est subiectum in illo libro: & Priscianus in libro suo demonstrat orationem esse quae ibi est subiectum. Confirmatur, nam subiectum in libro post. est scire. tertio coeli quarto, scire esse est subiectum in logica, quod esse probatur in libro poster. (secundum modernos latinos) Confirmatur etiam auctoritate Auicennae sexto naturalium, ubi dicit ex operationibus animae, demonstrat animam esse. Ergo uera est opinio nostra quòd subiectum esse, demonstratione quia potest demonstrari. Haec opinio, nec est uera, nec sapit mentem Aristote. & probatur subiectum nullo modo demonstrari posse in scientia in qua est subiectum demonstratione quia, demōstratione simpliciter &c. Primo, quia tunc esset ignotum naturaliter, quod uerò est tale, contrarium est suppositioni, secundo poster. 33. & si dicas debere esse praecognitum quo ad naturam, non quo ad nos, hoc est falsum, nam Aristo. loquitur de pręcognitionibus quae apud nos sunt notae, & non apud naturam. Auerro. primo post. 18. dicit principia demonstrationis non solum praecognita naturae, sed nobis esse. Idem Aristote. confirmat primo poster. cap. 23. dicens inter tria requisita ad demonstrationem unum esse genus subiectum, quod ponimus esse in omni genere demonstrationis. nunquam fuit inuentum in Aristote. esse subiecti, fore quaesitum: sed solum praecognitum. Praeterea prima poster. 179. dixit quaesita speculanda in artibus de subiecto, esse principia, partes & passiones, de subiecto autem nullam mentionem fecit, immò dicit clarè rationem & modum considerandi unius generis sub quo sit, & subiectum supponi cum ipsa esse in scientia. Themistius etiam cum Aristote. secundo poster. cap. 12. clare dicit, quod quae per se sunt nec in alio insunt, ut sunt subiecta in singulis scientiis, oportet de eis certum habere & constitutum si est, quia non potest demonstrari, sed benè aliquo pacto manifestari. si ergo esse subiecti est certum, & constitutum esse, non ergo est demonstrabile, & nulla scientia particularis potest de subiecto suo demonstrare esse, sed sumit tanquam per se notum ad sensum. uel supponit demonstrari in alia scientia tanquam manifestū alio modo ostensionis quam demonstratione. Praeterea ab illo artifice debet propositio demonstrari cuius praedicatum est, & ratio est quia propositiones specificantur a praedicatis sicut demonstrationes a mediis, & secundo physic. dicit clarè propositiones in quibus potentia praedicatur de materia & reliquas similes pertinere ad metaph. quia praedicata metaphysicalia sunt. Idem Aristo. quarto metaph. quinto, ubi uolens probare passiones entis pertinere ad metaphysicum dicit eiusdem scientię esse subiectum & pręedicata subiecti considerare: Sed propositiones in quibus esse de subiecto demonstratur, scilicet quòd sit pręedicatū hoc, scilicet ens. pertinet ad metaphysicum quarto, & sexto, metaph. ergo ad metaphysicum spectat. Praeterea Arist. primo post. 69. dicit quod quando probamus subiectum esse & numerum esse ens, in arithmetica non demonstramus nisi esse extra animam de numero de subiecto. sed esse extra animam est esse simpliciter, & ad nullum attinebit artificem, nisi ad metaphysicum: quomodo ergo ars propria subiectum suum esse demonstrabit, nisi in messem alienam manum mittat? & subiectum & modum considerandi aliarum artium sumat? & tunc scientiae non essent

per subiectum & modo [illegible] afferandi diuersæ, quod negat Arist. 6. metaph. prin. [illegible] primo post. 179. Confirmatur. primo poster. 72. Auer. dicit, sicuti quando quæritur an hoc sit mobile, est quærere an hoc sit species sub ente mobili. ita quærere an hoc sit, quæritur species sub ente simpliciter: ergo cum demonstramus subiectum illũ esse speciem entis simpliciter, demonstramus. Sed ad probandum de aliquo ens simpliciter esse, non spectat, nisi ad metaphysicum: ergo scientia propria non poterit probare suum subiectum esse, nisi recurrat ad metaphysicũ. Amplius definitiones subiectorum sunt indemonstrabiles, & in scientia sunt positiones: ergo nec si est demonstrari poterit. Consequentis hæc est Aris. sexto metaph. primo & primo post. 41. ubi dicit eiusdem scientię est si est, et quid est considerare. Præterea 7. metaph. 23. 3. ethic. 6. intentio & finis semper supponitur, & non probatur, sed subiectum in scientia est intentio & finis, idem re, sed ratione differens. ergo in scientia nullo modo demonstrari potest. Hęc contra Scotum dicta sint. Suess. nititur arguere contra Scotum hoc pacto, si aliqua scientia demonstratione quia, demonstrabit suum subiectũ esse, non habebit medium, nam uel erit species subiecti, uel principium, uel aliquod accidens subiecto: non species, quia supponimus species esse pro medio ad demonstrandum subiectũ esse, & si sic, tunc supponimus subiectum esse: ergo idẽ erit subiectum & quæsitum. Quod hoc sequatur probat, nam esse subiecti superioris sequitur ad esse speciei inferioris. sicuti ad esse hominem sequitur necessario quod sit animal nam necessario genus sequitur ad esse speciei, ergo idem erit quæsitum & præcognitum. Secundò probat hoc idẽ nam species quam pro medio sumimus, uel est per se nota, uel aliquo alio illius scientiæ. si sensui est nota, ergo totum subiectum est notum sensui quia eadem sensatione hominem & animal sentimus. si per aliquod aliud, dum per illud noscimus speciem esse, scimus genus esse, & sic semper cum specie erit notum subiectum totaliter ergo nõ poterit demonstrari per speciem, quia aliter esset idem quæsitum & prænotum. Sed ut mihi uidetur nihil cõcludit contra illos, primo quidem uerum est esse superioris necessariò sequi ad esse inferioris, ut in bona consequentia, noto antecedente erit notum consequens: quomodo tamen erit nota per se sequela consequentis ad antecedens, quo ignorato stat antecedens esse per se notum, cõsequẽti ignoto esse, ut in proposito, stat notum esse mihi genus ostrearum esse, ignoratur tamen ipsum animal esse & ens quia ignota esset sequela ostrearum ad esse animalis quod est genus earum, & sic species omnes dum sunt ignotæ esse sub genere, stat tamen ipsa esse notas. esse uero ignoras quod sequitur necessariò quo ad esse earum, scilicet esse generis, quia ignota est sequela consequentis ad antecedens. & ob hoc priores rationes sunt ualidiores ad destruendum Scoti opinionem, & præcipuè illa Auerrois, quæ probat existentiam de rebus non pertinere nisi ad metaphysicum probare esse. Restat nunc respondere ad rationes Scoti & primo ad primam cum dicit quælibet scientia utitur uel potest uti demonstratione quia. Concedo respectu illorum quæ sunt per se nota & concessa, & ideo subiectum cum sit per se notum & suppositum, non erit quæsitum demonstrabile ignotũ naturaliter, nam ista sũt opposita. Vnde non ualet, scientia utitur. uel potest uel demonstratione quia, ergo respectu subiecti. sed est error eorum uel propter prauam naturam, uel propter prauum exercitium in artibus, uel propter ignorantiam logicæ, quæ docet per se nota suppont & non demonstrari, quia subiectum est suppositum, ergo non potest demonstrari, & quamuis subiectum habeat effectum, ac passionẽ aliquam necessariò sibi connexam, ad cuius esse sequitur esse subiecti, istud tamen non erit notius naturaliter, quæ est conditio necessaria ad aliquod an possit demonstrari 2. post. primo & 37 q demonstratur debet esse ignotum naturaliter, unde Aue. in quæsito de syllogismo hypothetico & 2. phys. 3. dicit, quod licet natura habeat motũ, & rem naturalem, quæ aliquo pacto sunt notiora nobis ipsa natura, tamen possumus per esse motus, uel esse rerum naturalium demonstrare naturam ipsam esse, & q hoc non est ignotum naturaliter quod requiritur ad demonstrationem. Linconensis primo post. comm. 2. in fine quęrit an quæstio an est sit dubium uel præcognitum? Respondet esse subiecti esse præcognitum & quod oẽs scientiæ hoc faciũt de suo subiecto ut metaphysica de ente geometria de magnitudine, probat hoc quia tale esse, simpliciter esse probare pertinet ad metaphysicum & non ad artem propriam, & hoc est Auer. ut supra probauimus. Ad secũdũ quando Scotus inductione probat Aris. probare syllogismũ elenchum esse primo elenchorũ. Dicendum quod illa non est ostẽsio demonstratiua qua utitur in primo elenc. quo notandũ (ut dicit Arist. primo post. 25.) quod subiecta scientiarũ sunt in duplici differentia, quædã sunt adeo nota sensibus, q per sui maximã euidentiam despiciũtur ab arte, quædã uerò non sunt ita nota, ut prima, nec adeo ignota ut demõstratione indigeant, sed medio modo sunt nota, & talia indigent aliqua manerie disciplinæ, uel exẽplari manuductione aut syllogismo hypothetico per naturam. Nã huiusmodi probationes appellantur manerię disciplinæ, quæ nõ notificant naturaliter ignotũ sed fidem aliquam faciunt (ut Auer. dixit primo prio. ca. 2. de syllogismo hypot. & idest coeli 2. & 6. phys. 41. & 2. phys. com. 3. unde Auer. per similitudinem & exemplum probat persuadendo esse syllogismi elenchi hoc modo, nam sicuti aliqui sunt pulchri & decori, alii uero non sunt, sed apparent esse, ut in naturalibus aliquod est uerum aurum existens, aliquod non est uerum aurum, sed apparens ut aurichalcũ. ita in orationibus syllogismi aliqui sunt ueri syllogismi & in rei ueritate: aliqui non sunt. sed apparent hæc enim ratio non demonstrat naturaliter ignotum, sed fidem aliquam facit, & persuasionem, ut Themistius lucidissimus retulit primo de anima cap. 25. ubi inquit {ego uerò primum illud demiror, eorum qui hoc audent dicere qui arbitrantur exempla uim probationum habere, cum tamen exemplum ad faciendã fidem infirmissimum sit argumentum} probatio ergo Arist. primo elench. non est demonstratiua, sed exemplaris, que de subiecto non omnino noto esse admitti potest (ut Themist retulit 2. post. cap. 11.) similiter possumus respondere ad Priscianum. Ad aliud, scilicet ad auctoritatem Auiceonę 6. naturaliũ ubi probat animam esse per passiones animę. Dicendum q illa probatio non est demonstratiua, sed est per syllogismum hypotheticum per naturam, & non probat naturaliter ignotum. sed aliquo modo notum & est solutio Auerrois in paraphrasi. ubi inquit quoniam iam manifestũ est ex nostro dictoq multæ res sciũtur per se, sicut est inuentio animæ & alia sunt quæ scimus per hanc uiam ostẽsionis &c.} Ad ultimum quando dicunt Arist. primo post. probare scire & hoc est ibi subiectum in logica. Dicendũ q falluntur latini asserentes ibi Ari. probare scire, cum hoc sit munus metaphysici, logicus autem id debeat supponere (ut Auerroes testatur 3. coeli 4. ubi inquit {Diuinus debet loqui contra dicentem q nihil est fixum, ultra autem negat scientiam esse. scientiam autem esse, est ut subiectũ in logica & diuinus qui defendit subiecta particularũ artium debet loqui cum eo} clarè ergo patet scire esse probari a metaphysico, & non a logico, & mirum est latinos hoc profari, & hoc nunquã somniauit Arist. primo post. (ut Auerroes in magno comm. & Alexander, ac Themistius exposuere.

Tertium

Tertium capitulum, in quo uera & germana opinio Ari. & Auerrois enucleatur, an subiectum in scientia præcognoscatur esse, uel aliqua demonstrationis specie inquiratur.

PRo huius quæsiti ueritate dilucidanda præmittenda sunt quędam, & primum est apud Auerroë tres esse species demōstrationis inter se distinctas ex parte mediorum & ex parte quæsitorum, ut patet primo poster. 9. in quæsito tertio, de demonstratione secundo coeli. 14. & alibi, una species est demonstratio quia, quæ sic definitur ex Arist. est demonstratio. cuius medium est posterius in esse, neq; est causa, sed effectus conuertibilis, nobis notior naturaliter, & notificans esse. Sanè in hac definitione ponitur demonstratio, loco generis analogici dicimus e cuius medium est posterius in esse. & idem non est causa, ad differentiam aliarum specierum demōstrationis, quarum medium est causa, ut in simpl ciner dicta, & propter quid cuius medium est non causa, sed effectus conuertibilis. dicimus autem hoc ad differentiam syllogismi topici qui ex accidentibus & non a causis procedit. tamen illa sunt communia accidentia, non autem conuertibilia, ideo non est demonstratio. requiritur etiam effectus conuertibilis, notior naturaliter, idest nobis notus naturaliter, quia apud cognitionem à natura insitam nobis (primum phy. 2.) & appellatur uia innata ab Arist. quæ est a sensatis, hæc enim cognitio dicitur naturalis insita nobis tertio de anima. 36. & per hoc differt a petitione principii, & hoc habet a definitione syllogismi primo prior. primo, ubi dictum est syllogismum debere notificare aliud, scilicet ignotum naturaliter, quod est aliud a præmissis quæ naturaliter sūe notæ, ut Auer. dixit in epit. de syllogis. & ponitur hæc particula, ne sit instrumentum uanū, & differt a nominibus topicis, rethoricis, & poeticis, qui non ex noto naturaliter, sed ab aliquali noto procedunt secundo poste. 25. dicimus & notificans quæsitum ignotum, ad differentiā illarum mer, quia illud quæsitum est esse causæ propriæ & non propter quid, & per hoc differt a duabus aliis speciebus quæ propter quid inferunt. & non esse tantum, unde quoniam in demōstratione quia effectus est mediū, ideo dat esse tantum. & illud quod est cum causa conuertibile quia aliter nō inferret necessario essentialiter, primo post. 95. exempli gratia, luna augetur sphærice, ergo est sphærica, argumentum est ab effectu conuertibili notiori naturaliter ad esse causæ conuertibilis ignotæ naturaliter, ideo est demonstratio quia est. Altera species est demonstratio causæ tantum quæ est a causa propria ignota naturaliter nobis, naturæ uero notiori. notificatur tamen per esse effectus notum nobis ad sensum, ad propter quid effectus, non ad esse. Dicimus a caula propria, ut differat a demōstratione quia, & conueniat cum demonstratione simpliciter. aliter enim nō facere scientiam, nisi propria esset. quia si causa non esset propria, sed communis, diceretur demonstratio quia per accidens tantum. Dicimus etiam ignota naturaliter nobis, quia non sensata. nota uero naturæ, quia prior in esse primo poster. 12. & primo physi. secundo. Dicimus notificata per esse effectus, quia aliter esset petitio in principio, si ab ignoto procederet, primo prior. 17. ad propter quid effectus esse, quia causa dat propter quid tantum effectus, eo quia esse est notum ad sensum, & circa per se nota non cadit demonstratio. Exemplum est Arist. ut est interpositio terræ inter solem & lunam est caula propter quid est eclypsis. alia & tertia species est demonstratio simpliciter dicta, & hæc est demonstratio a causa propria nota primo nobis & naturę. Ponitur autem demonstratio loco generis analogici, quæ a causa propria, eo quia est demonstratio, primo poste. 95. & per hoc differt a demonstratione quia, & conuenit cū demonstratione propter quid. dicimus nota primo nobis & naturæ, primo poster. 12. & primo physi. 2. quia sēsata nobis, natura quia prior in esse infert esse & causam utrunq; enim quæsitum absoluit, scilicet & esse causæ, ut Themistius lucidissimus notatum reliquit, secundo poster. cap. 2. ad differentiam aliarum duarum specierum demonstrationis. quarum una est demonstratio quia, alia est propter quid, & harum tantum prima infert esse tātū. secunda uero causam tantum. & sic patet tres esse species demonstrationis. hic obiter allatas. Ample autem a nobis dictum est in quæsito de regressu, & in proprio quæsito de hoc. Secundo est notandum hic breuiter (quia satis supra in expositione tituli quæstionis a nobis dictū est.) Subiectum licet multis modis apud Arist. capi possit) ut super Porphyrium prolixo sermone a nobis expositum est.) pro nunc tamen placet nobis tribus modis sumere. Vno modo capitur subiectum pro considerato, sicut dicimus quod subiectū in philosophia est homo, quia consideratur de homine: & hoc modo cepit Auer. subiectū secundo physi. com. 3. quando dixit naturam & principia naturalia esse subiecta in lib. physic. 1. considerata in illo lib. & sic in scientia plura subiecta, secundum q plura sūt considerata, possunt assignari. Secundo modo capitur subiectum pro concesso tantum, & sic sumpsit Auer. ipsū tertio coeli. 4. quando dixit subiectum in logica esse scire, quia logicus supponit pro concesso in logica dari scire, quia nulla scientia probat suum subiectū esse, sed supponit. metaphysica autem subiecta particularia omnium artium habet probare negantibus. (ut ibi dicit Auerro.) Tertio modo capitur subiectum pro toto aggregato, scilicet pro cōsiderato, & cōcesso simul: & hoc merito quia subiectum in scientia totale debet habere has duas conditiones; prima q sit consideratum in illa scientia, nam si consideretur in alia scientia in illa erit subiectum: secundo subiectum debet esse concessum in illa scientia, cum sit per se notum, & principium declaratum in logica, ut de subiecto quid, & quia consideretur, primo poster. secundo. hoc tertio modo capitur a nobis hic subiectum; quando quæritur, an in scientia eius esse demonstretur, an præcognoscatur esse, & hoc tertio modo acceptum subdistingui potest apud Arist. primo poster. 179. ut supra tetigimus breuiter. Aliud enim est totale q totam artem comprehendit sub ipso, ut partes principia & passiones. Aliud est partiale subiectum, & ista possunt esse plura subiecta in arte, secundum q plura considerantur, quæ partes subiectiuæ & species nuncupatur respectu generi, & subiecti totalis, ab Aris. genus uocata. Et quia inter partes, alia nobilior est alia, nobilior pars dicitur subiectum principale, quia principaliter in arte consideratur. & ad illa cæteræ partes ordinantur, & in scientia potest subiectum appellari, ab aliis uero partibus nequaquam. Quæstio igitur nostra quando quærit, an subiectum esse demōstretur, an præcognoscatur esse, erit communis de subiecto totali principali, & partiali (ut declarabitur infra.) Tertio est notandum q propositiones in scientiis sunt in triplici differentiā, quædam sunt notissimæ, ita ut ex sola ex terminorū notitia cognoscatur, ut principia prima, de quolibet dicitur esse uel non esse, omne totum est maius sua parte, ista cognoscuntur ex sola terminorum notitia (ut primo poster. dixit Aris.) principia cognoscimus quo terminos cognoscimus: quædam sunt propositiones penitus ignotæ, sicut sunt quæstiones dubitabiles, & propositiones quæ non nisi syllogismo & demonstratione notificari possunt, ut secundo poster. Auer. in commento primo dixit. quædam sunt medio modo se habentes, quia non sunt æque notæ, ut prima principia quæ ex sola terminorum notitia cognoscuntur: nec sunt ita dubia ut sic quæstiones, sed indigent aliquali manifestatione, ac aliqua exemplari manuductione, omnium consensu, quod

totum explicauit Auer. 4. cœli commento 22 sexto phy. 41. & in libro priorum cap. de syllogismo hypothetico. alia enim est scientia quæ indiget syllogismo, & alia est quæ indiget inductione. causa est ista, nã non omnes in scientia propositiones sunt æque notæ, nec omnes æque ignotæ, & primo poster. Aris. causam huius retulit, quãdo dixit ꝙ demonstrationes quæ procedunt ex propinquioribus primis principiis, sunt certiores illis quæ procedũt ex propositionibus magis remotis. causa etiam est assignata ab Aristote. quarto metaph. 18. illud est uerius quod est propinquius primo principio uero, illud est notius quod est propinquius primo notiori. & quinto metaph. Arist. dixit ꝙ demonstrationes, quæ componuntur ex primis demonstrationibus sunt elementa aliarum demonstrationũ quæ componuntur ex eis: compositæ enim demonstrationes sunt resolubiles in simplices. His sic prænotatis facile erit ad quæstionem respondere, ponendo duas conclusiones, & prima conclusio est ista: esse subiecti neque demonstratione simpliciter, neque demonstratione quia, potest demonstrari, loquendo de omni specie, & modo subiectorum. Secunda conclusio, demonstratione causæ tantum, & propter quid, dicimus subiectum posse demonstrari. Prima conclusio patet ex dictis supra contra Scoti opinionem: nam esse subiecti est præcognitũ, ergo non quæsitum: demonstratio enim quia & simpliciter, ambæ demonstrãt, esse: ergo talibus est indemonstrabile, & omnes rationes factæ superius contra Scotum, pro hoc sunt. Secunda conclusio probatur. Nam propter quid de subiecto, aut est præcognitum de ipso, aut est quæsitum: non præcognitum, quia inter præcognitiones tantum Aristo. enumerauit quid & quia est esse, præcognitionis autẽ de subiecto propter quid, non meminit. ergo quæsitũ est absoluendum de subiecto, non demonstratione simpliciter. & quia: quoniam ista ambo, esse, & propter quid absoluunt, ergo demonstratione propter quid tantum. Sed dicet aliquis negando assumptum quãdo dicitur, propter quid, aut est præcognitum, aut quæsitum de subiecto. Probatur, nam (ut dictum fuit supra) ista sunt contra diuisa, & habent uim contradictorium. Secundo idem probatur ex Aris. primo poster. 179. quando dicit ponendo quæsita speculanda de ipso subiecto, dixit principia, partes, & passiones: principia ergo demonstrantur de subiecto. Tunc sic, propter quid si demonstratur de subiecto: qua specie demonstrationis demonstratur? certe demonstratione propter quid tantũ, & non simpliciter, nec quia, (ut dictum est.) Tertio arguitur, primo physi. Ari. dixit in primo textu ponẽs quæsita speculãda de rebus naturalibus quæ sunt subiecta in philosophia naturali (ut Auer. retulit in prologo phy.) ꝙ sunt principia elemẽta & causæ rerum naturalium. hoc stante arguo sic, Aristo. primo physic. assignat causam rerum naturalium, quæ ibi sũt subiecta, ergo assignat propter quid rerum naturalium, & hoc non nisi demonstratione propter quid tãtum, & non demonstratione quia nec simpliciter, quoniam ista ambo esse declarant, & non propter quid tantum. Quarto secũdo post. 33. dicit Auer. inquiri debere de subiecto ignoto causas ignotas, non ut esse demonstrentur, sed propter quid. Præterea secundo physi. dicit Auerro. causas subiecti aliquando esse ignotas, ꝙ sint, posset uerò demõstrari demonstratione quia a posteriori. Tunc arguo sic, causæ subiecti possunt demonstrari. sed causæ subiecti sunt propter quid subiecti, ergo propter quid subiecti poterit demonstrari, & non nisi demõstratione propter quid, & hoc fecit Arist. in lib. physi. ubi demonstrauit principia rerum naturalium ignota esse de rebus naturalibus, quæ postea in regressu fuot propter quid rerũ naturalium. Vltimò arguitur, quærendo primo ab istis quare subiectum non demonstratur esse aliqua specie demonstrationis? Respondet Zimara quia subiectum supponitur esse in scientia. Tunc arguitur, illa specie demonstrationis non potest demõstrari subiectum, qua specie absoluitur esse perse. Sed duabus tantum speciebus demonstrationis absoluitur esse scilicet demõstratione quia, & simpliciter, ergo duabus tantum speciebus erit indemonstrabile subiectum. ergo saltem propter quid demonstrari poterit, cum ista tãtum propter quid absoluat & nõ esse. esse uero supponitur in demonstratione quia, hæc ratio uidetur multum militare ad hominem.

Quartum caput, & ultimum in quo multa dubia scitu digna contra determinata absoluuntur.

SEd circa determinata a nobis, occurrunt multæ dubitationes. Nam licet uerum sit ꝙ subiectum non potest demõstrari esse de subiecto totali, hoc tantum locum habere uidetur de subiecto uero; de partiali uero nequaquam. Et probatur subiectum partiale posse demonstrari in sciẽtia, per Auer. qui dicit secũdo poster. 33. quarto cœli 33. ꝙ ignem esse demonstratur demonstratione quia, ex motu partium ignis sursum. & Auer. in com. dicit. ꝙ est demonstratio ad speciem subiecti. Præterea octauo physic. demonstratur motorem esse. qui est subiectũ in illo libro; & primo physi. materiam esse & formam per operationes quæ sunt partes subiecti in libro physicorum. Præterea Auer. sibi ipsi uidetur contradicere, nam secundo de anima commen. 17. & sexto metaph. primo, & secundo de anima 29. dicit neq; subiectũ neq; partes subiecto posse demonstrari; sed supponit ꝙ sint. & est ratio, nam existentia partium est eadem cum existẽtia totius, nã si una supponitur, ergo & alia. Secunda dubitatio contra secundam conclusionem. Auer. primo physi. ultimo, dicit nullam sententiã demonstrare subiectũ. & absolute dixit nõ reseruando se ab aliqua specie demonstrationis, & secundo physi. 22, & 26. dixit Auer. impossibile esse scientiam aliquam siue uniuersalem, siue particularem probare subiectum suum esse, siue per signum, siue per demõstrationem simpliciter: uidetur ergo omne genus demonstrationis excludere. & tertio cœli quarto, defendere subiecta scientiarum ad metaphysicum pertinet, ergo quomodo dicis in secunda conclusione subiectum posse demonstrari, demonstratione propter quid? Pro solutione primi dubii notandum est, primo poster. 17. regulas logicas sicut & aliæ regulæ artificiales ut plurimũ esse ueras, uel semper ueras; quæ autem raro sunt ueræ, inartificiales esse habitus, primo elenchorum. in digressione de sufficientia locorum. Tunc dicatur quãdo dicitur species subiecti posse demonstrari, ꝙ secundo poster. 33. dicit, raro; ideo regula est per accidens, cum limitatione, scilicet partes subiecti raro demonstrari posse, & hoc est quando latuerint id quod raro contingit. Regula artificialis est semper uera & per se ponitur in arte, & per se addiscenda, scilicet subiectum, & partes suas esse non demonstrari: quæ uero per accidens & raro sunt, non debent poni in arte: & si ponuntur: cum limitatione poni debent, sic fecit Auer. de partibus subiecti, dixit raro demonstrari cum limitatione &c. Ad aliam dubitationem secundam, quæ est etiam contra primam conclusionem, respondet Suessa primo metaph. quæstione prima primo physic. comm. ultimo, & secundo de anima 27. partes subiecti posse demonstrari quando transeunt & habent rationem principii, sicut primus motor, & prima materia demonstrantur, ut principia, & nõ ut partes subiectiuæ. Sed est error clarus, nam quarto cœli. 32. ignia demonstratur esse ex motu partium eius sursum, & Auer. dicit, ꝙ est demonstratio ad speciem subiecti. idem secundo poste. 33. & secundo de anima 29 ergo partes subiecti, ut partes, demonstrantur, & non solum, ut principia. Præterea secundo phy 3. & dixit Auer. ꝙ natura & principia naturalia sũt subiecta in illo libro;

sed

sed materia & forma demonstratur in lib. physic. ergo ut subiecta in illo libro. sed nō sunt subiectum totale ibi sed partialia; ergo & subiecta partialia, & non tantū, ut principia. ut dicit Suessa. Ad secundam dubitationem principalem quando dicitur ab Auer. subiectum non posse demonstrari, neq; demonstratione signi, neque simpliciter, & absolute dixit, concedo, quia non sine ratione hoc dixit, sed cautè quia demonstratio simpliciter & quia tātū, demonstrant esse, modo subiectum supponitur esse, sed non dicit Auer. propter quid, quia demonstratione propter quid subiectū apud ipsum demonstrari poterit, quia causæ subiecti sunt propter quid subiecti (ut supra dictū est.) Potest etiam alia causa assignari quare Auerro. non dixit demōstratione propter quid subiectum nō posse demonstrari, sicuti dixit demonstratione simpliciter & quia supra enim diximus quæstionem de esse simplici pertinere ad metaphysicum, nam ad eandem scientiam pertinet considerare, si est, & quid est, sexto meta. quid enim redditur propter quid. Cum ergo consideratio de ente & esse pertineat ad metaphysicum, causę etiam entis pertinebunt ad metaphysicum, si autem quæsitum si est, quærat de esse extra animā, quod est esse tale, hoc esse & causas eius considerare, pertinebit ad artem propriam, & propter uarium modum exponendi quæsitum si est (ut supra dixi) non fecit mentionem Auer. de demonstratione propter quid, an de subiecto possit sciri cum propter quid subiecti, aliquando in arte propria & aliquando a metaphysico contingat considerari. Sed iterum aliquis dubitabit, quæ causa est q totale subiectum in scientia non demonstratur esse, partiale uerò subiectum aliquando demōstratur? Secundo etiam dubitatur, si subiectum esse non demonstratur, quo instrumento artificiali manifestari potest? Ad primum respondent, ideo demonstrari non posse, quia non habet notius nec a priori, nec a posteriori: non a priori, quia licet principia sint notiora naturæ, tamen tanta notitia nunquam erit notitia maior notitia subiecti, cum subiectum sit primò notissimum, & primo notissimo nil notius esse potest. nec a posteriori, propter eandem causam. Et si dicas principia posse fieri ex esse effectus nota, & ex illo noto notificare esse subiecti. Respondet, non posse notificari tantam notitiam ut præcedat illam subiecti, cum sit primo notum. & primo non datur prius. Contra arguit Zimara Theorem. 52. Nam subiectum natura habet principia, primo physico. 2. quę priora inesse habet etiam accidentia effectus, quę quo ad nos sunt notiora ipso subiecto, & effectus magis sensati, & dat exēplū. ut naturam esse est subiectum in lib. ph. & motum esse notius est ea, secundo phys. 4. Sed nihil concludit, hæc. n. principia sunt notiora subiecto apud naturam, non quo ad nos: modo demonstratio ex notioribus nobis, & non naturæ tantum procedit; unde non ualet, notiora naturæ, ergo demonstrari possunt, aliter esset petitio in principio, secundo prior. 17. Nec exemplum ualet, effectus sunt notiores. Nam non sunt notiores naturaliter, ex quo est demonstratio ipsa. sed aliqualiter euidētiora sunt quæ non faciunt demonstrationem, sed inductionem. secundo physic. 3. Ideo aliter contra dictam causam argui potest. Nam petit in dando causam per fallaciam petitionis in principio, idem enim est non demonstrari, & non habere notius, demonstratio enim ex notioribus procedit primo poste. 12. assignat ergo pro causa, id quod quærimus quod est quæsitum ignotum faciens petitionem in principio. Zimara locis dictis dat causam, ratione subiecti, est enim petere concessum & suppositū, primo physicor. concessum si per se notum: suppositum, quoniam ut probatum ab alia arte superiori, sed in ratione qua contra opinionem superiorem arguit, seipsum incusat, quia concessum, & suppositum, quia per se notum, demonstrari non potest, quare ergo non demonstratur? quia notius non habet, & sic assignat eandem causam, quam incusat. Præterea errat rationem subiecti in scientia supponi, nam ratio subiecti est quòd subiiciatur prædicato, in antepręedicamentis, & primo post. 47. dixit Ar. & primo poster. 179. subiectum subiicitur principiis, partibus, & passionibus. Præterea hæc ratio subiecti ab ipso assignata competit aliis a subiecto. competit etiam dignitatibus, primo poster. 2. ergo non propria ratio subiecti. Præterea primo poste. 13. concessum uel suppositum idem est q indemonstrabile, & idem significant mō primo poste. 17. assignare causam hoc modo, non est artificiale, sed uanum & inartificiale, idem per idem, ut hoc est, quia hoc est. Dum nos iuniores essemus, tuebamur illam opinionem quia notius non habet, ideo subiectum esse indemōstrabile, nam, ut primo posterio. dictum est, si affirmatio est causa affirmationis, negatio est causa negationis, primo poster. 41. causa propria est qua posita ponitur effectus, & remota remouetur effectus ergo in hoc causa propria est assignanda, & secundo posterior. 69. dat causam Arist. quare principia in scientia non demonstrantur, dicens quia sunt priora & notiora. & non habent notius; Idem secundo poster. 41. dans causam, quare unitas non demonstratur in arithmetica ubi est subiectum, dicit quia causam non habet notiorem. Nota tamen, quia aliud est quærere, quare subiectum non demonstratur, & aliud est quærere, quare non habet notius. bene enim est data negatiua causa, quia notius non habet scilicet negatio definitionis demonstrabilis. sed adhuc est quærenda affirmatiua (loco allegato) & est causa, quia est per se notum. & per se notum non habet notius. Et in hoc est aduertendū, primo poster. 17. & secundo post. 27. quod regulæ logices ut per se notæ, sumi, & non quęri debent, quia ut suppositiones, positæ sunt ab Arist. & ideo cum hæc sit una earum primo poster. 2. merito oportet logicum supponere, & non quærere. hoc enim pertinet ad metaphysicum, (ut supra dictum est) & tertio coeli quarto, & primo top. secundo, Auerroes exarauit induens habitum topicum. Nos autem conabimur causam reddere, & prima causa est ex Auer. primo poste. 74 quod sicuti si præmissæ non essent primo notę & haberent notius, esset processus in infinitum; ita quoque de subiecto dici potest, si haberet notius, esset processus in infinitum, & non esset primo notum in scientia, ad quod deueniendum est, oportet ergo aliquod notius supponere, ex quo fiat nostra doctrina. Aliam causam assignat Auer. commen. 72. 73. & 74. scilicet, quia quærere de esse est quærere de ente simpliciter. & est quęstio metaphysica: ideo demonstrare esse subiecti non pertinet ad scientiam propriam, sed ad uniuersalem scilicet metaphysicum, & hoc est Aristot. sexto metaph. primo, ubi elicuit nullam particularem scientiā probare subiectum suum esse, & dat causam, quia solū quærit de ente tali quæsita particularia sed quæsita de ente simpliciter ad metaphysicam spectant. Alia redditur ratio & clarior, septimo metaph. 23. tertio ethic. 6. & a Galeno in libro de constitutione artis medicę. Artes si sunt ueræ, debent supponere finem, & non quærere Ex quo sumpto quærunt ponere ordinate ea quæ sunt ad finem, aliter non erit ars. Sed subiectum, et intentio re idem sunt quod finis, & ratione tantum differunt, ergo cum habeat rationem finis supponi debet, & non quæri. Sed contra ēt dubitatur, in omni quæsito demonstratiuo debet supponi esse subiecti: in quæstione simplici quæritur esse simpliciter; ergo non potest aliquod supponi de esse subiecti. quia, in quæsito cōposito, supposito esse subiecti, quæritur esse prædicati, in simplici uero esse subiecti quæritur simpliciter, nihil ergo supponi potest in quæsito simplici de subiecto. Dubitatio hæc est Auer. primo poster. 72. Ad quam respondet, uerificari etiam illam regulam in quęsito simplici de subiecto. Nam quærere de ente sim-

pliciter ad metaphysicum spectat, artifex. proprius in tali quaestione semper supponit genus talis entis, scilicet ens, ergo dum quaeritur ens simplex, supponitur inueniri ens simpliciter, & quaeritur species entis talis: semper ergo subiectum artis supponitur: & ex hoc potest assignari causa quare subiectũ totale non demonstratur esse, partes uero subiecti bene possint demonstrari esse, aliquando quia supponendo totale subiectum esse in scientia, quaerimus an sint species illius generis in illa scientia, sed de totali subiecto hoc facere nõ possumus, quia quaerimus esse simpliciter non supponendo ipsum esse, supra etiam fuit assignata causa huius (ut diximus) quia subiectũ totale semper est notissimum, & hoc debet supponi. Subiecta autẽ partialia aliquando & rarò cõtingit esse ignota, & in hoc casu demonstrari potest, quia latent, & hoc dixit Auer. secundo poster. 33. & secundo de anima. 29. Sed quaeres iterum, & est ultima dubitatio, si esse subiecti non demõstratur, nec per syllogismum inquiritur, cum sit notissimum, est ne aliquod aliud instrumentum, ad ipsum notificandum artificialiter, ut ars non sit diminuta? Pro ueritate est notandum, esse & quid nominis subiecti esse prę cognitionis aliquando, ita uulgatas, ut ab arte despiciãtur causa est quia ipsa ars est circa difficilia. quae autem omnibus uulgata sũt, nõ sunt difficilia & illa quae sunt maxime sensata, ut ignẽ esse calidum, quia sensata, primo topicor. nono, octauo physic. 22. quae sensu nota sunt, nulla institutione artificiali indigent. Inueniuntur alii modi subiectorum, qui non sunt ita noti, sed aliqualiter ignoti, ideo indigent aliquali declaratione & manifestatione. Et pro clariori dilucidatione ut postremam manum imponamus huic quaesito, & nihil restet amplius dubitandum. Notandum est quod propositiones notae in scientia sunt in triplici differentia, quaedam sunt ita notissimę, quòd sola terminorum notitia cognoscuntur; quaedam sunt penitus ignotae, & istae syllogismo & demonstratione sciuntur, ut dixit Auer. secundo poster. commen. primo, quaedam sunt medio modo se habentes, non enim omnibus notae ut prima principia, nec omnibus ignotae ut conclusiones syllogismo scibiles, sed dicuntur per se notae prouectis in arte, ignotae uerò illis qui durae ceruicis sunt, qui nõ credunt rebus per se notis, & inchoantibus artẽ quae docet illa quae sunt per se nota, & ad quae intelligenda prouecti in arte non indigent instrumentis, siue illa instrumenta sint topica, siue poetica, siue rethorica. ista enim non notificant naturaliter ignotum, sed tantum manifestant, secundo posteriorum. 25. & secundo physic. tertio, intuitione egent, ut exemplo inductione. & syllogismo hypothetico per naturam, & hoc artificialiter actũ est ne desperent de notitia principiorum, totius scientiae, sed manu teneantur hac modica inductione. Quo stante dicendum: esse subiecti uel per se notum, esse ad sensum, & tũc id despicit ars (ut dixit Aristo.) & patet quia nullum tale, institutione indiget. uel est ignotum naturaliter subiectum, tunc demonstratione inquiritur, sed non in illa arte cuius est subiectum, propter rationes dictas, sed in alia arte superiori, scilicet metaphysica, uel medio modo ignota, & non notificantur per syllogismum nec per demonstrationem, sed per habitum artis, cuius est instrumentum topicum, aut rethoricum, aut poeticum, & haec omnia sunt instrumenta artificialia, ut patet primo posteri. 75. primo topicorum. 9. octauo physicor. 22. ubi Auer. dicit, q̃ aut esse subiecti, ut notum sumitur, & hic est unus modorum, sumere, scilicet demonstratum ab alia arte: aut aliquo alio modo ostensionis manifestatur. nõ potest enim intelligere nisi hos primos modos. Nam primo poster. in procemio genera instrumentorum non sunt nisi tria dicta, sophistici enim syllogismi fallunt, non notificant. Quòd uerò manifestè sumat, aut quia per se notum, aut quia demonstratum ab alia scientia, hoc habetur, primo physicorum ultimo. Artes uerò posse manifestare subiecta quando sunt aliqualiter ignota, patet ex processu Aristotelis secundo physicorum tertio, ubi naturam esse manifestat diuisione, & syllogismo hypothetico, (ut Auer. dixit) si uerò uulgata sint omnibus, ars despicit. Si uerò ignotum naturaliter, ars propria supponit demonstratũ in alia arte. Si uero medio modo sunt nota subiecta, notificat ea & manifestat, aut proprius artifex, aut induens habitum alterius artificis, & supponit demonstratum ab alia arte, quando ignotum. Si quaeritur quae est illa ars quae hoc facit? Dicendum illum artificem esse, cuius est instrumentum. ut si topicum est instrumentũ, topicus est, si rethoricum, rethor, ab instrumẽto enim artis cognoscitur artifex propriua, & causa est quia cum non utitur instrumento proprio artifex, non est amplius ille artifex. Sed dices utitur terminis illius artis, ergo est ille artifex. Dicendum ex quarto metaphysic. quinto, primo topicorum primo, & primo rethoricum in procemio; quod artifex tunc est proprius, quando utitur terminus proprius illius artis, & non terminis communibus in qualibet arte. sed restat praeter terminos proprios. consideratio de communibus, ex quibus formant instrumenta sua, illi tres artifices dicti topicus, poeticus, & rethoricus. Ac primo topicorum Aristo. uocauit topicum artificem communem circa omne genus artis, & ibidem afferens utilitatem illius artis dicit, quòd probat principia omnium scientiarum, intra quę est esse subiecti. & dat causam quia ex propriis non potest probare, restat ergo ut ex communibus probet, & probabilibus. idem primo rethoricorum primo, & Auerro. in epitomate de qualitate faciendi demonstrationem dicit, quòd rethorica & poetica sunt scientiae communes uersantes circa omne genus artis & c. Haec de hac quaestione, cum laude omnipotentis Dei.

HIERONYMI BALDVINI

Quæsitum septimum, An detur regressus demonstratiuus.

Proœmium.


VÆRVNT non solum noui logici, sed antiqui (ut Arist. primo poster. 22. dicit) an detur demonstratio circularis, seu regressus in artibus, & in scientiis, & non solum quid sit, sed etiam an sit. Huius quæsiti ueritatem, iuxta ueram uiam inquirere intendimus. prius tamen ut more periti agamus regulatim, ex primo poster. 2. & secundo poster. primo, ubi dicit Arist. ante quodlibet quæsitum si est, debere prę cognosci quid nomen rei quæsitæ, quòd importet, quò dirigamur ad sciendum id, quod quærimus. ut sciamus quęrere, explicate intendimus, quid sit regressus, & circularis demonstratio. Prima declaratio est Themistii primo de anima com. 7. Regressus est obambulatio quędam circularis, quædam, scilicet obambulatio, idest contra ambulatio. nam prius ambulamus à præmissis ad conclusionem, & obambulamus, idest contra ambulamus à cōclusione ad præmissas. insuper ut ipse Themistius sumens ab Arist. primo poster. 20. & 21. metaphorice quidam est circulus. nam sicut in motu circulari ab uno puncto incipientes ad idem reuertimur, ita in motu intētionali incipimus à pręmissis ad conclusionem, & deinde à conclusione ad præmissas reuertimur, & est metaphorice circularis processus ab eodem in idem. Est etiam alia declaratio in primo poster. cap. 6. in fine, ubi sic dicitur, q regressus, seu demonstratio circularis. est demonstratio eorum quæ conuertuntur, idest demonstrare cōclusionem per præmissas & pręmissas per conclusionem, est demonstratio circularis: Et hanc Auer. uocat in commen. demonstrationem reciprocam, hac de causa, quia præmissæ, & conclusio se mutuò, & reciproce inuicem monstrant. & sumitur hoc ab Arist. primo poster. cap. 30. commen. 91. & 96. ubi dicit Arist. contingit alterum per alterum demonstrari ad inuicem, mutuo, & reciproce. Amplius in fine textus, Arist. uocat conuersionem medii, ipsum regressum, seu demonstrationem circularem, & hoc ideo est quia in tali processu conuertitur, & mutatur ipsum medium. in ipsa demonstratione medium demonstrat maiorem extremitatem. in secundo conuertitur maior extremitas, & sumitur pro medio, medium uerò pro maiori extremitate, & sic fit conuersio medii, quoniam medium conuertitur. & fit maior extremitas Et sic regressus, secundum istum modum dicendi, est conuersio medii, ut dicit Themistius primo posterior. cap. 7. & reuersio à conclusione monstrata ad monstrandam præmissam suam. Ex his ergo iam scitur, quod quærimus. Quærimus namq; an regressus in artibus fieri possit. an possimus, scilicet ex conclusione monstrata præmissas suas demonstrare, idest an præmissæ, & conclusio se inuicem, & mutuo reciproce possint demonstrare. Cognitio quid nominis regressus, & demonstrationis circularis, hucusq; patet. Sequitur alia regula Arist. primo cœli tex. commen. 210. quòd statim cognitio quid nominis quæsiti, si significatum eius est multiplex. est prius distinguendum, ne accipientes simus eius significata quæ non intendimus, & faciamus nobis intentum cōfusum, sophisticum, & æquiuocum: ideo oportet prius distinguere illud quod intēdimus scire. & accipere significatum uerum, quod nos intendimus scire in proposito nostro. Cum ergo regressus in artibus & in scientiis, fiat pluribus modis & plura habeat significata, prius oportet narrare eius significata, & ex iis accipere illud quod est ad propositum nostrum. Aduertendum igitur, quòd demonstratio circularis, pluribus modis dicitur, ut patet primo & secundo prior. cap. 5. syllogismus circularis, qui ex præmissis mōstrat conclusionem, & ex conclusione cum altera pręmissarum conuersa monstrat alteram. exemplum, omne animal rationale risibile, omnis homo animal rationale, ergo omnis homo risibilis. reuertimur à conclusione cum conuersa maioris, ad probandum maiorem, hoc modo, omnis homo est risibilis. conclusio pro maiori sumatur, & conuersa minoris pro minori, omne animal rationale est homo, ergo sequitur maior pro conclusione, omne animal rationale est risibile, hoc totum est motio circularis; quia maior monstrat conclusionem. & demonstratio hæc circularis, fit duabus conditionibus obseruatis. quarum prima est ut termini sint conuertibiles, quia aliter minor uniuersalis affirmatiua non conuerteretur in uniuersalem affirmatiuam, ut dicit Arist. primo priorum. secunda conditio ut medium in secundo syllogismo sit ipsa maior, & non aliquis terminus extra syllogismum; quia si esset aliquis terminus, non esset demonstratio circularis ab eodē in idem, ut a est a ad medium, & à medio ad maiorem; de isto modo non loquimur, quia clare Arist. & alii concedunt esse modum possibilem syllogizandi circulariter, & etiam dat plures modos possibiles ibi Arist. & manifestat exemplo, & clarum est, & de re clara nō intendimus inquirere, quia nos quærimus, an demonstratio circularis sit possibilis, & non quærimus an syllogismus circularis sit possibilis; Secundus modus circulandi habetur in secundo prior. cap. 8. contrarius primo, quoniam in hoc secundo modo, non à conclusione, ad probandum præmissas proceditur, sed à contrario conclusionis cum una præmissarum, ad cōstruendam alteram: & sic uocatur syllogismus conuersiuus, e contrario circularis, quia procedit à contrario conclusionis, & non a conclusione, & ad destruēdum præmissas, & non ad cōstruendum. & Arist. in eodem cap. 8. dat exemplum, ut nullus homo est risibilis, contrarium conclusionis, & non ipsa cōclusio sumitur, omne animal rationale homo, & accipitur conuersa minor, & sequitur, nullum rationale est risibile. Neque etiam loquimur in hoc nostro proposito de modo isto circulandi, quia clarus est secundum Arist. ibi in illo cap. octauo, & non est demonstratiuus, & neq; cōstructiuus: nos uero quærimus in hac quæstione, regressum circularem demonstratiuum, & constroctiuum. Tertius modus circulandi patet in secundo prior. commen. 20. a conuertente ad conuersam, & a conuersa ad conuertentem, regressus circularis est ab eodem in idem: sed neque etiam de hoc tertio modo circulandi loquimur (quoniam ut ibi diximus) non solum non est demonstratiuus regressus, uerum neque syllogisticus, sed est quidam modus adminiculatorius, & melius diceretur iuuamen ad ipsum syllogismum. Quartus modus circulandi habetur in secūdo topic. cap. secundo, ubi uocatur consequentia à contrario, idest ex terminis contrariis, & infinitis positis, inferre medium, exemplū huius est hoc ut si bonum suaue

& non suaue, non bonum, si non suaue non bonum, ergo suaue bonum, consequentia circularis est ista, ab eodem ad idem. nec loquimur de hoc modo, quia talis modus non est syllogismus, nec etiam demonstratio, sed est quædam sequela logica, & consequentia per accidens, qua artes utuntur ad iuuandum syllogismum, & demonstrationem, nõ tanquam principale instrumentum. Vltimus modus circulandi in artibus, habetur ex quinto metaph. cap. de priori, ubi dicitur, ꝙ unus modus prioritatis est, ꝙ prius est illud à quo non conuertitur subsistendi consequentia, & fit, quando causa, & causatum se mutuo inferunt, exemplum Arist. habetur illic, & de isto modo non loquimur hic: quia hic modus nec est syllogismus, nec demonstratio, sed modus sequelæ iuuans demonstrationem.

Restat igitur cum supradicti modi circulandi non sint ad nostrum propositum, ut unus sumatur de quo quærimus in hac quæstione, & iste est, cuius nomen est declaratũ, & est quando præmissa in demonstratione facit scire conclusionem, & reuertimur à conclusione eiusdem demonstrationis ad præmissas. Vnde quæsitũ sub hoc modo quæritur: An regressus demonstratiuus scientificus sit possibilis, idest an postquam ex præmissis demonstrationis sciuimus conclusionem, possimus circulariter reuerti ex illamet conclusione demonstrata, & scire illammet pręmissam. est ergo quæstio de regressu demonstratiuo & scientifico. In hoc quæsito hunc ordinem seruabimus. Primo ponemus aliorum opinionem. Secundo dicemus quæ sit mens Aristot. & excuso me, si ero prolixus quoniam materia ista, est ualde difficilis, propter diuersitatem opinionum.

Caput primum, in quo narrantur aliorum opiniones.

PRima opinio est antiquorum, quã infringit Arist. primo poster. tex. commen. 20. Et notandum ꝙ ista opinio supponit primo definitionem ipsius scire simpliciter, & dicit ꝙ scire simpliciter, est per causam priorem, notã naturæ, & nobis: nobis, quia sensata, naturæ, quia prior in esse. Secundo supponit omnia posse sciri tali scientia, tali demonstratione simpliciter, quia nihil scitur, nisi tali scientia, & tali demonstratione simpliciter. Tertio supponit, principia demonstratiua non facere scire conclusionẽ, nisi sit scita. Ex iis tribus præsuppositis antiqui hãc intulerunt conclusionem. in scientiis non solum est possibile, sed est necessarium fieri regressum demonstratiuum, demonstratione simpliciter. & ipsi probant sic, hanc conclusionem: Ipsæ præmissæ, quæ faciunt scire conclusionem, aut sunt notæ, aut ignotæ: si ignotæ, non possunt notificare conclusionem, quia ignota non notificant: ergo oportet ut sint notæ, & scitæ, & nõ nisi scientia demonstrationis simpliciter scitæ, per illud fundamentum supra dictũ, ꝙ nihil scitur apud eos, nisi per demonstrationem simpliciter. si præmissæ ergo scitæ simpliciter sunt, aut per conclusiones, aut per alias præmissas: si per conclusiones, tũc ipsi dicunt, ꝙ habent intentum, fieri regressum per demonstrationem simpliciter, ergo ipsæ præmissæ fuerunt scitæ per conclusionem, & non nisi per demonstrationem simpliciter, quia apud ipsos non datur aliud scire, nisi scire simpliciter: Si uerò dicitur, ꝙ præmissæ sciuntur per alias præmissas, tunc ipsi quærunt de illis aliis præmissis: an sciuntur, uel non. Si sciuntur: aut per præmissas, aut per conclusionem; Si per conclusionem, tunc habetur intentum. Si per præmissas, tũc quæritur de illis, & sic erit processus in infinitum. Sed non datur processus in infinitum, ergo melius est dicere, præmissas sciri scientis simpliciter per conclusiones, & dari regressum in demõstratione simpliciter. Hæc est ratio, & probatio antiquorum. Contra hanc opinionem antiquorum, argumentatur Arist. primo poster. tex. commen. 22. 23. & 24. & prima ratio supponit unum concessum ab eis, quòd demonstratio simpliciter procedit ex notis nobis, idest ex sensatis, & naturę, i. ex prioribus in esse: Quo stante, arguit deducendo ipsos antiquos ad impossibile, hoc modo, scilicet: si præmissæ notificant simpliciter conclusionem, ergo priores, & notiores, & notæ nobis, & naturæ, ergo idem prius, & posterius, & idem notius, & ignotius respectu eiusdem: quia præmissæ inquantum notificant conclusionem, sunt priores, & notiores: inquantum uerò notificantur à conclusione, erunt ignotiores, & posteriores: & sic idem respectu eiusdem erit notius, & ignotius, & prius, & posterius, secundum eundem modum, ut dicit Auerro. primo poster. com. 22. Amplius Aristo in eodem textu dicit, & recitat responsionem falsam antiquorum: Quandoquidem dicũt ipsi antiqui, ꝙ non inconuenit idem esse prius, & posterius, notius, & ignotius diuersimodè: Et sic esse (dicunt ipsi) in proposito, ꝙ scilicet præmissæ notificant conclusionem, tanquam priores, & notiores simpliciter, idest natura. conclusiones uerò notificant præmissas, tanquã priores & notiores nobis, & non natura. ergo idem respectu eiusdem (dicunt ipsi) est prius, & posterius, & notius & ignotius, diuersis tamen modis, & non eodem modo, & sic non inconuenit, idem esse notius & ignotius. Hæc est responsio antiquorum. Ex hac responsione, Arist. deducit antiquos ad contradictionem, in tribus dictis ipsorũ, per quæ dicta, ipsi antiqui tria concedunt: Primum erat hoc, ꝙ scire simpliciter, fit uno modo, & nõ pluribus modis: Secundum erat ꝙ scire simpliciter, fit semper à noto naturæ, & nobis, sicut fuit definitum. cõmen. 8. Tertium erat, ꝙ ambo processus in regressu sunt demonstratio simpliciter. Tunc stantibus iis tribus dictis, & cõcessis ab eis Arist. deducit eos hoc modo. Si uos dicitis, ꝙ secundus processus, quo conclusio notificat præmissas, fit ex notis nobis, ergo sequitur contra tertium dictum, quod uos cõceditis quòd, s. uterq; processus, est demonstratio simpliciter. Dicitis enim ꝙ in secundo processu, proceditur à notis nobis, & à notis simpliciter, ergo scire simpliciter, est male definitum, nam fuit dictum, ꝙ in scire simpliciter, proceditur à notis naturæ, tunc uerò, uos ponitis secundum processum, constarę à notis nobis tantum, ergò scire simpliciter, male definitum. Vlterius sequitur, contra dictum primum, ꝙ non erit unus modus sciẽdi simpliciter, (ut dicebatis) sed erunt duo modi sciendi simpliciter, unus, scilicet ex notis naturæ, & alius ex notis nobis. Euaderę possent illi dicentes, ꝙ secundus processus, non est demonstratio simpliciter. Contra arguit Arist. quoniam tunc dictum dictũ tertium esset falsum, ubi dicebant antiqui, ꝙ ambo processus ipsius regressus, sunt demõstratio simpliciter. Arguit secundo Arist. contra antiquos: Et assumit prius unum, & hoc est, quia per eam rationẽ idẽ per idem probatur, ut a est, quia a est, tunc facile esset, sic omnia monstrare. Et Auer. exponit primo de generatione, secundo commento, ꝙ ratio leuis, facilis est: quando unusquisque scit, & ratio uulgaris, quam sciunt uulgares. Secundum quod assumit Arist. est hoc, ꝙ ratio leuis, & facilis est quã sciunt uulgares, & ratio inartificialis est, qua non utitur ars, nec docet causam: Et probatur exemplo, & etiam ex textu Arist. primo metaph. tex. commen. 2. quòd facile uulgatum non pertinet ad artem, sed solum difficile, ut patet secundo poster. cap. 15. quæ sunt manifesta omnibus sensibus, & uulgaribus, ars destruit, quia nõ pertinent ad artẽ: Et probat Arist. in tex. quòd non sit artificialis, quam rem uide clarius secundo priorum cap. 17. si esset artificialis iste modus arguendi, ergo nihil esset occultum, & omnia essent per se manifesta, quod est falsum ad sensum: occulta namq; sunt illa, quæ non sciuntur, nec possunt sciri de facili. Consequentia ista probatur ab Arist. illa quę per se sciuntur, sunt iam per se manifesta,

f-sta, & non sunt occulta: Minor, sed ista omnia sunt per se manifesta. Idem fundamentum probat, secundo prio. cap. 17. ratio quælibet artificialis procedit a noto ad ignotum; sed idem non potest esse notum, & ignotum respectu eiusdem: ergo idem per se ipsum respectu artificialis non potest notificari. Ex hoc fundamento, arguit Arist. contra antiquos hoc modo, quòd si daretur regressus in artibus. in demonstratione simpliciter non esset alia ratio, quàm probare idem per semetipsum, ut a est, quia a est. sed ista ratio per fundamentum sumptum, est ratio facilis, leuis, & uulgaris, & non artificialis, ergo regressus positus ab antiquis, non est artificialis, nec pertinet ad artem. Consequentia restat probanda, scilicet quòd in regressu eorum antiquorum, probetur idem per idem, ut a est, quia a est. ut Aristo. probat in textu, & clarius hoc uide tu, secũdo priorum capite decimoseptimo, syllogismi demonstratiui duo simpliciter, qui faciunt ad regressum, omne b est a, omne c est b, ergo omne c est a, secundus syllogismus, quo fit regressus, est talis, conclusione prænota, omne c est a, pro minori, sumatur conuersa minoris, omne b est c, ergo sequitur pro conclusione maior prioris syllogismi, omne a est b. Isti duo syllogismi regulantur per dici de omni, hoc modo: Primus syllogismus regulatur c est, quia b est, & b est, quia a est: ergo a primo ad ultimum c est, quia a est. Secundus syllogismus regulatur a contrario, a est, quia b est: & b est, quia c est: ergo a primo ad ultimum a est, quia c est. Sed c erat, quia a erat, ergo, a primo ad ultimum a erat, quia a erat. Arguit tertio Aristot. contra antiquos, & sumit fundamentum suum ex secundo priorum cap. quinto, quòd syllogismus circularis ut per conclusionem ambæ præmissæ, non fit nisi in terminis conuertibilibus in prima figura tantum. Si enim termini non sunt conuertibiles, solum ex conclusione, cum a probatur per b non potest ex conclusione a probare b in secunda, & tertia figura: nec ex conclusione possunt ambæ probari præmissæ, ex hoc modo, circulandi, & regrediendi. Sumit secundo ipse Aristot. illud quod fuit concessum ab antiquis, nam ipsi antiqui posuerunt regressum. ut omnia sciantur, ut ex conclusione omnes præmissę sciantur, & nõ relinquatur aliquod quod non sciatur: Ex iis præsuppositis duobus arguit Arist. contra antiquos. Iste processus est inutilis, per quem non scitur finis totalis, per quem tu ponis ipsum. Addatur minor, per fundamentum suum. Sed regrediendo a conclusione, non possunt sciri omnes præmissæ, sed solum pręmissæ quæ sunt conuertibiles, & non illæ, quæ non sunt conuertibiles: ergo sequitur contra antiquos. quòd regressus ipsorum non facit scire omnia, cum ad hunc finem ponatur regressus. Dices tu, in primo posteriorum cap. trigesimoprimo, res ueræ solum demonstrantur in prima figura, quia uere demõstrant uniuersalem affirmatiuam, quæ solum notificatur in prima figura, primo posteriorum 53. demõstrationes omnes solum in terminis conuertibilibus fiunt. Ita ergo respondetur ad Aristot. quòd iste regressus est utilis, quia sequitur, ad finem intentum, ex conclusione regrediendo, possunt enim sciri ambæ præmissæ, & loquor ego de regressu demonstratiuo, qui fit in terminis conuertibilibus. solum in prima figura, & in prima figura, omnes pręmissę sciri possunt. Respondet Auer. huic dubitationi in fine commenti. 27. in primo posteriorum, quòd hoc ualet contra antiquos, qui dicebant, quòd non solum termini conuertibiles, & propositiones conuertibiles sciuntur per regressum, sed etiam non conuertibiles: respondet ergo contra dictum antiquorum, quòd sit impossibile in artibus, fieri regressum demonstrationis simpliciter. Restat modo respondere ad rationes antiquorum, ad quas respondet Aristot. in textu. Prima ratio antiquorum est ista: Præmissæ, quæ faciunt scire conclusiones, debent esse notæ: & hoc non nisi per demonstrationem: ergo per alias præmissas, uel per conclusionem; non per alias præmissas, quoniam sic iretur in infinitum, ergo præmissæ fiunt notæ per conclusionem, hæc est prima ratio antiquorum.

Respondet Aristoteles ibidem, quòd principia debent esse nota, est uerum: (dicit Aristotele) ergo per demonstrationem, negat consequentiam & assignat rationem, (ut supra diffusius diximus) & tertio de anima uigesimo sexto, & primo posteriorum 173. secundo posteriorum capite ultimo, & primo metaphysic. primo, quòd principia demonstratiua sunt nota tantum sensu, & non per præmissas eis notiores, & sic generatur eorum notitia, & hoc dicit Aristote. in textu, quòd ex notitia terminorum cognoscuntur principia: principia enim cognoscimus inquantum terminos cognoscimus. Secunda opinio est Hugonis Senensis in art. medic. Gal. ubi dicit, quòd regressus in artibus nõ datur, quia est inutilis, & probat ipse, quòd sit inutilis: quoniam illud quod facit demonstratio quia, sine regressu, frustra ponitur in regressu: sed demonstratio facit id, quod facit regressus sine eo, ergo frustra est ponere regressum. Maior est Aristo. quoniam frustra fit per plura, quod potest fieri per pauciora: Et probat minorem, & duo sibi præsupponit: Primum est hoc, regressus facit hoc, ut ex esse effectus. demonstratione quia, cognoscamus esse causæ, secundum quòd regredimur ex esse causæ ad notificandum propter quid effectus; sed hoc totum facit demonstratio quia. sine demonstratione propter quid, & sine regressu, quoniam facit scire causam esse, & ultra hanc esse causam propter quid effectus: quod fit utique in regressu inutiliter, & ociose, cum demonstratio quia, faciat utrunque: Et quòd demonstratio quia, faciat utrunque, probat sic ipse. Non potest effectus inferre causam, nisi sciamus illam causam esse inseparabilem ab illo, sed scito hoc, scimus propter quid effectus, ergo demonstratio quia, facit scire utrunque, & esse causæ, & propter quid effectus: ergo regressus ociosus est, & inutilis. Ex dictis Hugonis, tria sequuntur clarè. Primum est hoc, quòd non datur demonstratio causæ, quia finis eius. est notificare propter quid, & hoc facit ipsa demonstratio quia: Secundum dictum, demonstratio quia, notificat esse causæ, & facit scire illam esse causam propter quid effectus: Tertium dictum, non datur regressus. Sed iste uir, toto aberrat coelo, & omnia eius dicta falsa sunt. Nam contra primum dictum, clare Auer. primo posteriorum nonagesimoquinto & nonagesimosexto, & in epitom. cap. de demonstratione, secundo coeli trigesimoquinto, ponit demonstrationem propter quid, quæ notificat causam effectus & dicit quòd demonstratio propter quid est distincta a quia, & simpliciter, & dicit quòd demonstratio quia, notificat tantum esse causæ, & non propter quid, quia illud facit secunda demonstratio, scilicet causæ tantum, nam in octauo physicorũ quinquagesimo & quinquagesimotertio, ponit regressum clarè, contra tertium dictum Hugonis, & ponit demõstrationem quia, quæ tantum notificat esse causæ, & non propter quid effectus. Contra tertium dictum, est opinio Aristot. in primo posteriorum nonagesimosexto, & clarè contra omnia tria eius dicta, ubi primo concedit regressum, & dicit quòd contingit, adinuicem causam cum effectu demonstrari, quia est regressus, & declarando ipsum regressum, dicit quòd primus processus est ab esse effectus ad esse causæ, qui tantum notificat quia, & non propter quid: secundus uerò processus, est ab esse causæ ad propter quid effectus. tunc dico quòd ex iis dictis, patet contra Hugonem dari regressum ex effectu ad causam quod est cõtra tertium dictum eius. Contra hanc etiam opinionem arguam ex dictis Aristotelis primo posteriorum, textu commento nonagesimosexto, & capite trigesimosexto,

& 13. quod causam, & effectus adinuicem demõstrantur, ergo regressus datur secundum Aristotelem, & quãdo ab effectu imus ad causam, tantum notificat quia est. & non propter quid. quod probo, quia nil dat, quod non habet, effectus non est causa causæ. ergo effectus non potest notificare propter quid. Contra secundum dictum dicit Arist. ibidem, quòd si arguo quia a causis procedimus, demonstratio est propter quid, ergo demonstratio propter quid, est distincta a quia. Secundo arguo contra idem, ex secundo posteriorum primo, quid est, est causa propter quid esse simpliciter. tunc stante hoc, arguo, ergo nec propter quid esse. Tertio arguo contra idem, demonstratio quia, non potest notificare propter quid effectus, primo poste. octauo: quoniam causa non notificat propter quid effectus, nisi sit nota esse, & nota ꝙ sit causa huius effectus; causa autem non scitur esse huius effectus propter cognitionem solius esse, & solius suæ existentiæ. ut patet secundo posteriorum cap. 33. ubi habetur ꝙ existentia est accidens rei, & non substantia rei: ergo causa nõ est causa suæ existentiæ, sed sua substantia, quia est accidens eius; & nõ substantia rei. causa ergo noscitur inquantum causa, cum cognoscitur quo causa propriè, & causa propriè suæ substantiæ: ergo tunc propria causa, inquantum causa, quando substantia sua cognoscitur per definitionem. Huic rationi, etiam additur hoc, secundo poster. 36. posterius in demonstratione quia. non potest facere subiectum rei, & definitionem quid rei, ergo non potest facere cognoscere ipsum esse causam: ergo nõ potest facere cognoscere propter quid effectus. Respondetur ergo ad argumentum Hugonis, & prius notandum est, quòd primo poster. 91. & 95. quæsito quinto & sexto posterioristico, in epit. logicali: dicit Auer. contra Auicennam, quòd in demonstratione quia, non oportet cognoscere, effectum esse connexum causæ, inquantum causa, sed solum esse connexum per se, & essentialiter, per regulam primi posteriorũ ubi docentur, quæ sunt per se essentialia. & demonstratio quia, ab effectu ad causam, est syllogismus categoricus, reducitur ad formam categoricam, hoc modo, s. motus æternus est, hæc est maior, & minor est ista, motor æternus existit: in minori debemus præcognoscere motum æternum cum motore æterno per se, & essentialiter esse connexum, per regulam primi poste. nõ enim requiritur motum æternum esse cõnexum motori æterno, ut causa, & causatum. Ex quo respondetur ad argumentũ Hugonis, ꝙ non possumus scire ex esse effectus in demõstratione quia, esse causæ, nisi sciamus illã esse causam illius effectus. & negatur hæc maior: quia sufficit scire, ꝙ sit connexa essentialiter, & per se, & non sufficit scire, ꝙ sit causa tantũ illius effectus. Est alia Francisci Dominicani Neritonensis, qui tria dicit: primum ꝙ regressus datur: Secundum quod primus processus, est demõstratio quia tãtum: Tertium ꝙ secundus a causa ad effectum, est tantum syllogismus topicus, & non demonstratiuus: Probat ipse secundum, hoc modo: quia omnis syllogismus est necessarius, demonstratio quia est syllogismus, ergo est syllogismus necessarius, ergo demonstratio. Ista ratio est sophistica, a non causa ad causatum, quia medium non est causa totalis demonstrationis, ideo requiritur primo posteriorum 95. quòd sit necessarius effectus, & proprius & quòd sit notus, quo ad totum, & quo ad causam totalem demonstrationis. quia igitur ratio ista est sophistica, ideo reiicienda est, & ꝙ sic uerum, patet, primo poster. 12. & 13. quòd syllogismus ex terminis probabilibus & ex terminis necessariis uocatur demõstratio accidentalis, & sophistica. Arguit ipse secundò sic, si demonstratio quia, non esset demonstratio, tunc scientia naturalis non esset scientia: contrarium patet primo physicorum primo, & sexto meta. primo, & uigesimotertio. Et probat ipse consequentiam: quia primo phys. secundo, instrumẽtum quo scientia naturalis acquiritur, est demonstratio quia: ergo si demonstratio quia, non esset demonstratio, tunc scientia naturalis, non esset scientia. Sed huius rationis cõclusio est uera, sed ipse arguit ex præmissa falsa, quoniam scientia naturalis, non est scientia a demonstratione quia, qua solum scimus esse ipsius causæ; sed est a demonstratione propter quid, qua scimus res naturales per causam. & ꝙ hoc sit uerum probatur ex dictis Aristo. nam dicit primo physic. ꝙ scientia quæ est finis naturalis negotii, est scientia per causam, & nõ dicit ipse ꝙ sit scientia ex effectu rerum naturalium. Rationes igitur huius sunt falsæ, licet cõclusio sit uera. Probat etiam ipse Franciscus secundum processum a causa ad effectum non esse demonstrationẽ: omnis demonstratio, inquantum syllogismus, est ex notioribus, secundo priorum cap. 17. inquantum uerò demonstratio, primo posteriorum, ista non est ex notioribus; ergo non est demonstratio. Maior patet primo posteriorum: Minorem probat ipse, primo posteriorum. 15. illud, quod est causa notitiæ quia alicuius. est magis notum; sed esse effectus est causa notitiæ esse causæ; ergo esse effectus est maioris notitiæ, quam esse causæ. exẽpli gratia, notitia esse effectus, ut quinque, & notitia esse causæ, ut quatuor: ex isto fundamento ipse probat intentum, ꝙ demonstratio causæ procedit a notitia causæ ad notitiã effectus: sed notitia causæ est minor, quia est ut quatuor, & notitia effectus maior, quia est ut quinq;, ergo in processu tali, proceditur a minus noto ad maius notum: ergo talis processus, nec est demonstratio, nec etiã syllogismus. Arguit secundo sic primo posteriorum tex. com. 12. demonstratio fit ex præmissis necessariis, & primo priorũ primo, syllogismus fit ex præmissis necessariis inferentibus conclusionem: sed præmissæ talis processus non sunt huiusmodi, & probat ex secundo posteriorum cap. 13. de causis, cap. 17. quia si effectus est, causa est necessario, & si causæ sunt, effectus non est necessario: & loquitur de demonstratione propter quid: ergo suæ præmissæ non inferunt necessario conclusionem, nec sunt necessariæ in demonstratione; ergo nec demonstratio, nec syllogismus. Arguit tertio demonstratio non fit ex necessariis ex suppositione, ista est huiusmodi, ergo non est demonstratio. maiorem probat: necessarium ex suppositione est necessarium per aliud, quia supposito alio, scilicet effectu, ut sit necessarium: & per aliud necessarium, est necessarium per accidens; ut patet primo posteriorum trigesimosexto. & hoc non ingreditur demonstrationem, ut patet primo posteriorum quadragesimotertio, & quadragesimoquarto. Minorem probat. ex secundo posteriorum capite decimotertio, ubi clarè dicit Aristot. quòd in demonstratione causæ tantum, non est arguere ex necessario simpliciter a causa ad effectum, nisi ex suppositione, scilicet supponendo causam esse, quia effectus est. Arguit quarto, si demonstratio propter quid, esset demonstratio, & daretur regressus; tunc subiectum posset demonstrari a priori in scientia cuius subiectum est, contra Auerro. primo physicorum ultimo, secundo physicor. 22. 26. secundo de anima 27. & primo posteriorum tex. commen. 20. ubi dicit Auerro. quòd subiectum non demonstratur aliqua specie demonstrationis. Et consequentiam probat ipse, ex primo physicorum sexto, corpus compositum est, ergo corruptibile; ergo materia prima est, qua corpus compositum est corruptibile: ex esse causæ demonstratur esse effectus, qui effectus est subiectum in philosophia naturali. si ergo secundus processus esset demonstratio: subiectum esse, in scientia posset demonstrari a priori, quod omnes inficiantur. Arguit quinto hoc modo: per ipsum effectum ipsa causa facta notior, aut est facta nota per intellectum, aut tantum per sensum: non per intellectum, quia tertio de anima comm. 36. intellectus nihil notum habet sine sensu; ergo

erit

erit facta nota per effectum, & per sensum: sed apud sensum ipse effectus semper est notior: ergo uirtute sensus, causa nunquam fit notior ipso affectu, ut sit medium ad demonstrandum hoc. Quod apud sensum ipse effectus semper sit notior causa probat ipse, ex secundo de anima 63. 64 & 65. substantia est sensata per accidẽs, accidentia uero per se sunt sensata, sed sensatum per se est notius apud sensum quam sensatum per accidens, & ipse effectus est accidens, & causa est substantia, ergo effectus semper erit notior ipsa causa apud sensum. Arguitur sexto pro Francisco, si iste processus a causa ad effectum esset demonstratio, tunc posset notificare propter quid effectus: sed hoc est falsum; ergo non est demonstratio. & quod hoc sit falsum, probat, ut dictum est, quia causa notificãs propter quid debet esse nota, quod sit causa, & quod sit causa effectus; quod non fit, ut dictum est, nisi cognoscitur per substantiam propriam & per definitionem propriam sed demonstratio quia. non potest notificare substantiã propriam, & definitionem propriam causæ, secundo posteriorum cap. 49. & 37. sed solum existentiam, quæ accidens est, notificat: ergo syllogismus causæ ad effectum non potest notificare propter quid effectus. ergo non est demonstratio. Hæ sunt rationes Francisci Nettonensis circa regressum. Verum contra istam opinionem arguitur, ex primo posteriorum 95. & 96. & in epitomate logico cap. de demonstratione, & secundo cœli 35. in quibus locis dicit clare Auer. quod iste secũdus processus est a causa notificata, per esse effectus; & est demonstratio, quæ est una species demonstrationis perfectior, quam demonstratio quia. Et dat rationem secundo cœli 35. & primo posteriorum commen. 95. quæ talis est. omnis syllogismus est ex essentialibus, & per se; & procedit a noto naturaliter, notificans aliquod quæsitum scientificum ignotum naturaliter: omnis talis processus syllogismus demonstratiuus est ex definitione præmissarum demonstratiuarum, & essentialium ex definitione quæsiti, quod est in demonstratione, ergo &c. Minorem probat Auer. ponens causam in terminis, & supponens unum ex secũdo posteriorum primo quod quæsita in demonstratione sunt ignota naturaliter, quæ possibilia sunt necessario sciri per demonstrationẽ & sunt quatuor si est, quid est, quia est, & propter quid est. Secunda ratio: syllogismus ex præmissis essentialibus, est demonstratiuus, & non topicus. sed secundus processus a causa ad effectum procedit a causa per se essentiali: ergo est syllogismus demonstratiuus. ut patet primo poster. 96. in regressu est demõstratio adinuicẽ, quoniam effectus demonstratur per causã, & ecõtra, qui uadit ab effectu ad causam, est demõstratio, & dicit scientiam quia: & qui regreditur a causa ad propter quid effectus, est demonstratio faciẽs scire propter quid tantum. Et primo poster. tex. cõmen. 95. dicit Arist. ꝙ differt scire quia a propter quid: Et Auerro. hoc idem replicat, in commento. 96. quod non solum est hoc in una scientia, sed in diuersis scientiis. Tunc arguo sic, scire propter quid est scire, ergo syllogismus faciens scire, est demonstratio: quia nullus syllogismus facit scire, nisi sit demonstratio, ut patet primo poster, secundo & secundo poster. 92. & 95. Quando non sunt causæ quæ adinuicem monstrantur, sed unum est causa. & reliquum causatum, si a causato proceditur, tunc est demonstratio quia: si uero a causa, est demonstratio propter quid. Et tunc arguo sic, si scientia est rerum naturalium, erit aliquo genere demonstrationis, uel simpliciter, uel quia, uel propter quid tantum, Nun quia, quoniam ipsa demõstratio quia tantum notificat esse, & non simpliciter, quia notificat esse, & causam simul. Restat solum, quod syllogismus iste, qui uadit a causa, ad propter quid effectus necessario, est demonstratio. Respondetur modo ad argumenta Francisci: Et pro solutione, sunt prius duo notanda: primum, quod regressus ille fit demonstratione quia, quando ex esse effectus noto ad esse causæ ignotum proceditur a quo esse causæ notificato, per esse effectus regredimur demonstratione propter quid, & non ad esse effectus, quia illud est notum, & notificatione amplius non indiget, sed ad propter quid effectus, quod est ignotum. Secundũ notandũ: est quod esse causæ notificatum per esse effectus non sufficit ad notificandum propter quid effectus, sed requiritur ut cognoscãtur ipsa causa, & substãtia sua per definitionem, & tunc possumus regredi ad demonstrandum propter quid effectus sufficienter. Et hoc sic probo præsupponẽdo unum, primo posteriorum octauo, ꝙ est causa, & cognita ꝙ sit causa, facit scire propter quid effectus, sed per existentiam cognitam demonstratione quia, cognoscitur tantum esse, sed non quod sit causa; probo hoc, ex secundo posteriorum 33. existentia est accidens rei, non causa non causat accidens, sed substãtiã suam, ergo existentia cognita non facit cognoscere causam inquantum causa est sed definitio sua facit cognoscere substantiam, & definitionem suam: ergo cognitio definitionis facit cognoscere illam inquantum causam. Et pro hoc sciendum est, (& datur hoc exemplum octauo physicorum 45.) ex esse motus eterni inuenitur esse motoris æterni, quia esse motoris æterni non erat sufficiens ad regrediendum ad propter quid motus æterni, & ideo Arist. nunquam regreditur sed notificauit suam substantiam ex definitione motoris æterni, quod scilicet motor æternus est immobilis: impartibilis, & unus, & reliqua posita in notitia quo ad substantiam suam. Quo primo motore notificato per esse motus æterni: & substantia sua per definitionem suam, tanquam a medio sufficienti in tex. commen. 53. Aristo. regreditur ad propter quid motus æterni. Ex his clare soluuntur omnia argumenta Frãcisci Nentonensis. Ad primum argumentum, cum dicitur quod demonstratio causæ debet procedere a notificantibus uerum, sed causa non potest esse aliquo modo notior per effectum, quia per effectum notificatur, & ipsa causa notificans est magis nota. Respondeo modo, ꝙ causa notificata per esse effectus, nunquam est notior esse effectus. sed demonstratio propter quid non facit scire esse effectu, sed uadit ad esse, scilicet propter quid effectus, quod est ignotius ipsa causa notificata per esse ipsius effectus, & per sensum ipsum. Ad secundum argumentum, cum dicitur quod præmissa demõstrationis propter quid causæ, non infert necessario effectum, ergo nec demonstratio, nec syllogismus. Dico quod aliud est dicere, quod esse causæ non infert esse effectus necessario, uerum est, & dicit Aristote. quod in demonstratione propter quid, medium est causa materialis, & efficiens, in locis supradictis, dico quod quantum ad esse, non infert esse necessarium. Do exemplum, edificator est, ergo domus est, non ualet paries est, ergo domus est, in causa materiali non ualet, quia solum causa formalis est illa, cuius esse necessario infert esse effectus, modo in demonstratione propter quid, non fit iste processus, & sic esse causæ non infert esse effectus, & ideo econtrario esse causæ, notificatur per esse effectus, ut ibimet dicit Aristote. Ad tertium argumentum dicitur, quod demõstratio propter quid, procedit ex necessariis ex præsupposito, quia ut dicit Aristote, in locis dictis, non procedit, nisi ex causa notificata esse per effectum per finem suppositum esse, ideo procedit semper a præmissa necessaria ex suppositione finis, & ex suppositione effectus, & per hoc differt a demõstratione quæ procedit ex causa nota per se, & nõ per aliud, & ideo simpliciter demonstratio est perfectior illa, ut postea dicemus. Quando ergo dicitur ꝙ necessariũ ex suppositione est necessarium per aliud, ergo per accidẽs, negatur ista consequentia Quoniam tũc necessarium per aliud, est necessarium per accidens, quando illud non

esse essentiale & per se copulatum cum secúdo priorum, in demonstratione causæ tantum sumatur causa esse, necessariũ per aliud, idest propter finem effectũ suũ per se essentiale, & ideo non per accidens. Ad quartum argumentum. Si demonstratio propter quid esset demonstratio. ergo esse subiecti posset demonstrari, concedo hanc consequentiam. quoniam illud quod communiter habetur pro impossibili, apud me est necessarium: & si hoc non esset. nullum subiectum scientiæ posset sciri: Et suppono unum. secundo poster. 33. ꝙ præcognitio, & quæstio demonstratiua distinguuntur: tunc quæro, ipsum propter quid subiecti, aut præcognoscitur, aut demonstratur: non potest dici ꝙ præcognoscatur: quia ipse Aristo. enumerans præcognitiones primo poster. secundo solum nominat esse subiecti, & quid nominis: propter quid autem non nominauit: ergo propter quid subiecti, est quæsitum demonstrabile de subiecti, non demonstratione quia. & simpliciter, cum ambæ istæ demonstrationes notificent esse: & esse subiecti est præcognitum & non demõstratũ ergo sola demonstratione propter quid, quæ tantum notificat propter quid, & non esse. Secundum argumentũ excerpitur, ex primo poster. 179. ubi Auerro. enumerans quæsita demonstrationis scienda de subiecto dicit, quod passiones, principia & partes, & causę subiecti, sunt propter quid subiecti: Tunc arguo sic. propter quid subiecti est quæsitum inquirendum demonstratione, & non præcognoscendum de subiecto. id autem non demonstratione quia & simpliciter, quia illæ ambæ notificant esse, ergo demonstratione causæ tantum quæ solum propter quid notificat. Et probo hoc per exemplum ex primo physi. primo, subiectum philosophiæ naturalis est res naturalis & rem naturalem esse, est notum ad sensũ, ex primo physicoe. ubi proponens id quod demonstratione uult inquirere de re naturali dicit Aristo. scientiam rerum naturalium per causam propter quid: proposuit, ergo propter quid inquirendum demonstratione de re naturali, de subiecto philosophiæ naturalis. Tunc arguo sic, propter quid rei naturalis, & subiecti in philosophia naturali, inquiritur demonstratione: non demonstratione quia, nec demonstratione simpliciter, quia ambæ notificant esse. ergo demonstratione causę tantum, quę tantum propter quid notificat. secundo physic. 22 clare dicit Auer. quod esse subiecti non demonstratur sed principia. subiecti possunt demonstrari. at principia subiecti sunt propter quid subiecti, ergo propter quid subiecti, potest demonstrari. Addo etiam ꝙ ideo sciẽtia necessaria aliud non inquirit, quia propter quid subiecti probatur finis sciẽtiæ necessario inquiritur a scientia Minor ad latus a te. Præterea probo auctoritate Arist. primo physi. primo, finis totius sciẽtiæ naturalis. est inquirere causam propter quid rei naturalis. Sed dubitabis quia primo poster. tex. comm. 2. tex. com 73 primo physi. cõm. 83. secundo physic com. 22. & 26. primo metaph. com. primo, 12. metaph com. 5. tertio cœli com. 4. secundo de anima 27. 29. impossibile est, ꝙ scientia siue uniuersalis, siue particularis declaret suum subiectum esse. & non demonstrat illud siue per signũ, siue per demonstrationem, sed accipit tanquam notum per se, aut probatum in alia sciẽtia ergo subiectum nõ potest demonstrari contra Auer. Respondetur huic obiectioni, ꝙ Auer. in auctoritatibus istis, nõ dicit ꝙ subiectum nõ possit demonstrari demonstratione propter quid. ego autem dico, ꝙ subiectũ non potest demõstrari quia, & simpliciter, sed bene demonstratione propter quid potest demonstrari. Tertio quæro, quare subiectum non potest demonstrari in scientia? Solet responderi, ab omnibus (ut dicit Zimara in theor.) ꝙ ideo est, hoc quia subiicitur, & supponitur esse. tũc stãte hac respõsione, arguo sic. illa specie demonstrationis non potest demõstrari subiectũ, qua specie demonstrationis demonstratur esse, sed duæ tãtum species demonstrationis declarant esse. s. demonstratio, quia & demonstratio simpliciter ergo saltem demonstratione propter quid potest demonstrari, quia ipsa demonstratio propter quid non declarat esse. uti dictum fuit. Ad quintum argumentum Francisci, si in demonstratione causæ, causa est notior effectu. aut uirtute intellectus tantum, aut uirtute sensus tantum. Respondetur formaliter, ꝙ uirtute intellectus, cum dependentia tamen a sensu: quia primo physi. 5. causa maioris, & prioris notitiæ ad intellectũ, nõ nisi sensu, sed non fit notior esse effectus, quia totam suam notitiam non sumit nisi ab esse effectus, & quãtumcunque augeatur notitia causę: neq; fiet notior notitia effectus propter duo. primo, quia esse effectus est notius ad sẽsũ, quo nihil notius. secundo. quia esse effectus est causa notitiæ, quia causatũ nũq̃ excedit causam. sed bene esse causę notificatũ per esse effectus, fit notius & mediũ sufficiens ad notificandum propter quid esse effectus. Ad sextum argumentum ꝙ causa non potest notificare propter quid effectus, nisi cognoscatur substantia sua, sed esse effectus tãtũ notificat existentiam causæ, & non substantiam, ergo regrediẽdo a causa sua per effectũ. non demonstratur, propter quid effectus, nec erit demonstratio. Dico formaliter ꝙ causa notificata per esse effectus non est sufficiẽs ad faciendum cognoscere propter quid. & ideo non debemus statim regredi ad propter quid effectus, sed debemus prius cognoscere substantiam causæ per definitionem: qua cognita. perfecte possumus demonstrare. & regredi ad propter quid effectus. Alia opinio est quorũdam logicorum nostre tempestatis & dicunt ipsi, ꝙ talis opinio est Græcorum s. Philop. Alex. & Themistii Sed errant impingẽdo hoc Themistio, quoniam ut infra patebit. nõ dicitur ibi ꝙ Themi non est heri a uoti: Sed Philop. d. sic. ꝙ regressus in artibus est possibilis, sed non demonstratiuus. nisi secũdum unam partem tantum & non secundum omnes eius partes quia primus processus ab effectu ad causã non est de modo sed tantum syllogismi: secundus uero processus, a causa ad propter quid effectus, bene est demõstratiuus sed primus processus dicit Philop. ꝙ est syllogismus coniecturalis, seu coniectura. Et pro hoc notãdum est ꝙ coniectura, est arguere ab accidẽtibus ab effectu ad causam. si accidens est cõuertibile cum causa necessaria, sed non demonstratio, ut luna augetur sphærice, ergo est figuræ sphæricæ cõiectura est necessaria ab accidẽti necessario: & non est demonstratio. si uero ab accidenti nõ conuertibili, ut mulier pallet ergo peperit, coniectura est, sed non necessaria. Volunt ergo hi, ꝙ demonstratio quia, nõ sit demõstratio sed coniectura ab accidẽte necessario, & probant per multas rationes ꝙ demonstratio quia nõ sit demonstratio, & nos respondebimus ad singulas illarum. Prima ratio illorum est quia primo physic. 1. scientia nõ per causam. est scientia imperfecta, sed imperfectum tale non est simpliciter tale: ergo scientia non per causam nõ erit scientia, nam demonstratio quia. primo poster. 95. facit scientiam, & non per causam, ergo non est scientia: neque est demõstratio, quia demõstratio est syllogismus faciens scire, ex primo post. Sed respondetur ad argumẽtũ hoc ex doctrina Auer. primo post. 95. ubi Auer respõdet ad Auicennã, ꝙ imperfecta demonstratio. est imperfecta scientia ergo nõ est demonstratio, neq; sciẽtia: Auer. ibi negat consequentiã. & dat causam, quia licet imperfectio remoueatur a uera sciẽtia, & a uera demonstratione quæ est una species, tamen non remouetur a demõstratione et a scientia, in analogato & datur exemplum: accidens est ens imperfectũ respectu substantiæ, & tamen non est imperfectum ens analogice: non igitur ualet consequentia. ita in proposito, demonstratio est scientia non per causã & est imperfecta respectu demõstrõnis simpliciter. & demonstrõnis causæ tantũ, quæ sũt duæ species: ergo imperfecta a genere analogo scientię demõstrationis, negatur cõsequen-

sequentia: quia imperfectio dicitur species perfectionis, non respectu generis analogi. Seconda ratio modernorum, secundo posteriorum. 94. scientia est habitus de re, per id, quod est apud naturam: quod est apud naturam est per causam, ergo sciẽtia est per causam. demõstratio quia non est demonstratio per causam; ergo nec demonstratio est, nec scientiam facit. Respondet Auer. sciẽtia uera quæ acquiritur per demonstrationem simpliciter, est illa, quæ insequitur opus naturæ, & est per causam, & non scientia dicta analogice. Tertio arguunt, secundo poster. 29. si demonstratio per posteriora fit, quę est quia, non habet uim notificandi quicquid est, & dat causam Arist. quia non facit scire esse rei, & ignoto esse, ignoratur quid demonstratur quare non facit scire esse rei; ergo nullo modo scire; & nullo modo est demonstratio, & limitat Auer. in commento, ꝙ posterius in demonstratione quia, non facit scire rem esse uera scientia, quæ est per causam. ergo nõ facit scire rem esse uniuersaliter, & analogice. Et primo poster. Arist. cum definiuit demonstrationem, ꝙ debet esse per causam, subdit. quę uero sine causa est syllogismus & non demonstratio, sed, ut dicit Auer. syllogismus uel persuasiuus, idest rhetoricus, uel apponens, idest sophisticus: & dat causam Arist. quia demõstratio est syllogismus faciens scientiam. quam, in habendo cum. scimus: sed omnis scientia est per causam, ergo quæ est sine causa, est syllogismus, & non demonstratio. Respondet Auer. in commento, & dicit ꝙ non est demonstratio simpliciter de qua loquitur, & quam definiuit Arist. & signum est, quia definiuit scire simpliciter, tex. 8. & definiuit demõstrationem simpliciter: ergo quando dicit, non est demonstratio, dicit ꝙ non est demonstratio simpliciter, & perfectissima, nam Auer. de ista demonstratione loquitur, quæ per medium suum concludit: at medium huius fuit istud. quia non facit scire uerum, quod est per causam, quod est scire uerissimum: ergo concludit non esse demonstrationem simpliciter, quæ uerissima est; sed, ergo non est demonstratio analogice, non ualet consequentia, dicit enim ꝙ est syllogismus in respectu demonstrationis simpliciter, non tamẽ dicit esse syllogismum in respectu demonstrationis analogicæ. causa est, quia adhuc non erat clarum, si dabatur alius sciendi modus, & declarauit in com. 95. ꝙ ultra scire per causam, uult dare Arist. scire quia. ne utatur ergo termino ignoto, & non declarato. utitur Aristo. syllogismi, nomine; sed an sit demonstratiua, uel non, omisit, quia declaratum erat primo posteriorum. 23. ex quo textu sumentur tres rationes. Prima ratio recentiorum sumit unum fundamentum ex primo prior. secũdo cap. ꝙ Arist. utitur terminis ignotis, ut declaret regulas illas esse uniuersales in omnibus materiis. Tunc arguunt moderni: si demonstratio quia, esset demonstratio, ergo circulus demonstratiuus daretur, quem tamen uniuersaliter negant in omni modo demonstrationum: & probatur, quia utitur terminis ignotis in reprobando circulum, modo Arist. utitur terminis ignotis: & illa demonstratio est uniuersalis, in eodem genere, & diuerso genere demonstrationis. Respondetur huic argumento, Aristotelem uniuersaliter reprobare circulum in demonstratione simpliciter, ambobus processibus existentibus simpliciter. non autem in diuerso genere, quia concludit ibi, & alibi ut dicemus. Secunda ratio modernorum, ex eodem tex. supradicto, si contingit demonstrari priora per posteriora, tũc scire simpliciter esset male definitum, à destructione cõsequentis, ad destructionem antecedentis, sed scire simpliciter est bene definitum; ergo non contingit per posteriora demonstrari priora; ergo demonstratio quia, quæ talis est, non est demonstratio. Dico quòd Aristot. arguit contra antiquos dicentes regressum fieri, utroq; processu demonstrationis simpliciter. Hoc supposito cum dicis, ergo si demonstrare priora per posteriora, est scire simpliciter, scire simpliciter est male definitum, quia fuit definitum ꝙ sit per causam priorem. sed ex altera parte tu ponis alteram demonstrationem & aliquod scire simpliciter, posterius in regressu; ergo definitio scire simpliciter, non competit omnibus definitis, & mala est. Dicendum est, quòd non ualet cõtra nos, qui dicimus alterum processum esse, ex posterioribus ad priora, & nõ esse scire simpliciter, sed esse scire quia. Tertia ratio modernorum, ex eodem textu Aristo. priora faciunt scire posteriora eo modo, quo inductio certa. facit notum scire, idest quomodo notificat inductio, eo modo notificat demonstratio quia, ex posterioribus ad priora; sed inductio non facit scire demonstratiue, ergo nec posteriora faciunt scire priora demonstratiue, quæ erit demonstratio quia. Respondet ad hoc Auer. in com. 23. quòd Arist. ibi non intendit dicere, æqualem notitiam facere inductionẽ, & syllogismũ quia: & causa est hæc quia ego similiter arguerem inductio nõ syllogizat ergo nec syllogismus syllogizat, quod tamen falsum est: sed illud dicit, gratia exempli, ad notificandum illud, demonstratio quia ex posteriori uadit ad prius, sic inductio uadit à parte ad totum, & pars est posterior toto: modo exempla non uerificant quod intendimus nos, quo ad omnia. Quarto secundo priorum. 17. assignans Arist. modus petitionis principii, quoniam nõ solum destruit demonstrationem, sed syllogismum, dicit quòd unus est modus petitionis, ut quando per posteriora notificamus priora, ut facit demonstratio quia, cum petitione principii: ergo non est demonstratio. probatur ex definitione petitionis principii; petere est non demonstrare propositum, idest non notificare illud: quod proponimus in intentione nostra notificare; demonstratio quia petit in principio, ergo non notificat propositum: ergo non est demonstratio. Respondetur, quòd petitio in principio est duplex: quædam in genere, & in communitate dicta, idest apparens petitio, & non existens in ueritate, ut patet octauo topicorum penultimo, de petitione principii Auerro. sic habet, definitio demonstrat passionem de subiecto, apparet petitio, sed non existit: apparet utique, quia uidetur definitio esse eadem cum definito, & non aliquid diuersum, ideo uidetur idem per idem demonstrare, & petere principium, quia idem notificat seipsum, sed non ita sit: quia hæc est demonstratio simpliciter, in qua non existit petitio: quia primo physicorum quinto, definitio re differt à definito, cum ista sit notum & sub altera definitione ignotum, & ideo nota, & ignota sine petitione uera notificari possunt. Alia est petitio, existens petitio, quę destruit demonstrationem & syllogismum, ut notum, per ignotum, & æque notum, per æque notum, & æque ignotum, per æque ignotum; isti tres modi sunt ueræ petitiones in principio, quia uere non demonstrant propositum. Tunc stante hac distinctione. respondetur formaliter ad argumentum, quòd quando posteriora demonstrant priora, petitur in principio: non intendit uere, quæ destruit demonstrationem & syllogismum: quia primo posteriorum. 96. inuenit aliquid posterius notius, & aliquod prius ignotum, sine petitione principii. Quinto arguunt moderni: si daretur scire quia, & demonstratio quia, in primo posteriorum, ubi Aristot. loquitur de demonstratione id dixisset: sed tantum dedit definitionem de scire per causam, ergo non datur in libro posteriorum aliud scire, & alia demonstratio: nam id dicetur, in primo posteriorum quod proponitur in principio. Respondetur ad hoc argumentum, ut dicit Arist. in hoc libro posteriorum quòd ipse est sequutus ordinem nobilitatis, & non ordinem secundum notius, uel secundum necessitatem, sed ordinem secundũ nobilius, quia incepit à specie nobiliori ipsius demõstrationi, idest à scire simpliciter: & non sequutus est ordinem necessitatis, uel secundum notiua: quia secundum

necessitatem, uel secundum notius esset incipiendum à re uniuersali analogata. Hoc igitur stante, respondeo formaliter ad argumentum quod ideo sequutus est Aristo. ordinem nobilitatis, quia uoluit speciem nobiliorem demonstrationis tractare, & primo proposuit principaliter intentum, & nobilius. Alia responsio est, quòd intentio præponenda in principio debet esse clara, & non obscura: si est clara, præponitur clara: si obscura, obscura: quia ergo esse genera scientiæ, & demonstrationis quia, nō erat clarum, ideo non proposuit hanc intentionem, sed sub dubio, & conditione declaranda. Et dicit Aristo. in tex. Si aliud genus scientiæ demonstrationis sit, posterius dicetur, ecce quod sub conditione proposuit, quia non erat clarum. Replicant moderni contra hanc secundam responsionem, & dicunt, si proposuit sub cōditione, tractauit postea in illo loco, nec tamen ibi definiuit demonstrationem quia. Respondetur ad hoc, quod in multis locis libri posteriorum id dicit Arist. sed principium sermonis de demonstratione quia, patet in tex. commen. 95. ubi non solum probat talem scientiam dari, sed ipsam definiuit, & dedit definitionem à scientia causæ. Adhuc quærunt moderni, si Aristo. primo posteriorum, dedit conditiones præmissarum demonstrationis simpliciter, quare non dedit conditiones præmissarum demonstrationis quia: ergo apparet quòd demonstratio quia, non sit demonstratio. Respondetur ad hanc interrogationem, quòd conditiones præmissarum demonstrationis quia sunt illæmet demonstrationis causæ: differunt tamen in hoc, quia demonstratio causæ tantum, addit aliquas conditiones. quæ nō conueniunt demonstrationi quia, scilicet quòd sit per causam priorem in esse, & ideo simul tractando conditiones demonstrationis simpliciter, tractauit etiam de conditionibus præmissarum demonstrationis quia, studens breuitati, secundo posterior. 92. & primo metaph. omnia scientia, &c. Sexto arguunt moderni, omnis scientia perfecta, & uera, est per causam, primo de anima undecimo; accidentia magnam partem conferunt ad cognoscendū quod quid est, si ergo magnam partem, tunc non totam notitiam scientificam, sed effectricem tantum, & topicam. Respondetur ad hoc argumentum quòd, ad sciendum definitionem, duo requiruntur; primo quòd insit, & secundo quod per se insit definito, ut prædicatum in quid. accidentia solum notificant, quòd insit, quod quidem est magna pars, quia difficilius scitur: dicit ergo magnam partem, non quia, non facit scire esse, & quòd insit, quæ ambo sunt tota cognitio definitionis. Septimo arguunt quidam hoc modo, primo posteriorum. 8. scire simpliciter uolo definire dicit Aristot. & non scire sophisticum; ergo scire per accidens, quod est demonstratio quia, est scire sophisticum, & ut secundo de anima tertio, æquiuocè tale, quia analogum, uel uniuocum, quod est sophisticum, est scibile. Respondetur ex Auer. quarto metaph. secundo, non uniuersaliter scire, per accidens, est scire sophisticum: uult dicere Auer. quòd una species scientiæ est scientia simpliciter, & uera; altera sophistica, quę syllogismo sophistico acquiritur. & est æquiuocè scientia: & altera quæ per accidens acquiritur, & per posterius, demonstratione quia. & non æquiuocè, sed secundum posterius, scientia secundum posterius est analoga, nam quæ per posterius, & per prius dicuntur, analoga sunt, quarto meta. secundo, quod dictum Auer. est uerum, sed non ad propositum. nam Arist. non dicit duo esse diuersa, scire, scilicet sophisticum, & per accidens, & nō uult dicere sophisticum, siue per accidens disiunctiuè, sed sophisticum quod est, per accidens. Clarior ideo datur responsio, quod per accidens est duplex, scilicet per accidens proprium, & per accidens per se, & ista est demonstratio quia, primo posteriorum. 95. secundò per accidens datur commune, & non proprium. & hac distinctione stante, dicitur, quòd scire per accidens dixerunt sophisticum, illud, scilicet quod est per accidens commune. & non intellexit Arist. de per accidens essentiali, & per se. nam recitat Auer. primo poste. 94. & 95 quod si Auicenna arguit quoniam dicit Aristot. in tex. {neque, si per se est scientia in demonstratione quia, neque si non per se. non facit scientiam} quod demonstratio quia fit ex accidente per se, ergo non facit scientiam, ergo non est demonstratio. Respondet Auer. quod quando Arist. dicit accidens per se, idest demonstrationem quia, non facere scientiam intendit tunc scientiam ueram, quæ fit per causam, & non scientiam analogam. & probat hoc esse uerum ex Arist. nam dicit quod accidēa per se. non facit scientiam & hæc uera est per causam per se, qualis non est accidens, ergo excludit à scientia uera, quæ per causam, & non a scientia analoga. Octauo arguūt moderni, ex Themistio secundo posteriorum. 32. nullum incommodum sequitur, si causa cum effectu retorquetur, idest si causa effectum inferat, & effectus causam. & dat causam, quia non eodem modo inuicem se demonstrant, sed diuersi; si effectus causam demonstrat est tantum syllogismus, & non demonstratio uocatur, si causa effectum, tunc est demonstratio simpliciter. Tunc arguūt moderni, si effectus demonstrat causam, est syllogismus tantum: demonstratio quia, est ab effectu. ergo non est demonstratio. Et subdit Themistius non plures causæ, non plura media. nisi per accidens, concludunt. Respondetur ad hoc, ut dicit Auer. ad Arist. primo poster. 9. quod demonstratio quia, est syllogismus tantum, in respectu demonstrationis simpliciter, & perfectæ, non autem respectu demonstrationis analogicæ, in communi. Sed demonstratio quia, est imperfecta species respectu demonstrationis simpliciter non autem respectu demonstrationis in communi: & signum huius est, quia Themistius in eodem cap. uocat eam demonstrationem ut sic, demonstrationem quia. unde & demōstrationem causæ, uocat syllogismum causæ. Præterea arguitur primo poster. 6 dicit Themistius. sensu non scientia habetur non demonstratio, quia nō facit scire causam rei, sed rem tantum: demonstratio quia præponitur sensui, & facit scire rem esse, & non causam: ergo non demonstratio: ergo non facit scientiam. Respondetur quod nō facit scientiam simpliciter perfectam, quæ est per causam. tamen scientiā aliquo modo modo analogicè dicit. Sed adhuc arguunt, Themist. primo phys. quarto, dicit quod syllogismus faciens scientiam debet habere mediū. causam essendi, & cognoscendi, quæ sit, & differat à reliquis syllogismis, qui ex falsis uerum inferunt ut rhetorici plurimum, & syllogismi qui arguunt ex signis, ut sunt demōstrationes quia. Tunc sic arguunt moderni demonstratio quia ex signis est, ergo non est demonstratio. Pro solutione notandum, ut diximus in primo poste. 23. aliud est quod est euidens, & aliud quod est certum: euidens est, quod est magis sensatum, & magis notum: inductio est euidentior syllogismo, quia est ex particularibus magis sensatis, & magis nota. certum uero est illud, quod per medium, & causam essendi certiorem: & hoc modo syllogismus est certior inductione, quia a causa, & a toto ad partem procedit, inductio uero a parte ad totum, quæ non est, pars totius. Quo stante, dico quòd est probatio euidens, demonstratio ab effectu ad causam: euidens enim quia ab effectu, magis sensato & magis noto: non certo tamen, quia non est causa essendi, ad differentiam demonstrationis causæ tantum, quæ non est ita euidens, quia non procedit ab iis sensatis, & notis. quòd ergo demonstratio sit certior, quæ est ex causa, hoc dictum, non excludit demonstrationem quia, nec probat non esse analogam respectu demonstrationis in communi, sed nō est ita certa, sicut demonstratio quæ est per causam. Vltimo arguitur ab his ex Themistio, primo posteriorum cap. 29. ab effectu ad causam argumentari fidem facit scien-

tiæ:

tiæ: at faciens fidem, syllogismus topicus est, & non demonstratio. Respondetur clare, quod in primo de anima commen. quinto, fides est duplex, quædam est cum formatione quæ est ex præmissis probabilibus quæ possunt inferre uerum, & non uerum, ista enim est topica fides, syllogismus faciens eam topicus. ex primo post. cap. penultimo. & quædam est fides necessaria, & impossibilis aliter se habere quia a loco dicto ex præmissis necessariis, impossibile est aliter esse, & ista est demonstratiua scientia. & syllogismus faciens eam, est demonstratio, hoc stante dicitur quod demonstratio quia, ab effectu conuertibili ad causam, facit fidem, & demonstrationem necessariam, quia primo poster. 95. præmissæ eius demonstrationis, sunt necessariæ. Verum præter hæc adhuc ratio est Auicennæ, ut refert Auer. primo poster. 95. & in quarto posterio. 6. Auicenna enim supponit sibi duo fundamenta, & primum est, quod omnes demonstrationis præmissæ, debent esse essentiales, idest per se propriæ, & conclusiones, & necessariæ, istud fundamentum Aristote. & Auerro. concedunt in primo posterio. 53. 54. quod omni speciei demonstrationis cõmune est, ut præmissæ, & quæsita sint essentialia: & plus dico, quod præmissæ demonstrationis non solũ debent esse essentiales, sed notæ quod sint essentiales: & propter hoc fundamentum necessariũ præmissæ inferunt iunctim, inquantum sunt notæ, quia ignotum nihil infert, secundo priorum cap. 17. quod est petitio principii, sed inferunt inquantum sunt essentiales, ergo debent esse notæ, inquantum essentiales, & hoc dicebat Aristo. primo poster. 8. quod oportet scire causam, & quod illius est causa: similiter oportet scire præmissas essentiales, & quod sint essentiales. Secundum fundamentum Auicennæ, est hoc, quod præmissæ demonstrationis quia, non possunt cognosci uere quod sint essentiales nisi cognoscatur causa, propter quã sint essentiales. & hoc patet exemplo nam demonstratio quia est, ut omne risibile est rationale, omnis homo est risibilis, ergo omnis homo est rationalis. demonstratio ab esse effectus, scilicet risibili. & ab esse causæ scilicet rationali. & pro hoc notandum est unum, quod ibi notat, quod demonstratio, quæ procedit ab effectu ad causã, est duplex, scilicet quædam simpliciter, & quædam composita. simpliciter, est, quæ habet existentiam simplicis effectus ad existentiam simplicis causæ, ut motus æternus est, ergo motor æternus est. hæc demonstratio, est demonstratio dicta simpliciter, quia ex esse existentiæ simplici, inferimus existentiam causæ entitatis simplicis. composita est de exemplo dato. & est, quia ex esse accidentis, seu effectus compositi, ipsi subiecto inferimus, inesse ipsam causam subiecto, quod est in esse composito, & ideo demonstratio quia, composita est, quia infert esse compositum. Dicit ergo Auicenna, præmissam demonstrationis quia, esse compositam, ut omne risibile est rationale, omnis homo est risibilis, ergo omnis homo est rationalis, per fundamenta ergo dicta. minor debet esse essentialis, & debet esse nota, quod sit essentialis; at non potest cognosci quod sit essentialis, nisi cognoscamus causam propter quam est essẽtialis, scilicet rationale. & probat hoc Auicenna ex post prædicamentis, cap. de priori ubi habetur quod uera cognitio est, quando, quæ in mente, sunt extra mentem: si non, est falsa. Tunc arguit Auicen. sic, extra mentem risibile essentialiter, proprie conuenit ipsi homini per rationale, causam, & non per aliud: ergo si non scitur uere quod sit essentialis, & ideo per illam causam cognitam; cognitio essentialis est falsa: quia cognosceretur esse essentialis, non per causam. & ideo per aliud ab eo quod est essentiale. Diceret aliquis ad Auicennam, cognoscitur inductione sensata, inductione facta in omnibus hominibus ad sensum, & istam iudicamus esse ueram, & essentialẽ in demonstratione, sine cognitione causæ. Arguit contra hanc euasionem Auicenna. inductione est cognoscere omnem cignum esse album, & omnem coruum esse nigrum, & tamen cognitæ non sunt essentiales, nec notæ essentiales, nec præmissæ demonstrationis: ergo inductio non sufficit ad notitiam essentialem præmissarum essentialium. nec aliquis nutritus in æthiopia, qui non uidit hominem album, inductione in omnibus, istam uniuersalẽ cognoscit, omnis homo est niger, quæ uniuersalis, nec essentialis est, neque demonstratiua, ergo patet præmissam demonstratiuam essentialẽ, & cognitam essentialẽ, non posse haberi per inductionem, sed solum per cognitionem causæ: per quam est essentialis. Ex hoc fundamento, arguit Auicenna, ergo syllogismus ab effectu ad causam, uel erit ratio rhetorica, & sic non erit demonstratiua; uel erit demonstratio circularis, idem per idem monstrans de eodem, & sic non erit demonstratio, sed inutilis, & uulgaris ratio: primo posterio. 27. & sic nulla est demonstratio. Quòd hoc sequatur, probat ipse, ista præmissa omnis homo est risibilis uel quælibet præmissa demonstrationis aut est nota quòd sit essentialis, uel non est nota: si nota est nota, ergo non est demonstratio, sed ratio rhetorica, uel poetica, uel topica, quia per primum fundamentum, omnis demonstratio, est ex essentialibus & notis essentialibus, & istæ præmissæ (per te) non sunt notæ essentiales, ergo non est demonstratio: Si uerò dicas, quòd est notum tibi, quòd sit essentiale: non cognoscitur, autem risibile esse essentiale homini, non cognita causa, scilicet rationale; per quod est risibile: ergo demonstratio circularis eiusdem per idem, est uulgaris ratio, & non demonstratio. Probat ipse consequentiam, in minori, tu cognoscis risibile inesse homini quia rationale, in conclusione; uis probare hoc, scilicet rationale inesse homini; ergo in præmissa minori, tu accepisti id quod uis probare in conclusione. ergo uera petitio in principio, nec syllogismus, nec demonstratio. Pro solutione notat unum Auer. quòd accidentia propria quæ faciunt præmissas demonstrationis quia, sunt duobus modis: quædam sunt in quorum definitione ponitur subiectum, ut homo est risibilis, in definitione risibilis ponitur homo: quædam uerò sunt, in quorum definitione, non ponitur subiectum, sed genus subiecti, ut impar, & par in numero, in definitione quorum non ponitur subiectum, sed genus, ut numerus est par, uel impar. Dices, quare in definitione, non ponuntur propria subiecto. in definitione paris, non ponitur numerus par, & in definitione imparis non ponitur numerus impar, quæ sunt subiecta propria? Respõdet Aue. quòd non ponuntur subiecta propria, quia sunt nomina ignota, nomen enim subiecti paris, uel imparis, non habetur, & dicit Auer. quod ignoto nomine nil potest sciri, quia primo posterior. & secundo post. 9. definitio nominis est principium omnis cognitionis, ut dicit etiam Themistius, sine qua quis frustra fert aditum ad scholas. Quæritur secundo cur ponitur genus subiecti? Respondet Auerro. & pro solutione sunt duo notanda: primum, quòd apud artem nullum scibile debet remanere ignoratum, & omne quod potest sciri, debet sciri in arte, secundum quòd par, & impar, & similes passiones, sunt prædicata scibilia de aliquo subiecto, & non de proprio, quia nomen ignotum est, ergo oportet tribuere alieno subiecto, de quo melius possunt sciri: sed nullum subiectum melius, & nullum subiectum proximus est, de quo sciantur ista prædicata sufficienter? quare genus est proximum; ergo id quod debet poni in definitione earum, ad hoc ut sciantur, erit genus proximum. Quæritur ab Auer. an habeamus regulam ad cognoscendum accidentia, quæ insunt ipsis subiectis necessario? Pro solutione, respondetur quòd proprie dicta accidentia, & propriè inesse subiectis, non possunt cognosci per inductionem sensatam. probatur auctoritate Aristotelis facta inductione sensata, cognosco oẽm

con[illegible]m nigrum, & omnem cignum album. & tamen nõ cognosco propriè necessariò inesse, ut si esset aliquis nutritus in aethiopia, inductione sensata cognoscit, & tamen non necessariò cognoscit naturam propriè, quia potest mutari ab ista cognitione statim, aspiciendo hominem album. & probro, quia inductio non habet uim inferendi necessariò, ergo nec facere cognoscere conclusionem suã esse necessariam, & propriam. Ex quo unum infertur, quòd cum praemissae demõstrationis quia, sint istae in quibus cognoscitur accidens inesse subiecto. & inesse necessario, merito per inductionem praemissae demonstrationis quia, cognosci nequeunt. Sed dices, Aristo. contradicit huic primo poster. 96. dans regulam ad cognoscendum praemissas demonstrationis quia, dicit enim, cognosci sensu, uel inductione sensata; ergo illi contradicit: Similiter in secundo posterio. ultimo, & primo metaph. primo, & primo poster. 194. premissae demonstrationis simpliciter, inductione sensata non cognoscuntur, quae tamen sunt necessariae; & notae necessariae. ergo inductio est sufficiens ad sciendum praemissas necessarias, & cognoscere quòd sint necessariae. Ad hoc respondet Auer. uno uerbo, & uos clarè dicatis praemissas demonstrationis quia, & praemissas demonstrationis simpliciter, cognosci sensu, & inductione: & intendit quòd sint uniuersaliter uerae, & non quòd sint necessariae: nam quòd sint necessariae, ut dicemus & quod accidens insit subiecto necessario non potest cognosci, nisi per regulam, secundum materias per se, & per regulas necessarias. secundo potest cognosci accidens inesse subiecto necessariò, cognoscendo illud inesse per causam suam necessariam, ut cognoscendo risibilitatem inesse homini necessario per rationale, quod est causa necessaria. tunc dicimus quòd nec praemissae demonstrationis quia, nec praemissae demonstrationis simpliciter, cognoscuntur hoc modo: non praemissae demonstrationis quia; tunc enim peterent principium, ut dicebat Auicenna, quia ut sunt in conclusione. causam petit scitam in praemissa: nec in demonstratione simpliciter, quia praemissae demonstrationis simpliciter, sunt notae naturaliter. ideo dicimus, quòd scitur accidẽs inesse necessario ipsi subiecto necessariò, & est conclusio demonstrationis propter quid, uel simpliciter. patet hoc definitione illarum, nihil enim nonsificant, nisi praedictum accidens inesse subiecto per causam suam. tertio potest sciri accidens inesse subiecto necessariò per regulam secundi modi dicendi per se. Pro quo notate quòd ex Auer. septimo metaph. commen. 17. accidens proprium ingreditur demonstrationem, & definitur per subiectum, per propriam definitionem, quae definitio propria necessaria est, inseparabilis. Quo stante, respondet Auer. quòd accidens inesse subiecto in praemissa demonstrationis quia, cognoscitur inesse necessariò, & propriè inesse. & essentialiter inesse: & non per inductionem, quia non habet istam uim. non per causam, quia praemissae demonstrationis sic etiam cognoscuntur, sed per regulam secundi modi dicendi per se, hoc modo, postquàm inductione sensata cognoui accidens inesse subiecto uniuersaliter, non cognoui propriè. & essentialiter inesse, sed per regulam secundi modi, retentam in modo, acquiro hoc & cognosco, quòd essentialis est ipsi subiecto, ut homo ponitur in definitione risibilitatis, ut praedicatum quod erat in praemissa, ergo in secundo modo dicendi per se propriè & essentialiter, quia ponitur ut definitio, & definitio est propria & essentialis, cuius est definitio. Quaeres ab Auerroe, ex hac ergo cognitione quòd accidẽs insit essentialiter subiecto inuenimus in definitione poni subiectum: sed accidentia in quorum definitione non ponitur subiectum, sed genus subiecti, possumus ne cognoscere per illam regulam, quòd propriè, & essentialiter conueniat? Respondet Auer. primo poster. 36. & in quaesito tertio logicali, quòd ista regula data in accidentibus similibus, in quorum definitione ponitur subiectum non ualet ad cognoscendum praedicata essentialia opposita quia in definitione ponitur genus subiecti propriorum probat Auer. ista regula, in illis sufficiebat. quia subiectũ ponebatur ut definitio, & definitio erat essentialis, & propria: ista non sufficit hic, quia genus non est definitio propria, & essentialis illarum; posito numero, non necessariò ponitur par, sed requiruntur tres conditiones. prima ut cognoscat ista duo accidentia, quae insunt generi, esse opposita, ut cognoscat par, uel impar opposita esse. secunda cõditio, ut cognoscat illa inesse illi generi subiecto eo modo quo insunt opposita in postpraedicamentis cap. de oppositis quae non insunt coniunctiuè, sed insunt diuisiuè. dico opposita simul in uno supposito esse impossibile copulatiuè, sed disiunctiuè, unum post aliud, est possibile, oportet ergo cognosci, quòd insunt disiunctiuè. Tertia conditio, oportet cognoscere, quòd sit illi generi subiectum, & quòd essentialiter per se contra diuidatur in oppositũ, ut numerus per se, & essentialiter diuiditur in par, & impar. Quibus conditionibus seruatis, tu cognoscis sine inductione, & sine causa, in demonstratione quia, quòd illa accidẽtia necessariò per se insunt suis subiectis. Per quam regulam in postpraedicamentis, in cap. de oppositis, contraria in quae per se diuiditur genus subiecti, necessariò cum disiunctione insunt ipsi generi; rationale, & irrationale sunt, ut contraria essentialiter, in quae per se diuiditur genus, simul cũ disiunctione necessariò, & sunt in animali. sed par, & impar sunt opposita essentialia in quae numerus essentialiter diuiditur, ergo insunt necessariò, cum disiunctione necessaria, ex regulis duabus datis. Respondit Auer. ad argumentum Auicennae, quòd praemissae demonstrationis quia, in qua accidens inest subiecto, ut risibile homini, debet esse nota necessariò, & per inductionẽ; & hoc non propter rationem dictam, quia neque per ipsam causam. per rem dictam. Dicis ergo nullo modo potest cognosci necessariò? nego consequentiam, quia dimittis tertium modum o Auicenna, nam accidentia in quorum definitione ponitur subiectum cognoscam per regulam secundi modi per se, ut ponitur in definitione sua & est definitio essentialis, in quorum uerò definitione ponitur genus subiecti, per aliam regulã, genus enim subiecti essentialiter diuiditur in ista duo praedicata & ista ideo disiunctim, necessariò sibi insunt, per regulam istam: quando duo opposita in uno necessariò disiunctiuè insunt alterum eorum necessario inest. at in quorum definitione ponitur genus subiecti, ea cognoscuntur per aliam regulam. Respondet Auer. alio modo reuertendo ad idem: pro quo nota unum, quòd subiectum est causa accidentis remota, & non immediata, & prima, ut homo est causa risibilitatis remota, & nõ immediata, & prima, quia risibile inest ei, per aliam causam, idest per suam definitionem, scilicet per rationale. alia est causa accidentium, prima, & immediata, scilicet definitio definitiua subiecti. tunc respondet Auer. ad argumentum Auicen. limitando rationem eius. omnis praemissa necessaria cognoscitur necessariò per causam si tu intendis de causa prima, & immediata, tunc dico quòd erit falsa, quia stat risibile inesse causam. si non intendis o Auicenna de causa in communi tunc uerum est, nam non possumus cognoscere risibile essentialiter inesse homini, nisi cognoscã hominem esse per subiectum proprium, & definitionẽ propriam risibilitatis. Nunc contra opinionem modernorum arguere intendimus, ex dictis Auerro. & arguit Auerroes, & oppositum huius opinionis habet ipse hic, & locis aliis, & primo physi. in prooemio, primo poster. octauo & 95. & in quaesito logicali quinto, & sexto, & secundo coeli trigesimo quinto. & in epit. de demonstratione, ubi clarè ponit demonstrationem esse analogam ad demõstrationem quia, & demonstrationem causae cõtra Auicennã, in quae-

sito

libro quinto, & sexto, in secundo de anima 35. & arguit in his locis ad istam opinionem, & primo ex dictis Aristotelis primo physicorum secundo, ubi uiam toti philosophiæ naturali, uel saltem ad cognoscendum principia dixit, innatam esse à notioribus nobis, idest a compositis, & effectibus, & accidentibus, ad ignota nobis, & naturæ nota, & quæ sunt causæ, quę est demonstratio quia. & primo posteriorum 96. secundo de anima 55. quærens uiam ad definitionem animæ, dicit, ab effectibus, & ab operationibus procedendum, quæ est demonstratio quia. & in septimo metaph. decimo, eligit uiam illi doctrinæ, & dicit esse eandem. Tunc arguit Auerroes, scientia nõ eligit nisi instrumentum proprium sibi, aliter erraret. sed istæ tres artes dictę eligunt sibi demonstrationem quia: ergo instrumentum proprium est, scitus finis est scientia demonstratiua. Arguit secundo Auerroes, principia demonstrationis propter quid, sunt scita: ergo demonstratio quia, est demonstratio. probatur consequentia, nam primo physicorum secundo, principia rerum naturalium prima sunt medium in demonstratione propter quid, & non sunt scita nisi per effectum, & demonstratione quia ergo demonstratio quia, facit scientiam, quia effectus demonstrationis quia est scientia principiorum. Arguit tertio Auerro. & est argumentum Arist primo poste. 95. & 96. Ego arguo ab esse effectus, scilicet conuertibilis ad esse causæ, scilicet materiam propriam: a noto nobis, ad ignotum naturaliter: a proprio, necessario, & conuertibili ad proprium necessarium, & conuertibile. iste modus arguendi est aliqua species syllogismorum. est ne rhetoricus syllogismus, sophisticus, an poeticus? Nec diceret ne ipsi esse poeticum. ergo uel topicus, uel demonstratiuus. non topicus, ergo demonstratiuus. & quòd non sit topicus probatur. Prima ratio. si topicus de eo in lib. topicorum tractaret: at in hoc libro posteriorum 53. de ipso syllogismo, definitionem propriam dat, ut dicemus. ergo 29. Secunda probatio, primo topicorum, primo, præmissæ topicę sunt in uniuersali opinatæ, omnibus philosophis, & sapientibus. istæ demonstrationes quia, non sũt huiusmodi sed sunt notæ uniuersaliter ueræ, quia sunt necessariæ, per regulas demonstrationis: ergo non præmissæ topicæ, ergo non syllogismus topicus. Tertia probatio, primo posteriorum cap. penultimo, præmissæ topicæ contingentes, & si necessariæ sint. non tamen sunt notæ ut necessariæ notæ, sed ut sunt contingentis ueritatis, additur minor, pręmissæ demonstrationis quia, sunt necessariæ, & propriæ, & notæ, quòd sint necessarię, & quod sint propriæ, per regulam secundi modi per se: ergo non est syllogismus topicus: Arguit præterea Auerroes. Sunt quædam principia scientię, quę non habent principia priora, ut materia prima, & reliqua. quæ non habent causam priorem. & hæc sunt ignota esse naturaliter, quia insensata sunt. Tunc arguit demonstratiue, secundo poster. primo, quia est quęsitum demonstratiuum terminabile per demonstrationem: quæro a te qua demonstratione terminatur? non causæ, & propter quid, quia habet causam priorem; & ambę hæ procedunt ex causa. ergo necessario per aliquod posterius demonstrabitur. & ista est demonstratio quia. Vlterius & est ratio Ar. in primo post. 95. 96 scientia, & demonstratio, quæ idem sunt, sicut finis, & instrumentum, uno modo habetur per causam mediatam; alio modo, non per causam, sed per effectum immediatum, & conuertibilem, notiorem ipsa conclusione, uel ipsa causa. Tunc arguo omnis syllogismus qui procedit ex immediato, & conuertibili, et notiori ad ignotum immediatum, & conuertibile, est demonstratio: quia nulla species syllogismi procedit ex immediatis, & conuertibilibus, nisi demonstratio. sed effectum accidit aliquando esse immediatum, conuertibilem, & notiorem causa; ergo ex medio tali, fit unus modus scientię, qui uocatur scire quia, & demonstratio quia: & ideo concludit in tex. quare hæc erit ea demonstratio. Ex illo met textu arguit sexto physi. 27. ad 34. ars non quærit cõparationem nisi inter ea quę analogè talia, & non æquiuocè: æquiuocum enim non comparatur, nec definitionem exigit, sed excluditur ab arte, primo coeli t 10. addatur minor, sed primo post. 95. docet definitionem & comparationem scire quia, ad scire propter quid demonstrationis: ergo non æquiuocum est sed uniuocum, uel analogum. & ideo in eodem loco dicit eadem scientia sciri quia, & propter quid, & demõstrari quia, & propter quid Tunc arguo sic, instrumentum quo utitur scientia est demonstratio & habitus demonstratiuus quo utitur eadem scientia, est habitus scientificus acquisitus demõstratione quia. scientia nullo instrumento utitur: nisi demonstratione: ergo scientia quia, & demonstratio quia. Ait etiam in eodem loco commen. 98. effectus non reciprocatur cum causa sed a causa processus est propter quid demonstratio: ab effectu, est demonstratio quia, idest notificans esse. Item dicit primo poster. 178. & 177. quòd certior scientia, est scientia propter quid, quam scientia quia. & exponunt Auer. & Themistius, quòd scientia quia quæ acquiritur ex effectu posteriori, est demonstratio quia. ex quo dicto patet, demonstrationem quia, scientiã esse. Item secundo poster. 25. Aristote. excludit in principio cap. si causa, et effectus reciprocè se monstrant ad inuicem ex effectu. ergo causam demõstrare possumus per effectũ quæ est demonstratio quia. Item in septimo metaph. 10. disciplina acquiritur uia ex posterioribus quæ est demonstratio quia; sed disciplina primo post. primo, & sexto ethi. quarto scientia est, & per demonstrationem acquisita, ergo uia ex posterioribus qua acquiritur scientia, est demonstratio quia. Prętereà idem ego ad mentem Themistii probabo. Dicit ipse secundo post. cap. 18. & 20. & 49. quòd cum syllogismus aliquis notificat duo quæsita, scilicet esse, & propter quid. potissima, & perfectissimã est demonstratio: si uerò ex signo, & consequenti, idest ex alieno accidenti, & effectu, qui necessariò sequitur naturam causæ, quam uolumus demonstrare; ualet ad demonstrandum esse causæ, quæ quæritur demonstrari. Quo stãte, arguitur, syllogismus ualens ad demonstrandum, & faciendum scire nobis, quod uolumus, est demonstratio: sed demonstratio, quia, ex signo & accidentibus conuertibilibus, & consequentibus causam, ualet ad demonstrandum esse causę, & quod uolumus, ergo demonstratio quia, est demonstratio. Ex isto loco sumitur alia ratio syllogismus qui demonstrat quæsitum scientificum. est demonstratio: syllogismus ex accidenti proprio, id est qui terminat esse simpliciter causæ, dat, quæsitum scientificum, ut ibi dicit Themistius ergo demonstratio est, ipsa demonstratio quia. Simile huic dicit Themistius primo phys. tertio, si ex prioribus, demonstratio propria, si uero ex posterioribus est demonstratio, non propria quidem sicut prima species, sed sufficiens ad demonstrandum id quod uolumus. Ex quo sumitur secunda ratio. syllogismus sufficiens ad sciendum & demonstrandum, quod uolumus, scilicet esse causæ est demonstratiuus syllogismus, ut patet primo poster. cap. septimo. talis est demonstratio propria, si medium erit medium tantum causæ cognoscendi, idest notificans esse, & non propter quid esse. ergo est demonstratio. Item capite uigesimo septimo, in fine cap. & in principio 18 eadem scientia utraque demonstratione utitur, cur sit. quæ per causam: et an sit, quæ per effectum. Eadem fere uerba habentur primo posterio. capite. uigesimo nono, & secundo posterio. capite decimo. Et si obiicias Philoponum contra nos sententem. De Philopono non curamus. Sed respondetur cum Arist. & Auer. contra istos, quòd demonstratio in communi est demonstratio analoga ad tres spe/

ciei ipsius demonstrationis in communi. Restat modo ut uideamus an detur circulus.

Secundum caput in quo uera narratur opinio secundum Arist. & Auer.

TOta quaestio de demonstratione circulari procedit ex hoc fundamento, ut sciamus primo quot sint species demonstrationis: Et secundo quae sint conditiones: Tertio quae sint definitiones communes earum: Et quarto quae conditiones propriae earum. Pro declaratione ergo quaesiti, primo quaeritur, quot sint species demonstrationis in communi analogicae, & non aequiuocae, quia aequiuocum excluditur, & reiicitur ab arte, & non quaerendum in arte: Dico autem hoc, propter demonstrationem ex causa remota, quae primo poster. tex. com. 99. non est demonstratio nisi per accidens & aequiuoce demonstratio, & tantum nomen demonstratiuum, & nõ definitionem participans Notandum est, quòd primo post. 53. & 54. conditio communis omni demonstrationi est habere medium essentiale, & conuertibile, qua conditione caret demonstratio ex causa remota ut paries non est animal, quia non respirat: uel, non respirat, quia non est animal: ex causa remota est, & medio non conuertibili: ideo non habet dictam conditionem essentialem demonstrationis, sed tantum nomen; & ideo est aequiuoce demonstratio. Secundo hoc dicimus, ad excludendum demonstrationem ex effectu non conuertibili, quę tantum nomen demonstrationis participat, & ideo aequiuocè demonstratio, & potius, ut dicit Themistius, primo poste. quarto, & Auer. primo reth. tertio coniecturae rethoricae demonstrationis aequiuocae, solo nomine gaudent. Si quaeras ergo, quot sint species analogicae demonstrationis, idest de quibus demonstratio dicitur analogicè, idest de quibus demõstratio non solum secundum nomen, sed secundum definitionem praedicatur, (hoc enim est analogum ut patet quarto metaph. secundo) quae sit sufficientem numerum specierum demonstrationis: respondetur quòd sunt duae regulae ad cognoscendum numerum aliquarum rerum: una a priori, altera à posteriori. a priori uerò, quot sunt definitiones propriae alicuius tertior sunt species propriè illius rei, & causa est quia sunt idem subiecto, & idem numero, quae se inuicem ponunt, & se inuicem corrumpuntur à posteriori uerò idest à fine proprio. Sed quaeres tu, quae sunt definitiones demonstrationis ad numerum, & quae est summa specierum demõstrationis? Respondet Auer. in primo post. secundo, ubi dicit tot esse definitiones demonstrationis quot sunt pręmissę propriae uniuscuiusq; syllogismi, causa est, quia 7. metaph. 17. in accidentibus differentia propria est materia propria: praemissae syllogismi sunt materia propria; ergo sunt differentię propriae. unde regula est quot sunt species praemissarum demonstrationis, tot sunt species demonstrationis. & causa est, quia quot sunt species differentiarum propriarum, tot etiam sunt species specierum propriarũ demonstrationis: Hac regula ad numerum habendum demonstrationum, & pręmissarum usus est Arist. primo topicorum primo, & primo priorum primo, & Auer primo poster. 17. & primo thee. tertio & secundo elench. secundo ubi Arist. & Auer. sunt argumentati hoc modo. Quinque sunt species praemissarum syllogismi, ergo quinque sunt syllogismi. Hac regula uenatur species demõstrationis Auer. primo phys. in prooemio, & in cap septimo primi post. secundo coeli, 35. & primo post. 37. & 95. & 96. in epit. log. cap. de demonstratione, & in quaesito de demonstratione, ubi dicit quòd tres sunt species praemissarum demonstrationis, ergo tres sunt demonstrationes analogicae, consequentia est probata, antecedens probatur in locis dictis, & maxime primo poster. 95. & secundo coeli 35. sumit primo Auer. quòd praemissa demonstrationis est illa quę est annexa essentialiter conclusioni, & essentialiter idest de omni, per se, & inquantum ipsum necessarium conclusionis, primo poster. 53. 54. & 59. conditio essentialis omni demonstrationi ut termini non solum in pręmissis, sed in conclusionibus sint de omni, per se, & inquantum ipsum, Secunda conditio est ad praemissas demonstratiuas in communi, non solum, quòd pręmissae sint necessariae, & essentiales sed oportet quòd sint notę, quòd sint essentiales, & quòd sint necessariae: quia primo post. cap. penultimo, per hęc differt à topica praemissa, quod non est necessaria, uel si est necessaria nõ est cognita, quod sit necessaria, idest scientia habitu necessariò uera, sed opinio primo top. primo: quę quidem opinio sexto ethi. quarto non est habitus necessarius, sed possibilis est esse uerus, & possibilis est esse falsus: praemissa uerò demonstratiua primo poster. 17. debet esse nota necessario, idest ut exponit Auer. nota, quòd impossibilis sit aliter se habere, quam cognosci. Tertia conditio communis pręmissae demonstratiuae quam habet syllogismus (primo priorum primo) ut sit notior naturaliter, idest nobis notior conclusione, secundo priorum 17. cap. fit petitio in principio & hoc stante Auer. locis dictis probat antecedens: praemissa demonstratiua in communi debet esse necessaria, & nota necessaria, & notior conclusione nobis naturaliter: tunc sic, uel est nota nobis naturaliter, idest sensata, uel incognita naturaliter, quia posterior in esse, & sic una species demonstrationis, quia primo post. 95. quae procedit ex effectu notiori nobis idest sensato, & ignoto naturae, primo phy si. secundo, idest poste. in esse. Si uerò pręmissa nota nobis quia sensata, nota necessaria quia prior in esse, sic est secunda species, quae est demonstratio simpliciter dicta, primo post. 12. cuius praemissae sunt priores, & notiores nobis, & naturae. Si uerò pręmissae notae naturae, quia priores in esse; ignotae nobis, quia non sunt sensatae, sicut causę naturales sunt, primo phy. secundo & tertio, erit duplex species demonstrationis dicta causae tantum, & propter quid. Dices tu, datur ne aliquis modus demonstrationis, qui erit iste, praemissae posteriores, & ignotiores nobis, & naturę, qui est quartus modus uariandi? Dicatur ad hoc, hunc modum non esse possibilem, quia repugnat syllogismo, primo priorum, & secundo priorum 17. qui debet esse ex notioribus nobis necessario. Si autem repugnat syllogismo, ergo demonstrationi. Secundo quia repugnat ipsi demonstrationi, primo post primo. omnis doctrina, & disciplina fit ex praeexistenti cognitione, ergo ex notis nobis, non ergo datur modus quartus, qui sit ex posterioribus, & ignotioribus nobis. Est alia regula uenandi species demonstrationis a fine proprio. Quęritur modo, quis est finis proprius demonstrationis? Respondetur quod res quaesita, idest quaesitum, quod quaeritur sciri, & postea scitur. & quot sunt species scitorum, & quaesitorum, tot etiam sunt demonstrationum à fine proprio. Quaeres tu, quot sunt quaesita? Respondetur secundo poster. primo. quatuor sunt, si est quid est, quia est, & propter quid est? Dices tu, ubi Aue. ex modo quaesitorum uenatur species demonstrationis? Respondetur quòd secundo coeli 35. & in epitom. de demonstratione, & primo phys. 2. & supponit prius unum ipse Auer. quod quaesita demonstrationis debent esse latentiora, & ignota naturaliter, secundo poster. primo, & debent esse necessaria, & cõuertibilia cum praemissis, ex primo poster. 33. Tunc arguit Auer. uel quaesita ignota latentiora pręmissis sunt, & sic erit esse causae prioris latentius esse effectus, & ista est demõstratio quia, uel quęsitum non erit esse causę prioris, sed erit effectus posterius et propter quid effectus, latentius esse causae prioris; & ista est demonstratio simpliciter, cuius quaesitum est propter quid effectus, uel quęsitum erit propter quid tantũ,

et effectus

& effectus latentior esse causæ demonstrato per esse effectus, & ista est demonstratio propter quid, cuius quæsitū est propter quid tantum effectus. & nullum quæsitū præter hæc est aliud. patet ergo ex numero quęsitorum, & finium demonstrationis, tantum tres esse species demonstrationis, sicut patuit ex numero præmissarum. Dices tu, quæsitum quid, aliud est à prædictis, ergo dabitur alia species demonstrationis à pędictis. Respondetur ad hoc, ex secundo poster. 10. 17. 41. 42. quòd quæsitum quid potest demonstrari dupliciter, primo ut quid, secundo ut prędicatum inhærens necessariò, & per se. ut quid, sola definitio notificat: & loci topici, & definitiones; & non demonstratio ut prædicatum inhærens necessariò, uenatur demonstrationem simpliciter. & hoc dicit Auer. primo poster. & secundo poster. 41. quod demonstratio simpliciter est perfecta, quia ista sola facit acquirere quid definitionis. Dices tu, est quęsitum quia, ultra quæsitum si est, & esse; ergo danda est alia species demonstrationis à tribus, quæ notificat hoc quæsitum quia. Pro solutione notandum, dicitur secundo post. primo. quòd quia est, & si est, sunt unum quæsitum, quia ambo notificant esse. & ambo sunt quæsita esse; & solū differunt sic, quia quęsitū si est quæsitum est simplex. & quia est, est quæsitum cōpositum; & ideo dicitur quòd ambo sunt quæsitum unū, & faciunt unam demōstrationis speciem, & solam habēt differentiam quia unum facit demonstrationem simplicem & aliud compositum. Quæres iste numerus specierum, est Arist. an non? Dicitur quòd iste numerus specierum, est Arist. in tribus locis, primo post. tex. comme. 22. demonstratio quæ facit scire simpliciter. & ideo demonstratio simpliciter, habet duas conditiones, prima ut medium sit causa, & notum nobis, & natura; secunda ut sit sensatum, & propinquum sensibus, idest prius, & notius nobis, notificans esse & propter quid effectus: & hæc est demonstratio simpliciter, quam dicit Auer. de qua tractat à principio tex. octaui usque ad 95. ubi incipit dare duas species demonstrationis, & dicit, quod est una species scire, & demonstrationis cuius medium est posterius in esse idest effectus conuertibilis, & notius nobis, notificans tātum: ista est demonstratio quia, quam uocat Auer. & est differens à prima. nam prima habet medium notum naturę, & nobis, & prius in esse. secunda uerò species habet medium posterius, in esse & notum nobis. In eodem met cap. ipse ponit tertiam speciem demonstrationis, scilicet propter quid tantum, idest datur scientia, & demōstratio propter quid tantum faciens scire, & non quia, cuius medium est causa notificata, ab esse effectus demōstrationis quia; & ista est demonstratio propter quid, quam dicit Auer. esse diuersam à primo: diuersa quidem est, in fine, nam prima notificat esse, & causam: ista uerò notificat tantum causam, & non esse. & differt etiam in medio, quoniam medium primæ dicit notum naturæ, & nobis, quia est sensatum: in hac tertia specie autem, dicit notum naturæ tantum, quia est prius in esse, sed ignotum nobis notificatum per esse effectus, demonstratione quia, & in secundo poster. cap. 25. clare dicit, si causa est conuertibilis cum effectu contingit demonstrari adinuicem, id est causa demonstratur esse & propter quid effectus. & subdit in eodem cap. si uerò causa non conuertitur adinuicē; si ab effectu, est demostratio quia: si uerò à causa, est demostratio propter quid. ex quo patet, dari tres species demonstrationis differentes inter se, nam prima procedit ex causa conuertibili notificante esse, & causam esse. secunda procedit ex causa conuertibili notificante tantum propter quid, & non esse. sumitur tertia ex secundo poste. 12. & 17. ubi dicit Ar. quod si causa cognita cum effectu posita, ponitur esse & futura, futurū esse, est demonstratio simpliciter, notificans esse, & causam. & subdit Arist. in 23. si uero causa non conuertibilis, non fit syllogismus prior à causa, sed fit ab effectu, ex esse effectus ista secūda demonstratio differt à prima, quia in prima, causa conuertibilis est, & simul genita. in secunda uerò, est causa non conuertibilis, & non simul genita: prima etiam infert esse, & propter quid, secunda uero propter quid tantum. Ex quibus tribus locis patet clare apud Ari. dari tres species demonstrationis specie distinctas, ex numero quæsitorum, sicut dicit Auer. Dices tu, demonstratio in cōmuni ad illas tres species quomodo se habet? Respondetur ex primo post. 95. & quæsito sexto posteriorist ico, quòd dicitur analogicè & non uniuoce, nec æquiuoce, quia habet nomen, & definitionem demonstrationis: quæ sunt huiusmodi, non sunt æquiuoca, ut patet quarto metaph. secundo. & ut probatum est, non sunt uniuoca, sed analoga. Prima ratio est ista quia perfecto, & imperfecto nihil est commune uniuocum, sed analogum: sed demonstratio causæ est perfecta, primo phys. primo, & primo post. 21. quoniam est perfectior illa quę est ab effectu, scilicet demonstratio quia: ergo demōstratio in communi est analoga ad demonstrationem quia, & causæ tantum, & ideo dicit contra Auicennam ipse Auer. primo post. 95 licet certior, & perfectior sit demonstratio simpliciter, & causa tātum, non propter hoc demonstratio quia, excluditur à genere non uniuoco; quia perfectum, & imperfectum non habent genus uniuocum: ergo meritò à genere analogo, non est excludenda. & in epit. de demonstratore, & in quæsito tertio, probat hoc Auer. de intentio, & hæc est eius ratio. illud quod prius dicitur de uno, & posterius de reliquo, est analogum, ut quarto metaph. secundo patet: sed demonstratio in commnuni dicitur prius de demonstratione simpliciter. & secundo de aliis; ergo est analogum: Maior est Arist. Minor, scilicet quod demonstratio simpliciter sit prior demonstratione causæ tantum, et demonstratione quia probatur primo poster. commento. 30. duobus modis. primo, id quod habet omnes conditiones demonstrationis est principaliter demonstratio & prior illis demonstrationibus quæ non habent omnes cōditiones, sed sunt demonstrationes quatenus participant conditiones illius: sed demonstratio causæ tantum, & demonstratio quia. sunt huiusmodi, quia non habent conditiones illas, quas habet demonstratio simpliciter. primo enim demonstratio quia non est ex causa, demonstratio simpliciter est ex causa. secundo demonstratio quia tantum esse, demonstratio simpliciter esse, & propter quid notificat. tertio demonstratio causæ tantum. habet mediū notū naturæ, non nobis, demonstratio simpliciter habet medium notum naturæ, & nobis. quarto, demonstratio propter quid tantum, causam tantum notificat; sed demonstratio simpliciter notificat causam, & esse: ergo demonstratio simpliciter est prior duabus aliis, quia habet omnes conditiones. Auer. etiam in comm. eodem, dat alias differentias inter species demonstrationis; & dicit, quod illa demonstratio est prior, cuius præmissa est causa immediata, idest omnino sensata, & per se, nullo modo scita per aliud: sed demonstratio simpliciter habet hoc medium, primo poster. 12 & nota nobis, quia sensata, & naturæ quia prior in esse: ergo omnino per se scita, ergo nullo modo per aliud, nec apud naturam, nec apud nos. Demonstratio autem causæ tantum, est immediata apud naturam, quia non habet causam priorem, sed habet mediatum apud nos, quia habet effectū priorem, & notiorem nobis; & ideo non omnino scita est per se, sed per sensum, & per aliud notius nobis notū, quia effectus sensatus. ergo notior apud nos. sed hic non immediatus est apud naturam, quia habet causam priorem. Ex hoc supposito arguit Auer. & dicit cuius medium est omnino scitum, & omnino immediatum, illud tale est simpliciter prius, sed demonstratio simpliciter habetur medium huiusmodi, ergo est prior aliis. Quæres tu, nunc, quid sunt

hæ species demonstrationis? Respondetur, per regulam posterioristicam quòd ad declarandum quodlibet, oportet primo declarare rationem eius, secundo esse rei & definitionem. primo tamen definitionem nominis, quia secundo post. 9. definitio quid nominis est principium omnis cognitionis, sine qua frustra quis uadit ad scholas, ut etiam dicit Themist. cap. 9. ad declarandum ergo tres species demonstrationis, primo declarabimus nomina, incipiendo à demonstratione quia, non quia sit nobilior, sed quia est notior aliis duabus.

De demonstratione quia.

PRimum nomen demonstrationis quia, primo physicorum secundo, uocatur uia innata nobis naturalis, pro quo notandum est tertio de anima tertio, quòd natura dedit, ut res imaginata, & sensata sit principium cognitionis nostræ, sine qua intellectus nil intelligit, primo posteriorum 33. 34. & ideo quod est magis sensatum, est prius intellectum. Quo stante, datur causa nominis demonstrationis quia, quod est uia innata, idest naturalis, quia quæ non sciuntur naturaliter, sunt illa quæ procedunt ex effectibus, & accidẽtibus, quæ quia sunt sensata, sunt notiora nobis uia naturali & talis uia dicitur innata primo posteriorum. 95. & secundo posteriorum cap. 25. uocatur etiam demonstratio à non causa. Pro quo notandum est, quòd solet Arist. uocare res artificiales ex duobus: primo à fine, ut patet secundo de anima 49. quia a fine unumquodq; denominatur: secundo ab actu, & forma, & differentia, ut patet octauo metaph. septimo, quia a quo habet esse, ab eo habet denominari; ab actu differentia habet esse, ergo ab actu ipsa differentia habet nomen. Logici ergo propter hanc duplicem regulam, nunc denominarunt demonstrationem a fine, & nunc ab effectu, & a differentia earum. Quæres etiam, quæ est differentia demonstrationum? Respondetur quòd est medium quod uirtute, & forma, est tota demonstratio: Finis demõstrationum est quæsitum, quod scire quærimus & scimus. Quo stante patent omnes causæ denominationis. Vocatur etiam in locis dictis, demõstratio ex non causa, quia ut patet ibidem, medium est effectus, ergo non causa: nominatione facta, a differentia, necessariò propria in eisdem locis dictis. Vocatur etiam demonstratio quia, ex nominatione facta a fine, quia quæsitũ quod finaliter facit, & finaliter intendit monstrare, est quæsitum quia, secundo post. cap. 13. Nominatur etiam syllogismus a posteriori nominatione facta a medio, quod est effectus primo phys. in proœmio, & ab Auer. comm. secundo & 24. & primo post. cap. 26. & Them. & alii uocarunt demonstrationem signi pro quo habetur secundo priorum 87. quia signũ est illud quo posito res est, futura erit, & posita fuit, quod signum est duplex, conuertibile, & necessarium, & facit demonstrationem quia. non conuertibile, & necessarium & facit coniecturam topicam, uel poeticam, primo post. quarto, secundum Themistium. Nominatur ergo demonstratio signi, nominatione facta a medio, quia in demonstratione quia, est effectus, uel accidens: effectus est signum necessariũ esse causæ, primo post. 95. & ab Auer. Vocatur demonstratio essendi tantũ, nominatione facta a fine, quia tantum notificat quæsitum hoc, scilicet esse causæ, a Them. primo post. 27. 29. 24. & secundo poste. tertio. Dicitur etiam demonstratio, an sit, nominatione facta a fine, quia finaliter hoc demonstrat, scilicet an res, & an causa sit, & non aliud, primo poster. 7. secundum Them. Vocatur etiam demonstratio ad demõstrandum nõ simpliciter, nominatione facta a medio, quia medium primo phys. secundo est effectus nobis notus tantum, & simpliciter, idest natura. Vltimo primo poster. 95. & in epit. de demonstratione, & a Themistio primo poste. 29. uocatur demonstratio euidentiæ, & dat causam Themistius cap. 29. Pro quo notandum est ex secundo priorum 23. quod euidens est illud, quod est sensatum, & notum: & certum est illud, quod scitur. primo poster. 179. quòd certior scientia est illa quæ est per causam. quam illa quæ est sine causa: inductio cum ex sensatis pluribus fit est euidens, sed non certa, quia non est per causam: syllogismus uerò est certior, quia per causam fit, sed non est ita euidens quia per uniuersale inuenimus sensatum particulare. Hoc stante, dicitur modo, quòd dicitur demonstratio euidentiæ, a medio, quod est effectus, & accidens sensatum, & non certum, quia non per causam. Quæres tu quæ est definitio demonstrationis quia? Respondetur, quòd habetur a Themistio in locis dictis, primo posteriorum tex. 27. & 29. & 43. secundo poste. tertio, & ab Auer. primo physic. in proœmio, & commen. secundo, & secundo cœli 35. & primo de anima 10. & primo posteriorum 95. 96. & 97. & in quæsito tertio posterioristico, & in fine epit. capitulo de demonstratione: primo topicorum 4. definitio habet duas partes scilicet genus. & differentiam; genus demonstrationis quia, est demonstratio analoga, primo posteriorum 95. quæ nomine. & definitione prædicatur de demõstratione quia ut fuit declaratum supra. Quæritur etiam, quam differentiam assignauit Arist. inter instrumenta sciendi? Respondetur quòd Arist. assignauit differẽtiam unam a priori, & alteram a posteriori, semper a posteriori, & a priori medio. quod est causa demonstrationis principalis a posteriori, & a fine, & opere proprio a re quæsita, & scita per illa. quare si dentur completè conditiones horum duorum, & medii sui, & quæsiti, erit completè edocta definitio demonstrationis quia. Primo assignabimus conditiones medii, ex primo phys. secundo, & primo poster. 12. Notum est dupliciter, scilicet nobis, & natura. & notum nobis primo poste. 12. magis proprium sensatum, & magis prius notum nobis, quia ut Auer. in quinta disputatione in solutione dubii 21. tertio de anima 30. res sensata causa est omnis nostræ intellectionis sine qua intellectus nihil intelligit, & tertio de anima 20. & primo post. 34. & ideo quod prius magis sensatum est prius magis intellectum: quia quod prius, & magis in causa, necessariò est prius, & magis in effectu necessario. ista ergo cognitio, seu uia ad cognoscendum hoc, a primis sensatis, dicitur primo phys. secundo innata, idest naturalis: innata, scilicet a natura producta, quia natura dedit hunc ordinem nobis, ut intellectus non intelligat nisi illud quod sensus sentit, & quod prius, & magis sensus sẽsit, prius, & magis intellectus intelligit, et uocatur secũdo de anima tex. comm. 20. & 29. & tertio de anima 36. cognitio prima, qua primo intenditur ab intellectu, quę primo sensata: & cognitio primorum principiorum, quæ est intellectus in habitu, dicitur eẽ prima intellectio. quia prima sensatio. & uocatur naturalis, quia tertio de anima 38. & cap. 18. Themistius ait, natura sponte uenit, & etiã si nolumus cognoscuntur a nobis, quia primo sensata, primo intenta sine nostra uoluntate. dicitur nobis nota, primo physi. secundo 2. poster. 12. & dicitur nota natura, quia natura eam appropriauit nobis, & intellectui nostro intelligenda, & nulli alii intellectui, quod est proprium intellectus nostri. unde potest dici, quòd est nobis datum, unde regula generalis, & propria, & per se, & inquantũ ipsum. Si quæris quid est primo cognitum nobis? si uis respondere per causam propriam, dicito quod est prius sensatum: Quęres tu. ratio propria primi cogniti quæ est? Dic esse, primo sensatum, & magis sensatum. Sed quæritur quid est prius, & magis cognitum, subiectum, an accidens, an causa, an effectus? Respondet Auerro. primo de anima 10. & Aristote. primo poster. secundo, quòd non potest dari respõsio certa, quia in artibus natura ista differenter se habent, nam in mathematica causę sunt notiores

tiores nobis, quia sunt magis sensatæ: in naturali uerò scientia, effectus sunt notiores nobis, quia sunt magis sensati. Non ergo potest dari alia ratio certa, nisi istud dictum, quòd de omnibus istis, istud est magis notũ, & prius notum. quod est prius sensatum: aliud est notum, & prius natura, non quòd natura cognoscat, sed a nobis cognoscentibus res ipsas. iuxta Arist. quoniam habentur apud naturam. Ex quo regula habetur septimo metaph. 10. & primo poster. 11. quòd naturæ, idest nobis cognoscentibus secundum naturam, id magis, & prius notum, quod est prius in esse, quia apud naturam, priora in esse sunt magis entia, & prius nominata apud naturam. sed prius in esse sunt causæ, & ideo magis entia. ista uia docendi, & cognoscendi non uocatur uia naturæ, nec nobis, quia natura non dedit hunc ordinem cognoscendi proprium nobis, ut magis entia & perfectiora entia apud naturam intendantur: sed est uia, & modus cognoscendi datus propriè intelligentiis. ideo in quinta disputa. in solutione primi dubii. intelligentiæ in intelligendo sequuntur ordinem naturæ in rebus, & in iis causæ, quæ magis priora entia, prius intenduntur. & dat causam 12. metaph. quia non res sensata, est causa scientiæ illarum; sed scientia illarum est causa eius. non ergo materialium hæc cognitio est, sed cognitio intelligentiarum: ideo non innata est, & non naturalis, quia natura non dedit eam nobis, sed est acquisita artificialis: ars enim est, quæ docet rem non posse cognoscere, nisi per causam. & ideo prius causa cognoscenda dicitur secunda cognitione, & non prima, quia ut plurimum causæ sunt ignotæ, & cognoscuntur per effectum seruatis aliquot conditionibus, prima ut per id quod est notius, per sensum, uel per inductionem sensatam. unde ut declarat Auer. primo priorum primo, syllogismus fit ex positis, idest concessis præ notis, ne fiat petitio in principio, secundo priorum 17. quæ nullo modo euitatur, nisi medium sit notius naturaliter, quia si non esset notius naturaliter ipso quæsito demonstrando, non erit demonstratio: & propter hoc secundo physico. tertio ex esse motus non potest demonstrari naturam esse, quia licet motus sit aliqualiter euidentior, tamen non est notior uniuersaliter: ideo erit, ratio topica manifestans, non demonstrans. Secunda conditio ut medium sit non causa, sed effectus, ut dicit Auer. in ultimo epit. ad differentiam demonstrationis simpliciter, a qua non differt, nisi per hanc conditionem. nam medium in ista est de omni, & per se, & necessarium, sic in demonstratione simpliciter, in hoc tamen differunt, quia hic est effectus, & ibi dicitur esse causa. Tertia conditio, ut effectus sit immediatus suæ causę, idest inter quæsitum, & suam causam, nullus effectus cadat: ut differat ab alia specie demonstrationis quia; primo posterio. 96. in qua medium est causa remota & mediata, quæ est demonstratio quia, per accidens, & æquiuoce demonstratio, quia a causa remota, & mediata; ut paries non respirat, quia non est animal. Quarta conditio, ut effectus sit conuertibilis, & æquè prædicans (æqualiter autem prædicari, & conuerti, est prædicatum esse æquale subiecto in significãdo) ad differentiam aliquorum effectuum, uel accidentium, quæ insunt immediate ipsi causæ, sed non sunt conuertibiles: ideo faciunt coniecturam rhetoricam, & non demonstrationem. Quinta conditio ut effectus sit per se, & non per accidens, idest aliquo modo dicendi per se, uel primo uel secundo, quòd prædicatum in definitione sit subiecti, uel subiectum in definitione prædicati, quod est huiusmodi, ad differentiam eius quod est per accidens. Pro quo est notandum, ut dicit Auerr. primo poster. commen. 77. contra Themist. unum accidens proprium demonstrare aliud, & conuertibiliter, ista demonstratio est conuersa per accidens, & æquiuocè, quia constat ex prædicatis per accidens, & non per se, unum enim proprium non ponitur in definitione alterius, nec econuerso, ideo non est per se prædicatio, sed per accidens, ideo non demonstratio, sed per accidens demonstratio. Quæritur hic demonstratio quia, propriè dicta, quot modis capitur? Respondet Auer. in sexto quæsito, quòd capitur duobus modis, scilicet quædam est simplex, & quædam est composita, sicut quæsitum quia, est duplex, scilicet simplex, & compositum. Simplex est existentia causæ. Compositum est existentia causæ proprio causato. Exemplum primi, generatio est, ergo materia prima est: hæc est demonstratio quia, simplex; quia solum monstrat existentiam simplicem, scilicet materiam primam. Exemplum secundi, quod habet generationem est existens, compositum naturale habet generationem, ergo est existens: ista demonstratio quia composita, quia demonstrat existentiam, non solum ipsius materiæ, sed etiam existentiam in subiecto proprio, scilicet re naturali, quæ existentia est esse rei compositæ cum subiecto.

De demonstratione propter quid.

SEcunda species demonstrationis est demonstratio causæ: Circa quam duo erunt declaranda: primo nomina declarabuntur: Secũdo definitio propria illius assignabitur. Et notandum quòd Arist. primo poster. 95. & secundo post. 25. & Auer. in suo quæsito, & in epit. cap. de demon. & 2. cœli 35. & primo phys. in procemio. nominatur prima demonstratio causæ tantum, nominatione facta a fine proprio, quia quęsitum quod finaliter notificat, est tantum causa propter quid est effectus, & nõ esse effectus &c. Nominatur etiam demonstratio dãs causam. 8. phys. 53. i. quæ notificat tantum causam, & non esse effectus, quoniã sunt tres posteriores &c. Præterea a The. 27 29. & 43. primi post. uocatur demonstratio cur sit; & quã ob rem sit; & unde nam sit; & nominatur nominatione facta fine, quia solum notificat cur est res; & quam ob causam est res, unde nam, idest a qua causa est res; & una conditio est in 8. phys. in locis dictis. Sed quare uocatur demonstratio causæ, & in pluribus aliis uocatur demonstratio simpliciter causæ? Solutio. Possunt comparari istę duæ inter se, & cum demonstratione quia: nam comparatæ ad demõstrationem quia, possunt ambæ uocari causę, quia ambæ sunt ex causa: & sic Auer. comparando ad demõstrationem quia, ambas uocat demõstrationes causę. alio modo comparantur inter se, & sic ista dicitur causa, illa uerò esse, & causæ. Hæc ergo cum definitur. demonstratio, est loco generis, & analoga, primo poster. 93. in qua medium notificat quęsitum, & est causa, primo post. 95. ad differentiam demonstrationis quia, quæ notificat esse causæ conuertibilis quia primo post. 53. esse conuertibilem præmissam cum conclusione, & omnes terminos per se, est conditio communis omnibus tribus speciebus demonstrationis in communi. Nota, quod medium huius demonstrationis notum est, aliquando prima notitia, aliquando secunda notitia, in epit. de demonstrat. in fine. prima notitia est, quæ habetur uel sensu, uel inductione sẽsata; secunda uerò, quæ habetur per syllogismum. causa ergo quòd sit aliquando est notum sensum, & inductione sensata, ideo prima notitia dicitur; aliquando syllogismo, quando scilicet est ignota naturaliter & syllogismo habet demonstrari, & notificari, quoniã notificata syllogismo, erit notior propter quid effectus. Quæres, illud ad cuius differentiam ponitur? Dico, quòd ponitur ad differẽtiam demonstrationis simpliciter, in qua primo poster. 12. mediũ simpliciter debet esse notũ. prima notitia .i. sensu, uel inductione, & nunquam ignotum. ex syllogismo autem notificatur, primo post. 12. cũ necessario in demonstratione simpliciter, primo nota natura, quia ponit in esse; & no

ta nobis, quia sensata. Quęres etiam de exemplum, ad cognoscendum diuersitatem, quando unum est notum prima notitia, & alterum sit ignotum, sed syllogismo notificatur: Exemplum primi, esse illuminationis hodiernę est notum ad sensum, & solū est ignotum propter quid, istud propter quid, non potest demonstrari nisi demonstratione causæ tantum; quia ista est, quę notificat propter quid solum. & non nisi ex causa sua, idest ex præsētia solis: Sol ergo pręsens est causa propter quid illuminationis hodiernæ: Sol præsens medium in hac demonstratione propter quid est notū prima notitia & nō syllogismo: prima quidem notitia quia apud sensum patet, uel inductione sēsata. Exemplū secundi; generationem esse, est notū, & non quæritur esse, sed propter quid: quare demōstratur demōstratione causæ tātum, ex causa sua propria. i. materia prima, hoc modo; materia est, ergo generatio est, hæc est cā, propter quam generatio est medium in hac demonstratione, demonstratione quia præcedenti. Ex quo soluitur aliquorum utrorum argumentum hoc modo, destruens demonstrationem propter quid, ex primo priorum cap. primo, & secundo priorum cad. 17. quia omnes syllogismi sunt ex notioribus: quomodo ergo demonstratio propter quid procedit ex causa quæ est ignota esse? & si ignota est causa, non poterit notificare, ergo non solum non est demonstratio, sed nec etiam syllogismus. Solutio huius argumenti patet ex dictis, quoniam medium demonstrationis propter quid est ignotum, & notificatur demōstratione quia: & factum est notius propter quid effectus ignotum ad demonstrandum: cuius demonstrationis propter quid, quæsitum est propter quid effectus solū, & nō esse effectus, primo poster. 65. in tex. & secundo post. cap. 25. demonstratio ista solum notificat propter quid, & nō quia effectus: causa est, quia secundo post. primo, scita notificanda per demonstrationem, debent esse ignota naturaliter, modo effectus non est ignotum naturaliter, sed solum propter effectus est quæsitum, & ignotū naturaliter: ergo solum propter quid effectus notificatur per ipsum, & non esse effectus; ut differat ab utraque demonstratione causæ, & simpliciter: & a demonstratione quidē quia, quoniam in ea quæsitum non est notificatum: a propter quid autem & quia, quoniam in hac simpliciter, utrunque notificatur.

De demonstratione potissima, seu simpliciter.

TErtia species demonstrationis in communi est demonstratio simpliciter. Et circa hanc, primo declarantur nomina uaria illius, more solito: Et secundo definitio eius explicabitur. Hæc ergo primo poste. 95. & secundo cœli 35. & primo phys. in prologo. & comm. secundo & in epit. de demonstratione, & primo poste. 96. uocatur demōstratio simpliciter, & dicunt quidam exponendo simpliciter, idest uniuersaliter, quia omne quæsitum absoluit uniuersale quod haberi potest, scilicet esse, & propter quid, omne. n. quod sciri potest de re. est quæsitū esse, & causæ. simpliciter a fine suo primo post. 8. quia scientia simpliciter, hac demonstratione acquiritur ab hoc fine simpliciter demōstrato. Sed Auer. aliter exponit, quare ista scientia dicatur simpliciter, & dat unam causam, in dicto, idest de demonstratione. pro qua notandum est, q primo elenchorum cap. de fallacia, simpliciter dicitur, quòd sine conditione temporis, uel loci, uel subiecti est tale, ut simpliciter album, omni loco, omni tempore, respectu uniuscuiusque albi sine aliqua conditione particulari temporis, loci, uel subiecti. Vnde oppositum eius est, secundum quid, idest cum conditione particulari tali: ut æthiops est albus, non simpliciter, sed cum conditione particulari subiecti. scilicet secundum dentes, ergo albus non simpliciter sine conditione, sed respectu æthiopis. Secundo notandum est q Auer. in comm. de definitione termini dicit q signum particulare analogū, est illud quod absolutè, & sine conditione est, & nominatur tale ex secundo metaph. 1. substātia prima pars entis dicitur, & est ens absolutè, sine aliqua conditione. alia est species analogi, et non simpliciter absolutè. & dicitur analogum cum conditione in loco dicto: & alia species uniuersalis, & non simpliciter, sed cum conditione entis. Ex quo dat causam Auer. quòd demonstratio simpliciter, uocatur simpliciter, a fine suo, qui dicitur simpliciter, quia prima pars sciētiæ, est prima pars demonstrationis analogata, & ideo simpliciter, idest absolute dicitur, & est demonstratio sine conditione, ad differentiam quia, & propter quid, quę sunt species demonstrationis, & scientiæ, quæ non simpliciter absolutè, sed cum conditione dicuntur demonstrationes, demonstratio enim quia, est demonstratio quia, & non simpliciter. alia uerò dicitur esse demonstratio propter quid, & non simpliciter. Aliam dat causam Them. primo poste. cap. 48. & sumit ab Arist. primo physi. secundo quòd principia sunt notiora simpliciter, idest naturaliter. Pro quo notandum est, quòd secundo poster. tex. comm. 94. demonstratio simpliciter, & sua scientia est simpliciter perfecta. quia insequitur ordinē naturæ. apud naturam enim res est propter causam, demonstratio autem simpliciter facit scire causam, & per primā causam. Ex quo dat causam Them. quod dicitur demōstratio simpliciter, idest naturaliter, quia insequitur opus naturæ: facit enim scire rem, sicut est apud naturā: insequitur opus naturæ. non modum cogitandi nostrum. dicitur ista metaphysi. secundo poster. cap. tertio a Them. demonstratio potissima, absolutè potissima, idest perfectissima, inter alias species demonstrationis, dicunt quidam. q hæc dicitur absolutè demōstratio quia, absoluit nos ab omni quæsito, scilicet esse, & causæ. Sed errant, quoniam absoluta comm. octauo primi poster. dicuntur sine conditione demonstratio absoluta, & demonstratio simpliciter apud artifices sunt idem. primo phys. 4. cap. Them. & quæsito 8. ab Auer. Dicitur etiam demonstratio propria, quia facit propriam speciem scientiæ, quæ est simpliciter, primo post. 8. & est prima species demonstrationis, quæ est propriissima. Dicitur etiam in locis dictis, demonstratio causæ, & esse; seu causæ, & inuentionis secundum translationem Arabicam, quia inuentum esse, & inuentio idem sunt, quod etiam nominatur a fine, quia ista duo quæsita finaliter monstrat, scilicet esse, & causæ. Primo post. 11. dicitur potentia definitio, & secundo post. 46. causa est talis nominationis, quia secundo poster. 39. & 41. est ista, ex qua mutata forma, & ordine, fit definitio. Definitur ipsa demonstratio simpliciter, & ponitur demonstratio loco generis: in qua medium est causa, ut patet primo post. 11. ut differat a demonstratione quia: conuertibilis, in qua cōuenit cum omni genere demonstrationum, primo poste. 53. 59. & 36. notum nobis, & natura, primo poster. 12. natura, quia ponit in esse: nobis, quia sensata est; per quod differt a demonstratione propter quid, in qua medium aliquando notificatur, cuius quæsitum est esse effectus, & propter quid effectus, ad differentiam utriusque demonstrationis & quia, quæ notificat esse, & propter quid, quæ tantum notificat propter quid: ipsa uerò demōstratio simpliciter absoluit utrunque.

De regressu quid est secundum Arist. & Auer. & quomodo fit apud eos.

REstat dicere modo, primo quid est regressus uerus apud Aristo. Et secundo quomodo fit. Quò ad primum dico, quod apud Aristote. primo posterio. cap. 30. Regressus est processus artificialis, scientificus, monstratio ad inuicem effectus cum causa, conuerso medio cum

maiore, non eodem modo demonstrationis, nec ad eandem rem quæsiti. Primo dicitur processus artificialis, quia solum intendimus de isto qui iuuat artes, non de ocioso, & uulgari, qualis est ille antiquorum primo poster. tex. commen 23, a est quia a est: modo ut ibi dicit Arist. ambo processus, primus, & secundus, propter quid demonstrationes sunt, & ambo faciunt scientiam: primus quia, secundus propter quid. Quia ergo finis est scientia, dicitur esse processus scientificus a fine suo. Dicitur monstratio ad inuicem, causæ per effectum, & econuerso. & demonstratur finis eius, finis enim in hoc regressu, hic est, quia cum principaliter intendimus propter quid effectus, quòd non potest haberi nisi ex sua causa, quæ causa est ignota, & ideo oportet necessario mambus, primo ex esse effectus demonstrare esse causæ: deinde ex esse causæ, demonstrare propter quid: ergo adinuicem monstratio causæ prius per effectum, et deinde effectus per causam, conuerso proprio necessario medio, stat a de a medium in prima demonstratione, est effectus a causa: in secunda fit, conuerso a fit medium, & medium fit a non eodem modo monstrandi specificè, & distinctum. Dicimus: non eodem modo, quia hoc genus monstrandi non esset artificiale: ars enim, non utitur duobus instrumentis similibus, ad unum effectum. Dicimus nec ad eandem rem quæsiti, idest si effectus mõstrat causam in primo processu, in secundo uero causa nõ monstrat effectum esse, non ad inuicem sub eadem re quæsiti, scilicet sub esse, nam monstrat esse quæsiti, quia erat de nouo, sed non sub alio modo quæsiti, scilicet sub quæsito propter quid. Ex quo unum infertur, istum regressum non esse uerè circulum. Nam circulus uerè, uenit ab eodem in idem, sed uenit in forma trianguli, hoc modo: uenit ab esse effectus, ad esse causæ: reuertitur ab esse causæ, & non ad esse effectus; sed ad propter quid. ideo non facit uerè circulum, quia non ab eodem in idem, sed reuertitur ad aliud quæsitum, scilicet ad propter quid effectus: ideo facit figuram triangularem, & non facit figuram circularem. Quæritur tunc, si artificialis est, & habet finem rei, & utilitatem, quis est finis principalis eius? Respondetur breuiter, quod regressus a quo utilis, & artificialis dicitur, habet scientiam perfectam, & certam, per causam rerum, idest effectum. & quod hoc sit uerum, probatur in demonstratione quia, ex esse effectus cognoscitur esse causæ, quo notificato, cognoscitur propter quid effectus: scire ergo propter quid effectus, per causam ultimam acquisibilem in tali processu, sed ultimo modo perfectionis, est finis principalis, primo ethic. cap. primo: ergo scire rem per causam perfectè, & rectè, est finis principalis regressus. & probo auctoritate Aristote. primo physico. primo. quia finis in hac scientia, & in hoc processu regressiuo principalis, est habere scientiam perfectam rerum naturalium, per principia, & elementa, quæ principia, causæ, & elementa sunt ignota esse, ut io tex. tertio. modo iste regressus, est processus a compositis effectibus notioribus nobis, ad esse causarum: ex quo noto, notificamus propter quid effectum notorum nobis. & in isto processu, Aristote. finem principalem posuit, scientiam perfectam per causam, & hoc est, quod dicit Auerro. octauo physicorum commen. 50. quod cum istæ duæ uiæ, scilicet quia, & propter quid sunt coniunctæ; tunc scientia fit certior. ergo finis harum duarum uiarum, idest regressus, est scientia certa. Additur minor, sed primo posteriorum 11. & 179. scientia certa, est per causam habere, propter quid finis huius. ergo &c. Quæres tu, potest ne fieri regressus alio modo quam per demonstrationem quia, unus processus, & per alterum processum processum quid? Respondet quidam, quod potest fieri ex duobus existentibus, demonstratione simpliciter. Sed istum modum dicit Aristote. esse impossibilem contra antiquos primo poster. 23. ut supra diffusè dixi. Diceres quis, potest ne fieri, quod ambo processus sint demonstrationes quia? Respondetur, quod iste modus est ociosus, & non artificialis. & probo, quia demonstratio quia (per differentiam datam supra) solum esse causæ notificat: sed finis regressus, est scire propter quid; ergo est ociosus, cum careat fine principali. Probatur secundo, quia una demonstratio quia, sufficit ad demonstrandum esse causæ, & altera est superflua, ergo regressus ex duabus demonstrationibus quia, est ociosus, & uanus. Tertio quæres, potest ne fieri regressus ex ambabus demõstrationibus propter quid? Respondetur, quòd nec iste modus est possibilis, quoniam demonstratio propter quid, solum notificat causam rerum, & ad sciendum sufficit una demonstratio propter quid, & sic altera erit superflua. Quarto quæres, potest ne fieri regressus ex una demonstratione simpliciter, & ex alia existente quia? Respondetur, quòd iste modus etiam est uanus, quia demonstratio quia superfluit, nam aut fiunt ambæ ad notificandum effectum, aut ad notificandum causam: non ad notificandum causam, quia est per se nota nobis, & naturæ, omnimodo, demonstratione simpliciter: non etiam ad notificandum effectum, quia potest sciri de effectu, aut esse, aut causa: at utrunque notificat demonstratio simpliciter; ergo demonstratio quia est, est superflua. Restat ergo ut sint uani alii modi, sed solum iste modus uous artificialis est, scilicet ut unus sit demonstratio quia, & alter propter quid. Quæres quinto si regressus est necessarius, ex una demonstratione quia, & altera propter quid; est ne ordo. ut una sit prior, & altera posterior? Respondetur, quod est ordo necessarius inter ipsas demonstrationes, quoniam prima in ordine debet esse demonstratio quia, secunda uero est demonstratio propter quid, & quod hoc sit uerum probatur dupliciter, scilicet ratione, & auctoritate. ratione: quoniam si demonstratio quia, non præcederet, tunc demonstratio quia, in regressu superflueret. & probatur consequentia, quoniam si demonstratio quia, faceret aliquid post demonstrationem propter quid; aut notificat causam, aut effectum: non effectum, quia esse effectus est notum, & nota non notificantur demonstrationis propter quid, quia propter quid notificat causam tantum: ergo nihil potest notificare. non etiam notificat causam: quia causa aut est nota, aut ignota: si ignota, ignotum non potest notificare aliquid. ergo demonstratio quam facis præcedere, quæ est demonstratio propter quid, non erit demonstratio. si erit nota, notificabitur demonstratione. ergo demonstratio post demonstrationem causæ tantum, nihil notificare poterit; & erit ociosa. sed si præcedit, acquirit finem artificialem, ergo artificialiter ordinata erit præcedens, quod est contra principalem finem. si enim præcederet, notificabit esse causæ ignotum; quo notificato, demonstratio causę postea notificabit propter quid effectus. Probatur uero ex auctoritate. Nam in primo posteriorum primo, & tertio, & octauo physico. habetur etiam clarè ab Auer. & Arist. quod isto processu, primo demonstratione quia, demonstratur inuentio causæ, idest esse: secundo ex causa notificata, & inuenta demonstratione causæ, potest demonstrari propter quid effectus: sed clarè habetur primo physic. in secundo tex. quod uia innata, unde incipitur, est a nobis notis, ignotis naturæ, quæ composita sunt, & accidentia compositorum, tex. 3. & uadit ad faciendum nota nobis prima elementa, & causas, quæ ignota nobis sunt, & nota naturæ; quibus notificatis, postea in tex. primo acquirimus scientiam perfectam rerum naturalium per causam. Ex quo clarè patet, processum (in hoc regressu) esse a nobis notis, ad nota naturæ: patet ergo ordo artificialis regressus, scilicet quod primus processus in eodem est quia, & secundus proprius, propter quid. Quæres sexto, iste regressus sic definitus, & gr

dinatus, habetur ne clarus, ex rationibus, & auctoritatibus, quod sic ita, quod erat secundum suppositum a nobis faciendum? Ad hoc dicimus, quod regressus sic ordinatus non solum est possibilis, sed est necessarius: & hoc primo probo ratione, secundo probo auctoritate: pro ratione prius suppono quædam secundo physicorum 4. & septimo contra negantes formam posse sciri ab homine: secundo suppono, quod scientia effectum, & rerum propter quid, non habetur nisi per causam notam, quod sit, & quòd insit causæ eius primo poster. tex. octauo. quo stante arguo, uidetur ad sensum, plures res existere, quarum causam ignoramus: uerbi gratia, uidemus stellas, & planetas non scintillare ad sensum; ignoramus propter quid huius effectus, non nota causa esse, & propter quid sit causa: sed istam causam esse, est nobis ignotum, possibile notificari aut per causam, aut per effectum, non per causam, quia causa prima non habet aliam causam priorem, aliter procederetur in infinitum, ergo regressus est necessarius. Quidam moderni sumunt ex tribus locis falsis, demonstrationem circularem: primo ex secundo cœli in principio commenti, ubi dicit Auer. cum monstrauit stellas sphæricas esse, quia sunt fixæ, nunc ostendit esse fixas, quia sunt sphericæ, modo iste est circulus, & unum per aliud monstratur. Sed Auer. ibimet contra istos subdit, dicens quòd non est per modum circuli, uidelicet, ista demonstratio quia, dicimus, quòd non est circulus: sed dat causam quando regreditur, medium est causa ipsa, quæ debet esse notificata per primum processum, scilicet per effectum: Additur modo minor, sed esse fixum, non notificat sphæricum, sed notificatur per aliud, ergo non regressus, quia ab eodem in idem est, nec demonstratio ad inuicem. Secundo dicit ibimet Auer. quod diuisio magnitudinis, est causa actionis, & diminutionis. Tunc arguo sic, in demonstratione, quando primus processus est causæ, secundus quia, non est regressus. & Auer. dicit primum processum magnitudinis, & auctionis esse a causa ad effectum, ergo non est regressus. Dices tu concedo hoc, sed si hoc dicit Auer. errat, quia iste processus ut dictum est, in quo præcedit demonstratio causæ, & sequitur quia, est superfluus, ergo si Auer. dicit hoc, & tu dices dicit falsum. Respondetur clarè cum ipsomet, quòd non intendit per primum processum demõstrare causam, nec per secundum; nec facere regressum: sed intendit demonstrare solum, quòd ista conuertatur cum effectu in primo processu, quia effectus conuertitur cum causa:. Vult ergo manifestare conuertibilitatem causæ adinuicem, non autem facere regressum demonstrationis. Tertio sumunt regressum, ex primo de anima tex. commen. 11, ubi diximus, quòd male sumunt, & ibi uidetur bene sumi, ut patet ex illo loco ex Themist. ubi clare dicit demonstrationem obambulatoriam, & regressum ex causa accidentium, ad esse definitionis, & ab esse definitionis, uenire ad propter quid accidentium. Nos ergo primo dicemus, locos logicos, secundo locos in philosophia, quia istæ regulæ sunt propriæ species logicæ.

Primus locus in logica, habetur primo poste. tex. commen. 13. {Cum diximus. dicit Auerro. non, dari demonstrationem circularem simpliciter utrique demonstratione} dat exceptionem, & dicit. {nisi} idest possibilis. {quando una demonstratio, & non simpliciter,} idest diuerso dicendi modo: primus cum est quia, & secundus propter quid, in diuerso modo quæsitorum: in primo enim effectus notificat esse causæ: in secundo, causa propter quid effectus in diuerso genere medii: primo ex medio noto nobis, secundo ex causa nota natura, & ignota nobis. Notificata demonstratione quia, Auerro. dicit quòd ambæ demonstrationes sunt indigentes ad inuicem per modum circuli. Et declarans indigentiam, dicit, secunda indiget prima, ad inuentionem causæ. Item in magna commentatione in principio commenti 15. & 14. dicit, quòd cum dedit modum impossibilem demonstrationis circularis, dat modum possibilem in diuerso genere demonstrationis. & Themistius ibimet capitulo septimo dicit quòd demonstrationis circularis est cum id quo utitur ad demonstrandum alia, per illammet retroastruimus: uult dicere Themistius, quòd circa effectum quo utimur ad demonstrandum esse causæ, per illammet causam, reuertimur ad ipsummet effectum, ad propter quid effectus & non ad quia. Secundus locus est primo post. 97. dicit enim ibi Arist. quod causa, & effectus reciprocant, idest conuertibilia sunt, & monstrant se adinuicẽ; scilicet effectus causam, & causa effectum. Stante hoc, nisi conuertatur non fit circularis demonstratio: Et subit, quod fit diuerso genere demonstrãdi, quæsitorũ. prima enim demonstratio est demõstratio quia, ab esse effectus, ad esse causæ: notificans esse, & non propter quid. & dat causam Arist. quia, mediũ quod non est causa, non potest dare causam, & propter quid. in prima demonstratione medium est effectus, & non causa: ergo non potest dare causam propter quid. secundus uero processus, est, propter quid tantum; notificans effectum, & non esse: & probat Arist. quando medium sumitur, prima causa, propter quid, dat, quia causa propter quid, est hoc medium, & nõ prima causa sumpta: ergo propter quid, non dat esse: quia esse effectus, est notum: & demonstratio non cadit super notum. Et Auer. ibi dat modũ, quando fit ista demonstratio circularis, & dicit; sicut in philosophia naturali, quando causa est ignota de subiecto, & esse effectus, est notũ de subiecto; tunc possumus facere demonstrationem circularem. & datur exemplum, materia prima, est causa generationis: quod inest subiecto rei generatæ est ignotum, sed generatio effectus, quod inest in materia rei, id est subiectum, notum est. Potest autem fieri demonstratio circularius hoc modo: quod generatur habet materiã primam, sed res generatur, ergo habet materiam primã: ab esse effectus noto ad esse causæ ignotum, est demõstratio, quia, & fit regressus ab esse causæ notiori, ad propter quid effectus ignotum, hoc modo: quod cum materia est, habet generationem: sed res naturalis habet materiã: ergo hæc est causa, propter quam res naturalis habet generationem. Tertius locus logicalis est secundo poster. 91. & 92. ibi enim Arist. & Auerro. dicit solum quando causa conuertibilis est cum effectu, fit demonstratio reciproca ad inuicem, monstrando in diuerso genere demonstrationis, una quia, & altera propter quid. Et Themistius dicit in cap. 18. quòd quando res causant se ad inuicem conuertibiles sunt, ut pluuia, nubis: & ait posse circulo se inuicem demonstrare in in diuerso genere demonstrandi: si primus est quia, & secundus propter quid. & dicit si nubes, & pluuia sunt causæ ad indiuicem, ergo eædem demonstrationes non sunt, una, quia, & altera propter quid. Respondet Themist. huic obiectioni, quod una demonstrans aliam, habet rationem causæ, & illa quæ demonstratur habet rationem effectus. & Auerro. in fine epito. clare concedit, quòd quando effectus est conuertibilis cum causa, possumus demonstrare ad inuicẽ diuerso genere demonstrandi. At uero primus locus ex philosophia naturali, est primo phys. primo secũdo, & tertio ibi enim Arist. clarè dicit quod elementa, principia, etiã causæ faciunt scientiam rerũ naturalium, idest, propter quid. ista principia sunt cognita esse, quomodo ergo notificantur? Respondetur in secundo & 3. tex. quod elementa, & principia sunt, quæ posterius nota sunt, ex notis nobis, idest ex compositis & rebus naturalibus: & iste est, regressus: & ex esse compositorum, idest rerum naturaliũ notificantur principia, & elemẽta esse, demonstratione quia: ista uerò nota, notificant causam propter quid rerum naturalium: Et Themistius cap. 4. ait, quòd principia dãt rationẽ, idest

causam

causam compositorum. & ista est demonstratio propria ab accidentibus, quæ notificant esse principiorum; quæ est non demonstratio propria, sed sufficiens ad demonstrandum quod uolumus. Secundus locus ex philosophia naturali est octauo phys. comm. 50. & 52. dicit ibi claré Auer. quòd esse motus æterni, demonstrat esse motoris æterni: ut motus est æternus, ergo motor est æternus: & esse motoris notificat, & dat causam propter quã motus est æternus. Sed dices, primo post. 23. regressus est possibilis quando una est demõstratio quia, & altera est simpliciter. & Auer. dicit in paraphrasi, si altera est absoluta & Themistius dicit cap. 7. quòd est demonstratio propria. & secũdo post. 30. potissima est absoluta, ergo alter processus nõ erit demonstratio propter quid, sed erit demõstratio simpliciter, seu potissima. Pro solutione notandũ est, ut diximus primo poster. nam dicit Auer. in fine epit. logices, & in com. secundo. Albumaxar. propter quid simpliciter quo ad nos, a nobis sumunt specificam differentiã, nõ apud naturã, si est nota causa dicitur simpliciter: si ignota, propter quid tantum: si esse effectus est ignotum, & notificant causam, & propter quid, etiam erit simpliciter: si uerò causæ effectus erit notus, erit demonstratio propter quid tantum. Quo stante, dicitur, ꝙ uocatur simpliciter absoluta, perfecta, in suo esse apud naturam: sed apud nos nõ fit simpliciter absoluta. & 97. primi phys. ubi de intento loquitur, dedit differentiam ipse Auer. & dicit quòd facit scire tantum propter quid; & sic apud nos, ab ista dicta differentia, in primo 10. & 8. 11. facit scire propter quid. Quæres etiã, regressus iste, in qua figura fit, & in quo modo? Respondet Arist. in primo post. 97. Et nota prius, quòd regressus potest fieri in quæsito composito, & in quæsito simplici, sed forma hypothetica, & potentia cathegorica: hoc modo motus æternus est; ergo motor est æternus: ab esse causæ fit regressus; motor æternus est. ergo motus æternus: ergo hæc est causa propter quam motus æternus est. ab esse causæ, ad propter quid effectus: non autem ad esse. Item primo coeli 50. tres motus sunt, ergo sunt tres magnitudines. nunc fit regressus, sunt tres magnitudines, ergo hæc est causa propter quam tres magnitudines sunt. Fit uerò etiã in quæsito composito: Pro quo notandum, primo post. 31. 40. quòd demonstrationes ueræ, sunt in prima figura; & in primo modo; & affirmatiuæ, & non negatiuę; & si sunt negatiuæ, reducunt ad affirmatiuas; & si sunt in alia figura reducuntur ad prima; si in alio modo modo, reducũtur ad primum modũ primæ figuræ; & sunt demõstrationes omnes, in quantum reducuntur ad primum primę & dat causam, quia demõstrationes ex prædicatis, & subiectis per se, & de omni: prædicata per se, & de omni, sunt necessaria, & modum affirmatiuum requirũt, & ambas affirmatiuas in uniuersalibus; quod non potest fieri nisi in primo modo primæ figuræ. ex quo unum infero dando modum faciendi regressum in primo primæ: & do exemplum, in primo primæ uniuersalibus. unde est regula, quod regressus, in prima primæ fit, & regula est in primo poster. 97. & secundo priorum cap. quinto de syllogismo circulari, ex maiori primi syllogismi, conuersa cum conclusione inferre minorem, hoc est quod dicit Aristote. conuerso medio, quia faciendo hanc regulam, medium fit maior, & minor fit medium. & do exemplum Aristotelis primo poster. 96. quandocunque stellæ non scintillant, propè sunt: planetæ omnes nõ scintillant, ergò omnes planetæ propè sunt. Demonstratio quia, est ab esse effectus ipsi subiecto prænotos ad esse causæ ignotum, inesse subiecto. fit regressus per regulam, conuersa maiori, quæ licet uniuersalis affirmatiua sit, potest tamẽ conuerti in se ipsam, cum sit in terminis conuertibilibus: omne quod est prope, non scintillat: non scintillare erat medium, nunc est maior: propè esse, erat maior, nunc est medium: sumatur conclusio pro minori; omnes planetæ sunt propè, concluditur sic ergo omnes planetę nõ scintillant. idest causa propter quam non scintillant planetæ, est propè esse. Hic notandum est quòd tertio de anima nono, & septimo metaph. 34. quęlibet causa in rebus naturalibus, & quodlibet esse naturale habet duplex esse, alterũ est esse actuale idest esse existẽtiæ: quod secundo poster. 33. est accidens rei, non essentia, non quidditas, esse enim actuale materiæ primę, quæ est causa, ut diximus libro de anima, & primo de generatione 32. est accidens naturæ, & non essentia, & non quidditas aliud esse causæ, est esse quidditatis; quod notificatur per definitionem: & quia octauo physic. 33. quamlibet essentiam insequuntur propria accidentia, habet etiam cum essentia esse accidentium propriorum. Secundo notandum est, quòd in demonstratione quia de causa tantum, inuenitur esse existentiæ tantum, quia est, & non essentia.

Tunc his notatis quæritur, utrũ inuenta causa, idest existentia sua notificata per effectum, possimus statim regredi tanquam per medium sufficiens ad notificandum propter quid effectus an non? uel si ultra existentiam notam demonstratione quia oporteat negotiari idest cognoscere essentiam, & accidentia propria causæ, ad hoc ut sit medium proprium, & sufficiens ad notificandum propter quid effectus? Quidam dicunt, quòd in dicto regressu sufficit causa notificata quò ad existentiam per demonstrationem quia, & quòd non oportet amplius cognoscere essentiam causæ, & accidentia propria; ita quod medium in demonstratione propter quid regressiua, tantum debet esse notum quod sit, & non quid sit, & quare sit. Dixerunt quidam alii, quod ad cognoscendum propter quid effectus sufficit scire existentiam causæ tantũ, absq; quod cognoscatur essentia causæ. Sed contra hos arguitur, quoniam mos est Aristote. ut statim dicemus, quod non subito cognita existentia demonstratione, quia. fit regressus ad cognoscendum existentiam, & essentiam causæ. Primo ergo arguitur sic: res, seu præmissa scita, qualiter est scita, talem notitiam gignit: per te solum est nota, quod est existens causa in demonstratione propter quid; ergo solum facit scientiam de existentia, & non de propter quid. Secundo suppono duo unum quod Primo poster. octauo non solũ requiritur scire causam, sed quod sit causa in quantum causa, aliter non facit scientiam propter quid. aliud, quod licet existentia, seu esse actuale requiratur ad actionem, tamen ratio propria agẽdi est ratio propria rei: licet enim ignis non sit causa calidi, nisi ut existens, tamen realiter non calefacit nisi existentia sua. Hoc stante, arguo, causa non facit scientiam nisi cognita in quantum causa, per primum præsuppositum; sed causa est cum existentia propria: ergo debet cognosci cum existentia propria: quare sequitur contra istos non sufficere ad regressum, solam cognitionem existentiæ causæ, sed requiritur post cognitionem existentiæ, cognitio existentiæ causæ propria, ut cognita existentia sit medium sufficiens ad demonstrandum propter quid.

Dicunt alii quod non sufficit cognoscere causam existentiæ ad regressum; sed requiritur, quod sit definitio. Si quæras quo instrumento negotiamur hac, & cognoscimus esse definitionem, & quod sit definitio? Respondent, quod postquam scimus, existere. per demonstrationem quia, cognoscimus esse definitionem. cõpositione, & diuisione. Sed hic est error purus quia secũdo post. 69. compositio, & diuisio non faciunt scire definitionem, sed solum partes uenantur. Secundo si hæc conditio requireretur, ergo Aristote. diminutus: qui in primo posteriorum narrans conditiones medii demonstratiui, nullam mentionem fecit ꝙ debeat cognosci ut definitio. ex quibus arguo: illud non est de conditione medii demonstratiui, quod non ponitur in definitione eius:

ſed primo poſterio. definiendo medium demonſtratiuum non ponit hoc Ariſtote.ſed ſolum quod ſit cauſa per ſe,in quantum ipſum,non autem ponit quòd ſit definitio. Arguo tertio ſi hoc eſſet uerum, ergo demonſtratio poſſet facere ſcire definitionem,& non quæſitum,quod Ariſto.11 ſecundo poſterio.12. probat eſſe falſiſſimum,quæſitum quid eſt definitionis,in quantum definitio,quæſitum eſſe & propter quid demonſtrationis. conſequentiam probo, qualis eſt ſcientia cauſæ,& medii,talis eſt ſcientia concluſionis:ſed per te ſcitur,ut definitio:ergo ſcitum in concluſione,eſt ut quid,& ut definitio. Vltimo quòd demonſtratio non poterat facere ſcire definitionē,probo,quia in concluſione,quid non ſumitur,niſi præmiſſa, & medio ſumpto in quid: ſed ſumere præmiſſas, & mediū eſt impoſſibile;quia peteretur principium,ut dicit 22.commen. ergo impoſſibile eſt, præmiſſas demonſtratiuas cognoſcere medium, ut quid, ut definitio quæſiti ; non ſolum non eſt conditio neceſſaria. Pro ſolutione notandum,quod aliud eſt cognoſcere cauſam,ut eſt definitio quæſiti ; quia hoc eſt falſum;ut rationes factæ probant : & aliud eſt cognoſcere eſſentiam cauſæ per definitionem ſuam, non referendo ad ipſum quæſitum.hoc ſtante ponitur hæc concluſio reſponſiua. In demonſtratione propter quid regrediendo,non ſufficit cognoſcere exiſtentiam cauſæ ſolum,contra primos:ſed requiritur cognoſcere eſſentiam cauſæ per definitionem. Dictum eſt,& cognita exiſtentia,& eſſentia cauſæ quia nunc cognoſcitur cauſa in quantum cauſa, & tunc erit ſufficiens medium ad regreſſum, & demonſtrationem propter quid. Iſta concluſio fuit probata tribus rationibus : nunc probo ipſam, auctoritate Ariſtote.qui faciens regreſſum , ſemper ſeruat hunc morem : & probatur inductione, in octauo phyſico. quum demonſtratione,quia ex eſſe motus æterni cognouit exiſtentiam motoris æterni ; non ſtatim cognita exiſtentia regreditur,quia non erat medium ſufficiens ad notificandum propter quid effectus ; ſed declarat prius eſſentiam motoris æterni, ſcilicet eſſe impartibilē, innumerabilem, impaſſibilem,immobilem. qua declarata, poſtea in text, quinquageſimo tertio, tanquam medio ſufficienti regreditur;& dat propter quid motus æterni. In tertio de anima ex operationibus inuenit intellectum poſſibilem, & agentem, & non regreditur ſtatim ex exiſtentia cognita; ſed declarat prius eſſentiam utriuſque: qua declarata, regreditur,& dat propter quid. In primo phiſ.ex operationibus inuenta exiſtentia materiæ, ex eſſe generationis, non ſtatim regreditur ad propter quid eius, ſed declarat eſſentiam : qua declarata, in libro de generatione. dat propter quid ipſius generationis. Et in quarto cœli inuenta exiſtētia naturæ grauis,& leuis, ex motu ſurſum,& deorſum; non ſtatim regreditur ; & in quarto cœli, ex eſſe motus circularis non ſtatim regreditur, ſed declarata prius exiſtentia huius naturæ in ſecundo tex. libr. 17. regreditur ad demonſtrandum propter quid iſtius motus. Quare concludatis,non poſſe fieri regreſſum niſi cognita exiſtentia cauſę,demonſtratione quia;& deinde cognita ſua exiſtentia licere ingredi. Sed quæres, quo inſtrumento utatur ad cognoſcendum eſſentiam? Dicatis definitiuo,nam primo topi.quarto inſtrumētum proprium notificans eſſentiam rei eſt definitio. Quæritur iterum,iſtam definitionem quo inſtrumento uenabimur? Reſpondeatis clarè,non poteſt dari regula determinata ad hoc : Cauſa eſt, quia primo ethicorum 2.ſecundo metaphyſ.15. quælibet materia,& eſſentia cognoſcenda, diuerſatur in artibus , ideſt habet proprium inſtrumentum,& non omnes definitiones habent unum inſtrumentum: ideo dicatis,quòd inſtrumentum erit illud,quod patitur eſſentia naturæ cognoſcendæ: quod iudicare quantum, & quale ſit pertinet ad peritum artificem. ut toties diximus. Reſtat in hac re, unum difficilium dubium, quia ſecundo poſterio. cap. 13. cauſæ, quædam conuertuntur cum effectu,quędam non ſed effectus infert cauſam,& non e econtrario. Quęro ergo regreſſus in quibus cauſis & effectibus fiat,qui cōuertūtur ad inuicem,an inter cauſam & effectum, qui non conuertuntur ad inuicem? Dicatis clarè cum Ariſtote.primo poſter.97.quod regreſſus non fit, niſi inter cauſam, & effectum conuertibilem, nam clare dicit Ariſt. loco dicto, ſi cauſa conuertitur cum effectu,poſſunt monſtrari adinuicem ; ſi uerò non conuertitur, fit demonſtratio quia tantum,ideſt effectus mōſtrat cauſam,ſed non ecōtra: Auer. in octauo comm,dicit quòd ſolum fit demonſtratio inuētionis. Them.etiam cap.17. idem dicit & Auer in commentatione magna in iſto loco dicit, quòd ad demonſtrationem circularem requiritur hæc conditio, ut cauſa cū effectu conuertatur:& dat cauſam,quia ſi conuertuntur adinuicem effectus,& cauſa,effectus declarat quia cauſę & cauſa demonſtrat propter quod effectus;ſi non conuertuntur,& effectus& monſtrat cauſam, eſt demonſtratio quia:ſi uerò cauſa infert effectū,& non ecōtrario, eſt demōſtratio cauſæ. In fine epit.demonſtrationis, repetit idē ſi effectus conuertatur cum cauſa,eſt demonſtratio circularis: ſi uerò nec effectus cauſam infer,nec cauſa effectū, nulla demonſtratio eſt: ſi uerò effectus monſtrat cauſam, & non econtrario, eſt demonſtratio quia. Exemplum, fumus eſt,ergo ignis,ſed non econtra,demonſtratio hæc eſt quia,nec propter quid, nec regreſſus. ſi uerò cauſa infert effectum,& non e contrario,demonſtratio eſt cauſæ tantum ; nec quia, nec regreſſus. exemplum, Sol eſt, ergo luminatio eſt,cauſa infert effectum , ſed non econtrario, quia illuminatio poteſt prouenire ab igne,primo poſt.24. & Them.& Auer.ſumunt contra antiquos demonſtrationem circularem non poſſe fieri,niſi in terminis incōuertibilibus & ſecundo poſt.66.clarè Auer. Ariſt.& Them. dicuntur,ſi cauſa nō conuertitur cum effectu,ſolū eſt ſyllogiſmus quia, non propter quid, nec regreſſus & dicent primo poſt.33.omnem ſpeciem demonſtrationis procedere debere ex conuertibilibus . unde ſi cauſa cum effectu non conuertitur. ergo non erit regreſſus demonſtratiuus de quo loquimur. Quare dicamus clarè,quod apud Ariſt.regreſſus demonſtratiuus non poteſt fieri niſi inter cauſam,& effectum conuertibilem. Sed dubitabis tu ſecundo poſter. 13. 14.habetur quòd cauſæ agentes,& materiales non reciprocant,nec cum effectibus conuertūtur & tamē philoſophia naturalis omnes fere regreſſus ſuos facit ex cauſis efficienti,& materiali ergo regreſſus naturalis non eſſet demonſtratiuus. Ad hoc reſpondet Auer. ſecundo poſt.66.Cauſa efficiens,& materialis, poteſt conſiderari cum ſuo ſubiecto proprio, & cum ſuis ſubiectis propriis in particulari. Si conſideratur, cum ſuo ſubiecto in uniuerſali; tunc tantum in terminis conuertitur cauſa', quia cauſæ naturales efficientes ſunt per ſe determinatæ, ut patet primo phyſ.a 52.ad 57.Nam non fit puodlibet , ſed determinatū ex determinato per ſe;& per ſe propriū ex proprio manifeſto.exemplū,materia prima cum materia generabili ſubiecto proprio cōuertitur : ſi materia eſt, res generabilis eſt:ſi res generabilis eſt,materia eſt.ſecundo modo poteſt cōparari cauſa efficiens, & materialis ad ſubiecta particularia,& per accidens; ut materia ad generabile , efficiens naturale , ad hoc particulare. ſumendo hoc modo,differentia eſt inter generabilia , & ipſa æterna, ualet enim,homo eſt,ergo materia eſt , ſed non ualet , materia eſt, ergo homo eſt. Quo ſtante, clare dicatis,quando Ariſt.dicit, cauſa materialis,& non efficiēs conuertitur,quòd non intendit comparare ipſam ad ſubiectum ſuum uniuerſale,quia in hoc conuenit cum æternis. Ad argumentum,cum dicunt demonſtrationes naturales ſunt per cauſam agētem,& materialem,quoniā conuertuntur cū ſuo cauſato.dicatis,ꝙ conuertuntur cū cauſato uniuerſali,& de iſto eſt demonſtratio,& non conuer

tuntur

tuntur cum causatis particularibus, de quibus non est demonstratio. Quæres secundo, in fine epitom.& secundo poster.cap.25. & primo poster.96. dicit Auer. & Arist.si causa non conuertitur cum effectu. si ab effectu, est demõstratio quia: si a causa, est demonstratio causæ: ergo demonstratio quia,& causę, ex nõ conuertibilibus est, quod est contra dicta, ut etiam patet primo posterior.53.& 54. Dicatis, quod eam demonstrationem uocat per accidens, & ęquiuoce primo post.94.in digressione primi poster.39. com. dicit enim quod demonstrationes quæ non ex propriis, neque ex uniuersalibus, idest conuertibilibus sunt, demonstrationis sunt per accidens,& æquiuoce:& huius rei dat causam, secundo poster. 66. Auerro. quia non habent conditiones uniuersales, idest conuertibiles necessariò declaratas in primo post. 36. Quæres ultimo, iste regressus cui arti consuetus: & cui arti proprius est? Dicatis, quod consuetus,& propriuseſt arti naturali,nõ mathematicæ; uel raro: propter primum dictum Arist. in primo physic.ubi dans uiam toti arti naturali propriam, dixit, per principia cognoscimus causas rerum naturalium tex. primo, quæ principia ignota esse cognoscuntur per esse illarum, tex. secundo & tertio. Et iste est regressus: ergo regressus uia est appropriata, & uia assueta naturali arti: Idem habetis ab Auer.octauo physic. 53.dicente, esse uiam consuetam naturali arti primo poster.77. in fine commenti: ut plurimum fit in naturali arte: dat causam huius primo physic.secundo, quia regressus illi arti necessarius est, in qua causæ sunt ignotæ esse nobis: in naturali scientia causæ sunt substantiæ, primo de anima.63.insensatæ,& ideo nobis ignotæ: ergo regressus utilis est,& necessarius ad naturalem artem: in mathematicis uero causæ sunt nobis. ergo regressus non necessarius est. Ex quibus omnibus tandem colligatis. Regressum demonstratiuum dari,ambobus processibus demonstrationis simpliciter, ad hunc finem principalem, ut habeatur cognitio propter quid rerũ perfecta, prima processu existente quia secundo propter quid, in diuerso genere monstrandi. & in diuerso genere quæsitorum, in causis conuertibilibus tantum,& esse consuetum appropriatum arti naturali.

HIERONYMI BALDVINI

Quæsitum octauum, de medio demonstrationis potissimæ.



AVERROIS digressio, quam ipse in primo poster, in commen. 11.& in epit. logic.quæsito secundo, aduersus Alpharabium & Auicennam edidit; fuit nobis in causa ut impræsentiarum huiusmodi ederemus quęsitum. Quod sit medium in demonstratione potissima: causa maioris extremi tantum, uel tantum causa minoris, uel utriusq;: Quod etiam quatuor in capita secabitur: quia quatuor in co pertracta re intendimus. Primo, titulus quæsiti penes omnes eius terminos exactissime exponetur. Secundo, uariæ auctorum opiniones, cum earum fundamentis rationibus, & auctoritatibus adducentur. Tertio, uera ac germana Ar. & Auer. sententia cum ueris & propriis fundamentis, rationibus,& auctoritatibus declarabitur. Quarto demum & ultimo aduersariorum omnes soluentur rationes, & argumenta.

Caput primum, in quo titulus quæsiti omnesq; eius termini exponuntur.

PRimus terminus exponendus in titulo est ly.mediũ: & aduertendum, quòd ubi est ęquiuocatio, ibi est confusio: & propterea omne æquiuocum, prius distinguendum est, quam definiendum, sicuti nobis notatũ reliquit Arist. primo cœli tex.commen. 110. & Auer. dixit tertio de anima commen.20.& in secundo de anima comm.30. & in quarto metaphy. commen. 2. æquiuocis uerbis non rectum est uti in doctrina demonstratiua: & cum hoc nomen medium sit æquiuocum, ut refert Arist. quarto cœli tex commen. 38. idcirco prius distinguendum, a nobis erit: sed hoc prius animaduertito, quod medium apud Arabes dicitur, inter: ubi enim litera nostra habet mediũ, litera translationis Arabicæ habet, inter. Vide Auer. quinto physic.commen.21.& quarto cœli commen.38.& alibi, quo prænotato dicimus pro faciliori distinguendi modo: medium esse duplex, aliud naturale, aliud logicum. Medium naturale seu reale multis modis in doctrina Arist. & Auerro. sumitur: quamplurimas enim de eo diuisiones, seu distinctiones ab Aristo.& Auerro. fuisse traditas comperimus. Auer. dixit primo cœli commen. 45. medium trifariã sumitur, pro loco inferiori, pro medio sphæræ, & pro medio quod est inter duo extrema contraria. Aliquando alio modo diuisit hoc idem medium reale ipse Auer. in quarto cœli commen. 26. esse duplex. Quoddam est medium secundum comparationem, sicut dicimus, quòd aer & aqua sunt elementa media inter ignem, qui est simpliciter leuis,& inter terram, quę est simpliciter grauis: hoc etiam modo dicimus ipsa elementa, esse media inter substantiam & accidens, ut dixit Auer. in tertio cœli comment. 67. simili quoque modo intelligendam est, animam intellectiuam esse mediam inter abstracta et materialia. ut colligitur ex secundo physic.tex.commen. 26. Quoddam uero est medium non per comparationem, sed per compositionem ex extremis. exemplum de coloribus mediis, qui componuntur ex extremis, ut patet quinto physic.com. 52.& alibi infinities. Et sciendum quod tale medium per compositionem est duplex, ut docuit Auer. in sexto physic commen. 32. & in tertio meteoror. cap. de iride, expresse dicit, quod mediũ est secundum duas species. quoddam enim solum differt ab extremis secundum magis & minus, ut tepidum dicitur esse medium inter calidum & frigidum. & quoddam est medium secundum formam seu qualitatem & specie differt ab extremis & isto modo mixtum potest dici medium inter elementa, ex quibus componitur.& loquens Auer. de medio per compositionem dixit primo metaph.commen. 39. medium quodlibet, aut est compositum ex extremis simplicibus simpliciter, aut ex rebus simplicibus in respectu mediorum, aut ex formis mediorum. De medio reali etiam intellexit Auer. quando dixit in tertio cœli commen. 42 medium aliud secundum qualitatẽ, aliud secundum quantitatem: & in paraphr. secundi de cœlo, summa quarta, commen. primo dixit, quòd medium magnitudinis differt a medio secundum uirtutem, quia medium uirtutis est in omnibus prædicamentis, sed medium magnitudinis

est in prædicamento quantitatis tantum: & quomodo medium in motu locali, differat a medio in motu alterationis uide quarto cœli comm. 38. & quod medij dispositio est, ut in eo congregentur contraria quarto cœli com. 40. quod qualiter sit intelligendum uideto in quarto cœli commen. 26. & clarius in commen. 38. Demum hoc medium reale describens Aristot. dixit, medium est in quod prius mutat mutans, quam in extremū, ut patet quinto phy. te. com. 22. multa quoque alia de ipso medio reali dici possent: quæ cum minime faciant ad nostrum propositum, propterea sub silentio pertranseunda esse putauimus, non enim de medio reali in præsenti intendimus quæstio. Medium uero logicum cum multiplex sit, distinguendum est nam duplex est: prioristicum, & posterioristicum. Medium prioristicum, est terminus bis sumptus in præmissis syllogismi ante conclusionem: & dicitur prioristicum, quatenus definitur in primo priorum cap. quinto in fine, ubi dicit Arist. medium quidem uoco, quod & ipsum in alio, & aliud in ipso est. Medium posterioristicum, est illud quod est causa scientiæ, & dicitur posterioristicum, quia illud explicauit Arist. in primo poster. tex. commen. 7. quod tūc opinamur scire unumquodq; scilicet quæsitum, cum causam, idest medium arbitramur cognoscere: nam causa est medium ut docuit Arist. secundo poster. tex. commen. 5. & hoc medium innuit Arist. primo poster. tex. com. 11. ubi probauit Arist. præmissas esse causas: in cuius expositione iuxta Au. mentem diximus præmissas esse causas, quia in eis medius terminus continetur, qui est causa: huius etiam medii meminit Arist. in secundo posterior. tex. commen. 5. ubi dicit, contingit itaq; in omnibus quæstionibus quærere, aut si est medium, aut quid est mediū, causa enim est mediū: & sciendū quod huiusmodi distinctio sic quoq; & breuiter quidem, posset explicari: medium logicum bifariam est, unū syllogisticum, alterum demonstratiuū. Tunc habita hac distinctione, dicimus quod non de medio prioristico seu syllogistico tantum intelligitur titulus præsentis quæsiti: quoniam tunc effectus, uel causa remota, & omne aliud ens posset esse medium in demonstratione potissima: quod utique in fine est abhominationis iuxta Arist. & Auer. doctrinam sexcentis fere in locis. & ut etiam paulopost dicetur: sed capitur mediū, pro medio posterioristico seu demonstratiuo; & aduertito, quod tale medium posterioristicum est etiam prioristicum seu syllogisticum, quia disponitur & erigitur in forma prioristica, nam demonstratio est syllogismus ut dixit Arist. primo priorum cap. 5. & primo poster. tex. com. 8. quod demonstratio est syllogismus scientialis ut exposuimus supra in tex. 8. & pulchre: cum igitur demonstratio sit syllogismus, necessario tale medium posterioristicum, erit syllogisticum. Amplius annotatione dignū est, quod tale mediū posterioristicum potest adhuc bifariam considerari: uno modo ut causa inferendi tantum: alio modo ut causa essendi: hic quærimus non de medio inferendi tantum, sed de medio ut causa est essendi & inferendi simul. Secundus terminus tituli, est ly, demonstratio potissima: pro cuius faciliori intellectu. primitus sciendū est: quod demonstratio triplex est, ut dixit Auer. primo phy. in prologo, quod uia doctrinæ sunt tria genera demonstrationum, scilicet quia, propter quid, & simpliciter: de hac quoq; triplici demonstratione uideto Auer. primo physi. com. 2. tertio metaph. cap. 5. secundo phys. com. 22. quinto Collig. cap. 24. & copiosius in secundo cœli com. 35. & habetur. octauo physic. com. 65. & in logica in paraphra. poster. & in magno com. in primo poster. com. 95 diffusissime loquitur de huiusmodi triplici specie demonstrationis, & in epit. logic. cap. de demonstratione, & in multis aliis quoq; locis pro comperto habetur triplicem esse demonstrationis speciem. Sed dices, quomodo cognoscitur quod tres sunt species demonstrationis? Respondetur quod duplici modo cognoscere ualemus numerum trium specierum demonstrationis. primo modo a priori, scilicet ex specie premissarum demonstrationis: nam tres sunt species premissarum demonstrationis, ergo tres sunt species demonstrationis: & hac regula uenatus fuit Auer. primo poster. in mag. Cōment. com. 95. tres species demonstrationis: & secundo cœli com. 35. hac etiam regula ipse Auer. in primo poster. cōmen. 17 uenatus fuit quinque esse species syllogismorum, quia quinq; sunt species præmissarum. Secundo modo. a posteriori, idest a fine, qui est res quęsita: & hoc modo in secundo cœli com. 35. & epit. log. cap. de demonstratione, & etiam primo poste. cap. 95. usus fuit Auer. uenando tres esse species demonstrationis. Et aduertito quod Auerro. hoc modo a posteriori in secundo cœli com. 35. uenatus fuit tres esse species demonstrationis: cum in demonstrationibus semper eatur & procedatur ex notiori ad latentius, hoc fit tribus modis. Primo modo si e notius fuerit posterius, tunc erit demonstratio quia. Secundo modo si notius fuerit, tunc erit demonstratio dans causam & esse, tunc erit demonstratio propter quid: Et aduertas, quod litera quæ cōmuniter inuenitur in illo cō. 35. est corrupta, sed sic debet corrigi & intelligi, ut nos enucleauimus: si quis tamen diffusius cupit uidere, hunc duplicem modum uenandi, tres demonstrationis species, legat quæsitum nostrum de Regressu demonstratiuo: in quo abunde quoq; declaratur, quod demonstratio in cōmuni ad tres suas species. dicitur eis, non pure uniuoce, neq; pure ęquiuoce, sed tantum analogice, uelutti colligitur ab Auer. in primo poster. in tex. commen. 95. Adhuc scire cupis quomodo differant inter se istæ tres species demonstrationis, essentialiter, uel accidentaliter. Dicitur quod differunt specie essentiali, & non accidentali, ut demonstratum est de mente Auer. in primo poster. com. 95. in quęsito de regressu demonstratiuo. Instabis insuper, si tres ipsæ species demonstrationis differunt essentialiter, & non accidentaliter: quomodo fiunt & componuntur? Respondetur, quod demonstratio quia, fit tribus modis. Primo modo quando esse causæ demonstratur per esse effectus, ubi esse effectus fuerit notum, & esse causę latuerit; & assignatur exemplum, si per eclypsim demonstro terræ interpositionem. Secundo modo quando esse effectus ignotum fuerit, & per aliquod signum demonstro illud esse. exēplum, ut si ex hoc, quod est umbram non facere, demōstro lunam esse eclypsatam, uel ex hoc quod mulier habet lac in mammillis, demonstro ipsam peperisse. Tertio modo fit per causam remotam. exemplum, ut si ex hoc quod lapis non est animal, demonstro ipsum non respirare: de hisce tribus modis locutus est Arist. primo post. cap. 30. & isti tres modi solent dici species demonstrationis quia. Demonstratio propter quid fit, quando esse effectus, & inhærentia passionis in subiecto est per se nota, sed est ignota, quo ad propter quid illius, & de hac demonstratione propter quid datur pulchrum exemplum in octauo physic. tex. com. 65. & legito ibi. Demonstratio uero potissima, fit, quando effectus latuerit, & quo ad esse, & quod ad propter quid, & causa fuerit notior: tunc per illam causam simul & semel aggeneratur in nobis per demonstrationem & inhærentia passionis in subiecto, & causa inhærentiæ, ita quod simul & semel cognoscimus quia, & propter quid. Vnde lucidissimus Themistius in secundo poster. cap. 2. inquit Hoc enim demonstrationis illius potissimæ ingenii est, ut uno cōmuni examine, utraq; absoluat quæstionē, & ut sit, & quamobrem sit: & dedit exemplū Aristo. in secundo poster. tex. com. 7. de hac demonstratione potissima, quando dixit: si essemus supra lunam, non utique quæreremus, neque si sit, neq; propter quid: sed simul utique manifestum fuisset: & uolumus locum illū annotare, quoniā a paucis intelligitur, quid uelit Ar. in illo exēplo.

Qui

Qui uero scire uoluerit, uaria nomina demonstrationis quia: uaria nomina demonstrationis propter quid: & uaria nomina demonstrationis potissimæ, legat diffusissimè in quæsito nostro de regressu demonstratiuo, in quo assignauimus rationes: cur demóstratio quia, nominatur uia innata, a non causa, quia a posteriori signi, & euidentiæ, & cur demonstratio propter quid dicatur hisce nominibus, causæ tantum, cur sit: & propter quid: & etiam cur demonstratio potissima, omnibus hisce nominibus dicatur, simpliciter, dans causam, & esse potentia definitio, & potissima: uide ibi pro iis nominibus. Nec ista in præsentiarum sub silentio prgterire uolumus, ad pinguiorem doctrinam: quod demonstratio ducens ad impossibile reducitur ad demonstrationem quia, ut dixit Auer. primo cœli comm. 95. reducitur etiam ad demonstrationem quia, demonstratio per causam efficientem, ueluti nobis notatum reliquit Auer. in primo poster. comm. 34. Placuit etiam nobis ex iis, quæ diximus in declarandis tribus speciebus demonstrationis, annotare, & manifestare errores Io. de Gandauo in 12. metaph. q. 3. Primo errat, quia dicit, quod Arist. in lib. poster. de duabus demonstrationibus loquitur, quia & propter quid: & hoc est falsum quia de tribus loquitur, & principalissime de demonstratione potissima: nam illius præmissarum conditiones docet, assignat, & probat: ut patet primo poster. incipiendo a tex. 10. a quo incipit tractatus: sicut iam diximus exponendo textum. Secundo errat, quia reducit potissimam demonstrationem, ad demonstrationem propter quid: quod falsissimum esse clarius cóstat non enim perfectum reducitur ad imperfectum, sed econuerso. At demonstratio potissima perfectissima est, ut in quæsito de regressu patet secundum Auer. in primo poster. comm. 95. & in cap. de demonstratione. Tertio errat, credens demonstrationem propter quid, & potissimam, non differre inter se essentialiter, sed tantum accidentaliter, quod repugnat Auer. in epit. in cap. de demonstratione. & in primo post. com. 95. sicut iam probauimus in quæsito de regressu demonstratiuo, quod tres illæ species demonstrationis differant essentialiter. Quarto errat, dicens quod forte Auer. per demonstrationem simpliciter, intellexit eam demonstrationem, quæ est per causam remotam: quod utique quàm sit absonum, & erroneum omnibus notum est: nã ipse non legit Arist. in primo post. cap. 30. & si uidit, oblitus est: dicit ibi Arist. quod demonstratio quia, habet tres species, seu fit tribus modis, ut paulo ante diximus: & de numero illorum modorum, docet demonstrationem per causam remotam, esse demonstrationem quia: non ab re igitur arguendus, & maxime increpandus uenit, a nobis ipse Io. Gandauen. Neq; uelit aliquo modo excusandus, quia dixit fortè, quoniam ipse sua tẽpestate maxime profitebatur Auer. doctrinam, & mirum est, cum nõ legerit Auer. in secundo cœli com. 35. & alibi. Quinto errat, quia sibimet contradicit, & non tantum Aris. & Auer. nam dixit quod demonstratio simpliciter reducitur ad demõstrationem propter quid: ergo si reducitur ad propter quid: & demonstratio propter quid, differt a demonstratione quia: ut patet primo post. cap. 30. sequitur quod demonstratio simpliciter, non fit per causam remotam: quoniam tunc demonstratio propter quid, reduceretur ad demonstrationem quia: quod repugnat Aris. primo poste. cap. 30 & hæc sequela patet, prgsupponendo ut diximus de mente Aris. quod demonstratio per causam remotam sit demonstratio quia. Sexto errat, asserens tantum demonstrationem propter quid, esse per causam propinquam: quod similiter, falsissimum est, quoniam principalissimè demõstratio potissima est per causam propinquam, ut lib. poster. diximus circa conditiones præmissarum demonstrationis potissimæ, de qua principaliter sermo est in primo lib. poster. iuxta Auer. canones; Multa quoq; diximus in quæsito de regressu demonstratiuo, de ipsa demonstratione quo ad eius species & conditiones: Pro nunc sat sit nouisse tres demonstrationis species, ad intelligẽdum illum terminum positum in titulo quæsiti: quod quærimus de medio in demonstratione potissima, & non de medio demonstrationis propter quid, seu quia: & ratio est, quia solum medium demonstrationis potissimæ utrunq; absoluit quæsitum, si est, & propter quid, ut supra diximus nõ autem medium demonstrationis propter quid, seu quia: & cum in hoc lib. post. principalissime intendatur, & sermo sit de demonstratione potissima uelut pluries dictũ est consentaneum est ac rationabile, ut de medio demonstrationis potissimæ sermo intelligendus sit in titulo præsentis quæsiti. Tertius terminus tituli, est ly, causa: & aduertendum est, quod cum causa sit de numero corũ, quæ multipliciter dicuntur, sicut & principium, ut refert Au. secundo de anima, com. 36. & quinto metaph. in principio in tex. com. 2. multæ utiq; possent in medium afferri, & recenseri distinctiones, & significata ipsius causæ. quæ uideto & legito in secundo phys. & quinto metaph. nam ea tum quia non faciunt ad nostrum propositum. cum etiam quia breuitati studemus, prgtermittẽdo putauimus: uerum hæc necessario annotanda est distinctio ex Auer. in primo poster. com. 11. in quæsitõ tertio log. de conditionibus præmissarum demonstrationis: & in quæsito secundo poste. de medio demonstrationis. & alibi quoq; quod duplex est causa essendi & inessendi: causa essendi est illa, ad cuius esse sequitur aliud, ut colligitur ex quinto metaph. tex. com. primo: causa inessendi, dicitur ea per quã aliquid inest alicui, & talis causa inessendi uocatur etiam causa inferendi, seu illationis, & dicitur quoque causa cognoscendi nam nomina sinonyma sunt: & isto modo effectus potest dici causa suæ causæ, ut patet in illo modo demonstrationis quia, quando causa demõstratur per suũ effectum: & habita hac distinctione dicendum est, quod causa in titulo huius quæsiti sumitur pro causa essendi et inessendi simul. & non essendi tantum, neque inessendi tãtum, ut etiam infra diffusius dicemus contra Alpharabiũ, & Auicenn. Amplius sciri necessario declaramus, quod non sub nomine definitionis. sed sub nomine causæ, præsens quæsitum moueri debet, dicendo quod est medium in demonstratione potissima, causa maioris uel minoris, & non definitio maioris uel minoris. Vnde inferimus aduersus omnes latinos expositores, quòd maximopere hallucinantur & toto cœlo errant, mouẽtes quæstionem sub nomine definitionis, & non causæ, quando quærũt, quod est medium in demonstratione, definitio subiecti, uel passionis? Et quod ipsi errauerit efficacissimis rationibus demonstrabimus. Prima ratio hæc est. & sumitur ex demonstrationis operatione: nam demonstrationis operatio est, seu munus est, esse rei uel non esse rei notum facere, uelut habetur in secundo poste. 17. & 45. & in epit. log. cap. de diffinitione: sed ipsum esse, est effectus causæ, qua de re medium in demonstratione, sub nomine causæ quæri debet, & non sub nomine definitionis, ut falsò latini dicũt, & confirmatur ista ratio per Arist. secundo post. tex. commẽ. 5. & 6. ubi dicitur (ut notat etiam Eustrathius) quod quando quærimus si eclypsis sit, quærimus causam utrũ sit ipse defectus in luna, & euenit tam in quæsito simplici quam in quæsito secundum partẽ: medium igitur ut causa, & non ut definitio, quæri debet in præsenti quæsito. Secunda ratio, semper priora sunt posterioribus præponenda, ut nobis notatum reliquit Arist. quinto metaphy. tex. com. 16. & primo phys. tex. comm. 4. dicit Aristo. quod communiora sunt ordine doctrinæ præponenda in scientiis. Et Auer. in prologo physi. & in prologo primi post. in mag. commen. tres assignat causas, quare communiora debent, præcedere minus communia. Prima causa, quia sunt notiora apud nos. Secunda causa, ne fiat in scien

tia repetitio. Tertia causa, ut demonstrationes procedant ex primis, & propriis: & secundum quòd prima causa nedum assignatur ab Arist. in primo physi. tex. com. 4. sed etiam in tex. com. 57. ubi dicit, est enim secundum naturam prius communia dicere, & sic circa unumquodque propria speculari. Ipsa uero secūda causa sumitur ab Aristo. in primo de partibus animalium in principio, inquit enim, quod ab ipsis communibus est incipiendum, ne idē multoties repetere contingat: & tertia demum causa sumitur ab Arist. in lib. post. cap. de uniuersal. Tunc stantibus his auctoritatibus pro maiori subsumitur minor ista: sed causa communior, & prior est, quàm definitio, ergo præponi debet ipsi definitioni & per consequens medium ut causa debet quæri in demonstratione, & non ut definitio. Probatur minor ex Auer. in primo de anima com. 5. & primo physi. & secundo physic. utrobique com. 28. Vbi dicitur, quòd definitio non componitur nisi ex principiis, quæ sunt in re: causa uero tam in re, quam extra rem. ergo communior, & prior est causa, quàm definitio. Tertia ratio efficacissima, Arist. sexto metaph. tex. comm. 4. & quinto metaph. tex. 13. diuidit ens, in ens per se, & in ens per accidens; & dicit in sexto metaph. com. 4. quod ens per accidens a nulla scientia consideratur, neq; speculatiua, neq; operatiua. tunc stante hac auctoritate Arist. arguitur sic, sumendo minorem: sed per accidens est, quod medium in demonstratione sit diffinitio, & per se est, quod sit causa, ergo ut causa debet quæri medium, & nō ut definitio. Probatur minor per Auer. in secundo poste. com. 95. in fine, & in secundo quæsito poster. ubi loquitur de medio demonstrationis, & in epistola de primitate prædicatorum in demōstrationibus, & alibi quoq; dicit, quod medium semper est causa in demonstratione, siue fuerit dictio simplex, siue composita: nam dictio simplex, quę est altera definitionis pars. s. differentia, ut causa est medium in demonstratione, & non ut definitio, quoniam sola differentia non facit definitionem. ergo signum est, quod medium in demonstratione non debet quæri ut definitio: sed tantum ut causa, quoniam si euenit ut medium quādoq; sit definitio, scito quod non ut definitio, sed ut causa tantum, ut diffusius infra dicemus recitandu opinionē Auer. Confirmatur hoc per Arist. in secundo poste. tex. com. 5. ubi Arist. medium ad causam reducit, & non ad definitionem, & inquit, contingit in omnibus quæstionibus quærere, aut si est medium, aut quid est medium, causa enim est medium. Cōfirmatur etiam, quia Arist. ubi sermonem fecit de scire, siue demonstratiuo, siue definitiuo, semper mentionem fecit de causa, & non de definitione. ut patet primo physic. tex. com. primo, & primo poster. tex. com. septimo, dixit scire opinamur unūquodq; quæsitum, cum causam illius cognoscimus, & non dixit definitionem, ergo signum est euidētissimum, quod medium semper quęri debet ut causa, & non ut definitio. Et dicant Latini quicquid eis libuerit, non enim habuerunt Arist. mētem. Quarta ratio talis est: Quarto ars assimulatur operi naturæ tanto perfectior est, quia ars debet imitari naturam inquantum potest, ut docuit Arist. quarto metheo. cap. 29. & colligitur ex secundo physi. 23. & 24. & primo poste. cap. 41. 56. & secundo poster. cap. 34. & quæsito quarto posteriorístico, ubi dicitur, quod tunc sciētiæ & artes sunt ueræ, cum insequuntur modū naturæ. Et propterea Aue. obiurgauit Galenum in primo priorum ponentem quartam figuram, quia non secutus fuit ipse Galenus opus naturæ, in ponendo quartam figuram. Et stātibus his auctoritatibus pro maiori, subsumitur hæc minor: sed capiendo medium ut causa, magis sequimur modū naturæ quā capiendo ut definitio: ergo medium ut causa, & non ut definitio debet sumi in præsenti quæsito: probatur minor quoniam Arist. definiendo naturam, in secundo physico. tex. com. 3. dixit esse principiū, & causam motus, & quietis, eodem quoq; modo ars procedere debet per modum causæ. Ex his omnibus igitur rationibus manifestissime apparet aduersus Latinos, medium sub nomine causę, & non sub nomine definitionis quærendum esse. Sed quispiam Latinorum opinionem tueri posset, quod medium ut definitio, & non ut causa sumi debet in præsenti quæsito per auctoritates plurimas Arist. & Auer. Primus locus est Arist. in primo de anima tex. comm. 11. ubi dicitur, ꝙ principium omnis demonstrationis, est quod quid est. i. definitio, ergo medium sumitur in demonstratione, ut definitio, & non ut causa. Secundus locus Arist. habetur in secundo post. tex. com. 41. & tex. com. 95. quod ratio prima. i. definitio maioris extremi est medium in demonstratione, & non dicit, causa maioris extremi, ergo medium ut ratio. i. definitio sumi debet in demonstratione, & non ut causa. Tertius est locus Auer. in secundo poste. cap. 95. ubi dicit, quod medius terminus est definitio maioris, similiter dicit in secundo poster. comm. 41. & in quæsito tertio logico. de conditionibus præmissarum demonstrationis, multis quoque aliis in locis utitur Auer. hoc nomine definitionis, dicens quod definitio est medius terminus: non ab re igitur est si Arist. & Auer. de medio sub nomine definitionis loquuntur. quod Latini quoque eodem loquendi modo utantur, quod medium sit definitio: quando loquuntur de medio demonstrat. Pro solutione, & uero istarum auctoritatum intellectu: scīēdum est primo, quod uera, & germana Aristo. & Auer. opinio de medio demonstrationis, quod sit causa maioris extremi, & hæc causa est duplex, secūdum quod duplici modo potest explicari: uno modo per dictionem simplicem. s. per alteram partem definitionis, quæ est differentia, & non genus: alio modo per dictionem compositam, & sic est definitio tota: hoc expresse dixit Auer. secundo poste. cap. 95. & in quæsito secundo poster. ubi loquitur de medio demonstrationis, & alibi ut dicemus diffusius infra: ueram Arist. & Auer. opinionem narrando de medio demonstrationis potissimæ. Secundo notandum est, quod ubicunq; Arist. & Auer. dixerunt: definitionem esse medium in demonstratione: hoc modo intelligi debet: quòd definitio est medium non ut definitio, sed ut causa: & ideo errarūt Latini, dicentes, & sibimet persuadētes, ꝙ definitio ut definitio est medium in demonstratione, nullam prorsus mētionem facientes de causa: & stantibus hisce duobus prę suppositis facile exponūtur supradictæ auctoritates, a Latinis adductæ. Ad primum locū ex primo de anima tex. comm. 11. dicitur, quod quid est. i. definitio, est principium . i. est causa omnis demonstrationis, simpliciter & propter quid tantum, & uult sic dicere Arist. quòd ipsum, quod quid est, est mediū in demonstratione, non ut quod quid est. sed ut principium, & causa, nam dicebat Arist. in tex. illo, quòd uera sciētia de anima, duobus modis, & instrumentis acquiritur, demōstratione inquam, & definitione per demonstrationem accidentia propria, & per definitionem animæ substantiā scimus: & non uult dicere ibi Arist. ꝙ definitio animæ, ut definitio sit medium in demonstratione, sed ut principium, & causa, maioris extremitatis. s. accidentis proprii ipsius animæ, & minoris extremitatis quæ est ipsa anima, nam medius terminus potest etiam esse causa minoris extremi, licet necessario, & principaliter sit causa maioris ut infra in opinione Arist. & Auer. dicemus. Ad secundum locum ex secūdo post. tex. com. 41. & 95. respondetur sicut ad primum, quòd quamuis Arist. dicat in ambobus textibus, quòd ratio. i. definitio sit medium, non tamē dicit quòd definitio, seu ratio, ut ratio est medium in demonstratione, & iste exponendi modus est ad Arist. & Auer. mentem, ut paulo post patebit. Ad tertium quoq; locum, qui sumitur ab Auer. secundo poste. 95. 41. & in quæsito tertio logi. & alibi ubi dicitur quòd definitio maioris, est medius terminus, dicēdum est, quod

Auer.

Auer. asserit medium esse causam & distinguit de ipsa causa, ut diximus in primo. Secundum, quædam est simplex ut differentia, & quædam est composita ut tota definitio: sed tamen non dicit, quod ipsa definitio ut definitio sit medium in demonstratione. Nam Latini omnes præsupponunt, definitionem esse medium in demonstratione: sed certãt, cuius definitio est medium, subiecti uel passionis: Et nos sole clarius demonstrauimus, eorum præsuppositũ esse falsum. quoniam debebant quærere sub nomine causæ, ut iam uberrime aduersus eos exarauimus. Quartus & ultimus terminus huius tituli est, ly, maioris & minoris extremi: pro cuius faciliori intellectu notato: quod maior & minor extremitas possunt bifariam considerari: uno modo prioristice seu syllogistice. alio modo posterioristice seu demonstratiue. Primo modo maior extremitas potest esse quilibet terminus cuiuscunque prædicamenti. sũptus in maiori propositione, cũ medio: & similiter minor extremitas hoc modo considerata, potest esse quilibet terminus cuiusque prædicamenti, sumptus in minori propositione cum medio: & hoc modo prioristico seu syllogistico considerauit Aristo. maiorem & minorem extremitates in primo priorum cap. quinto ubi utramlibet definiendo sic dixit: extrema uerò uoco, & quod ipsum in alio est, & in quo aliud est. Secundo modo, scilicet posterioristice seu demonstratiue maior extremitas non potest esse quilibet terminus cuiuscunque prædicamenti: sed per se & ut in pluribus est propria passio, quę à Ioanne Grãmatico, Themistio, cæterisq; Grecis, dicitur quæsitum: & minor extremitas hoc etiam modo considerata, non potest esse quilibet terminus cuiuscunque prædicamenti: sed per se, & ut plurimum, est subiectũ, quod ab Eustratio, Philopono, & Themistio concessum uocatur. Et notandũ quod de maiori & minori extremitatibus isto modo consideratis locutus est Arist. primo poster. cap. 25. & tex. comm. 76. ubi dixit, quòd omnis scientia demonstratiua circa tria est, scilicet est constans ex subiecto, dignitate, & propria passione, & dicitur etiam sic, quod scientia demonstratiua tria habet, scilicet quòd, de quo, & propter quod, idest passio propria quæ demõstratur, & de quo, id est subiectum de quo demõstratur propria passio. Et propter quod, idest dignitatem, seu medium terminum per quem demonstratur, passionem inhærere subiecto: & hac distinctione posita: dicitur quòd maior & minor extremitas nõ sumuntur prioristicè seu syllogistice in titulo præsentis quæsiti: sed posterioristicè seu demonstratiuè: quoniam quærimus, quòd est medium, causa passionis, uel subiecti. Superest modo ex declaratione habita quatuor terminorum positorum in titulo præsentis quæsiti, uerum ac clarum aperire sensum quæsiti: ita quòd hoc quærere intendimus: quod est medium, scilicet logicum & demonstratiuum in demonstratione, non quia & propter quid, sed potissima, causa, scilicet essendi & inferendi simul ipsius maioris, scilicet passionis, uel causa essendi & inferendi simul ipsius minoris, idest subiecti, uel utriusque, scilicet causa subiecti & passionis simul. Et hæc dicta sufficiant circa titulum quæsiti.

Caput secundum in quo Arabum, Græcorum, & Latinorum uariæ narrantur opiniones, & impugnationes contra ipsa ponuntur.

Opinio Alpharabii Abumazar. De Medio demonstrationis simpliciter.

INter Arabes Alpharabii opinionem primo exarare uolumus, Auerro. ordinem sequendo, ueluti ipse refert in secundo quæsito poste. de medio demonstrationis in quo asserit quòd Abumazar, scilicet Alpharabius dixit in suo libro, scilicet de demonstratione: quod necessario oporteret, ut causa quę est medius terminus in demonstratione sit definitio, aut pars definitionis, scilicet tam genus, quã differentia amborum extremorum, aut pars sit unius ipsorum, scilicet extremorum, aut sit, scilicet definitio uel pars definitionis alicuius rei, quæ est aliquo modo communis ambobus extremis. Et hoc Alpharabius decreuit & uoluit credens, quod demonstratio simpliciter sit trium specierum. Prima in qua medius est causa amborum extremorum, exemplum: ut omne animal rationale est risibile, omnis homo est animal rationale, ergo omnis homo est risibilis. Medius terminus huius demonstrationis est ly, animal rationale, & talis medius terminus est causa minoris extremitatis, scilicet hominis, & est causa maioris extremitatis, scilicet risibilitatis. Secunda demõstrationis species est in qua medius terminus est solum causa maioris extremitatis. exemplum. ut omne animal habens aptitudinem ad ridendum est risibile: ergo omnis homo est risibilis: medius terminus huius demonstrationis est ly, aptitudo ad ridendum. & solum est causa maioris extremitatis, scilicet risibilitatis, & non minoris scilicet hominis, ut patet. potest etiam assignari exemplum in quo ponitur definitio eclypsibilitatis, ut patet secundo poster. cap. octauo & tex. commen. 41. Tertia species demonstrationis simpliciter, in qua medius terminus est solum causa minoris extremi. exemplum: ut omne animal est corpus, omnis homo est animal, ergo omnis homo est corpus. medius terminus est ly, animal, quod non est causa maioris extremitatis scilicet corporis, sed tantum est causa minoris extremitatis scilicet hominis. Sed dices, quæ istarum specierum est dignissima & perfectissima secundum Alpharabium? Respondet Auer. narrando opinionem Alpharabii in epit. logic. cad. de demonstra. ubi talia uerba refert. Et scitu dignum est, quod dignissima harum combinationum, in qua fit demonstratio simpliciter: est illa cuius medius terminus est causa duarum extremitatum. Deinde post hanc, scilicet in secundo loco est illa in qua est causa maioris solum. Et imperfectissima earum est, scilicet in tertio loco, in qua est causa minoris solum. Adhuc dubitabis & non ab re: quia uidetur uarius ipse Alpharabius in sua opinione. aliquando enim uult medium esse causam tantum minoris. ut refert Auer. primo poster. 11. aliquando uero concedit esse causam maioris & utriusque simul. & sic uarius uidetur in eius opinione. Respondet Auer. in tertio quæsito logic. de conditionibus præmissarum demonstrationis: quod uera & propria Alpharabii opinio sic est intelligenda, quod conditio essentialis, & necessario requisita ad medium demonstrationis simpliciter est, quod sit tantum causa minoris extremi: si uerò euenit quod sit causa maioris, uel utriusque, hoc est per accidens, & non necessario. Sed tu dicere posses, ex quo loco habetur, quod hoc modo sit intelligenda opinio Alpharabii? Dicitur, quod ex quæsito tertio logic. de conditionibus præmissarum demonstrationis: Vbi Auer. sic formaliter protulit. {Veritas autem est quod ipse idest medius terminus nõ sit causa maioris secundum se, neque ipsum essendi in minori sed est causa minoris solum. Cum uero sit causa essendi maiorem in minori, non causæ ipsius secundum se, tamen est causa accidentalis, nam quicquid est causa ipsius esse essentialis rei, est causa sui secundum se} hæc sunt uerba, quæ refert Auer. de mente Alpharabii. Et quod sic debeat intelligi opinio Alpharabii confirmatur ex hac ratione, euidẽtissima, quia Auer. in primo post. commen. 11. digrediendo de medio demonstrationis aduersus Alphar. & Auic. dicit, quod opinio Alpharabii de medio demonstrationis est, quod medius terminus sit tantum causa minoris; ergo si euenit quod sit causa minoris. uel utriusque, hoc per accidens intelligendum est, ut iam Auer. aduersus ipsum Alpharabium in primo post. com. 11, arguebat,

se, & primae idest secundum quod ipsum: nihilominus nobilissima & excellentissima ipsarum trium conditionum & fortissima, est ipsas praemissas esse primas: & parum post subdit ipse Auerroes. {Iam autem significatur, quod primitas sit fortissima conditionum demonstrationis.} Ex quibus omnibus dictis clarissimę apparet probatio, quod praemisse & conclusio demonstrationis supradictae, sint propositiones per accidens. Vnde quisque facile tueri posset, omnes istas propositiones esse per accidens: omnis homo est animal, & omne animal est corpus, aut quod omnis homo sit corpus: & sic de consimilibus in quibus genus de specie, & superiora de suis inferioribus praedicantur: dici potest, quod sunt propositiones per accidens, per supradictas autoritates Auerro. Sed tu dicere posses quod ista propositio, homo est animal, est propositio per se & non per accidens, & probatur per Aristotelem in primo posteriorum tex. commen. 30. ubi assignat primum modum dicendi per se, & dicit, quod tres sunt gradus primi modi dicendi per se. Primus quando tota definitio de definito. Secundus quando differentia de definito, ut homo est rationalis. Tertius est, quando genus praedicatur de definito ut homo est animal: ergo si est in primo modo dicendi per se, & in tertio gradu: tunc non erit per accidens: quoniam nulla propositio per accidens est in aliquo modo dicendi per se. Confirmatur hoc per Auerroem in epit. logic. capitulo de demonstratione, secundo de anima. com. 67. & in quinto met. com. 13. & septimo met. com. 11. & alibi quoque, in quibus sane locis dicit quod ista propositio, homo est animal, est per se, & in primo modo: ergo non per accidens erit. Pro solutione notandum, quod per accidens bifariam capitur: uno modo ut distinguitur contra id, quod est per se: alio modo sumitur, ut distinguitur contra id, quod est secundum quod ipsum, idest conuertibiliter se habens. Tunc stante hac distinctione. Dicimus quod quando Auerroes uoluit in supradictis locis, quod homo est animal, est propositio per accidens. sumitur ibi per accidens secundo modo, ut distinguitur contra id quod dicitur secundum quod ipsum, & non sumitur primo modo, ut distinguitur contra id quod est per se: & sic talis propositio, homo est animal, est per accidens, quia non est secundum quod ipsum, idest quia praedicatum nō conuertibiliter se habet cum subiecto, & quando probatum fuit, quod sit per se, in primo modo dicendi per se: dicimus quod uerum est quod sit per se, isto modo: negauimus autem quod sit per se alio modo: & sic nulla erit contradictio: asserere quod talis propositio, sit per se, & per accidens, homo est animal, respectu tamen diuersorum modorum considerandi: est enim per se, quia est in primo modo dicendi per se, & est per accidens, quia praedicatum non conuertitur cum subiecto, ut diximus iam paulo ante.
Amplius notandum est, quod talis propositio, est necessaria accidentalis, & non essentialis, ut dixit Auerroes primo posteriorum com. 44. sicut etiam diximus diffusius in primo libro posteriorum in expositione com. 44. ubi plura annotauimus de ipso necessario, & quotuplex, sic secundum Aristotelē & Auerroem et Graecos, & pro nunc sat sit monstrasse locum.

Tertia ratio demonstratiua.

Si medius terminus est tantum causa minoris extremi, tunc accidit quod ipse sit posterior maiori extremo: sed hoc est falsissimum, quod medius terminus sit posterior maiori extremo, ut docuit Aristoteles supra tex. comm. 11. ubi dixit quod praemissae sunt causae, priores, & notiores, idest medius terminus contentus in praemissis est causa, & prior, & notior: & si medius terminus est causa prior, utique debet esse causa prior, eo extremo, quod extremum quaeritur in demōstratione, sed extremū quod quaeritur per demonstrationem sciri, dicitur esse maius extremum, idest propria passio: ergo a primo ad ultimum, ipse medius terminus non potest esse posterior maiori extremo: sed est causa eius, & prior & notior eo. Probatur sequella quod tunc ocaccideret: quia si per ipsum Alpharabium medius terminus est tātum causa minoris extremi: de necessitate accidit quod non sit causa & prior ipso maiori extremo: sed potius causatus & posterior ipso maiori extremo: & sic sequella iam patet. Et aduertito, quod haec tertia ratio demonstratiua tangitur ab Auerroe in secundo quaesito posteriostico de medio demonstrationis, ubi Alpharabium, & Auicennam simul obiurgans: sic formaliter dicit. Sermones autem duorum uirorum circa hanc rem sunt affines secundum significatum: nam si demonstratio largiatur causam & esse, & eius medius terminus est tantum causa minoris: accidit quod sit posterior maiori. Quarta ratio posset fieri aduersus Alpharabium, eo quod falso posuerit diuisionem illam de triplici specie demonstrationis simpliciter, & uide pro hac quarta ratione, quae dixit Auerroes arguendo contra ipsum alpharabium supra scilicet in commento, undecimo, quod non debet dari talis diuisio de triplici specie demonstrationis simpliciter. Quinta ratio, uidetur expressa contradictio in opinione ipsius Alpharabij, quoniam inter species demonstrationis simpliciter, dicit ipse quod nobilissima & dignissima species est illa, in qua medius terminus est causa amborum extremorum: & imperfectissima est, in qua medius est tantum causa minoris extremi; & alibi dicitur ut Auerroes refert de mente Alpharabij, quod ueritas est, quod medius terminus solū sit causa minoris: ergo si solum est causa minoris, tunc illa species demonstrationis simpliciter, in qua medius, terminus est tantum causa minoris, erit dignissima & perfectissima: & non imperfectissima: & sic uidetur Alpharabius sibi contradicere. Neque enim credendū est, quod Auerroes aliter attribuerit & impinxerit ipsi Alpharabio quam ipse senserit, siquidem nondum compertum est Auerroem attribuere autoribus, quod ipsi non dixerint: & sic cōcludendum est Alpharabiū sibi cōtradicere: & si dicatur pro Alpharabio (ut supra diximus in fine cōmenti, undecimi) quod quamuis demonstratio in qua medius terminus est causa amborum: sit perfectissima adhuc dicitur per accidens hoc esse: quoniam ratio essentialis medii termini in demonstratione secundum ipsum Alpharabium est, quod sit tantum causa minoris nos dicimus quod non potest excusari Alpharabius a contradictione & a uarietate: quoniam ipse uoluit quod perfectissima et dignissima species demonstrationis simpliciter sit illa, in qua medius terminus est causa amborū: & totus error Alpharabii in hac contradictione fuit, eo quod uocauerit perfectissimam, & dignissimam demonstrationis speciem, illam: in qua medius terminus est causa amborum, et eam imperfectissimam esse, in qua est tantum causa minoris: confirmatur adhuc, quod sibi contradicat, quoniam in secundo loco posuit demonstrationē in qua medius terminus est tantum causa maioris, & in tertio loco in qua est tantum causa minoris: ergo demonstratio in qua medium est tantum causa maioris, est perfectior demonstratione, in qua medius terminus est tantum causa minoris. Et sic omnibus modis sibi contradicit. Sexta ratio: ita nobis dicendum occurrit de Alpharabio: sicuti dixit Auerroes contra Auicennam in tertio coeli commento 67. quod paucitas exercitationis in naturalibus. & bona confidentia in proprio ingenio, induxerunt Auicennam in multos errores. Similiter dicimus in Alpharabium, quod propter paruam in rebus naturalibus exercitationem, & nimiam ingenii sui praesum

ptionem, in multos prolapsus fuit errores, adeo quòd sibi met persuaserit Aristotelem fuisse mancum in libro Posteriorum in assignandis conditionibus præmissarum demõstrationis simpliciter, & in multiplicãdis speciebus demõstrationis simpliciter, & propterea ipse Alpharabius edidit librum de demonstratione, in quo credidit suppleuisse omnes defectus Aristotelis circa ipsam demonstrationem, sicut Auerroes noster refert in Epi. logic. cap. de demonstrat. & in 3. quæsito logi. de conditionibus præmissarum demonstrationis: quibus in locis quamplurimæ ab Auerroe narrantur conditiones & species demonstrationis simpliciter secundum Alphara. mentem quas profectò haudquaquam legere uos tedebit.

Opinio Auicennæ, de medio demonstrationis simpliciter.

Auicennæ opinio talis est, quòd medius terminus demonstrationis simpliciter, tantũ est causa inessendi maius minori, idest tantum est causa, per quam maius extremum inest seu inhæret minori extremo, ueluti retulit Auerro. primo poster. commen. 1 t. & secundo quæsito poster. & secundo posterio. commen. 95. 41. & in epit. logic. capit. de demonstratione. Verum pro clariori & pleniori intellectu totius opinionis Auicennæ, necessario hæc annotanda sunt. Primum tale est, quòd duplex est species demonstrationis simpliciter, una est, in qua medius terminus est prior minori extremo, & posterior maiori extremo, idest medius terminus est causa essendi minoris extremi, & est causatus a maiori extremo, & quamuis sit causatus a maiori extremo, tamẽ est causa inessendi ipsius maioris extremi, idest est causa per quam ipsum maius extremum inest ipsi minori extremo: exemplum, omne animal est corpus, omnis homo est animal: ergo omnis homo est corpus: medius terminus est ly, animam, quod est causa minoris extremi, idest hominis: & est causatum a maiori extremo, quod est ipsum corpus, & quamuis sit causatum ab ipso maiori extremo, tamen est causa inessendi ipsius maioris extremi, si quidem per animal tanquam per medium terminum, corpus inest homini: & ista species demonstrationis simpliciter tangitur ab Auerro. in comment. 1 t. recitando opinionem Auicennę, in quo commento Auerro. uixit, quòd propositio illa Auicennæ, medius terminus est causatus a maiori extremo, habet duos sensus, sicut iam ibi exposuimus. Alia uero species demonstrationis simpliciter secundum Auicennam, tunc est, quando medius terminus est posterior ambobus extremis, idest causatus ab ambobus extremis: & est causa inessendi maioris extremi: exemplum, omne risibile est animal rationale, omnis homo est risibilis: ergo omnis homo est animal rationale: medius terminus est ly, risibile, quod est causatum ab ambobus extremis, in diuerso tamen genere causæ, a maiori extremo in genere causæ formalis, si quidem animal rationale, est causa formalis risibilitatis, & a minori extremo in genere causæ materialis. nam homo est causa materialis risibilitatis: & assignatur cã quia quarto metaph. secundo substantia est causa materialis accidentis: & quamuis ipsum risibile sit causatum ab ambobus extremis nihilominus est causa inessendi maioris extremi, idest est causa per quam inest animal rationale ipsi homini: & hæc secunda species demonstrationis simpliciter tangitur etiam ab Auer. secundo quæsito poster. de medio demonstrationis quando narrat opinionem Auicennæ. Secundum notandum hoc est: quòd secundũ Auicennam, conditio necessario requisita ad medium terminum demonstrationis simpliciter, est quod tã tum sit causa inessendi maius minori, & non necessario requiritur quod sit causa essendi. & hoc patet declaratum per secundam speciem demonstrationis simpliciter ab ipso Auicenna paulo ante assignatam: ubi medius terminus est tantum causa inessendi maius minori, & causatur ab ambobus extremis: & quod hoc pacto sit intelligenda talis opinio Auicennæ: probatur ex hoc signo, quia Auerr. supra com. 1 t. recitando opinionem Auicennæ, tantum loquitur de causa inessendi maius minori. Sed dubitabis, quia Auicenna posuit medium terminum esse etiam causam minoris extremi: ut dictum est supra in prima specie demonstrationis simpliciter secundum ipsum Auicennã: & Auer. etiam hoc idem dixit pro opinione Auicennæ in com. 1 t. Respondetur sicut etiam diximus in expositione comm. 1 1. quod per accidens concedit Auicenna medium terminum esse causam minoris extremi: & per se uult, ꝙ sit tantum causa inessendi maius minori. Et aduertẽdum, quod quidam moderni non potuerunt ita distinctè, & clare percipere hanc fuisse Auicennæ opinionem: non enim intellexerunt quid sibi uelit Auer. in secundo quæsito poster. de medio demonst. quando Auicennæ narrat opinionem, tu uero sic intelligito, ut iam diximus, & memento, quod tota opinio Auicennæ in illa duplici demonstrationis specie consistit, quam posuimus de eius mente. Qua utique distinctione de duplici specie demonstrationis bene intellecta: nulla erit repugnantia in dictis Auerr. dum narrat Auicennæ opinionem. Ratio, qua Auicenna suam tuetur opinionem talis esse uidetur: medium debet ordinari secundum naturam syllogismi, ita quod si syllogismus est necessarius, & medium debet esse necessarium: sed dicendo sic, omne animal est corpus, omnis homo est animal: ergo omnis homo est corpus: iste syllogismus est necessarius: ergo medium debet esse necessarium: & tale medium est tantum causa inessendi, seu inferendi corpus de homine, & non est causa essendi: ergo ad hoc ut aliquid sit mediũ in demonstratione simpliciter, requiritur quod tantum sit causa inessendi.

Aduersus Auicennam arguitur, quod medius terminus non sit tantum causa inessendi maius minori, sed oportet, ꝙ sit causa essendi.

Illud est medium in demonstratione potissima, quod est causa essendi, & inessendi ipsius maioris: ergo Auicenna errauit, dicens quod tantum debet esse causa inessendi maioris, & non essendi. Probatur per Aristotelem primo posteriorum tex. comment. 1 t. ubi ponuntur conditiones præmissarum demonstrationis simpliciter, quod debent esse causæ, priores, & notiores: & tales conditiones sunt ipsius medii termini, ut iam diximus supra, arguendo demonstratiue contra Alpharabium: ergo medius terminus oportet necessario, quod sit causa essendi, & nõ tantum inessendi, ut male, & satis erronee dixit Auicenna. Et aduertito, quod longe irrationabilior, & peior est ista opinio Auicennæ quam illa Alpharabii, quoniam de ratione ueræ scientiæ est, ut dixit Aristo. primo posteriorum tex. commenti, septimo, quod tunc aliquid uera scientia scitur, quando scitur per causam eius essendi, & non tantum inessendi, & hoc uoluit, & explicauit Aristoteles quando dixit per quam, scilicet causam res est, sed res est per causam essendi, & non tantum per causam inessendi: ergo medium ad ueram scientiam habendam debet esse necessario causa essendi, & non tantum inessendi: unde uidetur, quod huiusmodi opinio sit falsa, irrationabilis, contra naturam, & impossibilis, & falsitas eius, magis apparebit infra, in propria, & uera opinione secundum Aristot. & Auerro. Amplius ea, quæ diximus supra in expositione commenti, undecimi faciunt contra ipsum Auicennam; nam dicebat ibi Auerr. quod propositio

fitio illa Auicennæ, quod medius terminus est causatus a maiori extremo: potest habere duplicem sensum: & secundum utrunque sensum impugnatur Auicenna ab Auerr. ibidem: quare illuc recurrito, & non tedebit. Præterea, distinctio illa ab Auicenna assignata de duplici specie demõstrationis simpliciter: est falsa secundum utranque speciẽ, Prima species demonstrationis simpliciter secundum Auicennam est, quod medius terminus sit prior minori extremo, & posterior maiori extremo: & quod sit falsa, potest probari per eandem rationem demonstratiuam, per quam probauimus opinionem Alpharabii esse falsam: nam dicebat Alpharabius (ut diximus) quod medius terminus sit tantum causa minoris extremi, & sicut demonstratiuè conclusimus contra Alpharabium, quod medius terminus non possit esse tantum causa minoris, sic etiam demonstrare possumus contra Auicennam, quod non possit dari species demonstrationis simpliciter, cuius medius terminus sit prior minori extremo, & posterior maiori extremo: siquidem hoc modo conueniunt Alpharabius, & Auicenn. & hoc uoluit dicere Auer. in secundo quæsito posteriorum, de modo demonstrationis in illis uerbis, quando dixit { sermones autem duorum uirorum circa hanc rem sunt affines secundum significatum } idest opinio Alpharabii, & Auicennæ, uidentur conuenire in hoc, quòd medius terminus sit causa minoris, & hoc tu intelligas, circa primam speciem assignatam ab Auicenna, quoniam secundum ipsum in secunda specie demonstrationis simpliciter, medius terminus est posterior ambobus extremis: & aduertito, quòd hucusque non fuit ita rectè, & uere intellectus sensus uerborum Auer. in septimo quæsito poster. de medio demonstrationis. Illa etiam secunda species demonstrationis ab ipso Auicenna assignata, in qua medius terminus est posterior ambobus extremis, idest causatus ab ambobus extremis, quòd sit falsissima, & ab omni ueritate remota, iam notum est, siquidem in fine abhominationis est confiteri, quòd medius terminus sit causatus, & nullius sit causa secundum esse: nam expresse iubet Aristoteles primo posteriorum textu commen. septimo, quod illud medium, per quód scimus aliquid, necessarium est, quòd sit causa illius, secundum esse: & sic ambæ species demonstrationis, quas Auicenna tradidit, tum falsæ sunt, cum etiam Aristotelis non sapiunt doctrinam. & ideo non ab re doctissimus Auerroes noster in secundo quæsito posteriorum de medio demonstrationis aduersus Alpharabium, & Auicennam dixit, quòd tam species demonstrationis simpliciter ab Alpharabio assignatæ, quę sunt tres, quàm etiam duæ aliæ species ab Auicenna traditæ, non sunt demonstrationes, sed tantum sunt syllogismi ueridici non per se: & dicit nõ per se, quia non habent primum, idest conuertibile cum subiecto: & distinguit Auerroes de ly. per se: quoniam capitur dupliciter, uno modo uniuersaliter, alio modo proprie: & hæc eadem distinctio ponitur ab Auerroe in tertio quæsito logicali de conditionibus præmissarum demonstrationis, ubi distinguit, quòd per accidens capitur dupliciter, scilicet communiter, & proprie: & aduertito, quod Auerroes intelligit, quòd per se uniuersaliter, seu communiter est illud, quod non conuertitur cum subiecto: & per se proprie, esse illud, quod conuertitur cum suo subiecto, seu cum illo, de quo dicitur per se. & cum omnes species demonstrationis ab Alpharabio, & ab Auicenna assignatæ non habeant prædicatum, quod per se proprie, sed tãtum quod per se communiter dicitur, ideo Auerroes uocauit omnes illas demonstrationis species, esse syllogismos ueridicos, & non per se, idest non per se, perseitare propria, & prima, seu conuertibili: bene sunt syllogismi per se, perseitate communi, seu uniuersali, idest non conuertibili,

Opinio Græcorum asserentium, definitionem passionis esse medium in demonstratione.

Themistius Aristotelis lucidissimus expositor in secundo posteriorum, cap. 31. asseruit definitionem passionis esse medium, ex hac ratione, & fundamento, quoniam si maior extremitas est uniuoca, & definitio, quæ medium est, erit uniuoca: & si maior extremitas sit analoga, etiã definitio, quæ medium est, erit analoga: & uerba formalia Themistii hęc sunt. Ratio igitur maioris extremitatis, quæ in conclusione ponitur, medium est, quo circa maiori extremitati respondere medium oportet, ut si homonyma, idest cognominis hæc sit, homonymum, & medium sumatur: si ad proportionem similis, idest analoga, eodem modo, & medium, ad proportionem simile afferatur. Sed Themistius errauit cum credidit, & sibimet persuasit, medium terminũ semper esse definitionẽ passionis. hoc. n. falsum est, quia de ratione medii termini, ut sit causa, & non uocetur definitio: sicut supra diffusius enucleauimus in primo capite, in tituli expositione: & ut etiam declarabimus infra in opinione Aristotelis, & Auerrois, & si definitio est medium, non tamen ut definitio, sed ut causa dicitur esse medium in demonstratione,

Opino Ioannis Grammatici, de medio demonstrationis.

Ioãnes Grammaticus in secundo posteriorum asseruit definitionem quæsiti esse medium in demonstratione propter quid, uoluit insuper definitionem concessi esse mediũ in demonstratione propter quid, sed per accidens. Eustrathius quoque fassus est definitionem quæsiti esse mediũ: & ambo hac fortassis mouentur ratione. Illud debet esse medium, quod dicit quid, & propter quid, sed definitio quæsiti est huiusmodi: ergo definitio quæsiti debet esse medium, maior patet secundo posteriorum, & minor etiam in secundo posteriorum ex exemplis de tonitruo, eclypsi & casu foliorum. Sed hi per eandem etiam rationẽ ueniunt arguendi, per quam Themistius, non enim definitio ut definitio, est medium, sed ut causa. Præterea, falsum est dicere, quod propria passio, seu quæsitum habet definitionem: quoniam solius substantiæ est definitio, ut patet septimo metaph. comm. 33. 14. & 15. at propria passio est accidens: ergo non habet definitionem. qua de re non rectè dicunt, definitionem quæsiti esse medium, nam si causam quæsiti dicerent, non utique errarent. Et aduertendum, quod Græcis ipsis placitum fuit dicere, quod hęc nomina, scilicet causa, & definitio adinuicem confundantur, & sic idem uidentur intelligere per causam, & definitionem. Quod absque dubio falsum esse probatur. Quia aliquod est medium in demonstratione simpliciter, quod tantum est causa, ut differentia, quæ est altera pars definitionis, & tamen non est definitio, & sic concluditur, causam, & definitionem non esse nomina sinonyma, & ad inuicem confundi: ueluti Græci putant. Amplius si Philoponus, & Eustrathius intelligunt, & quærunt de medio demonstrationis propter quid; errant toto coelo, siquidem de medio nobilissimæ demonstrationis sermo est apud Aristo, in primo posteriorum, & non de demonstratione propter quid.

Aliorum Græcorum, de medio demonstrationis opinio diuersa.

Alexander Aphrodisæus, & Simplicius concessi definitionem pro medio in demonstratione posuerunt, Theo-

phrasto astipulantes: qui principalius definitionem subiecti medium esse uoluit, secundario uero passionis definitionem stabiliuit. Et pro istis hæ possunt esse rationes. Prima quidem, quoniam passio effluit a principiis subiecti: ergo per illa debet demonstrari. Secunda ratio, proprium non habet esse, nisi per subiecti essentiam: ergo per subiecti essentiam debet demonstrari. Tertia ratio, quicquid est se demonstrat, & inesse demonstrat, sed concessi definitio ostendit rei substantiam, & esse: ergo demonstrat inesse eorum omnium, quæ concesso insunt. Quarta ratio, illud est medium in demonstratione, quo omnia quæsita soluuntur de subiecto: sed subiecti definitio est ea, qua omnia de illo quæsita soluuntur: ergo definitio subiecti est medium in demonstratione. Istarum rationum solutiones quarto cap. patebunt. Facilè est contra huiusmodi Græcorum opinionē argumentari per ea, quæ diffusius diximus supra aduersus Alpharabium, & Auicennam arguendo.

Latinorum fere omnium, de medio demonstrationis opiniones. & primo diui Thomæ opinio occurrit.

Inter Latinos expositores, primo diui Thomæ opinione dicenda occurrit, & non ab re, tum quia primi expositoris nomen dignissimè sortitus est, cum etiam quia eius sententia, & placita Arist. auribus magis conformia sunt. Dicit igitur Diuus Thomas secundo poster. lect. 7. suam opinionem, & eam profert per distinctionem, quæ talis est quòd illud, quod demonstratur est bifariam, aut est propria passio, aut definitio propriæ passionis. si est propria passio, sic medium in demōstratione est definitio propriæ passionis: si uero est definitio propriæ passionis, sic medium in demonstratione est definitio subiecti. Unde in sentimus Aegidium Romanum non intellexisse opinionem diui Thomę, nam ei impingit, quòd semper medium sit definitio passionis. Paulus Venetus etiam Aegidio astipulatus, credidit opinionem diui Thomę fuisse, quòd semper medium esset definitio propriæ passionis: & multi quoque ex nostratibus similiter crediderunt.

Rationes pro diuo Thoma, quòd definitio passionis sit medium.

Prima ratio talis est, medium, & extrema debent esse eiusdem generis, & rationis, ueluti retulit Arist. primo posteriorum cap. 23. contra Brissonem: sed si definitio subiecti esset medium in demonstratione, tunc medium, & extrema non essent eiusdem generis, sed medium esset alterius generis, & rationis, ab ipsa propria passione: quare definitio passionis debet esse medium in demonstratione, & non definitio subiecti. Secunda ratio, si definitio subiecti esset medium, tunc esset petitio in omni demonstratione. consequens est falsum: ergo & antecedens. probatio consequentiæ, quoniam definitio, & definitum sunt una, & eadem res, ut patet septimo metaphy. tex. commento 21. ergo si demonstratur passio de subiecto per definitionem subiecti, & ex consequenti demonstrabitur passio de subiecto per ipsum subiectum: & similiter demonstrabitur passio de definitione subiecti, per præsuppositum, quia definitio, & definitum sunt unamet res, & sic esset petitio in omni demonstratione: & nō magis medium in demōstratione esset definitio subiecti, quam ipsum subiectum. non igitur definitio subiecti, sed passionis debet esse medium in demonstratione. Tertia ratio si definitio subiecti esset medium in demonstratione, tunc demonstratio posset fieri ex ignotis. consequens est contra Aristo. & consequentia probatur, quia passio potest esse ita ignota de definitione subiecti, sicut de subiecto: nam habere tres angulos, est ita ignotum de definitione trianguli, sicut de triangulo. Quarta ratio, medium in demonstratione potissima dicit quid, & propter quid passionis, ut patet secundo poster. sed definitio subiecti non dicit quid, & propter quid, passionis, quia non accipit causam passionis sub ratione causæ: ergo definitio subiecti non potest esse medium in demonstratione. sed tantum definitio passionis. Quinta ratio, demonstratio est ex primis, ut patet primo posteriorum pluribus in locis: sed quando accipitur definitio subiecti non arguitur ex primis, ergo definitio subiecti non est medium: minor probatur, quia subiectum ultimum est in demonstratione. Amplius, diuus Thomas fundat suam opinionem super tex. Aristotelis in secundo poster. tex commen. 41. ubi dicit, quod ratio primi extremi est medium. Exponit sic diuus Thomas, ratio definitiua primi termini. idest maioris extremitatis. Aduertendum, quod istæ rationes concludunt uerum, ut dicemus etiam in opinione nostra secundum Aristotelem, & Auerroem, sed uidentur deficere in hoc maxime, quoniam medium non ut definitio passionis, sed ut causa passionis (ut pluries supra annotauimus in titulo quæsiti) debet sumi in demonstratione. Neque etiam uerum est, quod aliquando uelit Arist. quod definitio passionis demonstretur demonstratione potissima per definitionem subiecti: quoniam ipse diuus Thomas exponit Aristote. primo poster. tex. commen. 41. quod medium demonstrationis est ratio definitiua maioris extremi. & non dicit Arist. quod aliquando contingat, quod definitio subiecti sit medium ad demonstrandam definitionem propriæ passionis. nullibi inuenitur Arist. dixisse, rationem minoris extremi esse medium in demonstratione, sed maioris extremi. Et hoc confirmatur exempla Arist. de casu foliorum, & eclypsi, in quibus utique demonstrationibus medius terminus est tantum causa maioris extremi, & non minoris. Fortassis quispiam pro diuo Thoma dicere posset, quod ipse per se intendit, & ait medium esse rationem maioris extremi. per accidens uero esse minoris extremi ratione. Sed adhuc est difficultas: quia Aristotelis uerba, & exempla in secundo posteriorum, neque per se, neque per accidens innuunt, rationem minoris extremi esse medium in demonstratione potissima, de qua intendimus.

Opinio Aegidii Romani, de medio demonstrationis.

Aegidius Romanus in secundo poster. mouit quæstionem de medio demonstratiuo. Et quatuor in propositiones suam secauit opinionem. Prima propositio, definitio passionis, & non subiecti est medium in demonstratione potissima. & probat eam, quia scientiæ mathematicæ sunt in primo gradu certitudinis, per Auer. secundo metaph. comm. 16. in quibus utique demonstrationibus medius terminus est definitio passionis, & non subiecti: nam habere tres angulos æquales, duobus rectis, est passio demonstrabilis de triangulo non per definitionem trianguli: sed per angulum extrinsecum æquiualentem duobus oppositis intrinsecis. Et distinguit Aegidius dicens, quòd passiones sunt in triplici differentia: quòd satè diffusius apud ipsum legito. Confirmauit etiam Aegidius hanc primam propositionem ex tex. Arist. primo posteriorum tex. commen. 41. quod ratio maioris extremi est propter quid, & medium in demonstratione, quod patet exemplo de defectu lunæ. Secunda propositio Aegidii talis est, quod definitio subiecti ut includit definitionē passionis, potest esse mediū in demōstratione potissima: & quàmplurima adducit exempla pro hac secunda conclusione probāda, quæ cū magis plana sint, omisimus. Tertia propositio est ista: definitio subiecti, uel aliquid eo

eius

eius debet ingredi demonstrationem potissimam non tanquam medium, sed tanquam aliquid annexum medio, & declaratur ab ipso satis in erudite. Quarta propositio seu conclusio Aegidii haec est. Definitio subiecti potest esse medium in demonstratione non potissima, quã ipse satis pueriliter probat: si quis tamen diffusius Aegidii uerba legere optauerit, ipsum uideat. nos quatuor hisce supradictis propositionibus, illius opinionem complexi sumus, breuitati studentes. Ex omnibus quae dixit Aegidius nihil magis consonum est ueritati, quam prima propositio, sed debet intelligi de medio ut causa maioris extremi, & non debet dici sub nomine definitionis, sicut creberrime ponderauimus, & supra in titulo quae sint aduersus latinos demonstrauimus. Quàm etiam falsae sint tres aliae propositiones cum earũ probationibus, facile conuinci potest, ex iis quae demonstratiue conclusimus aduersus Arabes, & Graecos: quapropter haec satis sint.

Opinio Linconiensis, de medio demonstrationis.

Robertus Linconiensis in secundo posterior. exponens tex. 4. asserit, medium in demonstratione potissima esse definitionem subiecti & non passionis, his Arist. auctoritatibus fisus. Prima auctoritas ex primo de anima tex. com. 11. quod ipsum quod quid est, principium est omnis demonstrationis, & est quod quid est subiecti. ergo definitio subiecti & non passionis, est mediũ in demonstratione. Secunda auctoritas habetur in quarto physic. tex. com. 31 ubi dixit Arist. quod tunc unumquodque definitum, pulcherrime est definitum & declaratum, cum ex eius definitione apparet causa accidentium in subiecto, & causa discoliae, & solutio dubiorum, idem habetur primo de anima 11. & secundo de anima 12. 26. & quarto coeli primo, quapropter dicendum est, definitionem subiecti esse medium in demonstratione, & non passionis. Sed & haec quoq; opinio falsa est, & quia conuenit in re posita cum opinione Alpharabii, propterea aduersus eam eisdem rationibus uti possemus: Auctoritates ab ipso adductae inferius soluentur.

Subtiliss. Ioan. Scoti, de medio demonstrationis opinio.

Scotus in quaestion. secundo poster. quaest. 56. duabus propositionibus suam de medio demonstrationis opinionem absoluit. Quarum prima talis est, medium in demonstratione potissima, est definitio subiecti & non passionis. Secunda propositio haec est, licet definitio passionis non sit medium in demonstratione potissima, est tamen medium in aliqua demonstratione. Et aduertendum quod Scotus probat primam propositionem quo ad ambas eius partes. Et prima pars est, quod sit definitio subiecti medium in demonstratione potissima, quae sic probatur, quia cum accidens commune non demonstretur, cum insequatur singulare, remanet quòd tantum accidens proprium demonstratur, sed accidens proprium causatur à principiis speciei, ergo debet demonstrari per principia speciei, & sic definitio subiecti est medium in demonstratione potissima, Secunda pars eiusdem primae conclusionis est, quòd medium demonstrationis potissimae non sit definitio passionis, & sic probatur, quia medium in demõstratione potissima facit simpliciter notitiam, ita quod ab alio non dependet, neque in esse, neque in cognitione, sed definitio passionis dependet in esse & in cognitione à subiecto & a principiis subiecti: ergo definitio passionis nõ potest esse medium in demonstratione potissima. Secunda quoque propositio hoc modo a Scoto probatur, ex eo quia Arist. in secundo posteriorum tex. commen. 41. dixit quòd ratio maioris extremi est medium, idest definitio passionis est medium, sed non in demonstratione potissima, exponit ipse, sed in aliqua alia specie demonstrationis. Multae à Scoto & a Scotistis fiunt rationes, quod definitio subiecti sit medium in demonstratione potissima. Prima ratio talis est, dixit Arist. septimo metaphys. tex. commen. 14. & 15. quod solius substantiae est definitio principaliter: & secundario est accidentis, et uide Aue. septimo metaphy. com. 18. & 15. & 33. sed propria passio est accidens, ergo non habet definitionem: & sic definitio passionis non potest esse medium in demonstratione. Secunda ratio, accidens demonstratur & substantia definitur, ut patet per totum in primo posteriorum, & in secundo posteriorum, & septimo metaph. tũc si definitio passionis esset medium, sequeretur quod accidens quoque definiretur. Tertia ratio, illud non est medium in demonstratione potissima, quo cognito contingit quaerere propter quid, sed cognita passione de subiecto per definitionem passionis, contingat quaerere propter quid in est subiecto: ergo definitio passionis non est medium in demonstratione. Quarta ratio, demonstratio est ex necessariis, ut patet primo posterior. sed syllogismus in quo concluditur passio de subiecto per definitionem subiecti, est ex necessariis, ergo talis syllogismus est demonstratio. Quinta ratio: Illius definitio est medium in demonstratione, ex cuius principiis cognoscitur quid est passio, & quia est, & etiam causatur: sed ex principiis subiecti causatur quid passionis & etiam esse. ergo quid passionis non est medium in demonstratione. Sexta ratio, syllogismus in quo concluditur passio de subiecto per definitionem subiecti est bonus, aut ergo dialecticus, aut demonstratiuus: non dialecticus; quia dialecticus non est ex necessariis, sed tantum ex probabilibus, ergo erit syllogismus demonstratiuus. Septima ratio, definitio passionis est idem quod passio, sed nihil demonstratur per se ipsum, quia est petitio principii: ergo passio non demonstratur per suam definitionem. Octauo ratio, passio demonstratur de subiecto, aut per medium essentiale, uel accidentale illi subiecto. non per medium accidentale: ergo per medium essentiale, quod est definitio subiecti. Nona ratio, illud non potest esse medium, quod facit propositionem mediatam & demonstrabilem: sed hoc accidit apud dicentes ꝙ definitio passionis sit medium, ergo definitio passionis non est medium. maior patet primo post. et minor probatur, quoniam dicendo animal rationale est risibile, iam cadit subiectum medium. s. homo, qui est naturaliter prior ipsa risibilitate. Decima ratio, & sumitur ex aequiparentia demonstrationis uniuersalis ad particularem, quoniam in demonstratione particulari demonstratur passio de subiecto particulari per subiectum uniuersale: sed ubicunq; ponitur subiectum pro medio, loco eius potest poni sua definitio, ut patet primo poster. cap. de erroribus circa uniuersale, ergo passio est demonstrabilis de aliquo per definitionem subiecti. Vndecima ratio, dixit Aris. nono metaph. tex. com. 20. actus est ratio intelligendi & cognoscendi, & septimo metaph. tex. com. 49 actus est qui separat & distinguit: sed talis actus qui facit cognoscere & intelligere passionem inhaerere subiecto in demonstratione, est definitio subiecti, ergo definitio subiecti est medium in demonstratione. & ratio ista supponit, quod res ab eo principio cognoscitur à quo dependet: sed propria passio dependet à principio subiecti, i. à definitione subiecti: ergo cognoscitur quod insit subiecto per definitionem ipsius subiecti. Duodecima ratio, quaelibet definitio materialis est demonstrabilis potissime per formalem definitionem: sed alicuius subiecti plures sunt definitiones quarum una est materialis, & alia est formalis. ergo definitio materialis alicuius subiecti est demonstrabilis de illo per suam definitionem formalem. maior

patet in ſecundo poſterior. ubi dicitur definitionem materialem dicentem quia, uel quid demonſtrari per formalem dicentem propter quid. Et Ariſt. ſecundu de anima a tex. 11. uſq; ad tex. com. 59. demonſtrat definitionem materialem ipſius animæ per formalem: & ſecundo phyſic. demonſtrat definitionem naturæ dicẽtem quid. ſ. eſſe principium motus & quietis, per definitionem dicentem propter quid. ſ. eſſe illud quo differunt naturalia a non naturalibus, quare definitio ſubiecti eſt medium in demonſtratione potiſſima. Plures aliæ aſſeruntur a Scotiſtis rationes quas uideto apud eos. nam potiores in præſentiarum exarauimus, quarum ſolutiones inferius patebunt. Videtur Scotus in hac ſua opinione conuenire cum Alpharabio, in re poſita: nam ambo uolunt quòd definitio ſubiecti ſit medium, ſed differunt in modo ponendi, & probãdi illud. nam Scotus poſuit medium ſub nomine definitionis, & Alpharabius ſub nomine cauſæ: neque uerum eſt, quod cõueniant omnibus modis, ut multi falſo aſſeruerunt, nõ enim intellexerunt Alpharabii opinionem. Tu uero accipito eas rationes quas fecimus aduerſus Alpharabium, quæ ita concludunt in Scotum, ſicut & in ipſum Alpharabium. Amplius annotabis Scotũ erraſſe, mouendo quæſtionem ſub nomine definitionis, ſicut iam diximus cõtra uniuerſos Latinos in titulo quæſiti. Præterea falſum eſt, quod dixit in probatione ſecundæ propoſitionis, non.n. Ariſt. loquitur de demonſtratione non potiſsima, ſed de potiſſima ſicut monſtrant exẽpla poſita ab Ariſt. ſecundo poſter. per totum cap. 8. nam ſunt demonſtrationes potiſſimæ, in quibus medius terminus eſt tantum cauſa maioris extremi: & ſic Ariſt. quando dixit ſecundo poſte. tex. commen. 41. quod ratio definitionis eſt medium, intellexit in demonſtratione potiſsima. Et in ſolutione argumentorum Scoti apparebit falſitas eius probationis, quã fecit in probando ſuam primam propoſitionem, quo ad ambas eius partes. pro nunc ſat ſit monſtraſſe locum.

Pauli Veneti opinio, de medio demonſtrationis.

Paulus Venetus in ſecundo poſter. in propria eius quæſtione aſſeuerat, quod iam definitio ſubiecti quam definitio paſſionis eſt medium in demõſtratione potiſſima. et probat per exempla, rationes, & auctoritates, quibus utuntur opiniones, quod medium ſit definitio ſubiecti, et illæ aliæ opiniones, quod medium ſit definitio paſſionis. et cum ipſe tueatur utranq; opinionem, accipit quoque eaẽpla, rationes, & auctoritates utriuſq; opinionis. Sed quod talis opinio ſit falſa, iam facile patet. & licet multæ poſſent fieri rationes contra hanc opinionem, tamen has placuit nobis annotare. Et primo ſic, quoniam Ariſt. in ſecũdo poſteriorum tex. commen. 41. dixit, quod ſemper definitio paſſionis eſt medium, ergó non erit definitio ſubiecti. Secundo, Ariſt. in ſecundo poſter. demonſtrauit de luna eclypſim per interpoſitionem terræ, & nunquam per definitionem ſubiecti, idest lunæ: ergo definitio ſubiecti non poteſt eſſe medium. Tertio, demonſtratur tonitrum de nube per extinctionem ignis in nube, et nunquam per definitionem nubis, ut exemplificat Ariſt. Quarto, demõſtratur tres angulos per Angulum extrinſecum, & nõ per definitionem ſubiecti, cum non cognoſcatur illa paſſio per definitionem trianguli, ſed per definitionem paſſionis: & ſic falſum eſt, quod etiam definitio ſubiecti ſit medium in demonſtratione potiſsima.

Quorundam recentiorum, de medio demonſtrationis opinio.

Quidam alii aſſeruerunt, quòd nec definitio ſubiecti, nec definitio paſſionis, eſt medium in demonſtratione potiſſima: ſed definitio aggregata ex definitione ſubiecti & paſſionis. & probant in hunc modum: quia illud eſt medium in demonſtratione, quod eſt maxime immediatum & per maxime proprium: ſed talis definitio eſt huiuſmodi: ergo talis definitio debet eſſe medium in demonſtratione potiſsima. maior patet in primo poſteriorum, quia demonſtratio eſt ex primis, & immediatis, &c. & minor probatur, quia talis definitio eſt maxime immediata ſubiecto, ratione definitionis ſubiecti. et maxime propria ipſi paſsioni ratione definitionis paſſionis: nam ſi mediũ eſſet ſolum definitio ſubiecti, tunc non eſſet propria ipſi paſſioni. & ſimiliter ſi medium eſſet tantum definitio paſſionis, tunc non eſſet propria ipſi ſubiecto. Oporter ergo, ꝙ ſit aggregata definitio, ad hoc ut ſit propria & immediata utrique, ſcilicet tam ſubiecto quàm paſſioni: Hæc ratio ſoluetur inferius, & oſtendetur nullius eſſe momenti. Sed quòd talis opinio maxime ſit remota a ueritate, primo ſic arguitur: aggregatum per accidens nedum non ſcitur, ſed etiam non poteſt eſſe medium, ſeu cauſa ſcientiæ: ſed talis definitio eſt aggregata per accidens; ergo talis definitio non poteſt eſſe medium in demonſtratione. maior eſt Ariſt. ſeptimo metaph. tex. commen. 19. ubi dicit ꝙ aggregati per accidens non eſt definitio, neque demonſtratio etiã intelligitur: nam ens per accidens a ſcientia ſecluditur, ut nobis notatum reliquit Ariſt. ſexcẽtis in locis. & minor probatur, quia ſicut paſſio eſt accidẽs, ita definitio paſſionis eſt accidens, quoniam definitum & definitio ſunt unum et ees, ut dixit Ariſt. ſeptimo metaph. tex. commen. 21. Ergo aggregatum ex definitione ſubiecti, & ex definitione paſſionis eſt ens per accidens, & ſic non poteſt eſſe medium in demonſtratione potiſſima, talis definitio ſic aggregata. Secundo arguitur ſic & demonſtratiue contra talem opinionem. Ariſt. in ſecundo poſteriorum tex. commen. 41. determinauit medium in demonſtratione potiſſima eſſe rationem unius extremi, ſcilicet maioris extremi, & non dixit eſſe rationem amborum extremorum: aliter Ariſt. fuiſſet diminutus: quamobrem nullo modo dicendum eſt, quod definitio utriuſq; extremi ſit medium. Tertio contra hanc opinionem ſunt omnia exempla Ariſt. in ſecundo poſteriorum in quibus medium eſt tantum cauſa unius extremi. ſ. maioris. Quarto contra hanc opinionem concludunt omnia argùmenta, quæ fecimus ſupra contra tenentes definitionem ſubiecti eſſe medium in demonſtratione. Quinto talis opinio præſupponit unum falſum, quod. ſ. paſſio habeat definitionem, nam ſolius ſubſtantiæ eſt definitio, & non accidẽtis. multa alia poſſent adduci contra iſtam opinionem, ſed hæc ſufficere uidentur.

Auguſtini Niphi Sueſſani, de medio demonſtrationis opinio.

Sueſſanus in fine ſecundi libri poſteriorum loquens de medio demonſtrationis, duas aſſerit concluſiones. Prima, medium demonſtrationis propter quid, eſt definitio ſubiecti. Secunda concluſio, medium demonſtrationis eſt definitio paſſionis, & poteſt eſſe etiam definitio ſubiecti, & declarat ipſe utranque concluſionem, cum hac diſtinctione: quod ipſum quæſitum ſeu propria paſſio, bifariam poteſt conſiderari, uno modo actu, alio modo aptitudine. Si primo modo, tunc medium ad demonſtrandum ipſum quæſitum, erit definitio ipſius quæſiti. Si ſecundo modo, tunc medium erit definitio ſubiecti, & etiam poterit eſſe definitio paſſionis, quoniam cum utraque conuertitur. Et notandum quòd Sueſſanus ſibimet perſuaſit cum hac diſtinctione, conciliare & concordare omnes opiniones contrarias: & dicit quod opinio aſſerẽs quod medium eſt definitio paſſionis, ſumit ipſam propriam paſſionem in actu, ea uerò opinio, quæ uolunt medium

medium esse definitionem subiecti & passionis: intellexit & accepit ipsam propriã passionem in aptitudine. Hęc ipse Suessanus protulit. Sed tot ferè errores in hac opinione esse uidentur quot uerba. Primo errat, quia mouet quæstionem de medio demonstrationis propter quid, & nõ est excusationem dignus: quia Aristo. loquitur in primo posterio. de conditionibus & proprietatibus nobilissimæ speciei demonstrationis, cuiusmodi est demonstratio potissima, ueluti dixit Auer. in prologo primi poster. & primo poster. commen. 17. in fine & multis aliis in locis: ergo si Aristo. intentio est loqui de demonstratione potissima: quæstio debet moueri de medio demonstrationis potissimæ, & non de demonstratione propter quid. Secundo errat, distinguendo quæsitum seu propriam passionem in actu, & in aptitudine: nã clarissimus error est. quòd quæsitum in actu sit accidens proprium, cũ sit accidens commune: & probatur quod sit accidens commune ex definitione accidentis communis, quod adest, & abest, præter subiecti corruptionem, ut docuerunt Aristote. & Porphyrius: nam de ratione proprii accidentis est, ut sit in aptitudine, & non in actu: quia dum est in aptitudine est incorruptibile. cum uerò reducitur ad actum, afficitur corruptibile, & erit accidens commune. exemplum de risibilitate, & de risu. ipsum risibile est accidens proprium, & risus est accidens commune, & corruptibile: risibile cum si accidens proprium, est inseparabile à suo subiecto. risus uero cum sit accidens commune, separatur ab homine: non enim homo semper actu ridet. cum igitur accidens in actu consideratum, non sit accidens proprium, sed commune, sequitur Suessanum male distinxisse propriam passionem in actu, & aptitudine. Tertio errat, credens & firmissime asseuerans propriam passionem in actu consideratam posse demonstrari de subiecto per definitionẽ ipsiusmet propriæ passionis in actu. quod utique falsissimum & cõtra Aristotelis doctrinam est, et omnium peripatheticorum: nam docuit Aristoteles primo posteriorum textu comm. 76. quod omnis scientia demonstratiua circa tria est, scilicet subiectum, propriam passionem, & dignitatem. & plures in primo posteriorum dixit Aristote. quod accidens proprium demonstratur: & septimo metaph. protulit quod accidens commune non scitur. Tunc sic. sed propria passio in actu considerata est accidens commune, & non accidens proprium ut supra probauimus: ergo si est accidens commune, non potest demonstrari. & sequitur quod cum sit accidens commune, non habeat definitionem, & ex consequenti male etiam dixit Suessanus, quod potest demonstrari de subiecto per suam definitionem. Hæc sufficiant. Reliquum est ueram opinionem iuxta Aristotelis & Auerro. in mentem aggredi.

Caput tertium, in quo uerã Aristote. & Auerro. opinio cum eorum fundamentis, rationibus, & auctoritatibus narratur.

VEra ac germana Auerro. opinio iuxta Aristote. mentem de medio demonstrationis potissimæ, duabus aperitur conclusionibus. Prima conclusio hęc est. Necessario, per se, & semper, medius terminus demonstrationis potissimæ est tantum causam maioris extremi, idest propriæ passionis. Secunda conclusio, per accidens & aliquando euenit quod medius terminus in demõstratione potissima, nedum sit causa maioris extremi, sed etiam causa minoris extremi, idest subiecti. Et pro utraque conclusione legito Auerro. primo poster. commen. 11. & in epit. logic. cap. de demonstratione: in epistola de primitate prædicatorũ in demonstrationibus: in secundo quæsito posterio. de medio demonstrationis: in secundo posterior. commen. 41. 94. & 95. & in quæsito tertio logic. de conditionibus præmissarum demonstrationis: sed nullibi clarius ipse Auer. Explicauit secundam conclusionẽ, sicuti fecit primo posteriorum comm. 11. Sed dices an huiusmodi conclusiones sit de mente Aristote. Dicitur quod expresse posuit primam conclusionem in secundo posterio. tex. commen. 41. & 95. ubi determinauit tantum rationem maioris extremi, idest passionis esse medium in demonstratione potissima; hoc idem confirmant exempla posita ab Aristotele. secundo poster. de eclypsi, tonitru, & casu foliorum, in quibus medius terminus est tantum causa maioris extremi: & quoniam artifex demõstratiuus non curat de iis, quæ sunt per accidens, & raro; ideo non mirum erit si Aristo. secundam conclusionem non ita explicauerit. Verum pro faciliori & clariori intellectu utriusque conclusionis antequam rationes demonstratiuæ conficiantur, prius quædam necessario ueniunt declaranda & præsupponenda. Primum præsuppositum est, quod causa bifariam est: quædam est causa essẽdi, quędam uero tantum in essendi seu inferendi, ut effectus, aut signum. sicut iam superius diffusius enucleauimus in titulo expositione. Hæc distinctio ponitur ab Auerro. expresse in primo posterio. commen. 11. & in secundo quæsito post. de medio demonstrationis: & in 3. quæsito log. de conditionibus premissarum demonstrationis, & alibi quoque. Et annotatur huiusmodi distinctio, ut sciatur quod medius terminus est causa maioris extremi, idest passionis, utroque modo, scilicet essendi & inessendi, ut etiam exposuimus in titulo quæsiti. Secundum præsuppositum causam essendi in demonstratione potissima duobus modis contingit explicari: uno modo per dictionem simplicem, scilicet per alteram partem definitionis, quæ est differentia, & non genus: alio uerò modo, per dictionem complexam, scilicet per totam definitionem. Ista distinctio tangitur ab Auer. secundo poster. commen. 95. prope finem commenti: & ideo notatur, ut ab omnibus sciatur, quod secundum Auerro. medius terminus demonstrationis simpliciter seu potissimæ est causa maioris extremi duobus modis, aut ut differentia, aut ut definitio: & hoc confirmatur per ipsum Auerro. in epit. logic. quæsito tertio logic. de conditionibus pręmissarum demonstrationis, ubi hæc protulit uerba: In demonstrationibus itaque simpliciter termini medii, aut sunt definitiones maioris extremi solum, aut differentiæ. Sed quia dictum est quod aliquando medius terminus est definitio passionis, dubium est an passio habeat definitionem: nã definitio est substantiæ, septimo metaph. tex. commen. 17. 19. & quarto metaph. tex. 13. ubi dicitur quod definitio in rei ueritate non inuenitur nisi in substantia. Præterea accidens proprium scitur demonstratiuè & non definitiue, ut docuit Aristo. ergo de primo ad ultimum, medios terminus non potest esse aliquando definitio maioris extremi, idest passionis, sicut dicit Auerroes. Respondetur, quod Auerro. quando dixit in supradictis locis, quod aliquando definitio maioris est medium, non intellexit ueram definitionem quidditatiuam: quia passio cum sit accidens, non habet definitionem, ut supra bene probatum est per Aristote. sed accepit definitionem pro causa complexa, ut distinguitur contra causam simplicem, quæ est differentia: nam pluries dictum est, quod opinio Auer. est, quod medius terminus debet sumi ut causa, & non ut definitio, sicut iam in titulo quæsiti diffusius commostrauimus. Et si aliquando eueniet quod medius terminus sit uera definitio: tu intelligas respectu subiecti & non passionis; sed per accidens erit hoc, quod medius terminus sit etiam definitio subiecti; sicuti diximus in secunda conclusione secundum Auerro. Et si instabis, adhuc, quoniam Aristo. in secundo posterio. in tex. 41. & 95. dicit, quod ratio primi extremi est medium, & per rationem omnes communiter exponunt ipsam definitionem; ergo uidetur quod

passio habeat definitionem. Dicitur quod licet in tex. Aristo. habeatur ratio; tamen ly, ratio non significat definitionem, sed uaria significata habet apud Græcos illa uox λόγος & inter alia significata, aliquãdo significat causam. & sic dicimus quod Arist. per rationem seu λόγον intellexit causam. ita quod uoluit sic dicere, quod causa maioris extremi est medium in demonstratione potissima. Et hoc modo possumus etiam exponere uerba Auerro. quod ipse per definitionem intellexit rationem, quæ significat causam ueluti diximus. Tertium præsuppositum hoc est, quod inter omnes alias conditiones quas medius terminus demonstrationis potissimæ debet habere, has tres maxime habet quod, scilicet sit de omni per se. & primo, idest secundum quod ipsum & conuertibilis. hoc nedum Aristo. nos docuit, uerum & Auer. secundo quæsito poster. de medio demonstrationis. & aduertito insuper quod inter istas tres conditiones nobilissima & dignissima, est ipsum medium terminum esse primum, idest esse secundum quod ipsum & conuertibilẽ: ita iubet Auer. in epit. logic. in quæsito quarto logic. ubi loquitur de conditionibus quæ requiruntur ad necessitatem pręmissarũ demonstrationis, & idem uidetur dicere Auer. in epistola de primitate prædicatorum in demonstrationibus. Sed dices, quid intelligit Auer. per ly, primum? Respondetur, quod intelligit idem quod secundum quod ipsum, seu esse conuertibile. Et legito cum in epit. logic. in epistola de primitate prædicatorum in demonstrationibus, in tertio quæsito logic. de conditionibus præmissarum, & in quarto quæsito eiusdem: & in secundo quęsito poster. de medio demonstrationis, & in primo poster. comm. 36. in quibus locis optime digreditur Auer. aduersus Alpharabium: & nedum in istis locis, sed etiam in secundo posterio, commen. 95. prope finem digreditur contra Alpharabium, & assignat causam quare genus non possit esse medius terminus in demonstratione potissima: quia genus non est primum prædicatum, idest non est secundum quod ipsum & conuertibile: quapropter concludit Auer. ibi, quod cum sola differentia & definitio sint prima prædicata, sequitur necessario, quod sola differentia & definitio sint medii termini in demonstrationibus simpliciter. Quartum præsuppositum, scire per se & scire per accidens insigni interstitio & discrimine differunt. Scire enim per se, est cum aliquid scimus per eius causam propriam & adæquatam: exemplum Aristotelis secundo posteriorum, ut cum scimus eclypsibilitatem per propriam eius causam, quæ est interpositio. & tunc scimus aliquid per accidens seu per causam accidentalem, cum scimus illud non per eius causam, sed per causam alterius rei. exemplum, ut quando scimus propriam passionem per causam subiecti hoc pulcherrimè declarat Auerroes in secundo quęsito posteriorum de medio demonstrationis in illis uerbis, quando dicit {nos autem dicimus si uera scientia sit, ut ait Aristoteles &c.} Nam Auerroes ibi intendit suam declarare opinionem, cuius extremi medius terminus sit causa, & quid requiratur ad ipsum medium terminum. Hanc uerò differentiam inter scire per se & scire per accidens sumpsit Auerroes ab Aristotele primo posteriorum tex. septimo. Quintum præsuppositũ tale est, quòd tunc artes & scientiæ sunt ueræ, cum sequuntur modum naturæ. Hoc dixit Auerroes in secundo posteriorum, commen. 94. & commen. primo & secundo. & primo posteriorum commen. 40. 11. & octauo & primo priorum in digressione de quarta figura contra Galenum & Auerroes sumpsit hoc ab Aristotele quarto metheororum capitulo 28. quòd ars imitatur naturam inquantum potest: sed in rebus naturalibus, tunc scitur res uere & perfecte cum per eius causam scitur: ergo in rebus artificialibus & in doctrinis, & in scientiis demonstratiuis, tunc aliquid uerè & perfectè scimus cum illud per eius causam propriã scimus, sicuti protulit Aristoteles primo posteriorum textu commenti septimi, & primo physicorum textu cõmenti primi. Sextum præsuppositum hoc est: quod omnis scientia demonstratiua circa tria est: scilicet circa concessum, quæsitum, & dignitatem: ueluti docuit Aristoteles primo posteriorum texti commẽti septuagesimi sexti. Et aduertendum quòd quæsitum fere semper est accidens proprium, ut nobis notatum reliquit Auerroes in epitom. logico, in tertio quæsito logicali de conditionibus præmissarũ demõstrationis, ubi hæc formalia uerba refert. {Quæsita uero sunt ex iis rebus, quarũ mos est quòd sint accidentia in subiecto existentia, & ideo maior pars demonstrationum simpliciter fit per accidentia essentialia prout ait Aristoteles.} Septimum præsuppositum. quod ipsum quæsitum, quod est propria passio potest considerari dupliciter. Vno modo ad ordinem prædicatorum: alio modo ad ordinem naturæ. Si primo modo consideratur, sic dicitur, primus terminus, primũ prædicatum, & maior extremitas, ab Aristotele secundo posteriorum textu commento 41. & 95. ubi dicit, quòd ratio primi termini est medium. & notato quod ideo passio dicitur prædicatum, quia in demonstratione semper prædicatur, & nunquam subiicitur. Si uerò consideratur secundo modo, tunc ipsa passio dicitur ultimus terminus: si quidem posterior est secũdum naturam subiecto, & etiam principii subiecti. & consequitur subiectum ratione principiorum subiecti. Octauum præsuppositum istud est. Quando medium terminus est causa amborũ extremorũ scilicet maioris et minoris, nõ potest esse per se, quia una causa non producit nisi effectum unũ per se primo. Et hoc declarauit Auerroes primo posteriorũ commento undecimo. Nonum præsuppositum. Definitio bifariam potest considerari. uno modo ut extra demonstrationem. si primo modo, sic dicit tantum quid: si secundo modo, sic dicit propter quid passionis, et non quid. Et hoc non omnes intelligere potuerunt quo modo de definitione agitur in primo posteriorum: et quo modo in secundo posteriorum: nam in primo posteriorũ agitur de definitione, ut medius terminus demõstrationis; et in secundo posteriorum sermo est de definitione, quatenus est instrumentum sciendi: et non quatenus medium, quicquid dicant alii. Videas, tu Auerroem in primo posteriorum in prologo: at in secundo posteriorum commen. primo: quod in secundo libro posteriorum de definitione ut instrumentum agitur, et non ut medium est, sicuti alias diffusius pertractabimus hoc negotium nunc sat sit monstrasse locum. Reliquum est ut stantibus & concessis his pręsuppositis, formentur, et erigantur rationes, quibus demonstratiue probetur ad Aristotelis et Auerrois aures, quod medius terminus demonstrationis potissimæ sit tantum causa maioris extremi. Prima ratio demonstratiua, talis est. Illius causa debet esse medius terminus in demonstratione, quod quæritur sciri: sed propria passio est illud quod quęritur sciri per demonstrationem: ergo causa propriæ passionis debet esse medius terminus in demonstratione potissima. maior est uera ex quarto præsupposito quòd tunc scimus aliquid per se uere, quando scimus illud per eius causam ueram et propriam: ut docuit Aristoteles primo posteriorum tex. commenti septimi. minor patet etiam ex sexto præsupposito, quod scientia demonstratiua est circa tria scilicet subiectum, passionem, & dignitatem: & propria passio est illud quod demonstratur & quæritur scire demonstratiue, ut dixit Aristoteles primo posteriorum tex. com. 76. & sic clarissimum est, medium terminum esse causam maioris extremi scilicet passionis. Secunda ratio demonstratiua. medius terminus demonstrationis Potissimæ uel est causa tantum maioris extremi, uel est causa tantum minoris extremi, uel amborum, uel neutrius, uel est so-

lum

lum causa inhærentiæ prædicati ad subiectum, idest maioris extremi, minori extremo. Sed non potest dici, quod sit tantum causa minoris extremi, sicut probauimus supra contra Alpharabium per multas rationes demonstratiuas, neq; potest esse causa amborum extremorum, quoniam sic est per accidens, ut exposuimus supra in com. 2 uneq; etiam potest esse causa tantum inhærentiæ, seu inessendi maius extremum minori extremo, sicut demōstrauimus supra contra Auicennam. Remanet igitur, quod medius terminus sit tantum causa maioris extremi. Tertia ratio demonstratiua sumit robur ab exemplis Aristotelis in secundo posteriorum, ubi dicit, quòd folia fluere de uite demonstratur per hoc medium, succum condensari in contractu foliorum ad ramos: sed hæc causa, est sa passionis: ergo medius terminus est tantum causa passionis. Ipsum quoque tonitru demonstratur de nube per extinctionem ignis in nube, & non per causam nubis. Adhuc eclypsis demonstratur de luna per interpositionem terræ, & non per causam lunæ: ergo signum est, quod tantum causa maioris extremi est medium in demonstratione potissima. Quarta ratio demonstratiua. sicut se habet medium in rebus naturalibus, ita se debet habere in arte: sed medium realiter loquēdo. est prius uno extremo, posterius alio: ergo similiter medium debet esse in arte, & in scientia, quòd debet esse prius uno, & posterius alio: hoc utique nō potest competere causæ subiecti, quia causa subiecti est naturaliter prior subiecto, & passione: & cum sit prior utraque non habet rationem medii: sed tantum competit causæ passionis, quæ cum sit posterior subiecto, & prior passionis; habet rationem medii. Probatur illa similitudo in maiori, per quintum præsuppositum quòd tunc scientiæ, & artes sunt ueræ, cum sequūtur modum naturæ, quia ars debet imitari naturam. minor patet manifesta in motu locali, iuxta doctrinam Aristotelis in quinto physicorum tex, comm. tertio, & septimo nam si medium non esset prius uno, & posterius alio, non haberet rationem medii. Quinto confirmatur ex manifestissima sententia Aristotelis secundo poste. tex. comm. 41. & 95. ubi determinauit rationem, idest causam maioris extremi tantum esse medium in demonstratione potissima, sicut docent exempla ibi posita: & Auerroes hoc idem pulcherrimè dixit primo posteriorum comm. 11. & secundo posteriorum 41. 94. 95. & in secundo quæsito posteriorum de medio demonstrationis, & in epistola de primitate prædicatorum in demonstrationibus, & in quæsito tertio logicali de conditionibus præmissarum demonstrationis, & in epit. logi. capitulo de demonstratione, quòd scilicet tātum causa maioris extremi sit medius terminus in demonstratione potissima, eo modo, quo superius exarauimus ad Auerrois aures, Sexto ad hoc idem confirmandum, possent adduci rationes, quas pro diuo Thoma erximus: & quamplurimas quoque alias impresentiarum afferre possemus, quas sub silentio præterire uolumus, quia ueritas, seu uera opinio semper undequaque sibi constat.

Quæstio scitu dignissima. In quo genere causæ, medius terminus est causa.

Sed dubitatio pulcherrima est, cum determinatum sit secundum Aristotelem et Auerroem, quòd medius terminus in demonstratione potissima sit tantū causa maioris extremi: quæritur impresentiarum in quo genere causarum, medius terminus est causa, siquidē quatuor sunt genera causarum ex secundo physicorum tex. commen. 29 & 70. & secundo posteriorum tex. commen. 48. & in quinto metaphysic. materia, forma, finis, & efficiens. Respondent quidam, quod in genere causæ finalis, quod profecto sic persuadent: quia per causam finalem, nedum effectum, sed alias demonstramus causas: nam cum finis sit causa causarum, ut patet secundo metaph. tex. comm. octauo & quinto metaph. commen. tertio totius quæsiti ad causam finalem ultimata resolutio stabit. Secundo sic probant, quia non oportet, ut causa quæ demonstrāt sit intrinseca rei de qua fit demonstratio, sed sufficit quòd sit causa inhærentiæ passionis ad subiectum. Huius opinionis falsitas apparebit & manifestabitur, quando ueram declarabimus opinionē. ideo illucusque differatur eius impugnatio. Verum illius rationes nunc soluendæ sunt. Ad primam rationem dicimus, quòd non est inconueniēs in specie demonstrationis propter quid: quod medius terminus sit causa maioris extremi, in genere causæ finalis, & nedum in causa finali; immo etiam potest esse in aliis generibus causarum: sed bene absurdum erit concedere in demonstratione potissima. & cū dicitur quòd omnis ultimata resolutio quæstionis, tunc terminabitur, cum peruentum fuerit ad causam finalem: hoc uerum esse fatemus, quando sumus in una & eadem scientia: & uolumus aliquid scire de una & eadem re in summo, operæpretium utique est ut resoluamus illam, donec ad ultimum perueniamus. & hoc modo concedimus causam finalem nedum demonstrare suum effectum, sed omnes alias causas: propter quam rem dicitur nobilior eis, & Auerroes hoc uoluit dicere in tertio metaph. commento tertio, sed quando sumus in diuersis scientiis, euenit quod demonstratio per causam formalem in una scientia, sit potior demonstratione facta per causam finalem in alia sciētia. & sic resolute dicendum est, quòd finis in eadem sciēcia demonstrat, & necessitat omnes alias causas, non tamen in diuersis scientiis. Ad secundam rationem breuiter respondemus negando rā, quoniam necessarium est ut medius terminus sit causa intrinseca, & non extrinseca ut paulo post dicemus. Amplius assumit aliud falsum quod sufficit quod sit causa inhærētiæ passionis ad subiectum. & hoc quam si erroneum dicere: iam supra contra Auicennam demonstrauimus. Exclusa supradicta opinione, respondendū est pro uera Aristotelis & Auerrois sententia, per tres conclusiones. Prima hæc est: medius terminus in demonstratione potissima, est causa, in genere causæ formalis tantum. Secunda conclusio. medius terminus in demonstratione quia, est effectus proprius dummodo non sit illa species demonstrationis quia, quæ procedit per causam remotam, aut per signum. Tertia conclusio talis est: in demonstratione propter quid, medius terminus est causa in quolibet genere causarum. prima conclusio multis rationibus comprobatur. & prima ratio demonstratiua hæc est. Mathematicæ scientiæ utuntur demonstratione potissima, cuius medius terminus est causa formalis, ut Auerroes docet in prologo physicorum. Secunda ratio demonstratiua, quæ signanter probat, quòd medius terminus non possit esse: neque causa efficiēs, neque finalis est præsupposito quòd demonstrationem simpliciter seu potissimam, tantum duo ingrediuntur modi dicendi per se, scilicet primus & secundus, ut retulit Auerroes primo posteriorū commento 31. 32. 35. & 153. & quæsito tertio logicali de conditionibus præmissarum demonstrationis: & in epit. logical. capitulo de demonstratione, & alibi: sed causa efficiens, & finalis non sunt prædicata alterius modorum per se, cum sint extra rem & non conuertantur: ergo a primo ad ultimum medius terminus in demōstratione potissima nō potest esse causa in genere causæ efficiētis & finalis. Tertia ratio & probat demonstratiue, quod medius terminus non possit esse causa, in genere causæ materialis. præsupposito quòd termini præmissarum demonstrationis potissimæ debent esse adinuicem conuertibiles, ut est declaratū ab Aristotele primo posteriorum, & ab Auerroe in epit. logicalibus in quæsito tertio logicali de conditioni

bus præmissarum demonstrationis: & in quæsito quarto, & in capitulo de demonstratione, & in epistola de primitate prædicatorum in demonstratione, & in primo posteriorum commento 54. & 56. & multis aliis in locis. tunc sic, sed materia non habet conuertentiam cum aliis terminis demonstrationis, ut iam optime demonstrauit Auerroes contra Alpharabium, quod genus non est prædicatum primum, idest secundum quod ipsum, ex Auerroe in epit. logicalibus in tertio, & quarto quæsitis logicalibus: & alibi ut pluries notauimus. sequitur ergo quod medius terminus neque poterit esse causa in genere causæ materialis. & tandem ex sufficienti causarum inductione, concludimus quòd cum medius terminus in demonstratione simpliciter seu potissima, non possit esse, neque causa efficiens, neque finalis, neque materialis, necessario dicendum est quod sit tantum causa formalis. Et confirmatur per ipsummet Auerroem in primo posteriorum comme, 95. ubi concludit medium terminum in demonstratione potissima esse tantum causam formalem. Secundo conclusio iam de se manifesta est, quod medius terminus est effectus in demonstratione quia. & notandum quòd primo posteriorum capitulo trigesimo ipsa demonstratio quia, habet tres species seu modos, quos legito in titulo huius quæsiti: & hæc secunda conclusio debet intelligi de ea specie demonstrationis quia, quæ habet effectum pro medio termino: qui effectus dicitur causa in cognoscendo seu in inferendo: de qua non loquimur nunc, sed de causa essendi, & inferendi simul. Tertia conclusio colligitur nedum ex supradictis locis, sed etiam ex secundo posteriorum commen. 48. quòd scilicet medius terminus in demonstratione propter quid potest esse quælibet causa. Ex supradictis quamplurimæ occurrunt difficultates. Quarum prima talis est: nam dictum est in prima conclusione, quòd medius terminus in demonstratione potissima est causa formalis tantum. sed uidetur quod possit esse causa efficiens: & probatur per Aristotelem in secundo poster. tex. 41. ubi demonstrauit demonstratione potissima eclypsibilitatem de luna per interpositionem, quæ est causa efficiens ipsius eclypsibilitatis, ut etiam dicit Auerroes primo poster. commen. 35. & Græci quoque exponunt: ergo secundum Aristotelem dicendum est, quòd medius terminus in demonstratione potissima, sit causa efficiens; & non tantum causa formalis. Respondet Auer. huic dubitationi in primo poster. commen. 35. ubi dicit quòd non omnis causa efficiens potest esse medium in demonstratione potissima, sed tantum ea causa efficiens potest esse medium, quæ est coexistens rei & inseparabilis à re: & dicit ibi Auerroes quòd cum interpositio terræ inter solem & lunam sit inseparabilis à luna: propterea potest esse medium ad demonstrandam eclypsibilitatem de luna, licet sit efficiens: ut diximus. Et notandum quòd quando causa efficiens est coexistens & inseparabilis à re, tunc est intrinseca illi rei, & formę naturam sapere uidetur: & hoc modo intelligit Auerroes in com. 35. quòd causa efficiens coexistens potest esse medium in demonstratione potissima. Secunda insurgit difficultas, ex eo quia Auerroes secundo posteriorum comm. 41. inquit, quòd omnium rerum causa, est ipsa causa finalis, siquidem ad ultimum finem rei cuiuslibet stat ultimata resolutio, & sic uidetur sibi Auerroes contradicere: uult enim, ut supra diximus quòd medius terminus in demonstratione potissima sit tantum causa formalis: & non finalis. Soluit Auerroes in primo poster. commen. 35. quòd tunc finis ingreditur demonstrationem tanquam causa; quando ignota fuerit differentia, & ponitur loco illius differentiæ: & hoc modo finis est causa intrinseca, nam formæ uim & rationem retinet. concludemus igitur iuxta Auerrois semitas, quòd finis, ut finis, non ingreditur demonstrationem tanquam causa, sed finis ut forma. Tertia adhuc occurrit dubitatio, quoniam dixit Auerroes primo posteriorum comm. 35. & alibi, quod causa intrinseca rei summitur pro medio in demonstratione: sed causa materialis est intrinseca rei, ut patet primo & secundo physicorum. ergo causa materialis potest esse medium, & non tantū causa formalis, ut sæpius diximus. Dicimus quod Auerroes primo posteriorum comm. 35. per causam intrarem, intelligit eam causam quæ conuertitur cum illa re, cuiusmodi non est materia, ut dicemus paulo post, & hęc est causa quare materia non est quidditas, neque pars quidditatis, ut dixit Auerro. septimo metaph. 34. 11. & 43. sed tantum est uehiculum deferens quidditatem, & hoc modo eam ingredi demonstrationem dicimus. Amplius expressa uidetur cōtradictio in dictis Auerrois: nā dixit secundo posteriorum comm. 58. quod media termini in demonstrationibus simpliciter sunt causæ, quę simul sunt cum suis causatis, & sunt causæ intra rem scilicet formales, & finales tantum. Oppositū huius protulit Auer. in epit. logical. in quæsito octauo logical. de definitionibus positione differentibus: ubi dicit quòd media termini demonstrationum simpliciter (quæ sunt definitiones positione differentes) sunt causæ & in re, & extra rem: & numerantur ab ipso omnia genera causarum scilicet efficiens, & finis, materia, & forma: ergo medius terminus in demōstratione potissima potest esse quodlibet genus causarum. Pro enodatione huius cōtradictionis, prius animaduertendum est: quod Aristoteles in secundo posteriorum, postquam ostendit quòd per omne genus causarum contingit demonstrari: in tex. 53. incipit comparare causata suis causis, & hoc facit, ut inde cognoscatur, quæ causa possit esse medium in demonstratione simpliciter. & dat distinctionem hanc de causis; quod causarum quædam sunt simul cū re; idest cum suis causatis; & quædam non sunt simul cum suis causatis: pro qua distinctione uide Auerroem secundo posteriorum comm. 58. ubi dicit quòd causæ quæ sunt simul cum suis causatis, sunt tātum causæ formales: & finales: & causæ quæ non sunt simul cum suis causatis, sunt efficiens, & materia. Sed dices quomodo intelligit Auerroes quod forma & finis sint causæ, quæ sunt simul cum suis causatis: & materia & efficiens non sint simul cū suis causatis? Dicitur quod Auerroes se ipsum declarat & exponit in eodem comm. 58. secundi posteriorum; ubi dicit dando regulam: quod illa causa est simul cum suo causato, quæ sequitur & conuertitur cum suo causato in triplici differentia temporis, scilicet in præterito, præsenti, & futuro. ut si causa sit in præterito & causatum sit in præterito: & si in præsenti ponatur causa, & causatum in pręsenti poni debet, & si in futuro; causatum similiter in futuro intelligi debet. Et quia forma & finis consequuntur sua causata in omni triplici differentia temporis: propterea dicuntur causæ simul cū suis causatis: & per consequens, cum materia & efficiens non sic consequantur sua causata, nō dicuntur causæ simul existentes cum suis causatis. & intelligi debet quod causa & causatum adinuicem se consequantur in omni differentia temporis: & posito uno ponatur & alterum: & e conuerso. Insuper aduertito quòd quando Auerroes dicit, quòd forma & finis sunt simul cum suis causatis, intelligit eum finem, qui accipitur loco differentiæ ignotæ, seu formæ; nam forma & finis sunt unum numero, ut dixit Aristoteles secundo physicorum tex. commen 70. Vnde facilius sic dicendum est, quod finis est duplex, ut dixit Auerroes secundo physicorum commen. 70. finis generationis, & finis rei genitæ: finis generationis est ipsa forma: finis rei genitæ est ipsa operatio formæ: exemplum utriusque, anima intellectiua est finis generationis hominis, intelligere est finis formæ hominis: & Auerroes intellexit in commento 58. secundi posteriorum de fine generationis, & non de fine rei genitæ, quando di-

xit quòd forma,& finis sunt causæ simul cum suis causatis:quoniam finis rei generatæ nō est unum numero cum forma,sicuti finis generationis, ut diximus secundum Arist.secundo physicorum tex.70.tunc stante hac declaratione, facile cognoscitur, quòd forma, & finis conuertuntur cum suis causatis, & sunt causæ simul existentes cum suis causatis,in omni differentia temporis: & per oppositum unusquisque scire poterit,quare materia,& efficiens non sunt causæ simul cum suis causatis,quia non se admuicem consequuntur in omni differentia temporis:& probatur, quòd non sint simul cum suis causatis in omni differentia temporis; quia efficiens est ante rem, ut patet ex definitione causæ efficientis in secundo phys. & materia remanet post rem,ut patet primo phys. ergo si efficiēs est ante rem,& materia remanet post rem,tunc concludēdum est optimè Auer.sensisse, quod materia, & efficiens non simul sunt in omni differentia temporis cum suis causatis. Ex quibus omnibus declaratis dicendum est clarè, & distinctè,quòd Auer.non sibi contradicit, nam quādo dicit in epit.logic.in quæsito octauo,de diffinitionibus positione differentibus,quòd causæ extra rem,nedum in re, sunt medii termini in demonstrationibus simpliciter ; intellexit eo modo , quo ipsemet exposuit in primo poster. comm.25.sicut nos etiam sæpius diximus. Insertus etiam correlarium aduersus quosdam logicos , qui crediderunt, quòd Auerroes per causas in re , intelligeret, materiam, & formam : quod utique falsissimum esse constat per ipsum Auer.qui secundo post.comm.58.dixit,quòd causæ simul cum causatis existētes,sunt finales,& formales,nullam mentionem faciens de causa materiali. Quinimmo uoluit ibidem materiam cum efficiente esse causam extra rem,ueluti declarauimus. Demum pro complemento huius negotii asserimus:quòd quamuis ad rei cognitionē, omnium causarum notitia requiratur, uelut Arist. primo phys.tex.comm.primo,& etiam 8.metaph.12. & 13.habetur,tamen forma sola sufficiens est,si quidem per illam scientia tutior est quam per alias causas,ut patet tertio metaph.comm.tertio, neque propter hoc cæteras causas de monstrationem ingredi negatur:eo modo, quo supra enucleauimus. Superest modo aduersariorum soluere rationes,& dubia.

Caput quartum. In quo aduersariorum omnium rationes soluuntur & dubia.

Solutio argumenti Alpharabii Abumazar, quo probat quòd medius terminus in demonstratione potissima sit tantum causa minoris.

Respondetur ad argumentum negando minorem. & ad probationem eius dicitur, quòd non semper uerū est, quòd sicut res est, ita habeat causam ; siquidem multæ sunt instantiæ in contrarium , ut intelligere , est accidens, & tamen eius causa, quæ est anima intellectiua est substātia,ut patet primo,& secundo de anima.& etiam in tertio de anima. similiter motus cœli est accidens, & tamen eius causa,quæ est intelligentia, est substantia, ut 12.metaph.41.dixit Auer.quòd motus celi componitur ex duobus motoribus,quorum unus est finitę motionis,& est anima existens in eo,& alter est infinitę motionis,& est potentia,quæ non est in materia: & quilibet etiam alius motus cum sit accidens, ut patet in quinto metaphysi.& in prædicamentis, habet motorem, qui non est eiusdem generis. & infinitæ possent adduci instantiæ, quas breuitati studentes omittimus. Et ad propositū ueniendo dicimus, quòd licet passio sit accidens, tamen eius causa, est substātia, siue accipias subiectum, siue principium subiecti: siue accipias tantum causam passionis, semper est substātia.& sic clarissimè patet minorem esse falsam, quia non est uerior causa minoris extremi, quam maioris extremi: cum utriusque causa substantia sit:& probatio illa minoris præsupponebat unum falsum,quòd sicut passio est accidens , ita causa passionis esset accidens.

Solutio argumenti Auic. Quo probat, quòd medium sit tantum causa inessendi maius minori.

Ad argumentum Auicennæ breuiter respondendo dicimus, quòd accipit Auicenna unum præsuppositum falsum quod tale est, medium ordinari secundū naturam syllogismi:& hoc falsum esse cōstat:quia totum oppositum est:nam potius syllogismus,& figuræ tres syllogismorū, & species syllogismorum ordinantur penes medium, ut docuit Arist.primo priorum loquens de diuersitate trium figurarum:ut si medium subiiciatur in maiori,& prædicetur in minori,primam componit figuram: si uero prædicatur in utraque,secundam constituit figuram: & demum si subiicitur in utraque,tertiam componit figuram, patet igitur præsuppositum Auicennæ esse falsum.& Auer.etiam facit pro nobis,qui primo poste. comm.17. ex diuersitate medii diuersis in modis se habentis in præmissis syllogismi,quinque uenatur species syllogismi, & non tres,& dicant alii quicquid eis libuerit. Ex quibus omnibus concludimus Auicennam errasse.

Responsio ad Themistium.

Ad Them. rationem dicimus, eam concludere pro Aristo.& pro Auer.& in hoc dumtaxat deficere uidetur,quia medium sub nomine definitionis uocauit,& non sub nomine causæ,sicuti eius opinionem referendo diximus.

Responsio ad Io.Gram. & Eustrathium.

Ad Io. Grammaticum, & Eustrathii rationem similiter dicimus, quòd nihil contra nos concludit. Quinimmò a nobis est, & ueram Aristotelis mētem sectatur:circa rē positam, licet in modo ponendi non omnibus modis, nobis(qui Auer.profitemur) conueniat:uti superius in eorū opinionem arguendo notauimus.

Soluuntur Alex.Simplicii, & Theophrasti rationes.

Ad primam eorum rationem dicimus , quòd quamuis passio effluat,& emanet a principiis subiecti, nō propter hoc tamen negandum est, ipsam propriam passionem nō habere propriam causam eius : quæ causa dicat propter quid passionis.i. sit causa propter quam passio insit subiecto. Ad secūdam rationem dicimus,quòd cum passio habeat suum propter quid a propria eius causa,& non a subiecti essentia ; non opus tamen est, ut per subiecti essentiam,seu definitionem demonstretur de subiecto. Ad tertiam rationem respondemus,quod non semper causa, seu definitio subiecti,est causa passionis,& probatur per exēplum Arist.in secundo poster. tex.comm.41. ubi dixit,ꝙ eclypsibilitas demonstratur de luna per interpositionem terræ inter Solem,& Lunam, quæ interpositio est tātum causa eclypsibilitatis, & non est neque causa, neque definitio Lunæ. Et sic non oportet quod causa subiecti, seu definitio subiecti, sit causa passionis. nam si euenit, quod quandoque causa passionis, sit etiam causa subiecti; hoc erit per accidens:ut sæpius supra in nostra opinione, & in præsuppositis annotauimus. Ad quartam rationem faciliter respondemus negando minorem:non enim Arist.dicit,quod subiecti definitio,sit illa, per quam omnia quæsita de illo soluantur.

Addiui Thomæ rationes.

Dicimus Diuum Thomam suis rationibus concludere ueritatem: licet non explicent eam, & declarent eam, quo ad omnes eius partes, ut nos in nostra positione iuxta Arist. & Auerrois mentem exposuimus, & enucleauimus.

Ad Aegidium Romanum.

Dicimus quod ratio quam facit Aegidius Romanus, pro probanda prima eius conclusione, seu propositione concludit intentum nostrum cum Arist. & Auerr. uoto, bene uerum est, quod in multis dissentit a nobis ipse Aegidius, ueluti supra exarauimus.

Soluuntur, & exponuntur auctoritates adductæ a Linconiense.

Ad primam auctoritate ex primo de anima tex. commen. 11. iam responsum est a nobis, in titulo quæsiti propè finem. Ad secundam auctoritatem ab eodem Linconiense adductam, ex quarto physi. tex. comm. 31. & alibi dicitur quod non est intentio Aristot. in illis locis dicere, quod definitio definiti sit causa, propter quam passio demonstretur de definito: nam neq; inficias imus, quod passio non sit a principiis subiecti: sed asserimus non demonstrari ipsam passionem per definitionem subiecti. Si uero accidit, quod quandoq; causa passionis sit etiam subiecti, dicimus quod hoc est per accidens, ut diximus in opinione nostra secundum Auer. & notauimus etiam in præsuppositis.

Solutio rationum Ioan. Scoti subtilissimi Doctoris.

Ad primam rationem dicimus quod aliud est dicere, passionem demonstrari per suam causam: & aliud est dicere passionem demonstrari per suam definitionem: nos autem uolumus, quod passio non demonstretur de subiecto per definitionem ipsiusmet passionis: quia iam diximus in nostris præsuppositis, quod cum sit accidens, non habet definitionem, ut patet septimo metaphy. cum solius substantiæ sit definitio: sed bene demonstratur per suam propriam causam. & Scoti ratio nil habet contra nostram determinationem. Ad secundam eiusdem similiter dicimus, quod causa passionis est medium in demonstratione potissima, & non definitio: quia sæpius a nobis dictum est, passionem non habere definitionem: & sic utraque ratio Scoti eodem lapsu ruit. Ad tertiam rationem respondemus negando minorem. Quinimmo dicimus, quod ideo debemus demonstrare passionem per eius propriam causam, ut non contingat ulterius quærere propter quid insit subiecto: nam tunc quæreremus ulterius propter quid, ipsa passio insit subiecto quando eam demonstraremus per definitionem ipsius subiecti, ut pluries diximus, Ad quartam dicimus eam defecisse, siquidem non tantum oportet demonstrationem esse ex necessarijs, sed etiam ex propriis, & ueris causis esse, ut longo docuit sermone Arist. primo poster. & nos etiam aduersus Alpharab. & Auicennam demonstrauimus: sed cum definitio subiecti non sit uera propria, & immediata causa passionis, ut diximus iam contra Alpharabiũ, propterea requiritur quid ipsa demõstratio potissima habeat medium terminum, qui sit uera, propria, & sola causa passionis. non abre igitur diximus Scoti rationem fuisse mancam, & diminutam: quia non assignauit hanc conditionem, quod demonstratio debet etiam habere ultra alias conditiones, medium terminum, qui sit tantum causa maioris, ut diximus in nostra opinione secundum Aristo. & Auer. Et si cupis scire quot conditiones requirantur, ad hoc ut præmissæ demonstrationis potissimæ sint necessariæ, legito ipsum Auerr. in epito. logic. in quæsito quarto logico, ubi eas assignat conditiones, quod sint, scilicet de omni, per se & primæ. i. secundum quod ipsum, seu conuertibiles. Ad quintam rationem dicimus minorem esse diminutã: quia oportet, quod medius terminus in demonstratione sit causa non tantum dans esse, sed propter quid, cuiusmodi non est definitio subiecti respectu passionis, ueluti superius crebberrime notauimus. Ad sextam rationem respondendum est, quod syllogismus in quo concluditur passio de subiecto per definitionem subiecti, si illa definitio subiecti est tantum causa, & definitio subiecti, tunc erit syllogismus uerdicus, & non demonstratiuus, sic dicit Auer. in secundo quæsito poster. de medio demonstrationis, contra Alpharabium, qui uoluit quod medius terminus sit tantum causa minoris: si uero fuerit illa definitio subiecti etiam causa passionis, tunc erit syllogismus demonstratiuus per accidens quoniam dixit Auer. in primo poste. com. 11. quod quando contingit medium terminum esse causam amborum extremorum, tunc erit per accidens, ut iam exposuimus in comm. 11. & etiam annotauimus cõtra Alpharabium, & Auicennæ opinionem arguẽdo. Vnde concludimus Scot. hallucinatum fuisse, non enim uerum est, quod tunc dicatur syllogismus demonstratiuus, quando medium est causa minoris; sed oportet quod tantum sit causa maioris extremi, ut declarauimus in nostra opinione secundum Arist. & Auer. mentem. Ad septimã rationem Scotistarum, facilè respondemus, ex eo quia talis ratio præsupponit unum falsum, quod scilicet passio demonstretur de subiecto per definitionem passionis: & hoc falsum est, quia passio non habet definitionem, ut supra diximus in nostra opinione, & sæpissimè replicauimus. at nos fatemur ueritatem peripatheticam esse, quòd passio demonstretur de subiecto per causam propriam eiusdem passionis, & non per definitionem passionis: & sic formaliter dicimus ad rationem Scotist. quod non propter hoc sequitur, quod idem demonstretur per idem, seu per se ipsum, quoniã si hoc esset uerum, sequeretur quod neq; passio debet demonstrari de subiecto per definitionem subiecti: quia tunc passio demonstraretur de subiecto per ipsummet subiectum, cum subiectum, & sua definitio sint unum. Et sic possemus ẽt respondere reflectẽdo argumentum contra Scotistas: sufficit namq; formalis distinctio inter medium, & id quod demonstratur. Ad octauam dicimus, quod medium per quod demonstratur passio, est essentiale ipsi subiecto, & non accidentale: nam licet sit causa passionis, tamẽ non est accidens sicut passio. Amplius non imus inficias, quod eodem mõ causa passionis dicatur de subiecto sicut & passio: unde non est necessarium ponere pro medio definitionẽ subiecti, ut Scotistę autumarunt. Ad nonam rationẽ respondemus negando minorem: & ad probationẽ dicimus, quod falsa est, & erronea talis probatio, siquidẽ Arist. primo post. assignans cõditiones præmissarũ demonstrationis potissimæ, inter alias dicit quod debẽt esse immediatæ. i. medius terminus in pręmissis contentus debet esse causa immediata: & sic loquitur de causa immediata, aut primo post. comm. 9. & com. 13. & sic colligitur quod præmissa sit ĩmediata principaliter ratione causæ, & non ratione subiecti. tunc stãdibus his, facile cognoscitur, quod talis propositio, omne animal rationale est risibile, est ĩmediata, immediatiõe causæ. Amplius dicimus, quod talis propositio est etiã immediata immediatione subiecti, quatenus ly, animal rationale, subiecti rõnem induit, ut dixit Auer. in primo post. cõ. 56. & sub isto respectu asserimus quoq;, quod huiusmodi propositio, animal rationale est risibile, est in secundo modo dicendi per se, ut dicemus paulopost in fine huius quæsiti. Ad decimã rationẽ, dicimus posse fieri, sed non in demonstratione

monstratione potisſima. Amplius fatemur concedendo hoc in demonstratione particulari, ſed non uniuerſali. & tunc illa demonstratio particularis cum non habeat omnes conditiones requiſitas ad uerã demonſtrationẽ: non erit potiſſima, de cuius medio intendimus in hoc quæſito. Ad rationẽ undecimam, dicimus concedendo præſuppoſitũ Ariſt. ꝙ actus eſt ratio intelligendi, & cognoſcendi, & diſtinguendi: ſed negamus quod talis actus debeat eſſe definitio ſubiecti: nam dicimus quod talis actus eſt cauſa paſſionis, & talis cauſa paſſionis eſt formalis, aut cauſa efficiens, coexiſtens, & inſeparabilis a re, ut dixit Auer. primo poſt. com. 35. quæ loco formæ ſumitur (ut diximus diffuſiſſime ſupra) & eſt finis etiam, dummodo ſumatur loco differentiæ ignotæ, ut patet in eodem com. 35. ſicuti iam diximus. Ad rationem ultimam reſpondemus non eſſe inconueniens quod fiat demonſtratio per quodlibet genus cauſæ, ut patet ſecundo poſter. ſed aduertito, quod non erit in demonſtratione ſimpliciter.

Ad rationes Pauli Veneti.

Solutiones rationũ Pauli Veneti, patent ex iis, quę diximus in reſponſione ad eorũ argumenta, qui mediũ definitionẽ ſubiecti aſſignarũt: nã eius opinio utriuſq; extremi definitionẽ pro medio demõſtrationis poſuit, ut uidimus.

Neotericorum rationis solutio.

Ad Neotericorum rationẽ reſpondemus breuibus negando minorẽ. & ad probationem dicimus primo, quod mediũ demonſtrationis eſt cauſa, & non ſub nomine definitionis debet aſſignari, uti diximus pluries, & in titulo quæſiti, & in aliorum opiniones arguẽdo, & ſic minor, & ſua probatio præſuppoonunt unum falſum, quod. ſ. mediũ ſit definitio. dicimus ſecundo, ſicut etiã ſupra reſpondendo ad nonam rationem Scotiſtarũ diximus, quod ſufficit mediũ terminũ eſſe cauſam immediatã paſſionis, quæ demonſtratur. Et ut etiam aduerſus huiuſmodi opinionem notauimus, & demonſtrauimus, falſum eſt quod medius terminus ſit definitio utriuſque extremi cum ſit tantum maioris extremi cauſa.

Ad Sueſſani opinionem.

Sueſſani fundamentum, quo ſuam poſuit opinionem iam ſupra dictum eſt, ibiq; demonſtrauimus illam diſtinctionem ab ipſo aſſignatam, non eſſe peripatheticorum. Et ſic patet ſolutio rationum aduerſariorum. Sed antequam præſenti quæſito colophonem imponamus. Dubitationem quandam & ſcitu digniſſimam, quæ aduerſus noſtram determinationẽ exſtit, ſoluere neceſſum eſt.

Argumentum quod medius terminus non poſsit eſſe cauſa tantum maioris extremi. contra Ariſt. & Auer.

Si Medius terminus eſſet cauſa maioris extremi; tunc ſequeretur, quod demonſtratio potiſſima componeretur in maiori propoſitione ex prædicatione innaturali: ſed hoc falſum eſt: & probatur per Auer. in epit. logic. cap. de demonſtratione, ubi aſſignas decem conditiones præmiſſarum demonſtrationis potiſſimæ, dicit ꝙ ſexta cõditio eſt, ꝙ in eis. ſ. præmiſſis ſit prædicatio ſecundum curſum naturalem. ſ. ſecundum modum loquendi conſuetũ, & directum. Probatur ſequela: quoniam in tali demonſtratione, omne animal rationale eſt riſibile, omnis homo eſt animal rationale, ergo omnis homo eſt riſibilis, clariſſimè patet, quòd maior propoſitio, ſcilicet omne animal rationale eſt riſibile, eſt propoſitio innaturalis, & de modo loquẽdi inconſueto, & probatur per Auer. in epit. logic. cap. de demonſtr. ubi dixit ꝙ prædicatio ſecundũ modum naturalem, eſt illa in qua prędicantur cauſę de cauſatis & accidentia de ſubiectis. & ſimiliter in primo poſter. com. 148. & alibi quoque, ut ſeptimo metaph. 59. ſed dicendo omne animal rationale eſt riſibile, in tali propoſitione, non prędicatur cauſa de ſuo cauſato, ſed potius econtra, prædicatur enim cauſatum de cauſa: neque etiam prædicatur accidens de ſubiecto, non enim animal rationale eſt ſubiectũ riſibilitatis, ſed homo, ut ſole clarius patet, ergo eſt propoſitio innaturalis dicendo, omne animal rationale eſt riſibile. & ex conſequenti demonſtratio potiſſima cõponeretur ex propoſitione innaturali, ſi medius terminus eſſet cauſa maioris. Quidam imperite reſpondendo dixerunt, illam propoſitionem maiorem non eſſe innaturalem, ſed naturalẽ, & eam poſſe indifferenter eſſe in ſecundo & in quarto modo dicendi per ſe concedunt; non enim habent pro inconuenienti, quod eadem præmiſſa demonſtrationis ſimpliciter ſit in ſecundo & in quarto modo dicendi per ſe, nam uolunt quòd ſecundus & quartus modi dicendi per ſe ſint idem realiter, & differant tantum ratione, hoc modo, ſ. quatenus perſeitas ſecundi modi eſt perſeitas prædicationis, perſeitas uero quarti modi eſt perſeitas cauſalitatis: & quia plerunque euenit quòd idẽ ſit per ſe cauſa alicuius, & per ſe ſubiectum eiuſdem; id circo ſæpe in unam & eandem propoſitionem ſecundus & quartus modus conuenire uidentur. Sed quam erronea ſit huiuſmodi reſponſio, facile eſt demonſtrare. Primo errat, quia concedit quartum modum dicendi per ſe ingredi demonſtrationẽ potiſſimam, quod eſt contra Ariſt. primo poſt. & Auer. primo poſter. com. 34. 35. & in epito. logic. com. de demonſtrat. & alibi quòd reiicitur quartus modus à demonſtratione ſimpliciter, non enim in eo aliqua eſt prædicatio eſſentialis & neceſſaria, niſi forte quædam eſſentialis connexio cauſæ & & cauſati. penes quam non ſeruatur prędicatio eſſentialis, ut ibidem dicit Auerro. Secundo errat, quia dicit, ꝙ ſecundus & quartus modus conueniunt realiter: ſed hoc eſt falſum, quoniam tunc realiter quartus modus ingrederetur demonſtrationem, ſicut realiter ingreditur ſecundus modus. probatur conſequentia, quoniam ſecundus modus & quartus modus ſunt idem realiter ſecundum eos: ſed falſum eſt, quartum modum ingredi demonſtrationẽ ut probauimus. Quinimmo dicendum eſt ex hac ratione, quòd ſecundus & quartus modus differunt realiter etiam, & non tantum formaliter ſeu ratione ut ipſi dicunt. Aliã dederunt reſponſionem quidam alii dicentes, non fore abſonum maiorem præmiſſarum demonſtrationis, non eſſe eſſentialem, ſed ſufficere quòd ſit de omni & uniuerſalis, & multis ineptiis confirmare nituntur hanc ipſorum reſponſionem. Hanc ſecundam reſponſionem longè deteriorem quam prima aſſerimus, non enim poſſibile eſt præmiſſas demonſtrationis potiſſimæ, non eſſe eſſentiales: neque uerum eſt quòd ſufficiat, quòd ſint de omni et uniuerſales: quinimmo neceſſariũ eſt, ut Ariſt. & Auer. & Themiſtius & Græci omnes, & eruditiſſimi Latini enarrarunt, quòd præmiſſæ demonſtrationis potiſſimæ habeant quamplurimas conditiones, oportet, eas eſſe neceſſarias, & non erunt neceſſariæ, niſi ſint de omni, per ſe, & primæ, id eſt conuertibiles, ut eruditiſſimè pertractauit hoc Auerro. in epitom. logic. quęſito tertio & quarto logic. de conditionibus præmiſſarum demonſtrationis potiſſimæ, & de conditionibus quæ requiruntur ad neceſſitatem præmiſſarum. Quamobrem excluſis & exploſis hiſce reſpõſionibus: uera & peripathetica iuxta Ariſt. & Auer. ſententiam, afferenda eſt reſponſio, quæ talis eſt quòd illa maior præmiſſa. ſ. omne animal rationale eſt riſibile, eſt naturalis, ſeu ſecundum curſum naturalẽ: & eſt per ſe, in ſecundo modo dicendi per ſe; nam prædicatur

accidens de subiecto. & aduertas quòdly animal rationale, licet non sit uerum subiectum, & immediatū subiectū risibilitatis.tamen dicitur subiectum, quia induit rationē & modū subiecti. & clarioribus uerbis sic dicatur, quòd licet non sit subiectum formaliter, tamen potest dici realiter, quatenus, scilicet definitio & definitū sunt unū.ut docuit Arist. 7.metaph.tex.21. Et hanc responsionem Auerroitæ nostræ tempestatis non potuerunt uidere. Et confirmatur ueritas huius responsionis per Arist.& Auer.in primo post.tex com. 56. nam dicit Arist.in tex. mag. com. hæc uerba formalia.qui curat rem scire uera scientia, non est ei aditus sciendi illam, nisi per causam: hinc itaque sequitur maiorem terminum inesse medio essentialiter, ac etiam medium minori essentialiter: si ergo secundū Aris. maior extremitas prædicatur de medio essentialiter, scilicet in maiori præmissa: oportet quòd per se dicatur; & si per se, ergo, uel primo modo, uel per se de secundo modo quia solum duo modi dicendi per se ingrediuntur demonstrationem secundum ipsum Aristote.et Auerro.sed non est primo modo, quia non prædicatur causa de causato, sed conuerso: ergo erit per se in secundo modo, talis præmissa: quatenus ly, animal rationale induit rationem subiecti, ut diximus paulo ante. Confirmatur etiam per Auer.in prim. poste. commen. 56. qui exponens supradicta uerba Arist.in tex. dicit hæc uerba manifestum est, quod prædicatio maioris de ipso, scilicet medio sit essentialis ei, quia sumitur in illius definitione, iam autem dictum est.quòd una specierum illius, quod est per se:sed subiectum sumitur in definitione prædicati:ex quibus uerbis colligitur illam maiorem præmissam esse per se in secundo modo, per istam rationē, quia subiectum, scilicet animal rationale, sumitur in definitione prædicati, scilicet risibilitatis, secus de propositione primi modi dicēdi per se, in qua prędicatum sumitur in definitione subiecti.nam animal rationale sumitur in definitione hominis, idest est definitio hominis, & per istam rationem dicit Auer. in eodem com. quòd minor prœmissa, in qua medius terminus prædicatur de minori extremo, est propositio in primo modo dicendi per se. tunc habita hac declaratione Auer.dicendum est quòd cum secundū ipsum Auerroem illa maior præmissa sit per se in secundo modo per illam rationem, quia subiectum ponitur in definitione prędicati, necessarium est etiam quòd sit propositio naturalis, de modo loquendi consueto secundum Auer. quia impossibile est, quòd propositio sit per se,& nō sit naturalis.si ergo est naturalis oportet dicere eo modo, quo diximus, quia scilicet sit naturalis, quatenus ly animal rationale, induit rationē & modum subiecti, et sic erit illa propositio naturalis, in qua accidens prædicatur de subiecto. Confirmatur adhuc ex Themistio lucidissimo in primo post.in expositione supradicti tex. ubi inquit quòd necessario oportet primum inesse medio essentialiter: quum enim asseri mus omne animal rationale est risibile, quæ est demōstrationis maior præmissa: ergo si essentialis est propositio, est etiā naturalis. Sed aduersus hanc responsionē sic instatur. materia & forma non coincidunt ut docuit Aristo. secundo physic. tex. commen. 70. sed medius terminus est tantum causa formalis in demonstratione potissima, ut supra demonstrauimus iuxta Auerro. doctrinam & Aristote. ergo non poterit esse causa materialis. nam si erit subiectum respectu risibilitatis ut diximus, tunc erit materia, quia subiectum accidentis est causa materialis eius, ut protulit Auerro.4.metaph.com.secundo quapropter concludendū est in maiori illa præmissa, non prædicari accidens de subiecto, quia tunc medius terminus cum sit causa formalis, esset etiam causa materialis, quod Arist.& ueritati repugnat. Respondetur breuibus huic obiectioni per ea quæ diximus, quòd medius terminus bifariam potest considerari. Vno modo ex sua ratione formali seu formaliter, & sic est tantum causa formalis. alio modo materialis quatenus, scilicet induit modū subiecti, & sic eodem modo potest dici materia, sicut dicitur subiectum. Et ad Arist. quando dixit, quòd materia & forma non coincidunt, dicimus quòd intelligit de materia ex qua, & non de materia circa quam. Et hæc dicta sufficiant circa huiusmodi quæsitum.

HIERONYMI BALDVINI

Quæsitum nonum, utrum est nobilius instrumentum sciendi, definitio, an demonstratio.

Procemium.



QVONIAM omnes fere Aristotelis tum græci tum latini expositores arbitrantur demonstrationem nobilius sciendi esse instrumentum, quam definitionem:propterea an hæc sit uera,& germana Aris. eiusq; commentatoris Auer.opinio, uidendum est nobis. Verū ut clarius distinctiusq; id de quo quærimus intelligatur. Primo aduersariorū narrabuntur opiniones & argumenta. Secundo propria ac uera Aristo. & Auer. dicetur opinio, cum suis fundamentis. Postremo aduersariorum obiectionibus satisfaciemus.

Caput primum, in quo aduersariorum narrantur opiniones, & argumenta.

Opinio Ioannis Gram.& Simplicii.

IOannes Gram.et Simplicius, quibus etiam latini interpretes astipulantur, unanimi assensu in hanc deuenerūt sententiā, demonstrationē nedum definitione ueriorem uero omnibus in logica consideratis nobilius, præstantiusq; esse instrumentū. Quam rem hac fere ratione, probant. Illud instrumentū sciendi in logica est nobilius, atq; præstātius, ad quod quæcunq; ibi cōsiderata habent attributionē: sed ad demonstrationē omnia cōsiderata logicæ habent attributionem: ergo demonstratio est nobilius instrumentum sciendi nedum definitione, sed omnibus consideratis. Maior tanquam ab omnibus conceditur ab eis asseritur. Et minorē antequam probent, præsupponunt unum quod demōstratio secundū Arist. sit ultimus finis totius logici negotii. & hoc cōcesso præsupposito, sic probāt minorē ex ordine resolutiuo, quoniā syllogismus simpliciter est gratia syllogismi demonstratiui;quū demōstratio non possit cognosci nisi ex syllogismo simpliciter & gratia syllogismi simpliciter sunt propositiones;& ob ipsas propositiones sunt decem uoces simplices: ergo liber prædicamentorum est gratia libri de interpretatione, & liber de interpretatione est gratia libri priorum, in quo agitur de syllogismo simpliciter: liber priorum est ob librum post.analyt. Amplius syllogismus dialecticus

de quo

de quo habetur in libro topic. est gratia syllogismi demonstratiui. quoniam ita syllogismus dialecticus est gratia syllogismi demonstratiui, ueluti probabilia sunt gratia uerorum & necessariorum. Praeterea liber sophisticorum est ob librum syllogismi demonstratiui, quoniam quo est obliquum est gratia recti. & sic concludūt ipsi quod ex hoc ordine causae finalis, ipsa demonstratio nobilius est instrumentum sciendi, quam definitio. & omnia considerata in logico negotio. Haec est ratio cui graeci, & latini omnes nostrorum temporum innituntur.

Opinio omnium Latinorum interpretum.

Latini omnes quotquot fuerunt, & recentiores, idem prorsus cum graecis sentire uidentur, quòd in uniuerso logico negocio demonstratio principatum obtineat, tanquam nobilior definitione omnibusq; aliis in logica quod pluribus sane rationibus, stabilire nituntur, quam plures Auer. auctoritates pro eis assumentes. Prima eorum ratio talis est. scientia per causam perfectior est quam scientia sine causa: sed demonstratio facit scire per causam, non sic autem definitio, ergo demonstratio perfectius erit instrumentum sciendi quam definitio. Maior est Auer. in primo poster. com. 8. 11. & 95. & secundo post. com. 94. & in primo phys. com. primo & multis aliis in locis. Minorem ipsi non probant. sed ego eorum uice eam sic probo, ex utraque definitione demonstrationis ab Arist. assignata in primo post. tex. 8. primo ex definitione in genere causae finalis ipsius demonstrationis, quando dicit Ari. quòd demonstratione syllogismus scientialis. Secundo patet ex definitione causę materialis demonstrationis, quando dicit Ari. quod demonstratio est ex primis, ueris, immediatis, & notioribus causis conclusionis &c. Sed ipsa definitio non sic est, quoniam tunc definitio haberet causam; & sic causae esset causa; & principiorum; quod repugnat Arist. primo & secundo post. ergo demonstratio nobilior est definitione, quod erat probandum. Secunda ratio latinorum talis est, quod facit acquirere ignotum, naturaliter perfectius et fortius instrumentum est, quam illud quod non facit acquirere ignotum naturaliter: sed demonstratio est instrumentum faciens acquirere ignotum naturaliter, & definitio non sic facit: ergo demonstratio nobilius praestantiusq; instrumentum est quam definitio. Maior quod sit uera, clarum est. Minorem uero probant ex Auer. in secūdo post. com. primo, in primo phys. in prologo quibus in locis inquit Auer. quod demonstratio & syllogismus faciūt acquirere ignotum naturaliter; definitio uero est sicuti inductio, exemplum, & enthymema ad inferendū aliquod non ab re igitur demonstratio erit perfectius instrumentū sciendi, quam definitio. Tertia ratio latinorum haec est. cōtinens est perfectius contento: demonstratio continet definitionem, & non econtra: ergo demonstratio perfectior est ipsa definitione. Maior probatur per Ari. in quarto coeli tex. 35. 37. & 38. ubi dicit quod continere est formae, cōtineri uero est materiae, sed forma nobilior est materia ex 7. metaph. ergo demonstratio, quia continet, nobilior est definitione, quia continetur. Amplius cōtinere dicit actionem, contineri uero dicit passionem, & agens semper est honorabilius patiente, ut dixit Ari. 3. de anima tex. com. 19. ergo demonstratio nobilior est definitione: & per consequens erit nobilius instrumentum sciendi demonstratio quam ipsa definitio. Minor etiam probatur quia totū continet partes: at demonstratio totum quoddā est, definitio est pars demonstrationis, quoniam est principium eius, ut dixit Arist. in primo de anima, tex. 11, ubi habetur, quod omnis demonstrationis principium est quod quid est: & in secundo poster. com. 14. ubi dicit, quod demonstrationū principia sunt definitiones, & multis aliis in locis apud Arist. & Auer. hoc uerum esse comprobatur, definitionē principium esse demonstrationis: si principium, ergo est pars: & sic demonstratio totum erit. Amplius dixit Ari. in libro post. quod omnis demonstratiua scientia ex tribus conflatur, seu tria habet demonstratio, quod. per quod, & de quo, idest passionem, definitionem, & subiectum: ergo demonstratio totum est, & definitio est una ex partibus eius. & sic ex hisce omnibus patet demonstrationem nobilius esse sciendi instrumentum quam definitionē. Quarta & ultima ratio latinorum hoc pacto erigi debet. in libro poster. prius tractatur de demonstratione quam de definitione: ergo signum est, quod demonstratio sit prior ac perfectior quam definitio, & probant consequentiam a simili, sicuti Ari. in secundo de anima prius tractauit de potentia uisiua, quia perfectior aliis sensibus, & in libro coeli prius de coelo, quia caeteris omnibus ibi consideratis est longe perfectius; & in libro primo post. prius de demonstratione potissima, quia aliis demonstrationis speciebus perfectior, ita quoque uidetur propter eandem rationem, quod cum Arist. in libro post. prius agat de demonstratione, & posterius de definitione, quod ipsa demonstratio sit nobilior quam definitio. Istae sunt rationes latinorum, quibus demonstrare sibi persuadent, quod demonstratio iuxta Arist. & Auer. placita, nedum ex mente graecorum; sit nobilius pręstantiusq; instrumentum quàm definitio, quarum solutio inferius patebit in tertio capite huius quaesiti.

Secundum caput in quo uera Arist. & Auer. opinio narratur, cum suis propriis fundamentis.

ARist. & Aue. uera & irrefragabilis opinio haec est, quod definitio in uniuerso logico negocio nobilius atque excellentius sciendi instrumentum est, quam demonstratio & quaecunque alia ibidem considerata. Quod autem hoc sit uerum, his fere rationibus probamus. Prima ratio est, illud instrumentum est perfectius longeq; aliis excellentius, ad quod omnia habent attributionem. sed ad definitionem duntaxat omnia in logica considerata habēt attributionem: ergo definitio nobilius ac potius instrumentum est, quàm demonstratio, & cętera alia in logico negocio considerata. Maior nota est, quam Io. Gramm. in suo argumento assumpsit, & latini omnes admittunt. Minor uero probatur per Auer. in primo post. mag. com. 11. ubi dicit, quòd scientia causarum per demonstrationē, desideratur propter scientiā definitionis. Amplius dicit Auer. in 2. post. com. 38. quod quicquid tractatur in primo lib. post. est propter secundum lib. post. in quo agitur de definitione, si igitur demonstratio. & quicquid cōsideratur in primo li. post. est propter definitionē, clarissimè patet definitionē longe nobiliorem esse, ac perfectiorē ipsa demōstratione. Confirmatur ista probatio minoris. Quoniā finis est nobilior iis, quae sunt ad finē, ut dixit Aristo. secundo phys. 2. tex. 31. & 5. meta. tex. 3. sed definitio per Auer. ex supradictis locis primo, & 2. post. est finis ipsius demonstrationis quoniam ordinatur ad definitionē, ergo definitio est nobilius ac praestantius instrumentū sciendi, quàm demonstratio. Sed dices, Auer. solūmodo ordinat demōstrationē ad definitionē, & nihil meminit aliorū cōsideratorū in logica, ergo signū est, quod nō oīa considerata in logica habent attributionē ad definitionem tanquā ad eorum finē, & sic minor principalis rationis adhuc eget probatione. Ad hāc dubitationē facilis est solutio, quoniā si demonstratio ordinatur ad definitionē tanquam ad eius finē, ut dudū diximus ex uoce Auer. ergo omnia alia considerata in logico negotio, definitionem pro eorum fine contemplabuntur. probatur haec consequentia, quoniam secundum graecos, & latinos omnes (ut supra dictum est in opinio. Ioan. Gramm.) decem uoces simplices sunt gratia propositio-

num, propositiones uero sunt gratia syllogismi simpliciter. & syllogismus simpliciter est ob ipsam demonstrationem, & demonstratio ut ait Aue. locis supradictis est gratia definitionis: ergo de primo ad ultimum dicendum est, quod omnia in logico negocio considerata ad definitionem habent attributionem. Et sic ualet hæc ratio, demonstratio ordinatur ad definitionem, ergo definitio est principalius instrumentum consideratum in logica. Secunda ratio, illud instrumentum nobilius atque cæteris omnibus præstantius est, quod ea excedit istorum trium modorum, aut nobilitate subiecti seu rei scitæ, aut certitudine demonstrationis seu medii, aut ratione separationis a natura: sed definitio omnibus hisce tribus modis excedit demonstrationem, ergo definitio est longè nobilius principaliusq; sciendi instrumentum, quam demonstratio, & singula alia instrumēta in logico negocio pertractata. Maior est Ar. primo de anima, te. primo & Aue. primo post. com. 177. ubi dicitur, quod una scientia est altera perfectior & honorabilior tribus modis. Primo modo, est nobilitate subiecti seu rei scitę, & hoc modo scientia metaphysica perfectior ac nobilior est, naturali & mathematica scientiis, quandoquidem agitur in ea de rebus diuinis, quæ perfectiores ac nobiliores sunt rebus omnibus naturalibus, uoluntarijsq; aliis in artibus cōsideratis. Et animaduertendum, quòd assignatur causa, quare scientia sortitur dignitatem ac excellentiam a subiecto seu à re scita, & talis est, Quoniam dixit Aristote. in 7. metaphysic. quod in substantiis finalis differentia seu perfectio sumitur a forma seu a diffinitione; sed in accidentibus tota eorum perfectio finalis differentia sumitur a materia seu a subiecto: sed scientia omnes sunt accidentia, ergo suam perfectionem ac dignitatem sortiuntur ab eorum subiectis, & sic patet causa propter quam dicitur ab Arist. & ab Aue. locis supradictis, quod scientia una dicitur alia nobilior nobilitate subiecti rei scitę. Secunda modo, una scientia dicitur alia excellentior certitudine demonstrationis, seu instrumenti quod sumitur a natura medii, & hoc modo demonstratio propter quid seu causæ, certior ac nobilior est demonstratione quia seu ab effectu, quoniam mediū eius ut patet primo phys. tex com. primo & primo post. 11. 95. 2. post. 94. & alibi, est certius & per causam. Notandū etiā, quod redditur ratio, quare sciētia per causā nobilior est, ea quæ nō per causam. & talis est, quoniā dixit Auer. 2. post. et in 2. metaph. quod sciētia insequitur opus naturæ & tūc est uera sciētia, quando astipulatur naturæ sed natura facit res per causas: ergo uerior ac nobilior sciētia est illa, quæ per causas seu per mediū quod est causa, incedit. Amplius sciendū est, quod Auer. in 2. meta. com. 16 iuxta hunc secundum modum nobilitatis scientiæ, quæ est à certitudine medii demōstrationis ordinauit demonstrationes secundū triplicem gradū certitudinis. in primo gradu mathematicā scientiā collocauit, in secundo naturalē, in tertio uero gradu diuinā scientiā situauit. Sed dubitabis, quare Auer. posuit demonstrationē sciētiæ mathematicæ in primo gradu certitudinis? Respondetur, quod hac de qm̄ causa, mediū demōstrationis mathematicorū est notius & certius, quā mediū demonstrationis scientiæ naturalis, & metaphysicæ (sicut dixit Auer. primo post. 2 primo phys. a. secundo cœli 35.) in quibus locis habetur, quod mediū demonstrationis mathematicę est notum nobis & natura, & non sic est mediū, naturalis & metaphysicę scientiarum: modo certius mediū est quod est notum nobis & natura, quam illud quod est uno istorum modorum notum: & quum medium demonstrationes matematicorum sit notū utroque modo, ut dictū est: ergo est certius, & ex consequenti demōstrationes mathematicæ seu sciētia mathematica nō ab re in primo certitudinis gradu ab Auer. collocatur. Sed adhuc dices, quomodo mediū demōstrationis mathematicæ est notū nobis & natura? Respondetur, quoniā medium demonstrationis mathematicæ inquantū est sensatū est nobis notū; quatenus uero est causa, & quoddam prius, sic est notū natura. Et aduertas quòd medium demonstrationis mathematicæ est sensatū, quia est accidens, mathematica uersatur circa sensibilia cōmunia, quæ accidentia sunt. Et dicit Auer. loco supradicto, scilicet secundo metaph. com. 16. quod naturales sciētiæ sequūtur eas, idest sunt in secundo gradu certitudinis. Verum sciendum est, quod non ab re, Auer. in secundo certitudinis gradu naturales scientias collocauit, nam ut habetur primo phys. text. com. 2. 65. 66. causæ rerum naturalium sunt substantiæ, quæ per se ignotæ sunt & insensatæ, et per aliud notificatur, scilicet per accidētia & opus propriū, ut Arist. 3. de anima tex. com. 1 t. iciulit. Et ideo dixit Aue. in primo phys. com. 2. & 3. quod in scientiis naturalibus rarò fiunt demonstrationes simpliciter idest demonstrationes dantes causam & esse. quum ergo naturales demōstrationes non habeant medium utroque modo notum, nobis scilicet & natura, dico semper et uniuersaliter, ueluti est mediū demonstrationis mathematicæ ut supra diximus, propterea optimè statuit Auer. naturales demonstrationes in secundo gradu certitudinis. Et quoniā ut patet 6. metaph. tex. com. 2. metaphysica abstrahit ab omni sensato, omnibusq; materiei appendiciis, scilicet a motu & aliis quæ sunt conditiones propriæ sensati, ut dixit Arist. 2. de anima tex. com. 121. Quum igitur causę ipsius metaphysicæ scientiæ, sint prorsus insensatæ ut dixit Auer in 12. metaph com. 5. & 6. quod metaphy. non potest cōsiderare causas suas nisi ubi sumpserit a naturali, reliquum fuit ut tertio situarentur gradu certitudinis metaphysica scientia, eiusq; demonstrationes, quod eruditè Auer. persecisse pro comperto habemus. Ex iis omnibus etiam patet, quomodo penes certitudinem medii demonstrationis, tres scientiæ speculatiuæ, quarū meminit Arist. 6. meta. tex. com. primo & secundo adinuicē se ipsas præcedant. q mathematica scientia in primo gradu certitudinis: naturalis in secundo: & metaphysica in tertio habenda est gradu. Tertio uero modo, scientia una dicitur altera perfectior ac præstantior, ratione separationis à materia, ita quod secundum hunc tertium modum, illa scientia dicitur nobilior, quæ seiunctior atque separatior est à materia eiusq; affectionibus & appendiciis, illa uero scientia quæ magis immersa est in lacu materiei, imperfectior efficitur ac nuncupatur. Et sciendum pro hoc, quod scientia illa quę magis aut prorsus à materia seiuncta est, simplicior dicitur. quæ uero materiam aliquo modo, aut realiter infectatur, compositior existit. Nota exemplum, quando una scientia dicitur alia simplicior, & est de arithmetica, quę simplicior est quam geometria, quoniā arithmetica considerat numerum qui est simplicior magnitudine considerata à geometria nam unitas simplicior est puncto principio magnitudinis & causa est, quia unitas sine positione partium est. punctus uero est cum partium positione: exemplū uero quando scientia est separatior a materia, adducitur ab. Auer. de geometria, quæ perfectior est perspectiua: & causa est, quia geometria considerat lineā simpliciter, idest sine materia, perspectiua uero lineam uisualem contemplatur, quæ in materia aliquo modo est. Et quòd scientia separatior à materia, perfectior sit, quàm scientia non separata, facilè potest assignari causa, quoniā entia quęcūq; materialiū affectionū experta, æterna sunt ut sexcentis in locis Aristo. & Auerro. exararunt, non sic autem entia materiam concernentia. sed æternum non æterno præstantius est ac nobilius, ergo scientia de æternis nobilior erit, quam quæ non de ęternis. Insuper scientia quæ est simplicior, nobilior est non simpliciori quando quidē simplex crebèrrimè, quinimmo semper nobilius est compositiori, nam compositiora interitui magis & corruptioni obnoxia sunt. Vnde obseruādū est, quod secūdū hunc

hunc tertium nobilitatis modum qui est ratione separationis a materia, intelligitur propositio illa famosissima Au. in primo de anima commen. primo in ultimis fere uerbis, quod scientia de anima certitudine seu confirmatione demonstrationis præcedit alias scientias præter diuinam. Et talis est sensus horum uerborum Auerr. quod scientia de anima ratione separationis a materia, nobilior est omnibus alijs scientijs præter scientiam metaphysicam. Et confirmatur hæc expositio, quoniã nedum diuinus artifex entia separata a materia secundum essentiam & existentiam contemplatur, ut patet sexto metaph. tex. com. secundo sed ipse animalisticus; uerum quo ad intellectum duntaxat, ut refert Auer. tertio de anima com. 6. & alibi. redeamus autem unde digressi fuimus, & dicamus, quod sicut tribus modis contingit ut una scientia altera sit perfectior, ut dudum diximus: ita quoq; tribus hisce modis definitio nobilior est demonstratione, cęterisq; alijs in logico negotio consideratis, scilicet nobilitate subiecti, certitudine medij, & ratione separationis a materia: & hoc eget probatione, ad hoc, ut minor secundæ rationis pręassumptæ uera sit. Primo probatur, quod definitio sit nobilior demonstratione nobilitate subiecti seu rei scitæ. Nam quod scitur definitione, est substantia, quod uero demonstratione, est accidens, hoc dixit Aristotel. secundo post. capit. secundo tex. comm. 20. sed substantia præcedit atque longe perfectior est, quam accidens, ut dixit Aristot. etiam in 7. metaph. tex. comm. secundo & quarto ergo instrumentum quo scitur substantia præcedit atque longe nobilius ac perfectius est, quam instrumentum quo scitur accidens & tale instrumentum est definitio ut patet; ergo definitio nobilius sciendi instrumentũ est, quam demonstratio. Amplius, quod scitur definitione est quid: quod autem demonstratione, est quale: hoc dixit Arist. & Auer. 7. meta. tex. comm. 35. & quarto. ergo instrumentum, quo scitur quid, est excellentius instrumento quo scitur quale; & tale est definitio. Præterea, arguitur ratione quam facit Aue. in epit. log. cap. de demonstratione & talis est: tunc perfectius scimus aliquid, quum scimus illud per principium operis proprij, ut in naturalibus per principium quo operatur natura, in uoluntarijs uero per principium quo operamur nos arte uel uirtute: sed principium operis proprij est forma, ut patet. 2. phys. tex. commen. 3. & 1. de anima tex. comm. 24. quæ forma solum definitione cognoscitur 7. metaph. tex. com. 35. demonstratione uero solum accidens: non ab re igitur ratione subiecti seu rei scitæ, definitio nobilius est sciendi instrumentum quàm demonstratio. Adhuc etiam arguitur: natura ordinauit accidentia ad substantiam, sicut imperfectum ad perfectum, & ad eius causam finalem: ut patet 12. metaph. tex. com. secundo & 7. metaph. ergo instrumentum quo scitur accidens debet ordinari ad instrumentum quo scitur substãtia, sicut imperfectum ad suum perfectum. probatur consequentia, quoniam ars astipulatur naturæ, ut patet quarto metheor. tex. com. 18. Amplius dixit Auer. in 2. post. com. 94. & in 2. metaph. comm. 2. & 4. quod tunc ars est uera, cum insequitur opus naturæ: sed ex natura (ut dictum est) ordinatur accidens ad substantiam: ergo ex arte instrumentum accidentis debet ordinari ad instrumentum substantię, ueluti ad eius finem. Et quum 7. polit. 7. semper nobilius sit finis ignobilioris, & in secundo phys. tex. comm. 31 & com. 23. 2. metaph. tex. comm. 8. & in 5. metaph. tex. com. 3. finis nobilior est ijs quæ sunt ad finem, ut etiam supra dictum est in prima ratione: sequitur ex his omnibus quod definitio absque dubio præstantius ac nobilius est sciendi instrumentum quam demonstratio, & hæ rationes omnes concludunt ex parte rei scitæ per definitionem. Secundo probatur, quòd definitio sit nobilior ac perfectior demonstratione medij, nam definitio facit scire per hoc medium scilicet per causam formalem, ut patet 7. metaph. tex. com. 35. 40. & 3. metaph. com. 3. & inter omnes alias causas, causa formalis est nobilior. Assignatur ratio ab Arist in 2. metaph. tex. comm. 16. & in 2. post. cap. de caussis: quare causa formalis perfectior est quam cæteræ causæ: & hæc est, quia sola forma est causa per quam res est proprie, & conuertibilis, qua scilicet posita ponitur effectus, & qua remota remouetur effect⁹. quum ergo definitio faciat scire per causam formalem, non sic autem demonstratio: sequitur ex necessitate, quòd definitio nobilior sit demonstratione ratione medij. Sed dubitabit quis, & pulchre quidem, quod definitio ratione medij non potest esse nobilior quam demonstratio, quoniam dixit Auer. in primo post. com. septimo & 42. quod medium demonstrationis simpliciter, est causa per quam res est, qua posita ponitur, & remota remouetur; quæ sane solum forma est, ergo ex ratione medij haudquaquam definitio nobilior perfectior ue est quam demonstratio. Respondetur huic dubitationi, uerum pro faciliori intellectu responsionis unum prius animaduertendum est, quòd definitio & demonstratio eodem prorsus potiuntur medio scilicet causa formali, ita quòd medium demonstrationis & definitionis sunt unum & idem subiecto, differunt uero ratione, hoc pacto scilicet, quoniam demonstratio facit scire per causam formalem, quatenus est causa per se; definitio uero facit scire etiam per causam formalem, sed ut est quidditas, modo facere scire sub ratione quidditatis perfectius est, quam sub ratione per se causæ: & sic habita hac solutione, dubitatio facile ruit ut clarum est. Posset etiam dici confirmando responsionem, quod licet medium definitionis & demonstrationis sint idem, tamen quia scientia demonstrationis ordinatur ad scientiam definitionis, ut crebrò diximus ad aures Auerro. in primo post. com. 11. & in post. comment. 38. propter hanc etiam rationem, dicitur quòd semper redditur nobilius sciendi instrumentũ definitio quam demonstratio. Sic quoque posset dici ad dubitationem, & eruditius, quod demõstratio non à toto genere habet pro medio causam formalem, sed ea duntaxat quæ dans causam nuncupatur, et demonstratio simpliciter, ut dixit Au. in primo post. comm. 95. & in epit. logic. cap. de demon. & in primo phys. com. 2. & in 2 cœli com. 35. sed definitio quælibet semper est per causam formalem: quare per hanc etiam rationẽ, posset negari illa maior uniuersaliter, quod demonstrationis mediũ sit causa formalis, est enim tantum uera indefinite pro aliqua specie demonstrationis; scilicet propter quid & simpliciter. Et confirmatur hæc responsio, quoniam Auer. se ipsum exponit in illa auctoritate comment. 42. & 7. primi poste. nam dicit ibi, quod medium demonstrationis simpliciter, est causa formalis: & non loquitur de omni specie demonstrationis. Sed si adhuc instatur, quoniã tunc definitio saltem non esset perfectior, quam demonstratio propter quid, & simpliciter: Et tu respondeas, ut dudum diximus in prima, & secunda responsione, quod licet demonstratio propter quid, & simpliciter habeant causam formalem pro medio, sicut etiam definitio; tamen quia forma in definitione sub nobiliori respectu facit scire, quàm in demonstratione propter quid, & simpliciter: propterea dicendum est, quod definitio præstantius sit sciendi instrumentum, quàm demonstratio. Tertio probatur, quod definitio etiam ratione separationis a materia, seu ratione simplicitatis nobilior sit, quàm demonstratio, quoniam definitio, ut patet primo topi. cap. 4. primo periherm. cap. 4. & primo post. tex. commen. 14. est solum prædicatum quid, non dicens esse, uel non esse. i. non significat cũ affirmatione, uel negatione: dixit etiam Aristo. in 9. meta. tex. com. 22. quod definitiuus sermo, & affirmatiuus non sunt idem; sed demõstratio facit scire conclusionem compositam cum affirmatione, uel cum negatione. i. prædicatum cum subiecto, & sic simpli

cius est quod scitur per definitionem quàm quod scitur per demonstrationem. & si simplicius, ergo nobilius, & magis æternum: & sic definitio etiam ratione simplicitatis seu separationis a materia est nobilior quam demonstratio. Ex quibus omnibus clarissime patet probatio minoris secundę rationis, quòd scilicet definitio est nobilior ac præstantior quàm demonstratio tribus modis, nobilitate subiecti seu rei scitæ, certitudine medii, & demum ratione separationis a materia seu ratione simplicitatis. patet etiā ex his rationibus, hanc esse Arist. & Auer. ueram ac germanam sententiam, quòd definitio, scilicet est nobilius atque excellentius sciendi instrumentum, quam demonstratio, & cætera alia in logico negotio considerata. Superest modo Ioan. Grammat. & latinorum rationibus respondere.

Tertium caput, in quo ponuntur solutiones ad argumenta aduersariorum.

Solutio rationis Ioannis Grammatici.

Antequam formaliter respondeatur ad rationem Ioa. Gramma. unum est aduertendum, quòd nedum Ioa. Gramma. uerum etiam & latini omnes hallucinantur maximopere, resoluendo tandem librum perihermenias, ad librum prædicamentorum, præsupponentes quod liber prædicamentorum sit primus liber in logica, quod falsum esse solerclarius ostendimus in proprio quæsito. pro nunc sat erit nobis rationi huic respondere. & dicimus concedendo cu Philopono & latinis, quod omnia ad demonstrationem reducuntur: & ulterius uolumus quòd ipsa demonstratio ad definitionem reducatur, & sic demonstratio non erit ultimus finis & principalius instrumentum ad quod omnia in logico negocio considerata habent attributionem, sed definitio duntaxat est ultimus finis & principalius instrumentum ad quod demonstratio. & alia logicalia reducuntur, sicut imperfectum ad perfectum, ut dudum in secundo capite diximus.

Solutio argumentorum omnium Latinorum.

Pro formali solutione primi argumenti Latinorum: unū est prius obseruandum, cuius supra etiam meminimus: quod definitio sola forma est, & per causam formalem, sicut dixit Arist. septimo meta. tex. com. 35. & 40. & Auer. in tertio metap. com. 3. & assignamus etiam causam, quare definitio sola forma & causam formalem explicat, & ratio hęc profecto est, quoniam definitio indicat essentiā. ut dixit Arist. primo topic. quarto, quæ essentia natura est ut patet secundo phys. 3. & secundo de anima 24. quæ sane natura forma est, & causa propria essendi rei. nam dicitur tertio de anima nono, quod essentia carnis a sola forma est. Tunc stante hoc præsupposito, facile respondetur ad formam argumenti negando minorem, quoniam definitio facit scire per causam formalem, quinimmo facit uerius et principalius scire, quam ipsa demonstratio, ut supra probauimus. Posset etiam secunda dari responsio negando maiorem, quoniam illa maior sic simpliciter & uniuersaliter prolata, falsa est, & assignatur ratio falsitatis, quoniam datur aliquid quod scitur, & tamen non scitur per causam; uelutisūt principia demōstrationis, quæ sūt magis scita, quam conclusio, ut clarissime edocuit Arist. in primo poster. tex. com. 16. & quare ipsa principia magis sciantur quam conclusio: Arist. dicit hoc esse, quia propter unum quodque tale & illud magis: ergo quum principia sciantur & non per causam: quia principiorum non est principiū, ut multis in locis retulit Arist. sequitur quod illa maior sic simpliciter prolata non est uera, quando dicit, scientia per causam, est perfectior quam scientia sine causa: sed tunc semper est uera, quando scientia non per causam, est effectus; sicuti est scientia demonstrationis quia (de qua demonstratione quia, an sit demonstratio. & an faciat scientiam, proprium quæsitum fecimus in expositione nostra super lib. poster. magno commen. Auer.) & sic dicimus, quòd si non per causam intelligitur effectus, tunc semper est uera ista propositio. scientia per causam, perfectior est quam scientia non per causam, & hoc modo Auer. intelligit in locis supradictis in maiore argumenti, scilicet in primo poster. 8. 11. 95. secundo poster. comm. 94. & primo physic. comm. primo, ubi dicit, quòd scientia per causam nobilior est, quàm scientia sine causa, seu non per causam: ex utraque hac responsione, immo ex qualibet seorsum sumpta hoc primum latinorum argumentum, quod summopere magnificarunt, facilè ruit. Pro intellectu responsionis ad secundum argumentum latinorum, antequam ad formam eius respondeatur, duo prius præsupponenda sunt. Primum ex Auer. primo poste. commen. 11. & in secundo poster. commen. 38. & 69. quòd scientia demonstrationis, seu demonstratio ipsa ad definitionem ordinatur, cuius supra diffusè meminimus. Secundum præsuppositum ex Aristo. septimo politic. capi. septimo, quando aliquid ordinatur, semper ordinatur ad illud tanquam ad nobilius; concesso etiam, quòd illud quod ordinatur, fortius & ualentius sit eo ad quod ordinatur. exemplum huius, seruus potest ferre maius pondus quā possit dominus eius, immo maius ad duplum; tamen quia uires illius serui sunt seruiles, propterea dicendum est, quod seruus & uires eius, sunt imperfectiores & ignobiliores, quam dominus, & si seruus fortior & ualentior est quam eius dominus. Ex quibus pręsuppositis, facilis sequitur responsio, concedendo demonstrationem fortius ac ualentius esse instrumentum, quam definitio, quoniam facit sciri & acquiri ignotum naturaliter, quod non facit ipsa definitio: tamen quia ipsa demonstratio ordinatur ad definitionem (ut concessum est per primum præsuppositum) tanquam imperfectum ad perfectum & merito ipsa demonstratio ignobilior longeq; imperfectior est: & definitio nobilior ac perfectior ea est. & sic dicimus quod fortitudo non causat nobilitatem & perfectionem maiorem. Et habemus exemplum pulcherrimum de syllogismo topico, & de demonstratione, tam omnibus notum est, quòd demonstratio nobilior longeq; perfectior est, quam syllogismus topicus, & tamen syllogismus topicus est fortior & ualentior, quam demonstratio: quoniam primo top. cap. primo, syllogismus topicus est instrumentū ad omne problema, & ad omne quæsitum, sed demonstratiū est instrumentum tantum ad ignotum naturaliter, ut patet secundo poster. tex. commen. primo, & tamen non sequitur, quod syllogismus topicus sit perfectior ac nobilior demonstratione, & si plura potest, ac fortior est quam demonstratio. sic similiter in proposito nostro dicendum est, demonstratio est fortior quam definitio, non tamen sequitur, quod sit perfectior ac nobilior definitione. Ex qua responsione duo sequuntur concedenda. primum, quod demonstratio est instrumentum fortius, quam definitio. secundum uero, quod licet demonstratio sit fortius instrumentum quam definitio, tamen est imperfectius & ignobilius quoniam ordinatur ad ipsam definitionem, quæ est ultimus finis & demonstrationis & omnium instrumentorum logicalium. Pro facili ad tertium argumentum latinorum responsione, notandum est unum, quod græcos omnes & arabes (Auc. excepto) & latinos hucusque latuit: quod definitio quatenus definitio est, non est principiū seu medium demonstrationis, nisi per accidens: sed definitio quatenus est forma, est principium & medium demonstrationis. Et quod hoc sit uerum, probatur ex proprietate & natura definitionis, quoniam (ut etiam supradictum est & abunde) definitio

finitio ſuapte natura facit ſcire ſubſtantiam, ut dicit Ariſ. primo top. cap. 4. & ſecundo poſte. 2. & ſeptimo metaph. demonſtratio autem accidens tantum: quum ergo definitio ſolum ſubſtantiam faciat ſcire, & non accidens; ſequitur de neceſſitate, quod definitio ut definitio per ſe non poteſt eſſe principium & medium demonſtrationis, ad hoc, ſcilicet ut demonſtratio faciat ſcientiam; quoniam tunc ſequeretur, quòd definitio ut definitio, facere ſcire accidens, quod eſt contra naturam eius, quum ſolius demonſtrationis munus ſit ut accidens ſciatur. bene uerum eſt, quod definitio ut forma, eſt per ſe medium ac principium demonſtrationis. ſed quoniam ut dixit Auer. ſeptimo metaph, commen. 40. forma & definitio ſunt unum ſubiecto. & differunt ratione: propterea per accidens euenit, ut definitio quatenus definitio, ſit principium demonſtrationis & huius præſuppoſiti auctor eſt Auer. in primo poſter. com. 11. licet ſob aliis uerbis. Quo habito præſuppoſito pro conſtanti, dicitur ad minorem argumēti, quòd falſa eſt. Et ad auctoritatem Ariſto. primo de anima tex. com. 11. & primo poſter. tex. commen. 76. & in ſecundo poſter. tex. comm. 14. dicitur uniformiter, quod intentio Ariſt. in illis locis non eſt dicere, quod definitio ut definitio, per ſe ſit medium & principium demōſtrationis, ſed quod definitio ut forma, eſt per ſe principium demonſtrationis, & hoc etiam modo intelligi poteſt minor, quòd demonſtratio continet definitionem, ut forma eſt, & non ut definitio, & ſic non ſequitur uis argumenti latinorum. quòd demonſtratio ſit perfectior. Poſſet etiam dici ad idē argumentum quod maior non eſt ſemper & uniuerſaliter uera: quoniam cōpoſitum continet materiam & formam & tamen compoſitum non eſt perfectus quam forma ut dicit Auer. ex mente Ariſt. in ſeptimo metaph. tex. com. ſeptimo. Sed animaduertendum eſt, quod hæc reſponſio ſecunda ab Auerroiſtis duntaxat poſſet dari, quoniam non omnes græci & latini aſſerunt formam eſſe nobiliorem compoſita ſubſtantia. Simplicius nanque in primo phyſic. in expoſitione tex. com. 70. & in ſecundo phyſic. in expoſitione tex. com. 4. uoluit, quod ſubſtantia primo dicatur de compoſito, ſecūdo de forma, tertio uero de materia: & adducit pro ſe Ariſt. in ſeptimo metaph. tex. com. ſeptimo. Latini inſuper ferè omnes cum Simplicio ſunt concordes, ut Scotus, diuus Thomas, Albertus Magnus. Quæ uero iſtorum uerior ſit opinio & magis peripatherica, metaphyſicis hoc diſcutiendum relinquimus. At in præſentiarum placet nobis Auer. opinioni aſſtipulari: & ſic tertium latinorum argumentum nndequaque falſum eſſe aſſerimus. Ad quartum & ultimum argumentum latinorum: dicitur ſecundum Auer. in prologo mag. comm. primi poſterio. quòd ordo doctrinæ eſt multiplex, de quo multiplici ordine diffuſior ſermo habetur in quæſito de primo libro logices, ſed pro nunc dicimus, quod non ſemper ordine doctrinæ, initiandum eſt a nobiliori, ſed plerunque inchoandum eſt a facilioribus, & notioribus ut dixit Ariſtoteles. quinto metaph. tex. cō. primo quod ordo doctrina, eſt, a quo quis facile diſcere poteſt. Ad propoſitū ergo redeundo dicimus, quod Ariſtoteles non incæpit prius a demonſtratione ut a nobiliori, ſed tanquam a faciliori & commodiori, ne fieret, ſcilicet inutilis repetitio earundem conditionum. concludendum igitur eſt ex his omnibus ex uoto Ariſt. & Auer. quod definitio eſt præſtantius & longè excellentius inſtrumentum ſciendi, quam demonſtratio, & quæcunq; alia logica inſtrumenta.

HIERONYMI BALDVINI

Quæſitum decimum, de motus cœli æternitate, contra Auer. eiuſq; ſequaces.

Proœmium.

INTENDIMVS in hoc quæſito perſcrutari de motu circulari ſimplici, qui ac tribuitur orbibus cœlorum, an ſua natura æternus ſit ſicut ſubſtantia cœli, uel poſſit deficere. Et cauſa motus quæſiti eſt, quia multi peripatheticorum diuerſantur in eorum opinione, quæ fuerit Ariſt. uera ſentētia. Nos uero pro ueritate (quam mos eſt philoſophi perſcrutari) conabimur inueſtigare, quæ uera Ariſto. ſit ſententia. In cuius inueſtigatione hunc obſeruabimus ordinem. Primo Auer. eiuſque ſequacium opinionem dicemus, cōtra quā pluribus rationibus inſtabimus. Secūdo uera Ariſ. opinio dicetur cum ſuis fundamentis. Tertio demum, & ultimo ſoluentur rationes Auer. eiuſq; ſequacium.

Primum caput in quo Auerr. narratur opinio cum ſuis rationibus.

AVer. duodecimo metaphyſi. comm. 41. firmiſſimè aſſeruit, cœlum ſua natura non poſſe dificere: ſed per ſe & in ſua ſubſtantia æternum eſſe: motum uero eius per ſe & ſuapte natura poſſe deficere. quod probare nititur ratione, & dictis Ariſt. Ratione quidem quia aliquam rem ſua natura corrumpi, eſt potentiam in ſua ſubſtātia habere, & contrarium corrumpens; quæ ſunt duæ cauſæ corruptionis: cœlum autem nullam potentiam in ſua ſubſtātia, neque contrarium habet: ergo cœlum ſua natura incorruptibile eſt quo ad ſubſtantiam. hæc ratio eſt Ariſt. primo cœli tex. commen 20. Sed cum cœlum habeat potētiam ad quietem, quæ eſt contraria motui eius: ſequitur quod motus cœli per ſe, & ſua natura ſit corruptibilis: ſi autem perpetuus eſt, non eſt quia natura ſua talis ſit, ſed quia agens eum eſt perpetuum agens, & eſt motor non in materia omnino. Confirmat hoc etiam Auer. ex auctoritatem Ariſt. nono metaph. tex. 17. ubi dicit, non eſſe timendum de cœlo, ut deficiat a motu, unde cū minor non ſit niſi de eo quod poteſt eſſe, & non de eo quod non poteſt eſſe. poterit ergo cœlum a ſuo motu deficere; & non dicit non eſſe timendum de corruptione cœli, quaſi impoſſibile ſit cœlum corrumpi. Sed quia poſſet opponi ex dictis Ariſt. primo cœli, contra Platonem nullum æternum poſſe deficere, cum ergo motus cœli apud ipſum ſit æternus non poterit deficere: quia ſi poteſt; tunc aliquod per ſe corruptibile, erit æternū ab alio: quod negat Ariſt. contra Platonem ubi dicit, ꝙ poſſibile ex ſe nō poteſt ab alio perpetuari. Reſpondet Auerro. & dicit ſermonem Ariſt. eſſe intelligendum in ſubſtantiis, in quibus uerum eſt, æternum non habere potentiā ad corruptionem, quia

si haberet potentiam ad corruptionem, aliquando corrumperetur & sic non esset æternum: sed non est intelligendus, sermo Arist. in accidentibus quæ habere possunt potentiam ad corruptionem, nunquam tamen corrumpentur, cum ab alio possint perpetuari: modo sermo Aristo. contra Plato. est de mundo qui est substantia: ideo ratio Arist. ualet contra Plat. sed dicit Auer. ꝙ sermo suus est de motu qui est accidens, in quo non ualet illa met ratio. Sed quare ualeat in substantiis & non in accidentibus dicit hoc esse, quia substantia est ens per se constans, & nõ in alio sicut accidens: & ideo si est substantia genita, uel æterna; hoc habet ex sua natura solum, scilicet quia habet in se causas suæ corruptionis, idest materiam, & cõtrarium extra; uel æternitatis, scilicet carentiam istorũ: modo si substantia potens corrumpi æterna esset, cum nõ nisi ex una parte perpetuari & corrumpi posset, eadem ex parte æterna esset & non æterna, & haberet causas corruptionis & non haberet: quod nõ solum falsum sed impossibile est. Accidentia uero cum non sint entia per se constantia, ultra essentiã eorum, in esse a subiecto dependent. Et ideo duabus de causis possunt esse æterna, & nõ æterna: uel quia subiectũ est æternum, uel non; uel quia in sua substãtia habẽt causas cõtrarietatis uel non. Stare ergo potest quod in sui natura non habeat causas æternitatis, immo corruptionis; & ex se posse corrumpi quia habet cõtrarium & potentiam ad nõ esse: posse tamen inueniri in subiecto æterno a mouente æterno, & ab ipsis causis perpetuari. & tunc non sequitur quod idem ex eadẽ parte habeat causas æternitatis & non habeat, sed erit æternũ & corruptibile diuersis de causis, quod non est impossibile: in substantia uero hoc non potest esse cum non habeat nisi unam causam, a qua perpetua, uel corruptibilis reddi possit: Hæc mihi uidetur tota Auer. sententia.

Rationes August. Suess. pro Auerroe.

Hanc opinionem Auer. esse ueram quidam moderniores cõfirmãt probationibus quibusdam leuioribus. Quarum prima talis est: una & eadem est materia contrariorum ut habetur, quinto physi. com. 14. sed cœlum est materia motus: ergo erit materia quietis: nã motus & quies contrariantur: & ita, ut cœlum potest moueri, ita potest quiescere: & sic motus eius poterit deficere. Secunda ratio, si motus cœli non posset deficere ex sua natura, tunc frustra cœlo uniretur intelligentia, ut moueat, & motum conseruet, ut patet in lib. de substantia orb. cap. 2. & 12. metaph. com. 41. Tertia ratio, omne animatum est finitum in motu: cœlum est animatum: ergo est finitum in motu, & sic quiescibile. Confirmatur hoc quia cœlum est corpus dimensione finitum, & ui passiua limitatum, & loco descriptum: igitur potest a motu cessare, ut colligitur ex secundo cœli. com. 38. & ex octauo physic. cõmm. 79. Quarta ratio illa cœli pars quæ est materia ad ubi, & subiectum intelligẽtiæ, est mere passiua respectu motus, et in potentia contradictionis: igitur potest recipere quietẽ tenet cõsequentia per ea quæ habentur, nono metaphy. quare concludit Suess. pro Auer. quòd motus cœli ex sua natura potest deficere.

Declaratio Ioan. Gand. pro opinione Auer.

Quidam ex iis qui Auer. sequũtur, conantur alio modo eum tueri, dicentes: quòd aliquod habere potentiam ad non esse, contingit duobus modis: uel secundum totum, uel secundum partem. secundum totum quod possit non esse, ita ꝙ nihil de eo remaneat. secundum partem uero, ut deficiat ei aliqua pars, altera tamen cõtinuo succedente. exemplum. Sortes, uel hic leo secundum totum potest non esse, & ideo potentiam habet ad non esse secundum totum. species uero humana non habet potentiam ad non esse nisi secundum partem: nam semper aliquo eius indiuiduo deficiente alterum erit: ita dicunt de motu nõ posse secundum totum deficere sicut Sortes, sed secundum partem sicut species humana potest non esse: & isto modo dicunt Auer. intelligere; quando dicit motum cœli posse quiescere: non quia a toto motu deficiat sed quia a parte eius, qua continue corrupta, altera succedit. Qua opinione existente uera nullum inconueniens sequitur ad dicta Auer. Potest confirmari hanc esse intẽtionem Auer. ex nono metaph. com. 17. ubi dicit non esse transmutationem, quę fit in potentia, postea in actu. sic illud quod est in potentia post actum, est pars mutationis Hæc dicunt Ioan. de Gandauo, & multi alii cum eo excusando & declarando mentem Auer.

Contra Auer. eiusq; sequaces.

Istam opinionem Auer. quia cõsueta est audiri pro uera, & quasi pro principio per se noto ab eius sequacibus, qui plures sunt hoc in tempore, difficile erit nobis persuadere non esse ueram, ac secundum Arist. mentem; unum enim eorum quæ solẽt ueritatem impedire, ut dicit Arist. secundo metaph. consuetudo est: ita ꝙ si inconsueta audimus, extranea esse iudicamus. Nos autem (quia philosophorum mos est de rebus quantum possunt, perscrutari) conabimur demonstrare; opinionem Auer. nec ueram nec secundum Arist. esse, non contenti sola eius auctoritate, ut moderni faciunt. qui ubi officiũ philosophi est per demonstrationem scire, ipsi per auctoritates opinantur, & de scientia opinionem faciunt. quod eis accidit ex debilitate ingenii, & mala consuetudine. Sed ꝙ ista opinio Auer. non sit uera, & secundũ Arist. rationibus & auctoritatis commonstrabimus. Primo sic arguitur, dixit Arist. primo cœli contra Platonem non esse opinandum in naturali philosophia id prædicatũ subiecto inesse, cuius oppositũ eius patet inesse inductione facta in omnibus singularibus subiectis. Et Auuer. ibi cõfirmat hoc inductione facta, non enim uidemus aliquod æternum quo ad esse habere potentiam ad non operari, & accidentia propria; immo uidemus oppositũ; omni enim cui deest potentia ad non esse, deest potentia ad non operari: operationes enim insequuntur essentias rerum, nono metaphy. tex. 7. non ergo debemus opinari contradictorium huic, scilicet aliquod æternum inesse, ut cœlum habere potentiam ad non operari: nam uidemus omnes proprias tex rum operationes æternas, & non æternas esse, si esse subiecti est ętemũ, aut non æternum. si subiectũ habet cõtrarium, & opus suum habet contrarium: si subiectũ habet potentiam ad non esse substantiæ, habet etiam potẽtiam ad non esse operis: & si caret potentia ad non esse, carere uidemus quoq; potentia ad non operari. Modo, motus, cum sit proprium opus ipsi cœlo, erit æternus, ut cœlum. & non habebit contrarium, ut ipsum cœlum: & sicut cœlum non potest deficere in esse, ita nec in operari: motus ergo cœli non potest deficere ex sua propria natura. & hæc ratio uidetur demonstratio. Secundo, laudat Arist. primo cœli antiquos conuenienter tribuisse cœlo, ꝙ esset ætern' locus diis, hac scilicet ratione quia ęternũ æterno tribui debet; locus uero est accidens sicut motus; quare cœlo motus qui sit suapte natura æternus, tribui debet. aliter enim dicam cœlum non esse locum ęternum sua natura, sed ratione locati æterni; sicut tu dicis motum æternum dari cœlo, non sua natura, sed ratione motoris: sed Arist. dicit cœlum locum Deorum sua natura esse æternũ. quod confirmatur: ex secundo cœli, com. 49. cum natura nihil faciat frustra: stellis enim quia immobiles sunt, dedit figurã minus motiuam. i. sphæricam; ita quod semper natura dat cõueniẽs conuenienti, quãdo

ea quæ dat sunt essentialia, modo motus, cum sit de essentialibus cœli, (nam est opus proprium eius) si non esset æternus, sed corruptibilis sua natura, tunc ipsa natura effectrix egisset sine ratione, quia tribuisset opus nõ æternum sed mortale per naturam, corpori immortali & æterno per naturam: quod non est conueniens & cum ratione factum. Et si dicas, ꝙ Arist. his rationibus tãtum persuadet, & non demonstrat. Et mihi quodq; sufficiet persuadere ut Arist. & non demonstrare. Tertio, ubiq; Arist. sic arguit, motus cœli est æternus, ergo mobile, quod est cœlum, est æternum: ergo motor est æternus: modo si motus cœli non est æternus sua natura, sed secundum quid, non habebit ex hoc medio nisi cœlum & suos motores esse æternus secundum quid, & non ex propria natura, quod tamen Arist. uult esse simpliciter æternum. Et confirmatur, nam ut ipse dixit primo cœli com. 8. ideo motus arguit naturã cœli in simplicitate & aliis rebus, quia motus est proprium opus cœli: & proprium opus arguit naturam rei. sicut ergo ualet; motus circularis cœli est simplex, ergo cœlum est simplex; eadem ratione ualebit motus cœli non est æternus sua natura, sed secundũ quid ergo & cœlum: ut ubique quod enim arguitur ex natura operis proprii ad naturã subiecti proprii, falsum autẽ est cœlum suapte natura non esse æternum. Quarto motum cœli suapte natura posse corrumpi duobus modis intelligi potest sicut est de omnibus accidentibus; uel quia subiectum corrumpitur, uel quia habet contrarium corrũpens in eo: sed nullum istorum inest motui cœli: subiectum enim eius est æternum, primo cœli com. 20. nec etiam habet contrarium corrumpens, ut in eodem lib. probat Arist. Quinto, si cœlum non mouet uiolenter, habet potentiam naturalem ut moueatur semper: sed in æternis potentia est actu, ut patet tertio physic. ergo necessariũ est ut semper moueatur: non ergo potest non moueri.

Sexto, Arist. primo cœli tex. 20. probat cœlum non habere contrarium ex quo corrũpatur, quia motus eius caret contrarium quo corrumpatur, tunc si motus cœli haberet contrarium, & ab eo posset corrũpi, ut ipse dicit nulla esset ratio Arist. nam sumit falsum principium, scilicet motũ cœli non habere contrariũ. Confirmatur hoc, quoniam nititur ibi Aris. probare diffusissimè motũ cœli non habere contrarium. Septimo, corruptibile sua natura non prædicatur in secundo modo dicendi per se, de æterno, cum non sint eiusdem generis. motus ergo circularis non prædicatur de cœlo in secundo modo. cuius tamen oppositum Auer. opinatur. Octauo, si motui cœli æternitas non conuenit ex sua propria natura, ergo per accidẽs: quia per illud: & omne tale in nullo modo perseitatis est. ergo non est demonstrabile, & tamen Arist. octauo physic. demonstrat de motu cœli æternitatẽ. & tunc male & insufficienter egisset, dum dimisisset corruptibilitatẽ de eo demõstrare, quæ sibi per naturam conuenit. Confirmatur ista ratio. Quoniam Arist. secundo cœli tex. 98. ubi sphæricitatem terræ probare intendebat, dixit, quòd licet terra accidentaliter, & ui, non sit sphærica; tamen quia si suæ naturæ dimitteretur esse sphærica, ideo se uelle considerare de illo, quod secundum naturã terræ cõuenit: quia oportet unumquodq; dicere secũdũ quod natura uult esse & existere, non præter naturã: quare eodem modo debuit de motu facere, & de eo considerare æternitatem, quæ sibi secundum naturam conuenit.

Nono, natura substantiæ est per se esse, natura uerò accidentis est alteri inesse, ut patet septimo metaph. com. 2. substantia ergo si æterna est, per se est æterna: accidẽs uero quia inest subiecto æterno: motus ergo cœli, cum insit cœlo, quod est æternum, erit sua natura necessario æternus. Decimo, ipsemet Auer. probat in primo cœli commento 20. potentiam in substantiam non frustrari a mutatione, quia est finis eius: modo quantum ad hoc, potentiæ substantiæ, & accidentium, proportionãtur: quia possunt ad actum reduci: sed hoc impossibile est in motu cœli: nunquã enim erit definiens: ergo potentia ad quietem erit frustra, cũ nunquam ueniet ad actum. Aliqui ad pauca respicientes conantur respondere huic rationi dicentes, ꝙ potentia non frustratur in indiuiduo, sed in specie: si enim motus cœli potest deficere, & non deficit, nõ frustra erit potentia: quia aliquis alius motus idẽ specie deficiet. Sed hæc nihil sunt. primo, quia nullus motus idem specie & circularis, est præter motum cœli; nam ut dicit Auer. primo cœli, motus circularis in elementis & aliis rebus mixtis, nõ est circularis & simplex, nisi æquiuocè; secundo, quoniam similiter dicam, cœlum habere materiam & potentiam ad corruptionem, & non corrumpi aliquando nec propter hoc frustrari potentiam, quia exiret ad actum in aliquo eiusdem speciei saltem analogicè cũ cœlo, sicut motus istorum idem specie analoga est cum motu cœli. Vndecimo, contra ipsum Auer. sunt etiam dicta Arist. in nono metaph. tex. 17. quæ pro ipso adducit, nam Arist. postquam dicit nullum incorruptibile habere potentiam simpliciter, idest ad substantiam, sed solũ secundum quid, scilicet ad qualitatem perfectiuam, ut de lumine Lunæ manifestum est: aut ad ubi, ut cœlum: subdit post hæc, ꝙ neq; motus sempiternus est in potentia: neque si quid perpetuo mouetur, potentiam habet ad motum: sed cœlum semper mouetur: ergo non habet potentiam ad motum. Vlterius, sed motus cœli sempiternus est: ergo, non habet potentiam. cum ergo careat potentia, non est uerũ quod nõ esse poterit. Et clarius in eodem loco dicit, non inesse motum cœlo in potentia contradictionis ut mortalibus; quare non potest non esse in cœlo & deficere: quia si posset, tunc inesse cœlo, cum potentia contradictionis: quod negat Aristo. Præterea & duodecimo dicit ibidem Arist. non esse timẽdum ut astra stent, sicut timent alii philosophi. si ergo ut dicit Auer. ubi timor, ibi possibilitas: ubi ergo non est timor, nõ est possibilitas per conuersionem contrapositionis. sed apud Arist. non est timor de quiete motus cœli, sicut est apud antiquos: non ergo est passibilitas, hæc mihi clarè testantur hanc esse sententiam Arist. Tertiodecimo & fortius arguitur contra Auer. quoniam Arist. arguens cõtra Plat. in primo cœli, tex. 120. quod nullũ æternum sit corruptibile, sic dicit: quia posito in esse quod non sit, est positio falsa possibilis: sed ex falso possibili non sequitur falsũ impossibile: si igitur æternũ quandoq; nõ sit, sequitur quod simul sit & nõ sit: sed hoc est impossibile simpliciter, quia implicat contradictionem: ergo non sequitur ex positione illius possibilis de inesse, quia illa erat falsa possibilis: sed ex falso possibili non sequitur falsum impossibile, ut demonstratum est in secundo priorum, ergo illud impossibile sequitur ex hypothesi data, quæ erat ꝙ aliquod æternum sit corruptibile. Manifestum est autem, ꝙ consimilis ratio retorqueri potest contra Auer. asserentem motũ cœli esse de facto æternum: cum tamen de possibili possit non esse: quia posito illo in esse quod nõ sit: sequitur quod simul sit, & non sit: & illa positio est falsa possibilis. Et quicquid diceretur pro Auer. dicerẽ ergo pro Plat. & sic ratio Arist. non concluderet contra Plat. quod falsum est. Quidam ex modernis uolens tueri Auer. assignat rationem diuersitatis, quare propositio Aristo. uera est in substantiis, & non in accidentibus: & dicit quod substantia in se habet æternitatis & corruptionis causam: dum enim materiam habet, qua res esse nõ potest: corruptibilis est; sed cũ ea caret, incorruptibilis esse cẽsetur. Accidens uero non habet principium intrinsecum in se, quo corruptibile uel æternum dicatur: non enim habet materiã ex qua, sed in qua: & ideo principium, quo intrinsecum, uel corruptibile extrinsecum est, non intrinsecum: & sic motus cœli æternitatem suam habet a motore agente ipsum. Ex

quibus reddit causam qua ratio Arist. contra Platonē ualet, non autem contra Auer. quoniam Platone ponente mundum æternum, hoc non erit, nisi quia caret materia, cum sit substantia, & ex quo posuit ipsum corruptibilē, necesse est habere materiam, quod non esse potest, quo in actu posito falsum sequitur ac impossibile. Motus autem cœli, cum sit accidens successiuum, non habet principiū intrinsecum passiuum, per quod possit non esse: quia accidentia sunt formæ simplices & non habent materiā ex qua constant, sed solum habent materiam in qua, idest ipsum subiectū: sed possibilitas ipsius motus est ex extrinseco, quia habet contrarium ipsam quietem, quia motui inquantum motus contrariatur quies: & ideo quia motus, cum sit accidēs successiuum totum suum esse habet ab ipso motore: quia motor est intelligentia quæ inuariabiliter & sempiterno mouet; ideo motui largitur ipsa intelligentia permanentiam: quare non sequitur ꝙ simul erit & non erit, quia si æternus est, non habet hoc ex se sicut mundus. Sed quæ dicit iste uir, haudquaquam uidentur posse tueri Auerroem: Primo quia ratio ita concludit de mundo, sicut de motu. Nec ratio diuersitatis data bona est, ut ipse imaginatus nam sicut Auer. dicit motū corruptibilem ex se, idest, quia materia suam qua, scilicet cœlum habet potentiam ad non esse eius, & quia habet contrarium, æternum uero ab extrinseco: ita Plato (ut recitat Auer. primo cœli com. 24.) posuit mundum sua natura corruptibilem non autem æternum sua natura, sed ab extrinseco. s. Dei uoluntate: quare dicēdum est ꝙ sicut ratio ualet de mundo, ita etiam de motu. Secundo aduersus eundem sic instatur, quoniam siue ab intrinseco, siue ab extrinseco motus sit æternus, semper & infinito tempore erit: si ergo potest deficere positus in actu: non erit necessario in tempore in quo est: cum tempus illud sit æternum & infinitum, & omnia occupet: quare simul erit & non erit: quod falsum est & impossibile: sicut sequitur de mūdo. non enim uideo quod esse æternum à principio intrinseco uel extrinseco sit in causa, ne ratio ualeat. Tertio contra eundem arguitur ex Arist. qui in primo cœli tex. 118. contra Platonem sumit hoc principium per se notum: in omni genere uniuersaliter determinatum esse tēpus, quo potest esse & non esse quod omnis potentia cuiuscūque generis terminatum tempus habet, & nō infinitū in quo peractum habet finem: quia si infinitum tempus alicuius potentiæ in infinito tempore, tunc idem simul esse & non esse poterit: quod est impossibile: cum ergo motus cœli in aliquo genere sit pro quocunque suo significato, terminatum erit tempus in quo poterit non esse, & aliquando deficiet: aliter sequeretur inconueniens, quod dixit Arist. & hoc fundamentum nescio quo pacto soluere poterit Auer. cum ipsemet concedat. Quarto ad eundem sic dicitur. possibile ab intrinseco est possibile ab extrinseco, tā ad esse quam ad non esse, ut patet primo cœli tex. 134. si ergo motus sua natura, & ab intrinseco corrūpi potest, tunc habebit necessario causam extrinsecam. s. contrariū aliquando corrumpens, quod apud ipsum aliquando est impossibile. Nec ualet dicere, hoc ualere in substantiis et non in accidentibus, sicuti est motus. Quoniam hoc magis uoluntate dictum est quam ratione, cum id per quod probat hoc Auer. sit definitio possibilis sumpta ex primo priorum, quod possibile est, quo posito in esse, nō debet sequi impossibile: si ergo aliqua substantia ex sua natura est possibilis non esse impossibilis uero ex alio: tunc possibile redderetur impossibile; modo hoc inconueniens ita sequitur in substantia mundi, sicut in motu, nam sicut Plato posuit mundum sua natura & ab intrinseco corruptibilem, ab alio uero s. uoluntate Dei æternum: ita opinatur Auer. motum cœli ex se corruptibilem & ab intrinseco; quia subiectum suum potest ab ipso deficere, & quia habet cōtrariū: æternū uero ab extrinseco. s. motore, qui uoluntate sua æterna appetēdo mouet: quare contra eodem modo positas opiniones eadem ratio semper instabit. Quinto etiam sic dicitur cōtra hunc ex Auer. asserēte impossibile esse easdem intentiones, quandoq; æternas quādoq; corruptibiles esse, nisi natura corruptibilis fieret æterna, ut patet in tertio de anima com. 5. modo intentiones rerum materialium sunt accidentia: quas negauit æternas posse esse una ex parte. s. intellectus, corruptibiles uero ratione rerum materialium, & naturā corruptibilem non eis fieri æternam: cum ergo motus sit accidens, si corruptibilis sit sua natura, non potest reddi æternus, ut ipse dicit, et sic euasio Zimaræ pro Auer. nulla est. Quartadecima uidetur Auer. sibimet contradicere, quandoquidem in tractatu, quum ipse inscripsit de substātia orbis cap. 2. asseruit cœlum habere agens, quod non solum causat substantiam eius, sed ēt motum, utrunq; conseruando: quo remoto, sicut non erit substātia cœli, sic nec motus eius. At alibi pro impossibili nobis notauit, quod ab uno & eodem agēte, inquantum unū plura eueniāt quorum unū suapte natura possibile sit, alterū uerum necessario, ut dixit ipse aduersus Auicen. in duodecimo metaph. com. 44. & in libro destructio destruct. disput. 3. dub. 25. hoc idem patet in secundo de generat. tex. 56. remanet ergo, ut sicut substātia cœli ex propria natura æterna est, ita & motus eius. Sequitur etiā ex tali dicto Auer in libro de substantia orbis, ꝙ idem sit iudiciū de substantia & accidenti, ut sicut possibile in accidentibus perpetuatur. ita etiam possibile in substantia perpetuetur: quod ipse Auer. negauit omnino in. 12. metaph. dicens, ꝙ propositio hæc Arist. in primo cœli, possibile ex se non potest perpetuari ab alio, uera est in substantiis, fallit autem in accidentibus. Quidam modernus, huic rationi nititur satisfacere dicēs, ꝙ licet cœlum a motore dependeat in triplici genere causæ sicut motus eius tamen differentia est, quoniam cœlum expers est materiei contrariiq;, quibus res redditur corruptibilis: & ideo ex se æternum est, licet non a se, quia a motore dependet: motus tamen eius quia tale ens est, cui cōtrarium conuenit: ex ratione sua corruptibilis erit, quia habet in se, & in sua entitate rationem corruptibilitatis. quapropter non solū non æternus a se, est, sed neq; ex se: quia ex se deficere potest, & sic magis dependens erit: quare differentia est inter motum cœli, eiusq; substantiam. Sed hæc solutio non tuetur Auer. primo, quia falsum est motum circularem habere contrarium. secundo, quia, ut supradictum est, ab uno agente in quantum unum, immediate non possunt prouenire duæ res, quarum una ex sua natura possibilis sit, altera uero necessaria; nisi accideret mutatio in agēte: nam motor cœli est, qui causat esse cœli, & æternū: & posterius natura mediante esse cœli causat motum in cœlo; & sic si motus esse possibilis non esse, aut hoc habet ex se, aut est ratione medii quod est substantiam cœli; non primo modo, quia cum sit idem dum causat cœlum, causaret ipsum possibile, & hoc est in causa quia idem inquantum idem non agit nisi idem: neque etiam secundo modo, quoniam medium quando est æternum sua natura, & id quod per ipsum fit suapte natura æternum esse debet, eo magis quando inseparabile est ab ipso, sicut motus a cœlo. Ex his omnibus igitur rationibus concludendum est contra Auer. eiusq; asseclam, motum cœli æternum esse, sicut substantiam eius. sed quomodo hoc sit intelligendum, inferius in secundo cap. solæ clarius patebit.

Contra declarationem factam à Ioan. de Gand. pro Auerroe.

Neq; etiam Ioan. in hoc suo dicendi modo, aliquo pacto Auer. tueri uidetur. Primo, quia eadem ratio Auer. si concludit de parte motus cœli ꝙ corruptibilis sit, concludit de

dit de parte motus cœli quod corruptibilis sit, concludit et de toto motu cœli. Nam, sicut pars cœli (quia habet quietem contrariam) corruptibilis est, ita totus motus cœli (cum habeat quietem contrariam) erit etiam secundum se totum corruptibilis: quandoquidem quies opponitur motui inquantum motus est: modo sicut pars motus cœli est motus, ita & totus motus cœli est motus. Amplius, si sic esset, tunc non differret opinio Auer. a nostra & probatur, quoniam motus cum sit ens successiuum; natura eius erit talis, ut non sit totus simul, sed una parte corrupta alia remaneat: dicere ergo motum non posse deficere secundum totum, sed secundum partem; est dicere motum cœli ex sua natura esse æternum: nam natura entium successiuorum talis est, siue æterna sint, siue non, ut deficiant semper successiue quo ad partes. unde si motus non posset quo ad partes deficere, non esset motus: sicut ergo cœlum, cum sit ens permanens (quia neque secundum totū; neq; secundū partem potest deficere) est sua natura æternum, ita motus cœli; quia non quo ad totum, sed secundum partem deficere potest: erit etiam ex propria natura æternus; æterna enim successiua ex sua natura sic esse debent. quare sequitur Auer. perperam sensisse; cum uelit cœlum ex propria natura æternum esse, motum uero eius non sua natura. Amplius probat Auer. cœlum posse quiescere ex dictis Arist. quia timor nō est nisi de possibilibus, & non de impossibilibus: sed impossibile est motum non deficere secundum partem, cum sit ens successiuum sua natura, ergo non debet esse timor de quiete secū dum partem; quia de impossibili non debet esse timor. ergo non est talis opinio Auer. ut Ioan. imaginatur. Amplius, apud omnes philosophos uerum est, partem cuiuslibet motus etiam cœlestis deficere, non ergo accidit timor, nec error, quem ut patet nono metaph. tex. 17. Arist. dixit habere alios philosophos. Postremum, retulit Auer. in secundo cœli com. 71. orbes cœlorum non habere operationem eorum abscissam, ex quo habent formam immaterialem: ergo Auer. uult totum motum perpetuari a forma immateriali, & non partem. quando ergo dicit motum cœli posse deficere, intelligit totum motum, & non partem motus; ut male percepit Ioan. Ad confirmationem dicitur, quod Auer. ibi non loquitur de motu cœli, sed de motu in genere, quē dicit non deficere, nec habere potentiam, quod deficiat secundum totum, sed secundum partem, idest secundum species motus, & hanc expositionem multi ex recentioribus non uiderunt. Propter hæc omnia igitur, impossibile uidetur Auer. opinatum fuisse, quod ei Ioan. impingit: sed ea duntaxat est Auer. opinio, quam supra demonstrauimus haudquaquam ueram esse. reliquum est ut quod nobis uidetur, & uerum & peripateticum in medium afferamus.

Secundum caput, in quo uera Arist. sententia narratur, cum suis fundamentis.

ARistotelis ueram opinionem de motus circularis simplicis corporum cœlestium æternitate, hanc esse asserimus. quod, sicut substantia cœli ex sua propria natura æterna est, ita motus eius circularis simplex suapte natura æternus esse censetur. Pro cuius opinionis dilucidatione, clarioriq; intellectu plura sunt præsupponenda. Primum præsuppositum tale est, quod res posse corrumpi & non esse ex sua propria natura, duobus modis contingit, sicut duo sunt ipsarū rerū essendi modi. unus enim essendi modus est per se, qualis substantijs competit: alius uero est modus essendi in alio, qui accidentibus conuenit ut ex duodecimo metaph. colligitur: ex quo duplici essendi modo ipsarum rerū, dicimus quod duplex est etiam modus quo res esse non possunt: unus quo substantiæ possunt non esse alius quo accidentia. Modus quo substantia pōt non esse ex sua natura, est habere principium intrinsecum ad non esse. quod causat potentiam, nam natura est principiū intrinsecum. Sed cum natura seu principium intrinsecū duplex sit, materia. s. & forma: tunc dicendum, quod si substātia corrūpetur ex sua natura, hoc erit ratione alterius horum principiorum; aut ratione formæ, aut ratione materiæ: Sed animaduertendū quod substātia corrumpitur ex propria natura, non quia forma det ei potentiam ad non esse: sed est respectu materiæ dantis sibi potentiā ad non esse. Et probatur utrunq;. primum, quod forma haudquaquam sit in causa, ut substantia suapte natura corrūpatur, facile colligitur ex ijs quæ dixit Arist. in secundo de anima, tex. 37. quod forma est principiū quo res est. Amplius ibidem dicit, quod forma est causa ipsius esse omnibus, et in secundo phy. tex. 28. dicit Ari. quod est species exēplar, ratio, & quod quid erat esse rei: non ergo substantia potē tiam ad non esse, ex sua propria natura à forma accipiet. Amplius si forma est substātia, per quā unicuiq; substantiæ sit substantia, ut dicit Ari. in quinto metaph. te. 15. & in secundo de anima tex. 2. quo modo substantia non esse accipiet a forma? Amplius cum forma terminationis & continentiæ causa sit, ut dicit Arist. tertio physic. tex. 67. qui esse poterit ut substantia eius respectu ad non esse, potentiam habeat? Præterea forma est causa substantiæ demonstratæ; & substantiæ demonstratæ, non sunt substantiæ, nisi per illam: ut omnibus his in locis scripsit Auer. s. in septimo metaph. com. 5. octauo metaph. com. 7. secundo physic. com. 4. primo de anima com. 90. & secundo de anima com. 2. & 7. non ergo substantia ratione formæ corrūpetur. Præterea multis in locis exarauit Auer. quod forma causa est quod omnis res sit una: ergo est causa, ut substātia sit una: ergo erit causa, ut ipsa sit. siquidem à quo res habet ut sit una, habet etiam quod sit. hoc idem Auer. in tertio de partibus animaliū ca. de corde, obiurgans Galenum, Hippoc. & Plat. dicentes plures esse animas in uno & eodem animali, dixit quod forma est per quam aliquid est unū, alioquin aliquid esset unum per aliquid posterius ergo si substantia una est per formam; habebit esse per ipsam; nam forma est per quam ens est ens, ut dixit Auer. in destru. contra Algazelem. Hoc etiam confirmatur ex placito Themistij dicentis in principio secundi de anima, materiam & formam insigni interstitio differre, à materia enim res habent ut fierent, à forma uero ut essent, cui Auer. astipulatur in septimo metaph. Præterea principiū non essendi formæ, est materia, ut nono metaph. com. 2. habetur, ex qua. s. corruptibilis & potentialis redditur. Amplius forma non potest esse principium non essendi: quia tunc ubi forma esset, diceretur ac esset principium non essendi, quod non uidetur esse uerum in abstractis entibus ubi forma est, immo magis quam in ijs sublunaribus: remanet ergo ex omnibus his probationibus, quod forma non potest esse principiū seu causa ut substantia ex suapropria natura corrumpatur, sed tantum principium essendi & materiæ, & compositæ substantiæ. Secundum etiam probatur quod. s. a materia substātia habeat non esse, quoniā generatio & corruptio proueniūt ex potentia, quæcū priuatione est omnium formarum: sed solum materia est quæ cum potentia includit formarum omnium priuationem. ergo a materia solum substantia habet hoc ut corrumpatur genereturq;. Hæc omnia diffusius habentur in primo physic. Et confirmatur hoc, quoniam non alia ratione probauit Arist. omnia abstracta æterna esse & non posse corrumpi, nisi quia carent potentia ad utrunq;. s. ad non esse & esse, quorum principium est materia. Amplius non alio etiam modo stabiliuit Ari. in primo cœli & mundi, cœlum esse ingenerabile & incorruptibile, nisi quia ipsum cœlum caret causa & principio non essendi, quod est materia prima. Et in primo physic. hoc attribuens materiæ ipse Arist. dixit, quod, cum res naturalis sit composi-

ta ex materia & forma: materia est, quæ sua potentia priuationi admixta, ad maleficium rei quam componit, intendit. Auer. etiam de natura materiæ loquens dixit in secundo cœli com. 45. secundo physic. com. 48. nono metaph. tex. 19. & in sexto metaph. com. 5. quod materia est causa ut in rebus generabilibus inueniatur casus, & ideo corpora cælestia casus interitusq; omnis expertia sunt, quia in eis non inuenitur materia. Ari. insuper hoc attribuens materiæ dixit in decimo metap. tex. 12. & in primo de generatione & corruptione, tex 5. 43. & 53. quod materiam cõunẽ habentia ad inuicem transmutantur, & in tertio physic. tex. 72. dicit materiam priuationis causam esse. Ex quibus omnibus claré patet materiam causam esse & principiũ intrinsecum ut substantia materialis suapte natura corrumpi dicatur. Sed animaduertendum, quod licet principium intrinsecum ad non esse sit materia quia potentiã præstat; tamen quia ista potentia non redit ad actum nisi per contrarium corrumpens: (omnis enim mutatio fit ex contrario.) necessum quoq; est omne tale quod deficere potest, habere principium extrinsecum. s. contrariũ corrumpens; quod uel erit in se & in sua forma, ut substantię imperfectæ: s. substantiæ elementares; uel erit in dispositionibus ut substantiæ perfectæ: aliter naturalis potentia frustraretur, ut dicit Auer. in primo cœli comm. 20. Hæc omnia diffusius uideas apud Auer. in primo cap. de substan. orbis. Superest etiam declarate modũ, quo accidens dicitur ex sua natura corrumpi, cum alium habeat essendi modum accidens ab ipsa substantia, ut supra diximus. Esse enim & natura accidentis est alteri inesse, cum non sint accidentia, nisi quia in substantia sunt, ut dicit Arist. septimo metaph. & cũ res à quo habet esse, ab eo etiam habeat essendi modum, & non essendi: at accidens cum esse, essendiq; modum habeat à subiecto, propterea dicendum est à subiecto seu à substantia accidens ipsũ corruptibile fore: nã si subiectum potest non esse, & accidens poterit non esse; si uero subiectum æternum perpetuumq; fuerit, & accidẽs non poterit sibi non inesse. Quare accidens ex sua natura posse corrumpi (ut ex dictis patet) non est aliud, quàm habere subiectum quod est in potentia ex sua natura ad non esse eius. Secundum præsuppositum hoc est, ex Ari. & Auer. uisceribus exceptũ, quod accidentia bifariã sunt, quædam habent contrarium, quædam uero non. Habentia contrarium sunt ferè omnia quæ in his corporibus sublunaribus esse habent. Contrarii uero expertia sunt ut lumen & omnia accidentia corporum cœlestium. Amplius animaduertendum est quod accidentia duobus modis ex sua natura corrũpi dicũtur: uel quia habẽt subiectũ quod est in potentia ad non esse eius; uel quia habent contrariũ ea corrumpens manente subiecto: quæ autem utroq; orbata sunt, ex sua propria natura incorruptibilia, æternaq; esse censentur. Ex quibus præsuppositis duobus, clarissimè patet quid dicendum sit determinate secundum Arist. ad præsens quæsitum de æternitate motus cœli. Verum ut determinatio nostra clarius distinctiusq; intelligatur, uisum est nobis eam in medium afferre per duas conclusiones. Quarum prima talis est, motum circularẽ cœli quatenus motus est, posse deficere à cœlo inquantum corpus est. Secunda conclusio, motus cœli inquantum hic circularis motus est. non potest deficere à cœlo inquantum cælum est, & hoc corpus. Prima conclusio probatur demonstratiuè dupliciter, primo ex parte subiecti quod corpus est: quia sicut cœlum, quatenus corpus est, potest diuidi; ita etiam quiescere potest. & hoc probatur, quoniam sicut proprium est corpori, inquantum corpus est, diuidi; ita quoq; moueri ac quiescere. Secundo probatur eadem conclusio prima, ex parte prædicati, quod est motus; quia omne habens contrarium proprium potest deficere: at motus cœli, inquantum motus, habet contrarium. s. quietem quæ sibi sufficit pro causa corruptionis: ergo motus cœli potest quiescere. minor est Arist. in secundo physic. quia omne corpus naturale (quale est cœlum) sicut potest moueri, ita quoq; potest deficere a motu & quiescere. Secunda etiam conclusio demonstratiuè probatur, quoniã accidens quod non habet contrariũ proprium, nec subiectum quod ad suum non esse sit in potentia, non potest ex sua natura deficere. & probatur hæc maior, quia nullo alio modo accidens potest deficere, ut supra dictum est in primo præsupposito. sed motus cœli non habet contrarium, nec subiectum quod habeat potentiam ad non esse eius: quia cęlum est eius subiectum, ut supra diffusius enucleauimus, ergo motus cœli, in quantum hic motus in hoc corpore, non potest ex sua propria natura corrumpi. Hoc idem confirmatur etiam hac ratione, quoniam natura subiecti ęterni, dum rectè operatur, debet præstare opus proprium æternum: aliter non usa fuisset conuenienti opere. ergo motus cœli ex sua natura æternus esse debet; cum subiecto ex sua natura æterno insit, sicut in istis sublunaribus haudquaquam æterna exhibentur. Amplius pro hoc facit quod dixit Aristotel. in nono metaph. tex. 17. ubi eandem potentiam quam negauit a substantia cœli, abstulit à motu sempiterno, & moto semper, quale est ipsum cœlum, quod probatur per illa uerba quæ habentur in textu {neq; utiq; motus &c.} Et in duodecimo metaph. tex. 10. claré etiam dicit Arist. cœlum non habere materiam quæ sit in potentia nisi ad ubi. s. ad diuersa loca. modo potentia motus est alia à potentia ad ubi; stat enim actu moueri & esse in potentia ad ubi; ergo cœlum caret potentia ad motum, ergo necessariò mouetur: & sic motus cœli ex sua natura non poterit deficere, quoniam, ut dictum est, accidens quod caret potentia ad non esse eius, ex sua natura incorruptibile est. Amplius motores cœli sunt proportionati in motu, ut habetur in primo cœli 3. 8. & 39. comm. si ergo motus cœli ab ipso ut à subiecto potest deficere, ergo à motore ut ab agente; & sic motoribus inesset ut possent moueri & non moueri; quod inficiatur Arist. nono metaph. nam dicit non inesse illis motum in potentia contradictionis sicut in his rebus mortalibus. ex quo infert solem & astra semper agere, & non esse timendum ne quiescant: quia cum careant potentia ad non moueri, & ad quietem, erit impossibile non moueri: sed de impossibilibus non est timor: quare non erit timendum de quiete eorum, quod tamen malè Auer. exposuit intellexitq;. Propter hæc omnia igitur firmissimè asserimus, nullatenusq; dubitamus iuxta Arist. placita, motum cęli, inquantum motum cœli, ex sua natura, non posse deficere, sed ęternum esse, sicut cœli substantia æterna est; tum quia subiectum æternum habet, quod non est in potentia ad non esse eius: tum quia expers est contrarij corrumpentis. Et quòd talis determinatio sit peripathetica probatur clarissimè ex Arist. in secundo de generatione, tex. 62. ubi hanc rem quærit ex proposito, & soluit. Quærit enim a quo motus est perpetuus, an à subiecto in quo est motus, an ab eo ad quod est motus. s. à termino, siue talis terminus passio sit, siue locus. Et respondet manifestũ esse, quòd motus perpetuus sit, quia mobile est perpetuũ idest ex subiecto: quod probat ipse, quoniam passio seu accidens non est perpetuum, nisi res cui accidit, sit perpetua. quasi dicat esse accidentis est inesse subiecto ut in se primo metaph. habetur. Si ergo esse æternum uel corruptibile, est à subiecto cui inest, at motus cęli accidens æternum est, & sic ęternitatem suam à subiecto, cui inest, habebit. Amplius inesse ipsius motus cœli est æternum, & inesse est natura motus sicut omnium accidentium: ergo motus cœli ex sua natura æternus est. Ex quibus omnibus concludendum est iuxta Arist. autem, motum cœli ex sua natura æternũ esse, sicut substãtia cęli ex sua natura æterna est. Restat nunc ut ad Auer. eiusq; sequacium rationes respondeamus.

Tertium

Tertium caput, in quo ponuntur solutiones ad rationes aduersariorum.

Solutio argumentorum Auerrois.

Antequam formaliter & distinctè satisfaciamus rationi Auer. tria sunt præsupponenda. Primum est priuationem duobus modis esse; una est priuatio generis, alia uero speciei & propria: exemplum utriusq; in coloratum albi priuatio est in genere, & nigrum albi priuatio est in specie. Secundum præsuppositum est, non omnem priuationem corruptionis causam esse, siquidem priuatio generis non est causa corruptionis: generatio enim & corruptio non ex omni priuatione & cōtrario fiunt, sed ex propria duntaxat priuatione contrarioq;, ut duodecimo diuinorum habetur, quòd non album est uox & priuatio albi, ex quo tamen nō fit album. Tertium præsuppositum, quietem esse priuationem motus in communi, tam circularis, quàm recti; & non esse propriam motui circulari; quia priuatio generis nō est propria speciei. ex quibus sequitur quòd quies in communi, non est priuatio & causa sufficiēs ad corruptibilitatem motus circularis: quoniam (ut dictum est) causa corruptibilitatis in specie nō est priuatio generis, sed propria, qualis non est quies motui circulari, cum sit priuatio communis omni motui, tam circulari, quàm recto. & quòd hoc sit uerum patet ex motu recto finito & corruptibili; qui non est finitus, ex eo quia quietem tantum habet in communi; sed ex hoc, quia quietem sibi oppositam propriam habet in loco sursum si leue sit, uel in loco deorsum si graue est. motus ergo cęli si corrumpitur a quiete & priuatione sibi opposita, hoc non est a quiete in communi, sed a quiete propria in loco proprio. Modo talis quies propria non est in cęlo, tum quia non magis quiescit in uno loco, quàm in alio; cum etiam quia nec finem, nec principiū habet in aliquo loco, sed in omni loco in quo est, principium habet & finem. Quare motus cęli cum careat tali quiete, & propria priuatione sine qua corrumpi non potest. ut dictum est, erit suapte natura æternus. sicut & substantia cęli, ut supra diffusius exarauimus. Quibus omnibus præsuppositis facilè modo respondetur ad formam argumenti Auerro. & dicimus non sequi hanc consequentiam, motus habet priuationem oppositam, ergo motus cęli potest ex sua natura deficere: quoniam quies in communi, est priuatio generis s. motus in communi, & non propria ipsi motui cęlico; modo unaquæq; res non corrumpitur, uel corrumpi potest ex priuatione generis (ut pauloante diximus,) sed propriam habere debet priuationem qualem non habet motus cęli. & sic argumentum Auer. facilis fuit solutionis. Ad auctoritatem Arist. quam Auer. pro ipso adducit, dicimus ꝙ clarè est contra ipsum, quoniam dicit ibi Arist. motum sempiternum non habere potentiam, neque motum æterno tempore habere potentiam ad non esse: ergo motus cęli non erit ex sua propria natura corruptibilis, si caret potentia ad corruptionem; ex iis postea infert in eodem textu Aristo. non esse timendum de quiete astrorum totiusq; cęli, sicut alii philosophi timebant de quiete ipsorum. Causa autem quare istis accidit timor, & non Aristoteli hæc est quoniam (ut ipse dixit in primo cęli.) quibusdam philosophis placitum fuit cęlum & astra grauia esse uel leuia ex elementis, circulariter uero sempiterno motu cieri non ex propria natura, quia a causa extrinseca fit, & sic cęlorum motus circularis, non naturalis, sed uiolentus & corruptibilis erit: Aliis uisum fuit, cęlum sustineri continuoq; moueri a gigante, cui nomen erat Atlas. Pleriq; uoluerunt (ut Empedocles Agrigentinus) cęlum, astraq; a celeritate motus moueri. Et demum alii (ut Plato) ab anima, & sic dico, ꝙ Aristo. dicit, omnibus hisce philosophis accidere timorem ne cęlum quiescat. primis quidem, quia dixerunt cœlum, naturæ esse elementaris: & sic secundum eos, cœlum non mouetur naturaliter motu circulari, sed motu recto: & ideo habet ipsum cœlum potentiam ad motum naturalem. s. rectum, & ad non esse motus circularis. secundis uero timor eueniebat, quia ponebant motores moueri contra naturam mobilis, unde poterat sequi quies: & similiter de aliis dicendum puto, cum ergo secundum horum omnium opinionem, naturaliter in cœlis astrisq; quies cōtingere possit: & timor sit de possibilibus: ideo antiqui omnes quotquot fuerint illi, timuerunt ne cœlum quiesceret. Aristoteli uero non potest accidere timor de quiete cœlorum, quia de impossibilibus non est timor, at talis quies apud Arist. non est possibilis: non ergo potest timere Arist. de quiete cœlorum, sicut antiqui poterant, & nō ab re. Quod autem impossibile sit cœlum quiescere secundum Ari. probatur ex principiis eius. quoniā si quies possit esse in cœlo, aut hoc erit ex parte motoris, aut ex parte rei motę, aut ex parte motus qui potrrit non esse: sed nō potest esse ex parte motus & rei motæ; quoniam motum æternum, & motus æternus non habent potētiā ad non esse: neque etiam ex parte motoris; quoniam motor a motu deficit propter laborem, qui haudquaquā rebus æternis contingit ut sunt motores cœlici, tū quia nō inest eis potētia cōtradictionis, ueluti corruptibilibus, unde motus sit cū labore; cum etiam quoniam potentia cōtradictionis rebus inest ob materiā, qua orbata sunt entia ęterna, cum actus puri sint, ut uariis in locis Ari. & Auer. scripserunt: quare sequitur Auer. persuasiones nullius esse momenti.

Solutio argumentorum August. Suess.

Ad rationes quas Suess. pro Auer. fecit, facile quoq; respondetur, per præsupposita. Et ad primam eius rationē sic dicitur, quòd cœlum inquantum corpus naturale, est susceptiuum motus & quietis; & hoc non inficias imus sed bene negamus ꝙ cœlū, ut hoc corpus est, sit susceptiuum quietis; quoniam impossibile est cœlum ut cœlum, quiescere: ut pauloante diximus ad rationes Auer. et cofirmatur hæc solutio per Auer. in septimo physi. com. 2. ubi uoluit cœlū dupliciter considerari posse, & ut corpus, & ut cœlum; & uoluit ut corpus posse quiescere, & corrūpi, non autem ut cœlum. Ex quibus uerbis potest elici hæc conclusio peripathetica, quod cœlum potest quiescere. ac corruptibile esse modo iam declarato. Et hoc fortassis uoluit dicere Auer. in quarto physi. 43. primo cœli 31. sexto phys. 85. octauo phys. 86. ubi dicit cœlum posse quiescere, dupliciter intelligi potest, uno modo secūdū materiā, alio modo secundum formam: secundum materiam pōt quiescere, nam materia cœli est orbis sine intelligētia: sed secundum formam non potest quiescere, quoniam intelligētia, quæ est forma cœli, & informans, ut in primo quęsito enucleauimus, de necessitate mouet orbē suū, & hoc duplici de causa ut dixit Auer. in duodecimo diuinorum. Et aduertendum, quod si Auer. per materiam cœli intelligit cœlum ut corpus, sic bene secum conuenimus, sed si aliter intelligat, ipsum negamus. Ad formam igitur rationis. dicimus, ꝙ cœlū est materia motus & quietis, capiendo cœlum ut corpus, & nō cœlū ut corpus hoc cœleste, & sic ratio prima Suessani neq; persuasio est. posset etiam dici, ꝙ ista propositio, eadem est materia contrariorum, est uera de materia prima quę quum non sit in cœlo propterea non recipiet quietem. Ad secundam rationem Suessa. dicimus cœlum non solum quo ad motum. uerū ēt quo ad substantiā eius perpetuari ab intelligētia ut Auer. retulit in lib. de subst. orb. non tamē propter hoc sequitur, ꝙ motus uel substātia cęli possit ex se non esse cū utrūq; eorū causis corruptiōis careat ut supra pręsupposuimus.

Ad tertiam rationem Suess. dicitur, ꝙ omne animatū,

est finitum in motus uelocitate, in multitudine motuum, & qualitate motuũ, & non in tempore & æternitate motus, ut ipse Auer. uoluit secundo cęli 38 & 39. posset & dici, omnia præter primam causam finita esse independenter, quia nisi esset prima causa entitatis a qua dependeret in esse & in operari, quamprimum deficerent, & sola prima intelligentia hoc modo infinita est, cum in esse & operari a nullo dependeat. & similiter ad confirmationem dici posset. Ad quartam & ultimam rationem burl. facile quoque dicitur, q non est uerum Arist. uoluisse cęlum habere potentiam ad motum: immo contrarium dicit ibi, ut diximus supra; sed solum ponit potentiam ad locum. & ad ubi & non ad motum, ut Auer. falsò opinatur fuit & alii secum.

HIERONYMI BALDVINI

Quæsitum undecimum, an intelligentia det esse formale cœlo, contra communem opinionem.

Proœmium.

DE DEO, intelligentiisque, & humano intellectu philosophi fere omnes insigni interstitio discrepant, quomodo formæ sint, & propriis subiectis esse, operationemq; impartiantur. Etenim cum formæ mortali conditione, corporeisq; nexibus ob oculos nostros in hoc tenebricoso carcere solũmodo obuersentur, idem nobis accidere necessum est (quod Plato inquit) illis qui sub abstrusissimis terræ cauernis uitam ducũt umbris dũtaxat manibusq; simulacris assueti nunquam res ueras esse credunt, sed omnia umbras, & inania simulacra tantum existimant. Multi itaq; horum mortalium conditionem considerantes, opinati sunt non esse ueras formas nisi quę de sinu materiæ eductę, eidemq; et hę rentea, in corpore terminarentur: quasi potissima formæ conditio sit, generari in corporeq; extendi nec alius communicandi esse modus sit q̃ per dimẽsiones alteratiuasq; qualitates. Arist. aũt harum sensibilium substantiarũ contemplatus rationes ad quandã primã deuenit, quæ omnibus qualitatibus, omni dimẽsione & materiali affectu libera, sempiterna diuinoq; corpori, diuinè sempiterneq; esse suppeditaret, & eius cõtinua indeficientiq; circuitione sub cęlestibus omnibus esse utraq; causa, & principium foret. De qua cęlesti forma, quæ intelligentia dicitur, iuxta Arist. & Auer mentem in hoc præsenti quæsito loqui intendimus. Et quoniam omnis quæstio unum quærit & aliud præsupponit ut Arist. in septimo metaph. tex. 59. nobis notatum reliquit, propterea supponendum primo duximus, cęlum esse cõpositum ex materia & forma ut patet in lib. de substãtia orb. cap. 3. & in secundo cęli cõ. 3. & in octauo phy. cõ. 52. aliisq; in locis. Sed id quod quæritmus est hoc an intelligentia det esse formale cęlo sicut anima in corpore animalis, uel sit forma tantum assistens cęlo, sicut nauta naui. In quo quęsito ut clarè & distinctè procedatur, hũc obseruabimus ordinem. Primo aliorum positiones cum eorundem fundamentis transigemus. quæ uera uidebuntur approbantes, quæ uero falsa nullius auctoritate conuicti confutabimus. Secundo uera Arist. & Auer. opinio dicetur cum suis fundamẽtis, & narrabitur modus quo intelligentia dat esse formale cęlo. Tertio demum & ultimo aliorum rationes soluentur, quorundamq; dubiorum solutiones patebunt.

Primũ caput, in quo narrantur opiniones aduersariorum, & eorum fundamenta.

Opinio Ioannis de Gandauo.

INter primos Auer. expositores, Ioan. de Gand. in quõne prima & secũda de cęlo. & in. q. 12. metaph. antequã suã ponat opinionem duo assumit fundamenta. Quorum primum tale est, q forma capitur duobus modis. uno modo ut est perfectio, quæ corpori unita dat illi esse, ut clarum est de omnibus formis materialibus. alio modo, ut non constituit subiectum dando sibi esse, sed solum est sibi appropriata, ut est principiũ motus eius, & probat ipse multis auctoritatibus Arist. & Auer. Prima auctoritas est. secundo de anima tex. 11. ubi dicit Arist immanifestũ esse an anima sit actus corporis, sicut nauta naui, modo nauta non est nisi forma secundo modo sumpta. s. forma assistẽs & mouens tantum. Secunda auctoritas est etiam secũdo de anima tex. 2. ubi Arist. dicit q substantia dicitur tribus modis. s. de materia & forma & de composito. & certum est, q Arist. non sumpsit tantũ formas, quæ sunt constitutæ per subiectum, quoniam sunt alia formæ nõ constitutæ. Tertia auctoritas est, primo physic. com. 63. ubi dicit Auer. q cęlum non componitur ex forma constitutura per subiectũ, sed ex forma quæ tantũ mouet. Quarta auctoritas est Auer. in secundo physi. com. 26. dicentis formarũ quasdam in materia esse, & quasdã non. Quinta auctoritas est Auer. etiam in. 12. metaph. com. 35. q formarum quædam est materialis quędam non. ex quibus concludit Ioan. diuisionem hanc peripatheticam esse. Secundũ fundamẽtũ Ioan. tale est q sicut forma duplex est, ita quoq; unum duplex. s. unum inesse, & unũ appropriatione: unũ in esse est quando ex forma cõstitutura per materiam, & ex materia fit unum per se. exemplum ut ex anima leonis & corpore fit unum per se. unum ex appropriatione dicitur, quãdo ex motore appropriato & ex suo mobili fit unũ, & dicitur unum in motu, quia ad unum motũ concurrũt, unum ut agens proprium, & aliud ut recipiens proprium motum. Ex quibus duobus fundamẽtis ipse Io. de Gand. suam infert opinionem per duas propositiones. Quarum prima talis est, q intelligentia est forma cęli assistens tantum & mouens & nullo modo informans. Secũda propositio eiusdẽ est hæc. q ex intelligentia & orbe nõ fit unũ in esse, sed fit unum solum per appropriationẽ, quę appropriatio non est formæ ad materiã propriè loquendo, sed mouẽtis ad mobile, nã sicut nauta appropriatur naui, ita intelligẽtia orbi. Prima rõ Ioan. fundatur in 8. physi. tex. 78. & 79. arguit demõstratiuè q intelligẽtia non sit uirtus in magnitudine; qm̃ uel esset in magnitudine infinita, uel finita, per sufficientẽ diuisionem: sed neutro modo põt dici. primo non põt esse uirtus in magnitudine infinita, qm̃ talis magnitudo infinita nõ datur, ut 3. phy. patet tex. 37.

secundo neq; pōt esse in magnitudine finita, quia uirtus infinita nō pōt esse in magnitudine finita. ergo si intelligentia non potest esse uirtus in magnitudine, tunc nō erit forma informans. Secunda ratio habetur etiam in octauo phy. tex. 39. ubi Aris. asserit, quod nulla uirtus in magnitudine potest mouere motu infinito, quia talis uirtus mouet cum fatigatione & poena. exemplum de anima respectu animalis. Tunc stante hoc arguit ipse sic. Sed intelligentia mouet orbem suum motu infinito, ut patet: ergo signum est q intelligentia non est uirtus in magnitudine, sed separata à magnitudine. & si separata à magnitudine ergo non forma informans, sed tantum assistens. Tertia ratio colligitur ex octauo physi. tex. 51. & 52. ubi Ar. & Auer. asserunt motores orbium haudquaquã moueri, neq; per se, neq; per accidens. Tunc stante hoc arguit Ioan. si intelligentia esset forma informans, tunc moueretur per accidens ad motum sui orbis. consequentia probatur per Arist. secundo topicorum ubi dicit quod motis nobis mouētur omnia quæ sunt in nobis, & hoc est, quia anima dat esse formaliter. A simili arguitur: si intelligentia daret esse formaliter, tunc moueretur saltem per accidens. quod Ar. & Aue. repugnat. Quarta ratio eiusdem talis est. omnis uirtus in magnitudine, extenditur extensione suæ magnitudinis: sed intelligentia non extenditur extensione suæ magnitudinis, scilicet orbis: ergo non est uirtus in magnitudine; & sic non forma informans, sed assistens. maior patet exemplo de formis materialibus quæ extenduntur extensione suorum subiectorum. minor patet in octauo physic. tex. 51. & 52. Quinta ratio eiusdem est hæc. Si motor esset coniunctus orbi secundum esse, et ut forma informans, tunc non posset aliquid apprehendere modo abstracto & uniuersali, sed tantum singulariter, quod est falsum in abstractis. probatur consequentia, quia motor esset indiuiduatus & signatus indiuiduatione magnitudinis: & sic apprehenderet solum indiuidualiter: quod falsum est. quare non erit forma informans ipsa intelligentia. Sexta ratio, ex duobus existentibus in actu non fit unum per se, ut patet secundo de anima tex. 7. septimo metaph. & octauo metaph. tex. 15. sed tam celum, quam intelligentia sunt duo entia in actu: ergo ex intelligentia & coelo non fit unum per se: ergo signum est quòd intelligentia non est forma informans, sed tantum assistens. Probatur minor. quod tam coelũ, quam intelligentia sunt entia in actu. & primo quòd intelligentia sit ens in actu, hoc patet in 9. & 12. meta. & secundo. quod coelum seclusa intelligentia sit ens in actu, patet in primo cęli, & octauo metaphys. & in lib. de substantia orbis. ergo cum ambo sint entia in actu, non fit ex eis unum per se. Septima & ultima ratio Ioan. talis est. Dicit Auer. quod coelum est simplex: ergo intelligentia non est eius forma: quia tunc caderet in eo compositio ex intelligentia & orbe, & sic non esset simplex. contra Auer. dicentem coelũ esse subiectũ simplex. Hæ sunt rõnes, quas Ioa. de Gan. pro sua opinione corroboranda adducit.

Opinio Ioannis Bacchonitani.

Ioannes Bacchon. in secundo sententiarũ lib. expressẽ asserit, quod Ar. & Aue. uolunt, quod intelligentia nō sit forma informans orbē, sed motor tantum, & quatuor adducit rationes. Prima ratio sumitur ex dicto Auer. in lib. de substantia orb. ubi dicit sic (& quod dicunt incipientes philosophari, quod animæ istorũ corporũ cęlestium sunt formæ in materiis, & quod materiæ acquirũt æternitatẽ a formis) nihil est. quia cõtingeret, quod illud, quod nō habet naturam essendi æternũ, acquirat ab alio æternitatẽ, & totũ hoc est impossibile, in quibus uerbis Auer. arguit animã cęli non esse formam. Secunda ratio eiusdem sumitur etiam ab Arist. in octauo phys. tex. 78. & 79 ubi probat, quod potẽtia mouẽs coelũ non pōt esse in magnitudine quod non esset uerum si esset forma informans, hæc cõcoincidit cum prima ratione Gand. Tertia ratio colligitur ab Auer. in primo phys. com. 63. ubi dicit quod forma nō informat materiam, nisi quæ est in potentia; sed si materia esset in actu de se, nullã formã reciperet, quia unũquodq; recipit aliquid, secundum quod est in potentia, tunc stãte auctoritate hac Auer. arguit sic Bacch. si coelum habet formam dantem esse, tunc recipit illam per potentiam quã habet. patet hoc per dictum Auer. sed cęlum caret potentia, & nullã aliam habet, nisi illam quæ est ad ubi, ut dicit Arist. 12. met tex. 10. & com. 41. & 77. & Auer. in octauo phys. & in lib. de substantia orb. ergo coelũ non habet formam informantem, cum non habeat potentiam ad illã.

Quarta ratio Bacch. si anima coeli esset eius forma, ergo ex materia coeli & anima fit unũ per se. sed consequẽs est falsum, q, s. ex orbe & eius anima fiat unũ per se; quia tunc ex materia, & forma fit unum per se, ut dicit Aris. 8. meta. tex. ult. quando unũ est potentia, & aliud est actus: sed in cęlo non est materia quæ est in potentia, ut in tertia ratione probatũ est: ergo si non est potentia, tunc non per se unum ex eis fit, & sic intelligentia non est forma informans. Hæ sunt rationes assignatæ à Ioan. Bacch.

Opinio Marci Antoni Zimaræ.

Quidam Modernus dicit, q impossibile est intelligentiam esse formã sui orbis, & plures ad hoc adducit rõnes. Quarũ prima talis est, & dicit eam esse insolubilem. si intelligentia esset forma informans orbē, aut hoc esset propter appetitum, aut propter motum in loco: sed neq; propter appetitum, neq; propter motũ in loco, necesse est intelligentiam dare esse formaliter suo orbi: ergo intelligentia nullo modo est forma sui orbis, maior est Auer. in lib. de substantia orbis. cap. primo, ubi dicit sic {& non fuit dictum, coelum habere animam, nisi propter appetitum existentẽ in eo, & motum localem} minor probatur, quo ad utranq; eius partem, & primo probatur q intelligẽtia nō sit forma coeli propter appetitum, quia intelligentia intelligit & appetit propter suam essentiam, ut dicit Aue. in 12. met. cõ. 25. & 36. ubi asserit, quod in abstractis a materia, idẽ est intelligens intellectũ, & intellectio: si. n. intelligentia in intelligendo depẽderet a suo orbe; cũ sua intellectio sit sua substantia secundum ipsum, tunc accideret intelligentiam esse causatam a suo orbe, quod est impossibile. ut dicit ipse Auer. primo phys. probatur secundo, q intelligentia non sit forma orbis propter motum in loco, quia intelligentia ad causandũ motum, habet oẽm actiuitatem absq; hoc, quod uniatur orbi formaliter; si quidem intelligentia non mouet orbẽ manu, aut pede, aut aliquo corporeo instrumento, sed solo intelligere, & uelle; ut dicit Auer. 12. metaph. com. 36. sed intelligere & uelle ipsius intelligentię est abstractũ. & nō fit mediãte corpore, nec aliquo existente in corpore, sequitur igitur, propter neutrum istorum, intelligẽtiã dare esse formaliter suo orbi. Secunda ratio Zimaræ est. si intelligentia est forma coeli & quidditas eius; quęritur modo, talẽ quiditatem ad quem artificẽ spectabit considerare; non ad naturalem, quoniã dicit Ar. 2. phys. tex. 18. q naturalis nil sine materia cõsiderat, & in eodẽ lib. tex 71. dicit etiã q quęcunq; non mota mouent, nō sũt physicæ considerationis. & idẽ dicit in sexto metaph. tex. 1. q physic est considerare entia cõcernentia materiam secundũ esse & secundum definitionẽ. at intelligentia expers est materiei, tam secundũ esse, quã secundũ definitionem, non etiã spectat ad mathematicũ, ut facile patet. neq; etiã ad metaphysicũ & probatur hoc, quoniã metaphysicus, ut dicit Ar. 6. met. solum separata a corpore considerat. ergo de primo ad ultimũ, intelligentia non erit forma & quidditas, cum a nullo artifice consideretur.

Alia argumenta de nouo addita quæ facit Zimara in sua propria.q.super.q.metaph. Io.de Gandauo.

Prima ratio Zimaræ in sua propria quæstione fundatur in octauo physic.tex.78.& 79.& dicit sic.si intelligentia esset forma informans,tunc rueret totus octauus li.phys. in quo laborauit Arist ad demonstrandum, primum motorem esse omnino abstractum à materia, hoc modo arguens; nulla uirtus finita, mouet per tempus infinitum sed omne corpus, uel uirtus in corpore est uirtus finita: igitur nulla talis mouet per tempus infinitum, tunc ultra nulla uirtus mouet per tempus infinitum: primus motor mouet per tempus infinitum: igitur primus motor non est corpus,nec uirtus in corpore.& Auer.dicit ibidem, q ex ista demonstratione concluditur, primum motorem esse omnino abstractũ a materia: si igitur intelligentia daret esse per informationem,tunc demonstratio Arist.non concluderet. Respondit Zimara dando responsionem communem,quòd duplex est forma quædam constituta in esse per subiectum, & est omnis forma educta de potentia materiæ:& quædam est forma dans esse materiæ, & constituens subiectum, & nõ educta de potentia materiæ.& sic ex ista distinctione dicitur ad argumentum quòd Arist. intendit concludere in sua demonstratione, quòd Deus non est forma educta de potentia materiæ, sed tamen cũ hoc stat, quod Deus dat esse formale cœlo.Contra istam responsionem communem tripliciter arguit Zimara, & primo arguit sic, ex Auctoritate Auer.in lib.de substãtia orbis in quo Auer.resumens illam demonstrationem philosophi, in octauo physi.dicit.{ cum fuerit declaratum ei q formæ corporum cælestium existunt in suis subiectis, tali existentia quòd non diuiduntur per diuisionem sui subiecti,& causa in hoc est,quod non existunt in subiectis secundum q sunt diuisibiles,fuit declaratum ei quòd istæ non cõstituuntur per subiectum,immo sunt abstractę in esse,quoniam existunt in toto subiecto.& nõ diuidũtur per eius diuisionem,cõtingit q non constituantur per subiectum,nõ enim existunt in eo,neq; in toto,neq; in parte,& uniuersaliter neq; in diuisibili neque in indiuisibili,} hæc sunt uerba Auer.formaliter in quibus uerbis Auer.sibi contradiceret, si intelligentia daret esse cœlo per informationem.& probatur quoniam quæro, quando dicit Auer.quòd formæ cœlestes sunt in toto subiecto, aut intelligit q sunt in toto subiecto per informationem; aut intelligit,q sunt in toto subiecto per assistentiam & operationem. Si Auer.intelligit quòd sunt in toto subiecto per informationem, quæro postea, quando dicit in secundo dicto,q non sunt,neque in toto,neque in parte, quomodo intelligit Auer.uel per informationem,aut per assistentiam? si primum, tunc contradiceret sibi Auer.in primo dicto. si secundum,patet,q illud sit falsum. quia intelligentia assistit toti cœlo,& cuilibet parti eius,licet eius operatio magis appareat in una parte, quàm in alia,ut patet ex fine octaui physic. si igitur uolumus saluare Aue.à contradictione. oportet dicere: quod intelligẽtię nõ sunt in toto cœlo,nec in parte eius per informationem,& sunt in toto cœlo per assistentiam & operationem,hæc est prima impugnatio Zimaræ, Secundo sic impugnat Zimara eandem responsionem,& dicit sic quòd data illa respõsione,sequeretur quòd demonstratio quam facit Auer.cõtra Auicennam in tertio capite de substantia orbis, nulla esset.nam Auicenna posuit cœlum esse compositũ ex materia & forma,quæ erat imaginatiua,à qua mouetur effectiuè. & Auer.talem rationem facit contra Auicennam, cœlum esset compositum ex materia & forma,sicut Auicenna posuit, sequeretur quòd cœlum esset corruptibile: & per consequens necessario corrumperetur. modo a pari arguit Zimara,si intelligentia daret esse cœlo per informationem,cœlum esset corruptibile. Nec ualet fuga misterorum, dicit ipse, distinguendo de duplici forma, educta de potentia materiæ,& non educta de potentia materiæ,quia Auicen.non dicit imaginatiuam esse formam eductam de potentia materiæ,ut dicit ipse Auicen.in quinto metaph cap.quarto. Tertio arguit adidem hoc modo,quoniam data ueritate illius responsionis, tunc consequentia quam facit Auer.in 12.metaph.commen.39.non ualeret,nam ibi Auer.arguit sic contra christianos ponentes trinitatem: omne compositum est nouum,si igitur esset compositio in diuinis,tunc ibi esset nouitas.à simili arguit Zimara,si cœlum esset compositum ex intelligentia tanquam forma informante,& orbe,tunc cœlum esset nouum. Nec ualet distinctio chimerica dicit Zimara de illa duplici forma,quoniam bene Auer.sciebat quod christiani non ponebant ista compositionem in diuinis, nec ponunt ibi esse formam eductam de potentia materiæ. Secunda ratio principalis talis est. si intelligentia esset forma dans esse cœlo, sequeretur q intelligentia moueretur per accidens an motum cœli. consequentia est Auer. in lib.de substantia orbis.Nec ualet distinctio illa de duplici forma, scilicet constituta per subiectum & non constituta per subiectũ,quia Auicen.contra quem arguit,non posuit animam cœli esse eductam de potentia materiæ. Et confirmatur hoc, quia non uidetur aliquo pacto imaginabile,q aliquid sit forma informans aliquod subiectũ, & non moueatur per accidens talis forma ad motum subiecti. Forte dices, q bene est imaginabile, quod sit aliqua forma informans nõ educta de potentia materiæ,quæ nõ mouetur per accidens Sed hoc nihil est dicit Zimara,quia fideles tenent animam intellectiuam esse formam corporis non eductam de potentia materiæ, & tamen fatentur animam intellectiuam moueri per accidens ad motũ corporis. modo a pari esset de intelligentia in isto casu. Tertia ratio principalis,si intelligentia esset forma cœli,sequeretur quod cœlũ indigeret alio motore ab ipsa intelligentia,qui per se moueret ipsum cœlum.cõsequentia est eiusdem Auer.in lib.de substantia orb.quæ consequentia sequitur ex primis,quoniam si intelligentia daret esse cœlo, ut dictum est,tunc moueretur per accidẽs: & cum omnis motor per accidẽs reducatur ad motorem per se,|ut patet| septimo,& octauo phy si. tunc ipsum cœlum moueretur ab aliquo motore omnino abstracto a materia. Confirmatur,quia Ar.& Auer.in octauo physi.tex.com.52.ex intento probant,q intelligentiæ non mouentur per accidens.& Auer.in com. ponit differentiam inter motores supernos,& infernos, dicens q mouentia quæ sunt hic, mouentur ex se,& ab aliis per accidens,scilicet ex motu sui subiecti; idest primi moti ab eis; motor autem corporum cœlestium non constituitur per subiectum ipsius, & ideo non mouetur per motum subiecti ab ipso, hoc modo accidentali:ex quibus uerbis dicit Zimara.q ideo motores in corporibus generabilibus & corruptibilibus mouentur per accidens,quia sunt formæ dantes esse materiæ motores autem cœlici,ideo non mouentur per accidens, quia non sunt constituti in esse per subiectum, idest non sunt formæ dantes esse materiæ. Quarta ratio principalis eiusdem, si intelligentia esset forma cœli, tunc cœlum deberet cadere in conceptu formali ipsius intelligentiæ, secundum quòd materię accipiuntur in definitionibus formarum. consequens est manifeste falsum, ut omnes concedunt. probatur sequela, ex prę̄fata auctoritate Auerro. in octauo physicorum commen. 52.& ex primo de anima commen.16.& in secundo physic.commen.21.Quod si dicas,dictum Auerro.intelligi de formis dantibus esse eductis de potentia materiæ,non autem de formis dantibus esse non eductis de potentia materiæ. Contra,quia a simili corpus organicum non debet cadere in definitione animæ intellectiuæ, quod est contra Arist.& Auer.in secundo de anima,ubi uolũt definitionem illam esse com-

muncm

munem omni animæ. consequentia probatur, quia anima intellectiua est forma dans esse. & tamen est educta de potentia materiæ, ut dicit Achillinus in lib. de intelligentiis quolib. 3. Quinta ratio principalis talis est, quærit Auer. ex intentio in lib. de substantia orbis, istam quæstionẽ, an sicut corpus generabilium & corruptibiliũ dependet ab anima, sic cœlum dependeat ab intelligentia? Et Auer soluens istam quæstionem negatiue dicit sic, {& uidetur quod corpus cœleste non est necessarium in suo esse forma, sicut est dispositio animalium quæ sunt hic.}

Sexta ratio principalis eiusdem, ex duobus actu existẽtibus non fit unũ per se, ut patet septimo metaph. sed tam intelligentia, quam cœlum sunt actu entia, igitur ex eis non fit unum per se, & sic intelligentia non est forma informans. Respondet Zimara ex aliorum mente quod cœlum seclusa intelligentia non est in actu, quia Auer. dicit nono metaph. ꝙ nihil prohibet ut cœlum sit materia. sed prohibet ut sit forma, & ideo dicitur quòd cœlum seclusa intelligentia est pura potentia. Contra istam sic ipse arguit, quoniam licet cœlum seclusa intelligentia non sit forma, tamen cœlum seclusa intelligentia est materia in actu & probatur ex differentia quã ponit Auer. in octauo metaphysic. & in lib. de substantia orbis, ubi dicit ꝙ materia prima est in potẽtia, materia autem cœli est in actu. ergo responsio falsa est, sicut ad longum ipse deducit. Septima ratio principalis, si cœlum esset formaliter animatum aut cœlum essentialiter esset anima tãtum, aut aliquid ultra animam. si primum, patet quod non esset nisi anima intellectiua, quia anima sensitiua non est ibi ut patet duodecimo metaph. commen 36. & secundo cœli commen. 37. & tunc anima intellectiua esset diuisibilis, ex quo cœlum ipsum formaliter est quantum, quod nullus sanę mẽtis diceret. si uero ultra animam intellectiuam sit aliquid aliud perfectibile per ipsam, sicut materia per formã, tunc cœlum non esset formaliter necessarium: quod est contra peripatheticos. patet autem sequela, quia omnis potentia passiua est potentia cõtradictionis, ut patet nono meta. tex. commen. 17. & 19.

Amplius, Zimara facit multas rationes in propria quæstione, quod prima intelligentia non sit forma informans.

Primo, sic arguit. si intelligẽtia prima esset forma informans cœlum tunc non esset prima. cõsequens est falsum. & probatur consequentia, quia nũquam forma informat materiam, nisi præsupposito agente & efficiẽte, nam causalitas causę intrinsecę habet reduci ad causalitatem causæ extrinsecæ. Secundo, efficiens & forma non coincidunt in eodem numero, ut patet secundo phy. tex. cõ. 70. sed prima intelligentia est causa efficiens cœli, ut iã ipse Zimara tenet in sua propria quęstione. ergo non erit forma cœli. Tertio, si prima intelligentia esset forma cœli, tunc sequeretur, ꝙ non esset primo, & per se agens. cõsequens est contra Auer. duodecimo metaph. com. 6. ubi dicit, ꝙ idem est primum efficiens, prima forma. & ultimus finis, patet consequentia quoniam forma ueniens in compositionem cum materia non per se agit, sed compositum est quod per se agit ut patet in procemio primi metaph. actiones sunt suppositorum. Quarto si prima intelligentia esset forma cœli sequeretur quod prima intelligẽtia nõ esset actus purus, neq; esset ens simpliciter perfectum. consequens est contra Aristo. & Auerr. 12. meta. com. 30. ubi dicitur, ꝙ in primo motore non admiscetur potentia omnino, neq; in substantia, neq; in loco, neq; in alio modorum potentię: quia causa potentiæ, in quibus est potẽtia, est materia, & Auer. idem dixit in, secũdo cœli com. 33. & quinto metaph. cap. de perfecto, ubi dicit, ꝙ solus Deus est ens simpliciter perfectum, sed consequentia probatur, quoniam omne quod est componibile cum alio sicut materia cum forma includit imperfectionẽ, & potẽtialitatem. si igitur ex cœlo & intelligẽtia fieret unũ per se tanquam ex materia & forma, tunc ipsa intelligentia haberet aliquam imperfectionem. Quinto, si prima intelligentia daret esse formale cœlo tunc in mouendo fatigaretur. consequens est contra Auer. secundo cœli com. 71. & probatur consequentia, quia omnis forma dans esse, in mouendo fatigatur, ut dicit Auerro. secundo cœli commen. 3. & ratio huius alia est, quia omnis talis forma dãs esse, est diuisibilis ad diuisionem sui subiecti, ut patet in lib. de substantia orb. cap. primo, & ideo si intelligentia esset forma cœli in mouendo fatigaretur, & sic motus cœli non esset ęternus. hanc rationem facit Auer. in octauo physic. commen. 79. ubi concludit, quod corpus cœleste non est compositum, ex materia & forma, sed est simplex. & quod forme eius nõ habet subsistere per ipsum. Confirmatur hæc ratio. quia quæritur an cœlum seclusa intelligentia mouetur solum an tantum intelligentia mouetur, aut compositum ex intelligentia & orbe mouetur. Non potest dari primum: quia cœlum secundum aliã opinionem est pura potentia: modo subiectum motus nõ est pura potentia, sed est ens in actu. ut patet quinto physic. tex. 8. Si secundo, habeo intentum contra illam opinionem. Si tertium, patet etiam ꝙ intelligentia ex quo est forma dans esse illi, mouebitur saltem per accidẽs. quia quãdo aliquod compositum ex materia & forma per se mouetur, forma eius mouetur per accidens. Sexto, si prima intelligentia daret esse cœlo formaliter, tunc sequeretur quod non esset simpliciter incausata. cõsequens est absurdũ, & consequentia deducitur. nam inter formam & materiam est mutua & essentialis dependentia ut dicit Aris. in secundo physic. tex. 30. materia est causa formæ & forma causa materiæ, & sic si prima intelligentia esset forma dans esse cœlo, dependeret ab ipso in genere causæ materialis. Septimo, quòd habet ultimatam actualitatem & subsistentiam non potest esse pars alterius at prima intelligentia est huiusmodi ut patet tertio de anima com. 5. & duodecimo metaph. commen. 3. ergo nõ erit pars cœli.

Octauò, Auer. in septimo metaph. com. 31. loquens de uirtute informatiua dicit ꝙ non est in semine, sicut anima in calore naturali, sed ita inclusa est in eo sicut anima in corporibus cœlestibus: sed forma in calore naturali est dans esse. ergo anima in cœlo non est dans esse, aliter similitudo Auer. non esset bona & ad propositum si intelligentia informaret orbem. Nono, omnis forma dans esse est diuisibilis ad diuisionem subiecti: sed Deus est forma dans esse cœlo, ergo Deus est diuisibilis. Decimo, omnis uirtus existẽs in materia, est finitę motionis: Deus est huiusmodi, ergo Deus est finitę motionis: Hæc sunt arg. Zimaræ quibus credidit demonstrare, ꝙ intelligẽtia non est forma informans, sed tantum forma assistens & mouens.

Opinio Ioan. Scoti doct. subtil.

Ioannes Scotus, in secũndo sententiarum lib. non curans de Auer. sed ad mentem Arist. (quam nos uolumus nunc perscrutari) dicit cœlum non habere formam quæ det esse formale ei. & declarans quomodo intelligentia sit in orbe, & quid orbis accipiat ab intelligentia, accipit unum fundamentum quod tale est: quod uera forma tria habet: primo dat esse illi cuius est forma: secundo dat motum: & tertio facit unum cũ eo cuius est forma: hoc stante fundamento dicit Scotus, ꝙ intelligẽtia nõ dicitur forma cœli propter primum, quod, scilicet dat esse formale cœlo, sed dicitur forma propter secundum, quatenus motor proprius cœli dicitur. neq; dicitur forma propter tertium quod. s. faciat unum per se, sed si facit unum, hoc intelligitur secundum appropriationem. ut supra di-

ximus in opin. Ioan. de Gand. in secundo eius præsuppositio. Et persuadet hoc Scotus ratione. & quidem pulchra quoniam eo modo intelligentia est in cœlo & cum eo facit unum, quo in ipsam resoluitur, sed resolutio fit in eam ut in motorem & motum, ergo intelligentia est in cœlo, ut motor in moto. & non ut perficiens forma in perfectibili. maior est notissima. minor probatur ex octauo physicorum tex. 40. Plura alia dicit ibi Scotus, quæ uidentur confirmatiua huius rationis. Scotus etiam in quolib. quæstione. 9. dicit quod angelus non potest informare materiam, per quamcunq; potētiam siue creatam, siue increatam, sic quòd sit forma materiæ ut ex ipso & materia fiat unum tertium. & ad hoc probandum adducit duas rationes, unam ex medio communi, & aliam ex medio magis proprio. Et aduertas, quod hæ rationes quas Scotus facit quod angelus non possit informare materiam, possunt etiam fieri de intelligentiis quod non possint informare orbes. Primam ratio Scoti communis talis est. illud quod est per se subsistens non potest esse forma materiæ, sed angelus est huiusmodi, ergo non potest esse forma materiæ; & sic Deus non poterit copulare subiectum cum prædicato in hac propositione, angelus informat. Maiorem primo declarat Scotus ad longum. & secundo eam sic probat, quoniam quælibet forma perficitur in dādo esse, participando actum compositi cui dat esse, unde non esset in ultimo actu. Minorem probat Scotus per locum a minori, quoniam aliqua substantia est ita in actu ultimo, quod non est per se ordinabilis ad aliquem actum ulteriorem: ergo multo magis angelus est per se subsistens. antecedens patet de igne, alias esset processus in infinitum in substantiis materialibus, si quælibet posset esse pars alterius substantiæ. consequentia probatur a minori, quia angelus est perfectus in specie sua, immo perfectior quā sit aliqua substantia materialis. Secunda ratio Scoti ex medio magis proportionato talis est. forma dat actū materiæ: angelus non dat actum materię: ergo angelus non potest informare materiam. Maior est nota, quoniam formam dare esse & actum materiæ nihil aliud est, nisi formam dare denominationem materiæ, idest materiam denominari per formam, qua dicitur informata denominatione generica. Minor probatur a Scoto sic, cuicunq; formæ substantiali per essentiam suā immediate conuenit posse dare actum simpliciter ipsi materiæ: ergo cui repugnat esse actum materiæ, hoc precisè repugnat illi per rationem propriam. antecedens probatur ex octauo metaphy. tex. 15. ubi dicitur, quod non est alia ratio, quare hoc potest facere per se unum cum materia, nisi quia hoc est per se actus. & illud per se potentia: & huius non est aliqua ratio ulterior, nisi propria ratio huius & illius. consequentia probatur, quia maiori perfectioni attestatur, quòd alicui repugnat esse formam materiæ quam quòd sibi conueniat: ergo si informare materiam, nō potest sibi conuenire nisi per suam rationem propriam, sequitur q̄ cui repugnat, maxime repugnabit per propriam rationē formalem eius. Istæ sunt rationes breuibus uerbis collectæ. quibus Scotus probat esse impossibile angelos seu intelligentias informare materiam.

Opinio diui Thomæ.

Sed diuus Thomas in sua summa quęst. 70. artic. tertio, ferè idem opinatur, scilicet intelligētiam uniri ut motorem mobili per contactum uirtutis tantum, & non esse formam ueram. quod ipse persuadet duplici modo: primo auctoritate, & secundo ratione. Primo adducit duplicem auctoritatem: unam Aristo. in octauo physicorū dicentis, ex partibus per se moti fieri unum per se, per contactum amborum, si ambo sint corpus. uel per cōtactum unius ad alterum, si unum est corpus, & non reliquum: alteram Platonis, qui uoluit animas uniri corpori, non nisi per contactum uirtutis: quare & anima cœlo. & si dicat aliquando cœlos animatos, non intendit nisi quia habet animam uirtute contangentem. Secundo arguit diuus Thoma duplici ratione. Prima talis est, præsupponens naturam semper ordinare imperfecta ad perfectionem perfecti, & non econtra hoc stante sequitur corpus esse propter animæ perfectionem: unio ergo animę ad corpus non est nisi propter necessitatem animę, quæ indiget tali unione. Secunda ratio eiusdem hæc; est; præsupponens etiam unum aliud, quòd talis unionis necessitas non potest cognosci nisi ex operibus propriis, tanquam ex notioribus. ex quibus sequitur animā cœli non uniri formaliter corpori cœlorum. non enim propter nutrire, quia non nutritur: non propter sentire, propter idem; nec propter intelligere, quia non intelligit per phantasmata, sed per se ipsam: non admouere, ad illud enim sufficit contactus uirtutis. quare non debet uniri corpori propter modum dictum. hæc est in summa opinio diui Thomæ.

Quorundam Thomistarum argumenta.

Prima ratio ipsorum talis est. Arist. in primo metaph. tex. commento. 31. contra ideas Platonis loquens (quas Plato entia separata ponebat) dicit illas nihil conferre sensibilibus æternis & mortalibus, cū nec motum nec esse dare possint: ergo intelligentiæ cum sint separata entia; non dabunt esse formale orbibus. Confirmatur primo hæc ratio, quoniā Aris. ibidem dicit uaniloquium esse & fabulas poeticas dicere talia entia separata ponere. Confirmatur etiam secundo sic, nam ibidem etiam dicit Aris. q̄ impossibile est esse separatam substantiam, & id cuius est substantia. quare sequitur ex iis dictis, quod impossibile est intelligentiam separatam esse, & cœlo substantiā dare. Secunda ratio eorundem. si cœlum haberet esse ab intelligentia, ergo de se est in potentia, & nō resistere poterit motori; quia ens in potentia non resistit; ut patet quarto physic. tex. commen 61. materia elementi quia est ens in potentia non resistit formæ; & ubi non est resistentia, motus est in instanti: quod nō uidemus; mouet enim unusquisq; illorum tempore determinato. ergo de primo ad ultimum intelligentia non est forma informans. Tertia ratio & ultima hæc est. dixit Auer. in octauo metaph. cap. ult. quod intelligentiæ attribuūtur corporibus, sicut anima attribuitur corpori: sed anima non informat, sed assistit: ergo intelligentię non informant, sed assistunt. Probatur minor, quoniam dicit Arist. in primo de anima, tex. commen. 44. quod intellectus non æqualiter inest omnibus hominibus: at forma informans æqualiter inest; ergo signum est, q̄ intellectus non est forma informans. & per consequens intelligentia non est forma informans.

Variæ auctoritates Auer. q̄ intelligentia non sit forma dans esse formale cœlo.

Prima auctoritas Auer. est in octauo metaph. com. 12. ubi dicit sic, {& cum narrauit q̄ istæ substantiæ nō habēt materiam, quia non sunt compositæ ex materia & forma, sed ex corpore & forma animata intelligibili, scilicet non ita quod anima sit res animata, nec ita quod illis est aliquid quod animetur per animam, aut uiua per uitam, sed sunt animata, & uiua per se. omne enim q̄ uiuit per uitam est generabile & corruptibile.} hæc dicit Auer. ibi ex qua auctoritate habetur, quod intelligentia non est forma informans. Secunda auctoritas est in octauo physi. cap. 1. ubi dicit Auer. in rebus mobilibus, principium motus esse, ut animatum in rebus uiuis; quare in cęlo mobili principium erit anima secundū motum, & non secūdum esse,

& sic intelligentia non informat. Tertia auctoritas est in libro de substantia orbis. ubi asserit Auerro. quòd motor coeli non constituitur per rem motam, neque existit in ea, & idem dicit primo physic. com. 63. ergo non informat. Quarta auctoritas. Auer. est in primo coeli, com. 22. ubi dicit quòd in coelo, illud quod per se mouetur non est principium intrinsecum, sed extrinsecum. ex hoc habetur, quòd si intelligentia esset forma informans, esset principium intrinsecum, sed secundum Auer. est principium extrinsecum: ergo signum est quòd non est forma informans. Quinta auctoritas habetur in primo com. 45. coeli ubi inquit Auer. quòd materia coeli, cum non sit composita non habet formam, ut sit intellecta, sed est una numero indiuiduata per se: modo, quod est huiusmodi, caret forma dante esse: quia omne tale est compositum, & habet formam qua potest intelligi, & omne tale est unum numero indiuiduatum per formam nō per se. quare forma coeli apud ipsum Auer. non erit dans esse sed motor tantum. Sexta auctoritas est etiam in primo coeli commen. 20. ubi probat Auerr. omnem formam in materia habere contrarium corruptiuum, tunc si motor coeli daret esse, ipsum coelum haberet formam in materia, & contrarium corrumpens aliquando: quod est falsum de coelo apud peripatheticos. hac ratione ibi Auer. claré probat coelum non esse compositum ex materia & forma.

Septima auctoritas est in secundo coeli comm. 14. ubi Auerro. dicit quòd dextrum differt à sinistro in animalibus non solum motore, sed subiecto: sed in coelo solum differt motore, & non subiecto: modo si intelligentia daret esse coelo, tunc dextrum in ipso coelo non solum motore differret à sinistro, sed etiam subiecto. probatur, quoniam si cęlum, esse. & motum proprium habet a motore, necessario habebit differentias, scilicet dextrum & sinistrum: quæ erunt diuersa in coelo & subiecto & motore, quod falsum esse dicit Auerro. sed solum uerum est in animalibus. Octaua auctoritas est in lib. de substantia orbis cap. primo ubi Auerro. ait cęlum moueri per principium separatum, quod est in eo, & non quod est pars eius; & hoc modo uiuens est & appetens: modo si intelligentia daret esse coelo, tunc ipsum coelum moueretur per principium quod est pars eius. quoniam forma dans esse rei est pars eius. sed Auerro. dicit quod coelum non mouetur per principium quod est eius pars: ergo intelligentia cum non sit eius pars, non erit forma informans. Nona auctoritas est in. 7. meta. ubi Auer. loquens de uirtute informatiua, dicit quòd non est in semine sicut anima in calore naturali &c. ex qua auctoritate Zimara probauit supra intelligentiam non esse formam: unde eum supra in octaua eius ratione quando probauit primam intelligentiam non esse formam cęli.

Decima auctoritas habetur in quarto disput. dub. secundo ubi Au. dicit cęlum habere corporeitatem in actu, nec indigere ad substentationem ipsa anima: ergo intelligentia non est forma informans. Vndecima auctoritas patet in lib. de substantia orbis cap. quarto ubi Auer. inquit corpus cęleste non indigere anima quia est permanens per se. Confirmatur etiam per eundem in 12. meta. com. 41. dicentem, quòd in corpore coelesti non est potentia ut corrumpatur quia non habet contrarium, est igitur permanens per se. Duodecima auctoritas habetur etiam in lib. de substantia orbis, ubi dicitur quòd corpus cęleste non habet necessarium in suo esse forma, ergo intelligentia non dat esse formaliter. Decimatertia auctoritas & ultima enunciatur ab Auer. in epistola de beatitudine animæ, ubi asserit cęlum esse animatum anima destincta ab intelligentia. ergo ex hac auctoritate & ex omnibus aliis supradictis, contra Auerro. mentem est intelligentiam dare esse formale orbi. Hæc sunt quæ ab antiquis & modernis expositoribus adducuntur ad probandum nedum persuasiuè sed etiam demonstratiuè, quòd intelligentia nullo pacto possit esse forma dans esse formaliter cęlo, sed tantum forma assistens & mouens. & plura possent dici, sed hæc sufficiant pro isto primo capite.

Secundum caput in quo narratur uera Ari. & Auer. opinio. & modus quo intelligentia dat esse formale cęlo ad mentem utriusque.

VEra Arist. & Auer. opinio est: quod intelligentia dat esse formale coelo, diuerso tamen modo, ab eo quo forma materialis dat esse rebus materialibus. pro cuius opinionis intellectu multa sunt præsupponenda, ex quibus continget etiam soluere argumenta aduersariorum.

Primum præsuppositum tale est, quòd potentia est duplex. Vna enim est quæ ad utrunque se habet & ad esse, & ad non esse. Altera uero quæ tantum ad dimidium se habet, scilicet ad esse. & talis distinctio est Arist. secundo de interpret. Aliis etiam uerbis datur eadem distinctio ab Arist. nono metaph. tex. comm. 17. ubi dicitur, quòd potentia est duplex, scilicet contradictionis & ad ubi. Et Auer. etiam multis in locis loquitur de hac duplici potentia, ut in li. de substantia orbis cap. quinto ubi dicit quod potentia habet gradus sicut materia, & in octauo meta. commen. 12. primo phys. 12. comm. 63. metaph. comm. 10. & multis aliis in locis suæ doctrinæ dicit ꝙ potentia contradictionis est in his rebus materialibus & caducis, potentia abiiciens actum, & potentia coniuncta actui. Secundum præsuppositum est hoc, quò, sicut duplex est potentia, ita quoque duplex materia, cum inseparabiliter insequatur potentiam. una quæ potentiam habet ad utrunque ad esse & ad non esse. alia quæ habet potentiam ad esse tantum, quæ potius subiectum dicitur quam materia. Et aduertendum quòd talis distinctio est etiam Auer. in lib. de substantia orbis cap. primo, tertio; & quinto, ubi asserit, cęlū non esse ex materia in potentia ad utrunq; & in octauo metaphysi. commen. 13. dicit coelum non habere materiam nisi æquiuoce, quæ potius subiectum dicitur. Et scias quòd multis modis differunt istæ duæ materiæ ut dicit Auer. in lib. de substantia orbis: & inter alias differentias differunt hoc modo, quoniam materia sublunaris est in potentia ad utrumlibet, & materia cælica ad unum tantum, scilicet ad esse. Differunt insuper secundo sic. materia sublunaris caret eo ad quod est in potentia. & materia cęlestis habet actu illud ad quod est in potentia ex quo patet quòd materia coeli dicitur materia informata, & potentia eius potentia actuata. Tertium præsuppositum, quod sequitur ex duobus supradictis tale est: quòd sicut duplex potentia & duplex materia, ita etiam duplex recipiendi modus in ipsa materia: unus est per dispositiones medias quantitatis & qualitatis, quæ quasi pręuiæ ad formas recipiendas existunt, unde forma materiæ non aduenit nisi illæ præexistunt, ut uehiculum in materia. Alius uerò recipiendi modus est sine dimensionibus interminatis, ita quòd forma immediate aduenit materiæ, & dimensiones sequuntur eam, adeo quòd forma simul dat esse & quantitatē, & omnia accidentia cęlo. Ex quo præsupposito sequuntur duo correlaria. quorum, primum est quòd omnis forma recepta in subiecto quanto & dimensionato, necesse est ut quanta sit & diuisibilis & corruptibilis & moueatur per accidens. quòd autem hoc sequatur patet ex hoc, quia omne receptum recipitur per modum recipientis. Secundum correlarium est hoc, quòd omnis forma recepta in subiecto non quanto neque dimensionato, non est diuisibilis, non corruptibilis, neque mobilis neque per se, neque per accidens;

neque habet contrarium propter eandem rationē supra dictam. Et scias quòd hæc distinctio de duplici recipiendi modo est Auer. in uariis locis, ut patet in secundo cœli comme. tertio ubi dicit formas cœlorum non esse diuisibiles ad diuisionem corporis, nec corruptibiles, nec habere contrarium, quia recipiuntur & coadunantur cum corpore cœlesti sine dimensionibus mediis: secus est de formis materialibus. quæ cum recipiantur in materia per medias dimensiones sunt diuisibiles, corruptibiles, & habent contrarium. Et in lib. de substantia orbis cap. secundo & primo phys. commen. 63. dicit quòd intelligentiæ non constituuntur per subiectum idest non recipiuntur in eo per dimensiones medias ut animæ mortales, & in eodem lib. de substantia orbis cap. primo dicit idem ad longum quando ponit duplicem generationis & corruptionis & corruptionis causam, scilicet formarum contrarietatem & subiectum dimensionatum: quæ duo cum non sint in cœlis, propterea neque generatio neque corruptio ibi erit. concludendum igitur est pro tertio præsupposito quòd duo sunt recipiendi modi, unus in materia cœli sine dimensionibus, & alius in materia horum inferiorum trina dimensione media. Quartum præsuppositum, quòd duplex est forma informans, seu forma dans esse: una constituens subiectum & constituta simul ab illo: & altera tantum est constituens subiectum, prima est materialis et corruptibilis secundo uero est abstracta & immortalis. De hac etiam duplici forma loquutus est Auer. in primo phys. ubi dicit de formis abstractis, quòd constituunt in esse & non constituuntur. secus est de formis materialibus quæ constituunt & constituuntur. hoc idem dixit Auer, in octauo phy. & in lib. de substantia orbis, & in secundo de generatione, quòd formæ separatæ à materia actiuæ sunt in passiua. & nō patiuntur ab illis formæ autem materiales ab eis in quæ agunt patiuntur, & Arist. in primo de generatione dicit mouentia quædam cum mouent mouentur, & hæc sunt unius generis quia sunt agentia materialia. & necessariò cum tangunt tanguntur, sed si quid est quod immotum moueat, illud quidem rem tactu tanget a qua non tangetur. ex his igitur locis patet duplicem esse formam informantem, unam tantum constituentem, & alteram constitutam & constituentē simul.

Quintum præsuppositum est, quod tales duæ formæ conueniunt & differunt multis modis. Primo conueniunt quoniam sicut formæ materiales constituunt & dant esse corporibus quorum sunt formæ, ita formæ separatæ ut intelligentiæ constituunt & dant esse corporibus cęlestibus, hoc dicit Auer. primo phys. commen. 63. in lib. de substantia orb. cap. primo & in octauo phys. com. 52. Secundo conueniunt quia sicut formæ materiales dant operationem propriam corporibus quorum sunt formæ, ita formæ separatæ ut ipsæ intelligentiæ dant operationem corporibus cęllestibus ut dixit Auer. 2. cœli com. 3. & in libro de substantia orbis cap. secundo, & tertio. Tertio conueniunt quia sicut formæ materiales sunt in corporibus quibus dant esse & opus; ita formæ abstractæ. ut intelligentiæ, sunt in corporibus cœlestibus. hoc dixit Aue. secundo cœli comm. tertio & in libro de substantia orbis cap. primo quòd intelligentiæ sunt in toto subiecto, scilicet per informationem. Differunt quoque pluribus modis ipsæ duæ formæ, & prima differentia talis est, quoniā formæ materiales diuiduntur ad diuisionem corporis, formæ autem cœlestes minimè, ut nobis notatū reliquit Auer secundo cœli, & in lib. de substantia orbis multisq; aliis locis supra assignatis. secundo differunt quia formæ abstractæ nō habent materiam in potentia ad utrūlibet, & eius priuationem, sicut formæ materiales. tertio differunt quòd formæ separatæ non habent contrarium, sicut formæ materiales, ut clarum est primo cęli tex. comm. 20. & secundo cęli comm. tertio & in lib. de substantia orbis cap. primo. quarto differunt quòd formæ separatæ non mouentur, neque per se, neque per accidens ad motum corporis in quo sunt, sicut formæ materiales: sed solum attributiuè, quia mobile earum mouetur ad motum alterius motoris, ut patet octauo physi. com. 52. quinto differunt quia formæ abstractæ adueniunt corporibus cęlestibus ante dimensiones, sed formæ materiales post dimensiones, ut Aue. sole clarius in lib. de substantia orbis exarauit. sexto, differunt, quoniam formæ separatæ non dependent & constituuntur in esse a suis corporibus cęlestibus, sicut formæ materiales ut Auer. in primo. phys. comm. 63. & in lib. de substantia orbis cap. primo retulit. septimo differunt, quia formæ non constitutæ per subiectum principaliter agūt propter se, secundario uerò propter aliud; sed formæ constitutæ per subiectum primaria intentione agunt propter aliud, secundaria uero propter se. ex qua differentia sequitur hæc alia quæ est octaua & ultima, quod cum forma materialis principaliter agat propter aliud, & secundario propter se in ea realiter efficiens differat a fine: secus autem est de formis separatis, quæ cum principaliter propter se & secundario propter aliud agant, in eadem re sunt finis, efficiens, & forma. hæ duæ ultimæ differentiæ colliguntur ex iis quæ dixit Auer. in libro de substantia orbis cap. primo contra Auicennam. Sextum & ultimo præsuppositum, tale est non omne mouens, dans esse. mouetur ad motum illius cui dat esse formale. hoc dicit Auer. in primo de anima comm. 41. ubi sic dicit {nos peripathetici non ponimus quòd omne mouens mouetur illo modo motus, neque in motu logicali, nisi mouens sit corpus uel corporeum, cuiusmodi non sunt intelligentiæ, hoc enim incorporeorum proprium est ut dent esse & non recipiant, moueant & non moueantur, agant & non patiantur, dent esse altero & non substententur in esse ab altero, & separari possunt ab eo sine eius corruptione si corpus mortale est, uel saltem non repugnat corpus immortale est, & non diuidantur ad diuisionem & corruptionem eorum quibus dant esse} hoc idem dicit Arist. secundo phys. quod non omne mouens mouetur, nisi illud quod est mobile in potentia, & cui immobilitas est quies, & quod tangere potest passum, tactu sere quantitatiuo: tunc enim cum tangit patitur, & mouetur, eo quod natura sua talis est, quasi dicat, illud mouens moueri quod aptum est ad motum & quietem recipiendam. Ex iis omnibus præsuppositis clarissime duo patent. Primum quomodo intelligentia dat esse formale corpori cęlesti. Secundo patet, error manifestus Auer. assignantis rationem lib. de substantia orbis, & alibi, quod ratio quare intelligentiæ sunt indiuisibiles, non constitutæ in esse per subiectum, & non dependens a subiecto, est, quia non recipiuntur in eorum subiectis cū dimensionibus. Talis causa falsa & diminuta est, quia dimensiones ante & retro non mutant esse, neque faciunt naturam æternam, corruptibilem & econtra. Sed hæc est, causa uera quam assignat Ar. quia, scilicet sunt separatę & quia sunt entia incorporea, non apta pati aliquo modo scilicet per naturam eorum intrinsecam: & ideo agunt & non patiuntur aliquo modo, dant esse non recipiunt, & corpori cui adueniunt non acquiruntur ante dimensiones, sed simul eis esse & accidentia omnia & opus proprium præstāt, quæ omnia ignorauerunt moderni. His stantibus, probamus quod intelligentia sit forma dans esse formale cęlo ex mente Aristot. & Auer. his rationibus.

Rationes pulcherrimæ secundum Arist. & Auer. quòd intelligentiæ sint formæ dantes esse formale cęlo.

Prima rationalis est, ex auctoritate Auer. primo cœli, com.

commen. 95. ubi dicit, quod natura corporis cœlestis neque grauis, neque leuis, non est per se existens in actu, sed inquantum est materia formæ corpori, quæ est in actu, tunc stante hoc dicto Auer. sequitur quod intelligentia est forma dans esse. probatur hæc consequentia, quoniam id per quod res est in actu & sine quo res non est in actu est forma dans esse; ut dicit Arist. secundo de anima: tex. com. octauo & sic intelligentia est forma dans esse cœlo. nam nulla alia forma attribuitur cœlo ab Auer. ut ipse dixit contra Auicennam in libro de substantia orbis.

Respondet Ioannes de Gand. huic rationi, & dicit exponendo auctoritatem Auerro. quod per se existere in actu, potest esse duobus modis: primo modo capitur per se, idest solitarie, ut est tertius modus dicendi per se. secundo modo capitur per se, idest sine forma a qua habet esse & actum. & sic uult ipse quod quando Auerro. dicit cœlum non existere per se in actu, intelligit per se, idest solitarie, & non per se, sine forma. Primum declarat ipse hoc modo quoniam cœlum sine intellecto motore non existit per se, idest solitarie: nam non erit sine potentia ad locum, nec sine lumine, nec sine quantitate; quantumcunque cœlum sine motore sit, habebit illam potentiam, lumen, & quantitatem. & ideo non erit per se, idest solitarie existens. Secundum declarat sic, nam remoto motore, cœlum apud Auer. adhuc est substantia simplicissima & in actu. Non ergo intelligit Auer. cœlum non existere per se in actu sine motore. idest non habere esse actuale sine motore, hæc dicit Ganda. Sed iste uir pluribus modis errat in hac sua responsione. Primo errat, quoniam non dicit Auer. cœlum non existere per se tantum idest solitarie sine motore, sed dicit non existere per se actu, quod designat formam dantem esse. Secundo errat in assignando tertium modum dicendi per se, quoniam Arist. primo post. dicit quod tertius modus dicendi per se est, quando neque alteri inest, neque de altero dicitur, ut sunt omnia singularia prædicamenti substantiæ. at cœlum remota intelligentia apud ipsum est per se isto tertio modo, cum neque alteri insit, neque de altero prædicetur, & est saltem substantia: quare Gandauen non bene intelligit Arist. circa tertium modum dicendi per se. neque si sic esset (ut dicit) cœlo conueniret: non enim tertius modus per se est sine accidentibus. Tertio errat, nam per se esse debet sumi tali modo, qualis est esse per alterum, quod sibi opponitur; quia opposita si sunt, debent esse æqualia. sed Auer. dicit ibi cœlum esse in actu per alterum, hoc modo. scilicet inquantum est materia formę cœli: ergo quando dicit non esse per se actu, debet intelligere non habere esse actuale. Quarto errat, quoniam clare patet Auerro. probare cœlum esse compositum necessario ex materia & forma, quia si non esset intelligibile ad quod probandum sumpsit cœlum, non esse in actu per se, sed solum per formam, si enim non esset compositum cum forma non posset intelligi, cũ non sit actus, neque habens actũ. nam tertio de anima habetur, quod solum hoc a nobis intelligitur. Quinto errat, nam Auerr. clare asserit in lib. de substantia orbis, cœlum sine intelligentia non esse, nec motum nec aliud accidens habere, quomodo ergo sine intelligentia non erit solitarium? Restat igitur ut dicamus cœlum apud Auer. non habere esse in actu sine intelligentia. quæ necessario est forma corporis cœlestis. Secunda ratio principalis colligitur ex Auer. primo phys. com. 63. ubi dicit, formam cœli non constitui per corpus cœleste, sed econtra corpus cœleste constitui per intelligentiam: modo corpus quod constituitur ab aliquo, habet esse ab eo, ergo intelligentia est forma dans esse & non tantum mouens. Respondet aliquid quod Auer. intelligit intelligentiam constituere corpus, non tamen in esse. Sed contra istam responsionem, quoniam eo modo dicit Auer. corpus cœleste constitui ab intelligẽtia, quo negat intelligentiam constitui ab ipso: sed negat intelligentiam constitui a corpore cœlesti, ut formam dependere a materia: ergo dicit cœlum constitui in esse ut materiam a forma, & non ab agente. Amplius ad idem arguitur, quia Auer. dicit cœlum carere omni potentia præter potentiam ad ubi, ideo substentatur subiectum per formam cœli, non autem, econtra, hic autem loquitur de substentari in esse: quare dicendum quòd talis responsio falsa est. Alii aliam dant respõsionem dicentes, quòd Auer. in illa auctoritate, uult cœlum constitui ab intelligentia, pro quanto effectiue dependet ab ea, & quantum ad accidentia quæ ei insunt. Et isti quoque errant, quoniam eodem modo loquitur Auerro. de formis cœlorum in illo loco, quo de formis mortalium, quando dicit illas substentari per subiectum & econtra. sed in illis loquitur de constitutione formali & materiali: quare eodem quoque modo loquitur de formis cœlorum, nam dicit potentiam ad formam facere in mortalibus, ut forma pendeat in esse a materia, & remotionem illius potentiæ a cœlis, facere ut formæ eorum non cõstituantur, sed cœli a forma. quare si in cœlo loqueretur de constitutione per agens, & non de esse formali, ut isti dicunt, tunc uel Auer sibi contradiceret, uel causa quam dat, non esset uniuoca, sed æquiuoca, quod a philosophis (ut ipse dicit) non solet fieri. Et confirmatur hoc ex iis quæ dicit Auer. in octauo phys. ubi clarè asserit, animas animaliũ cõstitui per subiectũ quod mouent, principia uero cœlorum non constitui per corpus quod mouent, sed econtra, quòd permanentia subiecti est secundum illud. quare patet Auer. ubique intelligere de constitutione in esse formali & non effectiua.

Tertia ratio principalis, quæcunque constituũt unum numero, necesse est unum eorum dare esse formale alteri; sed intelligentia & orbis faciunt unum numero: ergo unum eorum est forma dans esse: & hoc est intelligentia, & non orbis. maior probatur, nam ideo nauta & nauis non faciunt unum numero, quia nauta non dat esse formale naui. minor probatur ex Auer. in secundo cœli ubi dicit quòd illud quod recipit istam formam est corpus cœleste incorruptibile, & forma & formatum in eo sunt idem numero. Respondet Ioannes de Gand. quòd facere unum numero, duobus modis contingit. uno modo secundum substantiam, alio modo secundum operationẽ. exemplum primi ut quælibet forma materialis & sua materia faciunt unum secundum substantiam. exemplum secundi currus & auriga faciunt unum secundum operationem, & similiter nauta & nauis. & tunc dicit ipse quòd solum illa quæ faciunt unum secundum substantiam, necesse est ut unum illorum sit forma dans esse, & aliud sit materia. & non illa quę faciunt unum numero secundum operationem: & ex tali distinctione dicit respondendo ad argumentum quòd Auer. intelligitur sic in illa auctoritate, quòd intelligentia & orbis faciunt unum numero secundo modo, & non primo modo: nam si sic, tunc argumentum bene concluderet. Sed iste uir errat grauissime. Et primo quia dicit Arist. quòd non debemus uti nominibus inusitatis: at inusitatus est talis modus unius numero secundum operationem apud philosophum, ergo non est ponendus. Secundo errat cum non intelligat auctoritatem Auer. nam uult ipse Auerroes, quòd cœlum & intelligentia faciunt unum numero, quia coadunantur sine dimensionibus; & non quia causant unum motum numero. Tertio quoque errat, quia dicit formam cęli cohærere ipsi cęlo: nam abstractum non cohæret corporeo quia tangat tantum. nam corporeum non potest tangere incorporeum, non ergo cohæret alio modo, nisi quia dat esse rei. Quarta ratio principalis, dixit Auer. in lib. de substantia orbis, cap. secundo quòd cęlum non solum indiget uirtute mouente in loco, sed uirtute quæ in se & in sua substantia largiatur permanentiam æternam. &

post multa alia uerba concludit, cœlum indigere forma, quę sicut largitur sibi motum proprium ęternum, ita quoque sibi largiatur permanentiam propriã æternam, quę nõ est nisi forma dans esse cœlo, ut clare patet. Quidam ex modernis respondet huic rationi, & dicit, quod Auer. intelligit sic: quod cœlum sit effectiue ab intelligentia sicut & motus eius, & non intelligit quo ad causam formalem. Contra istam responsionem multis modis instatur. Et primo, quoniam Auer. in illo loco, mouet quęstionem & quærit an cœlum indigeat forma dante esse, an tãtum forma dante motum. & respondet quòd non solum indiget forma dante motum, sed etiam forma dante esse. modo forma dans esse apud Arist. & Auer. est forma informans. Secundo sic arguitur, nam dixit Auer. in 12. metaphysic. com. 36. & in 10. commen. 7. quod idem est primum efficiens, prima forma, & ultimus finis. ergo si cœlum dependet effectiue ab intelligentia, & similiter formaliter dependebit, consequentia patet, ex Auer. supradictis locis. Et confirmatur hoc, per Aristote. in secundo phys. tex. 70. & in 12. metaph. tex. 24. ubi dicitur quod tres causæ coincidunt in unum: si igitur intelligentia est causa cœli, tunc erit causa in triplici genere causæ, scilicet effectiuæ, finalis, & formalis: hoc idem etiam confirmatur per Auer. in quarto cœli dicentem quod res æternæ non habent ex quatuor causis, nisi formalem & finalem tantum, alię uero sunt in eis secundum similitudinẽ. Et aduertas quod istæ obiectiones concludunt cõtra Zimaram qui in propria sua quęstione de triplici causalitate intelligentiarum fecit similes instantias cõtra Greg. Arimi. & Ioan. Bacch. uide eum ibi ad longum. Quinta ratio principalis: ubi est effectus formalis, ibi est causa formalis: sed intelligere & uelle sunt effectus formales intelligentiæ: ergo intelligentia est forma cœli. maior est uera, ut patet, & minor est Auer. in duodecimo metaphysi. commento. 36. ubi dicit quod cœlum dicitur intelligere & uelle. ergo patet intentum. Huic quoque rationi respondet Zimara, & antequam formaliter dicat ad argumentum, assumit unum quod est Arist. & Auer. in primo cœli quod cœlum capitur tribus modis, primo pro toto mundo secundo pro aggregato ex orbe & intelligentia, & tertio pro octaua sphæra tantum. Stante hac distinctione dicit: quod quando Auer. dixit cœlum intelligere & uelle quod non accepit primo, & tertio modo, sed cœlum secundo modo sumptum intelligit: & sic formaliter ad argumentum respondet, quod intelligere est effectus totius cœli, quandoquidem cœlum non intelligit per partem, sed cœlum pro aggregato ex orbe, & intelligentia est illud quod intelligit & uult: quare non sequitur quod intelligentia sit forma cœli. hæc est responsio Zimaræ. Sed Zimara errat multis modis in hac sua respõsione. Et primo quia non intelligit Auer. in loco citato, quãdoquidem intentio Auer. ibi (ut dicemus inferius in respõsione ad argumentum aduersariorum) est arguere contra Auicennam dicẽtem quod cœlum intelligit, uult, appetit, & est uiuens, per uirtutem materialem, & Auer. dicit cõtra ipsum, quod cœlum non intelligit per partem in eo, idest per uirtutem materialem, quæ est pars constituta per ipsum. Secundo errat quoniam cœlum, intelligit, appetit, & mouet, & hoc est ratione intelligentiæ, quæ est in ipso, ut dixit Auer. in libro de substantia orbis, neque uerum est quod intelligentia non sit pars cœli, ut patet ex Auer. in principio libri de substantia orbis: & quando Auerro. negat intelligentiam esse partem cœli, hoc intelligendum est eo modo, quo dixit Auicenna imaginatiuam animã esse cœli partem. non igitur Zimara recte satisfacit argumento. Sexta ratio principalis, illud est ponendũ probabiliter, quod omnibus aut pluribus esse uidetur: sed neque in omnibus neque in pluribus formis esse uidetur, quod non dent esse. sed potius eius oppositum esse uidetur: ergo non est ponendum in naturali philosophia, aliquam formam esse, quę non det esse. maior est Arist. in primo top. ubi dicit quod probabile est illud quod omnibus uidetur. minor probatur inductione, & si non in omnibus formis, saltem in pluribus uerum esse uidetur, quod formæ dent esse formaliter, & probatur quod iste modus arguendi sit bonus, quia sic Arist. primo cœli tex. 102. arguit contra Platonem dicentem mundum fuisse genitum, sed esse incorruptibilem. & Arist. contra Plat. dicit hoc non esse ponendum, quia est impossibile. non enim in omnibus pluribus genitis uidetur hoc uerũ, scilicet quod sint genita, & postea sint incorruptibilia sed potius oppositum huius apparet. Ita quoque, a simili arguitur, neque in omnibus neque in pluribus formis, uidetur, quod non dent esse, sed potius oppositum huius apparet: ergo non est dicendum intelligentiam esse formam, & non dare esse. & sic argumentum Aristote. est bonum contra Platonem: & meum etiam. & quicquid diceretur ad meum argumentum, ergo etiam ad Arist. rationem contra Plat. diceretur, & hæc ratio uidetur demonstratiua. Septima ratio principalis. si intelligentia non daret esse, sed esset sicut natura in naui, tunc cœlum erit inanimatũ sicut nauis. consequens falsum, ergo & antecedens. & confirmatur ista ratio, per id quod dixit Arist. in secundo cœli quod dextrum & sinistrum non sunt quærenda inanimatis, nisi inanimatis habentibus principium motus: nam in ipsis inanimatis istæ differentiæ solum sunt uel in respectu ad nos, ut in columna & naui, uel in respectu ad imaginem nostram: non autem sunt ueræ. ex quibus sequitur, si cœlum non est animatum nisi sicut nauis, haberet istas differentias in respectu sicut nauis, quod est contra philosophos in secundo cœli ubi asserit, quia cœlum est uere animatum, in ipso esse ueras differentias. dicendum igitur est intelligentiam esse formam informantem. Octaua ratio principalis. Arist. in secundo cœli tex. sexto sic arguit contra Platonem, si anima moueret cœlum semper contra naturam, tunc non esset beata, sed potius esset negotiosa cum labore, sicut Ixion. tunc stante stante hac ratione Arist. contra Plat. sequitur quod anima cœli, sit forma informans. & dans esse: quoniam si esset forma omnino separata, & non dans esse, non ualeret consequentia quod moueret cum labore. Nona ratio principalis. Auer. etiam in secundo cœli comm. sexto dicit, quod solum duratio motus est in cœlo ab anima, sed duratio essentiæ eius est ab anima: modo forma quæ ultra motum, causat essentiam, est forma dans esse. & non motor assistens tantum, contra modernos Auerroistas. Decima ratio principalis. quod est perfectionis, non debet remoueri a corpore perfectiori, sed esse animatum formaliter dicit perfectionem: ergo esse animatum formaliter non debet remoueri a cœlo. Vndecima ratio principalis. quæ sunt in nobis, sunt diuisa. sed in æternis, magis unita esse debent: hoc enim est rectum regimen naturæ: perfectiora enim, ut æterna, tendunt ad maiorem unionẽ, tanquam ad maiorem perfectionẽ, & fugiunt diuisionẽ, & multitudinem tanquam imperfectionem. cum ergo motor proprius, qui est anima in nobis inueniatur copulatus quo ad esse, & in aliis mortalibus omnibus; magis unitus & copulatus in æternis inueniri debet. & probatur quod sit maior unio, quoniam, in nobis motor est unitus mobili per medias dispositiones, & qualitates: in corporibus uero cœlestibus motor mobili unitus est sine dimensionibus. ergo maior unio. & sic intelligentia est forma dans esse formale cœlo. Duodecima ratio principalis. apud omnes peripatheticos est uerum intelligentiam, præter motum proprium, dare corporeitatem, & omnia accidentia propria, ipsi cœlo, quæ non dat, nisi forma dans esse nam dicitur octauo physic. com. 37. quod dans formam, dat omnia consequentia formam: ergo intelli-

ligentia est forma dans esse coelo, & non assistens, ut falso moderni arbitrantur. Decima tertia ratio principalis. dicit Auer. in libro de substantia orbis contra Auicennam, coelum esse appetens, uiuens, & intelligens per se; quod non esset, nisi per formam intrinsecam dantem esse, uiueret, appeteret, & intelligeret: si enim non daret esse, esset principium extrinsecum coeli, & tunc uideret, & appeteret, & intelligeret per alterum. quod negat Auer.

Decima quarta ratio principalis. Aue. in eodem libro. inquirens naturam corporis coelestis, quae sit. dicit naturam illius, quae facit corpus coeleste, neque esse graue neque esse leue, & moueri circulariter, esse naturam animae: modo si natura corporis cęlestis, est natura animae; ergo anima dat esse coelo. & confirmatur, quia, quod dat esse, non graue neque leue, dat esse cęlo. illud enim est esse coeli, quòd priuatione illorum duorum describitur.

Decima quinta ratio principalis. dixit etiam Auer. in eodem libro cap. secundo coelum esse ens in actu. & indiuiduum dimensiratum in actu, & habere figuram in actu & dicit quòd coelum habet hoc a materia, & materia habet hoc a forma: modo id, per quod aliquid habet esse in actu, est forma dans esse, & illud etiam per quod aliquid est indiuiduum demonstratum in actu, est forma dans esse, nam ut dicit Arist. secundo de anima, forma est, qua materia & compositum, est hoc aliquid. Decima sexta ratio principalis, in eodem etiam libro cap. primo & secundo ponens Auer. differentiam inter materiam horum inferiorum, & materiam cęli dixit, quod materia horum entium sublunarium, plures hab t conditiones: unam, quia est in potentia ad formam: & aliam quia est fixa formae, sub qua potest stare & propter primam dicitur materia, & propter secundam dicitur subiectum Sed materia coeli dicitur subiectum tantum, quia est fixa formae, sub qua actu stare potest. & non est in potentia ad illam, scilicet ad utranque partem quare patet, materiam coeli actuari ab illa forma, ergo est forma dans esse formale cęlo ipsa intelligentia. Decima septima ratio principalis. in omni eo quod cum mouet. mouetur, quaeruntur quatuor causae: sed coelum cum mouet haec inferiora, mouetur etiam: ergo cęlum habet quatuor causas. & non aliter inuenies istas causas, in coelo nisi intelligentiam, per formam, finem, & efficiens, & orbem pence materiam, nam alio modo non possunt esse in coelo hae causae. maior est Arist. secundo phys. tex. 71. & minor etiam. ergo intelligentia est forma coeli, & informans. Decima octaua ratio principalis, intelligentia est natura coeli, ergo est illi causa intrinseca. & non est materia: ergo est forma illi, non tamen est natura uniuoce ipsa intelligentia natura inferiorum, Auer. multis in locis nobis notatum reliquit. Decima nona ratio principalis. asserit Auer. in secundo coeli com. 39. quòd indiuidua orbium conueniunt, & differunt, quadam conuenientia & differentia secundum naturam, inquantū motores eorum conueniunt & differunt. sed hoc non potest esse, nisi motores coeli sint formae dantes esse coelo, quoniam nullum extrinsecum licet sit motor appropriatus ut nauta naui, conuenire & differre potest eodē modo cum aliis, & tanto magis quia motor incorporeus, & motum corporeum non uidetur aliquo modo possibile, ut eadem conuenientia & differentia conueniant & differunt, nisi incorporeum sit intrinsecum dans esse corporeo, tunc enim idem erit esse corporei, & incorporei, & poterunt eandem conuenientiam, & differentiam habere. & haec ratio sit persuasio.

Vigesima ratio principalis. omnis anima est quidditas animati: sed intelligentia est anima coeli: ergo intelligentia est quidditas coeli. maior est Arist. secundo de anima, tex. 8. & in tertio physic. tex. 28. minor est Auerro in 8. metaph. commen. ultimo. Vigesima prima ratio principalis, quandocunque forma substantialis, est realiter unita materiae; ipsa informat eam, & dat illi esse substantiale haec enim negata, non probatur dari formā substantialem dantem esse composito materiali. sed intelligentia est forma substantialis coeli, ut patet 12 metaph. com. 37. ubi diuidit Auer. formam, per substantialem, & accidentalem. & substantialem per materialem & immaterialē, ergo intelligentia est forma dans esse formale coelo.

Vigesima secūda principalis. Auer. in libro de beatitu. animae asserit, cap. primo quòd intellectus abstracti, sunt ueiae formae coelorum dantes eis perfectionem. ergo si sunt uerae formae, sequitur quòd sunt formae dantes esse; quoniā dant perfectionem, ut dicit Auer. & ibidem dicitur ab ipso, quod forma animalium sphaericorum, est fixa in materiis suis. ergo est forma dans esse, quoniam si esset tantum mouens, tunc non esset fixa in materia.

Vigesima tertia ratio principalis, ut dixit Aristot. in secundo phy. tex. 10 quòd motus qui ab extrinseco motore, est uiolentus, & ita sequeretur quod si intelligentia nō esset forma informans, & principium intrinsecum orbi, tunc motus coeli esset uiolentus. sed hoc est falsum, ergo dicendum omnino est, intelligentiā esse formam dantem esse formale coeli. Vigesima quarta ratio principalis. dixit Auer. in secundo coeli comm. tertio & in tractatu de substantia orbis cap. primo quod coelum non recipit primo dimensiones ante formas, quoniam tunc etiā forma diuideretur ad eius diuisionem. tunc stante hoc dicto Auer. sic arguitur. si solum intelligentia assisteret orbi & non informaret, tunc consequentia Auer. non ualeret. & probatur hoc, quoniam forma assistens, non diuiditur ad diuisionem eius cui assistit, ut patet de nauta respectu nauis, sed solum forma informans. sed secundum Auer. intelligentia diuideretur, si uniretur mediante trina dimensione. ergo praesupponit Auer. quod intelligentia sit forma informans & non tantum mouens. Vigesima quinta & ultima ratio principalis. Auer. in libro epit. metaphy. tracta. 4. declarans, quomodò intelligentiae sint forma, efficiens & finis suorum orbium, dicit haec uerba formalia { ex iis ergo dictis apparet, quod nam esse habeāt isti motores, & quomodo sint motio ipsorū, ex quo etiam often ditur, quòd non sunt tantū motores corporum cœlestiū, immo dant eis forma suas, quibus sunt id quod sunt. } quod ipse Auer. probat ex ratione formae, ex primo de anima. q illud est forma alicui, per cuius ablatione aufertur illud cuius est forma: sed ablata intelligentia aufertur orbis, sicut remoto intellectum actu a nobis, tūc nō inerit nobis ultima perfectio. quare sequitur intelligētias ipsas non esse solum motores coelorum, sed formas dantes eis esse, quibus sunt id quod sūt. Ex quo infert secūdo Auer. intelligentias, esse agentes suorum orbium, nam de ratione agentis est dare essentiam rei. cum ergo intelligentiae dent esse coelis, erunt etiam quodammodo agentes ipsorum coelorum. Et dicit Auer. { quodammodo } quoniam dare esse ut uerum agens, est dare esse nouum, post non esse, non continuum, & aeternum actione aeterna: modo intelligentiae dant esse continuum coelo, quare non sunt agentia uere, sed suor agentia quodammodo, & hoc etiā dicit ipse in quarto coeli. Et tertio declarat Auer. quomodo intelligentiae sunt fines, & dicit sic { & sunt etiam fines coelorum, inquantum mouentur ab eis per modum desiderii } ex qua auctoritate patet clarissime, intentionem Auer. esse, intelligentias non solum, esse fines, & agentes aliquo modo orbium, sed esse formas, per quas sunt id quod sunt, idest formas dantes esse. nam forma mouēs tantum, seu assistens non est huiusmodi. ista ratio non potest negari quod non sit demonstratiua, neque moderni possunt imaginari uere aliquam responsionem, immo nec glossam aliquam, cum Auer. expresse ita uelit, intelligentiam esse formam dantem esse formale coelo. Plures aliae rationes possent adduci, sed hae sufficiant approbandum

talem esse Arist. & Auer. opinionem, intelligentiam, scilicet esse formam dantem esse formale cœlo, diuerso tamen modo, quo formæ materiales sunt, dicunturq; formę suorum subiectorum. Superest modo respōdere obiectionibus & argumentis aduersariorum.

Caput tertium in quo ponuntur solutiones ad rationes aduersariorum.

Solutio rationum Ioan. Gand. quibus probat dari formam non dantem esse.

AD primam auctoritatem Arist. secundo de anima, dicitur quòd Arist. non dicit ibi formam esse sicut nautam, inquantum nauta non dat esse, ut ipse Gandau. imaginatus, sed inquantum dat esse, & non dependet in esse a materia, & separari potest sicut nauta. & in hoc est similitudo Arist. in illo textu. & quòd hoc sit uerum patet ex dictis & intentione sua: nam uult dicere id quod ex diffinitione animæ manifestum est, de separatione totius animæ, & partium: dicit manifestum esse, quòd non est separabilis, aut tota, aut aliquæ eius partes, nam quædam sunt actus partium corporis quę nō sunt separabiles; quędam nil prohibet ut separentur, quia nullius partiū sunt actus, tum quia licet sint actus tamen quidam actus possunt separari, ut nauta à naui: quare dicendum est formaliter ad auctoritatē quòd ibi Arist. assimilauit illum actū nautæ quo ad separationem, & non inquantum non dat esse. & hoc ignorauerunt moderni uerborum superficiem tantum, & non Aristo. intentionem considerantes. Ad secundam auctoritatem patet ex dictis nō enim diuiditur forma in dantem esse & non dantem esse nisi æquiuoce, que diuisio non fit ī philosophia sed bene diuiditur forma in eā situtam in esse à materia & nō constitutam, ut supra diffusius ad Auer. autes declarauimus. Ad tertiam auctoritatem dicitur, quòd quando Auer. dicit quasdam formas in materiis & quasdam non, non intelligit quasdam dare esse materiei & quasdam non, sed intendit quasdam dependere à materia cui dant esse, & quasdam non: hoc enim modo uenit intelligendus nobis Auer. Ad quartam auctoritatem similiter dicitur, quod Auer. per formam materialem & immaterialem, intellexit formā dependentem a materia & non dependentem, & hoc uult dum dicit, aliquam formam constitui & substentari in esse per materiam & aliquam non. Ad quintam auctoritatem & ad omnes alias similes idem dicitur, & sic patet non dari talem formam non dantem esse.

Solutio argumentorum Ioan. Gand. quibus probat intelligentiam non dare esse formale cœlo.

Ad primum argumentum breuibus respōdetur, quòd Arist. non probat motores infinitos non esse in magnitudine, i. non dare esse; sed non constitutos in esse, & non dependentes a magnitudine: tunc enim essent formæ materiales. & corruptibiles & finitæ. Ad secundum argumentum: dicitur, quòd quia intelligentiæ mouent infinito tempore, sunt separatæ a materia, idest non dependentes a materia: & non dicuntur separatæ a materia, idest non dantes esse ut male intelligit Gand. & sic separatum a materia est duplex, aut quia independens a materia, aut quia non dat esse, & sic intelligentiæ dicuntur separatæ a materia primo modo, & non secundo modo. Ad tertium arg. respondent quidam scioli non esse inconueniens, aliquid esse in aliquo moto & non moueri: & dant exemplum de polis mundi, qui omnibus modis sunt immobiles tam per se quam per accidens, & sunt in re quæ continuo mouetur. Sed ista responsio est falsa, quoniam poli non quiescunt quiete naturali sed transumptiua, de qua non considerat naturalis. mathematica enim est locutio ut dicit Auer. in secūdo cœli, com. 14. & in quarto physi. com. 118. quòd quies populorum est transumptiua & secundum similitudinem. Alii aliam dant responsionem dicentes, quòd moueri contingit duobus modis, dependenter & independenter, & tunc aliquod mouetur dependēter, quando mouetur ad motum subiecti a quo dependēt in esse, ut omnes formæ materiales: independenter uero tunc aliquid mouetur quando mouetur per accidens ad motum subiecti a quo non dependet in esse. stante hac distinctione dicunt quòd formæ quæ mouentur per accidens primo modo sunt corruptibiles: quæ uero secundo modo sunt incorruptibiles, & hoc modo dicunt intelligentias moueri & esse incorruptibiles: & talem dicendi modum uolunt sumi ab Auer. in octauo physic. com. 52. Sed quę isti dicunt, nec uera, nec peripathetica, neq; etiam sunt secundum Auer. Et primo non sunt uera quoniam falsum est motum non quanto per se neque per accidens conuenire: sicut enim res est quanta, ita mouetur: & cum sit quanta per accidens mouetur: modo intelligentiæ nec per se nec per accidens nec alio modo quantæ sunt: quare nec mobiles aliquo modo per accidens. Secundo neque est peripathetica talis responsio quoniam Arist. in illo loco uolens ostendere primum motorem esse immobilem per se & per accidens omnino, dixit ipsum moueri per accidens esse duplex, scilicet moueri per accidens a se ipso, & moueri per accidens ab alio: & attribuit Arist. ipsum moueri per accidens ab alio, omnibus intelligentiis secundis præter primam: nam omnia mobilia secundarum intelligentiarum mouentur ad motum primi mobilis. Et moueri per accidens a se ipso, solum attribuit corruptibilibus: sed intelligentiæ siue dependenter, siue independēter mouētur ad motū primi mobilis: quod mouetur & mouebitur semper a se ipso & nō ab alio: quare ipsæ intelligentiæ mouebūtur per accidens a semetipsis: quē modum mouendi per accidens negauit Arist. a principiis cœlorū & tribuit mortalibus. Et confirmatur hoc si moueri per accidēs independenter ad motum mobilis quod mouetur ab ipso, conuenit intelligentiis dantibus esse; ergo primus motor cum sit forma dans esse orbi, mouebitur per accidens tali modo; nā omnes intelligentiæ 2. cœli com. 59. sunt eiusdem speciei: & de indiuiduis unius speciei quo ad essentialia idem est iudicium ut patet 2. cœli com. 49 quare per accidens mouebitur primus motor isto saltem modo: & si sic ergo motus æternus non erit ab ipso tanquam a prima causa sed ab alio: quod nec isto modo nec alio mouebitur per accidens; quia ante omne per accidens est aliquod per se tale. Et tertio dicitur quòd talis responsio est contra Auer. quem dicunt imitari. & probatur quoniam Auer. in 2 cœli com. 15. tam in magna expositione quam in paraphrasi, uult formam mouentem orbem ab oriente in occidens, semper esse in oriente: & ideo dextrum cœli semper esse terminatum respectu motoris, quia semper uirtus illa mouens in oriente est primo mouens. si ergo esset, ut isti dicunt. dependenter intellectum moueri forma mota, non semper esset primo mouens in oriente. & non esset dextrum terminatum in oriente. Et quòd sit contra Auer. talis responsio confirmatur ex uerbis eius in 8. physi. unde ipsi colligunt solutionem, ubi Auer. exponens dicta Arist. sæpe repetit, istos motores non moueri nisi per accidens attributiuè, & non ex se ipsis: nam mobile eorum mouetur a motu primi motoris: & ideo dicimus motores eorum moueri per accidens attributiuè, inquantum motum rei motæ ipsi motori attribuimus. sequitur igitur ex iis omnibus solutionem ipsorum neque ueram, neque peripatheticam, esse, sed contra Auer. mentem. Ideo uera datur responsio, quòd quando Arist. dixit motis nobis, moueri ea quæ sunt in nobis, intelligit ipse ea, scilicet quæ sunt apta suscipere motū uel

per se, uel per accidens:modo separata a materia cum non sint quanta aliquomodo nec per se,nec per accidens, non sunt apta moueri aliquo modo, & tota causa est(ut dicit Auer.in 8.phys.com.52.)quia non constituuntur in esse a se mota.& ideo non mouentur aliquo modo ad motum subiecti,quia non sunt quanta aliquo modo. Ad quartum argumentum dicimus,posse esse formam dantē esse,& non coextendi formaliter & quantitatiue,sed uirtualiter,quia uirtus sua in qualibet parte est,in qua dat esse,& proprium opus rei:non enim idem est modus essendi materialibus & immaterialibus: quare nec idē modus coextendendi. Ad quintum argumentum dicendū est,& non comprehenditur a magnitudine,immo stat dare esse materiei & non dependere ab ea, & esse separatū & uniuersale per essentiā,& uniuersaliter tali modo intelligere.

Ad sextum argumentum, motor & mobile non sunt duo in actu separata,immo ut dicit Auer.in primo coeli, coelum non est in actu per se,idest sine motore: quare ex eis fit unum. Ad septimum argu. dicitur, q; non solum non est inconueniens sed necessarium:immo probat Arist. coelum componi ex materia & motore in 8. phys.quod Auer.reassumit in libro de substantia orbis cap.3. & quā do dicitur ab eis celū esse simplex, intelligi debet de corpore quod est altera pars coeli, illa enim est incomposita ut in primo coeli habetur,& etiam diffuse in tractatu de substantia orbis.patet igitur quod nullius roboris est opinio Ioan.Gand.patet etiam quid dicendum, si ad eius rationes.

Solutio argumentorum Ioannis de Bacchone.

Ad primum dicimus,quod Bacchonit in suo argumento ostendit se non intelligere Auer.nam ut patet in lib.de substātia orbis cap.primo Auicenna uoluit coelum habere unam aliam formam praeter intelligentiam a qua erat corruptibile, sed aeternitatem ab intelligentia separata acquirebat, quam opinionem inpugnat Auer.quoniā tunc sequeretur naturam possibilem conuerti in necessariam: quod ipse pro inconuenienti habuit in substātia et 12.metaph.com.41.ipse ad longum enucleauit. modo hoc non est contra nos, quoniam non ponimus aliam formam in coelo constitutam in esse aeternum ex se & non ab alterio. & sic Bacch.non habet intentum contra nos. Ad secundum,quoniam coincidit cum prima ratione Ioan. Gand. dicitur uniformiter, sicut ad illam supra diximus.

Ad tertium dicendum autumamus, coelum recipere formam per potentiam ad esse tantum, ut abunde supra diximus in nostris praesuppositis,quę potentia actuata dicitur,& non recipit formam per potentiam ad utrunque scilicet ad esse,& ad non esse, & talem potentiam Arist. haudquaquam remoueri ab aeternis, ut patet in secundo de interpretatione. ubi hac ratione probat; quoniam si non est possibile, ergo impossibile,quod repugnat actui & necessario: & sic sequitur quod neque opinio Bacch. uera est.

Solutio argumentorum Marci Antonii Zimarae.

Ad primum dicitur,quod procedit ex mala intelligentia uerborum & sententiae Auerrois.nam ut dicit ipse in epit.metaph.non est alia ratio ad probandum coelos esse animatos,nisi quia mouent cum desiderio uel sibi simili: quare ex hoc inferimus necessario coelos esse animatos: cum uelint, & desiderent intelligere: ergo in coelis sunt intelligentiae, & anima. Hoc ergo non est dictum quasi dicatur a philosophis coelum habere animam, nisi propter apetitum & motum in loco, quem uidemus existentem in coelo.& sic Zim. Auer. sententiam non intelligit: & dato q; uelis Auer.id quod ipse dicit, adhuc dicitur q; non est ad propositū.Nam indigeret ut dc esse,ut faciant unum per se quod est perfectissimum unum, modo quod est perfectissimum, haudquaquam à coelo remoueri debet.Posset quoque dici iuxta literam Aue.quod ipse respondet ibi, obiectioni quae mouetur ab Auicen. ad cuius obiectionem respondens dicit quòd coelum dicitur animal uiuens, per se intelligens, & per se appetens per intellectum,& non per uirturem sensitiuam materialem, a qua cęlum mouebatur effectiue secundum Aui placitū quare patet uerba Aue.ab isto uiro male fuisse intellecta.

Ad secundum, credo me toties dixisse & maxime in quaestione de modo considerandi intelligentias, quòd per quidditates intelligentiarum possumus intelligere, uel propias essentias,quae a nulla scientia considerantur. Nam illae solum apud theologos à beatis post mortem habentur. & in uita solum de Paulo fertur: & apud philosophos post copulationem intellectus agentis. quae cognitio non acquiritur syllogismo.ut scientiae speculatiuae de quibus dicitur tertio de anima tex.36 uel intelligimus attributa quae per phantasmata eorum effectum de ipsis colligimus.& ista considerare spectat ad artem,quae illoa effectus considerat: & phantasmata si sunt naturalia, & attributa ad naturalem pertinent. Si demum metaphysica, metaphysici erunt negotii, quare patet quidditatem isto modo nō ad unum artificem pertinere nam si colligimus motores aeternos esse per motum aeternum, tunc de illis considerare ad physicū spectabit. & quia esse animas me dioanimastico ad animasticum pertinet,in quantum dant esse uiuum: in quantū tamen sunt entia & actus puri ipsi intellectus seipsos intelligentes, sic ad metaphysicū spectant, quia ista colliguntur medio metaphysico.quare dicendum est, coelum ueanimatum formaliter, sic ad animasticum pertinere.& eius quidditatem considerare. Et si dicatur q; Auer.dixit in secundo phys.com.26.quidditates separatorum solum à metaphysico considerari. Sic respondeas, quia proprium est quidditati, ut proprior sit & magis intrinseca rei,cuius est quidditas. & quia partes dicara quae considerat metaphysicus de separatis,sunt magis propria eis,quae considerat naturalis, merito quidditates dicuntur quia magis propriae,non tamen sunt quidditates uerae,quia illae sunt ignotae ab aliqua scietia:& ideo dicit Auer.loco dicto,quidditates solummodo metaphysicum considerare.idest attributa magis propria.cum hoc tamen illa poterunt similiter à naturali considerari. & sic patet quòd secundum argumentum, quod difficillimum reputauit Zimara,facilis fuit solutionis.

Solutio rationum,quas facit Marcus Antonius Zimara, in sua propria quaestione, de triplici causalitate intelligentiarum, super quaest. metaph. Ioan. Gand.

Ad primam rationē principalem, quā adduxit ibi Zimara de octauo libro phys.dicatur conformiter sicut dictum est ad primum,& secundū argu. Ioan. Gand.à quo accepit uerbotenus hanc primam rationem principalē, & sic dicatur ad Zimaram,q; ipse hallucinatue in hac sua ratione,quandoquidē Arist.in illa sua demonstratione,non intendit ostēdere primū motorem esse omnino abstractū a materia,&quod non sit in magnitudine.i.quòd intentio Arist.sit probare demonstratiuè, q; primus motor nō det esse,& non sit forma informans ut credidit Zimara. Sed dico q; intendit Ar.demonstratiuè concludere, nedum de primo motore, sed etiā de omnibus motoribus corporum coelestiū, quod non sunt uirtutes in magnitudine.i.q; non sunt dependentes & constitutę in esse a magnitudine. Et tantae fuit difficultatis hęc ratio apud plerosq; recentiores ut cum Ioan. Gand.Bacch.& Zimara cōfiterentur,intelligētiā haudquaq̄ orbi daresse formale. Verū ne deinceps

in eundẽ alij prolabantur errorẽ, obseruandum est, quod quando apud Arist. & Auer. legitur intelligentias non esse uirtutes in magnitudine seu sub istis uerbis, quòd intelligentiæ sunt omnino seiuncta separatæq; a materia, uult dicere, quòd intelligentiæ non dependent a magnitudine, seu non constituuntur in esse a magnitudine. & sic ad rationem Zimaræ redeundo dico quod hoc conclusit demõstratio Arist. in 8. phys. quod. s. ipsæ intelligentiæ cœlorum motrices, licet sint formæ corporum cęlestium. non tamen propter hoc sequitur, quod sint in magnitudine .i. quod sint dependentes & constitutæ a magnitudine, quã expositionem Gand. Bacc. & Zimara non uiderunt. Ad primam replicã Zimaræ, sic respondeo, quod & si Auer. in primo cap. de substantia orbis aliquando dicit, quòd intelligentia non est in subiecto, aliquando uero quod est in subiecto: neque tamen sibi propter hoc contradicit, quoniam esse in subiecto secundum Auerro. ibidem duobus modis capitur. uno modo informatiue: & alio modo dependenter. Et tunc capitur informatiue ab Auer. ibi, quãdo dicit, quod intelligentiæ non constituuntur per subiectum, immo sunt separatæ in esse, quoniam sunt in toto subiecto &c. Et tunc capit Auer. esse in subiecto dependenter, quando dicit ibi, non enim existunt in eo, neq; in toto, neque in parte, & uniuersaliter neq; indiuisibili neq; in indiuisibili. Et sic dico quòd stante tali distinctione, nulla prorsus in dictis Auer. contradictio apparet, neque etiam sumus coacti confiteri, quod intelligentia tantum assistit, ad euitandam contradictionem ut credidit Zimara. quoniam sic dicendo facile euitatur & soluitur contradictio quod scilicet intelligentiæ sunt in toto subiecto, & non sunt in subiecto, neq; in parte. s. per dependentiã, quoniam non sunt constitutæ per subiectũ. hoc igitur modo dicendo, dicta Auer. sibi constant, & replica Zimaræ nulla est, ut uides. Ad secundam replicam quo ad eius impugnationẽ, dicitur quod Zimara errat in opinione Auicennæ quoniam Aue. in libro de substantia orbis cap. primo dicit quòd opinio Auicennæ de anima cęli, talis fuit, quod unicuiq; orbi duas assignauit formas. alteram intrinsecam orbi & materialem a qua cęlum mouebatur effectiue. alteram uero separatam & ut finem, ad quam cęlum mouebatur & hoc dicit Auerroes recitando opinionem Auicennæ in illis uerbis: {& non est dicendum quod formæ quibus mouentur corpora cęlestia, sint aliæ ab eis ad quas mouentur.} Alia uerba legas tu in Auer. quare dicendum est quod demonstratio quam facit Auer. contra Auicennam concludit bene contra ipsum, non autem quod dicit Zimara in sua replica concludit contra nos. quandoquidem Auicenna formam cęli intrinsecam posuit esse materialem & corruptibilem. Nos autem cum Auer. in libro de substantia orbis formam cœli intrinsecam, æternam esse uolumus & immortalem, & si esset uerum ut dicit Zimara, tunc sequeretur quod Auer. uel non intellexit opinionem Auicennæ. uel quod ipse Aue. illud attribuerit Auicennæ, quod nunquam dixit. sed hoc non est dicendum, ergo potius concludendum est Zimaram non intelligere quæ uera opinio Auicennæ fuerit. Ad tertiam replicam dicitur, quod argumentum Auer. contra sarracenos concludit, non autem quod dicit Zimara contra nos in hac sua replica, quoniam si Deus est trinus & unus, sicuti rei ueritas est, oporteret de necessitate partes esse in potentia ad totum, quia illa compositio, esset prima cõpositio partium inter se. & ex quo illa unitas esset simplicissima, si illa tria primo & essentialiter in unitate constituerentur, necesse esset potentiam concurrere. quare sequitur ut illud compositum sit nouũ & generabile: inesset enim potentia ad esse, alioquin ex illis actu existentibus non fieret unum. sed in cœlo non sunt plura in actu, quæ coire in unam essentiam debeant sed tota essentia ipsa est intelligentia, quæ unitur orbi sine potentia, quod in illa trinitate est impossibile, quia ibi sũt actus distincti, qui in unum sine potentia conuenire non possunt. Et confirmatur ista responsio: quia illa forma unitatis in trinitate, uel oportet ut sit constituens & constituta, uel tantum constituens & non constituta: si primum. ergo corruptibilis: non secundum quia tunc non esset trinitas, illa enim tria solummodo actum haberent unitatis, & ita non essent tria: nec essent unum, quia unitas, quę est in trinitate constituitur ex tribus, quæ potentia continet: si ergo constituunt & non constituuntur, tũc essent quatuor, quia esset trinitas a tribus separata, quę de intelligentia cum orbe dici non possunt, cum ergo non sit par ratio unionis intelligentiæ cum orbe, & unitatis cum trinitate, sequitur quod Auer. concludit contra sarracenos & non Zimara contra nos. Et ista est responsio danda ad replicam eius, & non ea quam assignat de duplici forma, cum non sit ad propositum, licet sit bona ut supra dictũ est diffuse in nostris præsuppositis. Ad secundam rationẽ principalem. dicitur ut dictum est supra, in responsione ad tertium argumentum Ioan. Gand. a quo accepit Zimara hanc secundam rationem, & non est respondendum ut ipse dicit, uolens semper applicare illam distinctionem de duplici forma. Amplius dicitur quod ipse errat in opinione Auicennæ. Nam non solum est imaginabile, sed de facto ita est, quòd datur forma dans esse, & non mouetur per accidens eo scilicet modo, quo supra declaratum est in nostris præsuppositis. Neque etiam ualet illa obiectio de opinione fidelium, siquidem non eodem modo intelligentia est forma dans esse, sicut anima intellectiua corpori. Ad tertiam rationem principalem, dicitur eodem modo ut supradictum est, quoniam consequentia huius tertiæ rationis dependet a secunda ratione, ideo similiter est dicendum. Vide etiam pro solutione huius rationis quod supra diximus in sexto præsupposito ubi diffusissimè declaratum fuit ad aures Arist & Auer. quod non omne mouens dans esse, mouetur ad motum illius cui dat esse formale, & quod proprium incorporeorum est, ut dent esse & non recipiant, moueant & non moueantur, agant & non patiantur, dent esse alteri & non sustententur ab altero &c. ubi etiam multa habentur quæ faciunt pro solutione huius tertiæ rationis principalis Zimaræ. Et ad confirmationem dicitur, quod facit pro nobis illa confirmatio, nam Auer. in octauo physicor. ex hoc dixit motores cœlorum non moueri per accidens, quia non sunt formæ constitutę per eorum subiecta, & ideo non mouentur per accidens, sicut formæ materiales: sed non negat quod aliquo modo non moueantur per accidens, scilicet attributiue, ut supra diffusè dictum est ad tertium argumentum Ioan. de Gandauo. Ad quartam rationem principalem dicitur, quod Zimara arguit ad hominem scilicet contra Achil. Bonon. qui tenet animam intellectiuam esse formam dantem esse, non educi de potentia materiæ. sed hæc opinio communiter non tenetur, quia apud dicentes animam esse mortalem, dicendum est consequenter, eam esse eductam de potentia materiæ. & sic dico, quod argumentum Zimaræ fortasse concludit contra Achill. quem ipse citat in suo libro de elementis, & in quolibet sed nullo modo concludit contra nos.

Ad quintam rationem principalẽ duplex assignatur responsio. Prima colligitur ex iis quæ diximus supra in quarto, & quinto pręsuppositis, ubi dictum est, quod alio modo intelligentia est forma cœli, & alio modo formæ materiales. Ad idem potest etiam dici, confirmando primam responsionem, quod intelligentia alio modo est necessaria cœlo. & alio modo formę materiales sunt necessariæ corporibus generabilibus & corruptibilibus nã intelligẽtia est necessaria cœlo, idest unitur cœlo seu orbi sine trina dimensione: non sic formæ materiales. ut exquisite declarauit

claravit Auer. in tractatu de substantia orbis. & sic dico ad unum uerborum Auer. quod ipse per necessitatem formę ac cœlum, intellexit modũ recipiendi, & sic quærit ipse Auer. an eodem modum recipiatur intelligẽtia in cœlo, sicut formę materiales in suis corporibus. nam mos est Auer. per dispositionem intelligere plerunque modũ recipiendi: & sic Auer. soluens quæstionem dicit, quod non est eadem dispositio idest modus recipiendi intelligentiæ in cœlo, & in formis materialibus. Ad sextam rationem principalem dicitur sicut dictum est ad sextum argumentum Ioan. Gand. Et ad replicam dicitur, quod ex duobus in actu ultimato unitis non fit unũ per se, sed materia cœli seclusa intelligentia, non est in actu ultimato, quia tunc ex intelligentia & orbe non fieret unum per se. Et quando Auer. dicit materiam cœli esse in actu sic intelligendum est, quia non est in potentia contradictionis sicut est materia horum inferiorum, ut dicit Aristo. 9. metap. tex. 17. quare Zimara non habet intentum contra nos. Ad septimam rationem principalem dicitur primo ad materiam, quòd cœlum est animatum per intelligentiam, per quam per se intelligit, appetit, est uiuum & est animal ut dicit Auer. cõtra Auicen. in libro de substantia orbis. Et secundo dicitur ad formam argumenti, quòd cœlum non est anima essentialiter, sed est aliquod ultra animam, quia est altera pars cœli quæ dicitur orbis qui ab Auer. quandoque dicitur corpus simplex, quandoque materia ad ubi, & aliquando subiectum, ut patet in libro de substantia orbis. concludendum igitur est talem partem cœli perfici per intelligentiam, sicut per formam eius. Et quando dicis, si perficitur sicut materia, perficitur per formam, tunc cœlum non esset formaliter necessarium. Negatur consequentia, quoniam materia cœli non perficitur diuisibiliter, sicut perficitur materia horum inferiorum, cum intelligentia non recipiatur in orbe media trina dimensione, ut dicit Auer. in libro de substantia orbis. At tunc cœlum non esset formaliter necessarium, quando forma eius reciperetur in subiecto quanto, & sic esset generabile & corruptibile.

Solutio aliorum argumentorum Zimaræ, quibus probat primam duntaxat intelligentiam non esse formam dantem esse formale cœlo.

Ad primũ dicitur circa probationẽ cõsequentię, ꝙ illa forma informans pręsupponit agens, & efficiens diuersum realiter ab ipsa, quæ est educta de gremio materiæ. sed quando talis forma est tantum efficiens materiam, & non constituta ab ipsa, tunc non præsupponit agẽs diuersum realiter ab ipsa, sed dicitur, ꝙ prima intelligentia ex se ipsa, & effectiue, & formaliter unitur cœlo, neque concludit replica, quam adducit Zimara contra istam responsionem. Ad secundum duplex assignatur responsio, primo dicitur ad maiorem ꝙ uera est illa propositio in conceptis cum materia & in istis inferioribus, falsa autẽ est in abstractis a materia, sicut ipse Zimara in suis theorematis. & sic ex doctrina ipsius soluitur eius argumentũ. Secũdo dicitur ad minorẽ, quòd communiter negatur intelligentiam esse causam efficientem, ut tenet de mẽte Auerrois Gregorius Arim. & Ioan. Bacch. Ad tertium respondetur, ad probationem consequentiæ, quòd actiones sunt suppositorum ut quod, & sunt etiam principiorum formalium sed ut quo. exemplum, homo intelligit ut quod, & anima intelligit ut quo, neque hoc est contra Arist. quoniam ipse in primo de anima tex. 64. dicit quòd melius est dicere hominem anima intelligere, quam animam intelligere ubi Arist. intellexit & uoluit dicere, quòd homo intelligit ut quod, & anima ut quo. unde patet hanc responsionem esse peripatheticam, & licet anima intelligat ut quo, & homo ut quod, tamen dicendum est, ꝙ ambo per se intelligunt, sic etiam ad propositum dicendum est, quod prima intelligentia agit ut quo, & cœlum ut quod, & ambo per se. Alia posset dari responsio glossando illam propositionem Arist. in procœmio metaph. ꝙ actiones sunt suppositorum, uera est in istis inferioribus, sed non ab omnibus acceptatur talis expositio. Posset etiam dici ad probationem consequentiæ, quòd illa forma ueniens in compositionem cum materia nõ per se & primo agit, quę est educta de potẽtia materiæ, & quæ est constituta per subiectum: secus autem est de formis separatis, ut supra dictum est in præsupposito circa differẽtiã formæ materialis, & separatæ, & sic dicendo fortasse melius satisfactum est argumento Zimaræ. Ad quartũ circa probationem consequentię, dicatur, ꝙ illud componibile includit imperfectionem & potentialitatem, quod est compositũ ex materia & forma constituta per subiectũ, cuiusmodi non est compositio intelligentiæ cum orbe. nam Auer. uult, quòd ratio potentiæ & imperfectionis est a materia prima. at cum in cœlo non sit materia prima, non potest esse aliqua imperfectio neque potentialitas contradictionis. & sic dicendo, ruit ratio huius uiri.

Ad quintum circa confirmationem, dicitur ut dictũ est supra in sexto pręsupposito, ꝙ compositum ex intelligentia & orbe est illud quod mouetur, & non intelligentia, sicut dictum est etiam ad tertium argumẽtũ Ioan. Gand.

Ad sextum respondetur, quod Arist. in secundo phy. tex. 30. loquitur de forma materiali, scilicet quæ constituitur per subiectum & educitur de potẽtia materię. Unde breuiter dicendo, est animaduertendum quòd mutua & essentialis dependentia, est inter formam materialem, & materiam: & hanc responsionem ignorauerunt multi ex recentioribus, qui non bene exposuerunt textum Ari. loco dicto, non enim Arist. loquitur ibi de omnibus formis, ut male ipsi crediderunt. Ad septimum dicendum est, sicut dicetur inferius in responsione ad argu. Ioannis Scoti, differatur ergo responsio usque illuc. Ad octauum inferius patebit solutio in responsione ad auctoritates Auerro. Ad nonum dicitur, quòd maior est uera de forma extracta ab agente naturali de potentia materiæ, cuiusmodi non est Deus. Ad decimum patet solutio per ea quæ diximus supra in responsione ad argumẽta Ioan. Gand. & Bacchon. Ex iis omnibus igitur quæ dicta sunt, sole clarius patet, Zimaram toto aberrare cœlo, eiusq; rationes omnes, nullius esse roboris.

Solutio argumentorum Ioannis Scoti.

Ad argumẽtum quod est in secundo sententiarum dist. 14. q. prima dicimus quod in octauo physicor. fit mentio de intelligentiis, ut sunt motores tantum, & de corporibus ut sunt motu, & ideo unum ex eis, in motorem, & motum resoluit, nam in physicis solum ista unitas de eis consideratur, quæ per motum localem est inuenta, ut dicit Auer. in libro de substantia orbis, cum quo tamen stat aliam unitatem habere, quæ non pertinet ad librum physic. in quantum uero iste motor est anima dans esse corpori animatum, per quod intelligit, desiderat, & deinde mouet, talis unio ad librum de anima pertinet, ibi enim quomodo anima sit actus corporis, & esse eorum considerantur in quo analogice est inclusa anima cœli, ut in secundo de anima apparet, & sic non concludit argumentum Scoti, & ista responsio deseruiet etiam ad soluendũ argu. Diui Thomæ, ut dicimus in solutione eius argumentorum. Ad primum argumentum Scoti in quolibet dicendum est, in specie formarum, formas abstractas habere actum perfectum & ultimatum, non tamen in specie animalium, quæ sunt composita ex istis

formis & corporibus, sicut anima hominis, siue sit intellectus siue sit cogitatiua, in specie formarũ, habet ultimũ actum, & perfectionem, quia totã essentiam habet speciei, in qua est talis forma: non tamen perfecta in specie hominũ, qui sunt compositi ex ipsa forma & corpore: imo est impossibile, quia formæ sũt actus purus, & si reciperent aliã perfectionẽ, essent compositę ex perficiẽte & perfectibili: quare non fit bona comparatio formæ cœlorũ ad indiuidua materialia composita: sed debent comparari formæ ad formas, & composita ad cõposita. sicut cœlũ ut animal ad hominẽ, & sic concedetetur omnia ultimã perfectionẽ habere. Posset etiam responderi ad probationẽ maioris, q si formæ materiales recipiãt perfectionem in dando esse, hoc est, quia cõstituuntur in esse a materia, quia recipiuntur in ea dimensionibus mediis ut patet secundo cœli com. 3. & in lib. de substantia orbis cap. primo secus autem est formis immaterialibus quæ sine dimensionibus materiæ adueniunt, & ideo non constituũtur in esse ab ea, sed solũ dant esse ut diximus. ex quo sequitur q cum in dando non recipiant perfectionẽ ulteriorẽ, nõ repugnabit eis informare, licet sint ultimus actus, qa stat esse in ultimo actu & specie cõpleta, & esse actũ alterius respectu diuersorũ, ut diximus. per hoc tñ nõ recipiũt ulteriorẽ ut ipse infert. Amplius dicitur falsũ esse, formã in dando esse, recipere perfectione, immo imperfectionis signũ est, quia omnẽ actũ & perfectionẽ cõpositũ habet a forma: modo propter quod unumquodq; tale & illud magis, non ergo sumet ampliorẽ perfectionẽ habita, ut satis probauimus I. pprio quæsito, q esse formæ prius est perfectione esse cõpositi ut patet 9 meta. tex. 7. quandoquidem forma de se uniuersalis, æterna, & immaterialis, in materia habet sua opposita, quæ omnia sũt imperfectionis, ut satis loco dicto diximus: quod etiam ex ordine naturæ patet per exempla. quomodo ergo inueniunt isti uiri a composito perfici formam ? semper enim natura ordinat ens tale per participationem perfici a tali per essentiam, & non econtra: calida enim calore ignis qui est per essentiam calor, perficiuntur & non econtra, & Deus est ens per essentiam non tamen perficitur ab aliis entibus, quæ entia sunt ipsam participando ut prius cœli patet tex. 101. quare sequitur q forma sola sit sua essentia, alter formæ erit forma & esse, & sic in infinitum: cõposita uero sunt simpliciter & perfecta ratione formę compositũ ergo ab ea & non econtra perficitur. Ad secundum argumentum, facile quoque respondetur, & theologice, & physice. Theologi qui tenent in æternis esse accidentia, dicerent potentiam in eis esse actiuam perficiendi, quæ non est imperfectio. Philosophi uero negantes accidentia, dicerent sua essentia posse perficere, potentia tamen quæ necessarium sequitur secundo de interpretatione, æternis sine imperfectione conuenit. patet igitur quid dicendum ad Scoti rationes.

Solutio argumentorum Diui Thomæ.

Quæ dicit Diuus Thomas, & per auctoritates, & per rationes nil sunt. Et primo respondetur ad auctoritatem Aristo. q separata non informant eo modo, quo formæ materiales, ut supra dictũ est in præsuppositis, quæ coextenduntur & admiscentur corpori, ex cuius potentia aducantur, sed solum dant esse per contactum uirtutis ad corpus sicut lumen dat esse luminosum, solum per uirtutis suę contactum. Et ad auctoritatem. Arist. 8. phys. dicitur formaliter, q Aristote. loquitur ibi solum contactu motoris & mobilis. & non animę & animati: illã enim unionem habet cõsiderare animasticus, ut iam supra diximus in responsione ad argumentum Scoti, & sic patet q Ari. auctoritas non est contra nos. De Platone, forsan alias dicemus, nunc autẽ sufficiat peripatheticorũ more loqui.

Ad primam rationẽ Diui Tho. sic respondetur & peripathetice, animã uniri formaliter corpori ut ipsum perficiant, ut patet in secũdo de anima tex. 32. ubi dicitur q anima est propter corpus animatum ut cui, & non ut gratia cuius. & hoc multis de causis: tum ut motus sit intrinsecus, naturalis, & perfectus: quod non esset si non daret esse: tum ut communicet perfectionem: tũ quia ego quærerem, quare aliæ formæ uniantur materiei? possent enim per contactum mouere & operari in corporibus. non ergo dicendum est aliter, nisi ut suam perfectionẽ, & esse, & opus proprium perfecto modo cõmunicent corpori.

Ad secundam rationem Diui Thomæ, patet solutio etiã per ea quæ dicta sunt supra in responsione ad primã eius rationem. Et animaduertas Diuum Thomam in secundo contra gentiles cap. 70. concedere, cœlum esse animatum. & sic non solum non concludunt rationes Diui Thomæ, sed eum sibi contradicere asserimus.

Responsio ad argumenta Thomistarum.

Ad primum argumẽtum aliquid sic respondent, ipsas ideas quo ad motum nihil prodesse, neque sempiternis, neque corruptibilibus substantiis: ideo si essent, frustra essent, nam si ponuntur ideę a Platone, sub hac ratione ponuntur, quia cum omnia sensibilia essent in continuo motu, & fluxu; oportebat ponere extra mobilia, aliquod immobile, de quo esset scientia: & propter hoc erat idea immobilitatis principium, & non motus. quare non potest neque æternis, neque corruptibilibus principium motus esse. Sed isti errant, quoniam non est inconueniens apud Arist. omni immobili (ut sunt entia separata) esse principiũ totius & primi motus, quare idea immobilis quo ad substantiã de qua potent esse scientia, firma esse poterũt principia motus æternis, & corruptibilibus. Quare dicẽdum est, quod cum apud Platonem ista nõ sint in rebus, quas ponit earum participes, ideo non poterunt esse causa, neque motus, neque scientia, neque substantię rerum ut clare dicit Aristote. in tex. iam citato. Ad primam & ad secundam confirmationem dicitur. Sed primo unum est animaduertendum, quod opinio Plat. de ideis (ut Aristote. sibi impingit) talis est in phedrone, ubi uult eas, non solum esse causas rerum in fieri, sed in esse. & in alia parte, illas esse separatas a rebus, ut in primo meta. tex. 33. asserit Aristote. & hoc præsupposito, sequitur quod non ab re Aristot. obiurgauit Platonem, quandoquidem dans esse non debet esse separatum ab eo sed esse in eo: cuius oppositum dicit Plato. Ad nos ponimus substantias separatas dantes esse cœlo & esse in cœlo, & non separatas. & si dicimus eas esse separatas, hoc ita intelligendum est, quia non constituuntur in esse a cœlo, & hoc non intelligentes moderni ad multos deuenerunt errores. & sic patet quid dicendum ad secundam confirmationem sumptam ex tex. comm. 33. Ad primam confirmationem de tex. comm. 32. similiter dicit quod non est simile. Plato siquidem, ut sibi imponit Ari. dicit ideam esse exemplar rerum, quod participando plures res exẽplatæ essent, quod dicit Aristote. esse poeticum dictum, propter causas quas dicit, quę non sunt contra nos, nam nos ponimus intelligentiam cœlo inexistentem, & unam uni cœlo a qua proprium esse, & opus habeat. & sic patet quod primum argumentum & suæ confirmationes haudquaquam concludunt contra nos. Ad secundum argumentum, aliqui dicunt, quòd tunc mouerent in instanti, si quantum possunt mouerent, quod non faciunt, agũt enim quantum uolunt & non quantum possunt, & ideo non agunt in instanti. Sed hæc solutio, theologica est & non physica, tũ quia non esset proportio aliqua motoris ad mobile, & tamen Arist. in 2. cœli dicit secundum nobilitatem rei motæ & proportionem esse motorem, tum

quia

quia motus in instanti est impossibilis, non ergo possunt mouere in instanti, tum quia tertio physi. in æternis posse, esse, est necessarium in actu. quare mouēt in instāti si possent, non ergo responsio physica est, & naturalis. Alii aliam dant responsionem dicentes, cœlum resistere motori corporeitate actuali; non quam habet ante informationem, sed quæ sequitur ad informationem. Et si dicas, quòd tunc similiter esset dicendum de elemento, nam per corporeitatem actualem subsequentē materiam elementi, resistet motori formæ in uacuo. Respondent illi, & dicunt esse diuersitatem, nam esse elementi ad hanc materiā mixti est in potentia, & potest actuari non tamen esse cęli, non enim potest actuari quia actualissimū. Sed hoc nihil est, nam sicut esse cęli ut cęlum, est in ultimo actu cęli, ita quoq; elementum ut elementum, est in ultimo actu elementi, quare dissimilitudo nulla est. Alii dicunt motorem cœli, non mouere in instanti, propter incompossibilitatem terminorum, unde mouetur. & ad quem mouetur, sunt enim oppositi, & in eodem instanti incompossibiles. Sed hoc non soluit. quoniam similiter dicerem de elemento in uacuo, non enim moueretur in instanti propter incōpossibilitatem terminorū oppositorum. Alii asserunt materiam horum inferiorum differre a materia superiorum, nam sicut illa inferiorum est illimitata, & in potentia ad omnē formā, ita quoq; illimitata, & in potentia dicitur ad omne ubi. sed materia superiorum, sicut limitata est, & in potentia ad unam formam ita ad unum ubi. quare materia superiorum poterit resistere, non autem materia inferiorum. Hæc responsio apparens est, immo materia cęli ad ubi illimitata est, quia si haberet certum ubi, qui esset finis motus eius, motus non esset æternus, & omnis locus in circulo principium est & finis, quod non est in elemento, habet enim certum & determinatum ubi. quod est finis sui motus, quare dissimilitudo, non solum falsa, sed nec ad propositum. Propterea credo posse dici cum Auer. secundo cęli com. 63. & 71. resistentiam moti ad motorem in cœlestibus nihil aliud esse, nisi proportionem terminatam motoris ad mobile, tantum est enim in quantitate, quantū a tali motore tali motu potest moueri. in motoribus ergo cęlorum resistentia est solum proportio quædam moti ad motorem: in mortalibus uero & elementis est medii tantum cum materia in actu. & ideo remoto medio tollitur resistentia; non sic in motoribus cœlorum. & sic uidetur solutum argumentum. Ad tertium argumentum omnes ferè dicunt Arist. loqui in illa auctoritate, de intellectu hominis. quod falsum est. intellectus enim secundum Anaxagoram, primus intellectus est, qui non est in omnibus æqualiter. Deus enim haudquaquam æqualiter ab omnibus participatur, sicut dicit Arist. primo cęli tex. 100. q; à primo principio deriuatum est esse omnibus, his quidē clarius, his uero obscurius. Et si loquatur de intellectu hominum: Dicendum quòd intellectus hominum non est similis omnibus quo ad operari; sed quo ad esse: non enim similiter omnes eodem modo intelligunt. Hæc sufficiant pro solutione istarum rationum.

Responsio ad auctoritates Auer.

Ad primam auctoritatem Aue. dicitur, q; ibi loquitur de uita & animatione mortalium: illa enim est per nutritiuam uirtutem, & restaurationem deperditi, quæ solū est in mortalibus, & non in æternis; illa enim nō uiuunt uita tali, sed per se uiuunt, & sunt animata, ut dicit Aue. in li. de substantia orb. cap. primo, contra Aui. quod cęlum est per se intelligens, uiuens, appetens, & animatum. Ad secundam auctoritatē de octauo phys. clare patet, ibi similitudinem dari ab Auer. nam dicit, q; sicut principium motus in rebus mobilibus, ita quoq; anima in rebus uiuis. nā sicut res naturalis dicitur mobilis, quia habet in se principium motus: ita quoq; uiua dicitur, quia in se habet animam. Ad tertiam auctoritatem de substantia orbis. ca. primo, & de primo phys. com. 63 dico q; Auer. in iis locis uult formam cęli, non esse in cœlo ut constitutam in esse & dependentem ab eo, & non absolutam. cum hoc tamē ut dicit ipse secundo cœli, com. 3. est in cœlo ut independens & absoluta ab eo. Ad quartam auctoritatem de primo cęli com. 18. dicitur, quod Auer. quando dicit principium cœli esse extrinsecum per ly extrinsecum, intelligit separatum à materia, & non corporeum, quoniā si esset intrinsecum materiei, tunc constitueretur per materiam à qua dependet in esse. & tunc non moueretur semper, quia corrumperetur, hoc igitur modo intelligendum est quando Auer. in uariis locis suæ doctrinæ asserit, intelligentiā esse principium cęli extrinsecum, & non dicitur extrinsecum, eo q; sit forma non dans esse, ut modernis fere omnibus uisum est, & malè. Ad quintam auctoritatem de primo cęli com. 95. facile quoque respondetur, quod Aue. uult ibi soluere quæstionem de cęlo, nam dixerunt corpus cęleste non habere formam in materia. Et dubium est hoc, an res per quam cęlum sentitur, sit eadem cum re per quam intelligitur. Non eadem quia impossibile, cum sensatum & intellectum sint obiecta diuersarū potentiarum si sunt diuersa, nā id per quod res ipsa sentitur est materia, uel aliquid existens in materia, quod uero intelligitur est forma rei, & omne tale est corruptibile. hoc est dubium quod Auer. soluere nititur in illis uerbis, {dicemus ergo.} In cuius dubii solutione hæc dicit Auer. clarioribus uerbis, quod natura cœli est una numero cū intelligentia, quæ sibi dat esse, & cum qua facit unū numero, sicut forma corporalis cum sua materia, ut patet secundo cęli ubi dicitur, q; ipsa natura cęli una numero, est indiuiduata per se, idest sensibilis per se ipsam, intelligibilis uero per aliud idest per formam quæ sibi dat esse. Et animaduertendum est, quod ex hoc cęlū dicitur sensibile per se, quia est materia actu, uel corpus actu habens & substentans accidētia & dicitur intelligibile per aliud, quia sicut materia horū inferiorum non potest per se intelligi & cognosci nisi ex proportione ad formam uel compositum, ut primo phys. retulit Aris. cum solum actus, aut habens actum per se intelligatur; ut patet tertio de anima tex. 69. & materia prima nullum horum duorum est, ita materia cœli, cum non sit actus de se, nec quidditatē, nec operationem propriā habens. nisi eam quam habet ab intellectu, nō poterit per se ipsam intelligi; sed solum per comparationem ad intellectum, à quo habet esse, & quidditatem, & opus proprium. Quòd autem cęlum sit compositū ex materia & forma dante esse, probat Aue. pulcherrime, & primo præsupponit sibi unum, quod tale est, materiam cęli non esse per se in actu sed solum esse in actu inquantū est materia intellectus. & hoc habito præsupposito, sic arguit Aue. ad impossibile. Vnumquodq; intelligitur inquantum est in actu. i. est forma, uel habens formam: per formam enim res est in actu: sed natura cœli non est in actu per se, ut patet per præsuppositum, & etiam non est composita cum forma per quam sit in actu: ergo non potest intelligi. quia omne quod intelligitur, uel est actus, uel habens actum: sed cęlum non posse intelligi quo ad suam naturam, est falsum; quoniam impossibile est esse aliquā naturam, uel ens naturale (quale est cęlum) & non intelligi, quoniam dicit Arist. secundo metaph. tex. 1. impossibile est esse aliquod intelligibile, quod non intelligatur: ne ergo sequatur hoc impossibile, necessarium est de primo ad ultimū; cęlum constare ex materia & forma dante esse, & actū, per quem intelligatur. Et ex his etiam uerbis. Auer. respondet ad uulgatam auctoritatem peripatheticorum dicentium cęlum non componi ex materia & forma, quia esset corruptibile. Et dicit Auer. satisfaciendo illi obiectioni, quod cęlū capitur dupliciter. primo modo pro natura

neq; graui, neq; leui, quæ est materia in actu, subiecta intellectui. secundo modo pro uno numero ex tali materia, & intellectu. Et tunc stante hac distinctione. Auer. duas dicit propositiones, & ambas ueras. Prima propositio cęlum non componitur ex materia & forma, sumendo cęlũ primo modo, quia tunc esset graue & leue necessario, ut sunt elementa. Secunda propositio, cęlũ secundo mõ sumptum, est compositum ex materia & forma a qua habet esse in actu idest per quam põt intelligi, & sic non est corruptibile ut dicebant physici. hæc dicit Auer patet & ex iis, quid sit dicendum resolute & distincte ad auctoritatẽ illam, quod Aue. non dicit ibi, cęlum non esse cõpositum & non habere formam, sed arguit oppositum, neq; etiã dicit cœlum unum numero, & indiuiduatum per se, sine forma esse, sed ex hoc quod probauit cęlũ esse cõpositũ cum forma per quã debet intelligi, infert esse unũ numero ex forma & materia, ut secundo cęli declarat. Cęlum igitur breuibus concludendo, est per se indiuiduatum, & per se sensibile per accidentia, quæ sunt in materia, neque graui, neq; leui & intelligitur per aliud. i. per forma a qua hẽt, esse, & actũ: unde sequitur & clare, quod res sensata & intellecta in cęlo, non sunt idẽ. Ad sextam auctoritatẽ de primo cœli com. 10. facilis est solutio. Sed antequam soluatur. primo est notandũ, quod quando peripathetici probant, cœlũ non habere materiam, intelligunt de cœlo quod est subiectum motoris. s. de natura neq; graui neq; leui, & non de cęlo quod est unum numero ex motore & moto, ut dicit Aue. primo cęli. Et hoc stante dici potest, formam in materia primo modo quæ etiam potentiã habet ad non esse eius, esse corruptibilem: & quia oẽ corruptibile, corrumpitur per contrarium, necesse quoq; est ut talis forma habeat contrarium. quia aliter ut dicit ibi, aliquod esset possibile. & non reduceretur ad actũ, & sic natura aliquod frustra fecisset: omnis ergo forma in materia primo modo. s. habens potentiam ad non esse eius, est corruptibilis, & habens contrariũ quo corrũpatur, qualis non est forma de qua loquimur, ut satis supra diximus.

Ad septimam de secundo cęli tex. 14. clarum est, intelligentiam non partiri ut materiam, absoluta est enim in esse ab ea: quare stabit incipere operari ab una parte rei motæ, & mouentem in remota non sic esse. Ad octauam auctoritatem de substantia orbis, dico quod aliquid esse partem alicuius cõtingit duobus modis. uno mõ est pars non separabilis, sed diuisibilis. sicut totum cuius est pars, & isto modo Auer negat intelligentiã esse partem formalem cœli, quia est separabilis à corpore, cum sit recepta sine dimensionibus. alio modo pars est quæ dat esse rei, & motum, & uitam, & non pendet ab ea, sed econtrario: & hoc modo Auer. non negat intelligentiam esse partẽ formalem cœli: immo hoc ipse concedit in principio sui libri de substantia orbis, quando dicit cęlum componi ex duabus partibus sicut genita omnia. Et hæc solutio, cõfirmatur per ea quæ dicit Aue. in litera, ubi dat exẽplum de homine, & dicit sic. {& si esset intelligens cęlum per partem in eo, non esset intelligens per se, & esset simile homini in hoc. quod hõ esset intelligens per partem in ipso} in quibus uerbis Aue. dicit quod cęlũ non intelligit per partem in eo existentẽ sicut homo; nam homo intelligit particulariter per partem constitutam, quæ est cogitatiua uirtus, ut dicit Auer. in tertio de anima: sed cęlum dicit ipse, non intelligit per partem existentẽ in eo, quæ pars sit cõstituta per ipsum, sed tantum constituentem ipsum formaliter. & hoc modo, Auer. uenit intelligendus. Ad nonam auctoritatem septimo metaph. com. 31. dico non esse formam in cęlo, sicut anima in calore naturali, nam talis anima non solum agit calore naturali, sed etiam conseruatur in esse: anima uero in cœlo licet per ipsum agat, quando mouet; tamen non conseruatur in esse ab eo; nec per calorem, nec per uirtutem generatiuã in spermate; illa enim uirtus diuina informat pro illo tempore sperma, & illud transmutat per calorem ibi existentem, & per cœlestem, cum quo tamẽ ab illo non pendet. Et notandũ, quod hęc solutio satisfacit cuidam argumento superius adducto a Zimara ut iam diximus & notauimus supra. Ad decimã auctoritatem libri destruc. destru. dicimus etiam ut supra dictum est, quod Aue intẽtio est probare ex uero fundamento philosophi cęlũ non componi ex materia. nã radix ad cognoscendum corpora componi ex materia, est hæc; quia sunt generabilia & corruptibilia. at cęlum est ingenerabile, & incorruptibile: ergo non est compositum ex materia modo supradicto. nam materia talis habet dimensiones & corporeitatem in potentia, & habet formã dependentem ab ea in esse & conseruari, quæ cœlo non conueniunt ut ipse dicit: materia uero cęli habet corporeitatem in actu, & forma eius nõ substentatur in esse ab ipsa materia cœli: quod probat ipse sic, nam si dependeret in esse à tali materia & econuerso, tunc ambo essent corruptibilia: & quia corruptibilia animata indigent aĩa restaurante per cibum ipsum deperditum, tunc cęlũ tali anima indigeret, sicut reliqua corpora animalium: quare cum in cęlo non sint hæc: concludit ipse Auer. cęlum non indigere anima ad esse suum, quod per restaurationem conseruatur: est enim sua natura ęternum, & nullo modo corruptibile, sed solum indiget anima, quæ det esse animatum: modo credo tales formas dantes esse animatum. esse formas dantes esse, & non assistentes tantum. Et ibi Aue. probat hoc, quoniã si cęlum est nobilius omnibus rebus inferioribus, quarum quædam sunt animatæ, & ipsũ multo magis debet esse animatum, nam inanimatum nõ est nobilius animato: unde infert ultimo corpora cęlestia, aut esse uiua ex se, & non ab alia uita, sicut sunt hæc inferiora aut esse habentia materiam & formam æquiuoce dictam cum illis inferiorum: hæc sunt quæ dicit Aue. in tali disputatione contra Algaz. & confirmant ea quæ supra abunde diximus. Ad undecimam auctoritatẽ de substantia orbis cap. 4. & 12. metaph. com. 4. facile quoq; respondetur ꝙ permanere capitur dupliciter. uno modo de natura sui non esse corruptibile, & hoc modo cœlum est permanẽs per se, quia non habet materiam in potentia partem sui, & sic orbis cęli non indiget anima dante sibi permanẽtiã prohibendo eius corruptionẽm, cuius oppositum uoluit Auicen. ut supra dictum est. Alio modo de natura sui habere existentiã permanentem, & hoc secundo modo cœlum pro orbe non permanet per se, immo indiget anima dante sibi permanentiam æternam: & hoc uoluit Auer. in secundo de anima comm. 48. quando dixit, uirtutes cęlestiũ corporũ secundum omnẽ dispositionem conseruare esse ipsorum, & conseruare partes eorum eodem modo.

Ad duodecimam auctoritatẽ eiusdem libri de substãtia orbis cap. 2. dicitur ꝙ diminute allegatur propositio Aue. quandoquidem sic dicit in illo loco { corpus cœleste non est necessariũ in suo esse forma, sicut est dispositio animaliũ quæ sunt hic} & si dico ꝙ Auer. se ipsum declarat per illam dictionẽ, sicut, nã uult ꝙ corpora animalium inferiorum indigeant sensu, non sic aũt corpora cœlestia: quare patet, ꝙ diminutè adducuntur dicta Auer. ab aduersariis.

Ad decimam tertiam & ultimã auctoritatẽ, Auer. negatur antecedens, quoniã cum in principio ponit tres entitatum gradus, in primo materialia: in secundo corpora spiritualia: & in tertio intelligentias: secundus gradus de animali cęlesti faciliter intelligi debet, cuius forma est tertius gradus. Ex quibus omnibus solutionibus & præsuppositis superius in secundo cap. declaratis, clarissime patet opinionem nostram undequaque ueram esse, & irrefragabilem, quod scilicet intelligentia est forma dans esse formale cœlo, & non tantum motum.

Dubitationes pulcherrimæ ex supradictis.

Pro

Pro complemēto & clariori notitia præsentis quæsiti, duæ mouentur dubitationes. quarū prima est: quæ unitas est illa quæ resultat ex intelligentia & orbe? Secunda quo modo incorporeū tanget, & simul erit cum re corporea? Pro quarū solutione, duo sunt præsupponenda. Primum ꝙ unum est multiplex. quoddam est mixtionis & cōplexionis, sicut unū ex qualitatibus & elemētis, quæ miscentur & complectuntur. aliud est unū per contactū, & est eorū quæ se tāgūt. quorū ultima simul sunt unū cōtinuū. Sunt quoq; alii unitatis modi quos Aris. posuit in 5 phy. sed eos nūc missos facimus. Secundū præsuppositū a primo depēdens tale est, tactus est duplex, corporalis & uirtualis. Corporalis est entis quæ sunt unū per mixtionē. Tactus uero uirtutis est, quādo uirtus rei agentis in rem passam agit eam mutando in esse suū, & opus Et pro huius notitia duplex assignatur exemplū. Primū est de magnete qui a longe manens tangit ferrū, & nō ultimo sui & corporaliter, sed sua uirtute tangit ferrū, qua ipsum in esse tali mutat, ut ad ipsum statim moueatur. Secundū est de sole, nam sol & cūcta cœlestia tāgūt hæc entia inferiora. & non eorum ultimis sed uirtute. Est sciendū insuper, ꝙ tactus corporalis & uirtutis pluribus modis differūt. Primo quia secundū tactū uirtutis, indiuisibile potest tāgere diuisibile, & non secundū tactū corporalem. Aduertas etiā ꝙ indiuisibile duplex est, unum quod est intelligentia, alterū uero est punctua, & hoc præsupposito, dico ꝙ solū indiuisibile ꝙ est intelligentia potest tangere diuisibile: non autē indiuisibile quod est punctum: & ratio huius diuersitatis talis est, quia indiuisibile alio modo cōpetit motoribus cœlorū, & alio modo puncto: motoribus cœlorū quidē, quia sunt incorporei: puncto uero, quia nō est quātitas, sed quātitatis terminus: ideo ad reliquū quātum corpus se extendere nequit; determinatur. n. ut si terminus, motores uero cœlorum, quia nō terminantur tali modo quo ad uirtutē, ad plura se ipsos extendere ualent. Secundo modo differunt, quoniā tangens primo modo totum tangit, & non tangens secundo modo, sed ultima rei tactæ. & causa est, quia tangens primo modo, tāgit, quia uirtute agit in rem tactā, quæ potentia est, ut patiatur secundū totum, non ultima tantum. Tertio modo differūt, quoniā tangens primo modo, tactum incedit per totū & non secundo modo, impeditur. n. ultimo eius rei quā tangit, ultra quod non incedit. Quarto modo differunt, nam tangens primo modo tangit, mouet, agit non tāgitur, sed tangens secundo modo mouetur, & patitur; ut supra declaratum est, ex quibus patet quid dici debeat ad supradictas dubitationes. Ad primā dubitationē dicitur ꝙ ex intelligentia & orbe fit unū secundū tactū & non unū per mistionē. Nam (ut in libro de generatione asseritur) quæ faciunt unū per mistionem, oportet prius alterata in illud unū transire, uel in substantia tam motus quā mota nullo istorū modorū uariari possunt, quādoquidem ut ibi dicit Arist. quæ tali modo miscētur, in genere eodem. i. in eadē materia cōmunicare debent, qua omnino carent cœlestia ut Arist. et 9. meta. docuit. Ad secundā dubitationem patet solutio, ꝙ indiuisibile nō omni specie tactus potest diuisibile tangere, & ꝙ non omne indiuisibile potest diuisibile tangere. sed solū indiuisibile ꝙ est intelligentia, tāgit cœli corpus indiuisibile tactu uirtutis. i. inquantū uirtutē essendi & operādi in eo imprimit, ut suo firmo & beato desiderio primo mobili assimilari possit. Ex quibus omnibus patet modo apud Ari. Auer. & ueritatē, intelligentias dare esse formale cœlo, & nō tantū motum propriū: patet etiā modus quo dant esse intelligētiæ. & dicant moderni quicquid eis libuerit. Proprior tñ modus, quo ipsæ intelligentiæ dant esse suis orbibus sicut de mortalibus plenius scimus, nobis haudquaquā clarus est: quandoquidē Aris. in 2. meta. tex. 1. nobis notatū reliquit, ꝙ sicut nicticoracū oculi ad lucē diei se habent, sic & animæ nostræ intellectus, ad ea quæ sunt omnium naturę manifestissima, quicqd dicat Auer. ibi, & in primo de partibus & 10. eth. cū dicit res ipsas superiores leuiter attingere quod nimiū probare nō oportet. nā cuilibet in se hoc experitur. uix. n. mortalia quę ante oculos nostros existunt certe scimus: quanto magis immortalia & inuisa a nobis cognoscētur? & in tantū credo, nos de istis entibus opinari. quantū ex sensatis colligere ualemus & aliqualiter per illa manifestamus, cōfuso tñ modo. Et si aliqua cōparatio inter sensata & æterna fieri potest, hoc modo uenit explanādū ut dicit Galenus de mente Aris. & peripatheticorū, in tractatu de spermate, de substantia immortali, qualiter mortali copuletur. Primo dicit Porphiricos philosophis perscrutantes esse quomodo substātia incorporea possit esse uel iungi substātiæ mortali. non sicut quatuor elementa coniungūtur in cōstitutione alicuius substātiæ, sed uirtus animæ spiritualis iungetur sensibus corporis, qui sūt uirtutes corporis, quare patet ex his, alio modo immortale mortali iungi quā mortale mortali. Deinde subdit, ꝙ hæc causa nō est extranea a cognitione. s. ꝙ substātia incorporea ueniat ad cōstitutionē alterius substantiæ corporeæ, post cuius cōplexionē illa substantia tenet se in sua proprietate: & eius differētia similiter, & illa destruit omnē differētiā accidētalē corporeā: ex quibus patet, aliquod incorporeū posse uniri sine aliqua eius passione secūdū Porphi. Et in cap. sequenti de mente Ari. & omniū peripatheticorū asserit, animā incorporeā esse, non tenere locū, quā hoc modo dare esse per exempla probat. quorū primū tale est. Sicut aer illuminatur, & recipit esse luminosum in qualibet parte, sic corpus per uirtutē animę & ipsam animā, quæ cū incorporea sit sicut lumē, in quālibet partē trāsit a qua corpus recipit esse. Secundū exēplum hoc est, sicut lux solis perficiens in talitate aerem, uisionē perfectā colorū habentibus oculos pręstat, sic quoq; per lucē spiritualē propriā suæ sapientię corporibus rerum intelligentia præbet quę perfectius lumē est. Tertiū tale est, sicut lux solis cū suum effectū complet, & luminosum esse aeri dat, cū incorporea sit, nullā diuisionem patitur ad diuisionem aeris sic quoq; anima, licet per totū corpus trāseat dās esse, nō tñ diuisibilis redditur ad diuisionē corporis. Quartū uero exēplum est, sicut lumen solis, quia incorporeū separatur ab aere, cui dabat esse luminosum sine aliqua eius corruptione, ita anima tota immitata corpori, in cuius qualibet parte est dans esse. separatur. sine eius lesione, si corpus est mortale, uel saltē non repugnat suæ naturę separari, si corpus est immortale, ut de cœlo oportet dicere. Apollonius quoq; philosophus separationē possibilem, alio declarat exēplo, nam sicut ignis a ccensis, quibus iunctus est, separari contingit, & reuerti ad primā, propriāq; materiam sine corruptione, ita quoq; animā (cū sit quidā ignis animatus spiritualis) cōtingit separari a corpore cui iuncta est, sine lesura aliqua. Et animaduertendū, ꝙ hæc exempla aliquo modo animæ essentiā manifestant & modū essēdi in corporibus. & modum etiā separationis possibilis ab eis. Et licet aliqualiter exēpla non uideantur similia, non. n. ut ita sint, adducuntur, ut dicit Arist. sed ut manifestetur aliquo modo quid uelint auctores, appareatq; quantum diuersus sit informandi modus separatis & nō separatis formis. Hæc quæ dicta sunt, sufficiant. Res enim ardua est tum quia a sensibus nostris remotissima: tum etiam contra omnes fere expositores, nostra opinio est. In qua si ueritatem attigimus, fecimus quod uoluimus & desiderauimus, si uero non, saltem dedimus uiam, qua res melius inuestigari possit. hoc enim munus est philosophi.

FINIS.

VENETIIS Ioan. Gryphius Excudebat.
M D LXXVI.